Civitas Remorum metropolis.
Civitas Sessionum.
Civitas Catalaonorum (n).
Civitas Verummandorum (o).
Civitas Atravatum.
Civitas Camaracensium.
A Civitas Turnacensium.
Civitas Silvanectum.
Civitas Belloacorum.
Civitas Ambianensium.
Civitas Morenum (p), Tarawanna, Pontium.
Civitas Bononiensium.

In Provincia Germanica prima Civitates IV.

B Civitas Magontiacensium, metropolis Magontia.
Civitas Argentoratensium Strateburgo.
Civitas Nemetum Spira.
Civitas Wangionum Warmatia.

In Provincia Germanica II. *Civitates* II.

Civitas Agripinensium, metropolis Colonia.
Civitas Tungrorum, id est Tungris.

In Provincia Maxima Sequanorum Civitates IX.

Civitas Wisontiensium metropolis.
C Civitas Equestrium Nividunum.
Civitas Elivitiorum Aventicum.
Civitas Basiliensium Basilia.
Castrum Vendonense (q).
Ebridunense castro (r).
Castrum Argentorate (s).
Civitas Rauracensis.
Portus Ubicini (t).

In Provincia Alpium Graiarum et Penninarum Civitates IV.

Civitas Centronium, id est Tarantasia
D metropolis.
Civitas Verusager, id est Valensium, seu Octodorum castrum, Canavenusta.
Civitas Augustana, id est Argentaria (u).
Civitas Seutium (x) Morienna.

In Provincia Vienensium Civitates XIII.

Civitas Vienensium metropolis.
Civitas Genevensium, idem et Palustria.
Civitas Gratianopolitana.
Civitas Albensium.
E Civitas Deiensium.
Civitas Valentinorum.
Civitas Tricastinorum.
Civitas Vasionensium.
Civitas Aurasicorum.
Civitas Carpentoratensium.
Civitas Cavallicorum.
Civitas Avennicorum.
Civitas Arelatensium.

(a) Elosa.
(b) Ebridunum.
(c) Cavaloninse, Cabillonense.
(d) *In quibusdam Codd. deest.*
(e) Rotomaginsium.
(f) Baiocassium.
(g) Cenomanorum.
(h) Nammetum.
(i) Corisuletum.
(k) Diablintorum.
(l) Autisioderinsium.
(m) Tricassium.
(n) Catalaunorum.
(o) Veromandorum.
(p) Morenium.
(q) Civitas Vindoninsa.
(r) Civitas Ebridunensis.
(s) Civitas Argentariensis.
(t) Abucini.
(u) *Hæ duæ in uno Cod. desunt.*
(x) Sentium.

Civitas Massiliensium.

In Provincia Narbonensi prima Civitates VIII.

Civitas Narbonensium metropolis.
Civitas Tolosanensium.
Civitas Betterensium (a).
Civitas Nemausensium.
Civitas * Aquatensium.
Luteva castro (b).
Civitas Ucensis (c).
Civitas Magalonensis (d).

In Provincia Narbonensi II. *Civitates* VII.

Civitas Aquensium metropolis.
Civitas Aptensium.
Civitas Regensium Regius.
Civitas Forojulensium.
Civitas Vapencensium (e).
Civitas Sigesteriorum (f).
Civitas Antepolitana.

In Provincia Aquitanica prima Civitates VIII.

Civitas Betoricorum metropolis.
Civitas Arvernorum.
Civitas Rutinorum.
Civitas Albiensium.
Civitas Caturvorum.
Civitas Lemodicum.
Civitas Gavalum.
Civitas Bellavorum (g).

In Provincia Aquitanica II. *Civitates* VI.

Civitas Burdegalensium metropolis.

A Civitas Agennensium.
Civitas Aquelinensium (h), Aquilisma.
Civitas Sanctonum.
Civitas Pectavorum.
Civitas Petrorecorum (i).

In Provincia Novempopulana Civitates XII.

Civitas Elosatium metropolis.
Civitas Ausciorum.
Civitas Aquensium.
B Civitas Lactoratium.
Civitas Convenarum.
Civitas Consorannorum.
Civitas Boatium, quod est Boius (k) in Burdigalensi.
Civitas Benarnensium Benarnus.
Civitas Adtorensium Vico Juli.
Civitas Vasatica.
Civitas Elocarensium Gurba (l) Beorra.
Civitas Lurunensium (m) Elarona.

In Provincia Alpium Maritimarum Civitates VIII.

C Civitas Hebredunensium (n) metropolis.
Civitas Diniensium, Dinia.
Civitas Rigomagensium.
Civitas Salinensium (o).
Civitas Sabsiensium (p) Sanesio.
Civitas Glanatena.
Civitas Celenensium.
Civitas Vensiensium (q) Ventio.

* Agathensium.

(a) Biterensium.
(b) Civitas Lutuehensium, Luteva.
(c) Castrum Ucecinse.
(d) *Deest in uno Cod.*
(e) Vapicensium.
(f) Segestariorum.
(g) Evallorum, Vellavorum.
(h) Aquilenensium, Aquilisima.
(i) Petricoriorum.
(k) Perperam additur, *in Burdigalensi*, cùm Lapurdum seu civitas Boatium in Tarbellis sit, nec ad Boios Burdigalensis pagi popellum atque vicum ulla ratione pertineat.
(l) Gurbabetoras, Turba Biora.
(m) Loronensium Helaronna.
(n) Ebridunensium.
(o) Soliniensium.
(p) Saniciensium.
(q) Vintiensium Vintio.

D

NOMINA REGIONUM ET CIVITATUM GALLIÆ.

Ex aliis Codd. Mss. ejusdem Bibliothecæ Thuanæ.

NOMINA PROVINCIARUM.

Galliarum Provinciæ sunt numero X *et* VII.

VIENNENSIS.
Narbonensis prima.
E Narbonensis secunda.
Aquitania prima.
Aquitania secunda.
Novempopulana.
Alpes Maritimæ.
Belgica prima, in qua est Treveris.
Belgica secunda, in qua est transitus ad Britanniam.
Germania prima super Rhenum.
Germania secunda, ut suprà.
Lugdunensis prima super Rhodanum.

Lugdunensis secunda super Oceanum. A
Lugdunensis tertia, ut suprà.
Lugdunensis quarta, quæ et Senonia.
Maxima Sequanorum.
Alpes Graiæ.

NOMINA CIVITATUM PROVINCIARUM GALLIÆ.

Provincia Lugdunensis prima.

Provincia Lugdunensis prima habet Civitates IV.

Metropolis civitas Lugdunensium. B
Civitas Eduorum.
Civitas Lingonum.
Civitas (a) Cabilonensis.
Castrum Matisconense.

Provincia Lugdunensis secunda.

Provincia Lugdunensium secunda habet Civitates numero VII.

Metropolis civitas Rothomagensium. C
Civitas Baiocassium.
Civitas Abrincatuni.
Civitas Evaticorum, id est Ebroicum.
Civitas Salarum, id est Saiorum.
Civitas Lixoviorum (b).
Civitas Constancia.

Provincia Lugdunensis tertia.

Provincia Lugdunensium tertia habet Civitates numero IX.

Metropolis civitas Turonorum (c).
Civitas Cenomannorum.
Civitas Redonum.
Civitas Andegavorum. D
Civitas Namnetum.
Civitas Corisopitum (d).
Civitas Ciantium, id est Venetum.
Civitas Oxismorum (e).
Civitas Diablinthum (f), id est Carifes, quæ alio nomine Aliud, vel Adala nuncupatur.

Lugdunensis quarta.

Provincia Lugdunensium quarta habet Civitates numero VIII.

	Metropolis civitas Senonum.	*In alia Not. sic.*
	Civitas Carnotum.	Civitas Autisiodorum.
	Civitas Autisiodorum.	Civitas Nevernus.
* Audricum. *In alia Civitas hæc habetur loco Nevernis.*	Civitas Trecassium.	Civitas Autricum *. E
	Civitas Aurelianorum.	Civitas Tricassinorum.
	Civitas Parisiorum.	Civitas Aurilianorum.
	Civitas Meldorum.	Civitas Parisiorum.
	Civitas Nevernensium.	Civitas Melduorum.

Belgica prima.

Provincia Belgica prima habet Civitates numero IV.

Metropolis civitas Treverorum.
Civitas Mediomatricorum, id est Mettis.

(a) Castrum Cabilonense.
(b) Luxoviorum, Lixoiorum.
(c) Toronorum.
(d) Coriosopitum.
(e) Ossimorum, Oscismorum.
(f) Diablentum.

A Civitas Leucorum, id est Tullum (a).
Civitas Veredunensium (b).

Belgica secunda.

Provincia Belgica secunda habet Civitates numero XII.

Metropolis civitas Remorum.
Civitas Suessionum (c).
Civitas Cathalaunorum (d).
Civitas Veromandorum.
Civitas Atrebatum (e).
B Civitas Cameracensium (f).
Civitas Turnacensium.
Civitas Silvanectensium (g)
Civitas Belvagorum (h).
Civitas Ambianensium.
Civitas Morinorum, id est Ponticum.
Civitas Bononiensium (i).

Germania prima.

Provincia Germania prima habet Civitates numero IV.

C

Metropolis civitas Maguntiacensium (k), id est Maguntia.
Civitas Argentoratensium, id est Strazeburg (l).
Civitas Nemetum, id est Spira.
Civitas Wangionum, id est Warmatia (m).

Germania secunda.

Provincia Germania secunda habet Civitates numero II.

Metropolis civitas Agrippinensium, id est Colonia.
D Civitas Tungrorum, id est Tungris.

Germania tertia *, Maxima Sequanorum.

* *Sic in uno Cod.*

Provincia Maxima Sequanorum habet Civitates numero X.

Metropolis civitas Bisuntium (n).
Civitas Equestrium, id est Nivedunus (o).
Civitas Aviticorum (p), id est Aventicum (q).
Civitas Nivedunum (r).
E Civitas Basiliensium, id est Basilia (s).
Castrum Vindonense (t).
Castrum Ebredunense (u).
Castrum Argentariense (x).
Castrum Rauracense.
Portus Bucini (y).

In alia Notitia sic :
Provincia Maxima Sequanorum habet Civitates numero VIII.
Metropolis civitas Visontiensium.
Civitas Equestrium, Novidunus.
Civitas Elvitiorum, hoc est Aventicus.
Civitas Basiliensium.
Castrum Vindonisense.
Castrum Ebrodunense.
Castrum Argentariense.
Portus Abucini.

(a) Tullo.
(b) Verudunensium, Verodonensium.
(c) Sessionum.
(d) Catellaunorum, Catuellorum, Cadellaunorum.
(e) Atravatrum, Atrabatrum, Atravatum, Atravitum, Atrabatum.
(f) Camaracensium.
(g) Silvanectum.
(h) Bellovacorum, Belvacensium.
(i) Boninsium.
(k) Magonciacensium.
(l) Strateburgo, Stratburg.
(m) Guarmatia.

(n) Vesoncionicum, Visontinium.
(o) Nevidunus, Nivodunum, Nevidorum.
(p) Elvitiorum, Elvetiorum, Helvitiorum.
(q) Avendicum, Aventicus, Aventias.
(r) Nividunum.
(s) Basilea.
(t) Vindoniense, Vindonissinse, Vindonissense, Vindosnense.
(u) Obrodunense, Ebrudunense, Ebrodunense.
(x) Argentaricense.
(y) Abucina, Abuccina. J. Dunodus in nova Sequanorum Historia pag. 31. invictis argumentis demonstrat *Portum Abucini* esse *Portum ad Ararim* juxta Vesolense castrum in Sequanis.

Alpes Graiæ.

Provincia Alpium Graiarum et Penninarum habet Civitâtes numero II.

Metropolis civitas Centronum (a), id est Tharantasia.
Civitas Vallensium, id est Octodorus (b).

Viennensis.

Provincia Viennensis habet Civitates numero XIV.

Metropolis civitas Viennensium.
Civitas Genavensium.
Civitas Gratianopolitana (c).
Civitas Albensium, nunc Vivarium (d).
Civitas Diensium (e).
Civitas Valentianorum.
Civitas Tricastrinorum.
Civitas Vasionensium.
Civitas Arausicorum.
Civitas Cabellicorum (f).
Civitas Avennicorum.
Civitas Arelatensium.
Civitas Carpentoratensium, nunc Vinclausa (g).
Civitas Massiliensium (h).

In altera ut sequitur.

Metropolis civitas Vienensium.
Civitas Genavensium.
Civitas Gratianopolitanorum.
Civitas Albensium Vivaria.
Civitas Diensium Dibiunum.
Civitas Valentinorum.
Civitas Trecastinorum.
Civitas Vasiensium.
Civitas Arausicorum.
Civitas Decensium.
Civitas Cavellicorum.
Civitas Avennicorum.
Civitas Carpentoratensium.
Civitas Arelatensium.
Civitas Massiliensium.

Aquitania prima.

Provincia Aquitanica prima habet Civitates numero VIII.

Metropolis civitas Biturigum (i).
Civitas Arvernorum.
Civitas Rutenorum (k).
Civitas Albigensium (l).
Civitas Cadurcorum (m).
Civitas Lemovicum.
Civitas Gabalum.
Civitas Vallavorum (n), id est Buatum.

Aquitania secunda.

Provincia Aquitanica secunda habet Civitates numero VII.

Metropolis civitas Burdegalensium.
Civitas Aginnensium (o).
Civitas Engolismensium (p).
Civitas Sanctonum.
Civitas Pictavorum (q).
Civitas Petrogoricorum (r).

Novempopulana.

Provincia Novempopulana habet Civitates numero XII.

Metropolis civitas Ausciorum.

(a) Centronium, Darantasia.
(b) Vinctadoro.
(c) Grannapolitana.
(d) Vivaria, Vivario.
(e) Detensium, *leg.* Deiensium.
(f) Cabellicum.
(g) Vinclausca. *Leg.* Vindausca. In Conc. Cabilonensi, an. DCL. *Licerius Vindauscensis*, id est Carpentoratensis, ab oppido vicino Vindausca.
(h) Massilium.
(i) Bitoricum.
(k) Rotanorum, Rotenorum.
(l) Albiensium, Albiginensium.
(m) Catorcorum, Cadorcorum.
(n) Vellavorum, id est Puatum.
(o) Agennensium.
(p) Ecolismensium.
(q) Pectavorum, Pictavensium.
(r) Petrocorium, Petragoricum, Petrocoriorum, Petrogoriorum.

A Civitas Aquensium (a).
Civitas Lactoratium, id est Lictora.
Civitas Convenarum, id est Communica.
Civitas Consuranorum (b), id est Consurana.
Civitas Boatium (c), id est Bovis.
Civitas Beranensium (d), id est Benarnus.
Civitas Aturensium (e).
Civitas Vasatica.
Civitas Tussa (f), ubi est castrum Bogorra.
Civitas Elloronensium (g), id est Elinia.
Civitas Elosaticum (h).

B

NARBONENSIS PRIMA.

Provincia Narbonensium prima habet Civitates numero VIII.

Metropolis civitas Narbonensium.
Civitas Tolosatium (i), id est Tolosa.
Civitas Beterrensium (k).
Civitas Agathensium.
Civitas Nemausensium.
Civitas Magalonensium.
Civitas Luctevensium (l), id est Lucteva castrum.
C Castrum Uceticense (m), id est Astituecense.

NARBONENSIS SECUNDA.

Provincia Narbonensium secunda habet Civitates numero VII.

Metropolis civitas Aquensium (n).
Civitas Aptensium.
Civitas Regiensium (o), id est Reius.
Civitas Forojuliensium.
Civitas Vapincensium (p).
Civitas Segesteriorum.
D Civitas Antipolitana (q).

ALPES MARITIMÆ.

Provincia Alpium Maritimarum habet Civitates numero VIII.

Metropolis civitas Ebredunensium (r).
Civitas Diniensium (s), id est Dina.
Civitas Rigomagensium.
Civitas Soliniensium (t).
Civitas Saniciensium (u), id est Sanesio.
Civitas Glannateva (x).
E Civitas Celemensium (y).
Civitas Vinsiciensium (z), id est Ventio.

Expliciunt nomina Civitatum Regionum Galliæ.

(a) Aquinsium.
(b) Consoramnorum.
(c) Bohatium, id est Bois, Boius.
(d) Baranensium, Benarnensium.
(e) Aurenensium.
(f) Turba ubi castrum Bogorrum, Bigora.
(g) Ellonorensium, Ellenorensium, Ellorensium.
(h) Elazaticum, Elozatium.
(i) Tolosacensium.
(k) Biterrensium, Beternensium.
(l) Lutuvensium.
(m) Uticense, Ucceciense, Civitas Ucceciensium, Ucensiensium.
(n) Aquinsium.
(o) Regensium, Reiensium.
(p) Vappingensium, Vapecensium, Vappencensium.
(q) Antepolitana.
(r) Ebrodunensium.
(s) Diennensium.
(t) Sollinensium.
(u) Sanitianensium.
(x) Glannatina, Glannatica.
(y) Cemelenensium, Cemelensium.
(z) Vensiensium, Vicisiensium, Vinsiensium.

NOMINA PROVINCIARUM, VEL CIVITATUM REGIONIS GALLIÆ.

Ex Cod. viri clarissimi Philiberti du Sault, Senatoris Burdegalensis.

In Gallia sunt Provinciæ numero XVII.

Viennensis.
Narbonensis prima.
Narbonensis secunda.
Aquitania prima.
Aquitania secunda.
Novempopulana.
Alpes Maritimæ.
Belgica prima, in qua est Treveris.
Belgica secunda, in qua est transitus ad Britanniam.
Germania prima super Rhenum.
Germania secunda, ut suprà.
Lugdunensis prima.
Lugdunensis secunda super Oceanum.
Lugdunensis tertia, ut suprà.
Lugdunensis quarta, quæ et Senonia dicitur.
Maxima Sequanorum.
Alpes Graiæ.

Nomina Civitatum CXXV. (a) quæ in Provinciis solius Galliæ.

In Provincia Viennensi Civitates sunt XIV.

Civitas metropolis Viennensium.
Civitas Genavensium.
Civitas Gratianopolitana.
Civitas Albensium Vivaria.
Civitas Diciensium.
Civitas Valentinorum.
Civitas (b) Vegasinorum.
Civitas Vasensium.
Civitas Arausicorum.
Civitas Cabellicorum.
Civitas Avennicorum.
Civitas Arelatensium (c).

In Provincia Narbonensi prima Civitates sunt VIII.

Civitas metropolis Narbonensium.
Civitas Tholosatium, id est Tholosa.
Civitas (d) Biturnensium.
Civitas Agatensium.
Civitas Nemausensium.
Civitas Magalonensium.
Civitas Leotevensium, hoc est Leoteva castrum.
Castrum Uzetense, id est Astituensium.
Civitas metropolis (e).

A *In Provincia Narbonensi secunda Civitates sunt* VII.

Civitas metropolis Aquensium.
Civitas Aptensium.
Civitas Regivensium, id est Reio.
Civitas Forojuliensis.
Civitas Vappencensium.
Civitas Sagestinorum (f).
Civitas Antipolitana.

In provincia prima Aquitanica Civitates sunt VIII.

B Civitas metropolis Bituricum.
Civitas Arvernorum.
Civitas Rhodenorum.
Civitas Albiensium.
Civitas Cadurcorum.
Civitas Lemovicum.
Civitas Gavallum.
Civitas Vellavorum.

In provincia Aquitanica secunda Civitates sunt VI.

C Civitas metropolis Burdegalensium.
Civitas Agenensium.
Civitas Engolismensium, id est Aqualisinensium.
Civitas Sanctonum.
Civitas Pictavorum.
Civitas Petragorum.

In Provincia Novempopulana Civitates sunt XII.

Civitas metropolis Ausciorum.
Civitas Aquensium.
Civitas Lactoricum.
Civitas Convenarum.
D Civitas Conseranorum.
Civitas Boëtum, hoc est (g) Bovis.
Civitas Beranensium, id est Benardus.
Civitas Aturiensium.
Civitas Vasatica.
Civitas Tursa, ubi castrum Begorra.
Civitas Elloronensium.
Civitas Elosatium.

In Provincia Alpium Maritimarum Civitates sunt VIII.

Civitas metropolis Ebrodunensium.
Civitas Dienensium, id est Dina.
Civitas Rigomagensium.
Civitas Soliniensium.
Civitas Sanitiensium, id est Sanitio.
Civitas Glamnateva.

(a) *Error est in numero.*
(b) *Corrig.* Tricastinorum.
(c) *Duæ desunt ex* XIV. *nempe*, Carpentoratensium, et Massiliensium.
(d) *Corrig.* Biterrensium.
(e) *Sic est in Cod.*
(f) Segesteriorum.
(g) *Corrig.* Boius.

Civitas

Civitas Cemelenensium.
Civitas Valiiensium, id est Ventia.

In provincia Belgica prima Civitates sunt IV.

Civitas metropolis Treverorum.
Civitas Mediomatricum, id est Metas.
Civitas Leucorum, id est Tullo.
Civitas Verudonensium.

In Provincia Belgica secunda Civitates sunt XII.

Civitas metropolis Remorum.
Civitas Suessionum.
Civitas Catalaunorum.
Civitas Veromandorum.
Civitas Atrevatum.
Civitas Camaracensium.
Civitas Turnacensium.
Civitas Silvenectum.
Civitas Bellovagorum.
Civitas Ambienensium.
Civitas Morinum, id est Ponticum.
Civitas Bononiensium.

In Provincia Germania prima Civitates sunt IV.

Civitas metropolis Magonciacensium, id est Magantia.
Civitas Argentora, id est Strateburgo.
Civitas Nemetum, id est Spira.
Civitas Vangionum, id est Garmatia.

In Provinci aGermania secunda Civitates sunt duæ.

Civitas metropolis Agripinensium, id est Colonia.
Civitas Tungrorum, id est Tungris.

In Provincia Lugdunensi prima Civitates sunt IV.

Civitas metropolis Lugdunensium.
Civitas Eduorum.
Civitas Lingonum.
Castrum Cavallonense.
Castrum Matisconense.

In Provincia Lugdunensi secunda Civitates sunt VII.

Civitas metropolis Rothomagensium.
A Civitas Baiocasium.
Civitas Abrincatum.
Civitas Ebroirorum.
Civitas Salarum, id est Saiorum.
Civitas Lexoviorum.
Civitas Constantia.

In Provincia Lugdunensi tertia Civitates sunt IX.

Civitas metropolis Turonorum.
Civitas Cenomanorum.
Civitas Redonum.
B Civitas Andegavorum.
Civitas Nannetum.
Civitas Corisopitum.
Civitas Ciantium, id est Venetum.
Civitas Ocismorum.
Civitas Diaplintum.

In Provincia Lugdunensi quarta, quæ et Senonia vocatur, Civitates sunt VII.

Civitas metropolis Senonum.
Civitas Carnotum.
C Civitas Autisiodorensium (a).
Civitas Altricum.
Civitas Tricasium.
Civitas Aurelianorum.
Civitas Parisiorum.
Civitas Melduorum.

In Provincia (b) *Maxima Sequanorum Civitates sunt* X.

Civitas metropolis Besanciacum.
Civitas Equestrium, id est Novionus.
Civitas Ellutiorum, id est Aventicus.
D Civitas Noviduni.
Civitas Basiliensium, id est Basilea.
Castrum Vindonense.
Castrum Ebrodunense.
Castrum Argentunense (c).
Pontus (d) Abbucina.

In Provincia Alpium Graiarum Civitates sunt duæ.

Civitas metropolis Centronum, id est Tarentasia.
Civitas Valensium, id est Octodorum.

Finiunt nomina Civitatum Provinciarum Galliæ.

(a) Legendum videtur : *Civitas Autisiodorensium Altricum,* ut Civitates numero VII. respondeant.
(b) Perperàm hìc Provincia Maxima Sequanorum Provinciæ Lugdunensi quartæ subjicitur.
(c) Corruptè pro, *Argentariense.*
(d) Corruptè pro, *Portus Abuccini.*

NOMINA PROVINCIARUM ET CIVITATUM GALLIÆ.

Ex veteri Membrana, quæ extat in Bibliotheca Viri clarissimi Alexandri Petavii Senatoris Parisiensis, Pauli filii.

GALLIARUM PROVINCIÆ NUMERO XVII.

VIENNENSIS.
Narbonensis prima.
Narbonensis secunda.
Aquitanica prima.
Aquitanica secunda.
Novempopulana.
Alpes Maritimæ.
* Belgica. Bellica * prima, in qua est Treveris.
Bellica secunda Remis, in qua est transitus ad Britanniam.
Germania prima super Renum.
Germania secunda, ut suprà.
Lugdunensis prima super Rhodanum.
Lugdunensis secunda super Oceanum.
Lugdunensis tertia.
Senonia.
Maxima Sequanorum.
* Graiæ. Alpes Gratæ *.

NOMINA CIVITATUM PROVINCIARUM GALLIÆ.

Provincia Lugdunensis prima habet Civitates numero IV.

Metropolis civitas Lugdunensium.
Civitas Eduorum.
Civitas Lingonum.
Castrum Caballonense.
Castrum Maticense.

Provincia Lugdunensis secunda habet Civitates VII.

Metropolis civitas Rotomagensium.
Civitas Baiocasium.
Civitas Abrincatum.
Civitas Ebroicorum.
Civitas Salarum, id est Saiorum.
Civitas Lixoviorum.
Civitas Constantia.

Provincia Lugdunensis tertia habet Civitates IX.

Metropolis civitas Turonorum.
Civitas Cenomannorum.
Civitas Redonum.
Civitas Andegavorum.
Civitas Namnetum.
Civitas Corisopitum.
Civitas Cianctium, id est Venetum.
Civitas Ossimorum.
Civitas Diablintum, id est Carifes.

A

Provincia Lugdunensis quarta habet Civitates VII.

Metropolis civitas Senonum.
Civitas Carnotum.
Civitas Autisiodorum.
Civitas Tricassium.
Civitas Aurelianorum.
Civitas Parisiorum.
Civitas Meldorum.

Provincia Belgica prima habet Civitates numero IV.

Metropolis civitas Treverorum.
B Civitas Mediomatricorum, id est Mettis.
Civitas Leucorum, id est Tullum.
Civitas Verdunensium.

Provincia Belgica secunda habet Civitates numero XII.

Metropolis civitas Remorum.
Civitas Suessionum.
Civitas Catalaunorum.
Civitas Veromandorum, quæ nunc Noviomagus.
Civitas Atrobatum.
Civitas Camaracensium.
Civitas Turnacensium.
C Civitas Silvanectum.
Civitas Bellovacorum.
Civitas Ambianensium.
Civitas Morinum, id est Ponticum.
Civitas Bononensium.

Provincia Germanica prima habet Civitates numero XVI.

Metropolis civitas Mogonciacensium.
Civitas Argentina, id est Strazburgis.
Civitas Nemetum, id est Spira.
Civitas Vangionum, id est Warmacia.
Civitas Alverstetensis.
Civitas Spragensis.
Civitas Badebrunnensis.
D Civitas Egestetensis.
Civitas Wirzhiburgensis.
Civitas Constantiensis.
Civitas Curiensis.
Civitas Werdunensis.
Civitas Babenbergensis.
Civitas Antiqua.
Civitas Augustensis, id est Ciesburc.
Civitas Heldinensis.

Provincia Germanica secundà habet Civitates numero VI.

Metropolis civitas Agrippinensium, id est Colonia.
Civitas Tungrorum, quæ nunc Leodium.

Civitas Trejectum, id est Uztricht.
Civitas Nundensis (a).
Civitas Mimigardevordensis.
Civitas Osenbrugensis.

Provincia Maxima Sequanorum habet Civitates numero x (b).

Metropolis civitas Vesontiensium.
Civitas Lausanna, quæ priùs Aventicus, et vocata est civitas Elvitiorum.
Civitas Basiliensium, id est Basilea.
Civitas Belicensium, quæ anteà (c) castrum Argentariense vocabatur.
Civitas Equestrium, id est Nividunus.
Castrum Vindonense.
Castrum Ebrodunense juxta Urbem (d) super lacum.
Castrum Rauracense.
Portus Bucini.

Provincia Alpium Gratiarum et Penninarum habet Civitates numero IV.

Metropolis civitas Centronium, id est Darentasia.
Civitas Valensium, id est Octodorus.
Civitas Augusta Prætoria.
Civitas Morienna, à Gundranno Rege Burgundionum constructa.

Regionis Galliæ Provincia Viennensis habet Civitates numero XIV.

Metropolis civitas Viennensium.
Civitas Gennavensium, quæ nunc Geneva, à Gundebado Rege Burgundionum restaurata.
Civitas Gratianopolitana, à Gratiano constructa.
Civitas Albensium Vivarium.
Civitas Detensium, vel Diensium.
Civitas Valentinorum, Valentina à Valente constructa.
Civitas Tricastinorum.
Civitas Vasionensium.
Civitas Arausicorum.
Civitas Caballicorum.
Civitas Avennicorum.
Civitas Arelatensium, quæ nunc Metropolis dicitur.
Civitas Carpentoratensium, nunc (e) Vinclausca.
Civitas Massiliensium.

Provincia Aquitanica prima habet Civitates numero VIII.

Metropolis civitas Bituricum.
Civitas Arvernorum.
Civitas Rotenorum.
Civitas Albigensium.
Civitas Cadorcorum.
A Civitas Lemovicum.
Civitas Gabalum.
Civitas Vellavorum, quæ nunc Podium dicitur.

Provincia Aquitanica secunda habet Civitates numero VI.

Metropolis civitas Burdegalensium.
Civitas Agennensium.
Civitas Engolismensium.
Civitas Santonum.
Civitas Pictavorum.
B Civitas Petrogoriorum.

Provincia Novempopulana habet Civitates numero XII.

Metropolis civitas Ausciorum.
Civitas Aquensium.
Civitas Lactoratium
Civitas Convenarum.
Civitas Consuranorum.
Civitas Boatium, quod est Bovis.
Civitas Beranensium, id est Benarnus.
Civitas Aturensium.
C Civitas Vesatica.
Civitas Tusaubica (f), Trubogorra.
Civitas Elleronensium.
Civitas Elosatium

Provincia Narbonensis prima habet Civitates numero VIII.

Metropolis civitas Narbonensium.
Civitas Tolosa.
Civitas Betrenensium.
Civitas Agatensium.
Civitas Nemausa.
Civitas Magolonensium.
D Civitas Luteva castrum.
Castrum Ucceciense.

Provincia Narbonensis secunda habet Civitates numero VII.

Metropolis civitas Aquensis.
Civitas Abtensis.
Civitas Reiensis.
Civitas Forojulensis.
Civitas Vappensis.
Civitas Segesteriorum.
E Civitas Antipolitana.

Provincia Alpium Maritimarum habet Civitates numero VIII.

Metropolis Civitas Ebredunensium.
Civitas Diniensium, id est Dina.
Civitas Rigomagensium.
Civitas Solliniensium.
Civitas Saniciensium, id est Sanesio.
Civitas Glanatena.
Civitas Cemelenensium.
Civitas Vensiciensium, id est Ventio.

(a) Mindensis.
(b) IX.
(c) Illud falsissimum est.
(d) Orbam.
(e) Corrig. *Vindausca*.
(f) Tursa, castrum Bigorra.

A

MARII AVENTICENSIS SEU LAUSANNENSIS EPISCOPI CHRONICON.

A tempore, quo Prosper Aquitanus desinit, usque ad annum vulgaris æræ DLXXXI.

CUM APPENDICE INCERTI AUCTORIS.

Ex pervetusto Cod. Ms. Petri Francisci Chiffletii Societatis Jesu, primùm in lucem editum à Chesnio Tom. I. Script. Hist. Franc. p. 210. B

PETRUS FRANCISCUS CHIFFLETIUS LECTORI.

Desideratus est hactenus antiquus Scriptor, qui occidenti Romano veteri Imperio funus duceret; qui Barbarorum illa tempora, Provincias Romani juris armis arbitris inter se dividentium, illustraret; qui FRANCORUM, *Burgundionum, Gothorumque Regum veterum exordia, res gestas, obitusque optimis temporum characteribus consignaret. Et nescio quid in hoc genere libaverat Auctor Appendicis ad Marcellinum Comitem: sed is huc usque ita deformatus in publicum prodiit,* C *ut cùm trium dumtaxat Franciæ Regum exitus perstrinxerit, Childeberti quidem senioris obitum anno uno; Chramni verò cædem, tum etiam Theodebaldi interitum, biennio antevertat. Plura id genus et diligentiùs in hoc Opusculo adnotata leges, quæ si cum Gregorio Turonensi, ejusdem ævi Scriptore, contuleris, intelliges, illius Historiæ à Chronologicis notis satis destitutæ, eòque obscuriori quantam lucem affundant. Thesaurum hunc ad hanc usque diem defossum, ac ne quæsitum quidem, fortè membranæ vetustissimæ mihi objecerunt, inscriptum* MARIO EPISCOPO. *Quem ut in persequendis Burgundionum rebus accuratiorem vidi, ac nominatim in Vallensis agri ad lacum Lemannum, finitimorumque Agaunensium describendis casibus; expensis rerum omnium, nominis, conditionis, locorum, temporumque adjunctis, non dubitavi, quin is ipse esset* MARIUS *Aventicensis, seu Lausannensis Episcopus, quem anno Gunthramni Regis* XXIV. *æræ Dionysianæ* DLXXXV. *Concilio Matisconensi secundo subscriptum legimus: quem ex antiquis* D *Lausannensium tabulis cognovi, stante Burgundiæ Regno, in Æduis nobili genere natum, in Aventicensi, seu Lausannensi Regni ejusdem Episcopatu annos viginti, menses octo exegisse: ad hæc claruisse integritate morum, et sanctitudine insigni: vixisse omnino annos* LXIV. *obiisse pridie Kalendas Januarias, quâ die ejus nomen sacris fastis adscriptum est: sepultum Lausannæ in Æde sancti Thyrsi, quæ exinde ob novi hospitis celebritatem, sancti Marii nuncupata est. Tui erit arbitrii, Lector, non minùs illius apud Deum juvari suffragiis, quàm scriptis recreari. Quod spectat ad Marii Appendicem, quam ex üsdem antiquis membranis excerpsimus, contractior illa quidem est quàm optandum esset, nec certum Auctoris nomen præfert. Suum tamen pretium habebit apud Eruditos, vel ob res, ex quibus constat, vel propter Auctoris antiquitatem, qui videlicet Heraclii Imp. anno* XIV. *Chlotarii porrò secundi Francorum Regis anno* XL. *(hoc est anno Christi* DCXXIII. *aut* DCXXIV.*) eam se conscripsisse significat. Fruere, Lector, et vale.*

An. Ch. 455. USQUE hîc Prosper : quæ sequuntur, MARIUS Episcopus. E
(a) Consule suprascripto levatus est Avitus Imperator in Gallias : et ingressus est Theodoricus Rex Gothorum Arelato cum fratribus suis in pace.

Joanne et Varana.

An. 456. His Consulibus dejectus est Avitus (b) Imperator à Majoriano et Ricimere Placentiâ : et factus est Episcopus in civitate.

(a) Cassiodorus in Chronico ad Valentiniani VIII. et Anthemii Consulatum : *His Coss..... post Maximum Avitus in Galliis sumit imperium.* Chronologus Anonymus à Cuspiniano editus, sub hujus anni Coss. ait; *Levatus est Imperator in Galliis Avitus VI. Idus Julias.*

(b) In Chronico à Cuspiniano publicato sub hujus anni Coss. legitur : *Captus est Imp. Avitus Placentiæ à Magistro militum Ricimere, et occisus est Messianus Patricius ejus XVI. Kalend. Junias.*

A Eo anno (a) Burgundiones partem Galliæ occupaverunt, terrasque cum * Galliis Senatoribus diviserunt. * *Leg.* Galliæ.

Constantino et Rufo.
Majoriano et Leone.
Ricimere et Patricio.
Magno et Apollonare.

His Consulibus Majorianus Imperator profectus est ad Hispanias. An. Ch. 460.
Eo anno captæ sunt naves à Vandalis ad Elecem, juxta Carthagine Spartaria.

Severino et Dagalaifo.

His Consulibus dejectus est Majorianus de Imperio in civitate Dertona à Ricimere Patricio, et interfectus est super Ira fluvio : et levatus est Severus Imperator Ravenna. An. 461.

B *Leone II. et Severo.*
Basilio et Bibiano.

His Consulibus pugna facta est inter Ægidium et Gothos inter Ligere et Ligerecino, juxta Aurelianis, ibique interfectus est (b) Fredericus Rex Gothorum. An. 463.

Olybrio et Rusticio.
Ermenerico et Basilisco.
Leone III. et Tassiano.
Poseo et Joanne.

His Consulibus levatus est Anthemius Imperator. An. 467.
Eo anno interfectus est Theodoricus (c) Rex Gothorum à fratre suo Euthorico Tholosa.

C *Anthemio Augusto.*
Marciano et Leone.
Severo et Jordano.
Leone IV. et Probiano.
Festo.
Leone V.

Hoc Consule (d) levatus est Glycerius Imperator Ravenna. An. 473.

Leone Juniore.

Hoc Consule depositus est Glycerius de Imperio, et levatus est Nepos Imperator. An. 474.

* *P. C. Leonis Junioris Augusti.* * *Id est.* Post Consulatum.
D *Basilisco et Armato.* An. 476.

His (e) Consulibus levatus est Odouacer Rex.

P. C. Basilisci et Armati.
Illone.
Zenone.
Basilio Juniore.
Placido.
Severino Juniore.
Fausto.
Venantio et Theodorico.
Symmacho.
Decio et Longino.

E

(a) Hoc igitur anno in universa Gallia Sequanica Romanorum dominatio exstincta fuit, non priùs.

(b) Fridericus non Gothorum rex fuit, sed frater Theodorici Gothorum Regis. Regum liberos, ut ait Valesius Rer. Franc. lib. 7. Reges vocari mos erat. Sic Gregorius Turon. Guntharium et Chramnum Chlotarii Regis filios, Fortunatus in lib. 9. Chlodebertum et Dagobertum infantes, ejus ex Chilperico nepotes, Reges appellat.

(c) Marium hìc falli putant Novæ Historiæ Occitaniæ Scriptores, necemque Theodorici ad annum præcedentem referunt.

(d) Cassiodorus in Chronico : *Leone Augusto quintùm Conzule, Gondibado hortante, Glycerius sumpsit Imperium.* Gundibaldus iste Burgundionum Rex anno præcedenti, id est an. 472. factus fuerat Patricius, teste Chronographo Cuspinianeo, qui ad Consulatum Festi et Marciani sic scribit : *Gundibalus Patricius factus est ab Olybrio Imperatore.* Gundiucum Gundibaldi patrem Magistrum militum fuisse anno 463. patet ex Epistola Hilari Papæ ad Leontium Episcopum Arelat. scripta Basilio Consule. *Quantum enim*, inquit Hilarus, *filii nostri, viri illustris, Magistri militum Gundiuci sermone est indicatum, etc.* Hinc conjicit Valesius de Rebus Francicis lib. 5. Severo imperante uno eodemque tempore Ægidium Gallum et Gundiucum Burgundionum Regem ambos in Gallia Magistros militiæ fuisse, alterum à Majoriano factum, alterum priori forsitan oppositum à Severo. Chilpericus etiam Gundiuci frater Magister militum fuit : ita enim appellatur à Sidonio lib. 5. Epist. 6.

(e) Cassiodorus in Chronico : *His Consulibus* [Basilisco et Armato] *ab Odoacre Orestes et frater ejus Paulus extincti sunt, nomenque Regis Odoacer assumpsit, cùm tamen nec purpura, nec regalibus uteretur insignibus.*

Boëtio. A
Dinamio et Sifidio.
Probino et Eusebio.

An. Ch. 489. His Consulibus ingressus est Theudoricus Rex Gothorum in Italia Ponte Isonti.

Longino et Fausto.
Olybrio.
Anastasio et Rufo.
Albino et Eusebio.

An. 493. His Consulibus occisus est Odouacer Rex à Rege Theudorico in Laureto.

Asterio et Præsidio.
Viatore.
P. C. Viatoris. B
P. C. Viatoris anno II.
Paulino.
P. C. Paulini.
Patricio et Hypatio.

An. 500. *Greg. Turon. lib. 2. cap. 32.* His Consulibus pugna facta est Divione inter FRANCOS et Burgundiones, Godegeselo hoc dolosè contra fratrem suum Gundobagaudum machinante. In eo prælio Godegeselus cum suis adversus fratrem suum cum Francis dimicavit : et fugatum fratrem suum Gundobagaudum, regnum ipsius paulisper obtinuit : et Gundobagaudus Avinione latebram dedit.

Eo anno Gundobagaudus resumptis viribus Viennam cum exercitu circumdedit, captaque civitate fratrem suum interfecit; pluresque Seniores, ac Burgundiones, C qui cum ipso senserant, multis exquisitisque tormentis morte damnavit : regnumque quod perdiderat, cum eo quod Godegeselus habuerat, receptum, usque in diem mortis suæ feliciter gubernavit.

Eo anno interfectus est Odoind Romæ.

Abieno et Pompeio.
Abieno Juniore et Probo.
Volusiano.
Cethego.
Saviniano et Theudoro.
Messala et Ariobinda. D
Venantio et Celere.
P. C. Venantii.
Importuno.

An. 509. (a) Hoc Consule Mammo Dux Gothorum partem Galliæ deprædavit.

Boetio.
Felice et Secundino.
Paulo et Musciano.
Clementino et Probo.
Senatore.
Florentio et Anthemio.

An. 515. His Consulibus Monasterium Acauno à Rege Sigismundo constructum est.

Petro. E

An. 516. (b) Hoc Consule Rex Gundobagaudus obiit, et levatus est filius ejus Sigismundus Rex.

Anastasio et Agapito.
Magno.

(a) Jam anno præcedenti cœperat bellum Gothorum adversus Francos : Cassiodorus enim in Chronico ad Consulatum Venantii et Celeris, anno 508. gestum, scribit : *His Coss. contra Francos à Domino nostro* [Theodorico] *destinatur exercitus, qui Gallias Francorum deprædatione confusas, victis hostibus ac fugatis, suo acquisivit imperio.* Ibbas Dux erat exercitûs à Theodorico missi : Franci ac Burgundiones ab Ibba victi sunt. Francis præerat Theodericus filius Chlodovei, qui tunc temporis Carcassonem obsidebat.

(b) Pagius ad an. 509. Num. 19. probat ex lege 52. Codicis Burgundici, *de mulieribus desponsatis*, quæ dicitur data *IV. Kal. Aprilis, Agapito Consule*, Gundobadum Burgundionum Regem usque ad an. 517. vixisse. Gundobadus, ut suprà vidimus, Patricius fuit : ejus filius Sigismundus pari dignitate, quam Burgundionum Reges magno honori habebant, ornatus est. Quanti eam fecerit Sigismundus, docent ejus verba in Epistola ad Anastasium Imper. scripta : *Traxit istud à proavis generis mei apud vos decessoresque vestros semper animo Romana devotio, ut illa nobis magis claritas putaretur quam vestra per militiæ titulos porrigeret celsitudo : cunctisque auctoribus meis semper ambitum est quod à Principibus sumerent, quàm quod à patribus attulissent. Cùmque gentem nostram videamur regere, non aliud nos quàm milites vestros credimus ordinari.* Inter Epistolas Aviti, *Ep.* 83.

A *Justino et Euterio.*
Rusticio et Vitaliano.
Justiniano et Valerio.
Symmacho et Boëtio.

His Consulibus Segericus filius Sigismundi Regis, jussu patris sui injustè (a) occisus est. An. Chr. 522.

Maximo. (b) *Indictione* I.

Hoc Consule Sigismundus Rex Burgundionum à Burgundionibus Francis traditus est, et in Francia in habitu monachali perductus : ibique cum uxore et filiis in puteo est (c) projectus. An. 523.

Justino II. et Opilione. Ind. II.

B His Consulibus Godemarus frater Sigismundi, Rex Burgundionum ordinatus est. An. 524.

Eo anno contra CHLODOMEREM Regem Francorum (d) Viseronciâ præliavit, ibique interfectus est Chlodomeres.

Eo anno interfectus est Boëtius Patricius in territorio Mediolanense.

Probo Juniore et Philoxeno. Ind. III.

His Consulibus occisus est Symmachus Patricius Ravennæ. An. 525.

Olybrio. Ind. IV.

Hoc Consule defunctus est Theudoricus Rex Gothorum in urbe Ravenna, et levatus est Rex Atalaricus nepos ejus. An. 526.

C *Maturio. Ind.* V.
Justiniano II. Ind. VI.
Decio Juniore. Ind. VII.
Lampadio et Oreste. Ind. VIII.
P. C. Lampadii et Orestis. Ind. IX.
Item P. C. Lampadii et Orestis. Ind. X.

His Consulibus Hypatius Patricius seditione populi Imperator levatus, et jussu Justiniani Augusti interfectus est; et cum eo Pompeius, et penè triginta millia hominum in Circo gladio necati sunt. An. 532.

Justiniano Augusto III. Ind. XI.
Paulino Juniore. Ind. XII.

D Hoc Consule Reges Francorum CHILDEBERTUS, CHLOTARIUS et THEUDEBERTUS (e) Burgundiam obtinuerunt, et fugato Godomaro Rege, Regnum ipsius diviserunt. An. 534.

Eo anno Africa Romano Imperio post nonaginta et duos annos per Belesarium Patricium restituitur : et Gelimer Rex Vandalorum captivus Constantinopoli exhibetur, et Justiniano Augusto cum uxoribus et thesauris à suprascripto Patricio præsentatur.

Belesario. Ind. XIII.

Hoc Consule, eo anno quo Consulatum dedit, Siciliam ingressus, eam Imperio Romano. restituit. An. 535.

(a) Instigante scilicet altera ejus uxore, Sigerici noverca.

(b) Marium ideò hoc anno Indictiones usurpare cœpisse, quòd Scriptores in Gallia frequentiùs eas adhibere incipiebant, conjicit Pagius ad an. 523. Num. 20.

(c) Sigismundus nonnisi anno sequenti interfectus est.

(d) *Viseroncia* seu *Visorontia* planities est duabus leucis ab urbe Viennensi dissita, ut ostendit Chorierus in Historia Delphinatûs, l. 9. c. 14.

(e) Hoc bello penitus exstinctum est Burgundiæ regnum, quod per quinque Provincias Galliarum dilatabatur : nam si Genevam, quæ parebat Ostrogothis in Viennensi prima, et Augustodunum, quod in potestatem Childeberti Regis jam venerat, exceperis in Lugdunensi prima, tres provincias integras, Viennensem scilicet primam, Lugdunenses primam et quintam amplectebatur, ac prætereà Nivernum in Lugdunensi quarta, Diam et Vivarium in Viennensi secunda, ut ex collatione subscriptionum Episcoporum, qui Conciliis Epaunensi, Arelatensi IV. et Arausicano II. interfuerunt, ostendit Cointius anno 534. Num. 5. et seqq. Erant itaque in universo Burgundiæ regno, cùm Franciæ accessit, Episcopatus 14. Viennensis scilicet, Gratianopolitanus, Valentinus, Deensis, Vivariensis, Lugdunensis, Matisconensis, Lingonensis, Cabilonensis, Nivernensis, Vesontionensis, Aventicensis, Vindonissensis et Bellicensis. Cæteros vicinos Episcopatus partim Ostrogothi, partim Visigothi obtinebant. *Hæc ex Pagio ad an.* 530. *Num.* 17. Valesius, lib. 7. Rerum Franc. pagg. 380. et 381. Burgundiam occupatam putat anno 532. à Childeberto et Chlotario, eamque inter ambos tantummodò fuisse divisam. Theodoricus quippe Theodeberti pater adhuc regnabat : neque verisimile est, Childebertum et Chlotarium portionem regni suo periculo ac suo labore quæsiti Theodorico fratri, qui expeditioni interesse noluerat, sponte concessuros fuisse. Abbas Dubos Hist. Crit. Monarchiæ Franc. lib. 5. cap. 8. censet hoc bellum anno 532. cœptum, absolutum fuisse anno 534. Theodoricum, qui primò in belli societatem cum fratribus venire detrectaverat, fœdus anno 533. cum Childeberto pepigisse : et sic Theodebertum post Theodorici patris sui mortem, et finito bello, Burgundiæ partem obtinuisse.

P. C. Belesarii. Ind. XIV. A
Item P. C. Belesarii. Ind. XV.
Joanne. Ind. I.

An. Chr. 538. Hoc Consule Mediolanus à Gothis et Burgundionibus effracta est, ibique Senatores, et Sacerdotes cum reliquis populis, etiam in ipsa sacrosancta loca interfecti sunt; ita ut sanguine eorum ipsa altaria cruentata sint.

Appione. Ind. II.

An. 539. Hoc Consule (a) THEUDEBERTUS Rex Francorum Italiam ingressus, Liguriam, Æmiliamque devastavit; ejusque exercitus loci infirmitate gravatus, valde contribulatus est.

Justino. Ind. III.

An. 540. Hoc Consule Persi Antiochiam vastaverunt, universamque Syriam depopulantes. B

Eo anno Belesarius Patricius Wittegis Regem Gothorum, de Ravenna captivum abductum, Constantinopoli cum uxore, et thesauris Justiniano Augusto præsentavit.

Basilio. Ind. IV.
P. C. Basilii anno I. *Ind.* V.
P. C. Basilii anno II. *Ind.* VI.
P. C. Basilii anno III. *Ind.* VII.
P. C. Basilii anno IV. *Ind.* VIII.
P. C. Basilii anno V. *Ind.* IX.
P. C. Basilii anno VI. *Ind.* X. C

An. 547. Hoc anno Vigilius Papa Romanus Constantinopoli properavit.

Eo anno Baduila Rex Gothorum Româ captâ depopulavit, dejectisque muris partem civitatis incendit.

Eo anno resumptis viribus Belesarius Dux civitatem Romam ad Romanum dominium revocavit.

P. C. Basilii anno VII. *Ind.* XI.

An. 548. Eo anno (b) THEUDEBERTUS Rex magnus Francorum obiit: et sedit in regno ejus THEUDEBALDUS filius ipsius.

Eo anno Lanthacarius Dux Francorum in bello Romano transfossus obiit.

P. C. Basilii anno VIII. *Ind.* XII. D
P. C. Basilii anno IX. *Ind.* XIII.
P. C. Basilii anno X. *Ind.* XIV.
P. C. Basilii anno XI. *Ind.* XV.
P. C. Basilii anno XII. *Ind.* I.

An. 553. Hoc anno (c) Baduila Rex Gothorum ab exercitu Reipublicæ per Narsetem Chartularium Eunuchum interficitur: et Teia accepit Regnum ejus.

P. C. Basilii anno XIII. *Ind.* II.

An. 554. Hoc anno Teia Rex Gothorum à suprascripto Narse interficitur.

P. C. Basilii anno XIV. *Ind.* III.

An. 555. Hoc anno (d) THEUDOBALDUS Rex Francorum obiit, et obtinuit Regnum ejus CHLOTHACARIUS patruus patris ejus.

Eo anno CHRAMNUS filius Chlothacarii Regis, sollicitante CHILDEBERTO patruo suo, ad ipsum latebram dedit. E

Eo anno Saxonibus rebellantibus, CHLOTHACARIUS Rex cum gravi exercitu contra ipsos dimicavit; ubi multitudo Francorum et Saxonum ceciderunt: Chlotarius tamen Rex victor abscessit.

Eo tempore (e) Buccelenus Dux Francorum in bello Romano cum omni exercitu suo interiit.

(a) Continuator Marcellini hæc habet: *Theudibertus Francorum Rex cum magno exercitu adveniens, Liguriam, totamque deprædat Æmiliam. Genuam oppidum in littore Tyrreni maris situm evertit ac prædat. Exercitu dein suo morbo laborante, ut subveniat, paciscens cum Belisario, ad Gallos revertitur.*

(b) Mortuus est Theodebertus an. Chr. 547. ut manifestè colligitur ex Gregorio Turon. qui in fine libri 4. ait: *A transitu Theodeberti Senioris ad exitum Sigiberti supputantur anni XXIX.* Sigiberti autem obitus, ut nunc inter Eruditos convenit, cadit in annum 575.

(c) Totila anno præcedenti occisus est, et Teias in ejus locum suffectus.

(d) Perperàm hoc anno Theodebaldi Regis mortem consignavit Marius, qui omnibus rerum Francicarum Scriptoribus errandi causam dedit. Theodebaldi mortem Continuator Marcellini rectè collocat anno *post Consulatum Basilii V. C. XII,* Christi scilicet. 553.

(e) Bucelini clades malè in hunc annum confertur, quippe quæ anno 553. contigerit.

P. C. Basilii anno XV. *Ind.* IV.

A Eo anno (a) iterum rebellantibus Laxonibus CHLOTARIUS Rex pugnam dedit; ibique maxima pars Saxonum cecidit. An. Chr. 556.

Eo anno Franci totam Toringiam, pro eo quòd cum Saxonibus conjuraverat, vastaverunt.

Ipsis diebus Chramnus collecto exercitu regionem patris sui devastat.

Eo anno exercitus (b) Francorum Reipublicæ Romanæ exercitum vastavit; atque effugatum devastavit; cum illis et divitiis multis abductis.

Eo anno exercitus Reipublicæ resumptis viribus partem Italiæ, quam Theudebertus Rex adquisierat, occupavit.

P. C. Basilii anno XVI. *Ind.* V.

B *P. C. Basilii anno* XVII *Ind.* VI.

Hoc anno Childebertus Rex Francorum transiit : et obtinuit Regnum ejus Chlotarius Rex, frater ejus. An. 558.

P. C. Basilii anno XVIII. *Ind.* VII.

P. C. Basilii anno XIX. *Ind.* VIII.

Hoc anno serenitate cœli, inter stellas splendidas obscurata est Luna XVI. ut vix conspici posset. An. 560.

Eo anno CHRAMNUS post sacramenta quæ patri dederat, ad Britannos petiit; et moliens Regnum patris invadere, adversus ipsum cum (c) Britannis movere ausus est; multaque loca graviter deprædavit. Ad cujus insaniam reprimendam pater cum exercitu properavit, et interfecto Comite Britannorum, Chramnum vivum cepit, incensumque cum uxore et filiis, totius regionis incidit exci-
C dium.

P. C. Basilii anno XX. *Ind.* IX.

Hoc anno CHLOTHACARIUS Rex mortuus est : et diviserunt Regnum ejus filii ipsius, id est, CHARIBERTUS, GUNTEGRAMNUS, HILPERICUS et SIGIBERTUS. An. 561.

P. C. Basilii anno XXI. *Ind.* X.

P. C. Basilii anno XXII. *Ind.* XI.

Hoc anno mons validus Tauretunensis, in territorio Vallensi, ita subitò ruit, ut castrum, cui vicinus erat, et vicos, cum omnibus ibidem habitantibus oppressisset : et lacum in longitudine LX. millium et latitudine XX. millium, ita totum movit, ut egressus utraque ripa, vicos antiquissimos cum hominibus et pecoribus vastas-
D set; etiam multa sacrosancta loca cum eis servientibus demolisset : et pontem Genavacum, molinas et homines per vim dejecit, et Genava civitate ingressus plures homines interfecit. An. 563.

P. C. Basilii anno XXIII *Ind.* XII.

P. C. Basilii anno XXIV. *Ind.* XIII.

Hoc anno Monachi Agaunenses iracundiæ spiritu incitati, noctis tempore Episcopum suum Agricolam cum Clero, et cives, qui cum ipso erant, occidere nitentes, domum Ecclesiæ effregerunt : et dum Episcopum suum Clerici, vel cives defensare conati sunt, graviter ab ipsis Monachis vulnerati sunt. An. 565.

Eo anno transiit Magnacarius Dux Francorum.

P. C. Basilii XXV. *Ind.* XIV.

E Hoc anno signum apparuit in cœlo per dies LXX. An. 566.

Eo anno mortuus (d) est Justinianus Augustus, et suscepit Justinus nepos ipsius Imperium.

Eo anno hyems valentissima fuit, ut quinque, aut eo ampliùs mensibus propter nivis magnitudinem terra videri non posset; ipsaque asperitas multa animalia necavit.

Eo anno Sindewala Erolus tyrannidem assumpsit, et à Narseo Patricio interfectus est.

Anno primo Consulatûs Justini Junioris Aug. Ind. XV.

A principio mundi usque ad hunc Consulem fiunt anni quinquies mille, DCC. LXVIII. An. 567.

(a) Duplex hîc error. Præterquamquòd enim uno anno tardiùs hæc secunda Saxonum rebellio consignatur, non Saxones à Francis, sed Franci à Saxonibus devicti sunt. Vide Gregorium Turon. l. 4. c. 14. et Continuatorem Marcellini ad annum duodecimum post Consulatum Basilii.

(b) Usque ad hunc annum bellum Gothicum Marius protrahit, quod tamen anno 554. finem accepisse constat ex Agathia.

(c) Britannia Gallica subdita erat multis Comitibus Regum Francorum feudatariis, teste Gregorio Turon. l. 4. c. 4. Idem cap. 20. bellum Britannicum prolixè narrat.

(d) Justinianum anno 565. mortuum esse probat Pagius ad hunc annum. N. 3.

Anno II. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* I. A

An. Chr. 568. Hoc anno (a) Narses ex Præposito, et Patricio, post tantos prostratos tyrannos, id est Baduilam et Teiam Reges Gothorum, et Buccelenum Ducem Francorum, necnon et Sindevalem Erolum; Mediolanum, vel reliquas civitates, quas Gothi detruxerant, laudabiliter reparatas; de ipsa Italia à suprascripto Augusto remotus est.

Anno III. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* II.

An. 569. Hoc anno (b) Alboënus Rex Langobardorum cum omni exercitu relinquens, atque incendens Pannoniam, suam patriam, cum mulieribus, vel omni populo suo, ut fera, Italiam occupavit: ibique alii morbo, alii fame, nonnulli gladio interempti sunt. Eo anno etiam in finitima loca Galliarum ingredi præsumpserunt, ubi multitudo captivorum gentis ipsius venundata est. B

Anno IV. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* III.

An. 570. Hoc anno morbus validus, cum profluvio ventris et variola, Italiam Galliamque valde afflixit; et animalia bubula per loca suprascripta maximè interierunt.

Eo anno mortuus est Celsus Patricius.

Anno V. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* IV.

An. 571. Hoc anno infanda infirmitas, atque glandula, cujus nomen est pustula, in suprascriptis regionibus innumerabilem populum devastavit.

Anno VI. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* V.

An. 572. Hoc anno (c) Albuënus Rex Langobardorum à suis, id est, Hilmegis cum reliquis, consentiente uxore sua, Verona interfectus est: et suprascriptus Hilmegis, cum antedicta uxore ipsius, quam sibi in matrimonium sociaverat, et omni thesauro, tam C quod de Pannonia exhibuerat, quàm quod de Italia congregaverat, cum parte exercitûs, Ravennæ Reipublicæ se tradidit.

Anno VII. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* VI.

An. 573. Hoc anno Dux Langobardorum, nomine Cleb, genti ipsius Rex ordinatus est; et plures seniores, et mediocres ab ipso interfecti sunt.

Eo anno Væsarius Dux Francorum obiit, et ordinatus est Theodofridus in loco ejus Dux.

Anno VIII. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* VII.

An. 574. Hoc anno (d) Glebus Rex Langobardorum à puero suo interfectus est.

Eo anno iterum Langobardi in Valle ingressi sunt, et (e) Clusas obtinuerunt, et in Monasterio sanctorum Acaunensium diebus multis habitaverunt: et posteà in (f) D Baccis pugnam contra exercitum Francorum commiserunt, ubi penè ad integrum interfecti sunt, pauci fuga liberati. Sed et Mauri, et aliæ gentes, qui in Provincia eorum ingredi præsumpserunt, ab ipsis Francis devicti sunt.

Anno IX. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* VIII.

Anno X. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* IX.

An. 576. Hoc anno (g) SIGIBERTUS Rex Francorum, bellum contra fratrem suum HILPERICUM movet; et cùm eum jam inclusum haberet, et de ejus interfectione cogitaret, ab hominibus Chilperici per fraudem interfectus est, et suscepit Regnum ejus CHILDEBERTUS filius ipsius.

Anno XI. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* X. E

An. 577. Eo anno mortui sunt regii atque egregii adolescentes, CHLOTACARIUS et CHLODOMERIS, filii Gunthegramni Regis.

Anno XII. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* XI.

An. 578. Hoc anno MEROVEUS filius Hilperici Regis occisus est.

Anno XIII. *Cons. Justini Jun. Aug. Ind.* XII.

An. 579. Hoc anno duo germani, Salonius et Sagittarius, Episcopi à Synodo, quæ Cabalonno collecta est, pro diversis criminibus ab Episcopatûs honore dejecti sunt.

(a) Narsetem ab Italia anno 567. revocatum esse vult idem Pagius ad hunc annum. N. 4.

(b) Meliùs Sigibertus ad annum 568. Langobardorum in Italiam ingressum revocat.

(c) Sigebertus et Hermannus in Chronicis cædem Alboini in annum 574. conferunt, quibus adhærendum censet Pagius ad an. 571. N. 2.

(d) Clebum anno tantùm 576. occisum fuisse, et ideò Langobardorum adversus Francos bellum ad annum illum referendum esse observat Pagius ad an. 575. Num. 3.

(e) *Clusa*, vulgò *la Cluse*, vicus ad Rhodanum flu vium Jurensibus rupibus proximus.

(f) *Baccis*, vulgò *Bex*, vicus non longè ab Agaunensi Monasterio situs.

(g) Sigeberti mortem uno anno seriùs refert Marius.

A Eo anno mortuus est (a) Justinus Augustus, et successit Tiberius in loco ejus.

Anno I. *Cons. Tiberii Constantini Augusti. Ind.* XIII.

Eo anno, mense Octobre, ita in Vallensi territorio Rhodanus exundavit, ut copias messium denegaret : et intra Italiam ita fluvii exundaverunt, ut damna agricolæ paterentur. An. Chr. 580.

Anno II. *Cons. Tiberii Constantini Augusti. Ind.* XIV.

Ea Indictione, mense Septembri (b), AUSTREGILDIS Regina obiit ; propter cujus transitum interfecti sunt duo Medici, Nicolaus et Donatus. An. 581.

Eo anno Mummolus Patricius cum uxore et filiis, et multitudine familiæ, ac divitiis multis, in marca CHILDEBERTI Regis, id est, Avinione, confugit.

(a) Justinus mortuus est die quinta Octobris an. 578. Marius qui Justini exordium malè cum anno 566. copulavit, dissimili errore ejus mortem in annum 579. detulit, ut notat Pagius ad an. 578. N. 3.

(b) Austregildis interitus ad annum præcedentem referendus.

B

APPENDIX AD MARII CHRONICON,

Auctore ignoto, sed perantiquo.

Apud Chesnium, Tom. I. *pag.* 216.

USQUE hîc Marius Episcopus.

Anno III. *Tiberii Aug. Ind.* XV.

Anno IV. *Tiberii Aug. Ind.* I.

Anno V. *Tiberii Aug. Ind.* II.

Anno VI. *Tiberii Aug. Ind.* III.

Anno VII. *Tiberii Aug. Ind.* IV.

Gothi sub Ermengildo Leubegildi Regis filio bifariè divisi mutua cæde vastantur. An. 586.

C *Indictione* V.

Mauricius annis XXI. Suevi à Leubegildo Rege obtenti, Gothis subjiciuntur. An. 587.

Indictione VI.

Gothi Recarido Rege intendente, à fide Catholica revertuntur. An. 588.

Avares adversus Romanos dimicantes, auro magis quàm ferro pelluntur.

Phocas annos novem. Iste seditione militari Imperator factus, Mauricium Augustum, nobiliumque multos.....*

* *Leg.* interfecit.

Hujus tempore Prasini et Veneti per Orientem, vel Ægyptum civile bellum faciunt, ac se mutua cæde posternunt. Prælia quoque Persarum gravissima adversus Rempublicam excitantur, à quibus Romani fortiter debellati, plurimas Provincias, et ipsam Hierosolymam amiserunt.

D Heraclius quinto imperii sui dum fungitur anno, Sisebotus Gothorum Rex in Spania plurimas Romanæ militiæ urbes, quarto regni sui [anno] sibi bellando subjicit; et Judæos sui regni subditos, præter eos qui fuga lapsi sunt ad Francos, ad Christi fidem convertit.

Hujus Imperatoris temporibus, ad XIV. usque imperii sui annum, et CHLOTHACARII gloriosissimi Francorum Principis quadragesimum regni sui annum, multa Reipublicæ partibus ubique penè à diversis gentibus dispendia inlata fuere. Hujus tempore Persi Calcidoniam usque pervenerunt : Huni murum longum interrumpentes, et ad mœnia Constantinopolis peraccedentes, cum prædicto Imperatore mutuò in muro stante conlocantur; qui acceptum ab eo pacis pretium, ad tempus recedunt. Per idem tempus divisa in tribus olim regnis Francia, in uno à
E præfato Rege Francorum regnum conjungitur : atque persequente THEUDERICO Rege germanum suum Austrasiorum Regem THEUDEBERTUM, vincentes Franci in Burgundiam moventes Austrasios, ad extremum ipsum occiderunt. Nec mora, victor Theudericus Mettis cùm obiisset, Sigoberto filio parvulo cum avia sua Brunihilde regnum malè usurpatum reliquit : qui vivente adhuc germano suo, nepotem proprium ad petram in albis elidi jussit. Per idem tempus victi filii sui à Rege præfato Chlothacario capiuntur : ac præfata Regina, prædictorum avia, ab eo capta, diversoque pœnarum genere afflicta, deinde camelo imposita, multis suis spectaculum præbuit : postremò ferocissimo conligata pedibus equi tergo, extremum spiritum exhalavit. Cujusque deinceps corpusculum incendentes populi, sepulchrum ignis fuit ; ac deinceps judicium paternum sine misericordia in germano

et nepote quondam datum, in filiis redundavit : eosque à quibusdam, ut aiunt, interemptos, Monarchiam prænuncupatus Rex in tribus regnis obtinuit; quam feliciter religiosèque gubernans (a), quadragesimo nunc cum prioribus regni sui anno vitam ducit. A

Fiunt igitur ab exordio mundi usque in Heram præsentem, id est, XIV. Heraclii, et XL. Chlothacarii Regis annum, anni quinquies mille (b), DCCCXXII.

(a) Hujus Appendicis Auctor hæc scripsit anno Christi 624. quo annus 14. Heraclii et 40. Clotharii in cursu erant.

(b) *Corrig.* DCCCXXV. Quinarii enim nota in binarium sæpè à Librariis transformatur.

EXCERPTA EX APPENDICE AD MARCELLINI COMITIS CHRONICON.

B

Ind. II. *Appione solo Cos.*

An. Chr. 539. THEUDIBERTUS Francorum Rex cum magno exercitu adveniens, Liguriam totamque deprædat Æmiliam. Genuam oppidum in litore Tyrreni maris situm evertit ac prædat. Exercitu dehinc suo morbo laborante, ut subveniat paciscens cum Belisario, ad Gallias revertitur.

Ind. XV. *P. C. Basilii* XI.

An. 552. *Apud Chesnium, Tom.* I. *pag.* 217. Hoc tempore Justinianus Augustus Narsem Eunuchum Chartularium et Cubicularium suum Principem militiæ fecit, et in Italiam misit. Qui commissa pugna Dei gratia victor Totilam occidit, et gentem Gothorum, auxiliantibus etiam Longobardis, in Italia exterminavit. Per hæc tempora, cùm (a) Buccelinus Comes cum sociis à THEODEBERTO Rege Francorum dudum missus, per annos aliquot Italiam Siciliamque infestaret, et Romanum sæpe exercitum superaret, tandem exercitus ejus profluvio ventris attritus, à Narse pugna victus et profligatus, ipse Dux occisus est. Nec multò pòst socius ejus Omnirugus Dux cum reliquis Gothorum, quibus se junxit, peremptus est. C

Ind. I. *P. C. Basilii V. C.* XII.

An. 553. (b) THEODEBALDUS Francorum Rex moritur, et regnum ejus uxoremque (c) VANDERADAM HLOTARIUS Rex patris ejus Theodeberti patruus accepit, qui jam XLIV. annis regnabat. Quo ipso anno Hlotarius ipse Saxones rebellantes juxta Wiseram fluvium magna cæde domuit, et Thuringiam pervasam devastavit.

Ind. II. *P. C. Basilii V. C.* XIII.

An. 554. Vigilius Papa tandem ab Imperatoribus Romanis, et à Narse de exilio relaxatus, cùm Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit : moxque Romam perlatus apud S. Marcellum in via Salaria sepultus est. Pro quo ordinatus Pelagius Papa LXII. sedit annis XI. mensibus X. Qui à populo Romano factionis contra Vigilium incusatus, celebratis unà cum Narse litaniis, apud S. Petrum ambone ascenso, Evangelioque super caput suum posito, juramento se crimine purgavit. D

Ind. III. *P. C. Basilii V. C.* XIV.

An. 555. Hoc tempore Saxones iterum Hlotario rebellantes, cùm ab eo peterentur hostiliter, eique pro satisfactione dimidium rerum suarum offerrent, idque exercitus Francorum refutans eo invito pugnasset, magna ab eis cæde protritus fugæ præsidium petiit.

Ind. IV. *P. C. Basilii V. C.* XV.

An. 556. His diebus HRAMNUS patri suo Hlotario, annuente patruo Hildeberto, rebellans, regnum Francorum seditione perturbat. Saxones factione HILDEBERTI in Francia prædas egerunt. Hildebertus Remensem Campaniam populatur. E

Ind. V. *P. C. Basilii V. C.* XVI.

An. 557. In Britannia Bridus Rex Pictorum efficitur. HILDEBERTUS Rex Francorum circa hæc tempora moritur, et Parisius in Basilica S. Vincentii à se constructa sepelitur, regnumque ejus frater HLOTARIUS assumens, totam paterni regni Monarchiam obtinuit.

(a) Buccelini mors in annum sequentem refundenda.

(b) Hæc ad verbum exscripsit Hermannus Contractus in fusiori Chronico ad an. 553.

(c) Alii rectiùs Vuldetradam appellant.

A *Ind.* VI. *P. C. Basilii V. C.* XVII.

(a) Hramnus patrem Hlotarium, quem multis malis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, insequente eo ibidem cum Conoboro Rege pugna victus et captus, cum uxore et filiabus vivus incensus est. Quo etiam tempore Turonis Basilica S. Martini rebellibus ad eam fugientibus igne crematur. An. Chr. 558.

(a) Gregorius Turon. l. 4. c. 21. scribit Clotarium obiisse *post unum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus.* Cùm igitur Clotarii mors anno 561. contigerit, Chramni interitus ad an. 560. retrahendus.

EXCERPTA EX CHRONICO JOANNIS (a) BICLARIENSIS.

B ANNO III. Tiberii Imp. qui est Leovigildi XI. annus, Leovigildus Rex Hermengildo filio suo filiam Sisberti Regis Francorum in matrimonium tradit. An. 580.

Anno II. Mauricii Imperatoris, qui est Leovigildi XVI. annus, Mauricius Imperator contra Longobardos Francos per conductelam movet. Quæ res utrique genti non parva contulit damna. An. 584.

Anno III. Mauricii Imperatoris, qui est Leovigildi XVII. annus, FRANCI Galliam Narbonensem occupare cupientes, cum exercitu ingressi. In quorum congressionem Leovigildus Recaredum filium obviam mittens, et Francorum est ab eo exercitus repulsus, et Provincia (b) Gallatiæ ab eorum est infestatione liberata. Castra verò duo cum nimia hominum multitudine, unum pace, alterum bello occupat. Castrum verò, C quod Hodierno * vocatur, tutissimum valde in ripa Rhodani fluminis ponitur, quod Recaredus Rex fortissima pugna agressus obtinuit, et victor ad patrem patriamque redit. An. 585. *Apvd Chesnium, Tom.* I. *Script. Franc. pag.* 218. * *Leg.* Ugerno.

Anno V. Mauricii Imperatoris, Romani per Francorum adjutorium Longobardos vastant, et Provinciæ Italiæ partem in suam redigunt potestatem. An. 586.

DESIDERIUS Francorum Dux, Gothis satis infestus, à Ducibus Recaredi Regis superatur, et cæsa Francorum multitudine in campo moritur. An. 587.

Anno VII. Mauricii, Francorum exercitus à GOTERANNO Rege transmissus, BOSONE Duce, in Galliam Narbonensem obveniunt, et juxta Carcasonensem urbem castra metati sunt. Cui Claudius Lusitaniæ Dux à Recaredo Rege directus, obviàm D inibi occurrit. Cum quo congressione facta, Franci in fugam vertuntur, et direpta castra Francorum, et exercitus à Gothis cæditur..... Claudius Dux cum CCC. viris (c) LX. millia fermè Francorum noscitur infugasse, et maximam eorum partem gladio trucidasse. An. 588.

(a) Johannes Biclariensis Monasterii Abbas ab anno 566. quo Victoris Tununensis Chronicon desinit, suum exorsus est, et absolvit anno 590.

(b) Legendum *Galleciæ* seu *Gallæciæ*. Gregorius Turon. lib. 8. cap. 35. *Naves quæ de Galliis in Galliciam abierant, ex jussu Leuvichildi Regis vastatæ sunt, etc.*

(c) Illud verosimile non videtur. Isidorus qui in Chronico Gothorum hanc victoriam multùm exaggerat, nihil simile affirmat. Hoc fuisse ultimum Francorum in Gothos bellum observat Pagius ad an. 588. Num. 9. qui addit nunquam posteà per annos ferè 150. Septimaniam à Gallis tentatam; donec Carolus Martellus, fusis Saracenis, eam regionem penè omnem in formam Provinciæ redegit.

EX JORNANDIS HISTORIA DE GETARUM SIVE GOTHORUM ORIGINE.

Edit. à Joanne Garetio Monacho Benedictino, Rothomagi in-fol. 1679.

E QUOD cùm Gratianus Imperator, qui tunc Roma in Gallias ob incursionem Vandalorum recesserat, comperissèt, quia Theodosio fatali desperatione succumbente, Gothi magis sævirent, mox ad eos collecto venit exercitu. *Cap.* 27. An. 380.

Defuncto ergò Atanarico, cunctus exercitus in servitio Theodosii Imperatoris perdurans, Romano se imperio subdens, cum milite velut unum corpus (a) efficitur, militiaque illa dudum sub Constantino principe fœderatorum renovata, et ipsi dicti sunt Fœderati: è quibus Imperator contra Eugenium tyrannum, qui occiso (b) Gratiano Gallias occupasset, plusquàm XX. millia armatorum fideles sibi *Cap.* 28. An. 392.

(a) Sic legendum, ut in Cod. Ambrosiano. Malè apud Garetium, *efficit, milliaque illa.*

(b) Eugenius Gallias occupavit post mortem Valentiniani, non Gratiani.

An. Chr. 394. et amicos intelligens secum duxit, victoriaque de prædicto tyranno potitus, ultionem exegit. A

Cap. 31. An. 410. Mortuo Alarico Vesegotha, regnum Athaulfo ejus consanguineo, et forma et mente conspicuo, tradunt. Nam erat quamvis non adeò proceritate staturæ formatus, quantum pulchritudine corporis vultuque decorus. Qui suscepto regno revertens item ad Romam, si quid primùm remanserat, more locustarum erasit: nec tantùm privatis divitiis Italiam spoliavit, imò et publicis. Imperatore Honorio nihil resistere prævalente; cujus et germanam Placidiam, Theodosii Imperatoris ex altera uxore filiam, urbe captivam abduxit. Quam tamen ob generis nobi-

* *Al.* Forocornelii. litatem, formæque pulchritudinem, et integritatem castitatis attendens, in * Forolivii Æmiliæ civitate suo matrimonio copulavit; ut gentes, hac societate comperta, quasi adunata Gothis Republica, efficaciùs terrerentur: Honoriumque Augus- B

An. 412. tum, quamvis opibus exhaustum, tamen quasi cognatum grato animo derelinquens, Gallias tendit. Ubi cùm advenisset, vicinæ gentes perterritæ, in suis se finibus cœperunt continere, quæ dudum crudeliter Gallias infestassent; tam (a) Franci, quàm Burgundiones. Nam Wandali et Alani, quos suprà diximus, permissu Principum Romanorum utraque Pannonia resedere; nec ibi sibi ob metum Gothorum arbitrantes tutum fore, si reverterentur, ad Gallias transiere. Sed mox à Galliis, quas ante non multum tempus occupassent, fugientes, Hispania se reclusere, adhuc memores ex relatione majorum suorum, quid dudum Geberich Rex Gothorum genti suæ præstitisset incommodi, vel quomodo eos virtute sua patrio solo expulisset. Tali ergo casu Galliæ Athaulfo patuere venienti. Confirmato ergò Gothis regno in Galliis, Hispanorum casu cœpit dolere, eosque deliberans à Wandalo- C

An. 415. rum incursibus eripere, per suas opes Barcilonam cum certis fidelibus delectis, plebeque imbelli, interiores Hispanias introivit: ubi sæpe cum Wandalis decertans, tertio anno postquàm Gallias Hispaniasque domuisset, occubuit, gladio ilio perforato Vernulfi, de cujus solitus erat ridere statura. Post cujus mortem Regericus Rex constituitur: sed et ipse suorum fraude peremptus, ocyùs vitam cum regno reliquit.

An. 415. Dehinc jam quartus ab Alarico Rex constituitur Valia, nimis destrictus et pru-

Cap. 32. An. 408. dens.... Eo namque tempore Constantinus quidam apud Gallias invadens imperium, filium suum Constantem ex monacho fecerat Cæsarem: sed non diu tenens regnum

An. 411. præsumptum, mox fœderatis Gothis Romanisque, ipse occiditur Arelati; filius verò ejus Viennæ. Post quos item Jovinus ac Sebastianus pari temeritate Rempublicam D

An. 413. occupandam existimantes, pari exitio periere.

Cap. 34. An. 419. Defuncto Valia..... qui parum fuerat felix Gallis, prosperrimus feliciorque Theodericus successit in regno, homo summa moderatione compositus, animi corporisque virilitate abundans. Contra quem, Theodosio et Festo Consulibus,

An. 439. pace rupta Romani, Hunnis auxiliaribus secum junctis, in Gallias arma moverunt. Turbaverat namque eos Gothorum fœderatorum manus, quæ cum Caina Comite (b) Constantinopolim se fœderasset. Aëtius ergo Patricius tunc præerat militibus, fortissimorum Mœsiorum stirpe progenitus, in Dorostena civitate, à patre Gaudentio, labores bellicos tolerans, Reipublicæ Romanæ singulariter natus: qui superbiam Suevorum Francorumque barbariem immensis cædibus servire Romano Imperio (c) coëgisset. Hunnis quoque auxiliariis, Litorio ductante, contra Gothos E Romanus exercitus movit procinctum: diuque ex utraque parte acie ordinata, cùm utrique fortes, et (d) neuter firmior esset, datis dextris in pristinam concordiam redierunt; fœdereque firmato, ab alterutro fida pace peracta, recessit uterque. Qua pacatur Attila Hunnorum omnium dominus, et penè totius Scythiæ gentium solus in mundo regnator, qui erat famosa inter omnes gentes claritate mirabilis.

* Attilæ. *Cap.* 36. An. 451. * Hujus ergo mentem ad vastationem Orbis paratam comperiens Gizericus Rex Wandalorum, quem paulò antè memoravimus, multis muneribus ad Vesegotharum bella præcipitat, metuens ne Theodoricus Vesegotharum Rex filiæ ulciscereturinjuriam, quæ Hunericho Gizerici filio juncta, priùs quidem tanto conjugio lætaretur: sed posteà, ut erat ille et in sua pignora truculentus, ob suspicionem

(a) Franci et Burgundiones non, transito Rheno, è Galliis emigrarunt, et veteres sedes repetierunt, sed in Galliis remanserunt, et in regionibus, quas occupaverant, sese continuerunt.

(b) In Cod. Ambros. *Constantinopolim efferasset.*

(c) Ibid. *coëgit.*

(d) Prosper, Cassiodorus, et Idacius rem aliter narrant, Romanos nimirum victos, captum Litorium.

A tantummodò veneni ab ea parati, eam, naribus abscissis, truncatisque auribus, spolians decore naturali, patri suo ad Gallias remiserat; ut turpe funus miseranda semper offerret; et crudelitas, qua etiam moverentur externi, vindictam patris efficaciùs impetraret. Attila igitur dudum bella concepta Gizerici redemptione parturiens, Legatos in Italiam ad Valentinianum Principem misit, serens Gothorum Romanorumque discordiam, ut quos prælio non poterat concutere, odiis internis elideret : adserens se Reipublicæ ejus amicitias in nullo violare, sed contra Theodericum Vesegotharum Regem sibi esse certamen, unde eum excipi libenter optaret. Cætera Epistolæ usitatis salutationum blandimentis oppleverat, studens fidem adhibere mendacio. Pari etiam modo ad Regem Vesegotharum Theoderi- B cum dirigit scriptum, hortans ut à Romanorum societate discederet, recoleretque prælia, quæ paulò antè contra eum fuerant concitata sub nimia feritate. Homo subtilis, antequam bella gereret, arte pugnabat. Tunc Valentinianus Imperator ad Vesegothas eorumque Regem Theodericum in his verbis legationem direxit : « Prudentiæ vestræ est, (a) fortissime gentium, adversus Urbis conspirare tyran- » num, qui optat mundi generale habere servicium, qui causas prælii non requirit : » sed quicquid commiserit, hoc putat esse legitimum. Ambitum suum brachio » metitur, superbiâ licentiam satiat : qui jus fasque contemnens, hostem se exhibet » naturæ cunctorum. Etenim meretur hic odium, qui in commune omnium se ap- » probat inimicum. Recordamini, quæso, quod certè non potest oblivisci. (b) Ab C » Hunnis casus est fusus, sed quod graviter agit, insidiis agit appetitum. Unde ut » de nobis taceamus, potestis hanc inulti ferre superbiam? Armorum (c) potentes, » favete propriis doloribus, et communes jungite manus. Auxiliamini etiam Rei- » publicæ cujus membrum tenetis. Quàm sit autem nobis expetenda vel ample- » xanda societas, (d) hostes interrogate consilia ». His et similibus Legati Valentiniani Regem permovêre Theodericum. Quibus ille respondit : « Habetis, in- » quit, Romani, desiderium vestrum, fecistis Attilam et nobis hostem. Sequi- » mur (e) illum quocumque vocaverit, et quamvis infletur de diversis superbarum » gentium victoriis, norunt tamen Gothi confligere cum superbis. Nullum bellum D » dixerim grave, nisi quod causa debilitat, quando nil triste pavet, cui majestas arri- » serit ». Acclamant responso comites Ducis, lætum sequitur vulgus. Fit omnibus ambitus pugnæ, hostes jam Hunni desiderantur. Producitur itaque à Rege Theodorico Vesegotharum innumerabilis multitudo : qui quatuor filiis domi dimissis : id est Friderico, (f) et Urico, Rotemero, et Himmerit, secum tantùm Thorismund et Theodericum majores natu participes laboris assumit. Felix procinctus, auxiliantium suave collegium habere, et solatia illorum, quos delectat ipsa etiam simul subire discrimina. A parte verò Romanorum tanta Patricii Aëtii providentia fuit, cui tunc innitebatur Respublica Hesperiæ plagæ, ut undique bellatoribus congregatis, adversus ferocem et infinitam multitudinem non impar occurreret. His E enim adfuere auxiliares (g) Franci, Sarmatæ, Armoritiani, Litiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli, Ibriones, quondam milites Romani, tunc verò jam in numero auxiliariorum exquisiti, aliæque nonnullæ Celticæ vel Germanicæ nationes. Convenitur itaque in (h) campos Catalaunicos, qui et Mauricii nominantur, centum leugas, ut Galli vocant, in longum tenentes, et septuaginta in latum. Leuga autem Gallica mille et quingentorum passuum quantitate metitur. Fit ergo area innumerabilium populorum pars illa terrarum. Conferuntur acies utræque fortissi-

An. Chr. 451.

(a) In Cod. Ambros. *fortissimi gentium, adversus Orbis.*

(b) Ibid. *Ab Hunnis non per bella, ubi communis casus est, fusum, sed quod graviter anget, insidiis appetitum, ut de nobis, etc.*

(c) Ibid. *Potestates.*

(d) *Hos interrogate.*

(e) Si fides habenda est Sidonio Apollinari, qui tunc temporis vivebat, non adeò se facilem præbuit Theodericus, qui nonnisi ægrè adductus est ad socianda cum Romanis arma. Hunnos enim exspectare in suis finibus decreverat. Vide Panegyricum Aviti vers. 333.

(f) In Codice Ambros. *Teurico, Retemere et Irmnerit.*

(g) *Franci* Meroveo Regi parebant : *Sarmatæ* erant Alani, quibus præerat Sangibanus : *Armoritiani* et *Litiani* iidem ac Armorici et Læti : *Burgundionibus* terras dederat Aëtius in Sabaudia : *Saxones* jamdiu sedes fixerant in civitate Baiocassina : *Riparioli* seu *Riparii* tribus fluviorum ripis claudebantur, nempe Rheni, Mosellæ et Mosæ. *Ibriones* seu *Breones* siti erant ad orientem lacûs Constantiæ. In Cod. Ambros. *Liticiani, Burgundiones, Saxones, Riparii, Olibriones.*

(h) Ibid. *In campis Catalaunicis, qui et Mauriaci vocantur.* Catalaunici dicuntur à vicino Catalauno, quod est oppidum ad Matronam fluvium : eorum initium duabus leucis à Catalauno ponitur apud Spinetum, ubi beatissimæ Virginis templum hodie visitur *ad Spinas* dictum. Mauriacos appellatos putat Blondellus à loco dicto *Heiz le Mauru* in dicecesi Catalaunica. Hadr. Valesius in Notitia Galliarum campos Mauriacos, quos à Catalaunicis distinguit, sic dictos existimat ab oppido Meriaco (*Mery*) ad ripam Sequanæ posito in Tricassibus. Malè igitur Jornandes campos Mauriacos et Catalaunicos in unum miscet atque confundit.

An. Chr. 451. mæ, nihil subreptionibus agitur, sed aperto marte certatur. Quæ potest digna causa tantorum motibus inveniri? aut quod odium in se cunctos animavit armari? Probatum est humanum genus Regibus vivere; quando unius mentis insano impetu strages sit facta populorum; et arbitrio superbi Regis momento dejicitur, quod tot sæculis natura progenuit. A

Cap. 37. Sed antequàm pugnæ ipsius ordinem referamus, necessarium videtur edicere, quæ in ipsis bellorum motibus accidêre : quia sicut famosum prælium, ita multiplex atque perplexum. (a) Sangibanus namque Rex Alanorum metu futurorum perterritus, Attilæ se tradere pollicetur, et Aurelianam civitatem Galliæ, ubi tunc consistebat, in ejus jura transducere. Quod ubi Theodericus et Aëtius agnovere, magnis aggeribus eamdem urbem ante adventum Attilæ (b) destruunt, suspectumque custodiunt Sangibanum, et inter suos auxiliares medium statuunt cum propria gente. Igitur Attila Rex Hunnorum tali perculsus eventu, diffidens suis copiis, metuens inire conflictum, intùsque fugam revolvens ipso funere tristiorem, statuit per haruspices futura inquirere. Qui more solito nunc pecorum fibras, nunc quasdam venas in abrasis ossibus intuentes, Hunnis infausta denuntiant. Hoc tamen quantulum prædixere solatii, quòd summus hostium ductor de parte adversa occumberet, relictaque victoria, sua morte triumphum fœdaret. Cùmque Attila necem Aëtii, quòd ejus motibus obviabat, vel cum sua perditione duceret expetendam, tali præsagio sollicitus, ut erat consiliorum in rebus bellicis exquisitor, circa nonam diei horam prælium sub trepidatione committit, ut si non secus cederet, nox imminens subveniret. Convenere partes, ut diximus, in campos Catalaunicos. B C

Cap. 38. Erat autem positio loci declivi tumore, in modum collis excrescens. Quem uterque cupiens exercitus obtinere, quia loci opportunitas non parvum beneficium conferret : dextram partem Hunni cum suis, sinistram Romani et Vesegothæ cum auxiliariis occuparunt. Relictoque de cacuminis ejus jugo certamine, dextrum cornu cum Vesegothis Theodericus tenebat, sinistrum Aëtius cum Romanis, collocantes in medio Sangibanum (quem superiùs retulimus præfuisse Alanis) providentes cautione militari, ut eum, de cujus animo minùs præsumebant, fidelium turba concluderent. Facilè namque adsumit pugnandi necessitatem, cui fugiendi imponitur difficultas. E diverso verò fuit Hunnorum acies ordinata, ut in medio Attila cum suis fortissimis locaretur, sibi potiùs Rex hac ordinatione prospiciens, quatenus inter gentis suæ robur positus, ab imminenti periculo redderetur exceptus. Cornua verò ejus multiplices populi, et diversæ nationes, quas ditioni suæ subdiderat, ambiebant. Inter quos Ostrogotharum præeminebat exercitus, Walamire et Theodemire et Widemire germanis ductantibus, ipso etiam Rege, cui tunc serviebant, nobilioribus; quia Amalorum generis eos potentia illustrabat. Eratque et Gepidarum agmine innumerabili Rex ille famosissimus Ardaricus, qui ob nimiam suam fidelitatem erga Attilam ejus consiliis intererat. Nam perpendens Attila sagacitatem suam, eum et Walamirem Ostrogotharum Regem super cæteros Regulos diligebat. Erat namque Walamir secreti tenax, blandus alloquio, doli ignarus : Ardarich fide et consilio, ut diximus, clarus. Quibus non immeritò contra parentes Vesegothas debuit credere (c) pugnatoribus. Reliqua autem, si dici fas est, turba Regum, diversarumque nationum ductores, ac si satellites, nutibus Attilæ attendebant, et ubi oculo annuisset, absque aliqua murmuratione cum timore et tremore unusquisque adstabat, aut certè quod jussus fuerat exsequebatur. Sed solus Attila Rex omnium Regum super omnes et pro omnibus sollicitus erat. Fit ergo de loci, quem diximus, opportunitate certamen. Attila suos dirigit, qui cacumen montis invaderent : sed à Thorismundo et Aëtio præventus est, qui eluctati collis excelsa ut conscenderent, superiores effecti sunt; venientesque Hunnos montis beneficio facilè turbavere. D E

(a) Sangibanum perperàm confundit Valesius lib. 4. Rer. Franc. cum Sambida Alanorum Rege, quibus *deserta Valentinæ urbis rura partienda* tradidisse dicitur Aëtius in Chronico Pseudo-Prosperi. Idem Valesius Alanos in duas partes dividit, et alteros ad Ligerim, alteros ad Rhodanum collocat. Pagius, qui Alanorum regnum Ligerim inter et Rhodanum situm fuisse asserit, Aurelianam civitatem ad Sangibani principatum non pertinuisse, sed tantùm eum illam Romanorum nomine tuitum esse putat ad an. 440. Num. 5. Verùm si admittatur emendatio doctissimi Abbatis Dubos, qui in Chronico Pseudo-Prosperi pro *Valentinæ urbis* legendum censet *Aurelianæ urbis*, et Alani ad Ligerim dumtaxat collocandi erunt, et urbs Aureliana Sangibani principatui attribuenda. In Vita S. Germani Autissiodorensis Episcopi à Constantio Presbytero scripta memoratur *Eocarix Alemannorum Rex*. Qui corrigendum censent *Alanorum*, Sambidam inter et Sangibanum medium statuunt Eocaricum.

(b) Editio Gruteriana habet *struunt* loco *destruunt*.

(c) In Cod. Ambros. *pugnaturis*.

Tunc

A Tunc Attila, cùm videret exercitum causa præcedente turbatum, eum tali ex tempore credit alloquio confirmandum. (*Postea sequitur Attilæ ad milites oratio.*) His verbis accensi, in pugnam cuncti præcipitantur. *Cap.* 39. An. Chr. 451.

Et quamvis haberent res ipsæ formidinem, præsentia tamen Regis cunctationem hærentibus auferebat. Manu manibus congrediuntur : bellum atrox, multiplex, immane, pertinax, cui simile nulla usquam narrat antiquitas : ubi talia gesta referuntur, ut nihil esset, quod in vita sua conspicere potuisset egregius, qui hujus miraculi privaretur aspectu. Nam si senioribus credere fas est, rivulus memorati campi humili ripa prolabens, peremptorum vulneribus sanguine multo provectus, non auctus imbribus, ut solebat, sed liquore concitatus insolito, torrens factus est cruoris augmento. Et quos illic coëgit in aridam sitim vulnus inflictum, fluenta *Cap.* 40.
B mixta clade traxerunt : ita constricti forte miserabili sordebant, potantes sanguinem, quem fudere sauciati. Hic Theodericus Rex, dum adhortans discurreret exercitum, equo depulsus, pedibusque suorum conculcatus, vitam matura senectute conclusit. Alii verò dicunt eum interfectum telo Andagis, de parte Ostrogotharum, qui tunc Attilanum sequebantur regimen. Hoc fuit quod Attilæ præsagio haruspices priùs dixerant, quamquam ille de Aëtio suspicaretur. Tunc Vesegothæ dividentes se ab Alanis, invadunt Hunnorum catervas ; et penè Attilam trucidassent, nisi priùs providus fugisset, et se suosque illicò intra septa castrorum, quæ plaustris vallata habebat, reclusisset. Quamvis fragile munimentum, tamen quæsierunt subsidium vitæ, quibus paulò antè nullus poterat muralis agger obsistere. Thorismund autem Regis Theoderici filius, qui cum Aëtio collem anticipans, hostes de
C superiori loco proturbaverat, credens se ad agmina propria pervenire, nocte cæca ad hostium carpenta ignarus incurrit. Quem fortiter dimicantem quidam capite vulnerato equo dejecit, suorumque providentia liberatus, à præliandi intentione desiit. Aëtius verò similiter noctis confusione divisus, cùm inter hostes medios vagaretur, trepidus ne quod incidisset (a) adversi Gothis, inquirens, tandemque ad socia castra perveniens, reliquum noctis scutorum defensione transegit. Postera die luce orta, cùm cadaveribus plenos campos aspicerent, nec audere Hunnos erumpere, suam arbitrantur esse victoriam ; scientesque Attilam non nisi (b) magna clade confusum, bello confugisse ; cùm tamen nil ageret (c) vel prostratus abjectum, sed strepens armis tubis canebat, incussionemque minabatur : velut leo venabulis pressus, speluncæ aditus obambulans, nec audet insurgere,
D nec desinit fremitibus vicina terrere ; sic bellicosissimus Rex victores suos turbabat inclusus. Conveniunt itaque Gothi Romanique, et quid agerent de superato Attila deliberant. Placet eum obsidione fatigari, qui annonæ copiam non habebat, quando ab ipsius sagittariis intra septa castrorum locatis, crebris ictibus arceretur accessus. Fertur autem desperatis in rebus prædictum Regem adhuc et in supremo magnanimem, equinis sellis construxisse pyram, seseque, si adversarii irrumperent, flammis injicere voluisse ; ne aut aliquis ejus vulnere lætaretur, aut in potestatem (d) hostium, tantarum gentium dominus perveniret.

Verùm inter has obsidionum moras Vesegothæ Regem, filii patrem requirunt, admirantes ejus absentiam, dum felicitas fuerit subsequuta. Cùmque diutiùs exploratum, ut viris fortibus mos est, inter densissima cadavera reperissent, canti- *Cap.* 41.
E bus honoratum, inimicis spectantibus abstulerunt. Videres Gothorum globos dissonis vocibus confragosos, adhuc inter bella furentia funeri reddidisse culturam. Fundebantur lacrymæ, sed quæ viris fortibus impendi solent. (e) Nostra mors erat, sed Hunno teste gloriosa, unde hostium putaretur inclinata fore superbia, quando tanti Regis efferre cadaver cum suis insignibus inspiciebant. At Gothi Theoderico adhuc justa solventes, armis insonantibus regiam deferunt majestatem, fortissimusque Thorismund (f) bene gloriosus, ad manes carissimi patris, ut decebat filium, exequias est prosequutus. Quod postquàm peractum est, orbitatis dolore commotus, et virtutis impetu, qua valebat, dum inter reliquias Hunnorum mortem patris vindicare contendit, Aëtium Patricium, ac si seniorem, prudentiaque maturum, de hac parte consuluit, quid sibi esset in tempore faciendum. Ille verò metuens, ne Hunnis funditus interemptis, à Gothis Romanorum premeretur Im-

(a) Ibid. *adversi, Gothos inquirit.*
(b) Ibid. *magna clade confossum bella fugere.*
(c) Ibid. *velut prostratus, aut abjectum se demonstrabat, sed strepens.*
(d) Sic habet Codex Ambrosianus, et ita legendum censet Garetius.
(e) Ibid. *Nam mors erat.*
(f) Ibid. *bene gloriosus manens, carissimi.*

An. Chr. 451. perium, præbet hac suasione consilium, ut ad sedes proprias remearet, Regnumque, quod pater reliquerat, arriperet, (a) ne germani ejus, opibus sumptis paternis, Vesegotharum Regnum pervaderent, graviterque dehinc cum suis, et quod pejus est, miserabiliter pugnaret. Quo responso non ambiguè, ut datum est, sed pro sua potiùs utilitate suscepto, relictis Hunnis, redit ad Gallias. Sic humana fragilitas dum suspicionibus occurrit, magna rerum agendarum occasione intercipitur. In hoc enim famosissimo et fortissimarum gentium bello ab utrisque partibus (b) CLXII. millia cæsa referuntur : exceptis XC. millibus Gepidarum et Francorum, qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes, mutuis concidêre vulneribus : Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus. Attila igitur discessione cognita Gothorum, quod (c) de inordinatis colligi solet, et inimicorum magis æstimans dolum, diutiùs se (d) intra castra continuit. Sed ubi hostium (e) absentiâ sunt longa silentia consequuta, erigitur mens ad victoriam, gaudia præsumuntur, atque potentis Regis animus in antiqua fata revertitur. Thorismund ergo, patre mortuo, in campis statim Catalaunicis, ubi et pugnaverat, regia majestate subvectus, Tolosam ingreditur. Hic licèt fratrum et fortium turba gauderet, ipse tamen sic sua initia moderatus est, ut nullius reperiret de regni successione certamen.... A B

Cap. 43. Reversus itaque Attila in sedes suas, et quasi otii pœnitens, graviterque ferens à bello cessare, ad Orientis Principem Marcianum Legatos dirigit, Provinciarum testans vastationem, quòd sibi promissa à Theodosio quondam Imperatore minimè persolveret, et inhumanior solito suis hostibus appareret. Hæc tamen agens, ut erat versutus et callidus, alibi minatus, alibi arma sua commovit, et (f) quod restabat indignationi, faciem in Vesegothas retorsit. Sed non eum, quem de Romanis, reportavit eventum. Nam per dissimiles anterioribus vias recurrens, Alanorum partem, trans flumen Ligeris considentem, statuit suæ redigere ditioni, quatenùs mutata per ipsos belli facie, terribilior emineret. Igitur (g) ab Dacia et Pannonia provinciis, in quibus tunc Hunni cum diversis subditis nationibus insidebant, egrediens Attila, in Alanos movit procinctum. Sed Thorismund Rex Vesegotharum fraudem Attilæ non impari subtilitate persentiens, ad Alanos (h) tota subtilitate priùs advenit, ibique supervenientis jam Attilæ motibus preparatus occurrit, consertoque prælio, penè simili eum tenore, ut priùs in campis Catalaunicis, à spe removit victoriæ, fugatumque à partibus suis sine triumpho remittens, in sedes proprias fugere compulit. Sic Attila famosus, et multarum victoriarum dominus, dum quærit famam perditoris abjicere, et quod priùs à Vesegothis pertulerat abolere, geminatam sustinuit, inglorius-que recessit. Thorismund verò, repulsis ab Alanis Hunnorum catervis, sine aliqua suorum læsione Tolosam migravit, suorumque quieta pace composita, (i) tertio
An. 453. anno regni sui ægrotans, dum sanguinem tollit de vena, (k) ab Ascalcruo cliente inimicos nunciante, armis subtractis peremptus est. Una tamen manu, quam liberam habebat, scabellum tenens, sanguinis sui extitit ultor, aliquantos insidiantes sibi extinguens..... C D

Cap. 45. Post quem [Maximum] jussu Marciani (l) Imperatoris Orientalis, Majorianus Occi-
An. 457. dentale suscepit Imperium gubernandum. Sed et ipse non diu regnans, dum contra Alanos, qui Gallias infestabant, movisset procinctum, Dertonæ juxta fluvium Ira
An. 461. cognomento occiditur. Cujus locum Severus invasit, qui (m) tertio anno Imperii
An. 465. sui Romæ obiit. Quod cernens Leo Imperator, qui in Orientali regno Marciano
An. 467. successerat, Anthemium Patricium suum ordinans, Romæ principem ordinavit. Qui veniens illicò, (n) Ricimerem generum suum contra Alanos direxit, virum E

(a) Cod. Ambros. *ne germanus ejus, opibus assumptis paternis, regnum invaderet.*

(b) Ibid. CLXV. *millia cæsa referuntur, exceptis* XV. *millibus, etc.* Gruterus in editione, quam post Grotium publicavit, testatur in duobus Codicibus mss. Palatinis, omnibus litteris perscriptum esse, *exceptis quindecim millibus.* In Chronico Freculfi, qui nono sæculo floruit, legitur etiam XV. M. Idatius in Chron. Isidorus in Hist. Goth. trecenta ferè millia cæsa referunt ex utraque parte.

(c) Cod. Ambros. *de inopinatis.*

(d) Ibid. *intra claustra.*

(e) Ibid. *absentiam.*

(f) Ibid. *quod restabat indignationis, in Vesegothos convertit.*

(g) Attila, ex quo ex Italia rediit, nusquam è suis sedibus egressus est. Commentitia igitur est isthæc secunda Attilæ in Gallias irruptio ; fictitia est illa à Thorismondo de Attila reportata victoria. Illud dumtaxat certum est, Alanos à Thorismondo domitos, referente Gregorio Turon. lib. 2. cap. 7.

(h) Cod. Ambros. *tota velocitate.*

(i) Thorismundum uno anno regnasse tradit Isidorus in Chronico : eum à Theuderico et Frederico fratribus jugulatum scribit Idatius in Chronico.

(k) In Cod. Ambros. *ab Ascalo suo cliente.*

(l) Non jussu Marciani, qui jam mortuus erat, sed Leonis Imperatoris.

(m) Neglecto scilicet quarto, qui incompletus fuit.

(n) Hallucinatus est Jornandes, qui quod sub Severo Imperatore gestum est, Anthemio tribuit.

A egregium, et penè tunc in Italia ad exercitum singularem. Qui multitudinem Alanorum, et Regem eorum Beurgum, in primo statim certamine (a) superatos, internecioni prostravit. Euricus ergo Vesegotharum Rex crebram mutationem Romanorum Principum cernens, Gallias suo jure nisus est occupare. Quod comperiens Anthemius Imperator, protinùs solatia Britonum postulavit. Quorum Rex Riothimus cum XII. millibus veniens, in Biturigas civitatem, Oceano è navibus egressus, susceptus est. Ad quos Rex Vesegotharum Euricus innumerum ductans exercitum advenit, diuque pugnans, Riothimum Britonum Regem, antequàm Romani in ejus societate conjungerentur, superavit. Qui ampla parte exercitûs amissa, cum quibus potuit fugiens, ad Burgundionum gentem vicinam, Romanis in eo tempore fœderatam, advenit. Euricus verò Rex Vesegotharum Arver-
B nam Galliæ civitatem occupavit, Anthemio Principe jam defuncto : qui cum Ricimere genero suo intestino bello sæviens, Romaniam trivisset; ipseque à genero peremptus, Regnum reliquit Olibrio..... Et necdum Olibrio VIII. mense in Regnum ingresso obeunte, Glycerius apud Ravennam plus præsumptione quàm electione Cæsar effectus est. Quem, anno vix expleto, Nepos Marcellini quondam Patricii sororis filius à Regno dejiciens in Portu Romano, Episcopum ordinavit. Tantas varietates mutationesque Euricus cernens, ut diximus superiùs, Arvernam occupat civitatem, ubi tunc Romanorum Dux præerat (b) Decius nobilissimus Senator, et dudum Aviti Imperatoris, qui ad paucos dies regnum invaserat, filius. Nam hic ante Olibrium paucos dies tenens Imperium, ultrò recessit Placentiam, ibique Episcopus est ordinatus. Hujus ergo filius Decius diu
C certans cum Vesegothis, nec valens antestare, relicta patria, maximèque urbe (c) Arvernate hosti, ad tutiora se loca collegit. Quod audiens Nepos Imperator, præcepit Decio, relictis Galliis, ad se venire, in locum ejus Oreste Magistro militum ordinato.....

An. Chr. 468.

An. 469. vel 470.

An. 475.

An. 472.

An. 475.

Euricus Rex Vesegotharum Romani Regni vacillationem cernens, Arelatum (d) et Massiliam propriæ subdidit ditioni. Gezericus etenim Wandalorum Rex suis eum muneribus ad ista committenda illexit, quatenùs ipse Leonis, vel Zenonis insidias, quas contra eum direxerant, præcaveret : egitque ut Orientale Imperium Ostrogothæ, Hesperium Vesegothæ vastarent, ut in utraque Republica hostibus decernentibus, ipse in Africa quietus regnaret. Quod Euricus grato susci-
D piens animo, totas (e) Hispanias Galliasque sibi jam jure proprio tenens, simul quoque et Burgundiones subegit, Arelatoque degens, decimo-nono anno regni sui vita privatus est. Huic successit proprius filius Alaricus, qui nonus in numero ab illo Alarico magno Regnum adeptus est Vesegotharum.....

Cap. 47. An. 477.

An. 484.

Mox * Widemir Italiæ terras intravit, et extremum fati munus reddens, excessit rebus humanis, successorem relinquens regni Widemir filium suum. Quem Glycerius Imperator, muneribus datis, de Italia ad Gallias transtulit, quæ à diversis circumcirca gentibus premebantur : adferens vicinos sibi Vesegothas eorum parentes regnare. Quid multa ? Widemir, acceptis muneribus simulque mandatis à Glycerio Imperatore, Gallias tendit, seseque cum parentibus jungens Vesegothis, unum corpus efficitur, ut dudum fuerat : et sic Gallias Hispaniasque tenentes, suo jure defendunt, ut nullus * sibi alius prævaleret.....

Cap. 56. * Ostrogothorum Rex. An. 473.

* *Al.* ibi.

E Tertio, ut diximus, (f) anno [Theodericus Ostrogothorum rex] ingressus in Italiam, Zenonis Imperatoris consulto privatim habito, suæque gentis vestitum reponens, insigne regii amictùs, quasi jam Gothorum Romanorumque Regnator, adsumit. Missa legatione ad Lodoin Francorum Regem, (g) filiam ejus * Au-

Cap. 57. An. 491.

Cap. 58. * *Al.* Oldefledam.

Cassiodorus in Chronico ad Rustici et Olybrii Consulatum, id est ad annum 464. scribit : *His Coss. Rex Alanorum Beorgor apud Bergomum à Patricio Ricomere peremptus est.* Marcellinus etiam in Chronico, et Chronographus à Cuspiniano editus hujus Regis mortem etiam hoc anno recitant. Primus Alanorum in Galliis regnantium Princeps Goarus fuerat; sed regnum, quod ille inchoarat, cum Beorgo extinctum est : quod primus observavit Pagius in Crit. ad Annal. Baronii ad an. 464. Num. 3.

(a) In Cod. Ambros. *superans, ad internecionem prostravit.*

(b) Ecdicius aliis dicitur.

(c) Arvernum per deditionem Eurico traditum, Jornandes ignorasse videtur. Vide Sidonium Apollinarem in Epist. VII. lib. 7. ad Græcum Episcopum Massiliensem.

(d) Chronographus Victori Tununensi insertus ad Joannis et Severi Consulatum, seu ad annum Christi 470. perperam habet : *Arelatum et Massilia à Gothis occupata sunt.* Præterquam enim quòd Jornandes id post Romam ab Odoacre captam contigisse testatur, liquet ante Arvernum captum Massiliam ab Eurico subactam non esse. *Ita Pagius ad an.* 477. *Num.* 20.

(e) Euricus non totas Hispanias, Gallias et Burgundiam subegit, sed earum tantùm regionum partem obtinuit.

(f) In Cod. Ambrosiano, *anno ingressûs sui in Italiam, Zenone Imperatore consulto, privatum habitum, gentisque suæ vestitum seponens.*

(g) Audefleda non erat filia Clodovei, veluti

defledam sibi in matrimonio petit. Quam ille gratè libenterque concessit, suos filios (a) Ildebertum et Cheldepertum et Thuidepertum credens hac societate cum gente Gothorum, inito fœdere, sociari. Sed non adeò pacis ad concordiam profuit ista conjunctio, quin sæpenumero propter Gallorum terras graviter inter se decertati sunt : et nunquam Gothus Francis cessit, dum viveret Theodericus. Antequàm ergò de Audefleda sobolem haberet, naturales ex concubina, quas genuisset adhuc in Mœsia, filias habuit, unam nomine * Theudicodo, et aliam Ostrogotho. Quas, mox ut in Italiam venit, Regibus in conjugio copulavit, id est unam Alarico Vesegotharum, et aliam Sigismundo Burgundionum. De Alarico ergò natus est Amalaricus. Quem avus Theodericus in annis puerilibus utroque parente orbatum dum fovet atque tuetur, comperit Euthericum Witerichi filium, Beremundi et Toresmundi abnepotem, Amalorum de stirpe descendentem, in Hispania degere, juvenili ætate, prudentia et virtute, corporisque integritate pollentem. Ad se eum facit venire, eique Amalasuentham filiam suam in matrimonio jungit. Et ut ad plenum progeniem suam dilataret, Amalafredam germanam suam, matrem (b) Theodati, qui posteà Rex fuit, Africæ Regi Wandalorumque conjugem dirigit Trasemundo : filiamque ejus, neptem suam, Amalabergam Thuringorum Regi consociat Hermenfredo.....

A

B

* *Al.* Thiudigotam.

An. Ch. 515.

Non minùs trophæum [Theodericus] de Francis per Hibbam suum Comitem in Galliis acquisivit, plus xxx. millibus Francorum in prælio cæsis. Nam et Thiodem suum armigerum post mortem Alarici generi tutorem in Hispaniæ regno Amalarici nepotis constituit. Qui Amalaricus in ipsa adolescentia Francorum fraudibus irretitus, regnum cum vita amisit. Post quem Thiodis tutor ejusdem regnum ipsum invadens, Francorum insidiosam calumniam de Hispaniis pepulit, et usque dum viveret, Vesegothas continuit.....

C

An. 508.

An. 531.

Cap. 59. Postquàm ad senium pervenisset [Theodericus,] et se in brevi ab hac luce egressurum cognosceret, convocans Gothos comites, gentisque suæ primates, Athalaricum infantulum adhuc vix decennem, filium filiæ suæ Amalasuenthæ, qui Eutarico patre orbatus erat, Regem constituit : eisque in mandatis dedit, ac si testamentali voce denuntians, ut * Regem colerent, Senatum populumque Romanum amarent, Principemque orientalem placatum semper propitiumque haberent. Quod præceptum, quamdiu Athalaricus Rex ejusque mater viverent, in omnibus custodientes, penè per octo annos in pace regnarunt ; quamvis Francis de regno puerili desperantibus, imò in contemptu habentibus, bellaque parare molientibus, quòd pater et avus Gallias (c) occupasset, eis concessit.

An. 526.

* *Al.* legem

Circa an. 533.

tradunt Jornandes, Paulus ac Freculfus, sed soror, ut Gregorius et Aimoinus verisimiliùs dicunt. Tunc enim Clodoveus unum ex concubina filium Theodoricum habebat. Fortè etiam nondum Chrotildim uxorem duxerat : siquidem Jornandes innuere videtur, Theodericum ad Clodoveum legationem misisse post annum tertium, quàm in Italiam ingressus erat. Porrò Theodericus in Italiam ingressus est anno 489. Clodoveus verò Chrotildim matrimonio sibi copulavit anno 493. Hinc falsum est quod ait Jornandes Audefledam à Clodoveo ad Theodericum libenter missam, eò quòd existimaret, ea affinitate contracta, societatem futuram inter Gothos ac filios suos Ildebertum, Cheldepertum et Thuidepertum. Ildebertus idem videtur esse ac Cheldepertus seu Childebertus. Thuidepertus seu Theodebertus nusquam fuit Clodovei filius, sed nepos. Prætereà Audefleda seu Albofledis virginitatem perpetuò servavit, ut patet ex Epistola Remigii ad Chlodoveum, infrà in Appendice referenda.

(a) In Cod. Ambrosiano, *filios suos Heldebertum et Theodebertum credens.*

(b) Ibid. *Theodabadi.*

(c) Idem Jornandes de regn. et temp. successione hæc habet : *In Italia verò Theodorico Rege defuncto, Athalaricus nepos ejus, ipso ita ordinante successit, et annis octo, quamvis pueriliter vivens, matre tamen regnante Amalasuenta, degebat, quando et Gallias diu tentas Francis repetentibus reddit.*

EXCERPTA EX PROCOPII CÆSARIENSIS HISTORIIS,

DE FRANCIS.

Edit. Paris. in-fol. an. 1662.

EX LIBRO I. DE BELLO GOTTHICO.

Πέμψας δὲ καὶ παρὰ Φράγγων τοὺς ἡγεμόνας, ἔγραψε τάδε· Γότθοι Ἰταλίαν τὴν ἡμετέραν βίᾳ ἑλόντες, οὐχ ὅσον αὐτὴν ἀποδιδόναι οὐδαμῇ ἔγνωσαν· ἀλλὰ καὶ προηδικήκασιν ἡμᾶς οὔτε φορητά, οὔτε μέτρια. Διόπερ ἡμεῖς μὲν στρατεύειν ἐπ᾽ αὐτοὺς ἠναγκάσμεθα· ὑμᾶς δὲ εἰκὸς ξυνδιαφέρειν ἡμῖν πόλεμον τόνδε. ὃν ἡμῖν κοινὸν εἶναι ποιεῖ δόξα τε ὀρθὴ, ἀποσειομένη τὴν Ἀρειανῶν γνώμην, καὶ τὸ ἐς Γότθους ἀμφοτέρων ἔχθος. Τοσαῦτα μὲν βασιλεὺς ἔγραψε, καὶ χρήμασιν αὐτοὺς φιλοτισάμενος, πλείονα δώσειν, ἐπειδὰν ἐν τῷ ἔργῳ γένωνται, ὡμολόγησεν· οἱ δὲ αὐτῷ ξὺν προθυμίᾳ πολλῇ ξυμμαχήσειν ὑπέσχοντο.

Καὶ ἐπεὶ ἐνταῦθα ἀφίκετο, Ματασούνθαν τὴν Ἀμαλασούνθης θυγατέρα, παρθένον τε καὶ ὡραίαν ἤδη οὖσαν, γυναῖκα γαμετὴν, οὔτι ἐθελούσιον ἐποιήσατο· ὅπως δὴ βεβαιότερον τὴν ἀρχὴν ἕξει τῇ ἐς γένος τοῦ Θευδερίχου ἐπιμιξίᾳ. Ἔπειτα δὲ ἅπαντας Γότθους πανταχόθεν ἀγείρας, διεῖπέ τε καὶ διεκόσμει, ὅπλα τε καὶ ἵππους διανέμων κατὰ λόγον ἑκάστῳ· μόνους δὲ Γότθους, οἳ ἐν Γαλλίαις φυλακὴν εἶχον, δέει τῶν Φράγγων, οὐχ οἷός τε ἦν μεταπέμπεσθαι. Οἱ δὲ Φράγγοι οὗτοι Γερμανοὶ μὲν τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο. Ὅντινα δὲ τρόπον τε ἀρχῆς, καὶ ὅπη ὡκημένοι, Γαλλίαις τε ἐπεβάτευσαν, καὶ διάφοροι Γότθοις γεγένηνται, ἐρῶν ἔρχομαι.

Τὴν θάλασσαν ἔκ τε τοῦ ὠκεανοῦ καὶ Γαδείρων ἐσπλέοντι, χώρα μὲν ἡ ἐν ἀριστερᾷ, ὥσπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν λόγοις ἐρρέθη, Εὐρώπη ὠνόμασται· ἡ δὲ ἀντιπέρας αὐτῇ Λιβύη ἐκλήθη· ἣν δὴ προϊόντες Ἀσίαν καλοῦσι. Λιβύης μὲν οὖν τὰ ἐπέκεινα ἐς τὸ ἀκριβὲς οὐκ ἔχω εἰπεῖν, ἔρημος γὰρ ἐστὶν ἐπιπλεῖστον ἀνθρώπων. Καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ ἡ πρώτη τοῦ Νείλου ἐκροὴ οὐδαμῇ ἔγνωσται, ὃν δὴ ἐπ᾽ Αἰγύπτου ἐνθένδε φέρεσθαι λέγουσιν. Εὐρώπη δὲ εὐθὺς ἀρχομένη Πελοποννήσῳ βεβαιότατα ἐμφερής ἐστι, καὶ πρὸς θαλάσσῃ ἑκατέρωθι κεῖται· καὶ χώρα μὲν ἡ πρώτη ἀμφί τε τὸν ὠκεανὸν καὶ δύοντα ἥλιον,

A JUSTINIANUS quoque ad Francorum Principes legationem cum his literis misit : *Quoniam* (a) *Gotthi non modò Italiam, quam habent, ditioni nostræ ereptam vi, restituere nolunt : sed injurias etiam nobis, nec mediocres, nec tolerabiles, imposuerunt, non lacessiti ; ipsis bellum inferre coacti sumus. Nobiscum vos id suscipere convenit, quod commune facit cùm germana Religio, erroris Ariani expultrix, tum odium, quo æquè ut nos dissidetis à Gotthis.* Hæc scripsit Im- B perator, quibus amplum pecuniæ munus addidit, plura pollicitus daturum se, rem aggressis. Illi socia arma promiserunt.

Cap. 5. *pag.* 319. An. Ch. 535.

Vitigis cùm Ravennam pervenisset, Matasuntham Amalasunthæ filiam, maturam jam viro virginem, invitam duxit in matrimonium, ut certiùs sibi regnum assereret hoc intimo nexu cum stirpe Theoderici. Deinde contractos undique Gotthos omnes descripsit ordinavitque, arma atque equos singulis pro modo et gradu dividens. Eos tan- C tùm Gotthos, qui in Galliarum præsidiis erant, cùm sibi à Francis metueret, revocare non poterat. Hi verò Franci dicebantur olim Germani. Quæ primæ eorum fuerint sedes, et quo pacto Gallias occupaverint, ac demum hostiles cum Gotthis susceperint inimicitias, narrare aggredior.

Cap. 11. *pag.* 339.

Europa dicitur pars Orbis ad eorum sinistram sita, qui in mare mediterraneum ab Oceano et Gadibus provehuntur ; ut in superioribus libris com- D memoravi. Africæ verò nomen accepit opposita continens ; quam deinde Asiam vocant, qui porrò tendunt. De ulterioribus Africæ partibus exploratè non possum scribere, propter immensas solitudines. Quo etiam fit, ut nos penitùs lateat origo Nili, quem in Ægyptum inde decurrere perhibent. Europa ipso statim initio planè Peloponneso similis, utrinque mari alluitur : ac prima illius portio, quæ magis ad Oceanum solemque occidentem por-

Cap. 12. *pag.* 340.

(a) Ostrogothi semper Gotthi appellantur à Procopio.

rigitur, appellatur Hispania, ad Alpes usque montis Pyrenæi. Alpium verò nomen perviis montium angustiis tribuunt regionum illarum incolæ. Sequitur Gallia, quam vocant usque ad Liguriæ fines : ubi Alpes aliæ Gallos à Liguribus discludunt. Porrò Gallia multò majorem quàm Hispania latitudinem habet, ut par est. Incipiens enim ab angusto Europa, in progressu patescit amplissimè servata proportione. Utriusque illius regionis latus aquilonare Oceano, australe mari, quod nominant Tyrrhenum, ambitur. Galliam cùm alii rigant fluvii, tum Rhodanus ac Rhenus, qui sic diversi abeunt, ut alter in mare Tyrrhenum exeat, Rhenus in Oceanum evolvatur. Hîc sunt (a) paludes, ubi quondam habitarunt Germani, qui Franci nunc appellantur, gens barbara, et initio parum spectata. Horum sedes contingebant (b) Arborychi, cum reliqua omni Gallia atque Hispania Romanis jampridem subditi : secundùm quos ad Orientem, Thoringi (c) concessam sibi ab Augusto Cæsare, Imperatorum primo, regionem colebant. Non procul ab his, ad Austrum versùs, degebant (d) Burgundiones : ultra Thoringos Suabi et Alamani, validæ nationes. Isti omnes, ab antiquo liberi, oras illas tenebant.

Pag. 341.

Circa an. Chr. 470.

Procedente tempore, Visigotthi facta in Rom. Imperium irruptione, Hispaniam universam ac provincias Galliæ trans Rhodanum positas subegerunt, habueruntque vectigales. Militarem operam Romanis tunc navabant Arborychi : quibus (e) Germani, ut potè finitimis, et à veteri Reipublicæ forma digressis, cùm legem ac jugum vellent imponere, primùm prædati, deinde recto Marte eos aggressi sunt, agente omnes belli prurigine.

An. 493.

* Ἀλαμανώ. καὶ τὸ γένος* Ἀλανὼ, δύναμιν δὲ παρὰ Φράγγοις μεγίστην εἰχέτην, ὡς καὶ τοῦ σφετέρου ἔθνους ἡγεῖσθαι, Θευδιβέρτου τοῦ προτέρου παρασχόντος. Οἱ δὲ Ἀλαμανοὶ, εἴγε χρὴ Ἀσιννίῳ Καδράτῳ ἕπεσθαι, ἀνδρὶ Ἰταλιώτῃ, καὶ τὰ Γερμανικὰ ἐς τὸ ἀκριβὲς ἀναγραψαμένῳ, ξυνήλιδές εἰσιν ἄνθρωποι καὶ μιγάδες, καὶ τοῦτο δύναται αὐτοῖς ἡ ἐπωνυμία. Τούτους δὲ πρότερον Θευδέριχος ὁ τῶν Γότθων βασιλεὺς, ἡνίκα καὶ τῆς ξυμπάσης Ἰταλίας ἐκράτει, ἐς φόρου ἀπαγωγὴν παραστησάμενος κατήκοον εἶχε τὸ φῦλον. Ὡς δὲ ὁ μὲν ἀπέβιω, ὁ δὲ μέγιστος Ἰουστινιανῷ τε τῶν Ῥωμαίων αὐτοκράτορι καὶ τοῖς Γότθοις πόλεμος ξυνερράγη, τότε δὴ οἱ Γότθοι ὑποθωπεύοντες τοὺς Φράγγους, καὶ ὅπως ἂν αὐτοῖς φίλοι τε ἐς τὰ μάλιστα καὶ εὖνοι γένοιντο μηχανώμενοι, ἑτέρων τε πολλῶν ἐξίστανται χωρίων, καὶ μὲν δὴ καὶ τὸ Ἀλαμανικὸν γένος ἀφίεσαν. Ἀγείρειν τε γάρ ἐν τῷ τότε πανταχόθεν τὰς σφετέρας ᾤοντο χρῆναι δυνάμεις, καὶ τῆς ὑπηκόου ὁπόσα περιττὰ καὶ οὐ λίαν ἐπίκαιρα μεθιέναι, ὡς οὐκέτι ἀρχῆς τε πέρι καὶ δόξης ἀγωνιούμενοι, ἀλλ' ἤδη τὸν ὑπὲρ αὐτῆς τῆς Ἰταλίας, καὶ τοῦ μὴ πάμπαν ἀπολωλέναι ἀναρρίψοντες κίνδυνον. Καὶ τοίνυν τὸ τοῦ μέλλοντος σφαλερὸν τῷ αὐθαιρέτῳ δῆθεν τῆς γνώμης προκαταλαβόντες, ἑκουσίαν πεποίηνται τὴν ἀνάγκην. Οὕτω δὴ οὖν καὶ τὸ τῶν Ἀλαμανῶν ἔθνος ὑπὸ Γότθων ἀφειμένον Θευδίβερτος αὐτὸς ἐχειρώσατο· ἐκείνου τε διαφθαρέντος, ἧπέρ μοι ἤδη ἐρρήθη, ἐπὶ τὸν παῖδα Θευδίβαλδον, τῇ λοιπῇ ἅμα ὑπηκόῳ, καὶ οἵδε ἐχώρουν. Νόμιμα δὲ αὐτοῖς εἰσι μέν που καὶ πάτρια, τὸ δέ γε ἐν κοινῷ ἐπικρατοῦνται καὶ ἄρχονται, τῇ Φραγγικῇ ἕποντες πολιτείᾳ· μόνῳ δέ γε τὰ ἐς θεὸν αὐτοῖς οὐ τ' αὐτὰ ξυνδοκεῖ. Δένδρα τε γάρ τινα ἱλάσκονται, καὶ ῥεῖθρα ποταμῶν καὶ λόφους καὶ φάραγγας· καὶ τούτοις ὥσπερ ὅσια δρῶντες, ἵππους τε καὶ ἄλλα ἄττα μυρία καρατομοῦντες ἐπιθειάζουσιν. Ἀλλὰ γὰρ ἡ τῶν Φράγγων αὐτοὺς ἐπιμιξία εὖ ποιοῦσα, καὶ ἐς τὸ δέον μετακοσμεῖ, καὶ ἤδη ἐφέλκεται τοὺς ἐμφρονεστέρους· οὐ πολλοῦ δὲ χρόνου οἶμαι καὶ ἅπασιν ἐκνικήσει. . . . .

Λεύθαρις γὰρ καὶ Βουτιλῖνος, ἐπείδη τὴν ἀρχὴν κατὰ Ῥωμαίων ἐπιστρατεύειν ὡρμηθήτην, ἐπηρμένω γε ἦστην ἄμφω ταῖς ἐλπίσι, καὶ οἴω οὐκ ἔτι ἐν τῷ καθεστῶτι τρόπῳ βιοτεύειν. Ναρσῆν μὲν γὰρ τὸν στρατηγὸν οὐδὲ τὴν προσβολὴν

A hi duo germani fratres, genere quidem Alamani; maximam verò apud Francos potentiam consecuti, adeò ut nationi ipsorum præessent, à Theodiberto primùm data facultate. Alamani autem, si Asinio Quadrato homini Italo, quique res Germanicas accuratè conscripsit, credimus, convenæ sunt et miscellanei; quod et appellatio ipsa satis indicat. Hos anteà Theodericus Gotthorum Rex, cùm etiam universa Italia potiretur, tributarios fecerat, totamque hanc gentem subegerat. Simul atque verò is è vivis excessit, atrocissimumque bellum inter Justinianum Romanorum Imperatorem et Gotthos exarsisset, tum Gotthi Francis adulantes, eorumque amicitiam et benevolentiam quibuscumque poterant modis sibi conciliantes, et aliis multis locis ejecti sunt, et Alamanicam gentem dimiserunt. Cogendas enim sibi tum temporis undequaque vires suas putabant, subditosque, quotquot supervacanei neque admodùm opportuni viderentur, missos faciendos, quippe qui non ampliùs de principatu et gloria essent concertaturi, sed jam pro Italia ipsa, neve funditus delerentur, periculum adituri. Quocircà cum futurum periculum ipsi animis suis præcepissent et prævidissent, voluntatem suam ad necessitatem aggregarunt. Hoc itaque modo Alamanorum nationem à Gotthis dimissam in suam potestatem redegit Theodibertus; quo mortuo, ut suprà dictum est, Theodibaldo filio unà cum reliquis subditis etiam hi cesserunt. Sunt verò etiam his patria quædam instituta: in Reipublicæ verò administratione Francorum politiam sequuntur; tantùm in iis quæ ad Deum pertinent, non idem sentiunt. Arbores enim quasdam colunt, et fluminum lapsus et colles et saltus: atque his tanquam justa facientes, equos aliaque quamplurima resectis capitibus immolant. Porrò consuetudo quam cum Francis habent, ipsis conducit, in melius transferens et quodammodo pertrahens cordatiores: et brevi, uti spero, tempore hoc ipsum apud omnes evincet.....

An. Chr. 552.

Pag. 18.

Pag. 19.

Leutharis itaque et Butilinus, ubi primùm exercitus contra Romanos ducere cœperunt, magna ambo spe erecti erant, tamquam non ampliùs eo in statu mansuri. Narsetem enim exercitùs ducem ne primum quidem im-

An. Chr. 552.

petum sustinere posse credebant; omnem verò Italiam unà cum Sicilia in suam potestatem venturam. Mirari verò se Gotthos dicebant, si tantoperè homuncionem thalamo et umbratili delitiosæque vitæ assuetum, nihilque masculum et virile præ se ferentem reformidarent. Hi itaque sua gloria elati ac fastuosi, validis copiis coactis, exercituque ex Alamanis et Francis ad quinque et septuaginta strenuorum virorum millia collecto, sese ad bellum instruebant, veluti jamjam Italiam et Siciliam invasuri. Narses verò Romanorum Dux, tametsi eorum consilia non planè habebat explorata, maxima tamen utens prudentia, hostiumque conatus semper antevertere cupiens, statim oppida quædam in Tuscia, quæ adhuc in Gotthorum potestate erant, summa vi subigere statuit.....

ὑποστήσεσθαι ᾠοντο, ἅπασαν δὲ τὴν Ἰταλίαν οἰκεῖον αὐτοῖς κτῆμα ἔσεσθαι, καὶ πρός γε Σικελίαν καθέξειν. Θαυμάζειν δὲ ἔφασαν τῶν Γότθων, εἰ μάλα οὕτω πεφρίκασιν ἀνδράριόν τι θαλαμηπόλον, σκιατραφές τε καὶ ἁβροδιαίτον, καὶ πόρρω τοῦ ἀρρενωποῦ τεταγμένον. Οἱ μὲν δὴ βρενθυόμενοι τῇ σφετέρᾳ δόξῃ, καὶ ἀγέροχον ποιούμενοι τὴν παράταξιν, ἔκ τε Ἀλαμανῶν καὶ Φράγγων στράτευμα ἐς πέντε καὶ ἑβδομήκοντα χιλιάδας ἀλκίμων ἀνδρῶν ἀγειραντες, παρεσκευάζοντο τὰ πολέμια, ὡς αὐτίκα μάλα ἐς τὴν Ἰταλίαν καὶ δὴ Σικελίαν ἐμβαλοῦντες. Ναρσῆς δὲ ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς, εἰ καὶ τάδε ἐς τὸ ἀκριβὲς οὔπω ἐπέπυστο, ἀλλὰ προμηθείᾳ πλείστῃ χρώμενος, καὶ φθάνειν ἀεὶ τὰς τῶν πολεμίων ἐθέλων ὁρμὰς, αὐτίκα τὰ ἐς Τουσκίαν πολίσματα, ὑπὸ Γότθων ἔτι κατεχόμενα, ἔγνω βιαιότερον παραστήσεσθαι.....

Pag. 25.

Tum verò, temporis majore etiam temeritate elatus [Fulcaris Herulorum Dux] in Parmensem urbem excursionem fecit (erat verò jam tum Parma à Francis occupata) cùm oportuisset eum speculatores priùs emittere, qui hostium consilia accuratè explorarent, atque ita ordinatè ad res prægnitas exercitum ducere. At ille præcipitantia sola et temerario animi impetu fretus, nullo ordine Herulorum copias educens, et quotquot è Romanis legionibus eum sequebantur, concitato agmine tendebat, nihil adversi eventurum suspicatus. Quæ cùm præscivisset Butilinus Francorum Dux, in Amphitheatro quodam non procul ab urbe erecto (erat verò id destinatum iis, qui spectante populo cum bestiis decertabant) delectam è suis copiis strenuorum maximè bellicosissimorumque militum manum occultavit, maximisque insidiis dispositis, observabat exspectabatque rei bene gerendæ occasionem. Postquàm verò Fulcaris et Heruli jam intra hostes essent progressi, tum signo dato erumpentes Franci, impressioneque in eos inordinatè neglectimque euntes confertim facta, obvios promiscuè omnes gladiis trucidabant, repentina impressione perculsos, atque inopinatò velut indagine cinctos. Ægrè verò quam plurimi conscii jam quò mali venissent, ignobilem turpissimamque salutem quæsiverunt. Terga enim hostibus vertentes, concitatissimo cursu fugerunt, omnis et bellicæ virtutis et diuturnæ periculorum exerci-

Τότε δὴ οὖν καὶ μᾶλλον ἐς ἀπειροκαλίαν ὁρμένος, ἐπιδρομὴν ἐς Πάρμαν ἐποιεῖτο τὴν πόλιν· ἐτύγχανε δὲ ἡ Πάρμα ὑπὸ τῶν Φράγγων ἤδη κατεχομένη· προσῆκον δὲ αὐτὸν κατασκόπους πρότερον ἐκπέμψαι τοὺς γνωματεύσοντας ἐς τὸ ἀκριβὲς τὰ βουλεύματα τῶν πολεμίων, οὕτω τε ἐν τάξει ἐπὶ προεγνωσμένοις ἰέναι. Ὁ δὲ προπετείᾳ μόνῃ καὶ ὁρμῇ παραλόγῳ πίσυνος, ἐπαγόμενος ξὺν ἀκοσμίᾳ τὸ τῶν Ἐρούλων στράτευμα, καὶ ἄλλους ὁπόσοι ἐκ τῶν Ῥωμαικῶν εἵποντό οἱ ταγμάτων, δρομαῖος ἐχώρει, οὐδὲν ὅτι ἀντίξουν ἔσεσθαι ὑποτοπήσας. Ταῦτα δὲ προμαθὼν Βουτιλῖνος ὁ τῶν Φράγγων ἡγεμὼν, ἐς ἀμφιθεάτρόν τι οὐ πόρρω τῆς πόλεως ἱδρυμένον (ἀνεῖτο δὲ τοῦτο ἀνδράσιν, οἷς ὁ βίος θεωμένου τοῦ δήμου πρὸς θηρία διαγωνίζεσθαι) ἐνθαῦτα δὴ οὖν ἀπολεξάμενος ἐκ τῶν οἰκείων στρατοπέδων τοὺς εὐθαρσεῖς τε καὶ μαχιμωτάτους ἀπέκρυπτε, καὶ μεγίστην ἔνεδραν καταστησάμενος, ἐπεσκόπει καὶ ἀνέμενε τὸν τοῦ ἔργου καιρόν. Ἐπεὶ δὲ Φούλκαρίς τε καὶ οἱ Ἐρουλοι εἴσω τῶν πολεμίων ἐτύγχανον προελθόντες, τότε δὴ δοθέντος τοῦ ξυνθήματος ἐκδραμόντες οἱ Φράγγοι, καὶ ἐσβάλλουσιν ἀθρόον ἐς αὐτοὺς ἀτάκτως τε καὶ παρημελημένως ἰόντας, εὐθύς τε οὐδενὶ κόσμῳ τοὺς ἐν χερσὶν ἅπαντας τοῖς ξίφεσι διεχρῶντο, καταπλαγέντας τῷ αἰφνιδίῳ, καὶ ἀπροσδόκητα μονονουχὶ σεσαγηνευμένους· μόλις δὲ οἱ πλεῖστοι συναισθανόμενοι ἥσπερ ἐγεγένηντο συμφορᾶς, ἀγυνῆ καὶ αἰσχίστην ἠσπάζοντο σωτηρίαν. Παραδόντες γὰρ τὰ μετάφρενα τοῖς πολεμίοις, ἔφευγον προτροπάδην, ἀλκῆς τε ἁπάσης ἐπιλελησμένοι, καὶ τῆς χρονίας τῶν κινδύνων μελέτης.

Pag. 26.

οὕτω δὲ τοῦ στρατοῦ διαρυέντος, Φούλκαρις ὁ στρατηγὸς ἅμα τοῖς ὑπ' αὐτὸν δορυφόροις παραλέλειμμένος, χρῆναι ᾤετο μὴ ὁμοίως ἀποδιδράσκειν, ἄμεινον δράσειν θάνατον ἑλόμενος εὐκλεᾶ, ἢ τὸ ἀγεννῶς ἐπιβιῶναι. Καὶ τοίνυν εἱστήκει ὡς οἷόν τε ἦν ἀσφαλέστατα, ἐπὶ τύμβῳ τινὶ τὰ νῶτα ἐρηρεισμένος, καὶ πολλοὺς τῶν πολεμίων διέφθειρε, νῦν μὲν ἀθρόον ἐπιὼν, νῦν δὲ ἀντωπὸς ἠρέμα ἐς τὰ ὀπίσω ὑποσχαζόμενος. Ἐξὸν δὲ αὐτῷ καὶ ὡς ἔτι εὐκολώτατα ἀποδράναι, καὶ τῶν ὀπαδῶν οὕτω ποιεῖν ἀντιβολούντων, καὶ πῶς ἂν ὑποσταίην τὴν γλῶτταν, ἔφη, Ναρσοῦ μεμφομένην μοι τῆς ἀβουλίας; δεδιὼς δὴ οὖν, ὡς ἔοικε, τὴν κακηγορίαν μᾶλλον τοῦ ξίφους ἔμενε, καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀντεῖχε, καὶ οὐκ ἀνίει μαχόμενος, ἕως τῷ πλήθει ξυνειλημμένος, καὶ πολλοῖς ἀκοντίοις τὰ στέρνα βληθείς, ἤδη δὲ καὶ πελέκει τὴν κεφαλὴν κεχαραγμένος, μόλις δυσθανατῶν, ἔπεσε πρηνὴς ἐπὶ τῆς ἀσπίδος. Ἐπ' αὐτοῦ δὲ καὶ οἱ ἄλλοι χύδην ἐκτείνοντο ἅπαντες, ὅσοι δὴ ἐτύγχανον ἀμφ' αὐτὸν μεμενηκότες, τυχὸν μὲν ἐθελονταὶ, τυχὸν δὲ καὶ ὑπὸ τῶν πολεμίων εἰργόμενοι..... τούτου δὲ τοῦ πάθους γεγενημένου, τὰ μὲν τῶν Φράγγων φρονήματα ἐπῆρτο ἐπὶ μέγα καὶ ἐπερρώνυτο.

Γότθοι δὲ οἱ Λιμιλειάν τε καὶ Λιγουρίαν καὶ τὰς ἐχομένας χώρας οἰκοῦντες, οἳ δὴ πρότερον ὕπουλον μὲν καὶ οὐκ ἐλευθέραν, εἰρήνην δὲ ὅμως καὶ ὁμαιχμίαν τῷ δεδιότι μᾶλλον τῆς γνώμης, ἢ τῷ ἡδομένῳ ἐπεποίηντο, οὗτοι δὲ τότε ἀναθαρσήσαντες, καὶ ἀναφανδὸν παρασπονδήσαντες, αὐτίκα τοῖς βαρβάροις κατὰ τὸ ὁμοδίαιτον προσεχώρουν. Τὰ δὲ τῶν Ῥωμαίων στρατεύματα, ὧν δὴ Ἰωάννης τε ὁ Βουταλιανοῦ, ἥπερ μοι ἤδη ἐρρήθη, καὶ Ἀρταβάνης ἡγοῦντο, τοῦ τε Ἐρουλικοῦ ὁμίλου ὁπόσον τῇ φυγῇ διεσέσωστο, αὐτίκα ἐς Φαβέντειαν μετανέστησαν τὴν πόλιν. Ἤοντο γὰρ οἱ στρατηγοὶ, οὐ πρὸς αὐτῶν εἶναι ἀμφὶ τὴν Πάρμαν ἔτι ἱδρῦσθαι, τοῦ τε πλήθους τῶν πολεμίων αὐτοῦ ἐγερθέντος, οὐκ ὅτι παραλόγως εὐημερήσαντες, οὐκ ἔτι ἐχρῶντο τῇ τύχῃ μετρίως. Αἵ τε γὰρ πόλεις τῶν Γότθων αὐτοῖς ἀνεπετάννυντο, καὶ ἤδη φρούριον ὀχυρὸν καταλαβόντες, ἐπίδοξοι ἦσαν πασυδὶ αὐτοῖς ἐπιπεσεῖσθαι. Ταῦτα ἄρα οἱ στρατηγοὶ ὡς πλησιέστατα Ῥαβέννης ἱκέσθαι διενοήθησαν, καὶ ταύτῃ τοὺς πολεμίους ἀλέασθαι, ἐπεὶ μηδὲ ἀξιόμαχοι αὐτοῖς

A tationis obliti. Ita verò fuso exercitu, Fulcaris Herulorum præfectus solus cum satellitio suo relictus, nequaquam sibi, ut aliis, fugiendum putabat, præclariùs facturum se ratus, si gloriosa morte occumberet, quàm si parum generosè superviveret. Substitit itaque quàm potuit firmissimè, ad tumulum quemdam tergo imminens, multosque ex hostibus occidit, modò impetuosè in eos irruens, modò adversa fronte sensim retrorsùm se recipiens. B Cùm verò ei etiam sic integrum esset quàm facillimè fugam capessere, suique ut ita faceret hortarentur: *Et quo pacto*, inquit, *Narsetis linguam sustinuerim, temeritatis me insimulantem?* Convitium itaque, uti videtur, magis quàm gladium extimescens mansit, et quàm diutissimè restitit, neque destitit pugnare, donec circumfusa hostium multitudine, multisque jaculis C pectore exceptis, securi etiam capiti impacta, et jam cum morte conflictans, pronus in scutum concidit. Super hunc verò reliqui etiam quotquot ei adhæserant, ad unum omnes, sive sua sponte, sive hostili vi sunt trucidati..... Hac itaque clade Romanis illata, Francis multum animi roborisque accessit.

Gotthi verò Æmiliam et Liguriam proximaque loca incolentes, qui an- D teà infidam quidem illam et non sinceram, pacem tamen bellique societatem, metu potiùs impulsi, quàm voluntate adducti, cum Romanis inierant, animis recuperatis, fœderibusque apertè ruptis, confestim ad Barbaros, ut morum vitæque similitudine conjunctos, sese contulerunt. Copiæ verò Romanorum, quas Joannes Butaliani filius, ut anteà dixi, et Artabanes ducebant, et ex Herulis quotquot fuga evaserant, Faventiam statim sese receperunt. Censebant enim præfecti ex re sua non esse circa Par- E mam diutiùs hærere, cùm hostiles copiæ eò confluxissent, et quòd, cùm inopinatò prosperè rem gessissent, non ampliùs utebantur fortuna moderatè. Nam Gotthorum urbes ipsis adaperiebantur, et jam valido præsidio recepto, manifestè videbantur omnibus viribus impressionem in ipsos facturi. Quamobrem præfecti copiarum quàm proximè fieri posset, Ravennam concedendum putabant, eaque ratione hostium impetum declinandum, quippe qui conserendo cum ipsis prælio im-

An. Chr. 552.

Pag. 27.

An. Chr. 552.

pares essent. Hisce verò rebus Narseti nunciatis, dolebat quidem ille, molestèque ferebat Barbarorum insolentiam, et quòd Fulcaris ita subitò periisset vir non è multis et obscurus.....

ὤοντο εἶναι. Τούτων δὲ τῷ Ναρσῇ ἀπηγγελμένων, ἠσχαλε μὲν ὅγε καὶ ἐδυσφόρει ἐπὶ τῇ τῶν βαρβάρων ἀλαζονείᾳ, καὶ τῷ Φούλκαριν ἀθρόον ἀπολωλέναι, ἄνδρα οὐ τῶν ἀσήμων καὶ λανθανόντων.....

Pag. 30.

Narses itaque deinceps nequaquam ferendum ratus, Lucenses diutissimè resistere remissiùs obsessos, muro intrepidè appropinquavit..... Tum itaque qui anteà obsides fuerant, obnixiùs pro Romanis apud suos agebant; neque per ipsos stetit quominùs universa civitas ad deditionem inclinaret. Nunc verò Francorum moderatores, qui intus erant ad præsidium custodiamque urbis constituti, infestis animis eos ad pugnandum concitabant, utque armis obsidionem propulsarent. Statim itaque apertis portis repentinam in Romanos eruptionem fecerunt, existimantes se hac ratione fore superiores. Sed hi quàm minimùm hostibus erant nocituri, imò potiùs maximo se damno affecturi..... Lucenses itaque fide à Narsete accepta, quòd nequaquam ipsis præteritarum rerum causâ esset infensus, confestim urbem dediderunt, exercitumque libenter in eam admiserunt, tribus jam mensibus in obsidione consumtis.....

Ναρσῆς δὴ οὖν τὸ λοιπὸν οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι ἡγούμενος, εἰ μέλλοιεν οἱ Λουκανοὶ ἐπιπλεῖστον ἀντέχειν, οὕτω πως ἀνειμένα πολιορκούμενοι, ἐπέλαζε τοῖς τείχεσιν ἀφειδῶς..... οἱ μὲν οὖν πρότερον ὁμηρεύσαντες, τότε δὴ πλέον ἔπρασσον εἰς τοὺς Ῥωμαίους· καὶ τόγε ἐπ' ἐκείνοις, τάχιστα ἂν ἅπασα ἡ πόλις ὑπεκλίθη. Νῦν δὲ οἱ τῶν Φράγγων ἄρμοσταὶ, οἳ δὴ ἐτύγχανον ἔνδον ἐπὶ φρουρᾷ τοῦ ἄστεος ἐγκαταστάντες, ἐνέκειντο παροτρύνοντες πολεμεῖν καὶ τοῖς ὅπλοις διωθεῖσθαι τὴν πολιορκίαν. Αὐτίκα δὴ οὖν αἵ τε πύλαι ἀνεπετάννυντο, καὶ ἐπεκδρομὰς ἐξαπιναίους ἐς τοὺς Ῥωμαίους ἐποιοῦντο, ταύτῃ οἰόμενοι περιέσεσθαι. Ἀλλ' ἔμελλον οἵγε δρᾷν μὲν ἐλάχιστα τοὺς πολεμίους, μεγάλα δὲ ἡλίκα πημαίνεσθαι..... καὶ οὖν αὐτίκα [Λουκανοὶ] τὰ πιστὰ κομισάμενοι πρὸς Ναρσοῦ, ὡς οὐδὲν αὐτοῖς τῶν προγεγενημένων ἕνεκα ὀργιεῖται, τήν τε πόλιν προέδοσαν, καὶ εἰσεδέχοντο ἄσμενοι τὸν στρατὸν, τριῶν ἤδη μηνῶν ἐν τῇ πολιορκίᾳ τριβέντων.....

His igitur rebus ita compositis, Narses Ravennam recta contendit, ut exercitum illic morantem hibernatum mitteret. Vergente enim autumno, solstitio hiberno imminente, id tempus ipsi ad belligerandum aptum nequaquam videbatur: quod quidem commodum foret Francis, quibus æstus valde est inimicus et gravis, quique æstate bellum non libenter gerunt: brumæ verò tempore vegetantur validioresque fiunt, et tunc commodissimè labores ferunt. Ita enim naturaliter affecti sunt, eò quòd eorum patria frigoribus sit infesta, adeò ut eis cognatum quodammodo sit frigere. His itaque de causis protrahendum bellum et in proximum ver differendum censebat.....

Pag. 31.

Ταῦτα δὴ οὖν οὕτω καταστήσαμενος, ἠπείγετο ἰθὺ τῆς Ῥαβέννης ἰέναι, ἐφ' ᾧ τὰ ἐνταῦθα στρατεύματα ἐς τὸ διαχειμάζειν μεθήσει. Ἐπειδὴ γὰρ τὸ μετόπωρον ἤδη ἐτελεύτα, καὶ ἀμφὶ τὰς χειμερίους τροπὰς ταῦτα ἐπράσσετο, πολεμητέα μὲν οὔ οἱ ἐς ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ εἶναι ἐδόκει. Ἦ γὰρ ἂν τοῦτο ὑπὲρ τῶν Φράγγων ἔμελλεν ἔσεσθαι, οἷς γε πολέμιον μὲν τὸ πνῖγος, καὶ πλείστην ἐντίθησι δυσθυμίαν, καὶ οὐκ ἂν ποτε θέρει ἑκόντες διαμαχέσαιντο· σφριγῶσι δὲ ὑπὸ τοῦ κρύους ἀεὶ, καὶ ῥωμαλεώτατοι γίγνονται, καὶ ἥδιστα τότε διαπονοῦνται. Ἔχουσι γὰρ πρὸς τοῦτο οἰκείως τὸ δυσχείμερον πατρίδα κεκτῆσθαι, καὶ οἷον ξυγγενὲς αὐτοῖς εἶναι τὸ ψύχεσθαι. Τούτων δὴ οὖν ἕκατι διαμέλλειν ἐπειρᾶτο, καὶ ἐς νέωτα τὸν πόλεμον μεταθέσθαι.....

Intereà Aligernus Fedigerni quidem filius, frater verò Teïæ (cujus etiam anteà mentionem fecimus in obsidione Cumarum) postquàm Franci in Italiam venissent, et Gotthorum res omnes ad ipsos essent devolutæ, solus visus est quid consultum et ex re esset cognovisse, et futura prævidisse. Deliberanti enim ipsi de præsenti rerum statu, hæc cogitatio in mentem

Ἐν τούτῳ δὲ Ἀλίγερνος ὁ Φεδιγέρνου μὲν παῖς, ἀδελφὸς δὲ Τεία γεγενημένος, οὗ δὴ καὶ πρότερον ἐπεμνήσθην ἐν τῇ τῆς Κύμης πολιορκίᾳ· οὗτος δὲ Ἀλίγερνος, ἐπειδὴ οἱ Φράγγοι ἐς τὴν Ἰταλίαν παρῆσαν, καὶ ἐς αὐτοὺς ἤδη τὰ τῶν Γότθων πράγματα μετεχώρει, μόνος γε πέφηνε τότε συνεὶς τὸ ξυνοῖσον, καὶ στοχαζόμενος τῶν μελλόντων. Βουλευομένῳ γὰρ αὐτῷ περὶ τῶν παρόντων, προσῆλθεν ἐννοεῖν,

ἐννοεῖν, ὡς ἄρ' οἱ Φράγγοι σκῆψιν μέν τινα καὶ προκάλυμμα εὐπρεπὲς τὸ τῆς ξυμμαχίας ὄνομα πριῶνται, ὡς δὴ μετᾶκλητοι ἀφιγμένοι· τὸ δὲ βουλόμενον αὐτῶν τῆς γνώμης ἕτερόν τι φανεῖται. Οὐ γὰρ ἐθελήσουσιν εἰ καὶ τῶν Ῥωμαίων περιέσοιντο, παραχωρῆσαι τοῖς Γότθοις τῆς Ἰταλίας, ἀλλ' ἔργῳ προτέρους ἐκείνους καταδουλώσονται, οἷς τῷ λόγῳ ἤκουσιν ἐπαμυνοῦντες, ἄρχοντάς τε αὐτοῖς ἐπιστήσουσι Φράγγους, καὶ ἀφαιρήσονται τῶν πατρίων νόμων αὐτούς. Ταῦτα δὴ οὖν ἐν ἑαυτῷ θαμὰ λογιζόμενος καὶ ἀνελίττων, ἅμα καὶ τῇ πολιορκίᾳ πιεζόμενος, ἄμεινόν οἱ κατεφάνη, τήν γε πόλιν καὶ τὰ χρήματα τῷ Ναρσῇ παραδοῦναι. . . . . .

Τὸν δὲ Ἀλίγερνον εἰς Κιοσσήνην τὴν πόλιν ἀπέπεμπεν, εἰρημένον αὐτῷ, ἐπειδὰν αὐτόσε ἀφίκηται, ἀναβάντα ἐς τὸ τεῖχος, ὑπερκύπτειν ἀναφανδὸν ὡς ἅπασιν ὅστις εἴη διαγνωσθῆναι. Προσέταττε δὲ ταῦτα, ὅπως δὴ οἱ Φράγγοι (ἐνθένδε γὰρ διαβήσεσθαι ἔμελλον) θεάσαιντό τε αὐτὸν αὐτομολήσαντα, καὶ ἀπαγορεύσαιεν τῇ ἐπὶ τὴν Κύμην πορείᾳ, καὶ τῇ τῶν χρημάτων ἐλπίδι, ἴσως δὲ καὶ παντὶ τῷ πολέμῳ, ὡς ἤδη ἁπάντων προκατειλημμένων. Καὶ ὁ μὲν ἐπειδὴ παριόντας ἑώρα τοὺς Φράγγους, ἐπεκερτόμει τε αὐτοὺς ἐκ τοῦ μετεώρου, καὶ ἐπέσκωπτεν, ὡς μάτην τολοιπὸν ἐπειγομένους, καὶ κατόπιν ἥκοντας τῶν πραγμάτων τοῦ τε πλούτου παντὸς ὑπὸ Ῥωμαίων κατεχομένου, καὶ αὐτῶν γε δὴ τῶν παρασήμων, τῆς Γοτθικῆς ἡγεμονίας· ὡς εἴ γε καί τις τολοιπὸν βασιλεὺς τῶν Γότθων ἀναδειχθείη, μὴ ἔχειν ὅτῳ ἀρίδηλος εἴη καὶ ἐπίτιμος, ἀλλ' ἀμφιέννυσθαι μόνην στρατιωτικὴν ἐφεστρίδα, καὶ ἰδιωτεύειν τῷ σχήματι. Οἱ δὲ Φράγγοι ἐφύβριζον μὲν ἐς αὐτὸν καὶ ἐλοιδοροῦντο, καὶ προδότην ἐπεκάλουν τοῦ γένους· καί πως ἀμφίδοξοι ἐγίγνοντο ἐπὶ τοῖς παροῦσιν, ὡς καὶ βουλεύεσθαι εἰ πολεμητέα. Ἐνίκα δὲ ὅμως τὸ μὴ μεταμέλειν αὐτοῖς, ἀλλ' ἐφ' ἃ ὥρμηντο τὴν ἀρχήν, καὶ δὴ ἐπὶ ταῦτα ἰέναι. Ἐν τούτῳ δὲ ὁ Ναρσῆς τῇ Ῥαβέννῃ ἐπιστὰς, καὶ τοῖς ἐνταῦθα στρατεύμασιν ὁμιλήσας, καὶ πάντα ἐν δέοντι καταστησάμενος, ἐς Ἀριμηνὸν ἐχώρει τὴν πόλιν..... ἐφ' ᾧ ἅπαντας χρυσίῳ φιλοφρονησάμενος, βεβαίους ἐς ὅτι μάλιστα ἔχοι ξυμμάχους.

Ἐν τούτοις δὲ αὐτοῦ διημερεύοντος, ἄνδρες τῶν Φράγγων ἐς δισχιλίους ἀναμὶξ πεζοὶ καὶ ἱππόται, οἳ δὴ ἐτύγχανον ἐς ἁρπαγάς τε καὶ λεηλασίας

A venit, Francos speciosum quidem titulum ac prætextum captare societatis bellicæ cum Gotthis initæ; quippe qui acciti venissent : quod verò animis suis agitabant, aliud quiddam reipsa appariturum : illos enim, etiamsi Romanis superiores evaderent, Gotthis Italiâ non cessuros; sed reipsa primis illis subactis, quibus suppetias verbis laturi venerant, Francos Principes eis imposituros, patriisque legibus eos esse spoliaturos. Hæc itaque B cùm frequenter secum reputaret et cum animo suo revolveret, simulque obsidione premeretur, consultissimum fore judicavit, si * urbem cum pecuniis omnibus Narseti traderet.....

An. Ch 552.

* Cumas.

Aligernum Narses ad Cæsenem urbem ire jussit cum mandatis, ut cùm eò venisset, conscenso muro urbis, manifestè elato capite prospiceret, ita ut ab omnibus quis esset dignosci posset. Quod ipsum eo consilio man- C darat, ut Franci, qui illac erant transituri, eum sua sponte ad Romanos transisse cernerent, et de expeditione in Cumas, pecuniæque spe animum abjicerent; vel fortè de totius belli summa, utpotè locis omnibus opportunis jam præoccupatis, desperarent. Atque Aligernus quidem Francos prætereuntes conspicatus, contumeliis verborum eos è sublimi muro excipiebat et subsannabat, ut frustrà deinceps festinantes, et post res gestas venientes, D cùm pecunia omnis in Romanorum potestatem venisset, atque adeò ipsa etiam Gotthici principatûs insignia : ita ut si quis etiam in posterum Rex Gotthorum declararetur, non haberet quo spectabilior honoratiorque esset, militari tantùm veste indutus, ipsoque habitu privatum hominem præ se ferens. Franci verò contrà ei conviciabantur, eum gentis suæ proditorem appellantes: et de statu rerum ambigebant, adeò ut, an bellum ultrà gerendum E sibi esset, deliberarent. Vicit tamen ea sententia, desistendum non esse, quin potiùs urgendum institutum. Intereà Narses Ravennæ subsistens, atque inter copias quæ ibi erant versatus, rebus omnibus rectè constitutis, Ariminum concessit..... ut omnibus liberaliter auro donatis, firmissimos belli socios haberet.

Pag. 32.

Pag. 33.

Hisce rebus occupato Narsete, Franci ad duo millia mixtim peditum et equitum, qui à suis præfectis ad vastandum et deprædandum agrum

An. Ch. 552.

erant emissi, cùm jam urbi appropinquassent, agros vastabant, boves aratores abigebant, omniaque promiscuè agebant ac ferebant, aspiciente Narsete: sedebat enim ipse in sublimi quadam pergula, unde in campum erat prospectus. Is itaque turpe parumque generosum ratus, nisi ex re præsenti vim propulsaret, confestim urbe exit, conscenso equo qui habenis audientissimus esset ac ferox, quique non solùm compositè prosilire et saltare nosset, sed etiam impetum in hostem facere, ac retrò ferri usu multo esset edoctus: et è comitatu suo quotquot rei bellicæ non omninò erant imperiti, sequi se jussit; qui quidem in equos insilientes (erant verò viri trecenti) eum sequuti, recta in hostem contenderunt. Tum hi eos irruentes conspicati, non jam palantes sparsim vagabantur, neque arbitror præda potiebantur; sed protinùs sese equites peditesque congregarunt, et in unum agmen composuerunt, non quidem illud densum (quî enim fieri poterat, cùm non admodùm multi eò venissent?) validum tamen, cùm scutatos inter se confertos equitum alæ cingerent. Romani verò cùm jam intra teli jactum pervenissent, manus quidem conserendas et confligendum cum hostibus instructa acie stantibus nequaquam censebant: sagittis verò et jaculis velitantes, primam aciem labefactare, frontisque densitatem diffringere conabantur. At illi cùm inter se scutis optimè essent constipati, firmi immotique stabant, nulla ex parte aciei densitatem divellentes; siquidem et densam quamdam silvam nacti, arboribus tamquam vallo utebantur. Jam verò etiam et telorum jactu se tuebantur, quæ patria ipsorum lingua ἄγγωνες vocantur. Cùm itaque nihil damni acciperent, Narses omnia secum reputans, barbarum quoddam stratagema et Hunnis magis usitatum excogitavit. Jussit enim suos terga vertentes retrorsùm concitatiùs ferri, veluti timore perculsos fugamque capessentes, ut scilicet ea ratione Barbari quàm remotissimè è silva in apertum campum evocarentur: reliqua enim sibi curæ fore dixit. Atque hi quidem, ut mandatum eis erat, fugam arripuerunt: Franci verò fuga decepti, et verum timorem esse rati, confestim animis pleni aciem solvunt, silvaque egressi, fugientes acriter insequuntur. Ac primi

Pag. 34.

A τῆς χώρας ὑπὸ τῶν σφετέρων ἡγεμόνων σταλέντες, οὗτοι δὲ ἀγχοῦ τῆς πόλεως γεγενημένοι, τούς τε ἀγροὺς ἐσίνοντο, καὶ τοὺς βόας εἵλκον τοὺς ἀροτῆρας, καὶ ἅπαντα ἔφερον ἀνέδην, ὡς καὶ αὐτὸν δήπου τὸν Ναρσῆν ἐπιῤῥάσασθαι τὰ ποιούμενα· ἦστο γὰρ ἐς ὑπερῷόν τι δωμάτιον ἐν περιωπῇ τοῦ πεδίου. Αὐτίκα δὴ οὖν, αἰσχρὸν γάρ τι καὶ ἀγενὲς ᾤετο εἶναι τὸ μὴ οὐχὶ ἐκ τῶν παρόντων ἀμύνασθαι, ὑπεξῄει τοῦ ἄστεος, ἵππου ἐπιβὰς εὐηνιωτάτου καὶ ἀγρεώχου, καὶ οἷου οὐκ ἄτακτα ἐξάλλεσθαι καὶ σκιρ-
B τᾶν, ἀλλὰ τάς τε ἐπελάσεις καὶ ἀναστροφὰς τῇ πείρᾳ πεπαιδευμένου· ἀλλὰ γὰρ καὶ τῶν ἀμφ' αὐτὸν τοὺς ὁπόσοι οὐ πάμπαν ἀγνῶτες τὰ πολέμια ἦσαν, ἕπεσθαί οἱ ἐκέλευε. Καὶ οἱ μὲν ἐς τοὺς ἵππους ἀναθορόντες (ἦσαν δὲ ἄνδρες ἐς τοὺς τριακοσίους) ἐφωμάρτουν τε καὶ ἐπήλαυνον ἰθὺ τῶν πολεμίων. Οἱ δὲ ἐσιδόντες αὐτοὺς ἐπιόντας, σποράδην μὲν οὐκ ἔτι ἠλῶντο, οὐδὲ οἷμαι τῆς λείας ἐγίγνοντο· ἠθροίζοντο δὲ ἐπὶ σφᾶς ἅπαντες,
C τό τε ἱππικὸν καὶ οἱ πεζοὶ, καὶ ἐς φάλαγγα ξυνετάττοντο, βαθεῖαν μὲν οὔτι μάλα (πῶς γὰρ οἷόν τε ἦν οὐ σφόδρα πολλῶν αὐτοῦ ἀφιγμένων;) καρτερὰν δὲ ὅμως τῷ συνασπισμῷ καὶ τῷ τὰ κέρα ἐν κόσμῳ συνενευκέναι. Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι ἐπειδὴ ἐς τόξου γε ἤδη βολὴν ἐγεγένηντο, ἐμμίξαι μὲν καὶ συῤῥάξαι τοῖς πολεμίοις εὖ παρατεταγμένοις, ἥκιστα ᾤοντο χρῆναι, τοξεύμασι δὲ καὶ ἀκοντίσμασιν ἀκροβολιζόμενοι, ἐπειρῶντο
D σφῆλαι τοὺς πρωτοστάτας, καὶ διαῤῥῆξαι τὴν πύκνωσιν τοῦ μετώπου. Ἀλλ' ἐκεῖνοι ταῖς ἀσπίσιν ἄριστα πεφραγμένοι, ἵσταντο ἀστεμφεῖς καὶ ἀδόνητοι, οὐδαμοῦ τὸ συνεχὲς τῆς τάξεως διασπῶντες· ἐπεὶ καὶ ὕλης τινὸς λασίας κυρήσαντες, ὥσπερ ἐρύματι τοῖς δένδροις ἐχρῶντο. Ἤδη δὲ καὶ τοῖς ἄγγωσιν ἠμύνοντο βάλλοντες· οὕτω γὰρ αὐτοῖς τὰ ἐπιχώρια δόρατα ἐπωνόμασται. Ὡς δὲ οὐδὲν
E ἐπημαίνοντο, διαλογισάμενος ἅπαντα ὁ Ναρσῆς, βαρβαρικήν τινα στρατηγίαν, καὶ μᾶλλον τοῖς Οὔννοις μεμελετημένην ἐμηχανᾶτο. Ἐκέλευε γὰρ τοὺς ἀμφ' αὐτὸν στρέψαντας τα νῶτα, ἐς τὰ ὀπίσω ἀναχωρεῖν προτροπάδην, ὡς δὴ δεδιότας καὶ φεύγοντας, καὶ ἐκκαλεῖσθαι τοὺς βαρβάρους ὡς ἀπωτάτω τῆς νάπης ἀνὰ τὰ ψιλὰ τοῦ πεδίου· αὐτῷ γὰρ τὰ λοιπὰ ἔφη μελήσειν. Καὶ οἱ μὲν κατὰ ταῦτα ἐποίουν, καὶ ἔφυγον· οἱ δὲ Φράγγοι τῇ φυγῇ ἐξηπατημένοι, καὶ ἀληθὲς τὸ δέος εἶναι ὑποτοπήσαντες, αὐτίκα θαῤῥαλέοι τήν τε φάλαγγα διέλυσαν, καὶ τῆς ὕλης ὑπεκβάντες, ἐς τὴν δίωξιν ἠπείγοντο. Καὶ πρῶτοι

μὲν ἐξέθεον οἱ ἱππόται, εἵποντο δὲ καὶ τῶν πεζῶν ὁπόσοι ἀλκιμώτατοι καὶ ποδώκεις· καὶ ἅπαντες ἀφειδῶς ἐνέκειντο, ὡς αὐτὸν δή που τὸν Ναρσῆν αὐτίκα μάλα ζωγρήσοντες, καὶ πόνῳ ξὺν βραχεῖ πέρας εὐκτὸν ἐπιθήσοντες ἅπαντι τῷ πολέμῳ. Καὶ οἱ μὲν εὐκοσμίας ἁπάσης ἐπιλελησμένοι, χύδην τε καὶ ἀφύλακτα ἐχώρουν, γεγηθότες καὶ εὐωχούμενοι τῆς ἐλπίδος. Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι ἀνὰ τὰ πρόσω ἐφέροντο ἀφειμένοις τοῖς ἵπποις· Φαίης τε ἂν αὐτοὺς ἔργῳ τρέσαντας ἀλεείνειν, οὕτω δὴ ἐγγύτατα τοῦ ἀληθοῦς τὸ δεδιέναι ὑπεκρίνοντο. Ἐπεὶ δὲ οἱ βάρβαροι ἐν γυμνῷ ἤδη τῷ πεδίῳ ἐσκεδάννυντο, τῆς ὕλης ὡς πορρώτατω ἀποσπασθέντες, τότε δὴ ἀθρόον (τοῦ στρατηγοῦ σημήναντος) ἐπιστρέψαντες οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς ἵππους, καὶ ἐς τἀναντία σφᾶς αὐτοὺς ἐξελίξαντες, ὑπηντίαζον τοῖς διώκουσιν ἀντιμέτωποι, καὶ ἅπαντας τῷ ἀπροσδοκήτῳ καταπεπληγμένους ἔπαιον ἀφειδῶς καὶ ἀντώθουν, καὶ ἐς παλίωξιν τὰ τῆς φυγῆς μετεχώρει. Οἱ μὲν οὖν ἱππόται τῶν βαρβάρων ξυναισθόμενοι τοῦ περιστάντος κινδύνου, καὶ τάχιστα ἐκδραμόντες ἀνὰ τὴν ὕλην αὖθις καὶ τὸ σφῶν στρατόπεδον, ἅσμενοι ἀπεσώζοντο· οἱ δὲ πεζοὶ ἐκτείνοντο ἀκλεῶς, μηδὲ χεῖρα κινεῖν ὑποστάντες, ἀλλὰ τῷ παραλόγῳ τῆς μεταβολῆς τεθηπότες, καὶ οἷον παράφρονες γεγενημένοι. Ἅπαντες τοιγαροῦν ἔκειντο σποράδην, ὥσπερ ἀμέλει ὑῶν ἢ προβάτων ἀγέλη οἰκτρότατα διαφθαρέντων. Ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνοι ἀνήρηντο οἱ ἄριστοι ἄνδρες, πλείους ὄντες ἢ ἐννακόσιοι, αὐτίκα οἱ ἄλλοι ἀπεχώρουν καὶ μετανίσταντο, καὶ ἐπὶ τοὺς σφετέρους ἡγεμόνας ἐπανῆεσαν, ὡς οὐκέτι αὐτοῖς ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἐσόμενον τοῦ λοιποῦ τοῦ πλήθους ἀποκεκρίσθαι. Ναρσῆς δὲ αὖθις ἐς Ῥάβενναν ἀφικόμενος, καὶ ἅπαντα τὰ τῇδε ἄριστα διαθεὶς, ἀνὰ τὴν Ῥώμην ἐχώρει, καὶ αὐτοῦ διεχείμαζεν.

A quidem evolarunt equites, sequebantur verò ex peditibus quotquot robore et pedum celeritate maximè valebant; omnesque acerrimè rem urgebant, tamquam Narsetem ipsum jamjam vivum capturi, et nullo ferè negotio optatum finem toti bello imposituri. Atque hi quidem ordinis omnis obliti, sparsim nihilque sibi caventes procurrebant, gaudentes bonaque spe sese oblectantes. Romani verò effusis habenis ad anteriora ferebantnr; diceres certè eos re ipsa formidantes fugere; adeò proximè vero pavorem simulabant. Posteaquàm Barbari jam per nudum campum dispersi, quàm longissimè à silva essent avulsi, tum confestim signo per Narsetem dato, Romani conversis equis in adversos sese explicantes, persequentibus in frontem occurrerunt; et universos inopinata re perculsos cæsim punctimque feriebant repellebantque; atque ita fuga ipsis in persecutionem vice versa cessit. Equites itaque Barbarorum non ignari quo in periculo versarentur, quàm celerrimè ad silvam reliquasque copias refugientes, salutem sibi strenua fuga quæsierunt: pedites verò turpiter cæsi sunt, cùm ne manum quidem movere possent, inopinata vicissitudine consternati, et quodammodo mente capti. Omnes itaque sparsim jacebant, veluti suum aut ovium greges, miserandum in modum trucidati. Cæsis his fortissimis viris suprà nongentos, reliqui confestim tergis versis ad suos sese duces receperunt, ut non priùs in tuto futuri, quàm se reliquo exercitui conjunxissent. Narses verò Ravennam reversus, rebusque omnibus eò loci rectissimè constitutis, Romam se contulit, ibique hibernavit.

An. Chr. 552.

EX LIBRO II.

Ἤδη δὲ τοῦ ἦρος ἐπιγινομένου, ἐνταῦθα κατὰ τὸ προστεταγμένον ξυνεκροτοῦντο αἱ δυνάμεις, καὶ ἅπαντα ἤθροιστο τὰ στρατεύματα. Ναρσῆς δὲ ἐξασκεῖν γε ἐπιπλεῖον αὐτοὺς ἐκέλευε τὰ πολέμια, καὶ ἐπερρώννυε τὸν θυμὸν ταῖς καθημέραν μελέταις, τροχάζειν τε ἀναγκάζων, καὶ ὑπὲρ τῶν ἵππων ἐν κόσμῳ ἀναπάλλεσθαι, ἔς τε πυρρίχην τινὰ ἐνόπλιον περιδινεῖσθαι, καὶ θαμεῖ τῇ σάλπιγγι καταβομβεῖσθαι τὸ ἐνυάλιον ἐπηχούσῃ, ὡς μὴ πάμπαν τῷ ἀνειμένως διαχειμάζειν ἐπιλελησμένοι τοῦ πολέμου, εἶτα δὴ ἐν αὐτῷ τῷ ἀγῶνι μαλθακισθεῖεν. Ἐν τούτῳ δὲ οἱ

Ineunte autem vere, exercitus ibi prout statutum erat instaurabatur, copiæque omnes in unum cogebantur. Narses verò eos accuratè res bellicas condocefieri jussit, animosque quotidiana exercitatione roborabat, eos in gyrum se versare cogens, agiliterque in equos insilire, et in modum armatæ saltationis pyrrichæ circumagi: assiduèque tuba classicum canente personari jussit, ne omninò ex remissiore hibernatione obliti bellorum, in ipso prælio languescerent. Intereà * Barbari

Pag. 35. An. Chr. 553.

* Franci.

An. Chr. 553.

lentiùs procedentes, loca per quæ transibant omnia depopulabantur et vastabant: Romam verò locaque urbi circumjecta longissimè transgressi, ulteriùs tendebant; à dextra quidem Tyrrhenum mare, à sinistra autem Ionici sinûs littora protensa habentes.

Pag. 36.

Postquam verò Samnium (locum ita dictum) venissent, tum partitis copiis, Butilinus quidem cum majore validioreque exercitûs parte Tyrrhenum littus legebat, et totam ferè Campaniam deprædabatur: quin et Lucaniam, et Brutios deinde invasit, et ad fretum usque, quod Siciliam insulam et fines Italiæ dirimit, pervenit. Leutharis verò reliquas copias ducens, Apuliam et Calabriam infestabat, Hydruntem usque progressus, quæ quidem urbs in littore Adriatici maris est sita, unde Ionius sinus initium habet. Quotquot itaque eorum Franci erant indigenæ, multam reverentiam pietatemque circa templa exercebant, utpotè rectam de Deo sententiam amplexi, ut suprà dixi, eademque ac Romani sacra colentes. Alamanica verò gens universa (aliter enim hi circa religionem sunt affecti) templa irreverenter diripiebant, suisque ornamentis spoliabant, multas quidem amulas sacras, sive vasa lustralia, et aspergilla ex puro auro, quam plurimos etiam calices et acerras, et quæcumque mysticis ceremoniis peragendis erant consecrata, spoliantes, propriis suis possessionibus adscribebant. Sed ne his quidem rebus contenti, tecta ipsa sacrorum templorum diruebant, et fundamenta subvertebant: cruoreque et sanie delubra circumfluebant, arva etiam segetesque polluebantur, cùm passim cadavera insepulta jacerent.

Sed non multò pòst divina vindicta est subsecuta: alii enim bello, alii morbo perierunt, neque quisquam eorum priori spe potitus est. Injustitia enim et Dei contemtus, fugienda quidem semper et noxia sunt, præcipuè verò in præliis et conflictibus. Patriam enim patriaque instituta propugnare, eaque pessumdare molientibus obsistere, omnibusque eos viribus propulsare, æquum sanè fuerit valdeque generosum. Qui verò lucri causâ et hostilitate, quæ nullâ justâ causâ nitatur, aliena invadunt, eos à quibus nulla injuria sunt provocati infestantes, hi certè vesani impiique fuerint; neque quid jus ac fas sit norunt, neque iis

βάρβαροι σχολαίτερον πορευόμενοι, τὰ ἐν ποσὶν ἅπαντα ἐδῄουν καὶ ἐλυμαίνοντο· ὑπερβάντες δὲ ὡς ἀνωτάτω Ῥώμην τε τὴν πόλιν καὶ ἅπασαν τὴν περιοικίδα, ἦσαν ἀνὰ τὰ πρόσω, ἐν δεξιᾷ μὲν ἔχοντες τὰ Τυρσηνικὰ πελάγη, ἐπὶ θάτερα δὲ αὐτοῖς παρετέταντο τοῦ Ἰονίου κόλπου ῥηγμῖνες. Ἐπεὶ δὲ ἐς Σάμνιον (τὴν χώραν οὕτω καλουμένην) ἀφίκοντο, ἐνταῦθα διεκρίθησαν ἐφ' ἑκατέραν πορείαν· καὶ Βουτιλῖνος μὲν ἅμα τῷ πλείονι καὶ ἀλκιμωτάτῳ στρατῷ, ἀνὰ τὰς Τυρσηνικὰς ἠιόνας ἐχώρει, καὶ Καμπανίας τε τὰ πλεῖστα ἐληίσατο· καὶ μὲν δὴ καὶ Λευκανίας ἐπέβη, καὶ εἶτα Βρεττίαν προσέβαλλε, καὶ μέχρι τοῦ πορθμοῦ προῆλθεν, ὃς δὴ Σικελίαν τε τὴν νῆσον καὶ τὸ τέρμα τῆς Ἰταλίας ἀποκρίνει. Λεύθαρις δὲ τὰ λοιπὰ στρατεύματα ἐπαγόμενος, Ἀπουληίαν ἤλαχε σίνεσθαι καὶ Καλαβρίαν, καὶ ἕως Ὑδροῦντος τῆς πόλεως ἵκετο, ἥ δὴ ἐπὶ τῷ αἰγιαλῷ ἵδρυται τῆς Ἀδριάδος θαλάττης, ὅθεν ὁ Ἰόνιος ἄρχεται κόλπος. Ὅσοι μὲν οὖν αὐτῶν Φράγγοι ἰθαγενεῖς ἐτύγχανον ὄντες, οὗτοι δὲ φειδοῖ πολλῇ ἀμφὶ τὰ ἱερὰ καὶ εὐλαβείᾳ ἐχρῶντο, ἅτε δὴ τὰ ὀρθὰ καὶ ἃ τοῦ κρείττονος πέρι νόμιμα προσιέμενοι (ἥπερ μοὶ ἤδη ἐῤῥήθη) καὶ παραπλήσια τοῖς Ῥωμαίοις ἱερουργοῦντες. Τὸ δὲ Ἀλαμανικὸν ἅπαν, (ἕτερα γὰρ ἐκείνοις ἐς τοῦτο δοκεῖ) ἐδῄουν τοὺς νεὼς ἀφειδῶς καὶ ἀπηγλάϊζον· πολλὰς μὲν γὰρ κάλπεις ἱερὰς, πολλὰ δὲ περιῤῥαντήρια πάγχρυσα, συχνὰ δὲ κύπελα καὶ κανᾶ, καὶ ὅσα ταῖς μυστικαῖς ἁγιστείαις ἀνεῖται, ταῦτα δὲ ἀφαιρούμενοι, ἅπαντα οἰκεῖα κτήματα ἐποιοῦντο. Τοῖς δὲ οὐδὲ ταῦτα ἀπέχρη, ἀλλὰ τάς τε ὀροφὰς τῶν ἱερῶν ἀνακτόρων κατέβαλλον, καὶ τὰς κρηπίδας ἀνεκίνουν· λύθρῳ τε τὰ τε μένη περιερῥεῖτο, καὶ τὰ λήϊα ἐμιαίνετο, πολλαχοῦ νεκρῶν ἀτάφων περιερῥιμμένων,

Ἀλλ' οὐκ ἐς μακρὰν αὐτοὺς τὰ ἐνθένδε μετῆλθε μηνίματα· οἱ μὲν γὰρ πολέμῳ, τὸ δέ τι αὐτῶν νόσῳ διεφθάρη, καὶ οὐδεὶς ὅστις ἀπώνατο τῆς προτέρας ἐλπίδος· ἀδικία γὰρ καὶ Θεοῦ ἀθεραπευσία, φευκτὰ μὲν ἀεὶ καὶ ἀσύμφορα, μάλιστα δὲ ἐν τῷ προσπολεμεῖν καὶ παρατάττεσθαι. Πατρίδι μὲν γὰρ ἐπαρήγειν καὶ νόμοις πατρίοις καὶ τοῖς ταῦτα λυμαινομένοις ἥκιστα ἐφιέναι, ἀλλὰ παντὶ σθένει ἀμύνεσθαι, ὅσιόν τι ἂν εἴη καὶ μάλα γενναῖον. Ὅσοι δὲ κέρδους ἕκατι καὶ δυσμενείας ἀλόγου μηδὲν ἐπίκλημα ἔνδικον ἔχοντες. ἔπειτα φοιτῶσιν ἀνὰ τὴν ὀθνείαν, τοὺς μηδὲν ἠδικηκότας σινόμενοι, οὗτοι δὲ ἀλαζόνες εἰσὶ καὶ ἀτάσθαλοι, οὔτε θέμιν εἰδότες οὔτε μέλον αὐτοῖς

εἰ τὸ θεῖον νεμεσᾷ τοῖς γιγνομένοις. Τοιγάρτοι ποιναί γε αὐτοὺς μετίασιν ἀκριβεῖς, καὶ σφισιν ἐς ἀνηκεστοὺς συμφορὰς τὰ πράγματα τελευτῶσιν, εἰ καὶ ἐπὶ βραχὺ εὐημερεῖν νομισθεῖεν. Ὁποῖα καὶ τότε τοῖς ἀμφὶ Λεύθαρίν τε καὶ Βουτιλῖνον βαρβάροις ξυνέβη. Ἐπεὶ γὰρ ταῦτα ἔδρασαν, καὶ πολύ τι λαφύρων περιεβάλοντο χρῆμα, ἤδη τε τὸ ἔαρ παρωχήκει, καὶ ἡ τοῦ θέρους ἥκμαζεν ὥρα, Λευθαρίῳ μὲν θατέρῳ τῶν ἡγεμόνων βουλομένῳ ἦν οἴκαδε ἀπονοστῆσαι, καὶ τοῦ ὅλβου ἐμπιπλᾶσθαι· ἔστειλε δὲ καὶ ὡς τὸν ἀδελφὸν ἀγγελιαφόρους, παρακελευόμενος καὶ τόνδε ὡς τάχιστα ἐπανιέναι χαίρειν εἰπόντα τῷ πολέμῳ, καὶ τῇ ἀδήλῳ τύχῃ τῶν ἐσομένων. Βουτιλῖνος δὲ καὶ ὁμωμόκει τῷ Γότθῳ, ἢ μὴν ξυνάρασθαι αὐτοῖς τὸν πρὸς Ῥωμαίους ἀγῶνα· καὶ ὅτι αὐτὸν ἐκεῖνοι ἐθώπευον βασιλέα σφῶν ἀναδείξειν, ὡς ἐπιθρυλλεῖτο, ἐδόκει οἱ μενετέα εἶναι, καὶ τὰ ξυγκείμενα διανυστέον· καὶ ὁ μὲν τούτων δὴ ἕνεκεν ἔμενέ τε αὐτοῦ, καὶ τὰ εἰς τὸν πόλεμον ἐξηρτύετο. Λεύθαρις δὲ ἅμα τῇ ἀμφ' αὐτὸν δυνάμει εὐθὺς ἀπεχώρει· βεβουλευμένον αὐτῳ, ἐπειδὰν ἀσφαλέστατα τὴν λείαν διακομίσῃ, καὶ οἴκαδε ἵκηται, τότε δὴ ἐς τὸν ἀδελφὸν στεῖλαι τὸ στράτευμα ξυλληψόμενον αὐτῷ τοῦ κινδύνου. Ἀλλ' οὔτε ἐκείνῳ ἐς τέλος ἀπέβη τὰ δοκηθέντα, τῷ τε ἀδελφῷ οὐ μάλα ἤρκεσεν ἐπαμύναι. Ἤδη γὰρ αὐτῷ ἀνὰ τὴν πορείαν ἐπανερχομένῳ, μέχρι μὲν * πυκνῆς τῆς χώρας οὐδὲν ὅτι ἀντίπαλον ξυννενέχθη. Ὡς δὲ ἐνταῦθα ὁδῷ ἰὼν ἐγεγόνει, αὐτὸς μὲν περὶ τὴν Φᾶνον ἐστρατοπεδεύετο τὴν πόλιν· ἔστειλε δὲ εὐθὺς, ὥσπερ εἰώθει, προφύλακας καὶ διοπτῆρας ἄνδρας ἐς τρισχιλίους, οὐ μόνον ἐπισκεψομένους τὰ πρόσω, ἀλλὰ γὰρ καὶ εἴ που πολέμιοι φανεῖεν, ἀμυνομένους.

Ἀρταβάνης δὲ καὶ Οὐλδάχης ὁ Οὖννος, ἐτύγχανον γὰρ ἅμα στρατεύματι Ῥωμαϊκῷ τε καὶ Οὐννικῷ εἰς Πίσαυρον τὴν πόλιν ξυνειλεγμένοι, καὶ ἐφεδρεύοντες τῇ παρόδῳ, οὗτοι δὲ οὖν ἐπειδὴ ἐκείνους τοὺς προπορευτὰς ἐθεάσαντο ἐν αὐτῷ δὴ τῷ αἰγιαλῷ τοῦ Ἰονικοῦ κόλπου καὶ τῇ κροκάλῃ πορευομένους, ὑπεκβάντες τοῦ ἄστεος, ἐσβάλλουσιν ἀθρόον ἐς αὐτοὺς εὖ μάλα παρατεταγμένοι, καὶ πολλοὺς μὲν τοῖς ξίφεσι παίοντες διεχρῶντο· ἔνιοι δὲ αὐτῶν ὑπὲρ τὸ κρημνῶδες καὶ ἀπερρωγὸς τῆς ἠιόνος ἀναβάντες, ἔπειτα κατὰ τοῦ πρανοῦς ὑποφερόμενοι, καὶ ἐς τὴν θάλασσαν κατωκάρα ἐκπίπτοντες, ἀπώλλυντο, ἐμφορούμενοι τοῦ ῥοθίου. Ἐπῆρται γάρ πως ἐνταῦθα ἡ ἀκτὴ, καὶ ὥσπερ γεώλοφόν τι ἀποτελεῖ οὐ πανταχόθεν βατόν τε καὶ εὐεπίδρομον, οὐδὲ οἷον

curæ est an Deus maleficiis offendatur. Idcircò acerrimæ eos pœnæ manent, resque ipsis in extremas atque irremediabiles calamitates desinunt, tametsi ad breve aliquod tempus prosperè rem gerere videantur. Ac talia quidem etiam tunc Leutharim Butilinumque sectantibus copiis evenere. Nam hi, rebus hisce perpetratis, cùm jam ingentem spoliorum vim coacervassent, et jam præterlapso vere vigeret æstas; alteri quidem ducum, Leuthari videlicet, in animo erat domum reverti, et opimis spoliis suis frui: nuntiisque ad fratrem suum missis, eum etiam ad domuitionem hortabatur, bello et incertis rerum futurarum eventibus valere jussis. Butilinus verò etiam jurejurando se Gottho obstrinxerat, se prælium adversùs Romanos cum ipsis facturum: cùmque illi per assentationem spargerent sese eum regem ipsorum designaturum, manendum sibi apud illos censuit, et se ad bellum instruxit. Leutharis verò cum suis copiis statim discessit: eo consilio ut postquàm prædam omnem quam tutissimè avexisset, domumque venisset, tum exercitum fratri suo suppetias laturum mitteret. Sed ne ipsi quidem consilia sua ex animi sententia successerunt, neque fratri suo valde auxiliari potuit. Nam ipsi jam iter domum versùs ingresso, nihil quidem adversi ad Picenum agrum usque accidit: cùm autem eò progressus pervenisset, ipse quidem circa Fanum urbem castra metatus est, emissis etiam statim suo more præcursoribus et speculatoribus ad tria hominum millia, qui non solùm anteriora loca explorarent, sed sicubi hostes comparerent, profligarent.

Artabanes verò et Uldaches ille Hunnus, qui cum exercitu Romano pariter et Hunnico ad Pisaurum urbem collecti erant, insidiis in transitu collocatis, hi, inquam, præcursores illos conspicati in ipso Ionici sinùs littore et crepidine euntes, egressi urbe, acieque optimè instructa, confertim in eos irruunt, ac multos quidem gladiis cædentes trucidant: non pauci cùm prærupta littoris præcipitia conscendissent, in declive delati, pronique in mare provoluti, et procellis abrepti perierunt. Subrigit enim se quodammodo ea parte littus, et veluti collem quemdam facit non omni ex parte accessibilem et pervium, qui-

An. Chr. 553.

Pag. 37.

* Leg. Πικέ-νης.

An. Ch. 553.

que, ubi in ejus summitatem ventum fuerit, nequaquam facilem præbeat descensum, sed maxima sui parte præcipitiis ad lapsum proclivibus et hiantibus obnoxium, et in profundiorem maris crepidinem vergentem. Alii itaque quam plurimos ita pereuntes conspicati, absque ullo ordine fugerunt, et cum ingenti clamore atque ejulatu ad exercitum delati, perturbatione et tumultu omnia implerunt, ut jamjam ingruentibus Romanis. Leutharis verò ad prælium se comparans, omnem exercitum movebat. Illi arreptis armis aciem instruebant, densam pariter et in longum protensam. Hoc ergo pacto constitutis ipsis, neque opportuniore consilio in mentem veniente, plurimi captivi incustoditi relicti, hostium occupatione opportunè usi, quàm celerrimè aufugerunt, et quicquid poterant spoliorum in proxima castella transtulerunt. Cùm verò Artabanes simul et Uldach impares sese committendo prælio censentes, copias nequaquam educerent; tum Franci soluta acie in castra reversi, cognoverunt quantam jacturam fecissent. Quocircà priusquàm gravius aliquod damnum acciperent, visum est eis sibi bene iri consultum, si quàm citissimè motis à Fano urbe castris, ultrà progrederentur. Statim itaque processerunt, relicto ad dextram Ionio sinu et littorali universa arenosaque via, ad radices Apennini montis iter fecerunt; atque ita rectà Æmiliam et Alpes Cottias versus euntes, ægrè Padum trajecerunt. Cùm verò in ditionem Venetam venissent, ad Cenestam urbem per id tempus sibi subditam stationem habuerunt, ibi deinceps in tuto commoraturi. Dolebant tamen molestèque ferebant, et summum quemdam mœrorem præ se ferebant, quòd ipsis perquam exiguum è præda esset reliquum, videbantur que sibi irritos inutilesque labores perpessi.

Pag. 38.

Sed non his terminis ipsorum calamitas fuit circumscripta. Paulò enim pòst pestilens quidem morbus repentè incidens multitudinem absumsit : et nonnulli quidem illorum ambientis aëris pravitatem incusabant, causam morbi ei adscribentes: alii verò quòd continuis bellis et longis itineribus peractis, repentè ad otiosam mollemque vitam essent traducti, vitæ immutationem in causa esse putabant. At ipsam re vera originem necessariam-

τοῖς ἐπ' ἄκρου γιγνομένοις εὐκόλους παρέχειν τὰς ἀναβάσεις, ἀλλ' ὀλισθηρὸν, ὡς τὰ πολλὰ, καὶ σηραγγώδες καὶ ἐς τὸ βαθυνόμενον τῆς ῥηγμῖνος ἐπικεκλιμένον. Οὕτω δὴ οὖν τῶν πλείστων διαφθειρομένων καθορῶντες οἱ ἄλλοι ἔφυγον οὐδενὶ κόσμῳ, βοῇ τε ξὺν πολλῇ καὶ οἰμωγῇ ἀνὰ τὸ στρατόπεδον εἰσπεσόντες, θορύβου καὶ ταραχῆς ἅπαντα ἔπλησαν, ὡς αὐτίκα μάλα τῶν Ῥωμαίων ἐπελευσομένων. Αὐτός τε δὴ οὖν Λεύθαρις διανίστατο ἐς παράταξιν, καὶ ἅπαν τὸ στράτευμα ἐκινεῖτο· καὶ τοίνυν ἀναλαβόντες τὰ ὅπλα, ἐς φάλαγγα καθίσταντο, βαθεῖάν τε καὶ ἐπιμήγα παρατεταμένην. Ἐν τούτοις δὲ αὐτῶν καταστάντων, καὶ οὐδὲν ὁτιοῦν αὐτοῖς ἕτερον ἐν νῷ τίθεσθαι παρέχοντος τοῦ καιροῦ, οἱ πλεῖστοι τῶν αἰχμαλώτων ἀφύλακτοι ἀθρόον γεγενημένοι, ἀπεχρῶντο ἐν δέοντι τῇ τῶν πολεμίων ἀσχολίᾳ· αὐτοί τε γὰρ ὡς τάχιστα διεδίδρασκον, καὶ τῶν λαφύρων ὁπόσα οἷόν τε ἦν ἐς τὰ ἐχόμενα φρούρια διεκόμισαν. Ἐπεὶ δὲ Ἀρταβάνης τε καὶ Οὔλδαχ ᾤοντο οὐκ ἀξιόμαχοι εἶναι, ἥκιστα ἐπεξῆγον τὸ στράτευμα. τότε δὴ οἱ Φράγγοι (διελύετο μὲν αὐτοῖς ἡ παράταξις) κατὰ σφᾶς δὲ γινόμενοι καὶ γνωματεύοντες, διεγίνωσκον ὁπόσα ἐτύγχανον ἀφῃρημένοι. Πρίν γε δὴ οὖν καὶ ἕτερόν τι παθεῖν, ἐδόκει αὐτοῖς ἐν καλῷ ἔσεσθαι, εἴγε ὡς τάχιστα ἐκ Φάνου τῆς πόλεως ἀναστάντες, ἴοιεν ἀνὰ τὰ πρόσω. Καὶ τοίνυν αὐτίκα ἐχώρουν, ἀφέντες δὲ ἐν δεξιᾷ τὸν Ἰόνιον κόλπον καὶ ἅπασαν τὴν παράκτιόν τε καὶ ψαμαθώδη πορείαν, ἀνὰ τοὺς πρόποδας τοῦ Ἀπιννaίου ὄρους ἐπορεύθησαν· οὕτω τε ἰθὺ Αἰμιλείας καὶ Ἀλπισκοτίας ἐλθόντες, μόλις τὸν Πάδον ἐπεραιοῦντο. Καταλαβόντες δὲ Βενετίαν τὴν χώραν, ἐς Κενεστὰ τὴν πόλιν κατήκοον σφῶν ἐν τῷ τότε οὖσαν ἠυλίζοντο, αὐτοῦ τε τὸ λοιπὸν ἐν τῷ ἀσφαλεῖ διαιτώμενοι. Ἤσχαλλόν γε ὅμως καὶ ἐδυσφόρουν, καὶ πολύ τι ὑπῆρχε διαφανὲς τῆς γνώμης τὸ ἀνιώμενον· αἴτιον δὲ ἦν, ὅτι δὴ αὐτοῖς ἐλάχιστα ἐκ τῆς λείας ἐλείπετο, καὶ ἐδόκει ἄκαρπα καὶ ἀνόνητα διαπεπονηκέναι.

Ἀλλ' οὐ μέχρι τοῦδε μόνον αὐτοῖς τὰ τῶν δυστυχημάτων ἐχώρει. Ὀλίγῳ γὰρ ὕστερον καὶ νόσος τις λοιμώδης ἔφθειρε τὰ πλήθη ἐξαπιναίως ἐπεισπεσοῦσα· καὶ οἱ μὲν αὐτῶν μοχθηρὸν ἀποκαλοῦντες τὸν παρακείμενόν σφισιν ἀέρα, αἴτιον ἐκεῖνον τοῦ πάθους γεγενῆσθαι ἠγοῦντο· οἱ δὲ ὅτι πολέμους τε συχνοὺς καὶ ὁδοιπορίας μακρὰς διανύσαντες, ἀθρόον ἐς τὸ ἀβροδίαιτον μετεβέβληντο, τὴν τῆς διαίτης παραλλαγὴν ἠτιῶντο. Τὴν δέ γε ὡς ἀληθῶς ἀρχήν τε

καὶ ἀνάγκην οὐ μάλα διενοοῦντο· ἦν δὲ ἄρα, οἶμαι, ἡ ἀδικία, καὶ τὸ περιωβρίσθαι πρὸς αὐτῶν ἀφειδῶς τά τε θεῖα καὶ ἀνθρώπεια νόμιμα. Αὐτὸς δὴ οὖν ὁ στρατηγὸς καὶ μάλα ἔνδηλος ἦν, ὅτι δὴ αὐτὸν θεήλατοι μετῆλθον ποιναί· παραπλήξ τε γὰρ ἐγεγόνει, καὶ ἐλύττα περιφανῶς, καθάπερ οἱ ἔκφρονες καὶ μεμηνότες, κλόνος τε αὐτὸν ἐπεῖχε μυρίος, καὶ οἰμωγὰς ἀφίει βαρείας· καὶ νῦν μὲν πρηνὴς, νῦν δὲ ἐπὶ θάτερα ἐν τῷ ἐδάφει κατέπιπτεν· ἀφρῷ τε πολλῷ τὸ στόμα περιερρεῖτο· καὶ τὼ ὀφθαλμὼ βλοσσυρώ γε ἦστην καὶ παρατετραμμένω. Ἐς τοῦτο δὲ ἄρα ὁ δείλαιος ἀφῖκτο μανίας, ὥστε ἀμέλει καὶ τῶν οἰκείων μελῶν ἀπογεύσασθαι. Ἐχόμενος γὰρ ὀδὰξ τῶν βραχιόνων, καὶ διασπῶν τὰς σάρκας, κατεβίβρωσκέ γε αὐτὰς ὥσπερ θηρίον διαλιχμώμενος τὸν ἰχῶρα. Οὕτω δὲ ἑαυτοῦ ἐμπιπλάμενος, καὶ κατασμικρὸν ὑποφθιννύθων, οἰκτρότατα ἀπεβίω. Ἔθνησκον δὲ χύδην καὶ οἱ ἄλλοι, οὐδὲν ὅτι καὶ ἀνιέντος τοῦ κακοῦ, ἕως ἅπαντες διεφθάρησαν. Καὶ πυρετῷ μὲν οἱ πλεῖστοι πεσόμενοι, νηφαλέοι γε ὅμως ἀπώλλυντο· ἐνίοις δὲ καὶ ἀποπληξία ἐνέσκηπτεν ἰσχυρὰ, καὶ ἑτέροις καρηβαρία, καὶ παραφροσύνη ἑτέροις. Ποικίλα μὲν γὰρ αὐτοῖς ἐπεφέρετο πάθη, ἅπαντα δὲ εἰς ὄλεθρον ἀπεκρίνετο. Λευθαρίῳ μὲν οὖν καὶ τῷ οἱ ἑπομένῳ ὁμίλῳ ἐς τόδε τύχης τὰ τῆς ἐκστρατείας ἐτελευτα.

Ἐν ᾧδε ταῦτα ἐν Βενετίᾳ ξυνέβαινε, Βουτιλῖνος ἄτερος στρατηγὸς τὰ μέχρι τοῦ πορθμοῦ τῆς Σικελίας πολίσματά τε καὶ φρούρια σχεδόν τι ἅπαντα λυμηνάμενος, ἐπανήει αὖθις ὡς τάχιστα ἰθὺ Καμπανίας τε καὶ Ῥώμης. Ἠκηκόει γὰρ τὸν Ναρσῆν καὶ τὰς βασιλέως δυνάμεις αὐτοῦ που ἠθροῖσθαι, καὶ ἠβούλετο μὴ μέλλειν ἔτι, μηδὲ ἀλᾶσθαι, ἀλλὰ παντὶ τῷ στρατῷ παραταξάμενος, τὸν ὑπὲρ τῶν ὅλων κίνδυνον ἀναρρίψαι· ἐπεὶ καὶ μέρος τι οὐκ ἐλάχιστον καὶ τῆς ἀμφ' αὐτὸν στρατιᾶς νόσῳ ἑαλώκει καὶ διεφθείρετο. Ἤδη γὰρ τοῦ θέρους λήγοντος, καὶ τοῦ φθινοπώρου ἀρχομένου, αἱ μὲν ἄμπελοι τῷ καρπῷ ἐβρίθοντο· οἱ δὲ χήτει τῶν ἄλλων ἐπιτηδείων (ἅπαντα γὰρ τῷ Ναρσῆ ἐμφρονέστατα προδιήρπαστο) οἱ δὲ τοὺς βότρυας ἀφαιρούμενοι, καὶ ταῖς χερσὶ διαβλίβοντες, ἐνεφοροῦντο τοῦ γλεύκους, αὐτοσχεδιάζοντες τὸν ἀνθοσμίαν· ἐνθένδε τε αὐτοῖς ἡ γαστὴρ ἐπιμέγα ἐφέρετο καὶ διέῤῥει, καὶ τὸ μέν τι αὐτῶν ἔθνησκεν αὐτίκα. ἦσαν

que causam mali planè non intelligebant, quæ profectò erat injustitia, et divina pariter atque humana jura ab ipsis proculcata. Ipsum itaque ducem videre erat evidenter pœnis divinitùs immissis obnoxium: insania enim manifestaque rabie, instar eorum qui mente capti furere solent, corripiebatur, multaque vertigine agitabatur, gravesque ejulatus edebat, modò pronus, modò in alterutrum latus in solum procidens, multamque ex ore spumam ciens; oculi etiam ipsi erant torvi, horrendumque in modum inversi: eò denique insaniæ venerat miser, ut ne à suis quidem membris degustandis abstineret. Assiduè enim mordicus brachiis suis inhærens, et carnes dentibus convellens, eas instar feræ alicujus bestiæ dilaniabat, promanantem saniem lambens: atque ita sui ipsius satur, paulatimque contabescens, miserrimè periit. Exstincti verò sunt universim etiam ceteri, nihil penitùs se remittente malo, donec omnes interierunt. Ac febre quidem plurimi pressi, sana tamen mente perierunt: nonnullos autem gravissima apoplexia afflixit, alios capitis gravedo, alios delirium. Variis enim morbis laborabant, sed omnibus in perniciem desinentibus. Leutharis itaque eorumque, qui eum sequebantur, expeditio hujusmodi calamitosum habuit exitum.

An. Chr. 553.

Dum verò hæc Venetiis contingunt, Butilinus alter dux, oppidis castellisque propemodùm omnibus ad Siculum fretum usque vastatis, statim quàm citissimè Campaniam versùs et Romam se recepit. Inaudierat enim Narsetis et Imperatoris exercitus eò convenisse; et statutum erat non cunctari diutiùs, neque animi pendere, sed in aciem instructis omnibus copiis, de rerum summa decertare; quandoquidem non minima exercitùs qui ei aderat pars morbo correpta interierat. Vergente enim jam æstate, et autumno ineunte, vineæ quidem uvis onustæ erant; hi verò inopia aliarum rerum necessariarum (omnis enim commeatus per Narsetem prudentissimè præreptus erat) avulsis uvis, succoque manibus expresso, musto sese ingurgitabant, odoriferum vinum, quod Græci ἀνθοσμίαν vocant, ex tempore conficientes: unde vehementissimo alvi profluvio laborarunt; et nonnulli quidem eorum eo interierunt, non-

Pag. 39.

An. Chr. 553.

nulli etiam supervixerunt. Priusquàm itaque hic morbus omnes pervaderet, committendum sibi quocumque eventu prælium censebat. Quocircà cùm in Campaniam venisset, castra non procul à Capua urbe fixit, ad ripas Casulini fluminis, quod quidem ex Apennino monte fluens, et per circumjacentes campos flexuosè labens, in Tyrrhenum mare fertur. Hîc itaque locato exercitu, valido eum vallo munivit, natura loci fretus : fluvius enim ipsi ad dextram labens, propugnaculi loco esse videbatur, ne quis ea ex parte adoriretur: et curruum, quorum maximam habebat vim, rotas ordine inter se consertas solo infixit, terra ad modiolos rotarum usque aggesta, ita ut circumferentiæ dimidia tantùm pars exstaret et promineret. His igitur aliisque multis stipitibus cùm universum exercitum communisset, exitum quemdam non valde amplum, neque ullo septo obstructum reliquit, ut per eum facilè liceret, si liberet, excursiones in hostes facere, et reverti. Ne verò pons, quo fluvius erat stratus, incustoditus esset, neve ea ex parte damnum acciperet, hunc etiam præoccupat, et turre quadam lignea in eo exstructa, strenuos in ea, quantùm fieri poterat, optimèque armatos viros collocat, qui pontem è tuto defenderent, et Romanos transitum molientes propulsarent. His itaque singulis ita dispositis, omnia quàm optimè comparata censebat; tamquam in ipsius potestate futurum esset, bellum inchoare, neque priùs prælium committi posset, quàm ipsi liberet.

Pag. 40.

Porrò quæ fratri suo Venetiis acciderant, necdum inaudierat; mirabatur verò quòd ei copias suas, uti inter ipsos convenerat, non misisset, suspicioque ipsi incidebat non tamdiu tardaturas fuisse, nisi eis aliquid sinistri adversique accidisset. Nihilominùs tamen etiam sine illis victoriam se ab hostibus reportaturum censebat; quippe qui etiam ita copiarum multitudine esset superior : qui enim ipsi reliquus erat exercitus, ad triginta bellatorum millia accedebat; Romanorum verò exercitus vixdum erat millium octodecim. Quocircà et ipse quàm optimè animatus erat, et universum exercitum hortabatur ut animadverterent, non de exigua aliqua re eo prælio decernendum esse; *sed aut Italiam*, inquit, *cujus causa veni-*

δὲ οἱ καὶ διεγίγνοντο. Πρίν γε δὴ οὖν καὶ ἅπασιν ἐκνικῆσαι τὸ πάθος, ἐδόκει οἱ εἶναι πολεμητέα ἐς ὅ τι ἐκβαίη. Καὶ τοίνυν ἀφικόμενος ἐς Καμπανίαν, στρατοπεδεύεται οὐ πόρρω Καπούης τῆς πόλεως, ἀμφὶ τὰς ὄχθας τοῦ Κασουλίνου ποταμοῦ, ὃς δὴ ῥέων ἐκ τοῦ ὄρους τοῦ Ἀπιννιαίου, καὶ ἀνὰ τὰ ἐκείνῃ πεδία περιελιττόμενος, ἐς τὴν Τυρσηνικὴν φέρεται θάλατταν. Ἐνταῦθα δὴ οὖν ἱδρύσας τὸν στρατὸν, χαράκωμά τε περιεβάλετο καρτερὸν, καὶ ἐπεποίθει τῷ χώρῳ· ὅ τε γὰρ ποταμὸς αὐτῷ ἐν δεξιᾷ ὑπορρέων, ἀντ' ἐρύματος εἶναι ἐδόκει τοῦ μή τινα ἐπιέναι· καὶ τοὺς τῶν ἁμαξῶν τροχοὺς, αἳ δὴ ὡς πλείστας ἐπήγετο, στοιχηδὸν ἐς ἀλλήλους ἁρμόσας, ἐνέπηξε τὰ ὀπίσω τῷ ἐδάφει, ἄχρι καὶ ἐς τὰς πλήμνας περιχώσας, ὡς μόνα τὰ ἡμικύκλια ὑπερανέχειν καὶ προβεβλῆσθαι. Τούτοις δὴ οὖν καὶ ἑτέροις ξύλοις πολλοῖς ἅπαν τὸ στράτευμα ἐρυμνώσας, ἔξοδόν τινα οὐ μάλα εὐρεῖαν καταλέλοιπε κενὴν τῶν περιφραγμάτων, ὡς ἐκ τῆσδε αὐτοῖς ἐξείη ῥᾳδίως ἢ βούλοιντο κατὰ τῶν πολεμίων ἐφόδους τε καὶ ἐπανόδους ποιεῖσθαι. Ὅπως δὴ ἂν αὐτῷ μηδὲ τὰ τῆς γεφύρας τοῦ ποταμοῦ ἀφύλακτα εἴη, μηδέ γε ἐνθένδε πημαίνοιτο, προκαταλαμβάνει τε αὐτὴν, καὶ πύργον τινὰ ξύλινον ἐνταῦθα τεκτηνάμενος, ἐφίστησιν ἐν αὐτῷ ἄνδρας, ὁπόσους οἷόν τε ἦν, μαχίμους τε καὶ ἄριστα ὡπλισμένους, ἐφ' ᾧ ἐκ τοῦ ἀσφαλοῦς ἀμύνεσθαι, καὶ ἀπερύκειν τοὺς Ῥωμαίους διαβησείοντας. Οὕτω δὲ ἕκαστα διαθεὶς, ᾤετό οἱ τὰ παρόντα ἐν δέοντι παρεσκευάσθαι, ὡς καὶ ἐν αὐτῷ δή που κεισόμενον πολέμου κατάρχεσθαι, καὶ οὐ πρότερον μάχης ἐσομένης, πρὶν ἂν ἐκείνῳ ἔοι βουλομένῳ. Καὶ τὰ μὲν ἀμφὶ τῷ ἀδελφῷ ἐν Βενετίᾳ ξυμβαίνοντα οὔπω πέπυστο· ἐθαύμαζε δὲ ὅτι δὴ αὐτῷ, κατὰ τὸ ξυγκείμενον, τὸ στράτευμα οὐκ ἐπεπόμφει, καὶ ὑπετόπαζεν, ὡς οὐκ ἂν ἐς τοσοῦτον ἐμέλλησεν, εἰ μή τι αὐτοῖς ξυνηνέχθη δεινὸν καὶ ἀντίξουν. Πλὴν ἀλλὰ καὶ ἐκείνου ἄνευ περιέσεσθαι τῶν πολεμίων ἡγεῖτο, ἅτε δὴ τῷ πλήθει καὶ ὡς ὑπερβάλλων· ἐς τρεῖς γὰρ αὐτῷ μάλιστα μυριάδας μαχίμων ἀνδρῶν ἡ λειπομένη στρατιὰ ξυνετάττετο· ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων δύναμις μόλις ἐν ὀκτωκαίδεκα χιλιάσιν ἐτύγχανεν οὖσα. Αὐτός τε δὴ οὖν ὧδέ πως ἄριστα εἶχε προθυμίας, καὶ ἅπαντι τῷ στρατῷ παρεκελεύετο γιγνώσκειν, ὡς ὁ παρὼν ἀγὼν οὐκ ἐπὶ σμικρῷ τινι χωρήσει, ἀλλ' ἣ καθέξομεν, ἔφη, τὴν Ἰταλίαν, οὗ δὴ ἕκατι ἀφικόμεθα, ἢ

λελείψεται

λελείψεται ἡμῖν ἅπασιν ἀκλεῶς τὸ τεθνάναι. Οὐκ οὖν τόδε ἡμᾶς, ὦ γενναῖοι, ἀντ' ἐκείνου ἐλέσθαι προσήκει, ἐξὸν ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐν τῷ πολέμῳ γιγνομένους, ἀπόνασθαι ὧν ἐφιέμεθα. Βουτιλῖνος μὲν οὖν ταῦτά τε καὶ τὰ τοιάδε παραινῶν τοῖς πλήθεσιν οὐκ ἀνίει.

Οἱ δὲ ἐπερρώννυντο ταῖς ἐλπίσι, καὶ τὰ ὅπλα, ὥσπη ἑκάστῳ φίλον, παρεσκευάζοντο. Ὡδὶ μὲν γὰρ πελέκεις ἐθήγοντο πολλοί, ὡδὶ δὲ τὰ ἐπιχώρια δόρατα οἱ ἀγγῶνες, ἑτέρωθι δὲ τῶν ἀσπίδων αἱ διερραγῦιαι πρὸς τὸ ἐνεργὸν μετεποιοῦντο, καὶ ῥᾳδίως αὐτοῖς ἅπαντα παρεσκεύαστο. Λιτὴ γὰρ τοῦδε τοῦ ἔθνους ἡ ὅπλισις, καὶ οἷα οὐ τεχνιτῶν δεῖσθαι ποικίλων, ἢ μόνον ὑπ' αὐτῶν, οἶμαι, τῶν χρωμένων διακοσμεῖσθαι, εἰ καί τι διαφθαρείη. Θωράκων μὲν γὰρ καὶ κνημίδων ἀγνῶτες τυγχάνουσιν ὄντες, τὰς δὲ κεφαλὰς οἱ μὲν πλεῖστοι ἀσκεπεῖς ἔχουσιν, ὀλίγοι δὲ καὶ κράνη ἀναδούμενοι μάχονται, γυμνοὶ δὲ τὰ στέρνα εἰσὶ καὶ τὰ νῶτα μέχρι τῆς ὀσφύος, ἐνταῦθα δὲ ἀναξυρίδας οἱ μὲν λινᾶς, οἱ δὲ καὶ σκυτίνας διαζωννύμενοι, τοῖς σκέλεσι περιαμπίσχονται. Ἵπποις δὲ ἥκιστα χρῶνται, πλὴν σφόδρα ὀλίγων, ἅτε δὴ αὐτοῖς τὸ πεζομαχεῖν σύντροφόν τε ὂν καὶ πάτριον καὶ ἄριστα μεμελετημένον. Ξίφος δὲ τῷ μηρῷ, καὶ ἀσπὶς τῇ λαιᾷ πλευρᾷ παρηώρηται· καὶ τοίνυν τόξα ἢ σφενδόνας, ἢ ἄλλα ἄττα ἐκηβόλα ὅπλα οὐκ ἐπιφέρονται, ἀλλὰ πελέκεις γὰρ ἀμφιστόμους καὶ τοὺς ἀγγῶνας, οἷς δὴ καὶ τὰ πλεῖστα κατεργάζονται. Εἰσὶ δὲ οἱ ἄγγωνες δόρατα οὐ λίαν σμικρὰ, οὐμενοῦν ἀλλ' οὐδὲ ἄγαν μεγάλα, ἀλλ' ὅσον ἀκοντίζεσθαί τε, εἴ που δεήσοι, καὶ ἐς τὰς ἀγχεμάχους παρατάξεις πρὸς τὰς ἐμβολὰς ἀφικνεῖσθαι. Τούτων δὲ τὸ πλεῖστον μέρος σιδήρῳ πάντοθεν περιέχεται, ὡς ἐλάχιστόν τε διαφαίνεσθαι τοῦ ξύλου, καὶ μόλις ὅλον τὸν σαυρωτῆρα. Ἄνω δὲ ἀμφὶ τὸ ἄκρον τῆς αἰχμῆς καμπύλαι τινὲς ἀκίδες ἐξέχουσιν ἑκατέρωθεν, ἐξ αὐτῆς δήπου τῆς ἐπιδορατίδος, ὥσπερ ἄγγιστρα, ὑπογαμπτόμεναι, καὶ ἐς τὰ κάτω νενεύκασι. Καὶ οὖν ἀφίησι τυχὸν ἐν συμπλοκῇ τοῦτον δὴ τὸν ἄγγωνα Φράγγος ἀνήρ· καὶ εἰ μὲν σώματί που ἐγχρίψειεν, εἰσδύεται μὲν εἴσω, ὥσπερ εἰκὸς, ἡ αἰχμὴ, οὔτε δὲ αὐτὸν τὸν βληθέντα ἐρύσαι ῥᾳδίως ἔνεστι τὸ δόρυ. Εἴργουσι γὰρ αἱ ἀκίδες ἔνδον ἐνεχόμεναι τῇ σαρκὶ, καὶ πικροτέρας ἐπάγουσαι τὰς ὀδύνας, ὥστε εἰ καὶ μὴ καιρίαν τὸν πολέμιον τρωθῆναι ξυνενεχθείη, ἀλλὰ ταύτῃ γε διαφθαρῆναι. Εἰ δέ γε ἐς ἀσπίδα παγείη, ἀποκρέμαται μὲν

mus, *obtinebimus, aut hoc unum jamjam nobis reliquum erit, ut omnes inglorii moriamur. Illud itaque nos potiùs, viri fortes, quàm hoc velle debemus, cùm in nostra manu sit positum, si strenui esse velimus, quæ optamus consequi.* Butilinus itaque hisce aliisque verbis multitudinem hortari non desistebat. An. Chr. 553.

Hi verò bona spe fulti, arma ut cuique visum erat, apparabant. Alibi enim secures multæ acuebantur; alibi patria hastilia, quæ ipsi ἄγγωνας vocant; alibi scuta confracta, ut usui essent, reficiebantur, facilèque ipsis omnia instruebantur. Vilis enim est et neglecta hujus nationis armatura, quæque variis opificibus non indigeat: sed facilè ab ipsis, qui ea utuntur, si quid fortè fractum fuerit, refici potest. Loricas enim et ocreas non norunt : capita plerique eorum non muniunt, pauci verò galeis tecti pugnant : pectoribus et tergoribus ad lumbos usque sunt nudis, inde braccis sive femoralibus alii lineis, alii coriaceis cincti, tibias cooperiunt. Equis verò non utuntur nisi admodùm paucis, quippe qui ad pedestrem pugnam, quæ ipsis familiaris patriaque est, optimè sint exercitati. Ensis femori, et scutum sinistro lateri appendet : arcubus aut fundis, vel aliis telis, quæ eminùs jaciuntur, non utuntur, sed ancipitibus securibus et angonibus quibus præcipuè rem gerunt. Sunt verò angones hastæ quædam neque admodùm parvæ, neque admodùm magnæ, sed et ad jactu feriendum, sicubi opus fuerit, et ubi cominùs collato pede confligendum est, impetusque faciendus, accommodatæ. Hæ pleraque sui parte ferro sunt obductæ, ita ut perparùm ligni à laminis ferreis nudum conspiciatur, atque adeò vix tota imæ hastæ cuspis. Suprà verò ad extremitatem spiculi, aduncì quidam mucrones utrimque prominent, ex ipso spiculo instar hamulorum reflexi, et deorsùm vergentes. In conflictu itaque Francus miles hunc angonem jacit; quod telum si corpori inflictum fuerit, adigitur quidem intrò, uti verisimile est, cuspis neque is qui ictus est, facilè telum evellere potest; obstant enim acuminati illi hamuli altiùs carni inhærentes, et acerbos cruciatus excitant, adeò ut etiamsi hostem nequaquam lethale vulnus accepisse contingat, ex eo tamen intereat. Si verò scuto impactum fuerit, statim ex eo

Pag. 41.

An. Chr. 553.

propendet, et circumagitur, infima sui parte solum verrens et versans. Is verò qui ictus est, neque telum scuto evellere valet, hamulis mordicus inhærentibus, neque ense amputare, quod nimirùm ad lignum pertingere non possit, ferreis laminis, quibus id obductum est, obsistentibus. Quod simul ac viderit Francus, confestim pede insultat, et proculcans imam hastam, scutum pondere sui corporis deprimit, ita ut, gestantis manu sese nonnihil laxante ac remittente, caput et pectus nudentur: tum ille nudum hostem neque munitum nactus facilè trucidat, sive securi frontem feriens, sive alia hasta jugulum trajiciens. Ac talis quidem est Francorum armatura, atque ita ad prælium apparabantur.

Narses verò Romani exercitûs prætor ubi hæc cognovit, statim et ipse universo exercitu Roma educto, non procul ab hostibus castra locat, sed unde et strepitus exaudiri, et vallum conspici posset. Hoc itaque modo cùm duo exercitus in mutuum conspectum venissent, accuratè utrimque acies instruebantur, præsidiaque et excubiæ locabantur, et Duces ordines militares obibant. Spes verò et metus, variæque animorum fluctuationes, et quicumque affectus inopinati de rebus magnis decertaturis suboriri solent, nunc hos, nunc illos incessebant. Omnia verò Italiæ oppida dubia suspensaque hærebant, cui tandem parti cederent. Intereà Franci proximos vicos vastantes, commeatum transvehebant. Quod ubi animadvertit Narses, ad suum dedecus hoc pertinere censebat, molestèque ferebat, si hostium calones ita liberè loca quàm maximè vicina pertransirent, perinde ac si nullum hostem vidissent. Visum itaque ei est non ampliùs id ferendum, sed omnibus viribus prohibendum. Chanaranges verò, vir quidem Armenius, Romanis tribunis accensus erat, strenuus imprimis et prudens, et in adeundis periculis moderatè audax. Huic itaque Chanarangi (erant enim ejus tentoria in extremis castris prope hostes fixa) mandat Narses, ut in curruum rectores impetum faceret, eisque quantùm posset noceret, ne ampliùs pabula transvehere auderent. Ipse verò confestim paucis è sua legione equitibus secum ductis, reliqua quidem plaustra intercipit, et rectores trucidat: è qui-

Pag. 42.

A αὐτίκα ἐξ αὐτῆς, καὶ ξυμπεριάγεται, συρομένη ἐν τῷ ἐδάφει τοῦ ἀπολήγοντος· ὁ δὲ βληθεὶς οὔτε ξυνελκύσαι τοῦτο δὴ δύναται τὸ δόρυ διὰ τὴν εἴσδυσιν τῶν ἀκίδων, οὔτε ξίφει διατεμεῖν, τῷ μὴ ἐφικνεῖσται τοῦ ξύλου, ἀλλὰ τὸν σίδηρον παρατετάσται. Ἐπειδὰν δὲ τοῦτο ἐσίδοι ὁ Φράγγος, ὁ δὲ ἀθρόον ἐπιβὰς τῷ ποδὶῷ, καὶ ἐμπατήσας τὸν σαυρωτῆρα, καταβρίθει τὴν ἀσπίδα καὶ κατάγει, ὡς ὑποχαλάσαι τὴν τοῦ φέροντος χεῖρα, καὶ γυμνωθῆναι τὴν κεφαλὴν καὶ τὸ στέρνον· τότε δὴ οὖν ἄφρακτον ἐκεῖνος
B ἑλὼν, ῥᾳδίως ἀπόλλυσιν, ἢ τὸ μέτωπον πελέκει πατάξας, ἢ δόρατι ἑτέρῳ τὴν φάρυγγα διελάσας. Τοιαύτη μὲν τοῖς Φράγγοις ἡ ὅπλισις, καὶ ἐν τοῖσδε τὰ ἐς τὸν πόλεμον παρεσκευάζοντο.

Ναρσῆς δὲ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς ἐπειδὴ ταῦτα ἐγνώκει, αὐτίκα ὄγε ἅπαντι τῷ στρατῷ ἅρας ἐκ τῆς Ῥώμης, στρατοπεδεύεται οὐ πόρρω τῶν πολεμίων, ἀλλ' ὅσον πατάγου τε ἀκούειν,
C καὶ διορᾶν τὸ χαράκωμα· οὕτω δὲ τῶν στρατευμάτων ἀλλήλοις ἀναφανέντων, πολλὴ μὲν ἑκατέρωθεν ὑπῆρχε παράταξις, πολλαὶ δὲ φρουραὶ καὶ ἀγρυπνίαι, καὶ τῶν στρατηγῶν ἀνὰ τὰ πλήθη περινοστήσεις· ἐλπὶς δὲ καὶ δέος καὶ παλιμβουλίαι, καὶ ὅσα τοῖς περὶ μεγάλων ἀγωνιουμένοις παράλογα ἐγίγνεται πάθη, ἄλλοτε ἄλλοις ἐπεφοίτα. Τὰ δὲ τῆς Ἰταλίας πολίσματα μετέωρα ἦν ἅπαντα καὶ δεδονημένα, ἐφ' οὓς ἂν καὶ
D χωρήσοιεν ἀμφιγνοοῦντα. Ἐν τούτῳ δὲ οἱ Φράγγοι τὰς ἐχομένας κώμας δῃοῦντες, τὰ ἐπιτήδεια σφισιν ἀναφανδὸν διεκόμιζον. Ναρσῆς δὲ τοῦτο ἰδὼν, αἶσχος οἰκεῖον ἡγεῖτο, καὶ ἐχαλέπαινεν, εἴγε ἐξίη τοῖς τῶν δυσμενῶν ἀχθοφόροις οὕτω δή τι ἀνειμένους ἐγγύτατα διαπορεύεσθαι, ὥσπερ οὐδὲν ὅ τι ἀντίπαλον θεωμένοις. Ἐδόκει οὖν αὐτῷ, οὐκ ἐπιτρεπτέα τὸ λοιπὸν, ἀλλὰ παντὶ σθένει διακωλυτέον. Χαναράγγης δέ τις ἀνὴρ Ἀρμένιος ἐνηρίθμητο μὲν τοῖς Ῥωμαϊκοῖς ταξιάρχοις, ἀνδρειότατος
E δὲ ἦν ἐς τὰ μάλιστα καὶ φρενήρης, καὶ ἐν δέοντι φιλοκίνδυνος. Τούτῳ δὴ οὖν τῷ Χαναράγγῃ (ἵδρυτο γὰρ ἀμφὶ τὸ τέρμα τοῦ στρατοπέδου πλησιαίτατα τῶν πολεμίων ἐσκηνημένος) παρακελεύεται ὁ Ναρσῆς ἐπιέναι τοῖς ἁμαξελάταις, καὶ σίνεσθαι αὐτοὺς καθ' ὅ τι ἂν δύναιτο, ὡς ἂν μηκέτι χιλὸν διακομίζειν τολμῷεν. Καὶ ὃς ἀθρόον ἐξιππασάμενος ἅμα ὀλίγοις τοῦ ἀμ' αὐτὸν τάγματος, τὰς μὲν ἄλλας ἁμάξας ἀφαιρεῖται, καὶ τοὺς ἄγοντας

κτείνει· μίαν δέ τινα αὐτῶν χόρτῳ σεσαγμένην ἀγρίῳ τε καὶ γεγηρακότι, προσαγει τῷ πύργῳ, ὃν δὴ ἐπὶ τῆς γεφύρας οἱ Φράγγοι ἐτύγχανον ἐξειργασμένοι, ἥπερ μοι εἴρηται πρότερον. Καὶ οὖν ἐνταῦθα προσπελάσας τὴν ἅμαξαν, πῦρ ἐμβάλλει τῷ χόρτῳ. Μεγίστης δὲ φλογὸς ἐξαπιναίως ἀρθείσης, ῥᾳδίως ἅπασα ἡ τύρσις ἐνεπίμπρατο, ἅτε δὴ ξύλοις ἐσκευασμένη. Οἱ δὲ ἄνδρες τῶν βαρβάρων ὁπόσοι ἐπὶ φρουρᾷ ἐτετάχατο, ἐπειδὴ ἀμύνεσθαι οὐκ ἠδύναντο, ἀλλ' ἤδη που καὶ αὐτοὶ πυρπολεῖσθαι ἤμελλον, ἔγνωσαν μεθεῖναι τὸ χωρίον, καὶ οἱ μὲν μόλις ἐνθένδε διεκπεσόντες, ἐπὶ τὸ σφῶν στρατόπεδον καταφεύγουσιν· οἱ δὲ Ῥωμαῖοι τῆς γεφύρας ἐγεγένητο.

Τούτων δὲ οὕτω ξυνενεχθέντων, αὐτίκα οἱ Φράγγοι ταραχῆς, ὡς τὸ εἰκὸς, ἀνεπίμπλαντο, καὶ πρὸς τὰ ὅπλα ἐχώρουν σφαδάζοντες τῷ θυμῷ καὶ λυττῶντες, κατέχειν τε ἐν ἑαυτοῖς τὰ φρονήματα οὐκ ἠδύναντο, ἀλλὰ τολμητίαι γε ἦσαν πέρα τοῦ μετρίου καὶ θαῤῥαλέοι, ὡς μηκέτι ἠρεμεῖν ἐθέλειν, μήδε διαμέλλειν, ἀλλ' αὐθημερὸν παρατάττεσθαι· καὶ ταῦτα προειρημένον αὐτοῖς ὑπὸ τῶν Ἀλαμανικῶν μάντεων, μὴ δεῖν ἐκείνης τῆς ἡμέρας διαμάχεσθαι, ἢ γιγνώσκειν ὡς ἄρδην ἅπαντες ἀπολοῦνται. Οἶμαι μὲν οὖν, εἰ καὶ τῇ ὑστεραίᾳ, ἢ καὶ καθ' ἑτέραν ἡ ξυμβολὴ ἐγεγόνει, πάντως ἂν τοῦτο ἐκεῖνο ἐπεπόνθεσαν, ὅπερ καὶ ἐν τῷ τότε ἀπέβη. Οὐ γὰρ δή που ἡ τῆς ἡμέρας ἐναλλαγὴ ἀπέχρησεν ἂν αὐτοῖς ἐς τὸ μὴ οὐ ποινὰς ἀποτίσαι ὧν ἐτύγχανον ἠσεβηκότες. Πλὴν ἀλλ' ὅμως εἴτε οὕτω ξυμβὰν, εἴτε καὶ ἴσως τῶν Ἀλαμανικῶν χρησμολόγων ὅτῳ δὴ οὖν τρόπῳ τὰ ἐσόμενα ἐπιφρασαμένων, οὐ κενὸν τοῖς πολλοῖς, οὐδὲ ἀτελεύτητον ἔδοξεν εἶναι τὸ μάντευμα. Ὅπως δὲ τῶν ἐφεξῆς ἕκαστα ἐπράχθη, αὐτίκα ἐς τὸ ἀκριβὲς, ὡς οἷόν τέ μοι, λελέξεται. Ὁ μὲν γὰρ τῶν Φράγγων λεὼς ὧδέ πως εἶχεν ὁρμῆς, καὶ ἤδη αὐτῷ τὰ ὅπλα μετεκεχείριστο· ἐξόπλισε δὲ καὶ ὁ Ναρσῆς τοὺς Ῥωμαίους, καὶ ὑπεξῆγε τοῦ στρατοπέδου, ἐφ' ᾧ ἐν μεταιχμίῳ γενέσθαι, οὗπερ ἔδει αὐτοὺς ἐς φάλαγγα καταστῆναι.....

Ναρσῆς δὲ ἐπεὶ ἐν τῷ χώρῳ ἐγεγόνει οὗ δὴ συμπλέκεσθαι ἔμελλεν, αὐτίκα ἐς φάλαγγα καθίστη τὸν στρατὸν καὶ διέταττεν· οἱ μὲν οὖν ἱππεῖς ἑκατέρωθεν ἐπὶ τῶν ἄκρων τετάχατο, δοράτια φέροντες καὶ πέλτας, τόξα τε καὶ ξίφη παρηωρημένα· ἦσαν δὲ οἱ καὶ σαρίσσας ἐκράτουν. Αὐτὸς δὲ ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ κέρως εἱστήκει· Ζανδαλᾶς τε ὁ τῶν ὀπαδῶν ἐπιστάτης, τοῦ τε θητικοῦ καὶ οἰκετικοῦ ὁπόσον οὐκ ἀπόλεμον ἦν

bus plaustris unum multo rurali aridoque fœno onustum turri admovet, quam Franci in ponte exstruxerant, cujus suprà mentionem feci. Hoc itaque plaustro ita ad turrim admoto, ignem fœno immittit. Ingenti verò flamma repentè sublata, facilè universa turris utpotè lignea conflagravit. Tum Barbari quotquot in ejus præsidio erant collocati, cùm eam tueri non possent, ipsiquemet incendio illo perituri viderentur, stationem deserendam censuerunt; ac difficulter quidem inde delapsi, ad exercitum suum confugerunt: Romani verò ponte potiti sunt. An. Chr. 553.

His ita peractis, Franci statim tumultu, uti par erat, pleni ad arma convolant, frementes ira et rabidi, et summa animi impotentia correpti, ultraque modum audaces et præfidentes, non ultrà quiescendum sibi censebant, neque cunctandum, sed eo ipso die prælium committendum; quantumvis Alamanici vates prædixissent illo die confligendum non esse, aut scirent se ad unum omnes perituros. Ego verò ita existimo, etiamsi postridie, aut alio ab hoc die prælium commissum fuisset, eumdem planè, qui tunc fuit, eventum futurum fuisse. Neque enim unius diei immutatio hoc effecisset, quominùs impietatis suæ pœnas luerent. Ceterùm sive hoc ita evenerit, sive etiam fortasse Alamanicis vatibus quocumque tandem modo futura prædicentibus, certè non vanum, neque irritum id vaticinium multis est visum. Quo pacto autem deinceps reliqua gesta sint, accuratè statim, quoad ejus fieri poterit, dicitur. Franci itaque ita animis æstuabant, et jam arma corripuerant: Narses etiam suos armavit, castrisque eduxit, donec ad medium inter duos exercitus spatium venisset, ubi oportebat eos in aciem disponi.....

Narses autem cùm ad locum pervenisset ubi committendum erat prælium, statim exercitum in phalangem instruxit atque disposuit: atque equites quidem utrimque ad alas erant collocati, hastas et peltas gestantes, arcus etiam et enses appensos; nonnulli etiam sarissas habentes. Narses verò in dextro cornu constitit: Zandalas etiam familiæ magister, et quotquot ex ser- *Pag.* 43.

An. Chr. 553.

vis et domesticis bello non inepti erant, adstabant; ab utroque latere Valerianus et Artabanes cum suis copiis, quibus mandatum erat, ut nonnihil circa densiorem silvam laterent; cùmque hostes impetum facerent, confestim in eos ex occulto irruerent, omnique ex parte premerent: omnem locum intermedium pedites obtinebant. In ipsa autem exercitûs fronte antesignani loricas ad pedes usque demissas induti, validissimasque galeas gestantes, testudinem fecerant: post hos alii densa inter se serie stabant, in agros usque desinentes: universa levis armatura, sagittariique et funditores à tergo erant collocati, velitandi tempus opperientes: Herulis in medio totius agminis locus erat designatus; neque enim adhuc illi advenerant. Intereà duo Heruli, qui paulò antè ad hostes defecerant, adeò ut quid posteà consilii cepisset * Sindual ignorarent, Barbaros omnes incitabant, ut quàm citissimè Romanos adorirentur, affirmantes fore ut apud eos omnia tumultûs et perturbationis plena essent deprehensuri, quòd nimirùm Herulorum copiæ indignabundæ secessionem fecissent, præliumque unà adire detrectarent; et reliquæ multitudinis animi illorum defectione essent consternati. Hisce ita dictis Butilinus facilè persuasus, quippe qui vera ut essent optabat, confestim copias in hostem eduxit, omnesque magna animorum alacritate rectà in Romanos ferebantur, non quidem sensim et placidè ordinatèque, sed nuntiis animum ipsis alasque addentibus, turbulentè ac præcipitanter, tamquam primo impetu quidquid hostium esset discerpturi. Erat autem ipsis forma aciei instar cunei, Δ literæ figuram præ se ferens, anteriore quidem sui parte in acutum desinens: pressa enim erat et densa, scutis undequaque inter se consertis munita; dixisses eos suis caput sua structura efformare. Alæ verò utrimque ex centuriis et decuriis in longum compositæ, et ut plurimùm in obliquum protensæ, paulatim ab sese dilatabantur et dirimebantur, in maximam latitudinem desinentes; adeò ut locus intermedius vacuus relinqueretur, et nudata militum terga seriatim conspicerentur. Aversi enim inter se stabant, ut hostibus adversi essent, et ex tuto confligerent, scutis protecti; terga verò mutuâ illâ inter se contrapositione tuerentur.

Pag. 44.

* Dux Herulorum.

ἀλλὰ καὶ οἵδε παρῆσαν· ἐπὶ θάτερα δὲ οἱ ἀμφὶ Βαλεριανόν τε καὶ Ἀρταβάνην, προστεταγμένον αὐτοῖς ὑποκρύπτεσθαι πρὸς βραχὺ ἀνὰ τὰ λάσια τῆς νάπης, καὶ ἐπειδὰν εἰσβάλοιεν οἱ πολέμιοι, τότε δὴ ἀθρόον αὐτοῖς ἐκ τοῦ ἀφανοῦς ἐπιέναι, καὶ ἀμφιβόλους ποιεῖσθαι· ἅπασαν δὲ τὴν μεταξὺ χώραν ὁ πεζὸς εἶχεν. Ἔμπροσθεν γὰρ ἐπὶ τοῦ μετώπου οἱ πρωτοστάται θώρακας ποδήρεις ἐνημμένοι καὶ κράνη καρτερώτατα, τὸν συνασπισμὸν ἐπεποίηντο· ἐξῆς δὲ οἱ ἄλλοι ἐς βάθος ἀλλήλοις ἀνέκειντο, ἕως εἰς τοὺς ἀγροὺς ἐτελεύτα· τὸ δὲ ψιλὸν ἅπαν καὶ ἐκηβόλον ὄπισθεν περιέθει καὶ ἀνέμενε τὸν καιρὸν, ἡνίκα δέοι ἀκροβολίζεσθαι· ἀπεκέκριτο δὲ τοῖς Ἐρούλοις τόπος, τῆς φάλαγγος τὸ μεσαίτατον, καὶ ἦν ἔτι κενὸς, οὐ γάρ πω ἐκεῖνοι παρῆσαν. Ἐν τούτῳ δὲ ἄνδρες δύο τῶν Ἐρούλων (ἐτύγχανον γὰρ ἤδη νυτομοληκότες παρὰ τοὺς πολεμίους ὀλίγῳ ἔμπροσθεν, ὡς καὶ ἀγνοεῖν δή που τὰ ὕστερον τῷ Σίνδουαλ βεβουλευμένα) ἐξωτρυνέτην ἅπαντας τοὺς βαρβάρους ὡς τάχιστα ἐπιφοιτᾶν τοῖς Ῥωμαίοις· εὑρήσετε γὰρ αὐτοὺς, ἐφάτην, ταραχῆς τε καὶ ἀκοσμίας ἀναπεπλησμένους, τοῦ μὲν Ἐρουλικοῦ στρατοῦ χαλεπαινόντων καὶ ξυγκινδυνεύειν ἀναινομένων, τοῦ δὲ ἄλλου πλήθους τῇ ἐκείνων ἀποστάσει καταπεπληγμένου. Τούτοις δὲ ὁ Βουτιλῖνος ἀνεπέπειστο ῥᾳδίως, τῷ βούλεσθαι, οἶμαι, ἀληθῆ γε αὐτὰ καθεστάναι· αὐτίκα δὴ οὖν ἐπῆγε τὸν στρατὸν, καὶ ἅπαντες ξὺν προθυμίᾳ ἐχώρουν ἰθὺ τῶν Ῥωμαίων, οὐ μὴν ἠρεμαῖοι, οὐδὲ κατὰ κόσμον, ἀλλὰ τοῖς ἀγγέλμασιν ἀνεπτερωμένοι, θορύβῳ εἴχοντο καὶ προπετείᾳ, ὡς αὐτοβοεὶ ἅπαν τὸ ἀντιστατοῦν ἀναρπασόμενοι. Ἦν δὲ αὐτοῖς ἡ ἰδέα τῆς παρατάξεως, οἱονεὶ ἔμβολον (δελτωτῷ γὰρ ἐώκει) καὶ τὸ μὲν ἐμπρόσθιον ὁπόσον ἐς ὀξὺ ἔληγε, στεγανόν τε ἦν καὶ πεπυκνωμένον τῷ πάντοθεν ταῖς ἀσπίσι περιπεφράχθαι· φαίης τε ἂν αὐτοὺς συὸς κεφαλὴν τῇ συνθέσει ἀποτυπώσασθαι. Τὰ δὲ σκέλη ἑκατέρωθεν κατὰ στίχους τε καὶ λόχους ἐς βάθος ξυγκείμενα καὶ ἐπιπλεῖστον ἐς τὸ ἐγκάρσιον παρατεταμένα, διίστατο ἀλλήλων ἠρέμα καὶ ἀπεκέκριτο, καὶ προϊόντα ἐς μέγιστον εὖρος ἀπετελεύτα, ὡς καὶ τὸ μεταξὺ χωρίον κενὸν καθεστάναι, καὶ τὰ νῶτα γυμνὰ τῶν ἀνδρῶν στοιχηδὸν διαφαίνεσθαι. Ἀπεστραμμένοι γὰρ σφᾶς αὐτοὺς ἐτύγχανον, ὅπως ἂν τοῖς μὲν πολεμίοις ἀντιπρόσωποι εἶεν, καὶ ἐκ τοῦ ἀσφαλοῦς ἀγωνίζοιντο, τὰς ἀσπίδας προβεβλημένοι· τὰ δὲ ὀπισθίδια τῷ ἀλλήλοις ἀντιτετάχθαι διαφυλάττοιντο.

Ἀλλὰ γὰρ τῷ Ναρσῇ τύχης τε αἰσίας κυρή- A
σαντι, καὶ τὸ πρακτέον ἄριστα μηχανησαμένῳ, ἅπαντα ἐς δέον ἀπέβη. Ἐπειδὴ γὰρ οἱ βάρβαροι ξὺν βοῇ καὶ ἀλαλαγμῷ δρομαῖοι ἐπανελθόντες, συνέῤῥαξαν τοῖς Ῥωμαίοις, αὐτίκα διέσεισαν τοὺς ἐπὶ τῷ ὀμφαλῷ πρωτοστάτας ἀμφὶ τὸ κένωμα ἐσπεσόντες (οὔπω γὰρ παρῆσαν οἱ Ἐρουλοι) ἥ τε ἀρχὴ διατεμοῦσα τὸ βάθος τῶν λόχων, καὶ φόνον οὐ πολὺν ἐργασαμένη, ὑπὲρ τοὺς οὐραγοὺς ἐξηνέχθη· ἔνιοι δὲ αὐτῶν καὶ περαιτέρω ἐχώρουν, ὡς τὸ στρατόπεδον τῶν Ῥωμαίων αἱρήσοντες. Τότε δὴ ὁ Ναρσῆς ἐπικάμψας ἠρέμα καὶ ὑπομηκύνας τὰ κέρατα, καὶ ἐπικάμπιον ἐμπροσθίαν (ὡς ἂν οἱ τακτικοὶ ὀνομάσαιεν) τὴν φάλαγγα καταστήσας, παρακελεύεται τοῖς ἱπποτοξόταις ἐφιέναι τὰ βέλη ἑκατέρωθεν ἐναλλάγδην ἐς τὰ μετάφρενα τῶν πολεμίων· οἱ δὲ κατὰ ταῦτα ῥᾳδίως ἐποίουν. Ἅτε γὰρ πεζοὺς ὄντας τοὺς βαρβάρους ἐκ τῶν ἵππων ὑπερανέχοντες, εὐκολώτατα ἠδύναντο βάλλειν τὸ ἀφεστηκὸς καὶ ἠπλωμένον, καὶ ἐλεύθερον τοῦ ἐπιπροσθοῦντος. Καὶ ἦν οὐ χαλεπὸν, οἶμαι, τοῖς ἐπὶ τῶν ἄκρων ἱππόταις, τὸ μὲν κατὰ σφᾶς μέρος τῶν δυσμενῶν καὶ πλησιαίτατον ὑπερβαίνειν τοῖς βέλεσι, τοὺς δὲ ἀντικρὺ φαινομένους τιτρώσκειν. Διεπερονῶντο τοιγαροῦν πάντοθεν τὰ νῶτα οἱ Φράγγοι, τῶν μὲν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ κέρως τεταγμένων Ῥωμαίων τοὺς ἐκεῖθεν λυμαινομένων, τῶν D
δὲ ἐπὶ θάτερα τοὺς ἑτέρους. Οὕτω τε οἱ ἄτρακτοι παραλλὰξ ἐς τἀναντία φερόμενοι, καὶ ἅπαν τὸ παρεμπίπτον διαφθείροντες ἐλάνθανον, οὔτε φυλάξασθαι τῶν βαρβάρων οἷόντε γιγνομένων, οὔτε ὅθεν βάλλονται σαφῶς ἐπισκοπούντων. Ἀντιμέτωποι γὰρ τοῖς Ῥωμαίοις ἑστῶτες, καὶ ἐς μόνον τὸ καθ' αὑτοὺς ὡς ἕκαστοι ἀποβλέποντες, καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἔμπροσθεν ὁπλίτας ἐκ χειρὸς διαμαχόμενοι, τοὺς δὲ ἱπποτοξότας ὡς δὴ E
ὄπισθεν τεταγμένους οὐ μάλα ὁρῶντες, τάτε στέρνα οὐ βαλλόμενοι, ἀλλὰ τὰ νῶτα, οὐκ εἶχον διαγινώσκειν οὔπερ ἐτύγχανον ὄντες κακοῦ. Τοῖς δὲ πλείστοις οὐδὲ τῶν διαπορεῖν καὶ ἀμφιγνοῆσαι τὰ ποιούμενα χώρα ἐγίνετο, ἅμα τῇ πληγῇ τῆς τελευτῆς ἐπιφοιτώσης. Πιπτόντων γὰρ ἀεὶ τῶν ἐκτὸς, εὐθὺς οἱ ἔνδοθεν ἀνεφαίνοντο· καὶ τούτου θαμὰ γιγνομένου, διέῤῥει αὐτοῖς τὰ πλήθη ὡς τάχιστα καὶ ἠφανί-

An. Chr. 553.

Narseti autem et prosperam fortunam nacto, quìque quod facto erat opus optimè excogitarat, cuncta ex animi sententia successere. Postquàm enim Barbari ingenti clamore ululatuque excitato concitatiùs proruentes, impetum in Romanos fecerunt, confestim antesignanos medio inter duo cornua loco stantes perturbarunt, in vacuum illum exercitûs locum irruentes (neque enim adhuc Heruli advenerant) et prima quidem barbarici B exercitûs pars, perfracta ordinum serie, et cæde non magna edita, in postremum aciei agmen delata est: nonnulli verò etiam ulteriùs progressi, tamquam Romanorum castra capturi. Tum Narses inflexis sensim porrectisque alis, inversa aciei fronte (quod artis illius periti ἐπικάμπιον ἐμπροσθίαν vocaverint) equitibus sagittariis mandat, ut utrimque sagittas in hostium terga mutuò emittant: quod et ipsi facilè præstaC bant. Cùm enim Barbari pedites essent, ipsi ex equis editiores exsistentes, facillimè poterant ferire distantes expansosque, neque eis anteriùs officere valentes. Neque erat difficile, arbitror, equitibus ad extremitates constitutis proximos sibi et quàm maximè vicinos hostes sagittis transmittere; eos verò qui ex adverso conspiciebantur vulnerare. Trajiciebantur itaque Francis omni ex parte terga, Romanis quidem, qui ad dextrum cornu positi erant, D hostem ea in parte infestantibus; qui verò in sinistro cornu erant, eos qui in altera. Cùmque ita tela alternatim utraque ex parte in contrarium ferrentur, et quicquid obvium erat disperderent; Barbari neque telorum ictus evitare poterant, neque unde ferirentur satis animadvertebant. Cùm enim Romanis adversa fronte oppositi starent, singulique in id tantùm quod sibi oppositum erat intenti respicerent, et adversùs gravis armaturæ milites in E principiis stantes præliarentur; equestres autem sagittarios, utpotè retrò positos, non conspicerent, et telorum ictus non pectoribus, sed tergis exciperent; quò mali venissent, intelligere non poterant. Plerisque verò eorum ne dubitandi quidem ambigendique de iis quæ agebantur locus relinquebatur; statim cum ipso ictu morte eos corripiente. Cadentibus enim semper exterioribus, statim interiorum terga nudabantur: cùmque id assiduè continenterque fieret, copiæ quàm citissimè labefactaban-

Pag. 45.

An. Chr. 553.

tur atque interibant, et ad paucitatem redigebantur.

Intereà Sindual et Heruli cùm prælio appropinquassent, in hostes incurrunt, qui perfracta penetrataque Romanorum acie, reliquos præverterant. Statim itaque atque ad manus ventum est, pugnam cum eis conserunt: at illi inopinato rei eventu perculsi, imò potiùs insidias esse suspicati, confestim in fugam sunt versi, transfugas insimulantes, quòd ab eis essent decepti. Sindual verò acriter eis absque ulla intermissione instabat, donec alios prostravit, alios in vorticosum flumen adegit. Atque ita Herulis in suum locum receptis, vacuitas illa in medio exercitûs suppleta est, et phalanx clausa; Francique deinceps, veluti retibus involuti, omni ex parte cædebantur. Nam et ordo ipsorum penitùs erat dissolutus, et confusè inter se glomerabantur, quid fierent ignari. Romani autem non solùm sagittis eos interficiebant, sed et gravioris et levioris armaturæ milites invecti, hastas in eos torquebant, et contis profligabant, ensibusque obtruncabant: equites etiam diductis alis eos circumveniebant et concludebant. Si qui verò eorum enses effugerant, hi ipsi infectantium vi compulsi, præcipites in flumen ferebantur, Barbaris passim miserrimè pereuntibus. Ipse itaque Dux Butilinus cum universo exercitu ad internecionem periit; inter quos etiam illi Heruli qui ante prælium transfugerant: neque quisquam è Germanis ad suos est reversus, præter quinque viros, quocumque tandem modo illi evaserint.....

Pag. 46.

Pag. 47.

Mihi verò quidam ex indigenis retulit, carmen quoddam tabulæ saxeæ à quopiam inscriptum fuisse ad ripas fluminis positæ; quod sic habet.

Ἐζετο, καὶ ἐς ὀλιγότητα ὑπεχώρει.

Ἐν τούτῳ δὲ Σίνδουάλ τε καὶ οἱ Ἐρουλοι πελάσαντες τῇ μάχῃ, ὑπαντιάζουσι τῶν πολεμίων τοῖς διαπεραιωθεῖσι τὴν παράταξιν καὶ προαλωμένοις. Αὐτίκα δὴ οὖν αὐτοῖς ἐς χεῖρας ἐλθόντες, ἔργου εἴχοντο· οἱ δὲ τῷ ἀπροσδοκήτῳ καταπλαγέντες, καὶ μᾶλλον ἐνέδραν εἶναι τὸ χρῆμα ὑποτοπήσαντες, εὐθὺς ἐς φυγὴν ἐτράποντο, καταιτιώμενοι τοὺς αὐτομολήσαντας, ὡς δὴ ὑπ' ἐκείνων ἐξηπατημένοι. Οἱ δὲ ἀμφὶ Σίνδουαλ οὐκ ἀνήεσαν, ἀλλ' ἔκειντο ἐως τοὺς μὲν καταστόρεσαν, οἱ δὲ ἐς τὰς τοῦ ποταμοῦ ἐξέπεσον δίνας. Οὕτω τε τῶν Ἐρούλων τῷ σφετέρῳ χώρῳ ἐγκαταστάντων, τότε κένωμα ἐπληροῦτο, καὶ ἡ φάλαγξ συνεκέκλειστο· καὶ τολοιπὸν οἱ Φράγγοι, καθάπερ εἰς ἄρκυς ξυνειλημμένοι, ἐκτείνοντο πάντοθεν. Ἥ τε γὰρ τάξις αὐτοῖς τελεώτατα διελέλυτο. καὶ χύδην ἐπὶ σφᾶς ὑπελίττοντο, οὐκ ἔχοντες ὅ τι καὶ γένοιντο. Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι οὐ μόνον τοῖς τόξοις αὐτοὺς διεχρῶντο, ἀλλὰ τότε ὁπλιτικὸν καὶ οἱ ψιλοὶ ἐπήεσαν, δοράτιά τε ἀκοντίζοντες, καὶ τοῖς κοντοῖς διωθούμενοι, καὶ ταῖς μαχαίραις κατατέμνοντες· οἵ τε ἱππεῖς ὑπερκερώσεις ποιούμενοι, ὑπεδέχοντο αὐτοὺς εἴσω καὶ ἀπελάμβανον. Εἰ δέ τι αὐτῶν καὶ διέφυγε τὰ ξίφη, οἱ δὲ τῇ διώξει ἐκβιαζόμενοι, ἐς τὸν ποταμὸν κατεφέροντο, πανταχοῦ τῶν βαρβάρων οἰκτρότατα διολλυμένων. Αὐτός τε δὴ οὖν Βουτιλῖνος ὁ στρατηγὸς καὶ ὅλον τὸ στράτευμα πανωλεθρίᾳ ἠφάνιστο, ἐν τοῖς καὶ οἱ τῶν Ἐρούλων πρὸ τῆσδε τῆς ξυμπλοκῆς μεταβάντες· καὶ οὐδεὶς ὅστις τῶν Γερμανῶν ἐς τὰ πάτρια ἐνόστησεν ἦθη, ὅτι μὴ πέντε ἄνδρες ὁτῳδηοῦν τρόπῳ διαδεδρακότες.....

Ἐμοὶ δέ τις τῶν ἐπιχωρίων καὶ ἐλεγεῖόν τι ἔφη ἐς κύρβιν τινὰ λιθίνην ὑπὸ τοῦ γεγράφθαι ἀμφὶ τὰς ὄχθας τοῦ ποταμοῦ ἱδρυμένην, ὧδέ πη ἔχον.

Densa Casulino raptata cadavera ab amne
Tyrrheni accepit vasta crepido maris.
Ausonius Francos quo tempore straverat ensis,
Quotquot Butilino paruerant misero.
Felicem ô fluvium; fuerit vice namque tropæi,
Barbarico tingi posse cruore diu.

Ῥεῖθρα Κασωλίνου ποταμοῦ βεβαρημένα νεκροῖς,
Δέξατο Τυρσηνῆς ἠϊόνος κροκάλη.
Ἠνίκα Φραγγικὰ φῦλα κατέκτανεν Αὐσονὶς αἰχμὴ,
Ὁππόσα δειλαίῳ πείθετο Βουτιλίνῳ.
Ὀλβιον ἂν τόδε χεῦμα, καὶ ἔσσεται ἀντὶ τροπαίου
Αἵματι βαρβαρικῷ δηρὸν ἐρευθόμενον.

Pag. 49. *In Oratione Narsetis.*

Francorum enim natio est populosissima et maxima, et apprimè in re

Οἱ γὰρ Φράγγοι πολυάνθρωπόν τι γένος καὶ μέγιστον, καὶ λίαν ὀρθῶς τὰ πολέμια ἠσκη-

μένον· ἀπόμοιρα δέ τις αὐτῶν οἱ νενικημένοι βραχεῖα, καὶ ὅση μὴ δέος αὐτοῖς ἐμβαλεῖν, μᾶλλον μὲν οὖν καὶ πρὸς ὀργὴν ἀναστῆσαι. Οὐκ οὖν εἰκὸς αὐτοὺς ἠρεμήσειν, οὐδὲ καθέξειν ἐν ἀποῤῥήτῳ τὴν ὕβριν, ἀλλὰ πλείονι στρατῷ καθ' ὑμῶν ἥξουσι, καὶ οὐκ ἐς μακρὰν ἀναμαχοῦνται.

Ἐν ᾧδε ταῦτα ἐπράττετο, Θευδίβαλδος τὸ μειράκιον, ὃς δὴ τῶν προσοικούντων τὴν Ἰταλίαν Φράγγων ἐκράτει, ἥπερ μοι εἴρηται πρότερον, οὗτος δὲ οἰκτρότατα ἤδη ἐτεθνήκει τῇ νόσῳ παρατακεὶς τῇ συντρόφῳ. Ἐπεὶ δὲ Χιλδίβερτόν τε καὶ Χλωθάριον, ὡς δὴ καὶ τῷ γένει ἐγγυτάτους, ἐπὶ τὸν κλῆρον τοῦ παιδὸς ὁ νόμος ἐκάλει, αὐτίκα ἔρις αὐτοῖς ἐνέπεσε δεινὴ, καὶ οἷα μικροῦ δεῖν τῷ παντὶ λυμήνασθαι γένει. Χιλδίβερτος μὲν γὰρ γηραιὸς ἤδη ὑπῆρχε, καὶ πόῤῥω που ἤκων τῆς ἡλικίας, καὶ πρός γε ἀσθενείᾳ εἶχετο πολῇ, ὡς συνεσκληκέναι οἱ ἅπαν καὶ διατετῆχθαι τὸ σῶμα. Παῖδές τε αὐτῷ ἄῤῥενες οὐκ ἦσαν οἱ τὴν ἀρχὴν διαδεξόμενοι, ἀλλ' ἐν θυγατράσιν ἐγηρωκομεῖτο. Χλωθάριος δὲ ῥωμαλέος ἦν ἔτι, καὶ οὔπω λίαν ἐγεγηράκει, πλὴν ὅσον ἐς πρώτην ῥυτίδα, υἱούς τε εἶχε τέτταρας βούπαιδας ἤδη καὶ θαῤῥαλέους, καὶ πρὸς τὸ ἐνεργὸν ὡρμημένους. Τοιγάρ τοι οὐ μεθεκτέα ἔφασκε τῷ ἀδελφῷ τῶν Θευδιβάλδου χρημάτων, ὡς οὐκ ἐς μακρὰν καὶ αὐτῆς δήπου τῆς Χιλδιβέρτου βασιλείας ἐς αὐτόν τε καὶ τοὺς οἰκείους παῖδας μεταπεσουμένης. Καὶ τοίνυν οὐ διήμαρτε τῆς ἐλπίδος. Ὁ γὰρ πρεσβύτης ἑκὼν ἐνεδίδου τοῦ κλήρου, δεδιὼς, οἶμαι, τὴν δύναμιν τοῦ ἀνδρὸς, καὶ ἀπαλλαξείων τῆς ἐπ' αὐτὸν δυσμενείας. Ὀλίγῳ τε ὕστερον αὐτὸς μὲν ἀπεβίω, ἅπαν δὲ τὸ τῶν Φράγγων κράτος ἐς μόνον Χλωθάριον κατερρύη.

A bellica exercitata : et qui à nobis cæsi sunt, exigua quædam erat eorum portio, et quidem tantula, ut metum ipsis non sit injectura, sed potiùs iram concitatura. Verisimile itaque non est eos conquieturos, neque contumeliam tacitè in pectore pressuros, sed majorem exercitum in nos ducturos, brevique bellum redintegraturos. An. Chr. 553.

Intereà dum hæc geruntur, Theodibaldus adolescens, qui finitimis Italiæ Francis imperabat, ut suprà est à me dictum, miserrimè jam è vivis excesserat, morbo quo inde ab ortu laborarat absumtus. Cùm verò Childebertum et Chlotharium, utpotè genere proximos, lex patria ad hæreditatem juvenis vocaret, gravis statim inter eos contentio est orta, quæque parum aberat quin totum genus perderet. Childebertus enim jam (a) senex erat, et præterquàm quòd gravis annis esset, accedebat etiam summa infirmitas, adeò ut ipsi totum corpus colliquatum tabidumque esset : neque ulla ei erat proles mascula, quæ succederet in regnum; sed filias tantùm habens consenuerat. Clotharius verò valido adhuc erat corpore, neque admodùm senex; primas tantùm rugas contraxerat, et filios (b) habebat quatuor admodùm juvenes atque animosos, et ad audendum promtos. Quocircà non adeunda dixit fratri bona Theodibaldi, quippe quòd brevi etiam ipsum Childeberti regnum ad se et filios suos esset devolvendum. Neque eum fefellit sua spes. Senex enim ille sua sponte ipsi hæreditate cessit, veritus, uti puto, viri potentiam, ipsiusque inimicitiam declinare cupiens. Paulò pòst ipse quidem excessit è vivis, universum verò Francorum imperium ad solum Clotharium est devolutum. *Pag.* 51. An. Ch. 558.

(a) Non adeò senex erat Childebertus, cùm sub obitum Theodebaldi non plusquam 57. annos habuerit.

(b) Chlotharius tunc quinque habebat filios ; siquidem præter quatuor qui Chlothario successere, tunc adhuc vivebat Chramnus, qui nonnisi septimo post Theobaldi mortem periit, id est anno Christi 560.

EX MENANDRI PROTECTORIS HISTORIA, DE FRANCIS.

Inter Excerpta de Legationibus, edita Parisiis in fol. 1648.

Pag. 133. An. Chr. 552.

AMMIGUS Francus castra metatus est ex adverso fluminis Athesis, quà Romani transituri putabantur. Quo cognito, Narses Pamphronium, qui unus erat ex Patriciis Imperatoris, et Bonum privatæ rei Comitem, legatos ad Ammigum mittit. Per hos ei denuntiavit ut procul abscederet, neque bellum iterùm adversùs Romanos moveret. Nam tunc temporis inter Francos ac Romanos induciæ erant. Verùm Ammigus per eosdem legatos respondit, se nunquam Romanis cessurum, quamdiu sibi manus vibrando jaculo esset idonea.

A Ἀμμιγος ὁ Φράγγος ἐστρατοπεδεύσατο ἀντικρὺ τοῦ ποταμοῦ Ἀττίσου, ἡ προσδόκιμοι ἦσαν οἱ Ῥωμαῖοι διαβήσεσθαι. Ὁ δὲ Ναρσῆς τοῦτο ἐγνωκὼς, Παμφρόνιον ὃς ἐν τοῖς βασιλέως πατράσιν ἐτέλει, καὶ Βοῦνον προεστῶτα τῆς αὐτοῦ βασιλέως περιουσίας, ἐκπέμπει πρεσβευσαμένω ἄμφω ὡς Ἄμμιγον. Ἐδήλωσέ τε αὐτῷ ἐκποδὼν γενέσθαι, καὶ μηδαμῶς πόλεμον αὖθις κινῆσαι κατὰ Ῥωμαίων. Ἐκεχειρία γάρ τις ἐγεγόνει μεταξὺ τοῦ χρόνου Φράγγοις τε καὶ Ῥωμαίοις. Ὁ δὲ Ἄμμιγος διὰ τῶν πρέσβεων ἀπεκρίνατο, ὡς οὐκ ἐνδώσοι ποτὲ ἔστ' ἂν αὐτῷ τὸ ἀκόντιον οἷα τέ ἐστι κραδαίνειν ἡ χείρ.

Pag. 103. An. Ch. 565.

Postquàm Imperator [Justinus] ejusmodi terrorem legatis Abarorum incussit, Barbari cùm ex dictis cognovissent, Imperatorem avaritiam eorum minimè passurum esse, neque quicquam eorum, quæ priùs accipere consueverant, datum iri, neque incursiones in Romanæ ditionis regiones posthac faciendi sibi copiam fore, magnoperè angebantur animo, et apud se cogitabant quò tandem casuræ res essent, et qui exitus earum esset futurus. Nam neque Byzantii sine ullo fructu manere diutiùs, neque re infecta domum reverti volebant. Tamen è duobus malis minus eligentes, ad contribules suos redire satiùs duxerunt. Quibus juncti, in Francorum regionem abierunt, Imperatoris responsum admirati.

Τοιοῦτον ἐπισείσαντος φόβον τοῦ βασιλέως τοῖς πρέσβεσι τῶν Ἀβάρων, κατεγνωκότες ἐκ τῶν εἰρημένων οἱ βάρβαροι, ὡς οὐκ ἀνέξεται σφῶν τῆς πλεονεξίας, καὶ ὡς οὐδὲν αὐτοῖς ἐκδοθήσεται, ὧν ἐκομίζοντο πρότοῦ, καὶ ὡς τὸ λοιπὸν ἀδεῶς οὐκ ἐπδραμοῦνται τὴν Ῥωμαϊκὴν, ἐν δυσθυμίᾳ τε ἐτύγχανον πολλῇ, καὶ ἀναλογιζόμενοι ἦσαν ὅποι τὰ παρόντα ἐκβήσεται, καὶ ὅποι τύχης αὐτοῖς χωρήσοι τὰ πράγματα· οὐδὲ γὰρ μένειν ἐν Βυζαντίῳ ἀνόνητα ἤθελον, οὔτε μὴν ἄπρακτοι ἀπιέναι ἐβούλοντο. Ὅμως δ' οὖν τῶν κακῶν αὐτοῖς αἱρετώτερον ὑπῆρχεν, ἀπονοστῆσαι ὡς τοὺς ὁμοφύλους. Καὶ τούτοις ἐνωθέντες, ἐς τὴν τῶν Φράγγων χώραν ἀφίκοντο, τοῦ βασιλέως τὴν ἀπολογίαν θαυμάσαντες.

Pag. 110.

Cùm Abari et Franci fœdus inter se percussissent, et pax firmissima inter eos esset, Bajanus Sigisberto Francorum Duci significavit, exercitum suum fame laborare: decere eum qui Rex esset, ac prætereà indigena, minimè negligere exercitum sibi fœdere conjunctum. Quòd si copias Abarorum rebus necessariis recreasset, spondebat Bajanus haudquaquam se ultra triduum in ea regione moraturum esse. Hæc ubi Sigisberto nuntiata sunt, statim farinas, legumina, oves ac boves ad Abaros misit.

Ἀβάρων καὶ Φράγγων σπεισαμένων πρὸς ἀλλήλους, καὶ τῆς εἰρήνης ἐμπεδώτατα ἐχούσης, ἐσήμηνεν ὁ (a) Βαϊανὸς Σιγισβέρτῳ τῷ τῶν Φράγγων ἡγεμόνι, οἷα λιμῷ πεζομένης αὐτῷ τῆς στρατιᾶς· καὶ ὡς χρεὼν εἴη βασιλέα καθεστῶτα, καὶ πρός γε αὐτοχθόνα, μὴ περιϊδεῖν στράτευμα ἔνσπονδον. Ἔφασκε δὲ ὡς, εἴγε ἐπιῤῥώσει τῶν Ἀβάρων τὸ στράτευμα τοῖς ἀναγκαίοις, οὐ πλέον ἢ τρεῖς ἡμέρας αὐτοῦ ἐνδιατρίψει, εἶτα ἀπαλλαγήσεται. Ταῦτα ἐπειδὴ ἀπήγγελτο τῷ Σιγισβέρτῳ, παραχρῆμα ὅ γε ἄλευρά τε ἔστειλε τοῖς Ἀβάροις καὶ ὄσπρια καὶ ὄις βόας.

(a) Apud Chesnium Χαγανός : sic suum Regem Avares seu Hunni vocabant, ut tradit ipse Menander pag. 117. ὁ παρὰ τοῖς Οὔννοις λεγόμενος Χαγάνος. Gregorius Turon. l. 4. c. 29. *Omnes Reges gentis illius hoc appellantur nomine.*

EXCERPTA EX THEOPHYLACTI SIMOCATTÆ

HISTORIIS, DE FRANCIS.

Edit. Paris. in-fol. an. 1647.

EX LIBRO VI.

Τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ καὶ οἱ τῆς Κελτικῆς Ἰβηρίας πρέσβεις ἐς τὸ βασίλειον παραγίγνονται ἄστυ· Φράγγοι δὲ ἄρα οὗτοι τῇ νεωτέρᾳ γλώττῃ κατονομάζονται· αἱ δὲ προσηγορίαι τοῖς πρέσβεσι Βόσος καὶ Βέττος. Τούτους ὁ τοῦ ἔθνους δυνάστης (ὄνομα Θεοδώριχος αὐτῷ) ἐς βασιλέα ἐξέπεμπεν, ἠξίου τε συνθήκαις φορολογίας τῷ Ῥωμαϊκῷ συμμαχῆσαι, καὶ δώροις ἀνελέσθαι πρὸς τὸν Χαγάνον τὸν πόλεμον. Ὁ μὲν οὖν αὐτοκράτωρ τοὺς πρέσβεις φιλοφρονησάμενος δώροις ἀπόμισθον τὴν ξυμμαχίαν ἐκέλευσε Φράγγοις παρέχεσθαι, ἀργυρολογεῖσθαι τὸ Ῥωμαϊκὸν ὑπὸ τῶν βαρβάρων οὐκ ἀνεχόμενος.

Die tertio Legati Celtiberorum, qui hodie Franci dicuntur, Bosus et Bettus in urbem regiam veniunt. Hujus gentis Princeps, (a) Theodoricus nomine, eos ad Imperatorem [Mauricium] mittebat, ut tributum pro societate cum Romanis coëunda, et pretium pro bello adversùs Chaganum gerendo poscerent. Imperator Legatos humaniter muneratus, hortatus est Francos ut citra pretium societatem inirent; cùm pati non posset Barbaros à Romanis tributum exigere.

Cap. 3. *pag.* 147. An. Chr. 593.

(a) Loco Childeberti Theodoricum per errorem à Theophylacto scribi, observat Pagius Crit. in Annales Baronii ad an. 593. N. XI.

SANCTI GEORGII FLORENTII

GREGORII

EPISCOPI TURONENSIS

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ FRANCORUM

LIBRI DECEM.

Necnon FREDEGARII SCHOLASTICI Epitome et Chronicum cum suis continuatoribus.

Ad Codices manuscriptos et veteres editiones collata, emendata et aucta, atque notis et observationibus illustrata, opera et studio Domni Theodorici Ruinart, Presbyteri et Monachi Benedictini è Congregatione sancti Mauri.

EDITA PARISIIS IN-FOL. MDCXCIX.

SANCTI GEORGII FLORENTII
GREGORII
EPISCOPI TURONENSIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ FRANCORUM
LIBRI DECEM, etc.

PRÆFATIO
THEODORICI RUINART.

Præfationis summarium.

1. NEMO nisi peregrinus in Historia nescit, quàm celebris semper apud eruditos viros fuerit sanctus Gregorius Turonensis episcopus, qui nobilitate generis, vitæ sanctimonia, ac multiplicum scriptorum varietate inter ceteros ævi sui antistites plurimùm emicuit. Hîc verò de ejus operibus potissimùm dicturo, exponendæ ejus stirpis præstantiæ, præclarisque ejus factis fusiùs enarrandis immorari animus non est, cùm ea tum ex ejus scriptis, tum etiam ex Vita.... satis superque innotescant. Verùm circa novam ejus operum editionem quatuor mihi potissimùm occurrunt, de quibus rationem reddere operæ pretium puto. Primum est, quæ fuerit hujusce editionis vel necessitas vel utilitas. Secundum (a), quænam sint Gregorii opera, quove tempore aut ordine scripta fuerint. Tertium, an ex ejus Historiæ libris complura capita sint expungenda, ut Cl. viro Carolo Cointio visum est. Quartum denique, quid in hac editione à me præstitum fuerit. His expositis, quæ Gregorium spectant, posteà de Fredegarii Epitome, Chronico et continuatoribus..... paucis agendum.

I.

Novæ operum Gregorii editionis necessitas.

2. Meritò apud omnes temerarius audirem, si absque virorum eruditorum testimonio novam Gregorii operum editionem esse necessariam post tot alias et quidem variis temporibus à viris doctrina et eruditione celeberrimis publicatas, asseverare ausus fuissem. At cùm meæ assertionis vades habeam viros eruditos, quotquot hisce temporibus historiæ gentis nostræ illustrandæ operam suam collocaverunt, me apud viros cordatos excusatum iri non diffido : cùm maximè id opus in me non susceperim absque multorum amicorum consilio, qui mihi hærenti et præ laboris multitudine deterrito animum adjecere. Et quidem licèt illis qui priores editiones curaverunt, nec doctiorem me, nec diligentiorem existimem, quos ut magistros ultrò revereor et suspicio; me tamen eò feliciorem nemo infitiabitur, quòd et plures codices manuscriptos, qui in bibliothecarum forulis tunc latebant, præ manibus habuerim, quibus Gregorii opera emendare licuit, et innumeras virorum eruditorum animadversiones de Regum nostrorum rebus gestis, de chronologia et geographia Gallicana, deque aliis rebus ad gentis nostræ historiam pertinentibus, quibus Gregorium variis notis et observationibus illustrare non adeò operosum fuit.

A viris eruditis agnita.

3. Quòd verò necessarium fuerit ad codices manuscriptos Gregorii opera edita recensere, non meis sed aliorum verbis probare in promtu est : cùm passim conquesti fuerint viri eruditi, hæc non satis accuratè ob veterum codicum defectum ad auctoris mentem edita fuisse. Agmen ducet vir nunquam satis laudandus Hieronymus Bignonius, qui in Præfatione ad Marculfi formulas *plura* asseverat *in Gregorio Turonensi occurrere, et infinita propemodùm, quæ ab iis qui ediderunt, immutata sunt*. Idem sæpiùs observavit Hadrianus Valesius, Historiæ Francorum scriptor accuratissimus, qui cùm sæpiùs errores in editis Gregorii operibus advertisset, ad codices manuscriptos recurrere coactus fuit. *Et quoniam*, inquit in Præfatione ad

(a) Hanc secundam partem prætermittemus, sicut et alia, quæ Libros Historiæ non spectant.

secundum volumen, Gregorium *præter ceteros corruptissimum esse animadverteram, dedi operam, ut scripta in membranis ejus volumina nanciscerer*. Tunc recensitis codicibus manuscriptis qui in ejus manus pervenerant, profitetur se multùm ex eorum codicum accurata lectione, ac eorumdem diligenti cum editis libris collatione profecisse, cùm in notatione annorum, tum in propria hominum locorumque appellatione, ac in relatione rerum gestarum. Denique exponit singillatim præcipuos locos, quos anteà corruptos et vitiatos codicum illorum ope restituit.

4. Hæc scribebat Valesius etiam post exactam Andreæ Chesnii editionem, quam tamen iste cum plurimis codicibus manuscriptis collatam se adornasse testatus est. Valesio consentit R. P. Carolus Cointius, Oratoriii Gallicani presbyter, doctrina et pietate celebris, qui in illo immenso opere, quod Annales Ecclesiasticos Francorum inscripsit, passim de vitiatis Gregorii operibus conquestus est, sed potissimùm ad annum CDXVII. quo primùm de Gregorio agere incipit, ubi Valesii verba superiùs à me laudata adoptat; quæ causa eum impulit, ut præter eos codices quibus Valesius usus erat, etiam alios perquireret, quos in laudandis Gregorii operibus, illustrandisque Historiæ nostræ locis difficilioribus adhiberet. Sciebant nempe viri illi eruditi, quàm necessarium sit editiones veterum auctorum habere perquam emendatas, queis ad scribendam historiam recentiores adjuventur. Hanc ob causam complura exempla profert Valesius, quibus aut seipsum, aut alios anteà errasse ostendit, quòd in codices non satis accuratè aut descriptos, aut editos incurrissent. Verùm etsi hoc maximè curandum est iis qui ex antiquis monumentis historiæ illustrandæ operam navant, ut ea pura et sincera nanciscantur, id tamen potissimùm est observandum cùm desunt alii ejusdem ævi auctores, quorum ope nævi et errores, qui fortè in codices irrepserint, emendari facilè possint. Talis est Gregorius noster, unicus scilicet auctor, qui quidem supersit, qui data opera primorum gentis nostræ Regum, quorum tempore vivebat, gesta litteris mandaverit. Unde meritò Valesius ejus libros appellat *Historiæ nostræ fundum*, ex quo originum rerumque Francicarum prima notitia potissimùm repetenda sit : quem tanti faciebat vir ille doctissimus, ut historiæ suæ libros, quos summo labore et diligentia non vulgari adornavit, nonnisi commentarios in Gregorium Turonensem censuerit appellandos. Nec minùs Cointio usui fuit Gregorius in Ecclesiasticis Francorum Annalibus describendis, quos ex ejus libris ut plurimùm contextos videmus. Quanti autem fecerit Gregorium nostrum Hieronymus Bignonius, ex eo conjicere licet quòd ejus Historiam, codicem Legum antiquarum, et Marculfi formulas emendatas et notis exornatas, uno volumine comprehensas, tamquam unum corpus prisci juris, edere decrevisset, atque ob id jam codices aliquot fuisset mutuatus, ut testatur vir eruditus, qui præfationem posthumæ Marculfi formularum editioni præfixit, cujus hîc verba descripsimus.

Gregorius Historiæ Francorum fundus.

Ceteris præit tempore et sinceritate.

5. Ea enim est Gregorii nostri fortuna, ut quantumlibet rustico sermone scripserit, nemo de Francorum regni primordiis absque ejus subsidio scribere valeat. In hoc quoque laude dignus, quòd Francorum originem nullis fabulis resperserit, sicuti fecere qui posteà subsecuti sunt Historiæ nostræ scriptores. Nihil enim habet de Trojanis profugis, quos illi Francorum parentes effinxerunt; nihil de aliis ejusmodi næniis aut fabulis, quibus Historia nostra postmodùm, stante adhuc prima Regum nostrorum stirpe, infarta est, ut patet ex Fredegarii Chronico, ac ejusdem Fragmentis, quæ post ipsius continuatores edidimus. At Gregorius de origine Francorum dicturus, primùm auctores ipso superiores consuluit, quorum cùm testimonia retulisset, pauca de iis quæ vulgò ea de re circumferebantur subjunxit. Tres in hanc rem auctores profert, Sulpicium Alexandrum, Renatum Profuturum Frigeridum, et Orosium Historiographum. Postremum nemo non novit; duo alii nonnisi ex Gregorio nostro noti sunt : quæ verò ab iis de Romanis narrantur, ita ceteris historiæ Romanæ monumentis sunt consona, ut eos quoque de Francis vera scripsisse vix quisquam infitiari possit, maximè cùm videantur circa illa tempora floruisse.

Franciæ veteris situs.

6. Ex illorum verò auctorum testimoniis patet Francos diu in ea regione stetisse quæ ultra Rheni ripam posita est, quam ideò in Peutingerianis tabulis, aliisque veteris Germaniæ descriptionibus *Franciam* appellari non dubito. Hanc certè eo nomine disertè nuncupavit Sulpicius Alexander à Gregorio laudatus : ex quo etiam colligimus Ampsivarios, Chattos, Bructeros et Chamavos Francicæ gentis surculos fuisse. Quippe cùm Arbogastes Romani Imperii majestatem à Francis violatam

ulturus Rheno transmisso in *Franciam* trajecisset, Bructeros ripæ proximos, et pagum quem incolebant Chamavi, nullo sibi occursante, depopulatus est, inquit ille auctor, nisi quòd pauci ex Ampsivariis et Chattis Marcomere duce in ulteioribus collium jugis apparuere. Si enim, ut scitè observat Valesius, his populis non præfuisset Marcomerus, quem suprà idem Sulpicius *Francorum regalem* appellaverat, nec priores duos populos defendere debuisset, nec duos posteriores habere potuisset milites. Reges an tunc habuerint Franci, an verò Duces solummodò, aut quovis alio nomine appellarentur, Principes, Subregulos, aut Regales, inquirit Gregorius, remque in medio relinquere videtur, cùm apud eos auctores ante Eugenii tyranni tempus nemo è Francis Regis titulo donatus occurrat. Qua in re graviter culpatur à Valesio, qui Reges apud Francos semper exstitisse contendit. Verùm etsi de regis nomine disputandi animus non sit, non tamen evinci posse arbitror ex antiquo ullo monumento, Francos omnes tunc temporis unico regi paruisse. Quamvis certum videatur familiam aliquam inter eos fuisse *primam*, ut loquitur Gregorius, et *nobiliorem*, ex qua populi rectores adsumi consueverant, quos Romani scriptores, pro aliarum gentium more et suo loquendi modo, *Reges* aut *Regulos* appellarunt. Quo verò nomine apud ipsos Francos dicerentur, quis divinare velit? Inter eos tamen reges aliquem fuisse ceteris præstantiorem infitiari nolim, cùm ejusmodi fuisse videatur ex ipso Gregorio non solùm Chlodio, sed et ipsemet Chlodoveus, quem legimus complures è suis consanguineis Francorum reges habuisse, quos unum post alterum monarchiæ desiderio captus oppressit. Et quidem cùm post ejus mortem filii ipsius regnum inter se diviserint, hunc antiquum fuisse gentis morem vix quisquam negare potest.

An Reges initio Franci habuerint?

An plures?

7. Francorum itaque in ulteriori Rheni ripa sedes erat : sed gens bellicosa et quietis impatiens, Rheno sæpe transmisso, Romanorum provincias depopulabatur : unde natæ passim occasiones multa prælia conserendi, in quibus Franci modò repressi ac victi, modò etiam victores fuerunt. Turbatis intereà Imperii rebus ob exortos tyrannos, utraque pars eos ad sibi auxiliandum advocavit. Nec diu inter Romanos fuerunt, quin ex iis multi sua virtute, et animi magnitudine primos militiæ honoris gradus, immò et ipsa civilia officia meruerint. Et quidem jam longè anteà fœdera inierant Romani cum Francis, quæ nonnisi renovata fuisse Eugenii temporibus ex Sulpicii Alexandri verbis testatur Gregorius. Nec immeritò, si verum sit quod Constantinus Porphyrogenitus Imperator ad Romanum filium suum scribit, scilicet Constantini magni decreto sancitum fuisse, ne Romani, exceptis solis Francis, cum barbaris unquam nationibus fœdus inirent. Hæc quippe sola erat vincendi Francos ratio, si fœderibus initis, aut alio quovis modo, à solitis prædationibus abstinere cogerentur. Unde Libanius in Panegyrico Constantio et Constanti Imperatoribus dicto, his Principibus gratulatur ob jugum grave Francorum cervicibus impositum, quod quidem jugum aliud non fuisse subjungit, nisi quòd istorum principum virtute Franci intra fines suos repressi, deinceps Romanorum provincias aggressi non fuissent, cùm idem omninò censeri debeat vel Francos concitatos vincere, vel efficere ut non concitentur. *Franci igitur*, inquit, *tam grave jugum subierunt. Etenim hæc illis servitus est nullos habere quos deprædentur.*

Franci apud Romanos dignitates habent.

Eorum fortitudo.

8. Cùm verò inclinata omninò Imperii Romani majestate, nullus jam Francorum armis resistere potens esset, non modò provincias deprædaturi, sed sedem sibi certam adquisituri Rhenum transierunt : quod cùm primò variis irruptionibus tentassent, sensim tandem variis progressibus modò una, modò altera urbe aut provincia sibi adquisitis, obtinuerunt. Primùm, qui in Galliis regni fundamenta jecit. Pharamundum vulgati auctores appellant : at de eo tam apud Gregorium, quàm et apud Fredegarium, ejus epitomatorem et continuatorem antiquissimum, altum ubique silentium. Is honor, si Gregorio credamus, potiùs Chlodioni, seu, ut eum appellat, Chlogioni, deberi videtur, qui apud Dispargum castrum in termino Thoringorum, seu, ut alii scribunt, Tungrorum, inhabitans, missis primùm Camaracum exploratoribus, hanc posteà urbem, totamque regionem ad Somonam fluvium occupavit. Hæc solummodò de eo memorat Gregorius. De Meroveo verò rege id unum dicit, quòd è Chlogionis stirpe procreatus adseratur. Hujus filius Childericus fuit : cujus variam fortunam, id est è regno expulsionem, et post aliquot annos, quibus Egidius Romanæ militiæ magister Francis præfuisse dicitur, restitutionem, solus narrat Gregorius : at certiora sunt quæ de ejusdem Regis in Galliam expeditionibus habet, in quibus Aurelianum et Andegavos urbes clarissimas

Sedes ultra Rhenum.

obtinuisse memoratur. Obiit Childericus in Belgica secunda, ubi prope Turnacum tumulus ejus nostra ætate detectus est : cujus si quis cupit accuratam habere descriptionem, legat librum ea de re à Chiffletio editum anno MDCLV. pretiosa verò cimelia quæ in eo inventa sunt, in Bibliotheca regia Parisiis habentur. An verò illi Reges in Galliis sedes fixas habuerint, nusquam disertè exprimit Gregorius ;

In Belgica. eos tamen regnum suum in Belgicæ secundæ fines protendisse, unde in alias Galliarum provincias excurrebant, vix quisquam dubitare potest. Eamque Gregorii fuisse mentem colligo ex substitutione de Egidio in Childerici locum facta. Egidius enim in Belgica secunda morabatur, cujus regni sedem Augustam Suessionum adhuc tenebat filius ejus Syagrius, cùm eum exinde pulsum ac devictum Chlodoveus tandem occidi curavit. Sed et ipse Chlodoveus, regni paterni factus heres, nihil non movit, ut et regiones Gallis seu Romanis adhuc subjectas invaderet, et vicina quoque regna suo imperio subjugaret : quæ ei fuit occasio multos è suis consanguineis morte afficiendi. Occisis itaque qui è gente Francorum erant, aliis regibus, interemto Syagrio Romanæ militiæ præfecto, superatis non semel Burgundionibus, ac denique devictis Visigotthis qui Septimaniam vicinasque provin-

Gallia ferè tota eis subjecta. cias regebant, totam fermè Galliam suo imperio adjecit, *Cathedraque regni Parisiis constituta*, florentissimum illud regnum, quod hactenùs, Deo Opt. Max. præstante, perseverat, ad summum fastigium extulit, cujus præcessores tamdiu fundamentis imponendis insudaverant.

Regiminis forma. 9. Quænam verò ante illud tempus regiminis forma apud Francos valuisset, quæ essent eorum leges aut consuetudines, quove ordine Reges aut patribus succederent, aut ex Regia familia eligerentur, quam denique Reges haberent in subditos auctoritatem, difficillimum est exponere. Eorum religionem uno verbo indicat Gregorius,

Religio. cùm eos *fanaticorum*, id est paganorum, erroribus fuisse detentos ait, priusquàm Chlodoveus Christianam religionem amplexus fuisset : nonnullos tamen ex iis Arianos fuisse colligimus ex eodem auctore, qui Lantechildem Chlodovei sororem Arianam fuisse commemorat. Hujus quippe sectæ errores à Gallis seu Romanis illa non imbiberat, qui ab iis planè erant immunes, sed aut à contribulibus suis, aut certè ab aliis barbaris, quos ferè omnes hoc veneno infectos fuisse nemo nescit. Tantus verò erat

Ad bellum ardor. in Francis ad pugnas ardor, tanta ad bellum propensio, ut teste Libanio, felicitatis apex apud eos essent belli tempora, et mutilati uno membro, parte reliqua integra præliarentur. Singulis autem annis saltem semel in unum conveniebant de rebus majoris momenti collocuturi, id est de bello in hostes promovendo, aut certè de aliqua irruptione facienda in vicinos populos : capta præda, singuli sorte aut alio quovis modo partem suam obtinebant : quod ita religiosè servatum fuisse colligimus ex ipso Gregorio, ut ne quidem Rex aliud percipere soleret, quàm quod ei communi sortis lege obtigisset.

Conventus. 10. Illi porrò conventus Campus-Martius, vel à Marte bellorum deo, aut à Martio mense, quo fieri solebant, nuncupabantur. Hinc cùm posteà in Maium mensem à Pippino translati fuissent, passim Campus-Maii, seu Madii appellati fuerunt. Campi-Martii convocationem à Chlodoveo factam commemorat Gregorius Historiæ lib. 2. cap. 27. ad quem omnes cum armorum apparatu convenire mandavit, eorum nitorem ostensuros. Nec dubium est quin etiam, si inter aliquos Francos lites aut jurgia fortè oborta fuissent, in ejusmodi conventibus finirentur. Hæc primùm facilia erant ; sed dilatato posteà per complures provincias regno, præter illum conventum generalem, alii cùm rerum necessitas exigebat à rege convocabantur : qui licèt quandoque Campi-Martii aut Campi-Madii nuncupati fuerint, ut plurimùm tamen *Placitorum* nomine apud veteres auctores solent designari. Sed et cum præ negotiorum multitudine, aut itinerum longinquitate difficillimum fuisset omnia negotia in uno loco, aut intra paucorum dierum intervallum terminare, in majoribus civitatibus instituta sunt placita statis temporibus, quæ à comitibus aliisve officiariis habebantur, immò etiam et ab episcopis et abbatibus, quorum judicio res, quæ tanti non erant momenti ut ad Regium palatium deferri deberent, finiebantur. Posteà et in vicis et oppidis minora etiam placita instituta fuerunt, quibus præerant officiales à comite designati, qui ideò vicecomites, aut vicarii appellati leguntur.

Officia et dignitates. 11. Inde porrò nati sunt varii Officialium et dignitatum gradus inter Francos, quorum nomina et officia ut plurimùm à Romanis mutuati sunt. Qui ex nobilissimis familiis exorti, nullo peculiaris dignitatis titulo designabantur, ii Viri fortes,

Seniores, Majores-natu, Primores, Priores, Primates, Optimates, Magnates appellabantur, quorum consiliis Rex in placitis uti solebat. Alii verò aulicas dignitates consecuti, erant Cancellarii, Referendarii, Domestici, Cubicularii, Camerarii, Comites-stabuli; præcipui erant Palatii Principes aut Majores, etc. Nec omittendi Regis nutritores, Bajuli vulgò dicti, maximæ apud Principes auctoritatis. At illi quibus civitatum cura commissa erat, Comites dicti sunt, qui et suos quoque in civitatibus officiarios habebant, qui passim in formulis recensentur. Duces verò supra multos Comitatus constituti, potissimùm exercitibus præficiebantur : quamquam et suos etiam milites habebant Comites, quibuscum ad bellum, cùm urgebat necessitas, progrediebantur. Qui verò in Burgundia aut in Provincia Patricii dicebantur, nomine tenus sub Francorum regimine à Ducibus distincti erant. Tribunum alicubi memorat Gregorius, qui et alio in loco de tribunitia potestate loquitur. Comites autem qui tributa aliosque fisci reditus in provinciis debitos ad principem deferri curabant, etiam et Comitatus suos quandoque aut pretio emebant; aut, ut in iis continuarentur, præmiis et pecunia obtinebant. Quæ causa fuit ut viri ignobiles nonnulli ad ejusmodi dignitates evecti fuerint. Fiscales tamen præter eos officiarii fuerunt, sic dicti, quòd villarum regiarum curam haberent : qui et ipsi sub se fiscales variorum graduum officiarios et servos habebant, qui passim laudantur apud Gregorium.

12. Locus hîc esset inquirendi, quænam fuerit apud veteres Francos inter familias differentia : utrumve medius quidam inter nobiles et servos fuerit hominum status. At iste nodus absque aliquo monumento solvi non potest, cujusmodi de Francis, antequàm in Galliis stabiliti fuissent, nusquam reperi. Hoc unum constans invenio, *Franci* nomine hominem liberum et à qualibet servitute immunem designari. Cùm verò Franci simul cum veteribus Gallis, seu, ut tunc loquebantur, Romanis, in unum populum coaluerunt, homines alios ex nobilissimis et senatoriis, ut habet Gregorius, familiis exortos invenio, alios servituti mancipatos, alios ingenuos natos, alios verò servitutis jugo dominorum suorum beneficio, omninò vel ex parte, absolutos. Qui ex veteribus Gallis aut opibus præstabant, aut erant ex antiquis familiis orti, dignitates, etiam præcipuas, sicut et veteres Franci, obtinuerunt, factique sunt comites et duces : quos ideò passim apud Gregorium legimus his vocibus designatos, *Francus*, aut *Romanus genere*. Quin et urbium quarumdam civibus sua privilegia servata fuisse colligimus, quòd à Rege, cùm earum possessionem inibat sacramentum exigerent, ut sua ipsarum privilegia integra servarentur. Familiæ.

13. Haud minùs ignotæ sunt leges, queis Francorum gens ante stabilitam eorum in Gallis sedem uterentur. Memorat Libanius in panegyrico jam suprà à me laudato leges, quibus erat sancitum apud Francos, ut qui apud eos majora auderent, majoribus etiam honoribus potirentur. Celebris semper fuit apud majores nostros lex Salica, de cujus origine et variis additamentis viri eruditi passim scripsere. At cùm certum sit eam ad posteros, qualis primitus fuit à Francis adhuc ethnicis instituta et dictata, non fuisse transmissam; veterum Francorum mores exinde, maximè in his quæ ad Religionem pertinent, exploratos habere non possumus. Modum quo Legati Chlodovei nomine Chlotildem desponsarunt, exhibet Fredegarius in Epitome capite 18. *Offerentes*, inquit, *solidum et denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei desponsant.* Quod in veteribus formulis apud Bignonium num. 5. *secundùm legem Salicam* fieri dicitur. At nihil de iis habet noster Gregorius; sed lib. 9. Historiæ capite 20. exemplar refert pactionis, in qua de dote et morganegiba, id est dono quod maritus uxori primo die nuptiarum mane offerebat, agitur. Veteres Francorum leges à paganismo primus expurgavit Theodoricus, perfecere Childebertus et Chlotharius ejus fratres, quas item auctas et emendatas publicavit anno DCXXX. Dagobertus, ut ex præfatiuncula ad ejusdem Regis Capitularia patet. . . . . Legis autem Salicæ aut alterius cujuslibet, ne nomen quidem, præter Ecclesiasticos Canones et legem Romanam, usquam exprimit Gregorius : at ex iis quæ narrat, facilè colligimus Salicæ legis scita quæ ad regimen pertinent, à Francis semper constantissimè fuisse observata. Tale est illud ex capite 62. num. 6. quo cavetur, ne ulla Salicæ terræ portio ad mulierem veniat, sed tota ad virilem sexum devolvatur. Quod accuratè in regni successionibus observatum fuisse ex Gregorii Historia discimus. Nusquam enim apud eum legimus in regni divisionibus feminas in partem venisse. Immò, si quis Rex absque maribus fato functus fuit, non ipsius filiæ, Leges. Successio.

sed aut fratres aut nepotes ad regni successionem accesserunt. Hæc prima fuit inter quatuor Chlodovei-Magni filios regni dividundi ratio; eademque post Chlotharii monarchæ mortem inter ipsius filios servata : et Chariberto aut Childeberto Regibus, absque virilis sexûs liberis defunctis, non eorum filiæ, sed fratres successerunt.

Regiorum liberorum dignitas.

14. Et tamen ea erat è regiis liberis filiarum dignitas, ut in probis auctoribus nusquam invenias ullam aliis quàm Regibus in matrimonio locatam. Quin etiam tum cùm in paterna domo conjugii expertes manebant, *Reginæ* nuncupabantur; fortè ut meminissent solis se Regibus fore desponsandas, nec aliis copulandas viris, ne tam illustre nomen deturparent. Sic et Regum filii *Reges* passim appellatos fuisse legimus, quòd paterno regno substituendi forent. Mos enim tunc erat inter Francos receptus, ut rege mortuo, pro filiorum numero regnum divideretur; et ita in suo quisque regno erat à ceteris fratribus absolutus, ut nullus esset qui in fraterni regni regimine quidquam potestatis haberet. Id ex eo patet quod Guntramno accidit. Nam cùm filios non haberet, etsi nepotum suorum, ut loquimur, id est filiorum fratrum suorum, pater vulgò nuncuparetur; cùm tamen Episcopos in Chlotharii parvuli regnum misisset, qui cum ejus regni primoribus de Prætextati cæde in loco sancto facta inquirerent; Chlotharii primates id se non permissuros esse contestati sunt, cùm ad ipsos, regis sui tutores, attineret auctoritas *regali sanctione* malè acta comprimendi. Et re ipsa numquam impedire potuit, quin Melantius, in Prætextati sedem ipsa agente Fredegunde intrusus, Rotomagensi ecclesia potiretur. Reges verò ætate minores qui regno administrando nondum habiles et idonei erant, manebant sub tutela et matris, si superesset, et regni ipsius optimatum, ut de Childeberto Sigiberti, et Chlothario Chilperici filiis ex Gregorio liquet. Childebertus idem annos vitæ quatuordecim egressus, à patruo suo Guntchramno Rex, id est populis per seipsum regendis potens, seu, ut loquimur, Major declaratus est lib. 7. Historiæ capite 33. ex quo etiam capite instituendi regis modum discimus : nam ibi Guntramnus *data in Childeberti manu hasta,* dixit : *Hoc est indicium, quòd tibi omne regnum meum tradidi.* Certè ex veteribus nummis discimus, hastam apud Francos regiæ potestatis insigne fuisse. Chlodoveus tamen post Sigiberti Coloniensis regis et ejus filii necem in *clypeo evectus*, Rex eorum loco constitutus fuit. Sigibertus autem à Neustrasiis in Regem acceptus *super clypeo impositus est.* Nec aliter Gundovaldum-Ballomerem à suis in Regem evectum fuisse legimus. Supremum autem Regum nostrorum dominium soli Deo subjectum memorat passim Gregorius, cùm eos, nisi justitiam exercuerint, judicium Dei sibi imminere admonet. Cujus rei egregium habemus exemplum in libro 5. Historiæ capite 19. ubi Gregorius Chilpericum alloquens, regi quidem Episcopos omnes esse subjectos testatur; Regem verò ipsum nonnisi Deo, qui criminum quorumcumque hominum ultor est. *Si quis*, inquit, *ex nobis aberraverit, à te potest emendari; si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur tibi, sed si volueris, audis; si verò nolueris, quis te condemnabit, nisi qui se justitiam esse pronuntiaverit?* Nullum etiam supra se hominem agnoscebat Chlotharius Chilperici ipsius pater, qui post fratrum suorum eorumque filiorum funera monarcha factus, cùm proximus esset morti, ac vi febris magnoperè vexaretur : *Vva*, inquiebat, *qualis est ille Rex cœlestis qui tam magnos reges interficit!* Hinc numquam tulere Francorum reges, ut ne minima quidem subjectionis umbra eorum Imperium obscuraretur. Memorabile est hanc in rem Theodeberti Austrasiorum regis facinus, qui referente Agathia auctore Græco, cùm audiisset Justinianum Imperatorem inter alios titulos, *Francici* etiam nomen usurpasse, quasi aliquando Francos vicisset; exercitum movit, ut Constantinopolis urbis expugnatione, subjugato imperio, tanta Imperatoris vanitas dilueretur. Et quidem non minorem se agnoverat Chlodoveum Anastasius Imperator, cui, testante Gregorio, codicillos de consulatu transmisit in honoris et amicitiæ tesseram. Non enim aliquam ab Imperatore potestatem ex hoc accepisse censendus est Chlodoveus, qui jam tunc temporis Imperatorem ipsum potentia superabat. Exinde tamen Chlodoveus more Imperatorum diademate redimitus in publicum processit, et blattea, id est purpurea veste, usus, *Augusti* nomine donatus fuit.

Regum auctoritas à quovis absoluta.

Populorum amore conciliata.

15. Hanc autem summam, qua pollebant Reges nostri auctoritatem, non supercilio in populos, veluti Orientales Reges qui à popularibus suis adorari consueverunt, non etiam auri et divitiarum amplitudine sibi conciliarunt, sed amore in populos, et mutuo popularium in Regem amore, qui in Francorum cordibus à

natura

natura insitus videtur. Hinc factum est ut ceteræ nationes, quæ inclinato Imperio variis in provinciis sedes acceperant, haud diu eas servare potuerint, quòd sua potestate abuterentur. At Franci quas provincias virtute sua adquisierunt, non solùm servavere incolumes, sed et vicinas aut sibi subjecere, aut suis contenti finibus effecere tributarias. Quis nesciat Wandalos, Alanis exstinctis, Africam vix uno sæculo obtinuisse, ac paulò pòst Suevos in Gallæcia jugum Wisigotthorum subire fuisse coactos? Haud diutiùs substitere Burgundiones in Gallia, Ostrogotthi in Italia, Wisigotthi in Septimania. At Franci hodieque in Galliis perseverant, qui in ipsis stabiliti regni primordiis, Alamannos, Bajoarios, Thuringos, Saxones, Winidos, Sclavos, aliasque nationes, aut subjectas sibi, aut tributarias fecere. Wisigotthos expulerunt ex Septimania, Burgundionum regnum planè exstinxerunt, Ostrogotthos in Italia terruerunt, Langobardis, qui Gotthis in Italia successerant, tributa imposuerunt : iique ita erant ipsis addicti, ut neque Regem sibi constituere auderent absque Francorum venia. Uno verbo, nihil non Francis parebat : quorum amicitiam et ipsi Imperatores tanti faciebant, ut eam crebris legationibus, largitionibus pecuniarum, et provinciarum cessionibus captarent; parumque abfuit quin tributa ipsis penderent, id sine dubio facturi, ni pudor obstitisset. Cùm enim ea ab Imperatore * Theoderici Regis legati exigere voluissent, *Imperator*, inquit Theophylactus Simocatta libro 6. Historiarum, *legatos humaniter muneratus, Francos adhortatus est, ut citra pretium societatem inirent, cùm ferre non posset Barbaros à Romanis tributum exigere.*

* Childeberti.

16. Tanta quippe jam tunc erat Francorum fama, tantaque sub illis principibus populorum felicitas, ut et vicinæ gentes, quæ ex Romani imperii reliquiis à Barbaris fuerant subjugatæ, teste Gregorio, Francos habere Reges desiderarent, sub quibus, et religio Catholica, quam nuper amplexi fuerant, floreret, et libertate sua populis uti liceret. Id autem contigit post Chlodovei conversionem, cùm non solùm Remigium, sui et totius gentis Apostolum, sed alios quoque Episcopos, ex quibus multi in Galliis tunc erant sanctitate celebres, Consiliarios adhibuit. Exstat ea de re beati Remigii epistola, quæ principis officia paucis verbis, sed efficacissimis complectitur. Ceterùm tanta extunc cœpit esse Episcoporum auctoritas, ut nihil ferè absque eorum consilio fieret. Testis est Gregorius complures eorum legationibus functos fuisse ad exteros principes. Si verò inter fratres post regni divisionem aliqua exorirentur discidia, componebantur per Episcopos : citra quorum interventum vix quisquam, qui à Regis gratia excidisset, eam recuperabat. Harum similiumve rerum exempla congerere non videtur operæ pretium, cùm passim lectoribus in Gregorii historia occurrant. Certè cùm in expeditione Hispanica Guntramni exercitus rapinis inhians rem malè gessisset, convocatis Rex quatuor Episcopis cum aliis è regni primatibus, exercitûs Ducum causam excutere cœpit, referente Gregorio lib. 8. Historiæ capite 30. Sic et post Prætextati mortem, idem Princeps tres Episcopos ad Chlotharii regni optimates delegavit, qui ea de re inquirerent. Denique cùm idem Guntramnus de legitimis Chlotharii, Chilperici ex Fredegunde filii, natalibus dubitare videretur, Regina accersitis imprimis *regni prioribus*, *id est Episcopis, etc.* filii sui nativitatem fuisse legitimam sacramento approbavit. Minimè itaque mirum cuiquam videri debet, si Episcopi suis in urbibus privatorum causas cum adjunctis comitibus aliisque officiariis judicarent, ut ex antiquis formulis, aliisque veteribus passim monumentis, immò et ex Gregorio nostro certum est, cùm ipsi de majoribus regni causis sententiam ferrent.

Felicitas populorum sub Francis.

Episcopi in consilium Regium adsciti.

17. Neminem enim in suis regnis majorem Episcopis agnoscebant Reges nostri, quos Christi vicarios, et mysteriorum Dei dispensatores esse sciebant. Hinc primi in placitis adsidebant, eorumque nomina ante quoslibet alios recensebantur. Filios Regum ipsi è sacro fonte suscipiebant; ad mensam regiam non rarò etiam invitabantur, eorumque benedictionibus muniri reges ipsi flagitabant : unde aliquando Chilpericus rex, ut olim Jacob ad Angelum, se non dimissurum Gregorium nostrum asseruit, nisi priùs ab eo benedictionem recepisset. Quæ regum nostrorum religio ac pietas eos movit, ut non solùm priscas clericorum ecclesiarumque immunitates, quæ ab Imperatoribus concessæ fuerant, confirmarent, sed et ut novas etiam veteribus adjicerent. Remensis ecclesia in qua fuerant in Christo generati, simul et beati Remigii eorumdem Apostoli basilica, omni immunitate gaudebant, teste Frodoardo. Narrat Gregorius libro 3. Historiæ, capite 25. ea omnia quæ ab

Regum in eos reverentia.

Arvernorum ecclesiis fisco reddi consueverant, ipsis à Theodeberto rege indulta fuisse : quod Childebertus II. lib. 10. capite 7. confirmasse memoratur. At Turonenses non modo clerici, sed et cives omnes, à quovis tributo erant liberi ob reverentiam sancti Martini. Si autem aliquando fiscalium ministrorum cupiditas, aut alia quævis ratio principibus contrarium suasisset, Episcoporum monitionibus et intercessionibus cedebant. Rem paulò plus quàm ceteri promoverat Chlotharius hujus nominis primus, qui, ut omnes Ecclesiæ redituum suorum partem fisco persolverent, decreto sanciverat. At conniventibus Regis voluntati, metu aut adulatione, ceteris Episcopis, Injuriosus Turonum antistes rem adeò insolitam non ferens, insalutato rege abscessit : quo facto commotus rex, ductusque pœnitentia, ut episcopus rediret rogavit; eumque, fracto propriis manibus edicto, laudatum muneribus honoravit, quòd ei tam salubre consilium inspirasset. Quàm verò in his servandis religiosi fuerint Reges nostri, scribit Gregorius lib. 9. capite 20. sed memoria æterna dignum est Chariberti regis factum, qui cùm ab Eufronio Episcopo monitus fuisset tributa à suis ministris apud Turones fuisse exacta, ingemuit, tum libris censuum incendio traditis, aureos quoque jam receptos Turonos remisit : veritus ne quod officiales suo nomine etiam ipso inscio exegerant, in suum caput Dei et sancti Martini indignationem concitaret.

Francorum Reges Catholicæ fidei addicti.

18. Quantùm verò Catholicæ religionis professioni addicti semper fuerint Reges nostri, ex eo maximè patet, quòd uxores hæresi infectas ducere nunquam voluerint. Brunichildem Sigibertus uxorem habuit, Galesuintham Chilpericus ejus frater, ambas Athanagildi Wisigotthorum regis filias, et Ariana hæresi contaminatas : at neutra in thorum regis admissa est, quin priùs hæresim suam ejurasset. E contrario nostrorum Regum filiæ exteris regibus à Catholica fide alienis in matrimonio collocatæ, suam religionem inviolatam intemeratamque servaverunt : atque hoc primum præcipuumque matrimonialium pactorum fuit, ut suæ religionis liberum exercitium Reginæ illæ haberent. Quod quidem pactum cùm Amalaricus, qui Chlotildem Chlodovei Magni filiam duxerat uxorem, violare tentasset, morte, quam ei Chlotildis fratres intulerunt, perfidiam suam eluit : illa verò in fide Catholica constantissimè perseveravit. Iisdem conditionibus Chlotsinda, Chlotharii I. filia, Alboino Langobardorum regi, Ingundis Hermenigildo regi Wisigotthorum in Hispania, et Bertha Cantiorum in Anglia regi nupserunt : quæ quidem Reginæ omnes, non solùm Catholicam fidem perseveranter coluerunt, sed eam quoque viris suis inspirarunt, adeòque gentibus, inter quas ipsæ versabantur. Hortatur ea de re Nicetius Trevirorum sanctissimus antistes Chlotsindam in epistola, in Appendice referenda, ut scilicet non solùm religionis suæ integritatem virtutibus et vitæ sanctimonia conservaret, verùm etiam ut et veritatem ejus viro suo, Alboino regi, et omnibus Langobardis ipsi subjectis persuadere conaretur. Et quidem licèt infructuosi fuerint Alboino Chlotsindæ conatus, quæ tamen ipsa tunc seminaverat, posteà, ut quidem existimare licet, pullulaverunt, cùm alterius Reginæ ex gente Francorum, testante nostro Gregorio, oriundæ, Theodelindæ scilicet, suasu Agilulfus cum gente sibi subdita fidei Catholicæ confessionem amplexus est. Idem contigit apud Wisigotthos : seminavit Chlotildis, quæ etiam sanguinis sui effusione fidei Catholicæ veritatem Amalarico regnante asseruit : irrigavit Ingundis, cùm Hermenegildus ejus conjux, Ariana hæresi ejurata, ad fidem Catholicam accessit : at messis integra congregata fuit, cùm Reccaredo rege tota Wisigotthorum gens Catholicæ Ecclesiæ nomen dedit. Nec minùs feliciores fuere Berthæ in Anglia conatus, quæ virum suum, primùm quidem morum suavitate lenitum, ac posteà sancti Augustini, aliorumque Monachorum à Gregorio Magno ex Italia missorum prædicationibus Christianum factum videre meruit. Atque ita, juxta Apostoli sententiam, viri infideles à mulieribus fidelibus sanctificati, Ecclesiam Catholicam per totam ferè Europam amplificarunt. Jam quippe anteà Burgundiones fidem Catholicam amplexi fuerant, et id Francorum exemplo, ac Remigii eorum Apostoli miraculorum fama inducti, quod ipse Avitus in Collatione contra Arianos præsente Gundobaldo rege facta attestatur; ut nulla superesset in toto Occidente provincia, quæ Francis salutem suam non deberet. Unde non immeritò Gregorius, re multò magis quàm nomine Magnus, lib. 6. epist. 6. præclarum hoc de Francorum Regibus protulit effatum : *Quantò ceteros homines regia dignitas antecedit, tantò ceterarum gentium regna regni Francorum culmen excellit.*

Inde in ceteras nationes propagata.

19. Tanta autem erat et Regum et regni in Romanum Pontificem reverentia,

ut licèt, pro more tunc temporis recepto, Episcopi omnes Apostolici viri, aut Papæ nuncuparentur; nemo tamen ex eis præter Romanum Pontificem *Papa*, id est omnium pater, absolutè diceretur. Item sedis Apostolicæ nomine designabatur per excellentiam Romana Ecclesia, ut tum ex nostro Gregorio, tum ex variis Conciliis illorum temporum constat. Atque inde, et quòd plerique barbari hæreseos tabe infecti essent, Romanorum nomine Catholici, etiam ab ipsis hæreticis, indicabantur. Francorum erga Pont. Rom. Reverentia.

20. Is itaque erat, referente Gregorio nostro, Galliarum status sub Chlodoveo Magno, ejusque filiis ac nepotibus. Sed jam ex hoc ipso auctore inquirendum est, quænam tunc temporis vigeret apud Francos Ecclesiæ disciplina. Et primò quidem Episcoporum electiones liberas et absolutas nemo est qui non dixerit, si vel leviter ejus ævi Conciliorum canones percurrere volet, quos etiam canones, ne debita eis deesse putetur auctoritas, à Regibus comprobatos et firmatos passim legimus. Si tamen Gregorii Historiam aliaque ejus opera evolvamus, contrariam omninò his canonibus consuetudinem tunc temporis viguisse nonnullis videbitur, cùm ibi legamus passim Episcoporum successiones præcipiente Rege tunc temporis factas fuisse. *Hic*, inquit, *præceptione Regis* in Episcopi defuncti locum est substitutus : aut, *Ille* defuncto Episcopo à Rege *præceptionem obtinens;* aut, *Alius*, quòd jam antea à Rege mandatum obtinuisset, ceteris posthabitis, *viduatæ urbis Episcopatum adeptus est*. Quibus, aut sanè similibus verbis cùm utitur Gregorius, Episcopos non libera civium aut cleri electione, sed unica auctoritate Regum fuisse institutos innuere videtur. Verùm si Gregorii verba, resque ab eo narratas paulò accuratiùs perpendamus, eorum temporum disciplinam talem fuisse animadvertemus, quæ ita Regum auctoritati providerit, ut canonum Ecclesiasticorum vigorem non convelleret. Et quidem cùm tanta tunc esset, uti ex Gregorio observavimus, Episcoporum in regno auctoritas et dignitas, nihil non magis rationi et æquitati consentaneum fuit, quàm ut nemo sine Regis consensu et auctoritate hunc gradum adipisceretur; sicut et ex altera parte, siquidem juxta eorum temporum disciplinam Ecclesiæ viduatæ electionis libertate gauderent, æquum etiam erat ut illæ suis legitimis juribus fruerentur. Sic autem res agebatur. Defuncto Episcopo, electio successoris statim in ea fiebat civitate, quæ erat pastore viduata : tum ille, in quem suffragia convenerant, aut aliquis ejus nomine, sive alii ab ipsa Ecclesia delecti deferebant ad Regem electionis instrumenta, quæ si legitima judicaret, nihilque in electione vitiosum adverteret, admittebat electionem; aut eam irritam reddebat, si fortè cives in personam sibi aut regno suspectam consensissent. Rex, admissa electione, scribebat ad Metropolitanum epistolam, qua ei ejusque comprovincialibus Episcopis novum Episcopum ordinandi potestatem faciebat. Hæc omnia anno DXLIX. paucis verbis expressere patres Concilii V. Aurelianensis canone 10. *Cum voluntate Regis, juxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, à Metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit, cum comprovincialibus Pontifex consecretur*. Quam regulam exsecutioni mandatam fuisse infinita propemodùm Gregorii loca probant, in quibus instrumentum à civibus pro electione factum appellat *Consensum civium :* regium verò diploma, *præceptum*, aut *præceptionem*, sive *Indiculum*. Hanc verò *præceptionis* vocem sic non intelligendam esse, ut electionem excludat, ex Gregorio nostro patet, qui post delatum ad Regem *consensum civium*, suam *præceptionem* eum dedisse passim commemorat. Quin etiam licèt in regiis litteris seu *præceptione* nulla fieret electionis aut *consensûs* præcedentis mentio, ut ex formulis Marculfi colligimus; illum tamen civium consensum re ipsa præcessisse non solùm ex Gregorio, sed etiam ex sancti Desiderii Caturcensis Vita discimus, in qua quidem Vita regiæ litteræ referuntur ad Episcopos, etc. datæ simul cum Indiculo ad Sulpicium metropolitanum : sed in Indiculo Rex ne verbum quidem habet de cleri vel plebis electione aut consensu, tametsi in suis litteris mox laudatis hanc promotionem *cum Abbatum totiusque Cleri consensione* factam fuisse testatur. Ecclesiæ Gallicanæ disciplina. Episc. electiones.

21. Haud tamen diffitear electiones à clero et populo factas nonnunquam à Regibus abrogatas fuisse, vel quòd, divisis inter se electorum suffragiis, unaquæque pars cum suo electionis instrumento ad Regem accessisset, vel quòd electi persona Regi displiceret. Nec etiam inficiari velim nonnullos quandoque, etiam non exspectata cleri aut populi electione, *è palatio* in locum defunctorum Episcoporum à Rege fuisse substitutos : quos Metropolitani, de eorum doctrina et probis Episcopi à Rege electi.

moribus à Rege ipso facti certiores, consecrabant ; sed civium aut cleri consensus, cùm illi primùm in urbem suam adveniebant, rogabatur. Hæc tamen consuetudo electionum libertatem multùm labefactavit : quam Conciliis ignotam, et sensim sine sensu introductam Chlotharius II. in edictum confirmationis synodi V. Parisiensis primus inseri curavit, anno DCXV. ut deinceps pro lege haberetur. *Episcopo*, inquit, *decedente, in loco ipsius qui à Metropolitano ordinari debet, cum provincialibus à clero et populo eligatur ; et si persona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur.* Hæc prima ordinationum regula, ut vidimus ex Concilio V. Aurelianensi, novam addit : *vel certè si de palatio eligitur, per meritum personæ et doctrinæ ordinetur.* At hæc nova consuetudo multorum in Ecclesia malorum occasio fuit, favendo ambitiosorum conatibus, maximè officialium regiorum, qui posteà pinguiores episcopatus aucupati sunt : et statim ex laïcis Episcopi facti, Ecclesiæ Gallicanæ sanctitatem non mediocriter imminuerunt. Alii verò pecunia et muneribus, alii adulationibus, aut ministrorum regiorum, quos corruperant officiis, *præcepta* Regum adepti, Simoniacam, ut vocabant, hæresim introduxere ; indeque tot canones adversùs Neophytos et Simoniacos illis temporibus in Gallicanis Conciliis conditos legimus, qui tamen nunquam, sicut nec Romanorum Pontificum, et potissimùm Gregorii Magni epistolæ tam nefariæ pesti eradicandæ pares fuere. Omitto singularia quædam exempla, quæ cùm regulis contraria fuerint, in legem transire non debent. Sic in longinquis quibusdam provinciis Episcopi aliquot, dissimulante Rege, aut præ minori ætate aut regni turbis non attendente, absque ejus venia consecrati fuerunt. Major fuit Pontificum Aquitaniæ II. ausus, qui Eumerium Santonensem Episcopum è solio deturbarunt, quòd *absque Metropolitani consilio* fuisset præcipiente Rege consecratus. At cùm id rescivisset Charibertus, Eumerium in sedem restitui imperavit, multatis, ut refert Gregorius, Episcopis, qui tale facinus aggressi fuerant. Haud tamen adeò exarsit Charibertus in Episcopos, quòd Eumerii ordinationem examinare voluissent ; id enim eis per canones licitum erat ; sed quòd illum jam diu cum auctoritate Regis episcopatu pollentem, absque ejus *judicio* è sede dejecissent.

Episcopi translati.

22. Translationes Episcoporum ex una in alteram sedem nusquam in Gregorii libris reperire licet, nisi eorum, qui ex propriis urbibus hæreticorum Principum jussu expulsi, in Francorum regnum accedentes, viduatis Ecclesiis præfecti fuere : quod

Coadjutores.

semper approbavit Ecclesia. Coadjutores viventibus substituti nonnulli occurrunt, qui vel Regum favore, vel alia quavis ex causa, cum spe ad aliquam Ecclesiam succedendi, ordinati fuerunt : at non vano, ut hodie fit, titulo, neque in ea ipsa Ecclesia, quam aliquando essent adepturi, ordinabantur, sed quasi novi episcopatûs erectione, in aliquo futuræ suæ diœceseos castro sedebant, cum assignata sibi in vicinos aliquot vicos jurisdictione. Sic Mundericus apud Tornodorum ordinatus est, Aventinus apud Castrodunum, Austrapius in Sellensi castro, etc. Coadjutorem tamen renuit ordinare Gregorius noster Burgundionem, Felicis Namnetensis Episcopi nepotem, tum quòd neophytus esset, tum quòd sacri canones vetarent, ne quis Episcopus alteri adhuc viventi substitueretur, ut ipse narrat libro 6. capite 5. Unde insolens omninò videri debet, quod idem Gregorius refert de Theodoro et Proculo Episcopis è Burgundia pulsis, qui Ecclesiam Turonicam simul rexisse dicuntur, post Licinii aut Leonis obitum : quare eos potiùs administra-

Successores designati.

tores, quàm Episcopos Turonicos appellandos esse existimem. Nonnunquam tamen Episcopi, etiam sanctissimi, aliquem è suo clero sibi successorem designarunt, quem sciebant ad id ministerium præ ceteris idoneum esse. Ita Sacerdos Lugdunensis antistes morti proximus Childebertum Regem contestatus est, ut Nicetium sibi in sede Lugdunensi substitui curaret. Maurilio Caturcensis Episcopus podagra afflictus, prævidens futuras graves circa suum successorem contentiones, ut sibi etiam viventi Ursicinus substitueretur, exoravit. Idem fecerat, ut mox dicebamus, Felix Episcopus Namnetensis, confecto ea de re instrumento, quod comprovin-

Chorepiscopi.

cialium Episcoporum subscriptionibus roborari curaverat. Chorepiscopum, ne unum quidem, memorat Gregorius, nisi illi eo nomine donentur, qui, ut mox dicebamus, in castris ordinati fuerant. Nam Mundericus, quem in castro Tornodorensi sedisse diximus, *sub ea specie*, inquit Gregorius, ordinatus est, *ut dum beatus Tetricus*, qui tunc Lingonum Episcopus erat, *viveret, hic Ternodorense castrum, ut Archipresbyter regeret, atque in eo commoraretur.*

23. Ordinationes ad Metropolitanos pertinebant, in propria cujusque provincia :

unde Gregorius libro 4. Historiæ capite 35. quod in editis præcedentibus desiderabatur, narrans Aviti Arvernensis Episcopi ordinationem, jussu Sigiberti Regis Mettis factam, observat hac in re *canonicum rigorem* non fuisse servatum. Ipse tamen Gregorius Remis consecratus fuit ab Ægidio ejus urbis Metropolitano, ut canit Fortunatus, nec alterutri unquam hoc factum vitio vertit. At cùm idem Ægidius non solùm ordinare Episcopos, verùm etiam et episcopatum instituere in Castro-Dunensi, quod in Carnotena diœcesi situm est, tentasset, graviter ab Episcopis Concilii IV. Parisiensis reprehensus fuit, quòd rem adeò insolitam extra suæ civitatis et provinciæ terminos fuisset aggressus. Et meritò, cùm ne id quidem ipsi liceret ex Apostolicæ sedis Vicariatu sedi suæ beati Remigii temporibus concesso; siquidem ejusmodi privilegia nonnisi integris ac salvis Metropolitanorum juribus concedebantur. Unde brevi cecidit illa Dunensis episcopatûs erectio, quæ contra canonum scita temerario ausu facta fuerat : stetit verò, hodieque perdurat Laudunensis Ecclesia à sancto Remigio instituta, quòd eam in suæ diœceseos castro constituens, nemini irrogasset injuriam. Novum item episcopatum in castro Melodunensi constituere tentaverat Rex Childebertus primus : at reclamante Leone Senonum Episcopo, ad cujus diœcesim locus ille pertinebat, res infecta fuit : sic et periit Arisitensis episcopatus, quem Gotthi, detractis aliquot è diœcesi Ruthenensi, qui ipsis parebant, vicis, instituerant.

Ordinationes à Metropolitis.

Episcopatuum erectio.

24. E laïcali statu ad sacerdotium promoveri, nisi post emensos varios gradus, nunquam per canones licuit : quam regulam, etsi frequenter violatam, secuti sunt tamen semper Episcopi religiosiores. Hujus rei exemplum illustre de se ipso narrat Gregorius, loco jam à nobis superiùs laudato ex libro 5. Historiæ, capite 15. cùm enim Burgundio Felicis Episcopi nepos ad eum accessisset, avunculi sui ceterorumque comprovincialium Episcoporum consensu munitus, ut in Episcopum consecraretur; respondit Gregorius : *Habemus scriptum in canonibus non posse quemquam ad episcopatum accedere, nisi priùs Ecclesiasticos gradus regulariter sortiatur.* Tum eum docuit quid ei faciendum esset, ut sese dignum exhiberet episcopali honore. Quibusnam verò gradibus ad tantam dignitatem canonicè assequendam ascendendum foret, ab eodem Gregorio discimus ex libro 4. capite 6. ubi Cato Presbyter se *clericatûs gradus canonica institutione* sortitum fuisse his verbis exponit : *Lector decem annis fui; in Subdiaconatûs officio quinque annis ministravi; Diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui; Presbyterii honore jam viginti annis potior.* Et quidem Nicetius, Lugdunensis posteà Episcopus, nonnisi *ætate tricenaria* Presbyter ordinatus fuit. Verùm id regulæ exigebant : at contraria plurimùm fuit praxis et consuetudo, quam variæ causæ introduxerant. Ex his legitimæ fuerunt, Ecclesiæ necessitas, insignisve aliquot virorum sanctitas, quam illustria facta vel etiam miracula probabant. Improbata verò quorumdam Episcoporum facilitas, ut exemplo Burgundionis non semel allato patet, cujus adhuc laïci promotioni Episcopi provinciæ Lugdunensis III. consenserant, sed quam Gregorius noster, canonum acerrimus vindex, sua auctoritate impedivit. Improbata quoque nonnullorum ambitio, qui Regum auctoritate episcopatum consecuti, ceteris imperare conabantur, priusquàm, ut ait Gregorius Magnus, obedire didicissent. Ejusmodi tamen aliquantis diebus in clericatu probatos fuisse crediderim, priusquàm consecrarentur : ut de Badegesilo observat Gregorius noster, qui *tonsuratus*, gradus quos clerici sortiuntur ascendens, post quadraginta dies Domnoli Episcopi Cenomannensis defuncti successor evasit.

Gradus ordinum servandi.

25. Ad Concilia quòd attinet, alia erant provincialia, unius scilicet provinciæ Episcoporum; alia totius nationis seu regni. Priora Metropolitani quique statis temporibus juxta canonum præscripta congregabant : aliorum verò indictio ad Regem pertinebat, quorum Episcopi etiamsi fortè diversorum regnorum erant, ex mutuo tamen Regum omnium consensu facilè cogebantur. In his de fidei rebus ac majoribus negotiis, aut certè de pace inter Reges componenda agebatur : quæ ex Gregorio discimus libro 9. Historiæ capite 20. ubi cùm Guntramnus Rex synodum ex universis Galliarum provinciis congregandam esse dixisset; reposuit Gregorius, qui tunc Childeberti Regis legatus erat, inutilem videri tantæ synodi celebrationem, cùm nulla tunc esset exorta nova hæresis, nullumque immineret in fide periculum : sed sufficere, ut unusquisque Metropolitanus *juxta consuetudinem canonum* cum sibi subjectis conveniret. Mapinius tamen Remorum antistes ad Concilium Tullense à Theodebaldo Rege convocatum ire renuit, quòd Rex *evocationis causam* ei non indicasset : unde conjicimus Episcopos, saltem præcipuarum sedium,

Concilia.

de negotiis quæ in talibus Conciliis tractanda erant, fieri debuisse certiores. Et quidem Mapinius ea occasione Nicetium Trevirensem reprehendit, quòd potiùs ad Regem, quàm ad ipsum reprimendæ quorumdam malorum hominum proterviæ causa recurrisset. Ejus epistolam dabimus in Appendice cum Sigiberti Regis alia epistola, qua Desiderio Caturcensi mandat, ut ne accedat ad synodum, quæ seipso inconsulto fuerat indicta.

Episcoporum causæ.

26. Ceterùm ex his, quæ Guntramnus ad Gregorii verba superiùs laudata respondit, patet Episcoporum causas ex iis fuisse, ob quas potissimùm Concilia totius nationis Episcoporum congreganda essent. *Illa*, inquit, *Dei causa exstat omnibus major, ut inquirere debeatis, cur Prætextatus Episcopus gladio in Ecclesia fuerit interemtus, tum de discidiis Episcoporum, et variis criminibus, quibus eorum nonnulli accusantur*. Immò et Reges ipsi causas Episcoporum, quos sibi haud fideles fuisse existimabant, ad Concilia referebant : ut de eodem Prætextato patet, quem Chilpericus Rex, veluti reum majestatis, in Concilio Parisiensi accusavit. Et ipsemet noster Gregorius accusatus à Leudaste comite, quòd adversùs Reginam Fredegundem malos rumores sparsisset, seipsum in Concilio Brennacensi sacramento purgavit. Nec prætermittere licet egregium Childeberti II. facinus, qui cùm Ægidium Remorum antistitem, multorum quidem criminum reum, sed necdum in ulla synodo auditum, Mettas adduci jussisset, *Ab aliis Episcopis increpitus*, eum urbi suæ restitui incolumem præcepit. Sed ille posteà in Episcoporum synodo apud Mettas majestatis læsæ reus inventus, et episcopali sede privatus, à Rege Argentoratum exsul mittitur. Jam verò adversùs Episcopos non quilibet viri admittebantur in testimonium : quare cùm inferioris ordinis nonnulli testes adversùs Gregorium in synodo Brennacensi auditi fuissent, ea de re conquesti sunt Episcopi ; ille verò cùm testium relatione convinci non potuisset ullius criminis, resque manere videretur in ambiguo, *dictis Missis in tribus altaribus*, sese ipse sacramento purgavit : quod tamen non sine injuria se fecisse professus est, cùm id canonibus esset contrarium. Ceterùm latæ in istis Conciliis sententiæ si nollent damnati acquiescere, illis supererat ad Apostolicam sedem confugium. Unde cùm Sagittarius et Salonius Episcopi sese injuria in Concilio Lugdunensi exauctoratos fuisse conquesti essent, *licentia* priùs à Rege Guntramno obtenta, cum litteris ejus commendatitiis Romam petierunt, ubi à Johanne Pontifice auditi, ejusdem jussu sedibus suis restituti sunt, ut narrat Gregorius libro 5. Historiæ capite 21.

Francorum in canones reverentia.

27. Colligimus autem ex ejusdem Gregorii et dictis et factis, quanta tunc esset in sacros Canones Ecclesiæ Gallicanæ reverentia. Ægidius Remensis Episcopus, nonnisi *lectis Canonum sanctionibus*, è solio suo deturbatus est, postquàm reus conjurationis in Regem inventus fuisset. Quanta verò animi magnitudine et constantia eorum auctoritatem adversùs Regem ipsum, et Reginam ejus conjugem, tuitus fuerit Gregorius in causa Prætextati, nemo est qui nesciat : à quorum observatione nec minis, nec blanditiis, nec auro aut argento unquam dimoveri potuit. Unde si aliqua emergeret in rebus agendis difficultas, prolatis Canonum verbis eam elevandam esse censebat. Et quidem Bertegundis, quæ relicto suo viro in monasterium Turonense confugerat, pervicaciam *refutavit*, canonem Nicænum relegendo. Sic et Burgundionis postulationi respondit, qui Felici Episcopo adhuc viventi in sedem Namnetensem subrogari efflagitabat. Codicem autem canonum, quo tunc Gallicana utebatur Ecclesia, alium à Dionysii Exigui collectione fuisse colligimus, tum ex canone Nicæno, qui, ut à Gregorio laudatur, apud Dionysium non habetur, tum ex novo quaternione codici à Chilperico Rege assuto contra Prætextatum. In eo enim quaternione *canones quasi Apostolicos*, qui in codice Dionysii locum habent, exstitisse memorat Gregorius, qui proinde non habebantur in sincero codice Canonum Gallicanorum.

Episcoporum munia.

28. Diœcesim suam accuratè visitabant tunc temporis Episcopi, vicos et oppida suæ ditioni subjecta circumeundo, uti ex compluribus Gregorii locis certum est. Plerique solebant statis temporibus in monasteria, seu in solitaria loca secedere, ut ibi oratione ac spiritualibus exercitiis recreati, inde ad curam animarum sibi commissarum vegetiores facti reverterentur : quod solemni pompa in aliquibus locis die Dominicæ cœnæ facere solebant. Licèt verò omni tempore sancti illi Episcopi Ecclesiis sibi commissis præsentes adesse studerent, id tamen summopere curabant, si aliqua calamitate plebes sibi commissæ affligerentur. Hinc cùm Albigam civitatem lues inguinaria devastaret, Salvius ejus Ecclesiæ tunc sanctissimus antistes,

tamquam bonus pastor, inquit Gregorius, ab ea urbe nunquam recedere voluit. Theodorus verò Massiliensium Episcopus, cùm pestem gravissimam in sua urbe sævire accepisset absens, statim reversus, ad sancti Victoris sepulcrum orationibus ac vigiliis vacans, Dei misericordiam flectere conatus est.

Potestas in res Ecclesiæ.

29. Jam verò Episcoporum *ordinationi* ac potestati potissimùm commendatæ erant Ecclesiæ facultates, quæ eorum nutu et auctoritate debebant distribui; unde et pauperum ac viduarum nutritores dicebantur. Quare cùm Gotthus quidam Ecclesiæ Agathensis bona rapuisset, monuit eum Leo Episcopus, ut ne res pauperum, quas, inquiebat, Deus *nostræ ordinationi commendavit*, invaderet, si eorum nollet lacrymis enecari, cùm illi de fructibus istis ali deberent. Hujus rei causa erant in Ecclesiis catalogi, matriculas appellabant, in quibus inscripti pauperes Ecclesiæ bonis, ac fidelium oblationibus alebantur. Aliis Episcopi nonnunquam litteras manu sua subscriptas dabant, quibus incitati fideles eleemosynam petentibus faciliùs largirentur. Denique tanta erat omnium in Episcopos, quos Spiritus-Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, reverentia, ut apud omnes receptum fuerit illud effatum, *quia nec istud sine hæresi*, inquit Gregorius libro 2. capite 23. *potest accipi, ut in Ecclesia non obaudiatur Sacerdoti* : quo nomine hîc et passim Episcopum designat.

Archidiaconi.

30. Ad Archidiaconos autem spectabat rerum Ecclesiæ distributio, eorumque curæ non solùm pauperum sustentatio commissa erat, sed etiam clericorum, qui in plerisque saltem Ecclesiis communem agebant vitam. Hoc est, ni fallor, quod *mensam Canonicorum* appellat Gregorius, quam libro ultimo Historiæ capite 30. n. 16. à Baudino apud Turonos institutam fuisse scribit : idque ex capite 9. Vitæ Patrum intelligitur, ubi cùm Patroclus, qui tum Biturigibus residebat, ad convivium *mensæ canonicæ* cum reliquis clericis accedere negligeret, malens dum ceteri corpus reficerent, ipse orationi ac sacræ lectioni operam dare, ab Archidiacono graviter reprehensus est, admonitusque ut aut *cum reliquis fratribus cibum sumeret*, aut certè discederet à loco : non enim rectum ille existimabat, ut *unus cum his habere victum dissimularet*, cum quibus *ecclesiasticum putaretur implere officium*. Ex eodem libro patet Archidiacono commissam fuisse instituendorum clericorum curam, eumque scholæ præfectum fuisse : quod passim innuit Gregorius. Clericum tamen, quem Ætherius Lexoviensi scholæ præfecerat, Diaconum fuisse nusquam legimus. Verùm Archidiaconi, etsi scholis præfecti, quia multis curis distracti erant, juniores clericos per alios erudiri curabant.

Presbyteri rurales.

31. Qui Ecclesiis ruralibus, quas hodie Parochias seu Curas appellamus, præficiebantur, ii dicebantur Presbyteri, quos nonnunquam Archipresbyteros à Gregorio dictos legimus, sive quòd Presbyteris vicinis, ut hodie fit, præessent, sive quòd in sua Ecclesia plures sub sua disciplina clericos haberent. Erant tamen et alii minores clerici nonnullis Ecclesiis præpositi, cujusmodi fuit Cautinus, posteà Arvernorum Episcopus, qui in libro de Gloria Confessorum capite 30. dicitur *in suo diaconatu* Iciodorensem Ecclesiam rexisse. Urbanus verò *Diaconus* sancti Juliani Brivatensis martyrarius factus est. Immò libro 1. de Gloria Martyrum cap. 66. memorat Gregorius parvulum oratorium, sancto Patroclo apud Trecas consecratum, cui unus tantùm *clericus*, quem paulò pòst appellat *Lectorem*, serviebat. Occurrunt etiam apud eumdem auctorem, qui aut soli, aut certè pauci omninò in locis sacris degebant, de quibus fusiùs agere non vacat.

Clerici à quibus ordinati.

32. Clerici, autem, saltem minores, non erant necessariò à propriis Episcopis huic officio destinandi. Nonnulli enim pro temporum aut locorum opportunitate à quovis Episcopo aut Abbate juxta suum aut parentum votum ad clericatum admittebantur : quo pacto Gregorius, ut ipsemet narrat, Winnocum recens è Britannia in suam diœcesim advectum, Presbyterum ordinavit, ut illum apud se retineret. Qui enim semel in quavis Ecclesia ordinati erant, ad aliam transire non poterant, immò nec aliquantò diutiùs in aliena diœcesi immorari, absque venia Episcopi, qui ipsos ordinaverat. Unde cùm Theodulfus, qui Parisiis Diaconus ordinatus fuerat, Andegavum transmigrasset, à Ragnemodo Parisiensi Episcopo, ut narrat Gregorius libro 10. Historiæ capite 14. *sæpius excommunicatus est, quòd ad Ecclesiam, in qua Diaconus ordinatus fuerat, redire differret*. Abbates etiam in suis monasteriis clericos instituebant, ut Gregorius passim, potissimùm in Miraculorum libris attestatur. Inde consuetudo profluxerat, uti *monachi* ac *clerici* nomen promiscuè monachis tribueretur : quod fusè probat vir eruditus Ludovicus Thomassinus. Et quidem

ordinandi, etiam ad sacerdotium, in monasteriis erudiebantur, ut exemplo Merovei Chilperici Regis filii constat, qui in Aninsulensi monasterio positus est *sacerdotali regula* erudiendus.

Nunquam inviti.

33. Clericatus fuit sæpius opportunum adversus imminentem necem asylum, maximè principibus viris, quos, ne turbas commoverent, suspectos Reges habebant. Certè Chararicus Rex cum filio suo à Chlodoveo captus, non aliter mortis periculum evasit; quare eam subire ambo posteà coacti fuerunt, cùm clericatu contemto ad sæcularem statum voluerunt reverti. Hinc est quòd Chlodoaldum Chlodomeris filium ultra ad necem ipsius patrui non quæsiere, cùm sibi ipsi capillis incisis, Presbyter fuisset ordinatus. Nec aliud certè iidem illi Reges à Chlotilde exegerant, quàm ut nepotes suos clericos fieri pateretur, si eos morti ereptos cuperet. Nemo verò existimet hujusmodi homines invitos ac reclamantes ab Episcopis ordinatos fuisse : id quippe nunquam admisit Ecclesia : immò, ut scitè observavit Thomassinus, volentes et vehementissimè volentes ordinabantur, certi quòd nulla sibi superesset alia propriæ vitæ in tuto ponendæ via. Et quidem nonnulli passim occurrunt sic ordinati, qui reliquo vitæ suæ tempore ita piis exercitiis operam dederunt, ut tandem in sanctorum numerum meruerint referri : licèt et alios fuisse fateamur, qui postmodùm libertatem pristinam adepti, proposito abjecto, ad nuptias convolarunt, aut certè ad proprias uxores reversi sunt; quippe qui per vim ordinati nullis continentiæ legibus se obnoxios esse causabantur. At id nunquam impunè tulit Ecclesia, quæ variis canonibus ejusmodi temeritatem proscripsit. Hoc crimen *apostasiam* appellat noster Gregorius libro 4. Historiæ cap. 4. ubi Macliavi Brittonum comitis facinus enarrat, qui cùm in extremis angustiis positus, ordinatus fuisset Episcopus Venetensis, et posteà mortuo Chanaone, suam uxorem recepisset, *à ceteris Episcopis excommunicatus est*. Memorat passim Gregorius Episcopos, qui ante suam ordinationem uxorati fuerant : at statim subjungit, eos ab invicem *juxta canonum præscripta* fuisse sequestratos : quod *ordinem institutionis Catholicæ* appellat in libro de Gloria Confessorum capite 78. ut hunc morem non in una solùm aut in altera regione, sed ubique in tota Ecclesia Catholica uniformiter servatum fuisse ostenderet. Unde maximum apud populos scandalum oriebatur, si Episcopus etiam cum uxore propria commercium aliquod habuisse putaretur. Habebat Ætherius Episcopus Lexoviensis *circa lectum suum multos lectulos clericorum*, ut dubio procul essent ejus continentiæ testes. Et quidem Episcopi decumbebant in domibus, quas Gregorius vulgò *domos Ecclesiæ* aut *ecclesiasticas* vocat, quæ juxta Ecclesiam sitæ erant, ut facilior esset Episcopis et clericis ad Ecclesiam aditus. Rariùs vero mulieribus ad hujusmodi domos permittebatur accessus : et quidem in Ecclesia Lugdunensi consuetudo fuerat jam à longo tempore observata, *ut mulier Ecclesiæ domum non ingrederetur*. Quod interdictum cùm violasset Prisci Episcopi uxor, divinitus punita est, ut discimus ex libro 4. Gregorii Historiæ cap. 36. quod in præcedentibus editionibus desideratum ex Codice Casinensi supplevimus.

An uxorati.

Vestis peculiaris.

34. Ceterùm non minùs vestibus ac externa corporis specie, quàm moribus clerici à sæcularibus viris tunc temporis distinguebantur. Meroveus quippe à patre Chilperico aliquandiu sub custodia detentus, postmodùm *tonsuratus*, mutataque veste, qua clericis uti mos est, inquit Gregorius noster lib. 5. cap. 14. Presbyter est ordinatus : unde posteà cùm clericatu abjecto aufugisset, *sæculari veste indutus* fuisse dicitur. Alio in loco sanctus Martinus nigra veste indutus cuidam apparuisse dicitur. Clericos verò, sicut et monachos, tunc temporis tonsos fuisse nemo est qui inficiari velit : at coronæ quam illi deferebant, primam notionem Gregorio nostro deberi censet Ludovicus Thomassinus, qui clericos anteà quidem tonsos fuisse fatetur, non verò capillorum corona insignitos. Locus Gregorii habetur in Vitis Patrum capite 17. ubi narrat Nicetium, posteà Trevirensem Episcopum, ex matris alvo processisse cum pilis ita in capite ejus ordinatis, *ut putares ab eisdem coronam clerici fuisse signatam*.

Monachi simul et clerici.

35. Monasticus ordo jam tempore Gregorii ita erat clericatui conjunctus, ut idem fuerit monachum esse ac clericum : quod fusè, et pro suo more eruditè probat Ludovicus Thomassinus : et quidem, ut passim suis locis observamus, quos Gregorius appellat clericos initio capitis, eosdem postea monachos nuncupat. Nec mirum, cùm illis temporibus, et jam multò anteà monachi clericalibus omnibus officiis perfungerentur, præcipuamque divinorum officiorum celebrationi operam impenderent; immò et Abbates, ut modò dicebamus, clericos ordinabant, et cùm

aliquid

aliquid solemniter in Ecclesia agendum occurrebat, statim Episcopi, ut passim memorat Gregorius, suæ diœcesis Abbates et Presbyteros convocabant. Tanti verò faciebant monachos sanctissimi quique illorum temporum Episcopi, ut vix eorum quisquam occurrat, qui monasterium aliquod non instituerit. Gregorius in itinere constitutus ad monasteria solebat divertere, ut monachorum ibi viventium sancta conversatione frueretur, et præcedentium egregias actiones ediscerat; indeque hausit tot illustria sanctorum virorum præclara facta, quæ tum in libris de Gloria Confessorum, tum in Patrum Vitis posteà publicavit : nec Historia gentis nostræ indignum putavit sanctorum monachorum obitus et miracula inserere, queis lectorum animi et hac rerum gestarum varietate recrearentur, et hujusmodi narrationibus incitarentur ad imitanda eorum virtutum exempla.

Eorum erga Episcopos reverentia.

36. Nec minor erat Monachorum adversùs Episcopos reverentia et obedientia, quod vel ex uno Wlfilaici monachi exemplo confirmari potest, qui, uti narrat Gregorius libro 8. Historiæ capite 15. Episcopis jubentibus ut è columna, cui Stylitarum exemplo insidebat, descenderet, statim obedivit, *quia*, inquiebat, *Sacerdotes non obaudire crimen est* : et maluit vitam communem cum ceteris monachis ducere, quàm ad perfectionem tendere *contrarius exsistens jussionibus Sacerdotum.* An verò quædam monasteria tunc essent ab Episcoporum regimine immunia, nusquam explicat Gregorius. Ex eo tamen discimus in iis monasteriis, quæ sub Regis tuitione erant, Episcopos nihil potestatis habuisse, absque speciali Principis mandato. Etenim cùm Maroveus Pictonum Episcopus curam monasterii sanctæ Radegundis, in sua ipsius urbe constructi, suscipere renuisset, nec voluisset sanctæ Crucis translationem facere, quod ab eo enixis precibus efflagitabatur, Radegundis adiit Regem Sigibertum, qui hanc curam Eufronio Turonensi Episcopo demandavit. Cùmque monasterium sub *Regis tuitione* fuisset positum, nonnisi obtenta speciali à Childeberto *præceptione*, illud, sicut cetera suæ diœceseos monasteria, Episcopo Pictavensi *regulariter gubernare licuit*, ut habet Gregorius lib. 9. Historiæ capite 40. Et quidem defuncta Radegunde, cùm ab urbe Maroveus Episcopus abesset, Gregorius qui præsens aderat, vix adduci potuit, ut exsequias ejus curaret, quòd monasterii cœmeterium nondum *sacerdotali benedictione sacratum* fuisset, vixque efflagitantibus omnibus qui aderant, *præsumsit ex caritate fratris sui* altaris consecrationem, ita tamen ut corpus in cœmeterio humo non texerit, id *Episcopo loci* reservans.

Sanctimoniales.

37. Abbates et Abbatissæ communibus monachorum sive monialium votis eligebantur, sed ab Episcopis benedictionem debebant accipere. Vestes autem sanctimonialium alias à sæcularium vestimentis fuisse vel ex eo convincimur, quòd Gregorius passim, earum, sicut et monachorum, conversionem memorando, utrosque *veste mutata* ad monasteria convolasse scribat. An verò virgines omnes sacræ tonsæ omninò fuerint, non usquequaque liquet. Certè narrans Gregorius viros à Chrodielde ejusque sequacibus in monasterium sanctæ Crucis immissos, qui Abbatissam per vim è loco sacro raperent, ait in Justinam Præpositam incurrisse, quam *à capite soluta cæsarie* à sicariis illis raptam fuisse affirmat. Aliis etiam illorum temporum monumentis confirmari posset virgines sacras tunc capillos servasse : at non desunt etiam quæ contrariam sententiam suadent. Qua de re consuli potest Hugo Menardus in Observationibus ad Sacramentarium Gregorianum, aut certè Mabillonius in Notis ad vitam sanctæ Gertrudis Nivialensis Abbatissæ, quæ habetur in sæculo II. Benedictino, ubi agitur quoque de sacrarum virginum mitrellis, quibus successisse videntur *ea linteamina*, quæ Gregorius Justinam in capite habuisse commemorat. Ceterùm Papula virgo in libro de Gloria Confessorum capite 16. sæculo valedicens comam sibi totondit, sed ut virum simularet : monachos quippe comam non nutrivisse certum est, inter quos sub virili habitu Papula reliquum suæ vitæ tempus exegit. Sanctimoniales à laïcis distinctas fuisse, vel ex uno Gregorii loco intelligimus, ubi Radegundis se à *laïcalibus vinculis* absolutam profitetur ad *Religionis* normam transiisse. Ubi etiam patet *Religionis* vocabulo manasticum ordinem jam tunc designatum fuisse : quod multis aliis locis probari facilè posset. Hinc *religiosi* et *religiosæ* nomina profluxerunt. Sanctimoniales quoque frequenter appellat Gregorius sacras virgines quæ in monasteriis conversabantur. Quemadmodùm verò in sanctimonialium cœnobia ingressus viris interdictus erat; sic et à virorum monasteriis arcebantur mulieres, quibus ne quidem in Ecclesiam patebat aditus in plerisque monasteriis : quod de Condatescensi ex Vita sancti Romani, id est capite 1. de Vitis

Sæculares ab ingressu monast. interdicti.

Patrum, manifestum est. At licèt monachis, qui reclusi non erant, extra monasteria liceret exire, id adeò districtè monialibus sanctæ Crucis Pictavensis ex præscripto Regulæ sancti Cæsarii erat vetitum, ut ne quidem ad sepeliendum beatæ Radegundis corpus cœmeterium adire eis licitum fuerit. Id ex Gregorio discimus in libro de Gloria Confessorum capite 106. ubi exsequias beatæ Reginæ describens, clericos repræsentat funus psallendo deducentes, quod moniales è fenestris et muri propugnaculis lamentando et flendo nonnisi oculis et fletibus prosequebantur. Plures verò in monasteriis virorum Regulas simul viguisse ex capite 29. libri 10. colligimus, ubi in cœnobio Atanensi non modò *Cassiani*, sed et *Basilii et reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, Regulas* invaluisse scribit Gregorius.

Cursus divinus.

38. Porrò licèt nemo non fateatur præcipuam semper clericorum et monachorum occupationem fuisse, orationis ac sacrarum Scripturarum studium; non defuere tamen qui consuetudinem hanc statis horis Officium, ut vocant, divinum publicè aut privatim recitandi, non adeò antiquam fuisse crediderint. Verùm ejus originem ad ipsa Ecclesiæ Gallicanæ primordia revocat noster Gregorius libro 1. Historiæ capite 29. ubi de sancto quodam viro, qui Biturigum Ecclesiam instituisse paulò post Decii tempora dicitur, ait : *Clerici* ab eo *ordinati ritum psallendi suscipiunt, et qualiter Ecclesiam construant, vel omnipotenti Deo solemnia celebrare debeant imbuuntur*. Data Ecclesiæ pace, Officia divina publicè in Ecclesiis celebrata fuisse quis inficietur? Idem factum est in monasteriis non solùm majoribus, sed et in illis quoque, in quibus pauci numero monachi conversabantur, ut ex variis Gregorii locis certum est, ubi quotidianum istud pensum *Psallentium*, aliquandò verò *Officium Dominicum* appellat. Vigilias nocturnas tum à se, tum ab aliis celebratas frequenter commemorat, à quibus etiam *Matutinum* seu *Laudes*, ut jam loquimur, aliquo temporis intervallo distinctas fuisse, vel ex uno libri primi de Miraculis sancti Martini capite 33. loco intelligimus. Ibi enim post vigilias in Ecclesia transactas, *signo ad Matutinas commoto* se recessisse profitetur. Ibidem Matutinorum Officium *mane*, et hoc loco et capite 11. libri secundi, celebrari solitum fuisse insinuat, id est *albescente cœlo*, ut loquitur in Vita sancti Galli inter Vitas Patrum capite 6. ex qua item Vita discimus, eosdem fermè psalmos, quos hodie ad Laudes canimus, jam tunc temporis eadem hora dictos fuisse. Cùm enim vir sanctus morti proximus quid in Ecclesia caneretur interrogasset, responsum est ei, clericos *Benedictiones* psallere : tum ille, *psalmo quinquagesimo, et benedictione decantata, et alleluiatico cum capitello expleto, consummavit Matutinos*. Ceterùm vigilias nocturnas quandoque à Gregorio etiam *Matutinas* appellatas fuisse inficiari nolim. Nam capite 23. libri 3. de Miraculis sancti Martini, *signum horis matutinis* motum, et *vigilias* à populo celebratas fuisse perhibet. *Tertiam* et *Sextam* in Ecclesia Turonensi ab Injurioso Episcopo institutas fuisse dicit libro 10. capite ultimo Historiæ; *cursum horæ tertiæ* appellat capite 96. libri de Gloria Confessorum. Vesperarum verò, quas nonnulli ejus ævi auctores *Lucernarium* nuncupabant, meminit in libro de Miraculis sancti Juliani cap. 20. ubi historiam commemorat furis cujusdam, qui post *gratiam vespertinam* discedente populo in basilica remansit, ut latitaret. *Nox adveniens* jam *mundum operiebat tenebris*, cùm clerici sancti Petri Burdigalæ accesserunt in Ecclesiam, atque *dictis psalmorum capitulis* recesserunt. De aliis horis nulla peculiaris apud hunc auctorem occurrit mentio, sed omnes passim generali *cursûs divini* nomine comprehendit. Alternis autem choris in Ecclesia fuisse persolutas perhibet in libro de Gloria Confessorum capite 47.

Quis fuerit in Gallia?

39. Plenam, uti conjicere licet, et integram haberemus cursûs Ecclesiæ Gallicanæ notitiam, si ad nos usque pervenisset Tractatus, quem de eo argumento scripserat noster Gregorius. Auctor est Walafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 25. *psalmos secundùm emendationem, quam Hieronymus pater de* LXX. *editione composuit, à Gregorio Turonensi Episcopo è partibus Romanis mutuatam, in Galliarum Ecclesias* invectos fuisse. At quod ab unico Strabone scriptum fuit, in dubium Petrus Pithœus revocavit : omninò autem negat Mabillonius noster in Tractatu de cursu Gallicano, ob id potissimum, quòd ipse Gregorius aliam versionem constanter laudaverit, et quidem in Historiæ libris, quos ultimos conscripsit, et ubi passim complures psalmorum locos adduxit, qui in Officio ecclesiastico legebantur. Idipsum confirmat ejusdem Gregorii præfatio in psalmos, cujus fragmentum huic editioni accessit, in qua tituli psalmorum, quos exponendos suscipit Gregorius, omnes sunt

juxta Septuaginta interpretum editionem. Ceterùm Officium divinum tunc vernacula lingua celebratum non fuisse ex Vitis Patrum capite 12. colligimus, ubi de Brachione, qui sese ad conversionem Æmiliano subjecerat, discitur nesciisse *quod caneret, quia litteras ignorabat*, id est linguam Latinam.

Recitandi obligatio.

40. Quantùm verò solliciti essent ad hæc Officia statis horis etiam privatim persolvenda, quando cum ceteris adesse non licebat, ecclesiastici omnium ordinum viri, ex variis Gregorii locis et exemplis ostendemus. Ipse enim Gregorius Parisiis agens, prope sancti Juliani Ecclesiam morabatur, quam nocte media frequentabat, *ut suum expleret cursum*. Sic et Gregorius Lingonensium antistes Divione domum habebat baptisterio adhærentem, in quo multorum habebantur sanctorum reliquiæ, quem locum sacrum singulis noctibus adibat, indeque *impleto cursu* ad lectum revertebatur. Memoria prorsùs et laude digna est beatissimi Germani Parisiorum antistitis in ejusmodi Officiis persolvendis sollicitudo, qui in ipsis itineribus equitans, si aliter non posset, *cursum nudo capite*, ut habet Fortunatus in ejus Vita, recitabat, *etiamsi nix aut imber urgeret*. Gallus verò Arvernorum Episcopus morti proximus interrogans, ut mox dicebamus, quodnam Officium in Ecclesia caneretur, cùm responsum esset *benedictiones* à clericis absolvi, idem ipse recitavit Officium; et consummato matutinali cursu defunctus est : non enim existimabant sancti illi viri licitam eis esse divini Officii omissionem. Certè cum Portianus, cujus Vitam habet Gregorius inter Vitas Patrum capite 5. ab optimate quodam in aula Theoderici Regis urgeretur, ut pauxillum vini degustaret, id renuit sanctissimus Abbas, eò potissimùm, quòd necdum *Domino debitam psalmorum decantationem* exsolvisset : aliàs verò laudatur Presbyter quidam, qui *juxta Sacerdotum morem* nocte à suo stratu consurgens orationem faciebat. Denique, non enim omnia in hanc rem Gregorii loca proferre vacat, Salonius et Sagittarius Episcopi, ob sua scelera famosi, graviter à Gregorio reprehenduntur libro 5. capite 21. quòd nulla prorsùs apud eos de Deo mentio esset, *nullusque omninò cursus memoriæ haberetur*. Hæc de clericorum obligationibus. At laïci, quamvis ejusmodi onere exemti essent, Officiis tamen divinis, et potissimùm nocturnis vigiliis aderant, diebus saltem Dominicis et festivis : unde in libro de sancti Juliani virtutibus Fedamia objurgatur, quòd ceteris *excubias nocturnas* celebrantibus, ipsa sola somno dedita lecto decumberet. In ejusmodi autem solemniis convivia parabantur clericis, et pauperibus in matricula seu catalogo descriptis, immò et aliquando viris illustribus, potissimùm in majoribus Ecclesiis, in quibus celebrabat Episcopus, quæ convivia in *domo Ecclesiæ* facta fuisse non semel Gregorius testatur.

Liturgia Gallicana.

41. Haud minùs utilis est Gregorius noster in deprehendendo Liturgiæ Gallicanæ ritu, quàm in exponendis cursûs divini partibus. Deperditum quidem non possumus non dolere librum illum de Missis à sancto Apollinari Sidonio compositis, cui præfationem adjunxerat noster Gregorius, ut ipse attestatur libro 2. Historiæ cap. 22. cùm exinde totam Liturgiæ nostræ seriem didicissemus. Ex hoc autem Gregorii loco refutatur eorum sententia, qui Gallicanam Liturgiam ex Mozarabum ritu mutuatam fuisse scripserunt : quod patet ex aliis passim Gregorii testimoniis, quibus certum est multò ante sanctum Isidorum Hispalensem Episcopum, quem ferunt Mozarabici ritûs auctorem, Gallicanam Liturgiam ordinatam fuisse. Sufficiat hîc unum promere, ex libro scilicet de Vitis Patrum cap. 17. ubi Gregorius loquens de lectionibus quæ inter Missarum solemnia præsente Theodeberto Rege recitatæ fuerant, sic habet : *Lectis lectionibus, quas canon sanxit antiquus*. Antiquus itaque jam tunc erat ille ritus Missas in Ecclesia Gallicana celebrandi, antequàm Isidorus Hispalensem thronum subiret. Et hæc fuit constans Patrum nostrorum traditio, quam sæculo nono confirmavit Hilduinus Abbas sancti Dionysii ad Ludovicum Pium scribens, qui peculiarem *Missæ ordinem more Gallico ab initio receptæ fidei* in his Galliarum partibus adhibitum fuisse asserit. Qualis verò fuerit ille ordo, intelligere licet ex antiquis Liturgiis à VV. Cl. Josepho Thomaso Presbytero regulari, et nostro Mabillonio editis, quas ex plurimis Gregorii nostri testimoniis, aliisque veteribus monumentis, et invictis argumentis, verè Gallicanas fuisse deprehenderunt. Quænam autem fuerint Liturgiæ partes, aut quis eam celebrandi ritus, ex Gregorii scriptis expendendum est.

Lectiones.

42. Tres lectiones ex variis sacræ Scripturæ libris initio Missæ lectas fuisse discimus potissimùm ex libro 4. Historiæ capite 16. quarum prima ex Prophetis, altera ex canonicis Epistolis, ac demum tertia ex Evangelio peti solebant. Prophetiam

ipsemet Palladius Episcopus celebrans legebat, cùm à Guntramno Rege qui præsens aderat, vetitus est Missam ulteriùs prosequi. Martyrum passioñes et Confessorum Vitas quandoque inter Missarum solemnia lectas fuisse non semel innuit Gregorius, at nusquam satis disertè exprimit quo tempore ista lectio fieret. Hanc tamen primæ lectionis loco factam fuisse colligimus ex Lectionario Gallicano Luxoviensi, quod à Mabillonio editum est, ubi in festo sanctorum Petri et Pauli, omissa prophetia, Apostolorum passio legenda proponitur. Id apertè patet ex Sacramentario Bobiensi, ab eodem Mabillonio tomo I. Musei Italici edito, ubi in Missis de tempore tres ubique lectiones, in natalitiis autem sanctorum duæ solummodò referuntur, quòd scilicet, ut quidem conjicimus, loco primæ lectionis ejusmodi sanctorum Vitæ ex alio codice legerentur. Idem innuit ipse Gregorius in capite 86. libri de Gloria Martyrum, ubi habet: *Lecta passione* sancti Polycarpi, cujus festum *celebrabitur, cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis invexit, tempus ad sacrificium offerendum advenit.* Ejusmodi sanctorum Acta à *Lectore* recitata fuisse testatur Gregorius libro 2. de Miraculis sancti Martini cap. 49. quo nomine clericum ad id specialiter ordinatum intelligendum esse inficiari nolim: quamquam et ab aliis clericis majoribus legi potuissent. Meminit idem Gregorius libro 8. capite 3. psalmi-responsorii, qui à Diacono in Missa coram Rege cantatus fuerat: quod inter duas lectiones factum fuisse non dubitamus, eo tempore quo hodie Graduale concini solet. His peractis, Diaconus lecturus Evangelium solemniter procedebat, uti refertur libro 8. cap. 4. atque ei Evangelii lectionem annuntianti, plebs omnis gloriam Deo referens respondebat, iisdem fortasse verbis, quibus hodieque utimur. Nam Guntramnus apud Gregorium loco laudato narrat, eamdem fuisse populi responsionem Diacono Evangelicam lectionem pronuntianti, ac homini qui Sigiberto Regi natum ei fuisse filium nuntiaverat. *Unde factum est,* inquit, *ut omnis populus in utraque annuntiatione proclamaret pariter: Gloria Deo omnipotenti.*

Missa. 43. Absolutis lectionibus, Diaconus populo silentium indicebat, ut *Missæ auscultarentur*, ex Gregorii libro 7. capite 8. tumque Celebrans de præsenti solemnitate adstantes brevi erudiebat, atque hac monitione facta subjungebat orationem seu collectam, quæ vulgò *Missa* in veteri Sacramentario Bobiensi appellatur. Hujus porrò occasione silentii accepta, ut ibidem Gregorius narrat, Guntramnus Rex adstantes aliquando contestatus est, ne à quoquam, ut fratribus suis contigerat, interficeretur; et statim omnis populus pro Regis incolumitate *ad Dominum orationem fudit.*

Oblatio. 44. Post lectiones *cùm sacrificii offerendi*, inquit Gregorius libro 1. de Gloria Martyrum cap. 86. *tempus advenisset, Diaconus turrim in qua corporis Dominici mysterium continebatur, attulit,* ex sacrario, uti mihi videtur. Oblatio panis et vini fiebat à populo: *munera* verò post oblationem super altare deposita, palla seu pallio tegebantur, quod ita amplum esse debebat, ut *altarium* simul et oblationes contegere posset. *Pallium sericum* appellat Gregorius libro 7. cap. 22. coopertorium verò Sarmaticum in Vita sancti Nicetii Lugdunensis ad id oblatum fuisse dicitur: sed illud recipi vetuit sanctus antistes, quòd non esset sufficiens ad cooperiendum altare simul cum muneribus sacris; et ita rarum, ut eo non satis tegeretur *corporis et sanguinis dominici mysterium.* Diversum autem ab his pallium erat, quo extra Missarum solemnia altare coopertum fuisse discimus ex libro 10. cap. 15. ubi Justina *pallâ* altaris *operta* memoratur, eo tempore quo homines furibundi Pictavense ingressi monasterium Abbatissam rapere conabantur. Porrò Gregorii locum, quem mox laudavimus, paulò aliter exhibent editi, ubi pro *mysterium*, vox *ministerium* habetur, quasi in ea turre quæ à Diacono afferri solebat, nihil aliud fuisset, quàm vasa et alia ad celebrandam Missam necessaria: sed nostram lectionem alteri præferendam esse suadet, præter argumenta quæ in Notis ad hunc locum protulimus, omnium omninò Manuscriptorum codicum auctoritas. Et quidem aptissima est ad illustrandum Concilii 1. Arausicani canonem 22. qui adeò virorum eruditorum ingenia torsit. Cùm enim ibi præcipitur, *cum capsa et calicem esse offerendum, et admixtione Eucharistiæ consecrandum,* nihil aliud voluere Patres, quàm ut post oblatam Deo capsam in qua panis, et calicem in quo vinum continebatur, in calicem immittatur particula Eucharistiæ ex sacrario in turri allatæ, ut exponit noster Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum §. 20.

Excommunicati expulsi. 45. Facta itaque panis et vini oblatione, qui erant ab Ecclesiæ communione segregati, egredi cogebantur. Cùm nempe Theodebertus Rex apud Treviros in Ec-

clesiam accessisset, in Vitis Patrum capite 17. Nicetius urbis illius Episcopus, qui sacra faciebat, post lectas sacras lectiones, oblataque munera super altare Dei, Regem interpellavit, professus se Missarum solemnia non consummaturum, nisi excommunicati, quos in suo comitatu habebat, priùs ab Ecclesia recederent. Cautinus tamen Episcopus Arvernorum libro 10. Historiæ cap. 8. Eulalio excommunicato *permisit cum ceteris spectare Missarum solemnia :* at illi, quos Nicetius expelli volebat, in suis criminibus contumaces erant; Eulalius verò pedibus Episcopi obvolutus protestabatur se inauditum et immeritum à communione suspensum fuisse : unde et posteà communionem recepit, reservata Dei judicio criminis occulti punitione, si verè, ut rumor erat, ipsum admisisset. Narrat Gregorius libro 2. de Miraculis sancti Martini, populum omnem, viso Miraculo quod à sancto Antistite patratum fuerat, erupisse in voces, *cecinisseque hymnum Gloria in excelsis Deo*, sed cùm jam tunc *munera sacra* super altare *deposita* essent, nihil inde fortasse colligi potest, nisi hunc hymnum ob insolitum hunc favorem, à populo extra morem consuetum tunc cantatum fuisse. Nam simili gaudio perfusus Eberegisilus Coloniensis Pontifex, invento sancti Mallosi corpore, *emittens vocem magnam, Gloria in excelsis Deo secum omnem clerum pariter psallere fecit;* ut ipse Gregorius scribit libro 1. de Gloria Martyrum capite 63.

Contestatio, etc.

46. Contestationem memorat Gregorius libro 2. de Miraculis sancti Martini capite 14. in qua beati Confessoris virtutum enarratio continebatur, respondetque hodiernæ nostræ præfationi. Hinc eam à se, Episcopo scilicet celebrante, cantatam fuisse testatur, *qua expedita omnis populus Sanctus in laudem Domini proclamavit*, uti hodieque fieri solet. Ejusdem hymni meminit in Vitis Patrum capite 16. ubi etiam refert *sanctum munus signo crucis superposito benedictum* fuisse, idque *juxta morem catholicum*. Quibus extremis verbis innuit Ecclesiam Catholicam per totum orbem terrarum diffusam, hanc signo crucis edito benedictionem in Eucharistiæ consecratione adhibuisse. Unde licèt in aliis ritibus Ecclesiæ peculiares à se invicem nonnunquam discreparent, in ipsa tamen actione consecrationis, sicut in verbis Christi Domini recitandis, sic et in benedictionis modo erat ubique uniformitas. *Verba sacra* laudat in libro 1. de Gloria Martyrum capite 87. ibique meminit *confracti corporis Dominici* ante communionem. Dominicam orationem *ad Missas decantatam* fuisse habemus in Vitis Patrum capite 16. quam ab omnibus, etiam mulieribus, itidem *decantatam* fuisse colligimus ex libro 2. de Miraculis sancti Martini cap. 30. qua in re Gallicana Ecclesia, ut observavit Mabillonius, cum Græca conveniens, à Romano ritu discrepabat. Etenim, uti discimus ex epistola 67. Gregorii Magni, libro 7. Indict. 11. quæ est ad Johannem Episcopum Syracusanum, Dominica oratio apud Græcos ab omni populo, in Ecclesia verò Romana à solo Sacerdote dicebatur.

Consecratio.

Communio.

47. Confracto autem Dominici corporis sacramento, ut loquitur Gregorius noster libro 1. de Gloria Martyrum capite 87. Sacerdos ipse Eucharistiam sumebat, et aliis distribuebat ad edendum. Quo in loco innuere videretur, et Sacerdotem ipsum et omnes adstantes ex eadem hostia communicasse, nisi certum esset singulos fideles, aut certè quamplurimos, oblationem suam ad altare deferre fuisse solitos, ex qua posteà communicabant. Censebantur solemnia Missarum consummata, priusquàm communio, saltem laïcis, distribueretur, ut ex nonnullis Gregorii locis facilè colligitur. Certè Guntramnus Rex libro 9. Historiæ capite 3. *peractis solemnibus, ad altarium communicandi gratia* accessit. Et ne quis vocem *solemnium* ad alium sensum detorquere velit, loca alia quæ omni ambiguitate carent proferimus. Unum est ex libro 2. de Miraculis sancti Martini capite 47. ubi legitur : *Cùmque expletis Missis populus cœpisset sacrosanctum corpus Redemptoris accipere*, etc. Ad hæc, mulier vidua capite 65. libri de Gloria Confessorum, *expletis celebratisque Missis*, accessit ad *poculum salutare*. Accedebant autem omnes ad altare ad sacram communionem recipiendam : quin et ex unico calice omnes Christi sanguine potabantur : quæ erat Catholicos inter et Arianos differentia, ut ipse Gregorius observat libro 3. Historiæ capite 31. Etenim apud Arianos consuetudo fuit, *ut ad altarium venientes de alio calice Reges communicent, et de alio populus minor*. Ex quo etiam loco patet, communionem sub utraque specie communiter omnibus fuisse porrectam ; quamvis nonnulli unica contenti essent. Nam cùm Cautinus Episcopus libro 10. capite 8. Eulalio dixisset : *Sume tibi Eucharistiæ particulam, atque impone ori tuo :* ille *accepta Eucharistia communicans abscessit*. Ubi *Eucharistiæ* nomine unica species

apertè designatur, quæ in plures particulas aut oblatas divisa communicandis porrigebatur, non quidem in ore, uti hodie fit; sed singuli, etiam laïci, eam manu propria sumtam, sibimetipsis ori imponebant. Mulieres tamen non nuda manu, uti ex aliis monumentis discimus, accipiebant Eucharistiam, sed ex ea in velo, quod vulgò orarium appellabant, à Sacerdotibus recepta, posteà communicabant. Si qui verò ex adstantibus essent, non excommunicati quidem, sed qui tamen, ut loquitur Hincmarus, communicare non fuissent parati, illis eulogiæ distribuebantur, id est aliquid de panibus oblatis, qui consecrati non fuerant, ut idem auctor prosequitur in Capitulis anni 852. et id in *communionis* tesseram. Unde cùm Meroveus Chilperici filius è monasterio sancti Carilefi fugiens ad basilicam sancti Martini accessisset, ubi tunc Gregorius sacra faciebat; *post Missas*, petiit eulogias sibi à Gregorio dari : quod cùm ille facere renuisset, Meroveus se immeritum à *communione suspensum* conquestus, multa minatus est in urbem Turonensem mala se facturum, nisi Episcopi *communionem* mereretur. Istis porrò eulogiis successit panis, ut vocant, benedicti distributio, quæ hodieque, potissimùm in Ecclesiis parochialibus, dominicis diebus fieri solet. Atque hæc sunt quæ de Missarum celebratione ex variis Gregorii locis colligere licuit, ex quibus Mabillonius, adjunctis ex aliorum auctorum compluribus testimoniis, Gallicanam Liturgiam plurimùm illustravit. Nos verò, ut faciliùs cuique pateat quisnam fuerit tunc illius ritus, specimen Missæ, quantum fas erit, integræ ex Liturgiis, et aliis monumentis ab eodem Mabillonio editis proferemus in Appendice hujus voluminis.

Reverentia in sacris peragendis.

48. Quanta autem cum reverentia ad divina mysteria aut celebranda, aut recipienda accederent, multis in locis prodit Gregorius. Narrat in libro de Gloria Martyrum capite 87. Epachium Presbyterum divinitùs fuisse punitum, *quòd temerè quæ erat indignus agere præsumsisset*. Eumdem arguit, quòd etsi post galli cantum bibisset, sacra tamen mysteria ausus fuisset celebrare : *quod*, inquit, *jejunus quisque non sine metu potest terrente conscientia explicare* : et capite præcedenti, *deflenda esse et plangenda scelera* monet, cùm ad altare accedendum est, ne *corpus et sanguinem Domini actu polluti potiùs ad judicium sumamus*, *quàm ut veniam consequamur*. Ne quidem videri fas erat sacra munera altari imposita : quare Nicetius Lugdunensis antistes in visu cuidam Presbytero apparuisse dicitur in Vitis Patrum capite 8. ut prohiberet, ne coopertorium, quod rarum esset, nec eo planè tegerentur sacra mysteria, super altare poneretur. Vasa ipsa quæ ad sacrum ministerium adhibebantur, *sacrata* passim nuncupat Gregorius, quorum varia genera pro data occasione commemorat, calices, patenas, turres, cruces, etc. ea verò ad *humanos usus* aptare piaculum grande computabat, prævaricatorum temeritatem à Deo punitam fuisse variis miraculis comprobans. Illa autem omnia vasa non solùm Gregorius, sed et ceteri ejus ævi auctores unico vocabulo *ministerium* appellabant, quandoque *ministerium sacrum* : *ministerium* verò *quotidianum* appellat ea solummodò vasa, quæ Missæ celebrandæ necessaria absolutè erant, id est *patenulam parvam cum calice*, quæ Maximus Presbyter in itinere constitutus cum codice Evangeliorum *in collo suspensa* deferebat. Nam aliàs calix in Missis solemnibus amplissimus erat, sicut et patena, cùm ex unico calice, ut mox dicebamus, omnes communicarent; et patena ea esse deberet quæ adstantium oblationes omnes posset continere : sed patenulam istam cum calice secum deferebat Maximus, ut scilicet quotidie posset sacra peragere. Singulis enim diebus Missa poterat celebrari. Et quidem mulier vidua per annum integrum *quotidie Missarum solemnia celebrasse* dicitur capite 65. libri de Gloria Confessorum, ob id scilicet solùm, quòd necessaria ad offerendum sacrificium ministraret, et etiam ipsi interesset, ut ex capitis contextu facilè colligitur. Binas verò Missas singulis Dominicis celebrabat Severus Presbyter, ex capite 50. ejusdem libri, in duabus scilicet villis, quæ à se invicem viginti millium spatio dissitæ erant. Denique ad Missam solemnem hora tertia, quam hodie nonam dicimus, populum convenisse narratur in Vitis Patrum capite 8.

Vasa sacra.

Vestes.

49. Ministros altaris, cum sacra fierent, *albis* indutos fuisse discimus ex canone 12. Concilii Narbonensis, quod anno 589. habitum est. Idem innuit Gregorius in libro de Gloria Confessorum capite 20. ubi laudat *Sacerdotum ac Levitarum in albis vestibus non minimum Chorum*, qui oratorii sui dedicationi interfuit. In capite 44. Historiæ, quod in aliis editis est 38. Archidiaconus *indutus alba* Episcopum, *ut mos est*, ad altare invitasse memoratur, ut natalis Dominici solemnitatem celebraret. *Albentium* quoque *Diaconorum* turba aderat beati Nicetii Lugdunensis Epi-

scopi exsequiis, ex libro de Gloria Confessorum capite 61. Sacerdotales vestes aliis in locis commemorat. Habemus verò in libro de Vitis Patrum capite 8. *candida*, vestes scilicet amplas, uti ibi describuntur, quas festis Paschalibus Sacerdotum humeris imponi mos erat. Idipsum est vestimentum, ni fallor, quod sanctus Remigius *amphibalum album paschalem* appellat in suo Testamento, quem Episcopo sibi successuro reliquit. Vestimenta autem ad sacra facienda in sacrario assumebantur, ubi peractis solemniis deponi solebant. Etenim cùm ægrè ferret Guntramnus, quòd Palladius Santonum Episcopus qui Gundovaldo adhæserat, coram eo sacra faceret, ille qui jam lectiones incœperat, in sacrarium recessit.

Missæ pro offerentium votis dictæ.

50. Munera fideles offerebant, ut pro eis Missæ celebrarentur : quod innuit Gregorius in libro 1. de Gloria Martyrum capite 75. ubi *Frigoritici* sanitatem recuperasse memorantur, qui Missas in honore sancti Sigismundi celebrare, et oblationem pro ejus requie Deo offerre curaverant. Rem clariùs exprimit libro 1. de Miraculis sancti Martini capite 12. ubi Ultrogottha Regina ad sancti Martini Ecclesiam advenisse dicitur, et *multis muneribus oblatis* expetiisse, ut Missa in sancti Confessoris honore *revocaretur*. Vinum offerebat quotidie ad sacrificium peragendum pro viro suo defuncto mulier vidua in libro de Gloria Confessorum capite 65. licèt ipsa ad *communicandum* rariùs accederet. Sed et diversas rerum species à Fidelibus oblatas Ecclesiis fuisse ex capite 2. ejusdem libri certum est, et quidem super altare; quod patet ex pluribus aliis locis. Ob decimarum verò solutiones à populis neglectas regionis excidium minatus est beatus Hospicius, in libro 6. Historiæ cap. 6. Memorabilis autem est Lemovicum devotio, qui non solùm semel aut iterùm, aut quando liberet, munera Ecclesiæ sancti Juniani offerre consueverant, verùm etiam ejus veluti *tributarii* facti, *ad tributa* singulis annis statis diebus ei persolvenda sese ipsos obligaverant.

Ecclesiarum forma.

51. Ecclesiarum seu basilicarum formam et magnificentiam non in uno loco describit Gregorius. Unde intelligere licet quanta fuerit patrum nostrorum pietas, qui nec sumtibus pepercerunt nec laboribus, cùm de condendis et adornandis domibus Deo sacratis actum est. Legesis libri 2. Historiæ capita 14. et 16. in quorum priori Turonensis sancti Martini basilica, in altero *senior* Ecclesia Arvernensis describitur. Marmora, picturas, aurea argenteaque ornamenta, vela, palliola, tecta ipsa ex ære confecta, ad ornandas Ecclesias adhibita fuisse passim commemorat. Duas Ecclesiæ præcipuas partes fuisse ex eodem discimus, capsum (navim interpretamur) et presbyterum, sic dictum, quòd ibi Presbyteri stare consueverint. Nuncupatum est etiam non semel *altarium*, quòd ibi altare majus exsisteret. Analogium in Ecclesia sancti Venerandi apud Arvernos exstitisse testatur in libro de Gloria Confessorum capite 37. quod tribunalis nomine aliàs designare videtur. Ibi Episcopus concionabatur, quo etiam in loco Epistolæ et Evangelia legebantur in conventibus publicis fidelium. Analogii veteris accuratam descriptionem ex sancti Clementis Ecclesia Romæ habes apud Mabillonium in Commentario prævio ad ordinem Romanum, ubi etiam ejus ichnographiam repræsentat. Erant prætereà Ecclesiarum porticus, cryptæ, ac nonnunquam oratoria ipsis adjuncta, quæ et sua habebant altaria. Quin et plura in unica basilica oratoria nonnunquam fuisse ex multis Gregorii locis facilè probaretur. Lege Historiam libro 5. capite 50. etc. Ecclesias verò complures, oratoria et altaria à se consecrata fuisse scribit libro 10. capite ultimo : sed dedicationis Ecclesiæ cæremonias singulatim exponit in libro de Gloria Confessorum capite 20. ubi oratorii sui dedicationem describit. Altaria autem consecrare absque sanctorum reliquiis nefas erat. Unde Palladius Santonensis Episcopus à sancto Gregorio Papa ejusmodi reliquias poposcit, quas in altaribus à se exstructis reponeret.

Reliquiæ SS. in altaribus.

52. Reliquias sanctorum appellat Gregorius, velum sepulcri alicujus sancti, aut pallium ejusdem tumulo impositum, ceram, aut oleum ex lampadibus et cereis qui ibi ardere solebant; item pulverem exinde collectum, herbulas aut flores ibi appositas, aliaque ejusmodi. Sanctorum tamen aliquot, maximè Orientalium, ossa habebantur, quæ etiam *Reliquiarum* nomine idem auctor designat. Ejusmodi reliquiæ in lapide concavo, aut in ampulla sive capsula conclusæ, in ipsa altaris structura deponebantur, quales se invenisse testatur Gregorius in fine libri decimi. *Loculum* appellat libro 1. de Gloria Martyrum capite 34. partem illam altaris, in qua inclusæ ejusmodi reliquiæ : nos hodie *sepulcrum* nuncupamus, quòd repræsentare videatur sanctorum sepulcra, super quæ antiquitus altaria erigi solebant. Nec enim

olim licebat nisi super sanctorum Martyrum reliquias altaria erigere. Unde in majoribus Ecclesiis altare majus ut plurimùm in loco edito structum erat, sub se habens cryptam sanctorum reliquiis instructam, quæ et suum altare habebat. Cryptæ verò illæ, quæ supra sanctorum tumulos constructæ erant, nonnullis in locis *Confessiones* nuncupatæ fuerunt, Romanæ Ecclesiæ exemplo. Etenim *Confessio sancti Petri* Romæ jam dicebatur ea Vaticani pars, in qua beatorum Apostolorum corpora requiescunt : sic et *limina* sancti Martini, aut sancti Hilarii appellabantur eorumdem sanctorum basilicæ, quòd eas, uti et *limina Apostolorum* Romæ existentia, peregrini invisere solerent. Legimus etiam apud Gregorium sanctorum reliquias in baptisteriis adservatas fuisse : at illa baptisteria diversa ab oratoriis censeri non debent, quòd ibi non solùm administraretur baptismi sacramentum, sed et sacra quoque mysteria, et cursus divini celebrarentur. Reliquias sancti Sergii martyris *in sublimi parietis contra altarium in capsula reconditas* servabat Eufronius quidam Syrus in domo sua, quam apud Burdigalam in Ecclesiam convertisse memoratur apud Gregorium libro 7. Historiæ capite 31. Sed et in aliis passim locis occurrunt sanctorum tumuli in Ecclesiarum parietibus inclusi, seu potiùs in arcubus, qui intra ipsos parietes constructi erant : nunquam verò sanctorum reliquias super altare, nisi fortasse brevissimo intervallo, deponere fas fuit ; quod nonnisi in earum translationibus, aut supplicationibus publicis vix permittebatur.

Sanctorum tumuli.

53. Sanctorum tumuli palliis operiri consueverant, et cancellis includi, si magnus esset ad illos populorum concursus ; ciboria etiam super ipsos exstruebantur et fredæ, id est umbraculà, quibus in pyramidis modum desinentibus nonnunquam crux in fastigio imposita erat, ut de tumulo sancti Juliani martyris observat Gregorius capite 20. ejus Miraculorum. Crucis loco nonnullis inerat columba, qualis exstitisse dicitur supra beati Dionysii sepulcrum in libro 1. de Gloria Martyrum, capite 72. *Coronam* autem sepulcri beati Martini, quæ ejus meritum declarabat, à Chuno quodam raptam fuisse memorat libro 1. de Miraculis ejusdem sancti capite 2. Hæc porrò videtur fuisse sanctitatis nota, si cui tumulo pallium imponeretur. Hinc Gregorius observat, honorem debitum sancto cuidam Presbytero impensum non fuisse, quòd tumulus ejus alteri junctus nec ornari pallio, nec cereis illustrari propter loci angustiam potuisset. Atque hic tunc erat solemnis canonizandi, ut hodie loquimur, alicujus sancti ritus, si ejus corpus è terra ab Episcopo levaretur, altari subponendum.. Catenæ autem, compedes, aliaque ejusmodi anathemata sanctorum sepulcris ii appendebant, qui eorum intercessionibus se liberatos ac incolumes evasisse arbitrabantur, ex Vitis Patrum cap. 8. Huc etiam solebant convenire illi, qui gravibus de causis accusati juramento se ipsos purgare tenebantur : quæ quidem sacramenta quandoque in Ecclesiarum porticibus, nonnunquam in ipso sacrario, aut denique tacto ipso tumulo, aut altari, data fuisse legimus. At insolitum omninò fuit illud juramentum, quod à nostro Gregorio exegit Chilpericus, ut scilicet dictis Missis ad altaria tria suam innocentiam sacramento approbaret : illud tamen præstitit sanctus antistes, licèt fuerit canonibus contrarium, ne apud Regem læsæ majestatis reus haberetur.

Asyla.

54. Jus asyli Ecclesiis et locis sacris concessum exemplis et scriptis asseruit Gregorius. Ita verò ipsis etiam Regibus inviolabilis videbatur illa Ecclesiarum immunitas, ut ne quidem læsæ majestatis reos à locis sacris extractos necari posse censerent. Deprehensus fuerat in Ecclesia sancti Marcelli prope Cabilonem sicarius quidam, qui Guntramnum Regem in ipsa Ecclesia occidere erat paratus, ut narratur libro 9. Historiæ cap. 3. Inde tamen eductum jussit Rex vivum dimitti, *quia nefas putavit, si is qui ab Ecclesia eductus fuerat, truncaretur.* Simili indulgentia Childebertus Austrasiorum Rex nonnullis, qui conjurationis in se ipsum initæ accusati fuerant, se parciturum esse, etiam reis, pollicitus est, quòd ad Ecclesiam confugissent. *Promissionem,* inquit piissimus Rex apud Gregorium libro 9. capite 38. *habete de vita, etiamsi culpabiles inveniamini. Christiani enim sumus : nefas est enim vel criminosos ab Ecclesia eductos punire.* Exinde celebria fuere ad sanctorum basilicas confugia, qua immunitate non modò ipsæ basilicæ gaudebant, sed multa insuper ædificia et loca illis adjuncta, in quibus tutò reis vivere concessum erat. Ejusmodi celebriores fuere Ecclesiæ sancti Hilarii Pictaviensis, sancti Martini apud Turonos, sancti Germani Autisiodori, sancti Remigii Remis, et aliæ complures, quæ passim apud Gregorium data occasione memorantur.

Ornamenta.

55. Ecclesiarum ornamenta non in uno loco recenset Gregorius, vela scilicet

parietibus

parietibus et ostiis appensa, aut quæ sacrarium ab aliis Ecclesiæ locis sejungerent; picturas quæ non minùs fideles, potissimùm idiotas, erudirent, quàm ornarent templa; cameras seu laquearia auro argentoque linita, et tecta ex ære aut stanno fusa; pallia, etiam ditissima, quibus altaria, et sanctorum tumuli tegi et ornari consueverant. Ornamenta autem in præcipuis festivitatibus ditiora quotidianis et splendidiora erant. Describit Gregorius in Miraculis sancti Juliani capite 20. ejusdem sancti Martyris basilicam in ipsius festivitate *ornamentis immensis effulgentem*. Omitto vasa sacra, calices, patenas, Evangeliorum libros, aliaque sacræ Scripturæ exemplaria, Sacramentorum, uti aiebant, codices, id est libros Missales, Rituales, Pœnitentiales, et alios, qui in usu quotidiano necessarii erant; ad hæc cruces gemmis etiam et lapidibus pretiosis nonnunquam ornatas, lampades in Ecclesiis appensas, candelabra, vexilla seu signa, quæ in supplicationibus seu processionibus deferri solebant, aut certè cùm clerus et populus Regi aut Episcopis in urbem advenientibus obvii procederent. Hæc verò omnia sancta et Deo dicata reputabat pia fidelium religio, ut absque sacrilegio ad profanos usus adhiberi non posse censerent, quorum sæpiùs vel solo tactu medelam sibi afferri posse existimabant: immò inter hæc computabant vel signorum seu campanarum funes, aut claves queis Ecclesiæ ostia reserabantur, ut omittam claves illas Roma allatas, quas alicubi commemorat Gregorius. Claves verò basilicarum quandoque animalibus imprimebant, ut eos aut à lue quam incurrerant, liberarent, aut certe imminentem averterent.

Veteres Ecclesiæ Gallicanæ consuetudines. Festa.

56. Sed et veteres quasque Gallicanæ Ecclesiæ consuetudines quivis ex Gregorii nostri lectione facilè deprehendet. Tales sunt sanctorum etiam Confessorum festivitates, quæ tunc temporis in Gallia celebrabantur. Dominicæ diei observatio ita accuratè servata, ut à primis vesperis, id est sabbato præcedenti post meridiem inchoaretur: quam cùm violassent nonnulli, divinitùs puniti fuerunt. Quadragesimam sanctam non semel laudat idem auctor: sed memorabilia sunt illius verba in Vitis Patrum capite 15. ubi *Quadraginta dies* commemorat, *quos ante Paschalia festa in summa duci abstinentia patrum sanxit auctoritas*. Describit Rogationum seu Litaniarum ritus, quarum nonnullæ statis diebus fieri solebant; aliæ verò cùm aliqua ingrueret publica calamitas: quibus etiam temporibus preces publicæ, vigiliæ solemnes ac jejunia indicebantur. Certè pallam è sancti Remigii tumulo sumtam per universa regionis suæ loca detulerunt Remenses, nec incassùm: nam ne unus quidem intra eorum fines peste, quæ ceteras regiones devastabat, impetitus fuit. Supplicationes etiam seu processiones ex una in aliam Ecclesiam in solemnibus sanctorum festivitatibus factas fuisse ex eodem auctore discimus. Exponit non semel in Historiæ libris solemnes Episcoporum aut Regum receptiones, quæ præcedentibus crucibus, vexillis ac cereis, ab urbium clero et populo fieri solebant: memorat et publicas iis occasionibus populorum acclamationes, queis fausta, variis etiam linguis, ad majorem solemnitatem advenientibus apprecabantur. Alias commemorat funebres defunctorum exsequias, in iisque vestium mutationes, lugubria indumenta, et alia hujusmodi. Comprovinciales Episcopos ad Episcopi defuncti exsequias celebrandas occurrere consuevisse discimus ex capite 6. inter Vitas Patrum, ubi describit Gregorius sancti Galli pompam funebrem: capite sequenti idem habet de Gregorio Lingonensi. Legendum quoque ea de re caput 106. libri de Gloria Confessorum, ubi de beatæ Radegundis sepulturæ ceremoniis plura habet. Ex quo item capite discimus, cœmeteria ad sepeliendos fideles destinata, jam tunc sacerdotali, id est pontificali, benedictione sacranda fuisse, in quibus altare erigi solebat ad offerendas pro mortuorum requie piaculares hostias, ut aliis in locis sæpiùs factum fuisse docet idem Gregorius. Corpora verò defunctorum abluta primùm, tum induta sepeliebantur, et quidem haud rarò in Ecclesiis: quod etiam aliis præter Episcopos et Principes his temporibus in Galliis permittebatur. Excommunicatorum verò et infidelium cadavera non solùm ab Ecclesiis, sed etiam à communibus fidelium cœmeteriis arcebantur: quin et Palladius Comes, qui se ipse interemerat, *juxta Christianorum cadavera* positus non fuit. *Aquæ benedictæ* usum ad morbos abigendos, miraculis et sanctorum virorum exemplis legitimum fuisse non in uno loco probat Gregorius, qui et passim de aliis rebus sacerdotali benedictione munitis loquitur. De benedicto pane seu eulogiis, quæ sub finem Missæ distribuebantur, jam diximus. *Eulogias* quoque seu *benedictiones* nuncupat Gregorius, quælibet munuscula à Sacerdotibus in amicitiæ signum data vel accepta, quòd essent tessera quædam communionis, et ab ipsis solerent benedici.

Supplicationes.

Exsequiæ.

Benedictiones.

Nefas autem erat præsente Sacerdote quidquam cibi aut potûs sumere, nisi priùs ab ipso benedictum fuisset : quem ritum Deus sæpiùs miraculis comprobari voluit, ut ex Gregorio nostro, aliisque antiquis auctoribus discimus. De crucis signi efficacia et virtutibus tot sunt testimonia quot ferè paginæ.

Sacramentorum ritus.

57. Multa item habet Gregorius de Sacramentorum administratione. Quo ritu Eucharistiæ sacramentum distribueretur jam suprà diximus. Ipsum verò in turri tunc temporis adservatum fuisse in sacrario, unde ad altare afferri consueverat jam superiùs observavimus ex capite 86. libri de Gloria Martyrum nostræ editionis. Huic rei, præter Fortunati locum de turri à Felice Episcopo fabricata, suffragatur *benedictio turris*, quam in Appendice hujus voluminis habes ex veteri Sacramentario descriptam. Chlotharii Regis, cùm ad sancti Martini sepulcrum accessit, pœnitentiam describit Gregorius in Historiæ libris. Quidam verò in Vita sancti Nicetii Lugdunensis, cùm morti esset proximus, pœnitentiam à Presbytero fusis lacrymis efflagitasse dicitur. Et alibi hominem memorat Gregorius, qui morte puniendus, *pœnitentiam à Sacerdote petiit, clam* quidem, quòd fortè jam tunc temporis reos extremo supplicio afficiendos à pœnitentia leges civiles arcerent. Nec desunt apud nostrum auctorem indulgentiarum exempla. Nam Victor Episcopus, qui à communione fuerat suspensus ob reos temerè reconciliatos, ante præstitutum tempus Regis intercessione communioni restitutus est. Sic et in Synodo Mettensi Basina et Chrodieldis ob scelera excommunicatæ, rogante Childeberto, à Concilii Patribus absolutæ fuerunt. Baptismo conferendo tempora designata indicat Gregorius, commemorans Guntramni querelas adversùs eos, qui Chlotharii II. baptismum iterùm atque iterùm distulerant. Ejus verò, et quidem in sanctissimæ Trinitatis nomine unitatem sæpiùs propugnavit. Per immersionem, saltem in Hispaniis, tunc datum fuisse ex eodem colligimus, qui et nomina in baptismo imposita frequenter retulit. Chrismatis benedictionem ab Episcopis factam non semel laudat, sicut et Chrismationem, quæ ad recipiendos in Ecclesiam redeuntes hæreticos adhibebatur. Laudat etiam illos *qui crucis vexillo consignati* fidem suam operibus approbabant ; et Chlodoveum Regem à Remigio Francorum Apostolo non baptizatum modò, sed et *sacro Chrismate cum signaculo crucis Christi* fuisse *delibutum* attestatur. Inter episcopalia munia quæ promoto Dunensi malè ordinato Episcopo interdicunt Patres Concilii IV. Parisiensis, recensetur *Infantum confirmatio*. Idem Gregorius Exorcismorum in dæmones vim non semel exponit. Tonsuratos, Lectores, Ostiarios, Cereferarios, Subdiaconos aliosque superiores clericorum gradus, cùm sese offert occasio, commemorat : interstitia autem, quæ ad eos ritè suscipiendos servari deberent, suprà ex Catonis Presbyteri verbis exposuimus. Episcoporum verò ordinationes Dominicis diebus fuisse celebratas non semel innuit. Ægrotorum unctiones passim laudat : certè lib. 1. capite 41. Artemius legatus Arvernos transiens cùm in febrim incidisset, à Nepotiano Episcopo visitatus, et *oleo sancto* perunctus, sanitatem recepit. Matrimonia verò cum benedictione sacerdotali contracta fuisse patet ex Chilperici Regis adversùs Prætextatum Episcopum querela, libro 5. Historiæ, capite 19. ubi Rex illi exprobrat manifestam canonum violationem, quòd Meroveum cum patrui illius relicta matrimonio conjunxisset. Ceterùm Gregorius aliis in locis non semel nuptias incestuosas, mulieresque superinductas, etiam in viris principibus, episcopali libertate, damnat.

Censuræ Ecclesiasticæ.

58. Censurarum Ecclesiasticarum exempla non desunt in Gregorii libris. Aliquod irregularitatis ob lenitatis defectum incurrendæ vestigium invenit Thomassinus in Gregorii facto, Historiæ libro 6. capite 10. relato, ubi ille scripsisse se memorat in gratiam furum, qui sancti Martini basilicam infregerant, Regem commonens eos fures à clericis, ad quos causa hæc pertinebat, non fuisse accusatos. Quod se fecisse ait pius antistes veritum, ne homines illius causa morerentur, qui vivens in corpore pro perditorum vita sæpiùs deprecatus fuerat. Opprobrio magno se fore obnoxium existimavit Presbyter quidam in capite 73. libri 1. de Gloria Martyrum memoratus, si per *suam accusationem* fur morti fuerit addictus. Hunc enim rapti equi accusaverat ille Sacerdos : unde nullum lapidem non movit, ut reum à morte eriperet : quod cùm judex facere renuisset, condemnati salutem beati Quintini meritis à Deo impetravit. In libro 6. Historiæ capite 8. Ursicinus Caturcensis Episcopus ab ordine suscepto suspensus est, quòd Gundovaldo Ballomeri publicè adhæsisset. Prohibitum quippe ei fuit, ne toto triennio *Missas celebrare*, *Clericos ordinare Ecclesiasque et Chrisma benedicere, etc.* auderet. Ecclesiastica sepultura privatus fuit

Palladius, qui sibi ipsi violentas manus attulerat, ut jam observavimus. Interdictum verò in Pictonum urbem sese inflicturum minitatus est Maroveus ejusdem urbis antistes, nisi Chrodieldis à nequitia sua resipiscens Abbatissam sanctæ Crucis monasterio, à quo fuerat rapta, restitueret. Et quidem cùm sancti Dionysii Ecclesia prope Parisios ob cædem in ea patratam violata fuisset, *Officium perdidit*, nec ibi sacra celebrata fuerunt, donec fuisset ab Episcopo reconciliata. Episcoporum ob admissa crimina dejectiones, excommunicationes in incestuosos, aliorumque criminum reos prætermitto, quòd hæc notiora sint quàm ut indigeant fusiùs tractari.

Fidei dogmata.

59. Ex his autem omnibus patet, utilissima esse Gregorii opera ad indagandam Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam : pauca jam subjungenda sunt, ex quibus intelligatur, ea non minùs esse idonea ad confirmandam fidem nostram. Hanc enim eam ipsam esse ex eodem auctore discimus, quam Patres nostri ab Apostolorum discipulis acceperant. Et quidem nunquam aliàs tam accuratè locutus est Gregorius noster, quàm cùm de fidei rebus tractavit, nec quicquam aliud toto vitæ suæ tempore adeò diligenter inquisivit, ac ea quæ ad fidei integritatem et sinceritatem pertinebant. Ad ipsum disertis verbis testatur initio libri 1. Historiæ, ubi postquàm se Grammaticæ regulis non plenè eruditum fassus fuisset, subjungit se tamen studuisse semper, ut de rebus fidei puram et sinceram haberet notionem. *Illud*, inquit, *tantùm studens, ut quod in Ecclesia credi prædicatur, sine aliquo fuco aut cordis hæsitatione retineam, etc.* Subjungit fidei suæ professionem, quam Symbolo Nicæno aut Constantinopolitano prolixiorem edidit, ut ab hæresibus, quæ posteà pullulaverant, alienum se esse profiteretur. Præclaras fidei regulas proponit libro 10. Historiæ capite 13. sacrarum nempe Litterarum, et Traditionis Apostolicæ auctoritatem, queis utitur ad confutandam hæretici cujusdam pervicaciam, qui futuram resurrectionem in dubium revocare ausus fuerat. Alio in loco sanctorum Patrum auctoritatem, quos post Apostolos Deus Ecclesiæ reliquit, laudat, nempe libro 5. cap. 45. Denique tanti fecerunt majores nostri disputationes, quas Gregorius noster adversùs hæreticos à se habitas scriptis commendaverat, ut eis inter fidei regulas locum darent in codicibus, qui ad Sacerdotum eruditionem posteà conditi fuerunt. Ejusmodi collectionem habemus ex codice Fossatensi tempore Caroli-Magni concinnatam, in qua Conciliorum canonibus præmittuntur symbolum Athanasii, Augustini aliorumque fidei confessiones, tum altercationes contra hæreticos ex Gregorii Historia excerptæ. Nec immeritò : ita enim fidei nostræ studiosus fuit Gregorius, ut nullam ejus propugnandæ occasionem prætermiserit. Sanctissimæ Trinitatis mysterium, personarumque in una natura et divinitate æqualiter subsistentium veritatem sæpè sæpiùs, allatis sacræ Scripturæ testimoniis, demonstravit, confirmavitque variis miraculis, quæ in hanc rem facta, aut ipse viderat, aut didicerat ab aliis. Chilpericum Regem qui Sabellii errores renovare volebat, ita confutavit, exposito quodnam esset de personarum distinctione et naturæ unitate Catholicum dogma, ut Rex, licèt in eum frendens, silere coactus fuerit. Resurrectionem corporum futuram prolatis appositè sacræ Scripturæ testimoniis contra Saducæum quemdam Presbyterum ita asseruit, ut ille omninò convictus, se nunquam eam impugnaturum pollicitus sit. Ibidem quoque de judicii extremi veritate eruditè disserit, et suppliciorum æternitatem damnatis luendam probat. De iisdem pœnis, tum de temporariis, quas animæ defunctorum perpetiuntur, agit in capite ultimo libri 1. de Gloria Martyrum. Peccati originalis adversùs Pelagianos veritatem in sua fidei confessione agnovit, cùm *hominem perditum liberatum* à Christo fuisse profitetur. Ibi et perpetuam Mariæ virginitatem laudat, et aliis in locis ; divini verò auxilii ad rectè agendum necessitatem non verbis solùm, sed et exemplis passim comprobat : hinc rectè facta non viribus propriis, sed Dei virtuti tribuenda esse docet in capite laudato libri de Gloria Martyrum : capite autem 41. fidem rectam, quæ bonis animetur operibus, ad salutem necessariam esse censet. Veram et realem in Eucharistia corporis et sanguinis Domini præsentiam, cùm in narrandis historiis occasio sese obtulit, ita apertè declaravit, ac si data opera catholicum illud dogma post exortam Berengarianorum hæresim exprimere voluisset. *Audenter*, inquit in libro de Gloria Martyrum capite 86. *sanctum Domini corpus et sanguinem, cùm simus actu polluti, potiùs ad judicium sumimus, quàm, etc.* et cap. 10. ejusd. libri narrat historiam infantis Judæi, qui cum Catholicis ad *participationem gloriosi corporis et sanguinis Dominici* accesserat. Expletis Missis, ex libro 2. de Miraculis sancti Martini capite 47. populus *sacrosanctum corpus Redemtoris* accepit, etc. Missarum celebrationes,

sacrificii oblationem passim commemorat. Missas ad requiem defunctis procurandam celebratas habes in libro de Gloria Confessorum capite 65. et Palladius, sui ipsius interemtor, *Missarum solemnia non meruit.* Alibi præsente corpore in defunctorum exsequiis Missæ celebratæ dicuntur : item et *psallentium* juge circa defuncti corpus ante sepulturam, et alia ejusmodi, quæ legentibus passim occurrunt. Sacrarum verò reliquiarum venerationem, invocationem sanctorum, sacras eorum imagines, aliaque ejusmodi, quæ recentiores hæretici, plus fortè vulgi abusibus quàm Ecclesiæ dogmatibus attendentes, tantoperè impugnarunt, tot probant argumenta, quot ferè habentur in libris Miraculorum paginæ. Imagines Christi apud fideles adservandi morem ex amore in prototypum processisse ait capite 22. libri 1. de Gloria Martyrum, ut nempe ejus, cujus legem in tabulis cordis retinent, etiam imaginem ad commemorationem virtutis in tabulis visibilibus pictam per Ecclesias ac domos affixam præsentem habeant. Et quidem, ut eadem occasione loquitur Rufinus libro 7. Historiæ capite 14. *Insignia veterum reservari ad posterorum memoriam, illorum honoris, horum verò amoris indicium est.*

Gregorius de exteris nationibus agit.

60. Ceterùm etsi præcipua Gregorii nostri operum utilitas collocanda sit in addiscenda Francorum regni tam ecclesiastica quàm profana historia, haud tamen spernenda habet de aliarum nationum rebus gestis, quæ exinde etiam illarum gentium propriæ historiæ scriptores mutuati sunt. Ipse nobis, ut rem exemplis probemus, Burgundionum et Thuringorum fortunam descripsit : Wisigothorum in Septimania et in Hispania Regum seriem ab eo accepimus. Non pauca etiam de Ostrogotthorum, et Langobardorum rebus gestis narrat, occasione expeditionum, quas Reges nostri in Italiam adversùs eos suscepere : unde etiam occasionem accepit de Imperatoribus Græcis disserendi, qui titubantem in Italia suam potestatem confirmare ac reparare Francorum auxilio sæpiùs conati sunt. Hinc variæ legationes è Græcia in Gallias, et ex Galliis in Græciam, quas Gregorius passim commemorat. Ea quæ de Chunis, Saxonibus, Bajoariis, aliisque Germaniæ populis habet, non vacat recensere. Adde etiam quæ de extremorum temporum Romani in Occidente imperii aut tyrannis aut Imperatoribus, vel certè de eorumdem militiæ præfectis, ex Orosio aliisque auctoribus retulit, quibus et nonnulla intermiscuit, quæ aut ex traditione acceperat, aut ex auctoribus modò ignotis. Idem fecit in narratione quam ex Eusebii sive Hieronymi Chronico et Orosii Historia potissimùm concinnavit de iis rebus, quæ à mundi conditione ad sæculum quintum contigerunt. Variorum opiniones de maris Rubri transitu recenset in lib. 1. Historiæ cap. 10. ubi et peregrinos laudat, qui monasteria Ægypti perlustraverant : tum loquitur de priscis nationibus, *ne videamur*, inquit capite 16. *unius tantùm Hebrææ gentis habere notitiam, reliqua regna, etc.* enumerat antiquarum gentium Reges, qui ante Christi adventum imperarunt. Paulò fusiùs exponit ea quæ post Christum natum contigerunt : persecutiones adversùs Ecclesiam recenset, nonnullaque de Galliarum statu habet, unde discimus quæ fuerint Ecclesiæ in his partibus primordia, aut saltem quæ tunc invaluerit, cùm Gregorius viveret, ea de re opinio,

De priscis gentibus.

De primordiis fidei in Galliis.

61. Nonnulli ex ejus scriptis inferri posse putant duplicem tunc in Galliis fuisse traditionem de primis Ecclesiæ Gallicanæ Apostolis, quorum alii missionem ad ipsorum Apostolorum ætatem revocare conarentur; alii verò ad Decii, aut certè Marci Aurelii tempora. Quin et Gregorium quòd non satis ea in re sibi constiterit accusant, quippe qui priorem sententiam in Miraculoruum libris, posteriorem in Historia amplexus sit. Verùm licèt has quæstiones, quæ tam acriter nostris temporibus agitatæ fuerunt de sanctorum missionibus, retractare animus non sit, utpote quas extra nostrum institutum esse censemus; id tamen affirmare ausim, nusquàm cùm sese de istis missionibus scribendi obtulit occasio, Gregorium sibi contrarium exstitisse; fallique eos qui illum existimant ita de Martyribus Lugdunensibus, aut de septem Episcopis, quos sub Decio adventasse scripsit, locutum fuisse, ut ante illos aut martyres, aut alios verbi divini præcones, in Gallias advenisse negaverit. Non enim, ut scitè observavit summæ eruditionis vir Jacobus Sirmondus, in hac hæresi fuit Gregorius, ut Episcopos in Gallia his septem antiquiores nullos fuisse existimaret : quod quidem ex ipsis ejus verbis certum est. *In Galliis,* inquit libro 1. capite 26. ubi de Antonini persecutione, *multi pro Christi nomine sunt per martyrium coronati.* Tum capite 28. *sub Decio..... Hujus tempore septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, etc.* Non itaque dicit, primùm tunc, ut anteà Severus-Sulpicius scripserat, visa fuisse in Galliis Martyria; non excludit alios

verbi divini præcones, qui ante septem illos Episcopos Evangelium in Galliis disseminaverint; nec proinde sibi ipsi contradixit, cùm Eutropium à sancto Clemente missum fuisse in libro de Gloria Martyrum capite 56. scripsit : immò et sibi ipsi constat, de illis septem Episcopis in libro de Gloria Confessorum scribens, ubi capite 4. de sancto Gatiano ait, *quem à Romanis* Episcopis *transmissum, etc.* cognovimus : capite 27. *Martialis à Romanis missus Episcopis :* et capite 30. Stremonius, et ipse *à Romanis Episcopis cum Gatiano et reliquis, quos memoravimus, est directus.* Nec opponere juvat Saturninum capite 48. libri 1. de Gloria Martyrum dictum fuisse *ab Apostolorum discipulis ordinatum ;* cùm Apostolorum discipulos potuerit appellare eos, qui Romæ fidem ab Apostolis disseminatam profitebantur. Sic et de Ursino Biturigum Apostolo loquitur capite 80 de Gloria Confessorum, quem tamen septem Episcoporum discipulum fuisse innuit libro 1. Historiæ capitè 29. quamquam nonnulli censeant hîc alium ab Ursino designari, Senicianum scilicet, qui secundus in Biturigensium Episcoporum catalogo recensentur. Et quidem Gregorius loco laudato ait post Ursini mortem Christianam fidem apud Bituriges defecisse : quod post septem Episcoporum discipuli mortem fieri vix potuit, desinente tertio sæculo : siquidem ipse Gregorius testis est, tunc temporis Ecclesiam *miro opere compositam* à fidelibus ea in urbe ædificatam fuisse. Ceterùm Gregorius de aliorum quoque sanctorum miraculis passim scripsit, ut de Timotheo et Apollinari Remensibus, Memmio Catalaunensi, Valerio Conserannensi, aliisque nonnullis : at tacuit eorum missiones, quòd nihil de illis, ut conjicere est, compertum haberet.

Gregorii apologia.

62. Porrò etsi ea, quæ retulimus, satis superque sufficiant ad comprobandam Gregorii operum utilitatem, cùm tamen quidam etiam eruditi viri, nonnulla in his reprehendere soleant ; ea paucis discutere visum est, ut pateat illa non esse tanti momenti, quæ tam eximii viri auctoritatem elevare valeant, aut pios ac eruditos lectores ab ejus operum lectione avocare. Hæc sunt quæ Gregorio exprobrant. Illum aiunt stylo ita rustico scripsisse, ut absque fastidio vix legi possit ; Apocrypha veterum scripta ab ipso nonnunquam fuisse laudata ; immò non solùm incerta pro certis, sed et falsa ab eo data interdum fuisse pro veris, eumque in aliquot errores impegisse ; denique tantæ fuisse simplicitatis et credulitatis, ut quævis promiscua facta pro miraculis haberet. At styli rusticitas non Gregorii, sed ejus ætatis vitium fuit. Eo enim tempore post varias clades, quas sub repetitis toties Barbarorum incursionibus Galliæ perpessæ fuerant, adeò incultæ jacebant litteræ, ut nemo inveniretur, qui res gestas litteris commendare valeret, ut ipse Gregorius testatur in prologo Historiæ : aut certè, si quis eas politiori stylo describere conatus fuisset, inutilis fuisset ejus scriptio, utpote quam plerique non intellexissent, ut idem Gregorius non semel profitetur : quæ etiam causa fuit ut Leges, et ipsa Regum nostrorum diplomata eodem prorsùs stylo rustico conderentur. Unde ut genio sui temporis obsequeretur Gregorius, non rarò accusandi casus pro ablativis absolutis sciens prudensque adhibuit. Non fuit itaque Gregorio peculiaris ista locutionis barbaries, quam in aliis quoque ejus ævi sinceris monumentis deprehendere quivis facilè poterit. Ceterùm etsi Gregorius, ut erat vir summæ modestiæ et humilitatis, passim sese linguæ latinæ imperitum et hominem rudem profiteatur ; non tamen adeò ignarus fuisse censendus est, ut nulla litterarum scientia fuerit instructus : cùm è contrario illum in veterum auctorum lectione maximè versatum fuisse colligi possit ex variis eorum locis, quos interdum narrationi suæ intermiscuit. Vocum etiam Græcarum se notitiam aliquam habuisse innuit, dum Latinarum vim ex etymo exponit. Testis quoque Fortunatus, cui sanè probè notus erat, hanc in rem adduci potest, qui ejus eloquentiam et eruditionem passim laudat. Et sanè quantumlibet simplici sermone scripserit Gregorius, res tamen gestas, nescio qua ingenuitate et nativa eloquentia describit, ut nec injucunda sit ejus narratio, nec fastidiosa.

Excusatur.

63. Falsum tamen aliquando fuisse Gregorium inficiari nolim. Hæc enim est sacrorum codicum singularis prærogativa, ut soli errati immunes sint. Apocrypha secutus est nonnunquam Gregorius, falsis usus est monumentis, fateor. Computationes temporum non satis constantes adhibuit. Sed hæc omnia ejus operum utilitati vix quidquam detrahunt : cùm pertineant potissimùm ad veteres Historias, quas ex aliis auctoribus depromsit, proindeque facilè ex aliis monumentis emendari possint. Unde nostræ gentis Historiæ, quæ potissima est ejus operum utilitas, sive ecclesiasticæ, seu civili, maximè quæ propriùs ad Gregorii ætatem pertinet, ejusmodi errata non officiunt. Visa enim à se, ut plurimùm, vel audita scripsit, quibus in

referendis eum mala unquam fide usum fuisse nemo dixerit. [*Omittuntur Numeri à* 64. *ad* 82.]

Chronicæ Gregorii, etc.

82. Unum superest inquirendum, an scilicet Gregorius noster Chronicum aliquod conscripserit ab Historia, quam ex eo habemus, diversum, ut testari videntur nonnulli mediæ ætatis auctores, qui post Sigibertum Gemblacensem monachum aiunt Gregorium parvo libello primùm historiam *breviasse*, quam postmodùm diffusiùs novem libris digesserit, verùm etiam scripsisse Chronicum, etc. Sed illi auctores, ut observat Valesius libro 15. Rerum Francicarum, unum et idem opus ob tituli varietatem in variis codicibus, duo esse diversa incautè censuerunt. Eadem enim est Historia Gregorii, quæ in veteribus aliquot membranis sub ejus nomine *Historia Ecclesiastica*, in aliis verò *Chronicum* nuncupatur. Certè solebant illius ævi auctores *Chronica* aut *Chronicas* appellare Historias, etiam fusiores, quæ juxta annorum seriem descriptæ erant : quod sexcentis exemplis facilè probari posset. Breviarium verò, seu historia Francorum abbreviata, quod à Gregorio editum nonnulli scribunt, aliud non est ab Epitome Fredegarii, quod mirum non est Gregorio fuisse tributum, cùm ex ejus verbis omninò constet, ejusque nomen, et eamdem ac ipsa Historia præfationem, et quidem sub ejusdem Gregorii nomine, præferat. Eadem ferè fortuna fuit libri, qui *Gesta Francorum* inscribitur, ab anonymo auctore exarati. Hic quippe in omnibus fermè codicibus Gregorii nomen præfert, quòd ex ipsissimis ejus verbis ut plurimùm contextus sit. Ejus tamen auctorem ad Theoderici Calensis principatum pertigisse omninò certum est ex rerum serie quas narrat : immò et in codice sancti Remigii Remensis, Anonymi Dionysiani liber de Gestis Dagoberti Gregorii operibus accenseri videtur. Ibi quippe Gesta Francorum, Gregorii liber primus ; Anonymus verò Dionysianus simpliciter liber secundus appellatur : quo fortè nomine Ecchardus Comes, qui Patriciacense monasterium condidit, *Chronica quam Gregorius Turonensis fecit libros duos* in Testamento suo commemorat. [*Omittitur Num.* 83.]

An Historiam post ceteros libros scripserit.

84. Lis fuit inter auctores nonnullos hujus sæculi, an Gregorii Historia postremus ejus ingenii fetus censeri debeat. Qui eam ante Miraculorum libros, saltem recognitos, scriptam fuisse volunt, huc proferunt ipsum Historiæ textum, qui nonnisi ad XVI. Childeberti Junioris, id est Christi DXCI. annum perducitur : cum è contrario nonnulla in aliis scriptionibus narrentur, quæ triennio post, id est XIX. ejusdem Childeberti Regis anno, immò et post Guntramni obitum contigere. Verùm etsi Gregorii Historia in anno Childeberti XVI. desinat, haud tamen inde evincitur eam hoc ipso anno exaratam fuisse ; cùm fieri potuerit, ut huic operi anno vitæ suæ ultimo insudans, supremum diem obierit priùs quàm annum currentem adtigisset. Certè in Historiæ epilogo, quem fortè morbo coartatus scripsit, cetera omnia opera sua recenset ; in aliis verò libris opera à se edita enumerans, Historiam non laudat. Quin et Miraculorum libros ac Vitas Sanctorum à se editas passim in Historia laudat : at nusquam Historiæ in ceteris libris meminisse legitur. Quod sanè argumentum est, uti mihi videtur, validissimum, cèteros libros ante Historiam à Gregorio exaratos fuisse. Nec juvat opponere caput. 30. libri de Gloria Confessorum, ubi Gregorius Stremonium laudans, eum ait *à Romanis Episcopis cum Gatiano et reliquis quos memoravimus, in Gallias directum* fuisse. Etenim paulò superiùs, scilicet capite 27. de Martiale Episcopo Lemovicum egit, quem *à Romanis* missum memorat. Dionysium verò Parisiensem et Saturninum jàm laudaverat in libro 1. *de Gloria Martyrum*. Porrò Historiam non semel et simul à Gregorio editam fuisse multi censent, existimantes primùm ab eo libros sex scriptos fuisse, scilicet ad mortem usque Chilperici Regis, quibus postmodùm alios quatuor addiderit, plures editurus, si ei vita diuturnior à Deo concessa fuisset. Id sanè ipsemet Gregorius insinuare videtur in libri septimi prologo, ubi innuit animum sibi esse historiam continuare, quam in prioribus libris à se editis ad Chilperici interitum perductam, reliquisse videbatur imperfectam. Et quidem Fredegarius non plures quàm sex illos priores libros cognoverat, qui Chronicum, quo Gregorii Historiam continuare statuerat, à Chilperici morte inchoavit. Nec plures habuit Anonymus qui scripsit Gesta Francorum : unde quamvis suam narrationem ad Theoderici Calensis principatum perduxerit ; narrata tamen Chilperici cæde, qua sextus Gregorii liber finitur, omissis ceteris quæ in quatuor Gregorianæ Historiæ sequentibus libris leguntur, bellum inter Childebertum et Chlotharium, utrumque sui nominis secundum, describit, quod post Guntramni Regis mortem, finitamque Gregorii integram Hi-

storiam gestum esse constat. Hinc in nonnullis codicibus scriptis, etiam vetustioribus, sex solummodò habentur Gregorianæ Historiæ libri. Quamquam Corbeiensis et Bellovacensis, qui non multò post Gregorii obitum scripti videntur, libri septimi fragmentum exhibeant.

Tituli librorum.

85. Pauca occurrunt de Gregorii librorum titulis observanda. Historiarum libri in vetustissimo monasterii Corbeiensis codice *Historia Ecclesiastica Francorum* inscribuntur. Quem titulum utpotè germanum, et rebus in illis contentis apprimè convenientem, viri eruditi ceteris præferendum censuerunt : quem ideò in hac nostra editione adhibuimus. Plerique alii codices scripti cum editis simpliciter *Historiam Francorum* appellant ; nonnulli item scripti *Gesta Francorum*. Frequentiùs verò apud sequioris ætatis auctores sub *Chronicæ* aut *Chronici* nomine laudantur, ut jam à nobis observatum est.....

III.

An Gregorii Historia interpolata ?

86. Carolus Cointius Congregationis Oratorii Gallicani Presbyter, vir pietate et eruditione celebris, Annales Ecclesiasticos Francorum jam ab aliquot annis evulgavit, in quorum primo et altero volumine ita Gregorii nostri libris usus est, ut non solùm loca aliquot ad illustrandam gentis nostræ historiam, aut conciliandam rebus à se narratis auctoritatem adduxerit, verùm etiam integra ipsa capita passim descripserit. At cùm in nonnullos codices scriptos, et quidem antiquissimos, in quibus aliquot vulgatarum editionum capita desiderantur, incidisset, in animum induxit ea ipsa ab aliquo interpolatore Gregorianæ Historiæ addita fuisse : ideòque quoties aliqua recurrit occasio, ea rejecit veluti spuria, aut certè, si ex illis nonnulla ad rem suam faciant, ea sub interpolatoris nomine profert, cujus auctoritatem multò Gregoriana minorem esse debere contendit. Cùm verò non unum solummodò aut alterum caput, sed complura passim per totam Gregorii Historiam dispersa eo modo interpolata fuisse censuerit et scripserit vir eruditus ; non levis momenti esse visum est ea de re fusiùs et accuratiùs inquirere, ne aut falsa pro sinceris Gregorii operibus obtrudantur, aut certè vera et genuina debitam perdant auctoritatem. Ut verò in expendendis ea de re argumentis nulla suboriatur confusio, rationes quas ille in suæ opinionis patrocinium adducit, singillatim expendendæ sunt. Eæ sunt omninò tres : primam ex codicum manuscriptorum auctoritate repetit ; secundam ex Fredegario Gregorii sæculo septimo epitomatore ; tertiam denique ex styli diversitate, ac variis eventibus, qui in ejusmodi capitibus referuntur, quos et à veritate historica alienos, et planè sinceris Gregorii fetibus oppositos censet. Quæ quidem argumenta si nulla esse demonstraverimus, corruet viri eruditi sententia, stabitque inconcussa Gregorii operum integritas.

Cointii id sentientis rationes.

Codices mss.

87. Codices Gregorianæ Historiæ manuscriptos omninò quinque sibi visos fuisse ait Cointius, ex quibus nullus est, qui integram Historiam, qualis in vulgatis exstat, repræsentet. Quod manifestum ipsi videtur interpolationis indicium : cùm multò probabilius existimet quædam fuisse ab exscriptoribus addita, quàm integro et germano operi detracta. Verùm licèt hoc argumentum haud immeritò validissimum Cointio visum sit, quippe qui nullum alium codicem novisset integram, ut in editis habetur, Gregorii Historiam continentem, illud tamen nullius momenti viris eruditis, ut spero, videbitur, cùm non solùm codices codicibus opposuerimus, verùm etiam demonstraverimus codices eos, qui Historiam integram continent, multò majoris esse auctoritatis aliis, quos ex ipso etiam Cointio mutilos et imperfectos esse probabimus, utpotè qui genuinam Gregorii Historiam, ipso etiam fatente, integram non exhibeant. Ad rem itaque veniamus.

Qui integram exhibent Historiam.

88. Et primùm quidem habemus præ manibus codicem optimæ notæ ex bibliotheca monasterii Beccensis in Normannia, ab annis circiter septingentis eleganter et accuratè descriptum, in quo ne unicum quidem caput vulgatæ Gregorii Historiæ desideratur. Habuimus et alium ex monasterio Regiimontis Ordinis Cisterciensis in diœcesi Bellovacensi haud minùs integrum, excepto uno aut altero libri ultimi capite, quæ ob detracta codici aliquot folia desunt. Tertium proferimus ex sacri monasterii Casinensis in Italia percelebri bibliotheca, litteris Langobardicis ab annis circiter septingentis aut ampliùs exaratum, teste Mabillonio nostro, cujus non solùm varias lectiones accepimus, sed ex singillatim omnium capitum seriem, à viro pio pariter et erudito domno Erasmo à Gaëta hujus loci sacri Bibliothecario et Vicario Generali ad nos transmissam : ex qua quidem serie, et variis lectionibus

deprehendimus, quod jam mihi testatum fuerat, ne unicum quidem caput illo in codice desiderari. Duos item codices ex Romanis bibliothecis ejusdem rei vades habemus, ex Galliis Romam delatos à Christina Sueciæ Regina, quorum alter in Vaticana bibliotheca, alter verò in bibliotheca eminentissimi Cardinalis Ottoboni adservatur. Hos autem diligenter inspexit et examinavit domnus Claudius Stephanotius nostræ Congregationis in Curia Romana Procurator generalis, atque omninò integros esse observavit, excepto ultimo capite libri decimi, quod in Ottoboniano codice non habetur. Sextum codicem nobis suppeditat pater Modestus à sancto Amabili ex Ordine Carmelitarum excalceatorum, qui in Monarchia-sancta codicem Claromontanum laudat, in quo Gregoriana Historia ne uno quidem capite editis brevior est. Eumdem, aut certè similem codicem, qui hodieque apud Carmelitas excalceatos Claromonti servatur, inspexit ac diligenter contulit noster Petrus Laurentius monachus Illidianus, atque eum omninò integrum esse deprehendit. Septimi, et quidem vetusti, codicis notitiam Guillelmo Morelio debemus, quem ex bibliotheca sancti Martini Turonensis se accepisse fatetur, in quo omnia omninò capita controversa exstitisse discimus, non solùm ex textûs emendatione, sed et ex variis lectionibus ab isto codice desumtis, quas in suæ editionis Appendice ipse Morelius retulit, ex quibus passim nonnullæ occurrunt ad capita, quæ Cointius resecanda censet, pertinentes. Octavum vidi in bibliotheca monasterii sanctæ Trinitatis Vindocinensis, qui quidem non plures quàm quinque priores Historiæ libros complectitur cum libri sexti titulo, sed omnia omninò horum librorum capita, quod potissimum est controversiæ caput, repræsentat. His adde editiones Gregorii vulgatas, quas sanè ad codices integros fuisse accuratas nemo inficiari potest. Certè qui primus Gregorii Historiam evulgavit Guillelmus-Parvus, has, uti vocat Cointius, interpolationes de suo non addidit; quod tamen innuere videtur Cointius : sed certum est, etiamsi fuerint interpolationes, in codicibus multò vetustioribus haberi. Post hunc Mathias Illyricus, Marquardus Freherus, aliique viri docti eamdem Historiam integram edidere, et quidem ad codices manuscriptos emendatam et illustratam, ut ipsimet affirmant : nec tamen usquam monuerunt multa in suis codicibus desiderari, quæ Gregorio adsuta censerent. Idem dicendum de Andreæ Chesnii editione, quam se ad quinque codices manuscriptos diligenter emendasse profitetur. Præter istos codices in quibus Historia Gregorii integrè descripta est, habemus et alios complures, et quidem vetustissimos, qui non minùs causæ nostræ patrocinantur, cùm in illis occurrant ea capita sub Gregorii Turonensis nomine, quæ à Cointio interpolata appellantur. Talis est Vita sancti Briccii in antiquissimis lectionariis Gregorio Turonensi attributa, sancti Salvii Albigensis Episcopi gesta in codice Majoris-monasterii, et alia passim, quæ singillatim recensere non vacat. At omittere non licet veterum canonum professionumque fidei collectionem ex codice Fossatensi, nunc Colbertino descriptam, in qua Gregorii nostri aliquot fragmenta ita laudantur, ut ex integra ejus, qualem eam esse propugnamus, Historia ea desumta fuisse negare non liceat. Ibi enim Gregorii disceptatio de fide Catholica cum Agilane Leuvigildi Regis legato laudatur sub titulo, *Altercationis de fide Trinitatis, quod fecit Gregorius Turonensis Episcopus, quod est in libro V. capite* XLIII. Et paulò pòst altera, quam cum Opilane, itidem Leuvigildi legato, habuit, excerpta dicitur *ex libro VI. capite* XL. quæ quidem vera esse non possunt, si ea capita ex Gregorii libris demantur, quæ Cointius vult esse interpolata. Nam prima hæc disputatio juxta Cointii calculum in codice Corbeiensi caput 31. libri V. altera verò caput 26. libri sequentis constituit.

Cointiani codices imperfecti.

89. Codicibus itaque Cointianis codices opponimus, et quidem mutilis et imperfectis integros et minimè vitiatos. Codices enim à Cointio laudati vel eo nomine hac in parte nostris auctoritate inferiores censeri debent, quòd in illis omnibus multa desiderentur, quæ vel ipso fatente Cointio, ad Gregorii Historiam pertinent. Codex quippe Bellovacensis Historiæ Gregorianæ fragmentum potiùs dici debet, quàm ipsa Gregorii Historia, utpote qui capite 3. libri 2. incipit et desinit capite 23. libri 5. Corbeiensis verò mutilus quidem non est, at nonnisi sex libros priores exhibet, ceteris omissis, præter libri 7. fragmentum, quod, sicut et in codice Bellovacensi, sub finem libri 4. habetur. Codex Colbertinus, quem Thuaneum Valesius, sancti Michaëlis Cointius appellat, totus noster est, si aliquam fidem mereatur : avulsis nempe ab eo compluribus quaternionibus, à

capite

capite 17. libri sexti initium sumit, nec deinde ullum omninò omittit capitulum. Thuaneus seu Colbertinus alter, qui à Cointio sancti Arnulfi, seu Mettensis dicitur, initio ex codicis vitio imperfectus, multa deinde omittit : quod sponte factum est, immò et ita incautè, ut nonum et decimum Historiæ Gregorianæ libros confuderit, ut Chronico Fredegarii inter Gregorii opera locum daret sub libri 10. Historiæ Gregorianæ titulo. Quintus denique Cointianus codex è regia bibliotheca, vix quatuor libros complectitur, tam negligenter descriptos, ut inter capita quæ in indice memorantur, et ipsa capitularia in libro descripta, nulla sit convenientia : immò liber quartus desinit in capite 17. et tamen hujus libri omnia capitula in indiculo ipsi præfixo memorantur. Non tamen mutilus est codex : sed post hos Historiæ libros in eo sequitur Adonis Chronicon eadem omninò manu descriptum.

Nec inter se concordes.

90. Alio item argumento probatur magnam non esse Cointianorum codicum auctoritatem ad resecanda ex Gregorio complura Historiæ loca, quod nempe non eadem in omnibus istis codicibus, sed varia in variis capitula desiderentur. Exstant quippe nonnulla in Corbeiensi aut in Bellovacensi, quæ in Mettensi, Michaëlino aut Regio non occurrunt; et vice versa, alia sunt in istis aut in alterutro, quæ non habent Bellovacensis codex aut Corbeiensis; ita ut nulla ex istis codicibus certa possit haberi regula. Si enim codex Corbeiensis ceteris præferatur, utpotè illis multò antiquior et integrior, jam vacillabit ceterorum auctoritas; nempe qui variis erunt interpolationibus admixti : idque dicendum erit de Corbeiensi ipso aut Bellovacensi, si Regii aut certè Mettensis auctoritas ceteris anteponenda censeatur. Immò velit nolit vir eruditus, nec Corbeiensis, nec Regius, aut alius quivis ex Cointianis codicibus à censura poterit esse immunis, utpotè qui universi non satis accuratè sincera Gregorii opera repræsentarunt, aut interpolata admittendo, aut sincera rejiciendo. Ipse enim codex Corbeiensis sex solummodò Gregorii libros exhibet, quamvis plures fuisse nec ipse Cointius inficiatur; qui quidem libri jam eo tempore quo codex ille scriptus est noti erant : ipse enim, sicut et Bellovacensis, habet libri 7. fragmentum. Deinde Bellovacensis in libro 2. transit à capite 19. ad caput 32. nec tamen omnia intermedia, vel ipso fatente Cointio, et quidem refragaretur codex Corbeiensis, dici possunt interpolata. Nonnulla itaque sponte et data opera ex Gregorii operibus in istis codicibus resecata sunt, et quidem libri integri : quidni et aliquot capitula, quæ ad rem suam facere non existimabant illorum scriptores, aut certè epitomatores? Quæ enim potuit esse ratio scriptoribus illis libros posteriores è Gregoriana Historia non describendi, eadem fuit omittendi è prioribus complura capitula. Quòd si mea non me fallit conjectura, scriptores illi Historiam Regum Francorum habere volebant, à peregrinis narrationibus peculiaribusque factis segregatam, unde ea quæ de illo argumento Gregorius scripserat, exarari curarunt, omissis aliis rebus, quæ ad suum institutum non spectabant. Etenim capita illa quæ Codices à Cointio laudati non habent, ea sunt quæ singulares aliquot personas attingunt, quæve Episcoporum, potissimùm Claromontensium et Turonensium seriem repræsentant, aut alia ejusmodi, quæ Francicæ gentis Historiæ amatores, maximè in provinciis ab Arvernis aut Turonibus longè dissitis commorantes, haud multùm curabant. Certè id ipsum fecit Fredegarius, qui Historiæ Francorum epitomen ex Gregorii scriptis concinnans pleraque ejusmodi omisit, quòd ad res Francicas non pertinerent. Idem fecerunt Anonymus qui sub Theoderico Rege scripsit, Aimoinus, et alii qui secuti sunt Francorum Historiæ scriptores. Aliam item nonnulla omittendi capitula rationem habere potuerunt codicum istorum scriptores : quòd nempe res in illis locis narratæ in Miraculorum libris à Gregorio editis repeterentur. Idem in variis Miraculorum exemplaribus factum deprehendi. Cùm enim isti codices sancti Martini aut sanctæ Radegundis transitum, aut alias ejusmodi historias seorsim sub *sermonis Gregorii*, aut quovis alio titulo exhibuissent, hæc ipsa capitula suis locis omissa sunt in libris Miraculorum, quæ tamen ex illis excerpta non fuisse nemo dixerit. Quin et Miraculorum libros à Gregorio editos, eamdem ac ejus Historiam, sortem habuisse infrà videbimus : siquidem nonnulli occurrunt codices manuscripti, in quibus, omissis passim multis capitulis, cetera repræsentantur, eo modo ac si de facto illi libri plura non complecterentur.

Quæ Gregorius referre statuerat.

91. Has porrò res singulares, et series Episcoporum, aut celebrium virorum exitus, quæ omnia interpolata censet Cointius, et epitomatores omiserunt, meritò

tamen in suam Historiam admiserat Gregorius, qui, uti in prologo monet, non solùm Regum aut Principum gesta describere instituerat, verùm etiam enarrare fidelibus, qua ratione defensatæ fuissent Ecclesiæ; quantùm Christi fides in nonnullis languida, in plurimis ferveret; quæve fuerint certamina flagitiosorum, aut rectè viventium vita, et alia ejusmodi, quæ in Gregorii Historia difficilè invenientur, resecatis iis capitulis quæ Cointius esse rejicienda contendit. Deinde, uti etiam præfert codex Corbeiensis, Historiam Ecclesiasticam scripsit Gregorius, quæ proinde exigebat et Episcoporum series, et magnorum virorum interitus, eorumque præclarè gestorum narrationem. Id fecerant Historiæ Ecclesiasticæ scriptores Gregorio antiquiores, quos ipse sibi imitandos proposuerat, et potissimùm Eusebius Cæsariensis, qui præter virorum celebrium gesta, catalogos etiam Episcoporum Historiæ suæ interseruit non solùm sedium patriarchalium, sed et Cæsariensis Ecclesiæ cui præerat, et Jerosolymitanæ, quæ tunc suæ metropoli erat subjecta.

Historia in codd. Cointii abbreviata. In lib. 1.

92. Sed et palmari, ut mihi videtur, argumento evinci potest, Historiam Gregorii in codicibus Cointianis abbreviatam fuisse, atque ex ampliori, uti in aliis codicibus habetur, decurtatam, si demonstretur complura capita passim in Cointii exemplaribus haberi, quæ necessariam habent cum illis ipsis quæ in eis desiderantur, connexionem; immò et quandoque ea disertè laudari, quæ interpolata vocat Cointius, in codicibus Corbeiensi, etc. in quibus etiam sensus est nonnunquam mancus et imperfectus, nisi ex aliis codicibus suppleatur. Aliquot hujus rei exempla proferenda sunt. In codice Corbeiensi, qui solus cum Regio librum primum exhibet, desunt capita vigesimum-sextum et vigesimum-septimum : quo pacto Gregorii narratio de Imperatoribus Romanis, qui Christianos primis Ecclesiæ sæculis persecuti fuerunt, interrumpitur; transit quippe à Trajani persecutione ad Decianam, omissis Adriani, Antonini et Severi persecutionibus, quas tamen Gregorius, Eusebii, Orosii et Severi chronica sequi se professus, omisisse dici non potest. Complures etiam Imperatores in eorum serie exhibenda prætermisisset, quam nihilominùs à Julio Cæsare ad stabilitum in Galliis Francorum regnum perducere integram constituerat. In eodem codice Corbeiensi caput trigesimum-primum deest cum quatuor sequentibus : in eo tamen caput trigesimum-sextum, quod trigesimum nuncupat, ita, sicut in ceteris, incipit, *Tunc jam et lumen nostrum exoritur..... Martinus ;* mendosissimè : nam eo pacto Martini nativitas Valeriani et Gallieni temporibus consignaretur, nisi ex aliis codicibus suppleantur quinque capita, quibus Gregorius Imperatorum seriem à Gallieno ad Constantium deducit, quo re ipsa Constantio imperante Martinum natum fuisse narrat, idque veritati omninò consentaneum est.

Libro 2.

93. Gregorius libro 2. capite 3. describit persecutionem à Wandalis in Africa excitatam, atque ea occasione epistolam Eugenii Carthaginensis Episcopi integram exhibet, ut habetur in editis et in nostris codicibus : at Corbeiensis, relata persecutionis historia, epistolam omittit, ita tamen ut evidenter appareat eam de industria prætermissam fuisse, sic enim habet ut ceteri codices : Eugenius *verò cum se videret abduci, epistolam civibus..... hoc modo transmisit :* et ipsa epistola prætermissa Historiam prosequitur. Paulò inferiùs codex Bellovacensis duodecim omittit versus, qui sensum omninò abrumpunt, ut videre est suo loco : sic et codex Regius quintum et sextum capita ejusdem libri prætermittit, in quibus irruptio Attilæ in Gallias narratur; licèt habeat septimum, quod est ejusdem irruptionis continuata narratio.

Libro 4.

94. Liber tertius idem est omninò in omnibus codicibus; proindeque non est ulla de eo controversia. At libro quarto capite 13. in codice Corbeiensi, sicut et in nostris et in editis, Gregorius loquens de Litania seu supplicatione ad sanctum Julianum Brivatensem per Gallum Episcopum instituta, ait : *juxta institutionem sancti Galli, sicut suprà scripsimus.* Locus autem ille quem laudat, habetur suprà capite quinto; quod tamen caput in ipso codice Corbeiensi, sicut et in aliis Cointianis desideratur. Capite 14. ejusdem libri, quod omnes scripti habent, *Saxones iterata insania*, adversùs Chlotharium Regem rebellasse dicuntur : prima tamen eorum rebellio descripta habetur capite 10. quod codices Regius et sancti Arnulfi omiserunt : sic et iidem ambo codices, ut ceteri omnes, habent de Chramno capite 16; *diversa, ut diximus, exercebat mala :* dixerat autem Gregorius fusiùs de his malis capite 13. ejusdem libri 4. quod in istis codicibus non invenitur.

Libro 5.

95. Caput 21. libri 5. in quo varia Sagittarii et Salonii Episcoporum flagitia

Gregorius descripsit, deest in codicibus Corbeiensi, Bellovacensi et Colbertino seu sancti Arnulfi ; et tamen iidem codices habent caput 28. ejusdem libri quod manifestè vigesimum-primum supponit : sic enim habet Gregorius hanc causam retractans : *Contra Sagittarium et Salonium Episcopos iteratur illa antiqua calamitas. Objiciuntur eis crimina, etc.* Capite autem ultimo ejusdem libri, quod nullus codex non habet, hæc verba leguntur : *Igitur cùm vale post Synodum memoratam jam dicto, etc.* quæ de Synodo Brennacensi dicta sunt, cujus acta et occasionem narravit Gregorius in capite 48. et sequentibus editorum et nostrorum manuscriptorum : sed hæc capita omninò non habent Cointiani codices ; quin et hæc ipsa capita hîc omissa manifestè præsupponit caput 32. libri sequentis, quod in omnibus quoque habetur editis et scriptis, etiam Cointianis.

96. Jam verò, siquidem librum sextum attigimus, proferenda sunt etiam ex eo aliquot exempla, quæ nullum relinquent Cointianis fautoribus vel levissimum subterfugium, si codicum ejus auctoritati standum contendant, ad discernenda sincera ab interpolatis Gregorianæ Historiæ capita. Gregorius nempe caput 12. ab his verbis incipit : *Igitur Chilpericus Rex cernens has discordias inter fratrem et nepotem*, quæ scilicet discordiæ aliæ non sunt ab illis quas Gregorius præcedenti capite narraverat, ipso fatente Cointio : quod tamen caput 11. omittunt codices duo Cointiani, Corbeiensis scilicet et Mettensis, licèt habeant duodecimum. Immò et iidem ipsi duo codices habent cap. 24. ejusdem libri, quod sic incipit : *Nova iterùm contra Theodorum bella consurgunt, etc.* quæ verba manifestè et necessariò, uti ipse Cointius fateri cogitur, totum caput undecimum, quod ab ejus codicibus abesse jam observavimus, præsupponunt. Nobis etiam favet Fredegarius, qui utrumque caput, undecimum scilicet et duodecimum, in sua epitome attigit : quare hæc duo loca tantas in angustias conjecere Cointium ad annum DLXXXI. numero IX. ut ex una parte undecimum caput, quod à suis codicibus abesset, admittere refugiens, ex altera verò propter tam artam, immò et necessariam, ut ipse fatetur, illius cum capitibus duodecimo et vigesimo-quarto connexionem, ipsum planè respuere non ausus, rem in medio relinquere maluit, satis esse ratus dicere, caput hoc undecimum majorem, quàm cetera quæ in Corbeiensi desunt, fidem promereri, *cùm desint*, inquit, *argumenta quibus probetur, aut improbetur.* At si hæc viri eruditi verba admittantur, corruere necesse est illa, quæ aliàs censuit validissima argumenta ad probandam multorum capitum in Gregorii Historia interpolationem, codicum scilicet manuscriptorum fidem : si quidem allata licèt Corbeiensis et alterius codicis, immò et ipsius Fredegarii auctoritate, deesse argumenta respondet, quibus aut probetur aut improbetur illius loci auctoritas. Haud minùs sibi invicem cohærent capita trigesimum-quartum et trigesimum-quintum ejusdem libri, in quorum priori mors unius Chilperici Regis filii describitur, quod est alterius fundamentum, utpotè sic incipiens : *Dum autem hæc agerentur, nuntiatur Reginæ puerum qui mortuus fuerat, etc.* Et tamen primum à Cointianis codicibus abest, qui habent alterum. Majores adhuc in angustias Cointium redegit caput 15. ejusdem libri sexti, quod cum capite sequenti ita conjunctum esse ait, ut ea vinculo *indissolubili* esse connexa fateatur : et tamen priori omisso alterum habent Cointiani codices. Quare ille audacior adversùs codices suos factus ad annum DLXXXII. numero IV. eorum auctoritatem ad rejicienda aliquot capitula maximam esse admittit, ad retinenda verò non esse tanti ponderis. *Alterum caput*, inquit, scilicet 16. *quamvis in codicibus Corbeiensi et Mettensi habeatur, videtur esse insititium, quia cum superiore, quod admitti non potest, artissimè conjungitur.* Quare autem superius admitti non possit, uno verbo exponit, quòd nempe Felicem Episcopum, falsò, uti conjicere est, vituperet : quibus verbis omnem suis codicibus auctoritatem adimit, etiam Corbeiensi, qui sicut et ceteri, ipso affirmante Cointio, fabulas admisit, et calumnias adversùs Episcopum, quæ sôla ei superfuit detegendæ interpolationis occasio. Unde mirum non est si idem Cointius alio in loco de chronologicis computationibus, quæ in fine libri quarti Gregorianæ Historiæ habentur, agens, eas planè rejiciat, veluti Gregorio immeritò adscriptas, licèt in omnibus omninò codicibus, cùm editis tum scriptis, etiam Corbeiensi et Bellovacensi, qui paulò post Gregorii nostri ætatem exarati sunt, habeantur. Frustrà itaque contendit Cointius codices illos sibi patrocinari, quos in sua sententia interpolatos esse, et incerta obtrudere pro certis ipse fateri cogitur. Eos ipsos è contrario nostræ sententiæ multò favorabiliores esse nemo non videt : siquidem admisso semel, (ut quidem loca à nobis laudata factum fuisse invictè

Libro 6.

probant) quòd ex integra Historia descripti fuerint ab aliquo qui solummodò gesta præcipua colligere voluisset; Gregorianæ Historiæ integritati quam propugnamus, non obsunt, et omnem suam auctoritatem sartam tectam habebunt : quam sanè eis conciliare debent, et conformitas cum ceteris et antiquitas. Quosdam enim ex iis, quales sunt Bellovacensis et Corbeiensis, non multò post Gregorii ætatem scriptos fuisse, nemo qui eos inspexerit inficiari potest.

Libri sequentes examinantur.

97. Huc usque de sex prioribus Gregorianæ Historiæ libris egimus; de sequentibus verò pauciora occurrunt dicenda ex manuscriptis codicibus, cùm deinceps nullum habuerit Cointius satis authenticum, quo potuerit interpolationes, ut ipse loquitur, à germano Gregorii textu discernere. Tanta tamen ejus fuit in resecandis Gregorianæ Historiæ libris propensio, ut cùm sese occasio aliqua obtulit ex ea laudandi capita quæ in codice Mettensi desiderantur, ipsa statim ob hoc solùm quòd in eo codice desint, aut interpolata esse, aut saltem dubia pronuntiaverit : tametsi codicem hunc et imperfectum esse et vitiosum ipse agnoverit, et alium, ut nihil de ceteris dicam, præ manibus habuerit, ex monasterio scilicet sancti Michaëlis, multò antiquiorem et melioris notæ, in quo omnia omninò capita, ut habent editi, continentur. At hic, inquit Cointius, codex, de Michaëlino loquens, easdem prorsùs res narrat ac editi, proindeque non conducere potest ad interpolationes detegendas. Sed supponit his verbis vir eruditus quod ei probandum incumbebat. Ita enim loquitur quasi certum fuisset multa esse in ultimis Gregorii libris interpolata : et hoc ipsum est de quo inquirimus, et ipse volebat inquirere. Jam verò si quis scire cupit quænam censeri debeat utriusque codicis auctoritas, vel uter è duobus sit alteri præferendus, id ex ipsorummet codicum conditione judicandum est. Codex Mettensis, ut jam observavimus, ex scriptoris incuria mancus et imperfectus, decem libros complectitur, quos Gregorio attribuit : sed aliquot sinceri Gregorii capita ex libris nono et decimo in unum consarcinat librum, quem nonum appellat, ut Chronico Fredegarii det locum inter Gregorii opera, quod sub decimi libri titulo posuit. Librorum initiis in eodem codice nonnunquam capitulorum indices præmittuntur, sed ita vitiosi, ut capitibus ipsis in libro descriptis ut plurimùm non congruant; ex his nonnulla omittuntur, alia in plura dividuntur, nonnunquam denique contrahuntur duo in unum. Idem codex habet caput septimum libri 10. quod ut in editis sic inchoat : *In supra dicta civitate*, scilicet Arverna, de qua tamen urbe nihil habet, omissis capitibus duobus præcedentibus, quæ proinde ex aliis exemplaribus supplenda sunt. Codex autem sancti Michaëlis initio quidem caret, sed temporum injuria. Ex litteris quippe numeralibus in inferiori codicis ora appositis deprehenditur, ex 20. quaternionibus decem desiderari in eo codice, qui priorem Historiæ partem, id est quinque libros, continebant. Initium nempe ducit à capite 7. libri 6. nec deinceps in illo codice quidquam deest. Scriptus est plano et æquali charactere, qui annos ad minùs septingentos præferre videtur, eo exaratus stylo, qui omninò antiquitatem sapit, qualem in Gregorio desiderare se scribit passim Cointius; id est in eo casuum mutationes frequenter occurrunt, litteræ aliæ pro aliis adhibitæ, nomina virorum propria barbarè efformata, et cetera omnia deprehenduntur, quæ in prioribus Gregorianæ Historiæ libris ex codice Corbeiensi Cointius laudare solet. Ceterùm hi duo codices in bibliotheca Colbertina hodieque adservantur, quos ibi unicuique consulere facile erit. At si tanta sit codicis sancti Michaëlis præ Mettensi auctoritas, nemo non videt immeritò à Cointio capita illa interpolata censeri, aut certè revocari inter dubia eo ipso solùm, quòd in codice Mettensi omissa sint, et in codice sancti Michaëlis habeantur. Sed hæc sufficiant de codicibus manuscriptis; jam ad argumentum ex Fredegario petitum veniendum est.

Fredegarius Cointio non favet.

98. Fredegarii auctoritatem tantam hac in controversia esse passim proclamat Cointius, ut litem totam ea sola dirimi posse nonnunquam asseveraverit, utpotè quæ argumenta *ad confutandam*, ut ipse loquitur, *interpolatoris audaciam* validissima subministret. Verùm Fredegarii auctoritatem nobis multò magis quàm Cointio favere vel ex hoc solo probamus, quòd ipso fatente Cointio multa ex illis capitibus admiserit Fredegarius, quæ in codicibus Regio et Mettensi, immò etiam et in Bellovacensi desiderantur; plura verò omiserit ex sinceris Gregorii operibus, quæ omnes omninò, etiam Cointiani codices habent. Etenim primum et quatuor ultimos Gregorianæ Historiæ libros integros, exceptis duobus aut tribus libri septimi capitulis, omninò prætermisit; ex ceteris tertium et quartum libri secundi capita

non attigit; plura ex tertio libro, qui integer ubique habetur, omisit; sicut et ex quarto libro capita 4. 12. 31. 34. et 41. non habet; ex libro quinto capita 11. 14. 21. 22. 30. 32. ex sexto capita 5. 17. 28. 29. 30. 32. 33. quæ tamen omnia capita in Corbeiensi codice habentur, et tamquam veri et sinceri Gregorii fetus à Cointio admittuntur. Unde patet non admodùm utilem esse viro erudito Fredegarii auctoritatem ad probandum ex ejus silentio multa Gregorii Historiæ fuisse superaddita: cùm constet ab eo auctore multa ex sincero Gregorii textu sponte et ex industria omissa fuisse.

99. At, inquies, Fredegarius Francicæ Historiæ epitomen concinnaturus à proposito suo alienum esse censuit res extraneas, etsi re ipsa à Gregorio relatas, operi suo inserere; ita ut nemini mirum videri debeat, si nonnulla etiam ex sinceris Gregorianæ Historiæ capitibus omiserit. At nulla prorsùs laudavit ex iis, quæ in codice Corbeiensi desiderantur; proindeque probabile est, ea tunc temporis non exstitisse, sed postmodùm Gregorii operibus ab aliquo fuisse interpolatore assuta. At corruet totum illud Cointii argumentum, immò nobis omninò favebit, si verum sit Fredegarium eamdem habuisse rationem ea omittendi quæ in Corbeiensi codice non habentur, ac illa quæ ex sincera Gregorii Historia non retulit. Eamdem verò fuisse jam suprà observavimus, et iterùm ostendimus. Etenim prætermisit Fredegarius Gregorianæ Historiæ capita, etiam sincera, quæ ad generalem Francorum gentis Historiam minimè attinebant. Idem quoque fecit Corbeiensis codicis scriptor; idem fecere et qui alios codices à Cointio laudatos exararunt : et quidem eodem ac Fredegarius consilio. Illi enim, sicut et Fredegarius, generalem solummodò Francorum Historiam habere cupientes, singulares hominum privatorum, aut locorum Historias prætermisere, tamquam sibi inutiles. Id ipsum innuit in variis codicibus omissionum varietas. Ea enim fuit, ut jam non semel observavimus, Gregorii nostri fortuna, ut quia primus et unicus veterum rerum gentis nostræ præclarè gestarum scriptor exstitit, ex ejus operibus qui posteà secuti sunt scriptores, pro suo libitu quæ sibi visa sunt, alii plura, alii pauciora descripserint. Hinc nonnulli codices quatuor Historiæ libros exhibent, alii quinque, alii sex, alii verò novem aut decem. Quin et ex illis libris alii plura aut pauciora pro suo libitu capita exscripsere; nonnulli autem hæc in epitomen reduxere : quæ omnia quivis norunt in gentis nostræ Historia vel tantillùm versati, qui Fredegarii, Aimoini, Roriconis, Adhemari, aliorumque quamplurimorum auctorum opera vel Chronica revolverint. Nec minorem fuisse in discerpendis Miraculorum libris licentiam probant passim codices manuscripti, quorum alii unum aut alterum, alii plures Gregorii libros exhibent; nonnulli verò sola eorum fragmenta, cum adjunctis, ut scriptoribus placuit, titulis. De quibus omnibus fusiùs disserere non vacat, ne jam dicta incassùm repetere videamur.

Cætera argumenta expenduntur.

100. Verùm, expensis illis argumentis, quæ adversùs complura Gregorianæ Historiæ capita Cointius ex mss. aliquot codicum auctoritate, aut ex Fredegarii silentio deduxit, examinanda supersunt nonnulla, quæ vel ex stylo, vel ex rebus in illis capitibus contentis objicit, tamquam à Gregorii modo scribendi aliena, aut certè quæ aliis ipsius ejusdem operibus, aut ceteris Gregoriani ævi probatis auctoribus contraria videntur : quæ licèt suis in locis, quantùm ferre potuit notarum brevitas, exposuerimus, hìc tamen paulò fusiùs discutienda sunt. Et primùm quidem, quod ad styli duritiem pertinet aut sermonis rusticitatem, quas in suis operibus inveniri fatetur passim Gregorius, testes appello quotquot Gregorii opera legerint, atque capita, quæ Cointius interpolata appellat, simul cum aliis conferre voluerint, an ovum ovo similius videri possit. Habentur quippe in illis, sicut et in istis, casuum mutationes, id est accusandi casus, ut Grammatici vocant, pro ablativis; habentur et feminina nomina pro masculinis, et masculina nomina cum adjectivis in feminino genere conjuncta. Occurrunt et voces exoticæ, loquendique modi planè barbari, de quibus rebus exempla in medium proferre non sinit ipsa rei evidentia. Fateor equidem in codicibus Corbeiensi ac Bellovacensi, quos in Gregorii textu describendo Cointius meritò imitari gaudet, aliquot nomina magis, ut ita dicam, barbarè scribi, quàm in ceteris codicibus minùs antiquis, frequentioresque in illis inveniri casuum, litterarum aut generum mutationes : sed hoc ex diverso diversorum temporum ac notariorum genio et arbitrio accidit : qui diversitas codicum antiquitatem probare quidem potest, non verò operum varietatem. Iidem enim sunt qui in sæculi sexti aut septimi codice scribuntur Chlotovechus,

Styli diversitas.

Chlothacharius, Chrochtichildis, ac qui in posterioris ævi scriptis dicuntur Hlodoveus, Hlotarius, aut Hlotildis; seu Chlodoveus, Chlotarius, Chlotildis, etc. Idem contigit in aliquot aliis vocibus, quas amanuenses pro libitu mutaverunt, ut cùm *equites*, quam vocem veteres ad equum designandum usurpabant, in *equos* transtulere, intentionem in *contentionem* : qui et ubi *indignate* aut *exsequere* scriptum invenerunt, reposuere *indignamini*, et *exsequi;* et sic alia innumera, quæ multis variis lectionibus originem quidem dederunt, at nunquam apud viros eruditos in dubium revocare fecerunt vetera monumenta, quorum ne unicum fortasse ad nos intemeratum pervenisse aliàs dicendum esset. Unde non minùs indubitata Gregorii opera, quàm ea quæ interpolata à Cointio dicuntur, ejusmodi mutationes ab amanuensibus pertulere : sed si veteres illas voces ac locutiones barbaras, aut casuum mutationes necessarias omninò esse quis contendat ad conciliandam capitibus illis, quæ interpolata censet Cointius auctoritatem, ac ad restituendam Gregorii operibus nativam formam; non desunt codices antiqui qui illas omninò exhibent, prout eas re ipsa passim in nostra editione restituimus, aut observavimus in notis, cùm ejusmodi insolitæ exprimendi formulæ nimium facesserent legentibus negotium. Occurrunt et in iisdem capitibus voces quædam singulares, quæ Gregorii stylum et genium sapiunt, cujusmodi ferè sunt *intentio* ad contentionem exprimendam, *equites* pro equis, *species* pro mercimoniis aut rebus venalibus, *consensus* pro instrumento electionis, *cicindelus* pro candela aut cereo, *satellites* pro sociis, *manicis apprehensus*, *Barbarus*, pro *Francus*, et alia ejusmodi bene multa, quæ nullus non observare potest, qualia in onomastico indice ad calcem hujus voluminis collegimus.

Gregorius sibi ipsi contrarius.

101. Non majoris est momenti Cointii argumentum, quo multa in capitibus interpolatis passim haberi contendit, sinceris Gregorii operibus non bene cohærentia, immò et ipsis contraria. Deinde profert aliquot loca, in quibus ille auctor, seu, ut ait interpolator, non satis aliquot sanctorum virorum famæ consuluisse videtur; nonnullaque alia auctorum coæqualium testimoniis opposita retulisse, ita ut, si admittantur, aut ipsos, aut certè Gregorium à vero aberrasse fatendum sit : quæ proinde omnia pro veris Gregorii fetibus haberi non debent. His quippe omnibus uno verbo reponi posset, quòd et si nonnulla ejusmodi in capitibus controversis haberentur, non statim eorum convelleretur auctoritas, siquidem et multa in sinceris Gregorii capitibus habentur, quæ cum ipso Gregorio, aut aliis monumentis non conveniunt. Hoc ipsum Cointius non semel fateri cogitur in Annalibus; idque multis exemplis demonstravit Valesius in præfatione ad tomum 2. Rerum Francicarum. Sic libro 2. cap. ultimo Chlodoveum Regem anno XI. Licinii Episcopi Turonensis fato functum fuisse scribit : et tamen certum est Verum Licinii decessorem quinquennio ante Chlodovei mortem per missum suum Concilio Agathensi interfuisse. Guntrammum inter et Sigibertum bellum exarsisse ait libro 4. capite 42. quod, ipso asserente Cointio, verum non est. Chilpericus Suessione exstitisse dicitur libro 5. capitibus 2. et 3. et tamen inde abfuisse his ipsis locis præsupponitur. Alia mitto exempla, quæ vel ex ipsis Cointii operibus facilè suppeditabuntur : cujusmodi nulla in capitibus, quæ interpolata censet Cointius, inveniri possunt. Loca autem singularia quæ hanc in rem objicit vir eruditus, suis locis examinabimus. Quod si famæ sanctorum virorum quandoque minùs consuluisse videtur Gregorius, id ejus candori ac sincero animo tribuendum, qui facta hominum, prout ea noverat, genuinè exponebat, nullo respectu personarum. Neque verò quisquam credat, laudabilia fuisse virorum etiam sanctiorum omnia opera. Et quidem ab antiquis atque etiam ab aliis sui ævi auctoribus nonnunquam dissentit Gregorius : quod mirum non est; siquidem et ipsa vetustiora monumenta non semper sibi constant, et unum idemque factum à diversis auctoribus etiam peritis, qui rei gestæ interfuerint, variè enarrari quotidiana experientia constat. Jam ad singulares Cointii difficultates enucleandas accedamus.

Cointii argumenta ex rebus narratis petita diluuntur.

102. Nihil omninò in toto primo Historiæ libro reprehendit Cointius, quem, cùm res in eo narratæ ad ipsius non spectent institutum, examinare non curavit. Nihil etiam habet de illis omnibus capitulis, in quibus ea repetuntur, quæ Gregorius in aliis libris tractaverat. Pleraque etiam alia capitula admittit quidem, utpotè quæ vera et certa narrant, sed ea interpolata ob id solum censet, quòd in aliquot scriptis codicibus desint. Sed de his modò actum est, et plura dicere inutile foret : cetera autem capita, quæ ob peculiarem aliquam rationem rejicit, hic nobis exa-

minanda restant. Libri 2. caput 36. ab interpolatore additum esse putat vir eruditus, quòd res eò loci de sancto Quintiano memoratæ præpostero ordine referantur : ibi quippe sancti viri è sede expulsio à Gotthis facta narratur, quæ multò ante contigerat. Atque id quidem haud diffitear ; sed nihil inde conficitur. Non enim hic Gregorius refert Quintianum eo ipso anno pulsum fuisse, quod sanè falsum fuisset ; sed loquens de maxima Gallorum erga Francos propensione, ex ea concitatam ait Gotthorum invidiam, qui idcircò complures Episcopos è sede sua dejecerant : qua occasione Gregorius illustre profert sancti Quintiani exemplum ; tametsi multò ante id tempus, relicta sede, ex urbe excesserat. Ex libro 2.

103. In tertio libro nulla est controversiæ materia, cùm hunc librum omnes omninò codices, editi pariter et scripti, integrum repræsentent. Libri quarti capita 5. 6. 7. 11. et 12. in quibusdam codicibus desiderantur, quòd, ut nobis persuasum est, nihil ad Historiam Francorum generalem pertinerent. At subornata esse, nullamque mereri fidem contendit Cointius, quòd iis admissis Aquitaniæ primæ Pontifices, inter quos nonnulli hodieque sancti titulo decorantur, quales fuere Probianus Biturigum et Dalmatius Ruthenorum Episcopi, maximi criminis rei dicendi forent, qui Episcopum inconsulto Rege ordinare deliberaverant, et quidem tali dignitate prorsùs indignum, Catonem scilicet, qui superbia adeò tumidus erat, ut neminem se digniorem episcopatu arbitraretur. Cautinus etiam, qui ad episcopatum promotus est, his coloribus in istis capitibus depingitur, ut extremo supplicio potiùs puniendus fuisset, quàm episcopali sede donandus. Hæc Cointius : sed quæ factorum in his capitibus relatorum auctoritatem minimè convellunt. Improbanda quippe est Pontificum Aquitaniæ audacia, qui Rege inconsulto Episcopum, quamvis à clero et populo electum, ordinare disposuerant : sed rei insolentia facti veritatem non elevat, quæ etiam aliis exemplis confirmari posset. Certè multò audacior fuit alterius Aquitaniæ, id est Burdigalensis provinciæ, Episcoporum conatus, qui Eumerium Santonensem Episcopum è sede deturbaverant, Heraclio jam in ejus locum substituto, quòd præsipiente Rege absque Metropolitani præsentia fuisset ordinatus. Res tamen habuisset effectum, nisi obstitissent Chariberti Regis minæ, qui ob patris sui reverentiam irritos reddidit Episcoporum conatus. Et Cato quidem superbia tumidus erat : sed ob alias dotes, potissimùm ob misericordiam in pauperes ita plebi acceptus, ut nullus non eum habere vellet Episcopum. Utrumque ex ipso Gregorio certum est, ex capite scilicet 31. quod indubitatum, etiam Cointio, habetur, ubi de ejusdem Catonis morte, quam in sollicitandis pauperibus tempore pestis incurrit, agens, ait : *Multæ humanitatis fuit et satis pauperum dilector ; et credo hæc causa ei si quid superbiæ habuit, medicamentum fuit.* Cautinum verò sævissimum, ac episcopali gradu planè indignum in istis capitibus exhiberi ultrò fatemur : sed nisi eum talem non fuisse probet Cointius ex probis auctoribus, nihil omninò adversùs hujus Historiæ veritatem evincet. Nec illud juvat quòd Cautinus è sede sua nunquam exturbatus fuerit : cùm nemo nesciat Gregorii ætate plures Episcopos, variis irretitos criminibus, ad mortem usque in suis sedibus perseverasse ; quod utinam tot exemplis probari non posset. Sufficiat Melantii in Prætextati Rothomagensis locum intrusi exemplum proferre. Ejusdem libri quarti caput 19. rejicit, quòd in codicibus duobus desideretur, nec satis accuratè sancti Medardi obitûs annum assignet. Verùm cùm ibi Gregorius nullum certum annum beati Medardi mortis designare voluerit, nihil ad elevandam hujus capitis auctoritatem prodest ista objectio. Quòd enim ait Gregorius *tempore Chlotarii* sanctum Medardum obiisse, nemo revocat in dubium. Ex libro 4.

104. In libro 5. caput quintum convellere nititur vir eruditus, quòd etsi res veras ut plurimùm referat, habeat tamen nonnulla, quæ reprehensioni videntur obnoxia. Primùm quod multa in eo contineantur contra Felicem Namnetensem Episcopum, quem Ecclesia uti sanctum virum celebrat. Deinde quòd ibidem Gregorius vulgatus, seu, ut Cointius ait, Interpolator sub illius nomine, Gregorium Lingonensem Episcopum *proavum* suum appellet, et Nicetium Lugdunensem matris suæ avunculum, contra sinceri Gregorii morem, qui aliàs de iisdem sanctis viris agens, nusquam meminit talis cognationis ; quam etiam siluere Clerici Turonenses in ipsius Gregorii Turonensis Vita. Verùm ex his duabus objectionis illius partibus unam solvit ipse Cointius : cognationem quippe illam inter Gregorium nostrum et sanctos illos viros admittit et propugnat ; immò exemplo confirmat argumentum istud abnutivum, aliàs fortè validissimum, in hac tamen parte prorsùs re- Ex libro 5.

jiciendum esse. Nam, inquit, Gallus Arvernorum Episcopus certo certiùs patruus fuit nostri Gregorii, ut ipsemet testatur in libro de virtutibus sancti Juliani cap. 23. et tamen Gregorius neque in ipsius Galli Vita, nec usquam aliàs, quamquam sæpissimè Galli et ejus parentum meminerit, sanctum Gallum patruum suum appellavit. Addit idem Cointius, quòd si quis accuratè inter sese comparare voluerit, sanctorum Gregorii Lingonensis, Nicetii Lugdunensis et Galli Arvernensis Vitas, hos sanctos viros cognatione conjunctos fuisse facilè deprehendet, quamvis id apertè non scripserit Gregorius. Quod Felicis Namnetensis sanctitatem spectat, idque est alterum objectionis Cointianæ caput, ei quidem detrahere animus non est : sed sanctos viros nævos suos habuisse diffiteri non possumus, quos fortè majores quàm re ipsa in Felice essent, arbitratus est bona fide Gregorius : sed hoc humanæ imbecillitati condonandum. Certè, ipso fatente Cointio ad annum DLXXXII. num. 4. Gregorius libro 6. capite 16. eumdem Felicem iracundiæ ac doli palam insimulat : et tamen hoc caput in omnibus scriptis, etiam Corbeiensi habetur; quin et cum superiori capite conjungitur, quod Felici non multò favorabilius est.

105. Futilis est adversùs caput 9. libri quinti objectio, Caluppam nempe hoc in loco appellari, quem Caluppanem sincerus Gregorius in Vitis Patrum dixerit. Quis enim nesciat ejusmodi nomina non solùm in variis codicibus, sed et in uno eodemque exemplari sæpiùs variæ descripta inveniri? hujus rei exempla proferre prorsùs otiosum fuerit. Immò nulla est in hoc nomine apud Gregorium varietas : qui enim Caluppa in recto casu dicitur in Historia, is ipse est qui in casu sexto *Caluppane* scriptus occurrit in Vitis Patrum capite 11. cùm nemo nesciat ejusmodi nomina hoc modo desinentia sic variè efferri; ut passim ex Attila *Attilanem*, et ex Agila *Agilanem* efformata nomina legimus.

106. Validiora, ut putat vir eruditus, sunt argumenta quæ profert adversùs caput 21. ejusdem libri quinti. Et quidem ea magni sint ponderis necesse est, utpotè quæ omnium manuscriptorum codicum, etiam Corbeiensis, qui non multò post Gregorii ætatem scriptus creditur, auctoritatem elevare debeant. Hoc quippe caput 21. manifestè, ut ipse fatetur Cointius in capite 28. ejusdem libri laudatur, quod caput 28. omnes codices, et quidem integrum habent. Interpolatum tamen arbitratur Cointius, idque multa, ut ipse existimat, arguunt. Primò quòd ibi Nicetio Lugdunensium Episcopo *Patriarchæ* titulus donetur contra illorum temporum et Gregorii ipsius morem. Deinde quòd Concilii Lugdunensis Patres Sagittarium et Salonium Episcopos ob cædes et adulteria sedibus suis pellendos censuisse ibidem dicantur : cùm tamen Episcopi apud Cabilonum, ut ipsemet infrà capite 28. habet Gregorius, congregati, illos Episcopos ob ipsas easdem omninò causas nonnisi *pœnitentia purgandos* decreverint. Tertiò objicit Concilii Lugdunensis hac de re silentium : siquidem nusquam in istius Synodi canonibus qui supersunt, legatur Sagittarii et Salonii causam ibi fuisse agitatam. Denique à veri similitudine multùm abesse putat, quod ille interpolator de Sagittario refert, eum nempe aliquando dixisse, Guntramni filios, quos ex Austrigilde susceperat ob istius natalium humilitatem nunquam patri in regno successores fore. Hæc ille : quibus singillatim faciendum est satis. Et primùm quantùm ad Patriarchæ nomen, quo in hoc capite decoratur Nicetius, nihil est mirum, quandoquidem eumdem honoris titulum Priscus Nicetii successor habuit in Concilio 11. Matisconensi anno DLXXXV. Datur et Chelidonio Vesontionensium Episcopo in Vita sancti Romani Abbatis Jurensis, quam scripsit auctor Gregorio nostro æqualis, ubi Hilarium Arelatensem Episcopum arguit, quòd *Celedonium Vesontionensis metropolis* è solio dejecerit. *Patriarcham* appellavit Sulpicium Bituricensem sæculo sequenti sanctus Desiderius Caturcorum antistes in epistola ad eum directa : quæ exempla etsi in singulis istis auctoribus sint singularia, à suspicione tamen falsi aut dubii immunia sunt omninò, proindeque et Gregorii textus.

107. Ad hæc arguit Cointius, quod est alterum ejus objectionis caput, Gregorii, ut vocat, interpolatorem, quòd sententiam depositionis in Sagittarium et Salonium Episcopos, homicidii et adulterii reos, latam fuisse scripserit. Hoc enim, inquit Cointius, fieri non potuit, cùm ex Gregorio sincero, capite scilicet 28. ejusdem libri, iidem Episcopi ob eadem omninò scelera iterùm in jus vocati, in Concilio Cabilonensi pœnitentiæ solummodò subjecti fuerint, sed non exauctorati. Verùm ultro fateor Patres Cabilonenses eadem severitate usos non fuisse, quàm Lugdunenses : sed contendo Lugdunenses juxta Canonum scita tulisse sententiam; Cabilonenses

bilonenses verò ob justas quidem, ut existimare par est, rationes ab exsequendis tamen canonibus abstinuisse. Nemo enim, vel levi canonum cognitione imbutus nescit, ejusmodi criminum reos una sententia et una voce apud Græcos et Latinos sede episcopali indignos proclamari. Si itaque ob res in istis capitibus 21. et 28. contentas alterutrum caput rejiciendum foret, rejici jure deberet caput 28. utpote disciplinæ ecclesiasticæ oppositum, non verò caput 21. quod sacris Canonibus et Ecclesiæ regulis omninò consonum est. Vadem hujus rei, apud omnes ob summam eruditionem et sincerum animi candorem maximi ponderis, profero Ludovicum Thomassinum, ejusdem ac ipse Cointius Oratorii Gallicani Presbyterum, qui ea de re disserens, neutrum Gregorii caput rejiciendo, sic loquitur Disciplinæ ecclesiasticæ parte 2. libro 1. cap. 58. num. 11. *Canonicis decretis consentiebat Lugdunensis Concilii judicium, quibus irrevocabiliter dejiciuntur ejus generis facinorosi; judicium verò Cabilonensis Concilii, quod indulgentiæ magis studebat, non tam judicium fuit quàm conatus quidam, ut à Pontifice et Rege iniretur gratia, qui erant ad lenitatem magis inclinati. Hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, quibus verbis non definitiva insinuatur sententia, sed Episcoporum opinatio mollior demissiorque, etc.* Hæc ille, qui numero sequenti Cabilonensis Concilii indulgentiam inter *dispensationes raras* connumerat, quæ nunquam *lucem canonum splendidissimam*, quam secuti fuerant Lugdunenses Patres, obscurare potuerunt; proindeque nec Gregorii eam Historiam referentis auctoritatem convellere. Quod verò objicit Cointius contra ejusdem capitis 21. sinceritatem Lugdunensis Concilii silentium de causa Sagittarii et Salonii, quòd nempe in canonibus ejusdem Concilii qui supersunt, memorata non habeatur; nihil omninò evincit, nisi probet vir eruditus omnes omninò causas, quæ in Conciliis agitatæ fuerunt, in eorum canonibus expressas fuisse : quod sanè nemo dixerit. Nec id in præsenti causa necessarium fuit, aut utile posteris fuisset. Novi quippe canones istorum Episcoporum exauctorationis occasione condendi non fuerant; cùm id passim haberent veteres; nec decebat factum singulare canonibus inserere, quod nihili profuisset. Si autem exempla quis velit ejusmodi rerum, quæ licet in Synodis agitatæ fuerint, tamen in earum actis aut canonibus memoratæ non occurrunt, è pluribus unum aut alternum ex ipso Gregorio proferam. Narrat ipse Gregorius quemdam Episcopum ita simplicem fuisse, ut in Matisconensi Concilio asseverare eum non puduerit, sub *hominis* voce in Scripturis sacris mulieres non comprehendi. Nullum tamen exstat ea de re in Synodi Matisconensis actis vel leve vestigium. Meminit idem auctor in Vitis Patrum capite 6. Marci cujusdam Episcopi è sua sede iniquè extrusi, cujus causa in Concilio quinto Aurelianensi, ipso fatente Cointio, discussa, sedi suæ restitutus est. Nihil tamen de his habent Aurelianensis v. Concilii acta; licèt ob hanc potissimùm causam à Childeberto coactum fuisse istud Concilium ipsemet scribat Gregorius.

108. Ultimum denique objectionis caput est, quòd verisimile non sit Sagittarium Austrigildi natalium humilitatem exprobrasse, aut dixisse ejus filios ad successionem admittendos non esse : sed nihilo plus efficit, nisi probet Cointius aut Austrigildem re ipsa ex humili loco non prodiisse : quod fieri nequit; fuerat enim Mercatrudis ancilla, teste ipso Fredegario : aut certè Sagittarium hominem fuisse prudentissimum, ac ita discretum ut nunquam verbo excessisse dici possit : quod an verum sit, vel ipsum Cointium judicem appello. Quis enim nesciat eum hominem, ut cetera ejus flagitia taceam, fuisse levissimum ac superbissimum, qui tandem post varias fortunas Guntramnum ejusque filios non verbis solùm, sed et armis lacessivit, Gundovaldi Ballomeris partes secutus apud Convenas, ubi miserè periit.

109. Nonnulla affert vir eruditus ad convellendam ejusdem libri quinti capitis 48. auctoritatem, quod nempe caput etsi nonnulla vera contineat, in aliis tamen rebus non admittendum videatur, quæ scilicet non satis cum sinceris Gregorii capitibus cohærent. Etenim Leudastem ibi depingit Gregorius tanquam hominem humili loco natum, qui ex infimis gradibus ad immensum tandem dignitatis et potentiæ fastigium pervenerit : et tamen talia nunquam ipsi aliàs exprobravit Gregorius, licèt de ejus vitiis et pravis moribus non semel egerit. Deinde in hoc peccavit, ut ait Cointius, Interpolator, quòd Turonicam urbem extitisse dixerit biennio sub Sigiberti potestate, postquàm è Chilperici manibus fuerat erepta : quod falsum censet Cointius; cùm Sigibertus eam urbem ante annum DLXXIV. non recuperaverit, amiserit verò simul cum vita anni sequentis initio. Verùm ad hæc mo-

menta facilis est omninò responsio. Nam Gregorius aliis quidem in locis non semel de Leudastis vitiis egit, at solummodò aliorum ejus factorum occasione : unde mirum non est si de ejus natalibus ac fortunæ initiis nihil ibi dixerit : hic verò data opera de ejus origine ac patria singillatim disserere instituit, proindeque debuit paulò accuratiùs parentes ejus ac primorum gestorum circumstantias explicare, ac ea quæ aliàs prætermiserat, aut leviter tantùm attigerat, paulò fusiùs enarrare. Sigibertus verò anni duobus Turonos obtinuisse dici potuit, neutro licèt integro. Extremam enim unius annis partem, ac initium sequentis apud vulgatos auctores simpliciter annos duos passim dici quis inficiabitur? Et quidem Gregorius non hîc ait duobus annis solidis Turonos in Sigiberti potestate remansisse.

110. Caput 49. libri quinti, quod nobis est 50. eo nomine rejiciendum esse censet Cointius, quòd ibi in sua innocentia propugnanda imprudens describatur Gregorius, ea scilicet Regi interroganti respondendo, quæ debebat dissimulare : deinde quòd ibidem Chilpericus et Fredegundis multò quàm soliti erant mitiores repræsententur : quòd denique Interpolator indigna habeat de Felice Namnetensi Episcopo, quem conjurationis in Regem participem facere non veretur. Ad primum, Gregorius se malos de Regina rumores audivisse fatetur, se autem illos excogitasse pernegat : quæ quidem responsio imprudens fortasse fuit, si eam non exegerit interrogatio. Fieri enim potuit ut interrogaretur Gregorius de rumore illo qui vulgò circumferebatur : cui ille respondit modo sinceritati, quæ in ceteris ejus operibus elucet, maximè congruo. Scio responsionem hanc Valesio imprudentem visam fuisse : sed nec ipsam tamen ob id Gregorio abjudicat, nec ceteri viri eruditi, qui Gregorium humani errati omninò expertem fuisse numquam sunt arbitrati. Non majoris est momenti quod ait vir eruditus, Chilperici et Fredegundis innatam sævitiam in hoc loco non inveniri. Non enim adeò crudeles semper et ubique illi fuerunt, ut omni occasione per fas et nefas homines trucidari jusserint, qui in eorum incurrissent offensam. Certè negotium istud magni erat momenti : in publica Synodo agebatur : quæstio autem ipsa delicata erat, nec fortè Fredegundi gratum erat, ut tam accuratè de ejus vita et moribus inquireretur. Sciebat Gregorium hominem sanctissimum, qui nec minis nec blanditiis à recto tramite unquam potuisset deterreri : unde linire Regis animum magis expediebat, quàm ipsum in accusatos exasperare. At verò, cùm purgato per sacramentum Gregorio, Leudastes ac Riculfus calumniæ rei pronunciati fuissent, in eos sævitum est, et Leudaste fuga elapso, alter jussus est interfici : qui licèt Gregorio intercedente vitam obtinuerit, intolerabilibus tamen tormentis attritus est, quæ Gregorius narrat. Denique quod ad Felicem Episcopum attinet, Riculfum quidem exceperat apud se, at necis adversùs Regem ejusque filios conceptæ nec reus, nec consilii particeps unquam fuit : immò ut in Notis ad hunc locum observavimus, hæc in Regem et filios ejus conjuratio, quæ in editis ex voculæ immutatione irrepsit in textum, nulla unquam fuit. Textus autem sic se habet in editis : *Dicebat ob hoc Reginæ crimen objectum, ut ejecta de regno, interfectis fratribus ac patre, Chlodovechus regnum acciperet.* Quæ verba nefandam conjurationem repræsentant : sed si legatur, *interfectis fratribus, à patre Chlodoveus, etc.* ut ex codice Regiomontensi restituimus, jam habetur germanus hujus loci sensus, quòd scilicet Regina adulterii accusata fuerit agente Chlodoveo, ut ea ob istud crimen pulsa, ipse, interfectis fratribus, quos nempe ipse Chilpericus instigante eadem Fredegunde jam occiderat, solus superstes regnum à patre obtineret.

Ex libro 6. 111. Adversùs caput 8. libri 6. objicit Cointius chronologicum errorem, quem sufficientem existimat ad elevandam hujus capitis authentiam. Ibi enim Gregorius, seu, ut ipse vult, ejus interpolator, Eparchium anno ejus reclusionis 44. obiisse dicit : quod falsum esse probat vir eruditus ex Vita ejusdem sancti ab auctore æquali scripta ; ubi Eparchius triginta solummodò et novem annis reclusus vixisse disertis verbis dicitur. Deinde Aptonius, quo sedente Eparchius recludi cœpit, non suscepit Ecolismensis Ecclesiæ regimen ante annum DXLI. at Eparchius nemine contradicente obiit anno ejusdem sæculi LXXXI. proindeque supra annos quadraginta in cella reclusus degere non potuit. Ac cum Cointio fatemur, Eparchium anno extremæ suæ reclusionis trigesimo-nono obiisse, ut in ejus Vita legitur : sed si reclusionis nomine totum illud tempus intelligatur, quo Eparchius relicto sæculo in monasterio vixit, aut in loco deserto, quò majoris solitudinis desiderio secesserat, jam nulla supererit difficultas. Certum quippe ex ejus Vita est, illum in Sedeciano

monasterio primùm vestem monasticam induisse, tum in loco solitario à ceteris separatum aliquandiu degisse, priusquàm Episcoporum auctoritate recluderetur : quæ omnia Gregorius simul conjungens, Eparchium, illæsa Historiæ veritate, dicere potuit annos XLIV. reclusum exegisse.

112. Ea verò quæ adversùs caput 9. ejusdem libri habet, ubi de sancto Domnolo Cenomannensi Episcopo agitur, expendimus in Notis ad illum locum, quæ iterùm repetere supervacaneum foret. Ad caput 15. transeundum est, à Cointio ob id rejectum, quòd multa habeat contra Felicis Namnetensis famam ; quin et cùm illud sequenti capiti ita annexum sit, ut alterum sine altero non possit admitti ; et istud quoque respuit vir eruditus, licèt in omnibus omninò codicibus habeatur, etiam in Corbeiensi, quem non inficiatur paulò post Gregorii nostri ætatem scriptum fuisse : proindeque admittat necesse est, exstitisse auctorem aliquem Gregorio aut æqualem aut subparem, ex quo Interpolator, qui et ipse his temporibus viverit, ista atque alia multa quæ refert hauserit. At cùm ille auctor nemini unquam notus fuerit, satius nobis videtur ingenuè fateri in Felice nævos quidem fuisse, sed quos aut pœnitentia diluerit, aut certè qui tanti non fuerint, ut caritatem Christi, quæ multitudinem operit peccatorum, offuscaverint.

113. Caput 22. rejiciendum esse censet vir eruditus, quòd Chilpericum Regem alium, id est leniorem quàm re ipsa fuerit, repræsentet. Chilpericus enim, ut Cointio videtur, Charterium, qui adversùs eum litteras injuriosas scripsisse accusabatur, statim oppressisset, aut certè ejus accusatorem Diaconum, qui eas Episcopo suo supposuisse dicebatur. Verùm non ita sævus erat Chilpericus, aut sui impotens, ut nonnisi ab impostore dici potuisset, eum aliqua occasione à sæviendo abstinuisse. Certè, ut à viris eruditis jam non semel observatum est, Chilpericus magis uxorius quàm sævus fuit, atque plus uxori suæ parendo quæ eum ad neces hominum sibi ipsi suspectorum incitabat, quàm innata crudelitate peccavit. Audiendus ea de re V. C. Hadrianus Valesius libro XI. Rerum Francicarum, ubi postquàm Chilpericum reprehendisset quòd furenti uxori nimiùm indulserit, subjungit : *Planè si quando ab ea non instigabatur, Chilpericum mutatum et sui dissimilem factum crederes : adeò communis, aditu facilis, lenis quoque et injuriæ patiens.* Lenitatem ejus pluribus laudavit Fortunatus : nec tamen hujus auctoris carmina ob id ullus dixerit esse ab impostore excogitata. Et quidem licèt poëtarum more in laudando Chilperico excessisse nonnullis fortasse videatur Fortunatus, nemo tamen dixerit eum in homine sævissimo lenitatem potissimùm prædicasse. Denique Cointius ipse aliàs Gregorium nostrum reprehendit, quòd in fine libri. 6. Historiæ in Chilpericum plus æquo fuerit invectus, quasi nulla prorsùs laude dignus fuerit, quem tamen præclara fascinora edidisse neminem inficiari posse contendit.

114. Caput 34. ejusdem libri 6. licèt in capite sequenti, quod omnes omninò scripti et editi habent, laudetur, multaque complectatur vera, interpolatum tamen censet vir sæpè laudatus, quòd nonnulla, inquit, contineat à verisimili aliena. Primum est, quòd hujus capitis initio memoretur Hispanorum legatio, quæ si admittatur, tertia erit quam hoc anno Hispani miserint in Gallias : secundum, initio capitis *legatis* appellantur, quod indicat plures ea occasione missos fuisse ; et tamen in orationis progressu nonnisi unius legati mentio occurrit : denique Chilpericus ibidem cogitasse dicitur de Basina in uxorem Reccaredo Gotthorum Regi tradenda, quæ stuprata fuerat, et in monasterium retrusa. Ad primum et secundum objectionis caput facillima est responsio. Non enim impossibile est ternas eo anno legationes ex Hispaniis in Gallias adventasse, cùm ageretur de nuptiis inter Leuvigildi filium et Chilperici filiam contrahendis : quod maximè Gotthi peroptabant. Quod verò legatum aut legatos una aut altera vice scripserit Gregorius, res est ad asserendum aut abjudicandum Gregorio caput istud planè indifferens. Chilperici verò de Basina loco Rithguntis Gotthorum Regis filio substituenda consilium, quod refert Gregorius, hominis animum indicat tergiversantis, qui filiam suam tum vellet, tum nollet Reccaredo nuptui tradere. Idem probant variæ harum nuptiarum dilationes, à Gregorio ipso memoratæ, quæ tandem eò processere, ut illa sæpiùs licèt promissa, immò et ad id profecta, nunquam Reccaredo nupserit. Chilpericus itaque Gotthorum petitionem planè respuere non audebat, immò nec volebat : sed grave tamen erat ei à filia sua separari, quam ex Fredegunde susceperat, et diligebat præ ceteris ; veritus maximè ne, ut Chlotildi et Ingundi contigerat, ipsa à Gotthis malè haberetur. Basinam verò ob id fortè Rithgunti substi-

tuendam non alio animo proponebat, quàm ut Rithguntis discessum differret.

115. Caput ejusdem libri 36. insititiis adjungit Cointius, quòd in eo Gregorius de Ætherio Episcopo Lexoviensi agens dicat, *cujus suprà meminimus*, tametsi nulla ejus mentio ab ipso facta sit : deinde quòd idem Ætherius non satis prudens hoc in capite repræsentetur, quippe qui puerorum urbis suæ educationem viro nequissimo permiserit. Ex prima objectionis hujus parte colligi quidem potest, aut Gregorium memoria lapsum esse; aut aliquid de Ætherio in Gregorii scriptis exstitisse, quod modò non habetur : aut certè hæc verba ab amanuensibus superaddita fuisse. Hinc tamen non conficietur, totum hoc caput fuisse interpolatum : uti similia verba, quæ de Tetrico Lingonensi Episcopo habentur libro 4. capite 16. nec Cointio, nec aliis persuaserunt caput istud ab interpolatore fuisse intrusum. *Erat*, inquit Gregorius, *ibi tunc sanctus Tetricus Episcopus, cujus in superiori libello memoriam fecimus* : de quo tamen nullum in superioribus vestigium superest. Ætherii vero indulgentia erga hominem pravum, arguit quidem Ætherium plus æquo facilem, et incautè misericordem; sed non probat rei gestæ narrationem esse aut falsam, aut Gregoriano textui temerè assutam.

116. Non major est rejiciendi capitis sequentis ratio, licèt in eo Lupentii Abbatis cædes Innocentio Gabalitano Comiti tribuatur, qui posteà capite 38. dicitur Theodosio Ruthenorum Episcopo defuncto successisse. Non enim facilè arceri potuit ab Episcopatu Innocentius, cujus magna apud Reginam gratia erat, nisi hoc crimen publicè notum fuisset : at nusquam legimus Innocentium tanti criminis reum declaratum fuisse, immò nec publicè accusatum, quamquam fortè id rumor ei tribueret : sed non erat legitima, aut certè sufficiens illis temporibus, impediendæ ordinationis causa, quæ aliàs juxta canonum præscripta, cleri et populi votis, aut certè ex Regum voluntate, fieri petebatur. Nec desunt exempla nequiorum hominum, qui per ea tempora sedes episcopales sceleribus partas diu obtinuere : vel unus Melantius in Prætextati Rothomagensis locum intrusus hujus rei exemplum suppeditare potest, ut jam observavimus. Plura alia adjicere haud esset difficile, si res exigeret.

Posteriores libri 4. expenduntur.

117. Hæc sunt præcipua Cointii argumenta, queis usus est ad elevandam ex sex prioribus libris Gregorianæ Historiæ multorum capitum, quæ in quibusdam codicibus mss. desiderantur, auctoritatem. De sequentibus verò libris pauca habet, ob defectum, inquit, codicum : quamquam neglecto codice sancti Michaëlis optimæ notæ, passim multa Gregorio abjudicet, ob id solùm, ut jam diximus, quòd in codice Mettensi desiderentur, aut certè desint apud Aimoinum. Certum est tamen, ut suprà demonstratum est, et ipsemet Cointius inficiari non audet, multa in eo codice ex industria omissa fuisse. Aimoini verò auctoritatem hac in re nullius esse ponderis, vel ex hoc unico argumento evinci potest, quòd ipso attestante Cointio, et interpolata admiserit et omiserit sincera : sed et ipsemet Aimoinus capite 18. libri primi fatetur, se in codice incurrisse scriptorum vitio omninò depravatum. Verùm hac opinione imbutus Cointius, quòd multa in Gregorii libris ab interpolatore essent superaddita, eos ipsos auctores aut codices, quos ob omissa aliquot capitula maximè laudat, eosdem rejicit, si fortè nonnulla ab aliis prætermissa exhibeant. De mss. codicibus superiùs satis dictum : nunc paucis agendum de uno aut altero Gregorii loco, quos Cointius in libris posterioribus ex ipsis rebus quæ narrantur, interpolatos esse contendit.

S. Salvii Historia defenditur.

118. Primus, et quidem celebris satis, locus est de sancto Salvio Albigensium Episcopo, cujus vitæ compendium, admirabilem visionem, et obitum describit noster Gregorius initio libri septimi. Sed hunc locum ad interpolatore additum censet Cointius, non solùm quòd in codice Mettensi desideretur, verùm etiam quòd, eo admisso, contrarius sibi ipsi dicendus esset Gregorius, quippe qui Salvii mortem anno DLXXXIX. hîc consignarit, quam libro 8. capite 22. anno sequenti contigisse scripsisset. Idem auctor ad annum DCLXXXVI. ubi de Salvio Ambianensi Episcopo agit, *Impudentiam* interpolatori, uti vocat, Gregoriano affingere non veretur, eum asserens *mendacem et perjurum*, qui interposito sacramento juraverit, ea quæ sub Gregorii nomine intrudere audet, ab ipso Salvio Albigensi se didicisse; quamvis hæc ipsa ex gestis alterius Salvii excerpserit, qui Ambianensium antistes fuit sæculo sequenti. Hæc ille : sed hæc argumenta nullius esse roboris absque negotio demonstrari potest. Nam primò codicum auctoritas nobis omninò favet, ut jam sæpè diximus, cùm multos integros, optimæ notæ, et majoris

antiquitatis, unico Cointiano mutilato, scriptoris incuria vitiato, et sequioris ævi, opponamus. Deinde nulla est apud Gregorium inter caput 1. libri 7. et caput 22. libri sequentis oppositio. Licèt enim primo loco dixerit Salvium *hoc anno*, id est DLXXXIV. obiisse, et altera *post obitum Salvii hoc anno*, id est DLXXXV. Desideratum Albigensibus Episcopum fuisse datum ; nihil sanè aliud ex istis duobus capitibus inter se collatis colligi potest, quàm Salvium anno DLXXXIV. et quidem mense Septembri excessisse è vivis, successoremque sequenti anno, id est post aliquot menses, habuisse Desideratum : quæ an secum pugnent, æquis lectoribus judicandum permitto. Certè etsi paulò ampliùs fuisset inter utrumque temporis intervallum, non tamen improbanda foret Gregorii narratio, cùm verisimile sit post Salvii obitum aliquas turbas de substituendo illi successore exortas fuisse : qua occasione nonnulli sedem Albigensem à Theotfrido nescio quo occupatam fuisse scribunt. Nulla itaque est apud Gregorium, etiam admisso inter ejus opera sincera capite 1. libri 7. contradictio. At, inquit vir doctus, Interpolator quisquis ille fuerit, multa ex gestis sancti Salvii Ambianensis Episcopi, Gregorio quidem multò posterioris, in ejus Historiæ textum intrusit. Verùm tota ruet illa Cointii objectio, si Salvii Ambianensis gesta ex Gregorii textu ut plurimùm consarcinata esse, non verò ex istis gestis Gregorio aliquid superadditum fuisse demonstremus : quod certè haud operosum fuerit facta inter utrumque comparatione. Gregorii narratio nullam prorsùs in se involvit contradictionem, nihil habet quod à teste oculato et scriptore æquali dici non potuerit. Multa è contrario complectitur, quæ, ipso fatente Cointio, ita Salvio Albigensi propria sunt ut alteri Salvio absque errore tribui non possint. Auctor ille Deum testem invocat, se vera scribere, quæ nempe à se visa fuerant, aut ab ipso Salvio accepta : proindeque perjurus et gravissimi criminis reus censeri debet, si falsa dixerit. Quod sanè absque maxima et evidenti causa de quoquam ne quidem cogitare licet : immò hæc omnia narrationem arguunt veram et sinceram. Adde quòd ibi Gregorii genius et stylus, ejusque loquendi modi genuini occurrant. E contrario verò Gesta, quæ Salvii Ambianensis nomen præferunt, ab auctore consarcinata sunt rerum ignaro, qui Episcoporum Ambianensium seriem ignoravit, tempora perturbavit, falsa retulit, resque à nostro Salvio Albigensi certissimè gestas, ipso indicante Cointio, suo Salvio temerè adscripsit. Ipse enim Salvium Honorato successisse scripsit : inter utrumque tamen ipse Cointius quatuor Episcopos intercessisse fatetur. Honoratum Theodorico monarchæ synchronum facit, contra Cointii ipsius calculum, qui annum DLXXX. Honorati extremum fuisse contendit, et Theodoricum nonnisi post annos centum monarchiam Francorum obtinuisse scribit, cujus decimo-tertio regni anno Salvius in thronum Ambianensium conscendit. Deinde idem auctor narrat Mummolum Patricium, capta civitate et dirutis muris, multos captivos in Hispaniam transmisisse, qui Salvio, jubente Rege, redditi fuerunt. At hæc ut de Ambianorum civitate, aut de Salvio ejus Episcopo dici possint, vetant temporum, personarum et locorum circumstantiæ : quæ omnia optimè congruunt, si de civitate Albigensi intelligantur, quam certum est, sancto Salvio vivente, à Mummolo occupatam fuisse, ut post Gregorium nostrum scripsit ipse Cointius : unde fateri cogitur, suum illum auctorem nonnulla ex gestis Salvii Albigensis in Ambianensis acta transtulisse. Si itaque Salvii Ambianensis vitæ scriptor, fatente Cointio, nonnulla ex gestis Salvii Albigensis suo Salvio tribuisse convincitur ; aut malæ fidei reus, aut certè, quod lubentiùs crediderim, homo ignarus fuerit necesse est ; ut qui Regum Episcoporumque series ac tempora perturbaverit, civitates ex una in alteram provinciam transtulerit, denique omnia susdeque verterit, ut vitam sui Salvii fabricaret. Jam testes appello quotquot hunc locum legerint, an talis auctor præferri debeat scriptori capitis 1. libri 7, Gregorianæ Historiæ, qui Salvii Albigensis res gestas modo irreprehensibili, servatis Historiæ legibus, conscripsit. De visione Salvio ostensa, quæ fortasse nonnullis displicebit, nihil diximus, quòd eam re vera contigisse, Salvio Albianensi an Albigensi, parum refert, Cointius admiserit. Tales autem, quas homines sancti sive intra corpus, sive extra corpus constituti, ut loquitur de se Apostolus, habuerunt, passim suis temporibus contigisse memorant testes omni exceptione majores, Augustinus in libro de cura pro mortuis, Gregorius-Magnus, Scriptor passionis SS. Perpetuæ et Felicitatis, et alii passim magni nominis auctores.

119. Superest ut aliquid de Gregorianæ Historiæ epilogo dicamus, quem partim

Gregorii Historiæ epilogus.

rejicit Cointius, partim pro libito admittit. Illum nempe tres in partes secat : primam his verbis *inlibita permaneant* concludit, quam, quòd in codice sancti Michaëlis habeatur, admittit, sicut et secundam, licèt in Michaëlino codice desideretur, quòd, inquit, Gregorius in Historiæ prologo opera sua versu describi permiserit, nihilque aliud habeatur in ista epilogi parte, quàm quæ ex prologo fieri potuerunt. At tertiam partem ubi variæ habentur computationes, planè respuit, quòd non satis, ut illi videtur, computo Gregoriano concordet. Qua in re nec codicum mss. auctoritatem curat, in quibus eædem ipsæ computationes habentur ad calcem libri 4. etiam in codice Corbeiensi : nec audiendos esse censet eos, qui nostri Gregorii vitam ex ejus scriptis collegerunt, quibus, fatente Cointio, etiam hæc tertia epilogi pars nota fuit. Nempe ut hæc omnia refellat, unicum ei sufficit argumentum, computationum nempe istarum discordia : quod tamen solum sufficiens esse nemo dixerit ad elevandam alicujus operis auctoritatem, multis aliunde et propemodùm certis rationibus suffulti. Quis enim nesciat in ejusmodi computationibus non solùm plerosque medii ævi auctores à vero aberrasse, sed etiam illorum erroribus alios errores ab amanuensibus fuisse ut plurimùm superadditos, vel propria eorum incuria, vel quòd nimium sibi ipsis fidentes veterum computa emendare voluerint? Hinc in exhibendis ejusmodi numeris tot sunt ferè lectiones variæ, quot sunt codices; idque non in Gregorii solùm operibus, sed et in aliis optimæ notæ auctoribus, quos tamen ob id nec falsos nec interpolatos ullus hactenùs habuit : quod sexcentis exemplis à Cointio ipso allatis facile esset demonstrare.

120. Jam tempus est ut finem imponamus huic discussioni, quam nonnulli fortasse prolixiorem esse conquerentur. At necessarium fuit hanc paulò accuratiùs prosequi, in qua agebatur de rejicienda aut recipienda unicæ nostræ gentis Historiæ non contemnenda parte, quam Gregorio abjudicandam vir inter eruditos clarissimus censebat; nos verò sincerum ipsius esse fetum propugnamus. Quod à me non disceptandi animo susceptum esse omnibus persuasum esse vèlim : non quòd mihi aliquid superbè arrogem, qui cum tanto viro disputare voluerim : sed id factum solius veritatis studio et amore, ad asserendam et propugnandam ejus auctoris operum integritatem, quem restituendum et illustrandum susceperam. Quæ res etiam ipsi Cointio, cujus memoriam impensè veneror, utpotè sincero veritatis amatori, haud ingrata fuisset, cùm in istam opinionem ob codicum manuscriptorum, quos nonnisi mancos et imperfectos habuit, auctoritatem abierit, facilè in contrariam concessurus sententiam, si aliorum codicum, et numero et integritate et auctoritate magis præstantium, in recognoscenda Gregoriana Historia adjutus fuisset.

IV.

Quid in hac editione sit præstitum.

121. Jam itaque præfationis nostræ quartam partem attigimus, in qua ratio reddenda est eorum, quæ in hac nova Gregorianorum operum editione à nobis præstita sunt. Gregorii opera per partes discissa, et cum variis variorum auctorum operibus permixta in unum volumen collegimus. Ea verò ex infinitis propemodùm mendis, quæ vel ex codicum aut editionum vitio, vel ex qualibet alia causa passim in textum irrepserant, expurgare codicum manuscriptorum ope conati sumus, et re ipsa, uti legentibus patebit, plurimùm expurgavimus. Deinde nonnulla de novo addidimus, et aliquot capitula quæ in prioribus editis indicabantur quidem, sed tamen inveniri nondùm potuerant, ex fide quorumdam exemplarium supplevimus. Ad hæc Gregorianæ Historiæ integritatem, qua pœnè ob aliquot codicum defectus apud nonnullos eruditos viros exciderat, codicum melioris notæ, et minimè suspectorum auctoritate, aliisque argumentis asseruimus. Prætereà (a) notas marginales addidimus, quæ varias lectiones manuscriptorum codicum, aut veterum et novarum editionum exhibent, tempora rerum gestarum indicant, res ipsas illustrant, locorum situs describunt, personarumque notitiam suppeditant, laudatis etiam, aut adductis, cùm opus est, aliorum auctorum locis.....

Codd. mss. quibus emendata est Greg. Hist.

122. Et primò quidem Historiæ libros contulimus ad codices duos venerandæ antiquitatis, quos nempè haud multò post Gregorii nostri ætatem exaratos fuisse consentiunt viri, quotquot eos inspexerunt, eruditi. Pertinuerunt olim ad Antonium

(a) Notas, quas ad calcem rejecerat Ruinartius, suis locis restituimus. Nostras aut aliorum, asterisco distinximus.

Oyselium Bellovacum, virum de re litteraria bene meritum, ex quo ad V. Cl. Claudium Jolium Cantorem et Canonicum Ecclesiæ Parisiensis, ejus ex filia nepotem, pervenerunt, cujus venerabilis et sapientissimi senis beneficio, illos vetustissimos codices commodè et cum otio inspiciendi ac revolvendi, adeòque domum asportandi, quamdiu libuit, facultatem habuimus. Prior eorum qui, ut accepimus, et indicat non semel ad oram libri apposita hæc inscriptio, *Ecclesiæ sancti Petri Bellovacensis*, olim in majoris Bellovacorum Ecclesiæ bibliotheca asservabatur, in membranis elegantissimè scriptus est litteris grandibus Romanis, quas vulgò unciales sive majusculas appellant; at ita imbre, situ aut mucore corruptus, aut vetustate exesus est, ut multis in locis imperfectus sit. Initio et fine caret ob avulsa è codice aliquot folia. Incipit à media parte capitis 2. libri 2. desinitque in libri 5. capite 15. quod vulgatarum editionum capiti 23. respondet. Alter codex qui, ut testatur ejus inscriptio, celebris monasterii Corbeiensis in agro Ambianensi olim fuit, ætate posterior censeri non debet. Exceptis titulis et aliquot librorum initiis, quæ majusculis et Romanis characteribus descripta sunt, *litteris*, ut loquitur Valesius, *planè barbaris mediocrisque magnitudinis scriptus est, ita inter se connexis, et per quædam notarum compendia pluribus expressis, ut ferè lectori sit divinandum* : quæ, uti conjicio, legendi difficultas Andream Chesnium ita deterruit, ut codicem hunc à se visum testetur, sed collatum non dicat. Et quidem pauca quæ de eo habet, à codice ita aliena sunt, ut nec illum ab eo visum fuisse facilè diceres. Codex tamen integer est, inlibataque perseveravit scriptura, cujus legendi difficultas me à labore ita non deterruit, ut ne de verbo ad verbum ipsum cum editis integrum conferrem. Scriptus est litteris, quas vulgò Merovingicas seu Francogallicas appellamus; cujus si characteres, ut re ipsa exarati sunt, quis videre voluerit, adeat librum de re Diplomatica à nostro Mabillonio editum, ibique libro 4. pag. 349. eorum specimen ex ipso codice æri incisum videre poterit.

Duos alios codices habuimus è Colbertina bibliotheca, quos, quia olim ad Cl. Thuanum pertinuere, Thuaneos Chesnius et Valesius appellare solent. Maluit Cointius unum ex his sancti Michaëlis codicem dicere, quòd, ut indicat inscriptio, in aliquo hujus nominis monasterio, scriptus fuerit; et alterum sancti Arnulfi, seu Mettensem ex percelebri monasterio, ad quod olim pertinuit. Prior ab annis circiter 700. scriptus videtur, veteri charactere ac sine ulla capitum distinctione, quamquam eorum indiculus singulis præmittatur libris; at detractis ex ipso codice decem prioribus quaternionibus, nonnisi à media capitis 17. parte libri sexti initium ducit. Alter annis circiter centum posterior, initio quoque caret ex vitio codicis, qui imperfectus est : quippe qui capite 7. libri 2. incipit. At plura scriptoris sive incuria, sive consilio, passim desunt capita : nonnulla verò habentur altera manu addita, immò et passim interlineares lectiones variæ occurrunt, seu etiam vocum expositiones, quæ aut ex alio codice, aut certè ab ipso exscriptore superadditæ fuerunt. Denique librum nonum et decimum, seu potiùs utriusque aliquot capitula, in unum librum consarcinat sub noni libri titulo, et Fredegarii Chronicum Gregorii librum decimum nuncupat, ut jam suprà à nobis observatum est.

E Regia bibliotheca unicum Gregorianæ Historiæ codicem habuimus, ab annis circiter 500. scriptum, qui olim, uti inscribitur, fuit *sanctæ Mariæ in Ottemburg diœcesis Maguntinæ*. Nusquam Gregorii nomen exhibet : habet tamen ejus præfationem, sed multa passim omittit capita : quod data opera factum fuisse probant indices libris singulis præfixi. Index nempe primi libri viginti solummodò et sex capita exhibet; et tamen multò plura in ipso libro habentur : ultimum nempe est quadragesimum, quod editorum trigesimo octavo respondet. Index libri 2. recenset capita 32. in libro verò ipso numerantur 36. præter alia quibus nullus præfigitur titulus. Index libri 4. habet capita 35. cum eorum summariis; et tamen ipse liber desinit in media parte capitis 11. editorum 16. nec codex est mutilus aut imperfectus, sed proximè post Gregorium sequitur Chronicum Regionis eadem manu exaratum. Hi autem sunt quinque codices quos consuluit Cointius : unde meritò conqueritur vir eruditus, nonnisi codices imperfectos Gregorianæ Historiæ à se visos fuisse.

123. Sextus itaque codex ad quem Gregorii opera contulimus, est monasterii Beccensis in Normannia, ab annis ferè 700. exaratus. Nihil in eo penitùs desideratur præter primam Gregorii præfationem : scriptura plana est et æqualis atque optimæ notæ. Septimum habuimus ex monasterio Regiimontis in diœcesi Bello-

vacensi Ordinis Cisterciensis, qui omnes omninò Gregorii Historiæ libros complectitur, præter aliquot ultimi libri extrema capita, quæ, avulsis aliquot è codice foliis, desunt. Vidimus octavum codicem in bibliotheca Vindocinensi chartaceum, et ceteris recentiorem, utpotè qui annos 200. superare non videtur : continet solummodò quinque priores libros, sed omninò integros, excepta Gregorii prima præfatione. Libro 5. subjunguntur capitula libri 6. at librum ipsum se habere non potuisse conqueritur scriptor, testaturque *opus* esse *dignissimum, pro scribentis simul et materiæ dignitate.*

Codices Italici.

124. Nec satis fuit Gallicanos codices evolvere; visum est etiam consulere Italicos : qua in re suppetias nobis attulit R. P. D. Claudius Stephanotius, Congregationis nostræ in Curia Romana procurator generalis, qui varias lectiones, aliaque ad rem nostram conducentia, pro suo more liberaliter ex urbe Roma transmisit. Primus ex codicibus Italicis, cujus notitiam et lectiones varias accepimus, is ipse est Casinensis, quem in Sacro-Monte à se et suo socio Michaële Germano visum laudat noster Mabillonius Itineris Italici pag. 123. *Gregorii Turonensis Historiam, quæ in nonnullis ab editis differt.* Has differentias cum quatuor capitibus, quæ anteà solo titulo nota erant, suis locis damus. Huic addendi duo codices ex Gallia in Italiam à Christina Sueciæ Regina transportari, quorum noster Stephanotius copiam habuit. Prior, qui sæculo decimo scriptus fuit, et quidem, uti videtur, in monasterio sancti Launomari Blesensis, hodie servatur in Vaticana bibliotheca, ex dono Alexandri VIII. totamque Historiam complectitur, exceptis præfatione, et ultimo libri 10. capite. Desunt etiam quædam in quarto libro, ex Amanuensis oscitantia, qui aliquot paginas vacuas reliquit; et alia pauca, quæ avulso uno aut altero folio desiderantur. Alter codex, qui olim ad monasterium Floriacense pertinuit, habetur in bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Ottoboni; cujus beneficio hunc codicem et alia, quæcumque nobis necessaria fuerunt, suppeditavit V. Cl. Franciscus Blanchinus, qui Eminentissimi Cardinalis in rem litterariam studio ultrò obsecundans, nullam occasionem prætermittit nostris nostrorumque studiis suppetias afferendi. Ultimum denique ex bibliotheca Vaticana-Palatina commodavit Illust. D. Laurentius de Zaccagnis primus Vaticanæ bibliothecæ præfectus, ob edita opera viris omnibus litteratis notus, nobis verò prætereà ob liberalem in studia nostra animum plurimùm commendandus. In hoc autem codice, olim monasterii sancti Nazarii Laureshamensis, qui ab annis circiter 800. scriptus videtur, multa desunt passim capitula, id est ea omninò eadem, quæ suprà in Thuaneo seu Colbertino desiderari observavimus. Ibi et liber nonus cum decimo confunditur, et Fredegarii Chronicum sub titulo libri decimi Historiæ Gregorianæ repræsentatur. Nihil verò ea de re in priorum librorum Notis marginalibus ad Gregorii textum observavimus, quod hujus codicis notitiam nondùm tunc Roma acceperamus. Similis huic esse videtur codex monasterii sancti Trudonis in Hasbania, in quo, uti observat Godefridus Henschenius in præmissis ad Vitam sancti Sigiberti, multa capitula desunt. Ceterùm plures alios codices vidimus, et quidem antiquissimos, qui nonnulla Gregorii Historiæ fragmenta sub variis titulis complectuntur : sed eos suo loco, si fortè aliquid observatione dignum in eis occurrerit, aut in indice mss. codicum inferiùs laudare sufficiat.

Annus quo S. Martinus obiit.

125. Ea porrò fragmenta haud esse contemnenda nemo dixerit, cùm è contrario multùm valeant ad confirmandum germanum Gregorii textum. Cùm enim excerpta sint ut in Officiis publicis legerentur, tot sunt rerum veritatis quæ in eis narrantur testes, quot fuerunt Ecclesiæ, quæ ea in lectionibus Officii divini adoptarunt. Hinc cùm in plerisque ejusmodi fragmentis *sermo de transitu sancti Martini* inveniatur inscriptus, in iisque omnibus sanctus antistes *Attico et Cæsario Consulibus* ad superos abiisse constanter dicatur, sicut habent omnes omninò tam editi, quàm scripti codices Historiæ Gregorianæ; quis inficiabitur hanc esse veram et sinceram Gregorii lectionem, quam ab annis plusquàm 900. variæ Ecclesiæ adhibuerunt? Codices enim præter ceteros vidimus duos ejus antiquitatis, unum scilicet ex Corbeiensi bibliotheca, alterum in archivis Ecclesiæ Cathedralis Andegavensis, characteribus ferè Merovingicis sæculo octavo labente exaratos. Unde licèt in Notis ad istum Gregorii locum satis nobis visum fuerit textum auctoritate mss. omnium confirmare, remque de cetero circa extremum sancti Martini annum, quem alii aliis annis assignant, iu medio relinquere; expensis tamen posteà diligentiùs Gregorii locis, hoc certum esse existimavimus, Martinum juxta Gregorii mentem *Attico*

et

et Cæsario consulibus excessisse è vita, proindeque anno vulgaris æræ CCCXCII. quo constat Atticum et Cæsarium consules fuisse. Id quippe repetit Gregorius in libro de Miraculis sancti Martini, hancque epocham aliis characteribus chronologicis confirmat, cùm sanctum Martinum obiisse scribit *secundo Honorii Imperatoris anno,* qui etiam anno CCCXCVII. respondet; et cùm Perpetuum sexagesimo-quarto post Martini obitum anno in thronum Turonensem subiisse commemorat: quod sanè verum non esset, si ultra annum prædictum Martini exitus differetur; siquidem perpetuus anno CCCCLXI. Turonensi Concilio præfuit. Cetera argumenta prætermitto, quæ apud auctores vulgatos habentur. At, inquies, Gregorius in Miraculorum libris annos ab exitu sancti Martini ad suum usque tempus, id est ad annum Childeberti Regis currentem, quo scribebat semel et iterùm computans, manifestè indicat Martinum anno CCCC. ad cœlos convolasse. Fateor hanc fuisse Gregorii mentem si huic ejus computo stemus, quod secuti sunt non pauci sequiorum ac recentiorum temporum auctores. Ex his Albericus Trium-Fontium in Campania monachus quovis periculo id se probaturum recipit, adhibetque inter alia duo illa Gregorii argumenta, tum ab Attici et Cæsarii consulatu, tum à secundo anno Honorii Imperatoris, quod utrumque ad annum CCCC. æræ Christianæ revocat. At certum est utrumque anno CCCXCVII. convenire, standumque potiùs notæ chronologicæ à prædicto consulatu et secundo Honorii anno petitæ, quàm alteri à Gregorio prolatæ ab annis regni Childeberti. Longè enim certior et exploratior est prior illa computandi ratio à consulatu, quam à Gregorio adinventam esse nequaquam verisimile est, sed potiùs ex antiquis Ecclesiæ suæ aliisve publicis monumentis ab eo desumtam. Hanc verò consulatûs notam ubi cum annis Regum voluit comparare, facilè errare potuit in illa temporum obscuritate; cum hodie quoque in hac eruditorum luce hæc concordia non sine negotio iniri possit. Cùm itaque in alterutro aberraverit Gregorius, haudquaquam in assignando consulatu aberrasse censendus est; adeòque credere non dubitem, sancti Martini obitum statuendum esse anno CCCXCVII. cui consulatum Attici et Cæsarii convenire recepta sententia est inter eruditos. Sed jam præfationem prosequamur. [*Prætermittuntur Numeri* 126 *et* 127.]

Editi codices.

128. Nec minori cura varias Gregorii operum editiones inquisivimus et evolvimus, cùm certum sit ex ejusmodi libris inter se collatis nonnunquam multa haberi posse ad illustranda veterum auctorum opera. Omnium autem prior Gregorii editio, quam quidem noverimus, Parisiis in lucem prodiit anno 1511. ex Johannis-Parvi officina, curis Hieronymi Clicthovei Neoportuensis, qui illam Guillelmo-Parvo nuncupavit. Complectitur autem, præmissa Gregorii nostri Vita, libros duos de Gloria Martyrum et quatuor de virtutibus sancti Martini cum epistola de septem Dormientibus, quæ epistola in aliis etiam editis Gregorio nostro tribuitur. Anno sequenti reliqua ejusdem auctoris opera, ipso curante Guillelmo-Parvo, qui tunc à confessionibus Ludovici XII. Regis erat, edita sunt typis Jodoci Badii.

129. Anno 1561. Guillelmus Morelius Regis typographus novam Gregorii editionem aggressus est, cujus curis Historia Gregorii lucem adspexit, ad codicem ms. bibliothecæ sancti Martini Turonensis, ut ipse testatur, emendata; additis etiam ad calcem nonnullis variis lectionibus. Idem posteà Morelius anno 1563. alio volumine libros duos de Gloria Martyrum, et librum de Gloria Confessorum publici juris fecit ex vetustis, uti ait, et mss. codicibus.

130. Haud multò post, Gregorii editio in Germania primùm visa est quam Mathias Flaccus Illyricus, ad veterem codicem sancti Nazarii in *Lorischem* se adornasse testatur. Prodiit Basileæ apud Petrum-Pernam non anno 1558. ut mendosè prima pagina habet, sed anno 1568. ut ex epistola nuncupatoria colligitur : et quidem typographus in fine libri Morelii editionem laudat, quæ anno 1561. in lucem prodiit. Eodem sæculo septem, id est omnes, exceptis Vitis Patrum, Miraculorum libri Coloniæ editi sunt anno 1583. typis Materni Cholinii.

131. Eodem anno 1583. R. Laurentius de la Barre collectionem veterum auctorum sub titulo Historiæ Christianæ veterum Patrum edidit Parisiis apud Michaëlem Sonnium, in qua inter alia opuscula Gregorii nostri Historiam inseruit, cum tribus Miraculorum libris, id est duos de Gloria Martyrum, et librum de Gloria Confessorum. At sexennio posteà, id est anno 1589. Margarinus de la Bigne, doctor Parisiensis è Societate Sorbonica, Bibliothecam sanctorum Patrum priore,

quam ante aliquot annos curaverat, multò ampliorem edidit, in qua inseruit omnia Gregorii nostri opera, quæ exinde in sequentibus Bibliothecæ Patrum editionibus, Doctorum scilicet Coloniensium anno 1618. et Lugdunensi anno 1677. locum habuerunt.

132. Decimo currentis hujus decimi-septimi sæculi anno duæ iterùm Gregorianæ Historiæ editiones prodierunt Parisiis, una Latinè ex Laurentii Bochelli bibliotheca, cum variis lectionibus ex ms. Oiseliano et aliis ejusdem Bochelli membranis, ad libri calcem adjunctis : altera verò Gallicè, ex versione Claudii Boneti Delphinatis; quam editionem curavit V. C. *d'Hemery d'Amboise* libellorum supplicum magister, præmisso Gregorii Historiæ prolixo procœmio, in quo potissimùm ejus auctoris ad confutandos novorum hæreticorum errores utilitatem demonstrat. Has anno 1611. secuta est Marquardi Freheri editio, ad codicem Palatinæ bibliothecæ adornata, in Historicorum Franciæ collectione, quam Hanoviæ typis Wechelianis fieri curavit. Denique Andreas Duchesne, vir eruditione celebris et de gentis nostræ Historia bene meritus, nostro sæculo ineunte collectionem amplissimam omnium auctorum, qui de Francorum gente aliquid scripserunt, aggressus, primum ejus tomum anno 1636. edidit, in quo inter cetera diversorum auctorum opera Historiæ Gregorii ad quinque codices mss. exactæ principem locum concessit : quæ editio ceteris videtur esse accuratior et emendatior. Quadriennio posteà, anno scilicet 1640. Johannes Balesdens in senatu Parisiensi advocatus, octo Miraculorum libros cum historia septem Dormientium edidit Parisiis, quos libros à se ad codices mss. expurgatos et emendatos fuisse in præfatione testatur. Iis denique omnibus editionibus adjicenda est Gallicana, omnium omninò Gregorii operum lingua nostra donatorum, et notis illustratorum, quæ in lucem prodiit curis Michaëlis Morallii Abbatis Villalupensis, Parisiis ex Frederici Leonardi officina anno 1668. duobus voluminibus.

133. Hæ sunt Gregorii Turonensis operum variæ editiones, tum latinæ, tum gallicæ, quas videre licuit, quibusve cum mss. codicibus collatis ad hanc nostram adornandam usi fuimus. Præter hæc consuluimus etiam virorum illustrium opera, qui aut occasione data, aut ex professo Gregorii nostri libros, hoc potissimùm sæculo, illustrarunt. Celebris est inter alios Hadrianus Valesius, qui vitam suam pœnè totam in gentis nostræ Historia illustranda transegit : cujus tomi tres, quos rerum Francicarum Historiam nuncupavit, in lucem prodierunt. Haud minùs est utilis ejus Notitia Galliarum, antiquorum auctorum monumentis et testimoniis referta. Res Francorum, potissimùm ecclesiasticas, illustrandas suscepit Carolus Cointius Oratorii Gallicani Presbyter, quas septem tomis comprehendit sub Annalium Francorum titulo : octavum ex ejus schedis edidit V. CL. Gerardus *du Bois,* plures, si per vitam licuisset, uti sperabamus, daturus. Voces abstrusas et alia ejusmodi exposuit vir claræ memoriæ Carolus Fresnius Cangius in laudatissimo Glossario. Complura explanavit illustrissimus vir Hieronymus Bignonius in Notis ad Marculfi monachi formulas. Multa item illustravit et emendavit. V. CL. Stephanus Baluzius tum in capitularibus Regum, tum in aliis operibus, quæ summam ejus eruditionem testantur. Quæ verò ad ecclesiasticam disciplinam pertinent sub prima Regum nostrorum stirpe, ex Gregorii potissimùm operibus elucidavit Ludovicus Thomassinus. Multa item debemus Johanni Savaroni Claromontano, in patria subsidiorum Curia præsidi, qui passim in notis ad Apollinarem Sidonium et in Originibus Claromontanis Gregorii nostri opera laudat et illustrat. Neque omittendus est V. CL. Antonius Dadinus Alteserra in Tolosana Academia antecessor celeberrimus, qui notas et observationes in Gregorii Turonensis Historiam et Fredegarii Chronicum in singulari opere edidit Tolosæ anno 1679. Quantùm autem prodesse possit in Gregorio illustrando D. Johannis Mabillonii insignis liber de re Diplomatica, nemo est qui nesciat, si vel semel egregium illud opus evolverit : sed plura vetat dicere optimi Magistri mei modestia, qui et in Liturgia Gallicana, aliisque in suis elucubrationibus gentis nostræ historiam et antiquos mores ex Gregorii verbis plurimùm commendavit. Ei, si quid in hac editione, aut in aliis opellis meis, utile occurrat rei litterariæ, totum me debere profiteor. Ceteros verò auctores, singillatim non recensebo : laudantur enim quique suis locis. Nunc de Fredegario paucis dicendum.

V.

De Fredegario et ejus operibus.

134. Quis Fredegarius fuerit difficile est dicere, cùm ne quidem ejus nomen certum habeatur. Fredegarius tamen vulgò dicitur, et sub eo nomine laudatur passim : sed unde, viri eruditi hoc sibi incompertum esse fatentur. Hoc quippe nomen ne unicus quidem codex, qui scilicet notus sit, præfert. Immò laudat Hadrianus Valesius codicem unum, qui Fredegarii vulgati opera alteri, nempe *Idatio* cuidam, tribuit : sed eis codex alius non est à Sirmondiano, in quo *Adatii* quidem nomen occurrit, sed ducentis circiter annis exaratum post codicem scriptum, id est sæculo circiter nono, ut ex characteris forma æstimare licet. Titulus autem ille à nescio quo codici additus, sic habet, *Breviarium scarpsum ex Chronica Eusebii, Hieronymi, aliorumque auctorum à quodam Adatio :* cui scriptori, quisquis ille fuerit, fucum fecit, ut ipse quoque Valesius observat, Idatii Chronicum, quod Fredegarii collectionis partem constituit, cum epistola ipsi præmissa sub *Udacii* seu *Idacii* nomine, in qua ille se superiùs scripta ex Eusebio et Hieronymo collegisse profitetur ; sequentia verò à se exposita fuisse. At hæc dicta erant ab Idatio de suo Chronico, quod in Fredegarii collectione locum habet : quæ tamen posterus scriptor ad totam collectionem extendit. Nec aliud ex Rigordo deduci potest, qui in Philippi Augusti Vita generationes Regum se comprobasse scribit *secundum Chronicas Idacii et Gregorii Turonensis :* idque ex ipsius Rigordi scriptis facilè comprobatur. Ipse enim paulò superiùs de Francorum origine tractans, ait se ea de re sollicitè inquisivisse *ex Historia Gregorii Turonensis, et ex Chronicis Eusebii, et ex Chronicis Idatii, et ex aliorum multorum scriptis :* tum ea refert quæ de Francorum ex Trojanis origine, et alia quæ in Fredegarii collectione partim sub Eusebii seu Hieronymi nomine, partim sub aliis titulis habentur. At Idatium à Fredegario, seu ab auctore collectionis quæ sub Fredegarii nomine habetur, alium esse unico hoc argumento evinci potest. Qui in sua præfatione se Idatium sequi profitetur, ejusque opera non semel laudat, immò et Chronici ipsius epitomen facit; quique Gregorium et Isidorum auctores Idatio posteriores in epitomen redactos suæ collectioni inseruit, hic procul dubio ad Idatio distinguendus est. Hæc autem omnia præstat collectionis auctor, ut ejus scripta testantur, et ipse in præfatione Chronici declarat. *Itaque*, inquit, *beati Hieronymi, Idatii et cujusdam sapientis seu et Isidori, immòque et Gregorii Chronicas à mundi origine diligentissimè percurrens, usque decedente regno Guntchramni, his quinque Chronicis hujus libelli..... inserui.* Si quis verò Idacium seu Adacium aliquem introducere voluerit hujus collectionis auctorem, alium ab Idatio Chronici scriptore, qui Gregorio nostro ætate posterior fuerit; proferat argumenta ad id evincendum sufficientia, nosque ei ultrò subscribemus. Interim virorum eruditorum vestigiis adhærentes, collectorem nostrum Fredegarium scholasticum appellare pergemus, maximè cùm absque aliqua gravi ratione putandum non sit hoc ei nomen temerè tributum fuisse à viris eruditis, quos Josephus Scaliger innominatos laudat : ipse enim Scaliger et Marquardus Freherus primi sic eum appellasse inveniuntur.

Quis Fredegarius fuerit.

135. Fredegarium Burgundionem fuisse Valesius et Cointius censent : quibus facilè subscribimus, et quidem id ex ejus scriptis suaderi potest. In prioribus quippe suæ collectionis partibus Burgundionum in Gallias adventum narrat, nonnullaque haud contemnenda et singularia de hac gente habet, quæ nec apud Gregorium, nec apud alios auctores occurrunt. In Chronico autem, qui proprius illius est fetus, multò accuratiùs et fusiùs quàm cetera prosequitur ea, quæ ad Burgundiæ regnum spectant, et librum suum à Guntramni Burgundiæ Regis laudibus inchoat, multaque de ejus virtutibus subjungit, atque annorum seriem deducit ex Burgundiæ Regibus. Primò quippe res gestas per Guntramni annos designat; nec Childeberti annos recenset, priusquàm Guntramno defuncto successisset in Burgundiæ regnum : indeque omissis annis, quibus idem Childebertus regnaverat in Austrasia, annos ejus ab initio Burgundiæ regno computat. Sic post Childeberti mortem, posthabito Theodeberto Austrasiorum Rege, licèt natu-majori, annos Theoderici, cui obtigerat Burgundia, denotat : nec Chlotharii annos expressit, priusquàm extinctis Childeberti filiis Burgundiam accepisset. Eumdem patriam Aventicum habuisse suspicatur Valesius, ob singularia quædam hujus urbis, quæ ille fusiùs narrat.

Ejus patria.

Hæc enim urbs tunc ex Burgundia censebatur, quippe quæ primùm Helvetiorum caput fuerat, ut ex vetustis Notitiis patet, dein Transjurensibus attributa, tandem Burgundiæ regno accesserat. Transjurenses autem Duces memorat passim Fredegarius, eorumque gesta nonnunquam describit. Deinde Aventicæ urbis laudes fusè prosequitur: quam post repressam Germanorum rebellionem, ut ipse scribit, Flavius Vespasianus exædificari, seu potiùs restaurari jussit, et inchoatam Tito filio suo perficiendam commisit; quod cùm ille fuisset exsecutus *gloriosè, ornata et nobilissima in Gallia facta est,* Ejus denique cladem, quam Gallieni temporibus à Germanis est perpessa, unicus auctor enarrat.

Scripta. 136. Hujus auctoris ætas ex ipsius scriptis deducenda est : sed priùs scripta illius sincera ab adscititiis, et quidem codicum manuscriptorum auctoritate, secernenda sunt : quare quæ in singulis codicibus habeantur examinare juvat. Ex codicibus manuscriptis et editis liquet, Fredegarium, seu quemlibet alium, qui sub hoc nomine hodie notus est, auctorem, ex variis antiquorum excerptis collectionem historiarum fecisse, cui rerum tempore suo gestarum narrationem adjunxit. At cùm varia in variis codicibus opuscula hæc collectio complectatur, non adeò facile est ea, quæ à primo auctore collecta sunt, certò definire : quamquam illud omninò extra dubium esse videtur, Gregorii epitomen et Chronicum ei subjunctum sinceros esse hujus auctoris fetus; cùm hæc opuscula, et si Chronicum in aliis codicibus prolixius, in nonnullis verò brevius exstet, in omnibus omninò exemplaribus habeantur. De aliis ejus collectionis partibus dicendum.

Ex mss. codicibus. 137. Codex V. C. Jacobi Sirmondi, quem modò Claromontanum appellant, quòd in Parisiensi Ludovici-Magni collegio Claromontano adservetur, sæculo septimo scriptus, id est vivente collectionis auctore, primò chronologicum opus exhibet sub titulo *libri generationum*, à mundi creatione ad regnum Assyriorum : tum subjuguntur varii catalogi, nempe Romanorum Imperatorum ab Augusto ad Alexandrum, cognomento Severum, Regum Hebræorum, etc. subsequuntur annorum supputationes ab Adamo ad Christum natum : tum catalogus Romanorum Pontificum à sancto Petro ad Theodorum, qui manu paulò recentiori exinde continuatur ad Hadrianum I. Denique breve chronicum subjicitur à mundi exordio ad annum xxxi. Heraclii Imperatoris, atque hi catalogi et supputationes recensentur in indice, qui initio libri præfigitur. Hunc eumdem librum habet codex unus Canisii, minor ab eo dictus, et sic eum deinceps appellabimus, exceptis catalogis aliisque computis, quæ tamen omnia amanuensis vitio in illo codice omissa fuisse patet ex præfatione, in qua, sicut et in codice Sirmondi, auctor se inter multa dicturum pollicetur de ejusmodi rebus. Porro hic liber abest omnino à codicibus Canisiano majore et Boheriano, cujus loco hi exhibent libellum Quinti Julii Hilarionis, qui in Bibliotheca Patrum editus est.

138. Liber secundus Fredegarianæ collectionis sic absolutè in codice Sirmondi habetur, absque titulo alio, *Incipit capitolare Chronece Gironimi scarpsum.* Continet capita 62. à Nini regno usque ad Belisarii mortem. Hic idem omninò liber habetur in codice minore Canisiano sub hoc titulo, *Incipiunt capitula Chronicæ Jheronymi excarsum*, et in Boheriano, ubi *Incipiunt Chronecæ Hieronymi.* Sed in utroque codice interseritur *Historia Daretis Frigii de origine Francorum*, omninò fabulosa, alia tamen ab ea quam sub hujus auctoris nomine in codice ms. sancti Albini Andegavensis nuper vidimus. Porrò librum hunc codex minor Canisianus in duos partitur : primum appellat *librum II. generationum*, quem epistola Idatii concludit; alterum verò *librum Chronicæ tertium.*

139. Liber tertius titulo caret in omnibus omninò manuscriptis : sic absolutè incipit in codice Sirmondi, *Incipit præfatio Gregorii. Decedente, etc.* tum, *Incipit capetolares libri quarti, quod est scarpsum de Chronica Gregorii Episcopi Toronaci, in Christi nomine fiat.* Deinde *Caput* i. *de Chunis, etc.* Is liber est Historia Gregorii epitomata, quæ edita est. Error autem amanuensis esse videtur quod hîc *libri quarti*, loco *tertii* scripserit, ut ex præcedenti et subsequenti libro perspicuum fit : nisi hic error ex ejusdem scriptoris oscitantia processerit, qui incautè, nec satis attendens ad divisionem quam auctor in prioribus libris instituerat, libros sequentes modò secundum tertium, modò tertium quartum appellaverit. Et quidem juxta Canisiani minoris calculum re ipsa liber iste est quartus, cui consentit codex Ambrosianus apud Lambecium tomo 2. Bibliothecæ Vindobonensis laudatus, qui sic habet, *Incipit præfatio græca libri quarti.* At codex Boherianus, qui ad calcem præcedentis

libri habet, *Explicit liber primus*, isti quoque subjunxit, *Explicit liber secundus*. Initio autem præfixerat, *Incipit præfatio græca*. Tum, *Capitula libri, quod est excarpsum de Chronicis græcum Episc. Thoronacis. Incipit liber. Cùmque Vandali, etc.* Similem titulum exstitisse in minori Canisiano ex eo colligimus, quòd ille pro suo more omisso capitulorum Indice titulum libro præfixerit : *Incipit præfatio libri quarti, excerptum de Chronica græca Thoromachi Episcopi*, existimans hunc librum excerptum fuisse et latinè donatum ab auctore sæculi noni ex Chronico Thoromaci cujusdam Episcopi Græci : quod falsum esse jam nemo nescit.

140. Post Gregorianæ Historiæ epitomen codex Canisianus minor habet Juliani Hilarionis librum, quem nonnulli codices, ut suprà observavimus, primo loco exhibent. In Boheriano verò codice proximè post epitomen sequitur Chronicum sub titulo *libri III. Chronecæ*. At codex Sirmondi habet, *Incipit prologus cujusdam sapientis*, quamquam nec ipse prologus, nec aliud quidquam ejus loco ibidem exstat, sed nullo spatio relicto exhibetur Fredegarii Chronicum præmisso hoc titulo, *Incipit capitularis Cronecæ libri quarti in Christi nomine*. At post capitum Indicem et prologum habet, *In nomine D. N. J. XI. incipit Chronica sexta. Gumtramnus, etc.* ut in editis ad mortem Flacoati relatam capite 90. quod caput Fredegariani Chronici ultimum esse infrà demonstrabimus, quamquam nonnulli alii codices plura habent. Nihil verò post illud Chronicum et ejus continuatores habent alii codices ; at Sirmondianus librum sequentem exhibet sic inscriptum : *In nomine Sanctæ-Trinitatis incipit liber III.* ΚΡΩΝΗΚΩΡΩΜ *sci. Esedori Episc. Primus ex Hsis. Julius Africanus sub Imperatore Marco Aurilio Antonio, etc.* In fine autem, *Explicit liber breviarium temporum à sancto Hesidoro collectum juxta Historiæ fidem ab initio mundi usque quadragensemo anno Chlotacharii Regis*. Et sic codex desinit.

Quæ ejus collectio.

141. Hæc porrò fusiùs persequi visum est, ut sincera Fredegarii opera perspecta habeantur. Inde enim colligimus, eum historicam collectionem ab ipso mundi exordio ad Guntramni ætatem ex variis auctorum Chronicis adornasse, cui posteà sui temporis historiam adjunxit. Id ipsum profitetur in præfatione Chronico præfixa : *Itaque*, inquit, *beati Hieronymi, Ydacii et cujusdam Sapientis seu et Isidori, immòque et Gregorii Chronicas à mundi origine percurrens usque decedente regno Guntchramni, his quinque Chronicis hujus libelli..... inserui. Transacto namque Gregorii volumine temporum gesta..... quæ posteà mihi fuerunt cognita..... legendo simul et audiendo, etiam videndo cuncta quæ certificatus cognovi, in hujus libelli volumine scribere non silui*. Hujus verò collectionis integræ unum et eumdem esse auctorem, præter præfationem et codices vetustos, probat ubique styli uniformitas, idem epitomatoris genius, sermo ubique æqualis et sibi similis, id est incultus planè ac barbarus, quoties auctor suo ore loquitur, nec verbis utitur alienis. Varietates verò illæ, quas in assignandis singulis libris codices etiam vetustissimi habent, ex amanuensium incuria, ut jam diximus, videntur processisse. Ceterùm etsi nullum scriptorem Hieronymo vetustiorem laudet ille auctor, ex quo suam collectionem consarcinaverit, antiquiores tamen excerpsisse res ab eo narratæ probant, cùm Julium Africanum, ex quo multa excerpsit Eusebius, Hieronymi, aut Eusebii quem Hieronymus continuavit, nomine comprehendisse extra dubium esse videatur. Quare antiquum aliquem auctorem alium ab Africano, qui tempore Alexandri Severi vixerit, ut visum est viris aliquot eruditis post Henricum Canisium et Marcum Welserum, admittere non videtur necessarium : quamquam præter Julium Africanum, alios quoque auctores græcos recentiores ab eo auctore collectos fuisse existimat Hadrianus Valesius. Id unum certi hac in re statui potest, hunc auctorem collectionem suam ex Hieronymi Chronico aliisque auctoribus, quos ex ejus præfatione laudavimus, potissimùm adornasse, admixtis tamen passim ex aliis auctoribus qui in ejus manus venerant, narrationibus.

Ætas.

142. Major esset, et quidem majoris momenti circa Collectoris ætatem difficultas, nisi jam à Valesio, Cointio et aliis viris eruditis illustrata fuisset. Etenim cùm Fredegarii Chronicum in variis codicibus ad varia tempora protendatur, mirum non est si non eadem omnium fuit de ejus auctoris ætate sententia. In plerisque editis, ubi sub libri XI. Historiæ Francorum, aut certè Appendicis ad Gregorii Historiam titulis exstat, usque ad Caroli Martelli mortem pertingit. Consentiunt codices tres scripti, qui illud, ut sæpè diximus, sub libri decimi Historiæ Gregorii Turonensis nomine repræsentant. Ii sunt codex Colbertinus, qui sub Thuanei nomine celebris est apud Cointium ; alter ex Vaticana bibliotheca ; et tertius,

si tamen à Vaticano distinguendus sit, Nazarianus ex bibliotheca Archi-palatina, quo se usum fuisse testatur Marquardus Freherus : quibus unus, nisi fallor, addendus est ex Canisianis. At cùm ipse Canisius in altero è suis codicibus Chronicum istud ad Pippini mortem usque porrectum invenisset, non solùm additionem istam tomo 2. lectionis antiquæ inseruit, sed etiam inde sumsit occasionem totum hoc Chronicum, immò et totam Fredegarii collectionem auctori anonymo tribuendi, qui sub Carolo Magno vixerit; atque eam sub hoc titulo re ipsa vulgavit : quem secutus Marquardus Freherus, Chronicum sub unico Fredegarii nomine ad idem tempus continuatum edidit. Verùm aliam iniit viam Andreas Chesnius, qui tomo 1. Historiæ Francicæ scriptorum idem Chronicum inseruit sub Fredegarii nomine, quod jubente Childebrando Pippini patruo scriptum fuit, et curante Nibelungo ejusdem Childebrandi filio ad Pippini mortem continuatum : quasi primarius scriptor Fredegarius Chronicum illud integrum Childebrandi jussu scripserit usque ad Pippini inaugurationem, ipsumque posteà aut idem Fredegarius, aut alius quivis ad ejusdem Regis obitum Nibelungo jubente protraxerit. At falsus est vir eruditus, deceptus inscriptione codicis Petaviani, quam dedimus columna 685. ex qua quidem Fredegarii Chronicum Childebrandi curis continuatum, aut certè continuatores in unum corpus redactos fuisse inferri poterat, non verò tunc primitus conscriptum. Fredegarium enim, vel quisquis est alius Chronici hujus auctor, Childebrando antiquiorem fuisse, et Chronicum suum anno DCLXI. conclusisse jam probarunt viri eruditi validissimis rationibus, quas nos hîc breviter perstringemus, additis aliquot argumentis, quæ rem, ut quidem mihi videtur, conficient.

Fredegarii Chronicum capp. 90. concluditur.

143. Fredegarii Chronicum ultrà annum Chlodovei junioris IV. id est vulgaris æræ DCXLI. non pertigisse, atque adeò in capite 90. desiisse evincitur ex codice Sirmondi seu Claromontano, qui circa istud tempus exaratus est : idque probatur non tantùm ex characteris quadrati forma et majusculis litteris, quibus scriptus est, verùm etiam ex illis rebus quæ in ipso continentur. Nam Catalogus Pontificum Romanorum, qui, ut suprà dicebamus, in primo collectionis libro insertus est, desinit in Theodoro, qui Romanæ Ecclesiæ ab anno DCXLII. ad DCXLIX. præfuit : sequentes autem Pontifices ad Hadrianum I. recensentur, sed alia, et quidem paulò recentiori manu. Consentit Imperatorum Romanorum series, quæ ad trigesimum-primum Heraclii imperii annum, id est ad vulgaris æræ DCXLI. deducitur, ac proinde ad ipsum Chlodovei junioris annum quartum, quo Chronicum terminari contendimus. Ad idem fermè tempus res Hispanicæ describuntur ex Isidori Chronico : cujus clausula, quam suprà ex eodem codice retulimus, annum XL. Chlotarii Regis indicat, id est Christi DCXXIII. Eadem codicis antiquitatem demonstrat vetus inscriptio, quæ in ultima pagina characteribus Merovingicis apposita est, sed fugientibus litteris ob vetustatem pœnè detrita, cujus reliquias hîc describere visum est. *Invenit Lucerios presbeter monacos dom..... tuma..... per ista croneca, et per alia croneca..... quod septaogenta anni sunt..... sus quod sextus miliarios d..... esse explitos compotavit ipsos annos in upen..... in indictione exsiente tertia d..... o quarto Dagoberto regnante.* Ex quibus fragmentis colligimus, Lucerium illum monachum annorum summam computasse *anno quarto Dagoberti, indictione* XIII. quod de Dagoberto, non primo sed tertio, quem alii secundum dicunt, haud dubiè intelligendum est, cujus annus quartus cum anno Christi DCCXV. coincidit : proindeque hoc ipso anno jam scriptus erat codex Claramontanus, id est priusquàm Fredegarii Chronicum continuaretur. Ceterùm eamdem inscriptionem in codice Claromontano, aut certè in altero simili viderat Philippus Labbeus, qui in epitome chronologica ad annum DCCXV. se vidisse testatur antiquum codicem manuscriptum, in quo Indictio XIII. mense Augusto cum anno quarto Dagoberti Regis composita erat.

144. Alia sunt insuper indicia non pauca, quæ sincerum Fredegarii Chronicum in capite 90. desinere haud obscurè insinuant. Nam et alii codices qui totam Fredegarii collectionem continent, etsi continuatores Chronico subjunctos exhibeant, quasdam tamen præferunt notas, quæ diversa esse opera innuunt. In his Boherianus codex spatium aliquot inter caput 90. et continuatores reliquit : quin et in capitum indice non plura quam 90. indicantur. Eadem habet Fredegarii editio à Marquardo Frehero adornata. Aimoinus plura non viderat, ut observat Henschenius in Vitam sancti Sigiberti tomo I. Februarii, ubi et laudat codicem Melchioris Goldasti ab annis circiter 600. conscriptum, in quo Chronicum Fredegarii

capitibus omninò 90. concluditur, apposita etiam vulgari clausula *explicit*, quæ opus perfectum indicat. Aliæ item sunt continuatorum à primo Chronici scriptore differentiæ. Fredegarius res gestas per annos Regum Burgundiæ digesserat, unamquamque suo loco et suo tempore referens. Ast qui primus post caput 90. continuavit, compluribus omissis, posthabita annorum et Regum serie, multa in unum congerit. Sigiberti gesta, quæ Fredegarius inchoarat, penitùs omittit, et ne unum quidem verbum de ejus obitu habet, aut de filii ejus Dagoberti fortuna, qui Grimoaldi factione in Scotiam transportatus, et posteà à regni proceribus revocatus, regnum paternum aliquandiu obtinuit : ad hæc annorum ferè centum res gestas magni momenti, quatuor aut quinque pagellis conclusit. Qui verò eum secuti sunt alii continuatores, suo quisque modo res gestas enarraverunt. Horum aliquos ex Austrasia fuisse probat maxima in Austrasiorum Reges et Principes propensio. Denique nihil de Langobardorum et Gotthorum Regibus, aliisque vicinarum gentium Principibus habent, quorum tamen seriem et insigniora facta referre solebat Fredegarius.

Ejus continuatores.

145. Cùm itaque constare debeat, sincerum Fredegarii Chronicum ultra capita 90. protendi non posse, visum est ipsum hac in nostra editione à suis continuatoribus, immò et ipsos continuatores diversos, qui anteà in unum confundebantur, ab invicem secernere. Quatuor in partes Chronici Fredegarii continuationem dividendam esse censemus, quod patet tum ex styli diversitate, tum ex alio et alio res gestas enarrandi modo, immò et ex scriptorum ætate, quæ nonnunquam indicatur. Pars prior caput 91. et quinque sequentia complectitur, minimæ omnium auctoritatis, utpote quæ post alias partes addita videtur à consarcinatore, ut hiatum, qui inter Fredegarii Chronicum et secundæ partis auctorem interjacebat, suppleret : ad id usus est ille auctoribus antiquis quidem, sed fabulosis : unde res ut plurimùm ab anno DCXLII. ad DCLXXX. quos complectitur, confusè referuntur. Secunda pars quæ incipit capite 97. desinit in media parte capitis 109. his verbis *Regnum Francorum :* cujus auctor res potissimùm in Austrasia gestas ab anno DCLXXX. ad DCCXXXVI. narrat, et quidem satis accuratè. Ætatem suam prodit capite 109. ubi annorum curricula replicans, se Kalendis ipsis Januarii anni DCCXXXV. scribere indicat, qui annus juxta nostrum computandi modum à Januario incipiens DCCXXXVI. censeri debet. Pars tertia à capite 109. ad 118. continuatur, id est ab eo tempore, quo prior desiit, ad Pippini Regis inaugurationem, quæ anno DCCLII. facta est. Hanc jussu Childebrandi ejusdem Regis patrui scriptam fuisse jam monuimus, ex veteri inscriptione ; unde etiam ab auctore æquali eam fuisse exaratam colligimus. Reliqua verò quæ sequuntur ad Pippini obitum, quo tota collectio absolvitur, jussu Nibelungi Childebrandi filii conscripta fuisse indicat eadem inscriptio. An verò idem ipse sit auctor, qui tum Childebrandi, tum Nibelungi jussu scripserit, ex inscriptione divinare non licet, nec rescire multùm interest. Is est forsitan ipse, qui has omnes continuationes in unum corpus redegit, adjuncta ex Gestis Francorum et Anonymo Dionysiano prima parte, ne inter Fredegarium et secundum continuatorem hiatus esset annorum triginta et novem. Certè id innuere videtur sæpè laudata inscriptio. Et quidem omnes has Chronicorum partes unum Historiæ corpus jam sæculo nono confecisse patet ex codice Jurensi, à Mannone ejus loci præposito sub exitum sæculi noni ad sancti Eugendi sepulcrum oblato, quo in codice hi omnes continuatores simul juncti exhibentur : sic etiam eos exhibent duo alii codices, Boherianus scilicet optimæ notæ ab annis 600. scriptus, et alter eorum, ex quibus Canisius editionem suam adornavit. Chronicum tamen Fredegarii seorsim à suis continuatoribus, immò et singulas continuationis partes sub suis quasque titulis edidimus, ne tot auctorum confusio lectoribus negotium aliquod facesseret. Ultimam (a) verò partem, quæ nulla hactenùs capitum divisione distincta fuit, in varia capitula ob legentium commodum partiri visum est.

Fredegarii ætas.

146. Ex his autem omnibus quæ diximus, Fredegarii ætatem colligere non admodùm difficile erit. Cùm enim Chronicum ejus anno DCXLI. concludatur, passimque, et potissimùm in præfatione, asseveret ea quæ audierat ipse et viderat, aut certè legerat, vel aliunde *certificatus* cognoverat se esse scripturum, nemo est qui inficiari possit eum sæculo septimo labente floruisse. Vitam quippe ad annum saltem DCLVIII. protraxisse colligimus ex capite 48. ubi Samonem quemdam negotiatorem Francum in Sclaviam abiisse memorat anno Chlotarii XL. id est æræ vulgaris

(a) Hanc ultimam partem inter Acta secundæ Regum Francorum stirpis rejecimus.

DCXXIII. ibique electum in Regem annos XXXV. imperasse. Ex his etiam quæ diximus de Fredegario, colligi debet, hunc auctorem magno in pretio apud viros eruditos habendum, utpote vetustissimum, oculatum et unicum, deficiente Gregorio, gentis nostræ Historiæ scriptorem. Unde si qui auctores fortè occurrant, qui eum ægrè laudatum voluere, vel de ejus collectionis prioribus libris intelligendi sunt, aut certè styli barbariem, modumque res enarrandi planè impolitum attenderunt, vel denique Chronicum ejus ad Pippini mortem usque pertigisse existimaverunt. Etenim si de sincero ejus Chronico agatur, quod, ut probavimus, ultra Flaocati mortem capite 90. relatam non protenditur, nemo est qui ipsum probare non debeat. Ita sentit Hadrianus Valesius, qui cùm primùm Chronici continuatores à Fredegario non distinxisset, styli ejus barbarie offensus, rerumque scriptarum brevitate, eum non modò indoctum pronuntiavit, sed etiam, utpote *linguæ latinæ grammaticæque ignarum ac planè barbarum usque ad fastidium et horrorem legentium*, exosum habuit. At postmodùm re attentiùs inspecta, cum codicis Sirmondiani ope Chronicum Fredegarii sincerum à ceteris secrevisset, in laudes statim Fredegarii erupit, rejectis in temporis vitium auctoris in dicendo et narrando barbarie et brevitate : *Fredegarius*, inquit, *ita est Historiæ nostræ necessarius, ut si tempora Chlotarii minoris, Dagoberti ac Chlodovei II. nota habere volumus, prorsùs eo carere non possimus.* Fatetur alibi nullum fuisse gentis nostræ historicum, qui ejus verba suos in commentarios non retulerit. Denique cum ad annum DCXLI. in Historia Rerum Francicarum pervenisset, Fredegario sibi deficiente sic conqueritur : *Fredegarius scholasticus nos in eo anno destituit, Historicus pro captu illorum temporum diligens, ut ætate, sic auctoritate Gregorio proximus, et in magna bonorum auctorum inopia utilis ac necessarius, nec usquequaque contemnendus, cujus brevitas, et cetera omnia vitia temporibus imputari debent.* Hæc ille, cui facilè subscribent quivis veterum rerum Francicarum sinceri amatores.

147. In emendando autem Fredegario, codicibus manuscriptis potissimùm quatuor usi fuimus. Primus ex illis, codex Jacobi Sirmondi vulgò appellatus, hodie in bibliotheca Collegii Parisiensis Societatis Jesu Ludovici Magni asservatur, quo nobis pro sua humanitate, quantùm libuit, utendum permisit R. P. Johannes Harduinus, eumque utpote auctoris ætate, ut suprà diximus, scriptum diligentissimè de verbo ad verbum contulimus. Secundum habuimus ex bibliotheca illustrissimi viri Boherii in Divionensi Senatu Præsidis infulati. Hunc codicem cum editis primùm contulit noster domnus Odo Clergerius Divione apud sanctum Benignum ; sed posteà ipsummet codicem coràm videre ac evolvere licuit, beneficio Cl. viri D. Boherii de Saviniaco, qui patris et avi in litteras amoris non minùs quàm ceterarum dotum successor, eum Parisios attulit, nobisque utendum commodavit. Tertium, qui in bibliotheca Colbertina asservatur, V. C. Stephano Baluzio humanissimè concedente accepimus. Quartum denique è Laureshamensi sancti Nazarii monasterio in Vaticanam bibliothecam delatum, cum editis contulit noster domnus Claudius Stephanotius, indefessus studiorum nostrorum adjutor. His codicibus addendi duo ex quibus Canisius suam *Thoromachi*, ut vocat, *collectionem Historicam Chronographicam* edidit, et tertius è Palatina bibliotheca à Frehero collatus : quos omnes ac editiones varias quas consuluimus, infrà in peculiari indice codicum recensebimus.

VITA (a) SANCTI GREGORII

EPISCOPI TURONENSIS

PER ODONEM ABBATEM.

PROLOGUS.

OMNIUM quidem Sanctorum jure memoria veneratur, sed eos primùm fideles honorificant, qui doctrina, vel exemplo ceteris clariùs effulsere. Porrò unum ex his beatum Gregorium Turonicæ sedis Archiepiscopum fuisse, eumque ac gemina dote resplenduisse non parva documenta produnt. Cujus nimirùm gesta vel partim necessariò describuntur, ne fama tanti viri quandoque dubietatis nebula fuscaretur. Et quidem satis est ad ejus gloriam quòd Christum, cui placere quæsivit, conscium habet in excelso, sed tamen et hic nefas est illius laudes tacere, qui tot Sanctorum studuit laudes propalare. Quæ scilicet relatio quantula erit, nec ejus insignia ut sunt proferet, quoniam plurimis quæ opinione feruntur omissis, pauca quædam quæ ex libris ejus approbantur attingimus. Quòd si quis Judaïco more signa requirens sanctum quemlibet signorum quantitate metitur, quid de beata Dei Genitrice, vel de præcursore Johanne censebit (b)? Sanius itaque discernat quòd in tremendo die multis qui signa fecerunt reprobatis, hi qui opera justitiæ sectati sunt ad dexteram superni Judicis soli colligentur. Non igitur Præsulem nostrum a gestu miraculorum commendamus, quamvis et illa non omnimodis deerunt, sed quod mitis et humilis corde Christum imitatus fuerit demonstrare (c) aggrediamur.

INCIPIT VITA. 1. Gregorius Celtico Galliarum tractu fuit exortus, Arvernicæ regionis indigena, patre Florentio, matre Armentaria procreatus. Et si quid divinæ generositati terrena conducit nobilitas, parentes ejus cùm rebus locupletes, tùm quoque natalibus fulserunt illustres. Sed quod pluris est muniis divinæ servitutis quadam peculiari devotione ita videbantur annexi, ut quisquis ex his inreligiosus existeret, jure degener notaretur, ad quod astruendum quiddam de propinquioribus inseramus. Itaque Georgius (d) quondam Senator Leocadiam duxit uxorem, hæc de stirpe Vectii Epagati descenderat, quem Eusebius in quinto Historiarum libro Lugduni passum, ac inter reliquos tunc temporis narrat gloriosiùs agonizatum. Quæ Leocadia peperit sanctum Gallum Arvernicæ sedis Episcopum atque Florentium hujus pueri genitorem. De hoc autem Florentio, sed et de Armentaria matre, de Petro quoque fratre ejus, necnon et de uxore Justini sorore ejus, ac duabus neptibus Heustena videlicet, et Justina beatæ Radegundis discipula, libri Miraculorum talia referunt, per quæ fides illorum et merita non exigui momenti fuisse dignoscantur. Hæc autem Arvernis *, quæ puero genialis humus fuit, vehementer olim caput extulerat, ita ut Senatoribus velut urbs Tarpeia * præpolleret: ab his Gregorii parentela profluxerat, hæc Senatores, hæc judices, et quicquid de ordine Primariorum dixerim, proferebat. Id sanè de parentibus dictum sit, ut quia Dominus in generatione justa est ad laudem Gregorii proficiat, quòd ei sua progenies titulo sanctitatis columna videatur (e). Hujus genus et patriam Fortunatus commemorans,

V. Pat. c. 2. et 4.

Mir. S. Mart. l. 2. c. S. Jul. 23. et 24.

Mir. S. Mart. l. 4. c. 6. Hist. l. 10. c. 15.

* *ed.* Arvernia.

* *i.* Roma.

Fortè (inquit) *decus generis Turonicensis apex*
Alpibus Arvernis veniens mons altior ipsis.

Lib. 8. Car. 17.

Ad matrem quoque ejus:

Felix bis meritis sibi Macchabæa vel orbi,
Quæ septem palmas cœlo transmisit ab alvo:
Tu quoque prole potens, rectè Armentaria felix.
Fetu clara tuo geniti circumdata fructu,
Est titi Gregorius palma corona novus.

Lib. 10. Car. 21.

Ita nobili stirpe nobilissima proles emergens, ut rosa quædam suo stipite gratior, decus generositatis auctum in parentes refudit. Et quamvis jam mysterii majestas in nominibus non quæratur; tamen hic, ut rebus assertum est, Gregorius competenti præsagio nominatur. Sic enim

V. Pat. cap. 6.

(a) Hæc Vita absque auctoris nomine jam edita, in nonnullis antiquis Codicibus Odoni Abbati tribuitur. Sic enim in Codice S. Sergii Andecavensis inscribitur, *Prologus domni Odonis Abbatis. Omnium, etc. Incipit Vita edita ab Odone Abbate.* Idem in fine repetitur. Hunc verò Odonem non alium esse putamus à sancto Odone Cluniacensi Abbate, qui apud Cæsarodunum Turonum educatus, ac diu conversatus, facilè adduci potuit ad scribendam Vitam sancti Antistitis, jam tunc ad pedes S. Martini in ejus basilica sepulti: quam ex ejusdem Gregorii scriptis fortè collegit, priusquàm fieret monachus, cùm adhuc esset basilicæ Martinianæ Præcentor et scholarum Magister. Hæc Vita recensita est ad Codices tres, S. Germani à Pratis 1. S. Pauli Cormaricensis 1. et S. Sergii Andecavensis 1.

(b) Germ. *censent.* Serg. *censebitur. Sanus.*

(c) Ed. et Cor. *demonstramus.* Germ. *demonstraremus.*

(d) Sic rectè Serg. ita enim dicebatur Gregorii avus, et est Gregorii lectio. Editi, *Gregorius.*

(e) Germ. *quod sua progenies titulo sanctitatis eo colluminata videtur.*

Græcus Vigilantem appellat, hic denique non solùm tertiam vigiliam, sed, quod majus est, secundam, quodque rarissimè videas, observavit et primam : et quia jugum Domini ab adolescentia portavit, * sedebat solus, ut ait Hieremias, vel certè prope Martinum. Ut autem ætatulæ robur admisit, litterarum studiis mancipatur, in quibus equidem studiis primitùs sub Gallo Episcopo, suo videlicet patruo, sensûs illius teneritudo coaluit.

* *al.* sedebit.

Gl. Conf. cap. 40.

2. Cùm ergo jam in discendis notarum characteribus ageretur, hunc divina dispositio virtutum auspiciis initiavit, sanctamque ejus infantiam signorum ostensione nobilitavit. Nam pater ejus nimia valetudine comprehensus lectulo decubabat, intimis ossibus ardor furere, podagricus humor foris intumescere, vapor aridus ora perurgere cœpit. Cùm quidam puero vir per visionem apparens diceret : *Legisti*, ait, *librum Jesu Nave*, cui ille : *Nihil*, inquit, *aliud litterarum præter notas attendo, quarum nunc exercitio constrictus affligor. Nam hic liber si sit penitùs ignoro.* Et ille : *Vade*, inquit, *fac hastulam ex ligno quæ possit hoc recipere nomen, scriptumque ex atramento sub paterni capitis fulcro collocabis : quod si feceris, erit ei præsidium.* Mane facto, matri quod viderat indicavit : senserat nimirùm sancti puer ingenii non suo, sed matris judicio rem esse gerendam. Tunc illa jubet visionem implere. Factum est, et pater de momento convaluit. Quid sanè rationabilius quàm nomen Jesu vel lignum ad reparandam sospitatem congrueret ?

V. Pat. c. 8.

3. Parentes ejus, ut revera nobiles erant, et in Burgundia diffusi latifundii possessores. Sanctus vero Nicetius, vir totius religionis, qui Lugdunensi præerat civitati, cùm prædicti parentes eum (a) vicinarent, puerum Gregorium sibi jubet acciri. Quem sanctus vir coram positum aliquantisper contemplatus, et nescio quid divinum in eo commentatus, jussit hunc (b) ad se (jacebat enim in lectulo) levari : ac velut paradisi colonus concivem sibi futurum præsagiens, ulnis adstrictum cœpit confovere, cùm quidem, quod reticendum non est, ita colobio se totum contexit ut nec summis digitis puerum in nudo contingeret. Hoc sanè castitatis exemplum isdem puer adultus auditoribus suis frequenter ingerebat, ex hac perfecti hominis cautela suadens eos colligere, quantùm fragiles quique debeant leporis attactus (c) vitare. Benedixit ergo puerum, et imprecatus illi prospera, suis remisit eum.

Gl. Conf. c. 40.

4. Biennio verò post miraculum quod diximus fermè exacto, jam memoratus Florentius recidivo (d) languore captatur : accenditur febris, intumescunt pedes, dolor pessimus pedes intorquet, perendinata pestis hominem contriverat, jam pœnè conclavatus jacebat. Intereà puer vidit iterùm in somno personam sese utrùmne librum Tobiæ cognitum haberet interrogantem. Respondit : *Nequaquam :* qui ait : *Noveris hunc fuisse cæcum, atque per filium ex jecore piscis Angelo comitante curatum : tu igitur fac similiter, et salvabitur genitor tuus.* Hæc ille matri retulit : quæ confestim pueros ad amnem direxit : piscis capitur, quæ de ejus extis jussa fuerant prunis imponuntur. Non fefellit virtutis eventus : ut enim primò fumus * odoris in naribus patris reflavit, protinùs omnis ille tumor dolorque discessit. Si magnum est os Zachariæ Johannis merito fuisse reseratum, nec modicum utique est Florentium non semel, sed bis per filium esse curatum. Senserant ex hoc iidem parentes quod dextro pedi potissimè foret innixurus ; nec ignorare poterant quin illum divina dispositio dexterioribus officiis aptavisset. Quem tamen non continuo totonderunt, ipsius, ut reor, assensum in suscipiendo clericatu præstolantes, litterarum tamen studiis instantiùs applicabatur.

* *Germ.* odor fumi.

V. Pat. c. 2.

5. Adhuc itaque laïcus, tam sensu quàm corpore adoleverat, cùm subitò vi nimia febrium ac stomachi pituita comprehensus, cœpit graviter ægrotare, languor per dies ingravescere, medicinalis industria nihil proficere. Quem patruus Gallus frequenter visitabat, genitrix verò ut mater eum lamentis assiduabat. Sed cùm jam de humano auxilio desperaretur, cœlitùs adolescenti suggestum est quòd se ad divinum conferret. Rogat igitur ut ad sepulcrum sancti Illidii, erat enim juxtà, portari deberet : sed ei parum profuit, quia causa differebatur quæ per illud incommodum quærebatur. Domi reportatus ita cœpit post paullulum tormentari, ut putaretur ad exitum urgeri. Vexatio tandem fecit causam intelligi : consolatur eos qui se flebant, dicens : *Ad sepulcrum beati Illidii me semel adhuc deferte : fides mea est, quòd et mihi sospitatem et vobis mox præstabit lætitiam.* Tunc vero illic deportatus, voce qua poterat orationem fudit, spondens quia si ab hoc contagio liberaretur, clericatûs habitum suscipere nec prorsùs moraretur. Dixerat, et sensit protinùs discedere febrem, et à naribus ejus copia sanguinis defluente, sic omnis illa valetudo disparuit, ac si legatus quidam re pro qua venerat obtenta, discedere festinaret. Ita comam deposuit, et se divinis obsequiis ex toto mancipavit.

V. Pat. c. 2.

6. Cùm verò sanctus Gallus ad emeritam beatæ vitæ coronam vocaretur, vir Domini Avitus adolescentem suscepit, qui cùm ejus ingenium morumque habitudinem exploravisset, magistrorum diligentiam adhibuit, et quanta vel ipsius industria, vel eorum sedulitas velocitate poterat, ad arcem sapientiæ provexit. Hæc in Vita præfati Illidii reperies. Porrò autem in discendis litterarum studiis ea se discretione exercuit, ut utraque nimietate careret : nec poëtarum nænias ex toto horreret, nec tamen, ut plerisque mos est ; iis indecentiùs hærens, earum lenocinio mente ancillaretur. Fecit enim quod suffecit, aciem cordis veluti ad quamdam cotem exacuit, et ita quasi ab Ægyptiis vasa aurea promutuans, et ad eremum * qua manna comederet demigrans, in perscrutandis divinarum Scripturarum potentibus intravit. Quod ipse de se loquens ostendit dicens : *Non ego Saturni fugam, non Junonis iram, non Jovis stupra commemoro*, et cetera monstra, quæ illic secutus adnectit usque dum diceret : *Hæc omnia tamquam citò ruitura despiciens, ad divina potiùs et Evangelica miracula*

* *mss.* quo.

Præf. Mart.

(a) Germ. *ejus.* Serg. *ei vicinarentur.*
(b) Serg. *ad se accedere, jacebat enim in lectulo, velut..... præsagans.*
(c) Ed. *debeant tactus vitare.*
(d) Alii mss. *redivivo.* Ed. *redivivo dolore captatus.*

revertar : non enim vel vinciri cupio meis retibus vel involvi. In quo se ostendit hæc scisse quidem, sed saniori judicio respuisse.

Mir. S. Mart. 1. c. 35. 7. Tempore præstituto Diaconus ordinatus est. Ea tempestate erat quidam vir Arvernicus, qui lignum de sacrosancto beati Martini sepulcro detulerat; sed cùm ligni reverentiam incautus negligeret, omnis ejus familia graviter ægrotare cœpit. Cùm subinde languor ingravesceret, et ille causam percussionis ignorans minùs se emendaret, vidit in somnio personam terribilem, cur secum ita ageretur percunctantem. Qui cùm se nescire diceret : *Lignum*, inquit, *quod de lectulo domni Martini tulisti, negligenter hîc retines, et ideò hæc incurristi; sed vade nunc, defer illud Gregorio Diacono.* Dignus jam, ut reor, idem Levita figurabatur, cui domnus ille Martinus pretiosa quæque sui gregis esset commendaturus. Tunc temporis apud Arvernum plerique in habitu religionis viri fulgebant, quos idem juvenis nunc cum beato Avito, nunc semotim invisebat, quatenus ab eis vel exempla pietatis adsumeret, vel ipsis quod fortè deerat mutua caritate præstaret. Nimirùm in iis Christum colebat, et veluti solis jubar in vertice montium * refulgentem, in iis interim dum in seipso videri non potest, Christum respiciebat. Ad hoc animum intendens, vel ad laudem Christi proferret quidquid per eos, vel etiam per illos qui jam cœlo præcesserant, operari dignabatur.

Vita Pat. 11.

* *Ed.* refulgens.

8. Sanè inter ceteros in quibus, ut diximus, Christus velut in montibus resplendebat, domnum et gloriosum Martinum deprehenderat, qui reliquos velut quidam Olympus excedit, et luculentiùs utpote ætheri vicinior fulgoribus ipsa astra reverberat, in cujus utique veneratione totus orbis meritò jam olim conjurat, in hujus desiderio Gregorius exardens inferbuit. (a) Hunc semper in corde, hunc in ore gerens, laudem ejus ubique spargebat. Dum verò mentis ad minium in exercitio virtutum defigeret, caro ejus à propriis viribus lacessebat; ita quippe mos est. Hinc est quòd Daniel postquàm Angelicæ visionis contemplatione levatus est, à carnis virtute deficiens per multos dies ægrotavit. Hic itaque virtutibus proficiens, sed viribus corporis intabescens, aliquando valetudinem cum febre et pustulis incurrerat. Qua tandem ita confectus est, ut usu cibi potûsque negato, omnem vitæ hujus spem amiserit. Unum tamen supererat, quòd ejus fiducia Martino innixa nullatenus vacillabat : quinimmò ferventiùs flagrans, tanto ejusdem Martini desiderio succensus est, ut cùm mors pœnè caput illi emerserit, ad visendum tamen ejus sepulcrum iter arripere non dubitaverit : nec eum sui dehortari possent, cùm obnixè restiterit; quia corporis illa febris febre vincebatur amoris. Et quidem actis duabus vel tribus mansionibus, itineris occasione itidem languor invaluit : sed nec tunc omninò cogi potuit quin ad propositam Martini fiduciam festinaret, nomine divinæ Majestatis dehortatores obtestans, ut vel vivum, vel * certè defunctum se ante ejus sepulcrum exponerent. Quid plura ?

Mir. Mart. 1. 32.

* *al.* fortè. *Ibid.* 33.

(a) Hîc desinit Vita in codice Cormaricensi.

(b) Serg. *nihilque amplius videre.* al. *per virtutem, etc.*

pervenit utcumque, probata fides speratæ salutis compos effecta est. Et non solùm ille, sed et Armentarius quidam ex ejus clericis, qui sensu penitùs caruerat, merito prædictæ fidei sanatus est. Agens itaque tam pro se quàm pro illo gratias, amore Martini exsatiatus, vel potiùs magis succensus, ad patriam rediit.

9. Aliquando verò cùm iter de Burgundia ad Arvernem faceret, magna contra se tempestas exoritur, densus aër in nubibus cogitur, crebris ignibus cœlum micare, validisque tonitruorum cœpit fragoribus resonare, omnes pallescere, imminensque periculum pavitare. Sed Gregorius animæquior, sanctorum reliquias (has enim indesinenter collo ferebat) de sinu protrahit, et minacibus constanter nubibus opponit : quæ protinùs divisæ, dextra lævaque prætereuntes, illæsum iter gradientibus præbuerunt. At superbia, quæ plerumque virtutibus nutritur, juvenili animo protinùs irrepsit : privatim gaudet, suisque meritis præstitum arrogat. Sed quid tam vicinum superbiæ quàm casus : nam equus cui insederat ilicò lapsus, hunc ad terram graviter elisit, ita ut omni corpore *contusus vix adsurgere posset : causamque ruinæ intelligens, satis deinceps cavit, ne se vanæ gloriæ stimulis qualibet sub occasione dejiceret; sed quotiens per eum aliquid divina virtus egisset, non suis meritis adscriberet, sed virtuti Reliquiarum, quas, ut diximus, perinde ferebat. Quod factum si decreveris, mirabilius est superbiam correxisse quàm nubem divisisse.

Gl. Mart. 84.

* *Germ.* concussus.

10. Erat autem in orationibus assuetus, præsertim quietis horis. Solemnitas beatæ Mariæ Virginis advenerat, siquidem apud Arvernem in villa Marciacensi ejus reliquiæ continentur. Tunc fortè Gregorius intererat, qui ceteris alto sopore depressis, ad secretam oratione suo more processit, conspicatusque eminùs videt oratorium ingenti claritate fulgere. Credit igitur aliquos devotorum jam se ad celebrandas vigilias præcessisse, visione tamen luminis attonitus illò pertendit, cuncta silentio data deprehendit. Ad æddituum transmisit, sed interim ostium sponte reseratur. Ille ad Angelicas excubias reverenter ingressus, divinam visitationem ilicò agnovit : claritas, quam aforis mirabatur, protinùs discessit; nihilque præter virtutem gloriosæ Virginis (b) videre potuit.

Gl. Mart. cap. 9.

11. Anno centesimo septuagesimo secundo post transitum domni Martini, Sigiberto Rege anno duodecimo regnante, beatus Eufronius, qui inter virtutes consenescens tanta gratia donatus est, ut ei prophetiæ spiritus inesse visus sit, appositus est ad patres suos, tempusque advenerat, ut Gregorius amore beati Martini dudum flagrans, et ad pastoralis officii ministerium idoneus exsistens, cathedram ejus vice sua regendam susciperet debuisset. Cùm igitur beatus Eufronius obiisset, Turonici de ejus successore tractaturi conveniunt : sed facili discrimine suasum est cunctis Gregorium in electione præferendum. Personam huic (c) loco frequentissimam jam olim sciebant, pluraque ejus gesta viro digna cognoverant. Tunc verò cunctis in consona voce coëuntibus, cerneres * Deo favente causam prosperari. Nam clericorum * tur-

Mir. Mart. 2. 1.

* *al.* Domino.

* *Ed.* turba.

(c) Ed. *in loco.* Serg. *præferendum; quippe quem tanto munere dignum jam pridem cognoverant. Tum verò, etc.*

ma nobilibus viris conserta, plebsque rustica simul et urbana, pari sententia clamant Gregorium decernendum, cùm claris meritis, tùm quoque nobilitate pollentem, sapientia præcipuum, generositate primum, Principibus notum, ac pro sua probitate reverendum, omnibusque officiis habilem. Legatio ad Regem dirigitur, cùm quidem Domino dispensante Gregorius coram reperitur. De hac igitur causa conventus, quanta humilitate se excusare tentavit, quibus modis se subducere nisus est? sed quà velle (a) Domini est, huc cetera flectuntur. Hunc Rex auctoritate cogit, hunc Brunichildis Regina perurget. Sed quoniam discreta humilitas obedientiam non recusat, tandem aliquando assensus est. Quem, ut credo, ne qualibet occasione dilatus profugeret, statim Egidius Remensis Archiepiscopus ordinavit, ut Fortunatus Poëta scribens, ait :

Lib. 5. *car.* 2.

Martino proprium mittit Julianus alumnum,
Et fratri præbet quod sibi dulce fuit.
Quem patris Egidii Domino manus alma sacravit,
* *al.* recreet. *Ut populum* * *regeret, quem Radegundis amet.*
Huic Sigibertus ovans favet, et Brunichildis honorat.

Sedes itaque Turonica octavo-decimo die postquàm Eufronium amiserat, Gregorium suscepit. Turonensibus verò novo pastori triumphanter exsilientibus hoc prædictus poëta panegyricum carmen procudit.

Ibid.

Plaudite felices populi, nova vota tenentes,
Præsulis adventu spes gregis ecce venit.
Hoc puer exertus celebret, hoc curva senectus,
Hoc commune bonum prædicet omnis homo.

Et cetera quibus hunc à Turonensibus celebratum, et ad cathedram legaliter ingressum ostendit.

Hist. l. 10. *c.* 31.

12. Indeptus ergo præsulatum, qualis vel quantus fuerit, ut compendiosè dicatur, et plures Ecclesiæ quas noviter construxit, vel quarum sartatecta restauravit, insinuant, et libri in laudem Sanctorum, vel in expositione sacrarum Scripturarum editi quamprimùm demonstrant. Matrem namque Ecclesiam, quam domnus Martinus construxerat, hic nimia vetustate confectam arcuato schemate reparavit, atque histriatis parietibus per ejusdem Martini gesta decoravit. Quod metricanorus noster non tacuit, dicens inter cetera :

Lib. 10. *car.* 2.

Martini auxiliis operando Gregorius ædem,
Reddidit iste novus quod fuit ille vetus.

Et item :

Ibidem.

Fundamenta igitur reparans hæc prisca Sacerdos,
Extulit egregius quàm nituere priùs.

Sed plures alias, ut diximus, sicut in ipsius Chronicis reperitur, ut est Ecclesia sanctæ Crucis vel (b) Martiensi villa.

13. In construendis verò spiritalibus templis, videlicet in custodia gregis, quàm certatim sese impenderit, vel ex hoc animadvertitur, quòd nec ab ipsius quidem sanctis viris studium suæ prædicationis continuit. Nam ut de iis taceatur, quorum, ut ait Apostolus, peccata manifesta sunt, de quibus superfluum quicquid diceremus esset, ad ostendendum quantopere circa perfectiores sollicitus exstiterit, duo saltem eorum, quos ob sanctitatis insignia vix præter Gregorium aliquis arguere præsumeret, ad medium deducantur. Haud longè enim post ejus ordinationem sanctus Senoch Abbas de cella sua egressus, ad eum salutandum profectus est : quem sanctus vir magna reverentia susceptum, mutuoque colloquio sensim exploratum, * peste superbiæ mox persensit infectum. Sed gratia, quæ in discernendis spiritibus huic suppeditabat, illum ab eadem superbia penitùs expurgavit. Nec dissimili virtute circa beatum quoque Leobardum exstitit sollicitus, quem nequam spiritus ita sinistris cogitationibus agitabat, ut propter quamdam verborum contumeliam de cella, qua se dudum recluserat, migrare decrevisset. Sed nec iste potuit incurrere casum, qui Gregorium meruit habere sublevantem. Nam cùm solitò ad Majus-monasterium quasi sacra Martini vestigia deosculaturus adiret, sollicitus pastor qualiter ovis amore Christi vinculata se gereret, ad ejus tugurium divertit. Cui mox ille secreta cordis, quæ diabolus quasi rationabilia confinxerat, eidem reseravit : qui protinùs, sagacissimo ut erat ingenio, diaboli commenta deprehendit, et non minimo dolore suspirans, increpare hominem cœpit, ac diabolicam calliditatem verbis competentibus denudavit : domique reversus, libros ad propositum monachorum congruos ei pia sollicitudine transmisit. Quibus relectis, non solùm ab illa quam patiebatur incursione curatus est, sed etiam in sensûs acumine multùm provectus. Nihil ergo nunc magnificentius quæras, nihil in laude Gregoriana præstantius exspectes. Si anima corpore melior est, satius esse quemquam in ea suscitari, nec mendax negare potest. Vox autem ejus quàm imperiosa fuerit, vel ea quæ dicebat, quàm auctoritosa vita subditis inculcaverit, diligens lector in ipsius libris explorabit.

Vit. Pat. cap. 15.

* *Ed.* æstu.

Vit. Pat. cap. 20.

14. Verùm, ut suprà retulimus, incommodo corporis frequenter ob incuriam carnis fatigabatur, sed eum quotiens corpusculum nimio virtutum exercitio fatigatum languor inclementiùs pulsavisset, ille ad Martinum suum recurrens, concitò sanabatur : hoc sæpenumero (c) fiebat. Quando autem et qualiter, in descriptione miraculorum ita dirigitur, ut meritò lectorem delectet : siquidem ut discretus et humilis corporea medicamenta sibi adhibebat primitùs ; sed quantò illa humiliùs expetebat, indignum se judicans cui medela per miraculum dari debuisset, tantò divina largitas hunc ad solam suæ potentiæ medicinam reservabat. Contigit aliquando ut solita beati Martini virtute ab unius temporis dolore sanaretur, cui post paullulum cogitatio per insidiatorem subiit injecta, quòd pulsus ille venarum sanguinis posset minutione

Mir. S. Mart. lib. 2. *cap.* 60.

(a) Germ. *sed quia velle Dei huc.* Ed. *hinc.*

(b) Serg. *Martensi.* Ed. *in Artensi.* An Artonensis villa, seu domus Marciacensis? Ecclesiam S. Crucis à Gregorio conditam laudat Fortunatus lib. 1. car. 3. quæ hodieque subsistit, titulo parochiali insignis.

(c) Serg. *Hoc sæpè fiebat quando aut æqualiter in discretione miraculorum ita digeritur, ut, etc.*

sedari. Dum id apud se volveret, amborum temporum venæ prosiliunt, renovatus dolor ardentiùs irrumpit : sed ille concitus ad basilicam properat, veniam priùs pro cogitatione precatur, dehinc palla sancti sepulcri caput adtigit, et ilicò sanus abscessit.

Gl. Mart. cap. 34.

15. Multa fateor in laudibus diversorum jam digesserat, sed quamvis amore Martini vehementiùs inferveret, ad ea tamen, quæ de ejus miraculis scribenda erant, se nullatenus dignum judicabat, donec bis et ter per soporem admonitus, si taceret, crimen incurrere minaretur. Denique oratorium sancti Stephani, quod in suburbio est, jusserat prolongari, et altare ut erat integrum in antea promoveri, sed quia nihil de pignoribus ibidem reperit, unum ex Abbatibus, ut ejusdem Martyris reliquias exhiberet, ad episcopium, clavem tamen oblitus direxit, qui capsam obseratam reperiens, quid faceret dubitabat : si ad Episcopum pro clave rediret, morosum erat ; si capsam exhibuisset, ob multorum pignora sanctorum quæ ibi continebantur, molestum ei esse sciebat. Cùm igitur apud se hæsisset, ut divina gratia cooperatricem se Gregorio testaretur, capsam exsilientibus repagulis adspicit reseratam : tunc gratias agens, reliquias non sine admiratione multorum Gregorio detulit, qui reversus capsam, ut reliquerat, obseratam invenit.

16. Multa quidem Gregorius, quæ insequi longum esset, in salute languentium operabatur, quæ tamen sub obtentu sanctorum, quorum reliquias perinde ferebat, à suis meritis excludere nitebatur. Cùm quidem hæc tantò veriùs per ipsum fiebant, quantò ipse humiliùs aliis tribuebat, ut est illud. Cùm aliquando

Gl. Mart. cap. 11.

per viam graderetur, et crucem auream cum reliquiis beatæ Mariæ semper virginis, vel beati Martini collo gestaret, haud procul à via cujusdam pauperis hospitiolum incendio conspicit concremari. Erat autem, ut est in usibus pauperum, soliis atque surculorum cremiis, ignium videlicet fomentis, contectum. Hac illacque miser cum uxore et liberis cursitare et strepere, aquam advehere, sed nequicquam : jam flammæ prævaluerant, nec poterant mitigari. Tunc vero Gregorius accurrit, et contra flammarum globos crucem elevavit, moxque in adspectu sanctarum reliquiarum ita totus ignis obstupuit, ut nec ea quæ jam apprehenderat ultrà nec ad modicum ustulare posset.

Mir. S. Mart. 3. *c.* 17.

17. Causa fuerat qua Remense opidum adire debuerit ; cùmque ab Egidio Pontifice humanitus fuisset exceptus, ibidem noctu quievit, in crastinum vero illucescente Dominica ad Ecclesiam Episcopo collocuturus venit. Cùm ejus adventum in secretario præstolaretur, nolebat enim in Ecclesia loqui, Sygo referendarius quondam Sigiberti Regis ad eum accessit, quem ille osculatum sedere juxta se fecit. Dum aliquantisper secum sermocinarentur, et ille de ore Gregorii penderet, subitò auris ejus quæ

* *Germ.* strepitu.

pridem obsurduerat, cum quodam * crepitu reserata est. Ille gratias cœpit agere, et quid ei per Gregorium præstitum sit manifestare. Sed vir Domini, consuetæ non immemor humilitatis, hominem ab hac æstimatione subducere nitens; *Noli*, ait, *dulcissime fili, mihi aliquid gratiæ referre, sed beato Martino per cujus reliquias licèt indignus quas defero, tibi auditus est redditus, et surditas depulsa.*

Mir. S. Mart. 1. 36.

18. Virtus namque caritatis in illo præeminebat adeò ut ipsis inimicis affectum dilectionis impenderet, ut sequenti patebit exemplo. Quodam enim tempore factum est ut ad venerabilem matrem suam in Burgundiam properaret. In sylvis verò abiegnis, quæ trans (a) Verberim fluvium sitæ sunt, latrones incurrit, qui tanto impetu super comitatum ejus irruere nisi sunt, ut non modò eos expoliare, sed et occidere velle putarentur. Quorum assultu Gregorius terreri non potuit, qui præsidio Martini circumsæptus incedebat : cujus mox auxilium flagitans, ita sibi adesse expertus est, ut latrones velociùs quàm emerserant fugam inirent. At Gregorius usus (b) consueta pietate, nec in perturbatione turbatas, fugientes revocat ad cibum et potum inimicos invitat. Sed crederes eos fustibus agi, et invitos equos contra possibilitatem calcaribus urgeri, ut nec revocantem audire possent. Ita Gregorius supernis auribus ostensus est vicinus, et operibus caritatis intentus.

Mir. S. Mart. 2. 25.

19. Fides et devotio populi valde per Gregorium succrescebat ; at malignus hostis non modico dolore torquebatur : unde factum est, ut vim suæ malignitatis ferre non sustinens, vel pastoris, vel gregis fiduciam apertis vocibus dementare conaretur. Ipsa namque natalis Domini die cùm Gregorius pontificale (c) festum in principali basilica, sicut mos est, sollemniter celebrare procederet, quidam ex energumenis atrocior ceteris cœpit nimiùm debacchari, et sequentibus vel obviantibus turbis, quæ Gregorium sæpserant, se obvium ingerens ; *Frustrà*, inquit, *Martini limina petitis, incassùm ejus ædem aditis, quia vos propter multa crimina dereliquit : ecce vos abhorrens Romæ mirabilia facit.* Hæc et alia plura cunctis, ut erant constipati, populis verba diabolus insibilabat : ad quam vocem non solùm rusticorum corda exturbantur, sed et clerus, quin et ipse Gregorius pavore concutitur. Ingredientes autem cum fletu magno basilicam, omnes pavimento prosternuntur, orantes ut sancti viri præsentiam mererentur. Quidam verò, cui ante tres annos ambæ manus cum uno pede contraxerant, ante sanctum altare cum reliquis prostratus beati Martini auxilium precabatur, qui subitò nimia febre circumdatus tamquam in eculeo torquebatur extensus. Inter hæc sancta sollemnia gerebantur, cùmque sanctus Pontifex fletibus insistens beati Martini præstolaretur adventum, divino mysterio palla jam ex more cooperto, languidus ad plenum restituitur sanitati. Quare Gregorius admodùm gavisus omnipotenti Deo gratias agit, oculisque lacrymarum imbre suffusis, in hac ad populum voce prorupit : *Timor à cordibus vestris, fratres, abscedat, quia nobiscum beatus Confessor inhabitat, nec omninò credite diabolo, qui ab initio mendax est, et in veritate non stetit.* Cùm hæc et alia verba consolatoria adstantibus inferret, omnium luctus laxantur in gaudium,

(a) Papyrius Masso legit *Ararim* : sed nostra lectio melior ex ipso Gregorio, qui hunc fluvium *Berberim* appellat.

(b) Mss. duo, *usu consueta pietatis.*

(c) Serg. *principalem festum..... solemnizare procederet.* Germ. *Gregorius in principali basilica, sicut moris est, solemnizare procederet.*

ma nobilibus viris conserta, plebsque rustica simul et urbana, pari sententia clamant Gregorium decernendum, cùm claris meritis, tùm quoque nobilitate pollentem, sapientia præcipuum, generositate primum, Principibus notum, ac pro sua probitate reverendum, omnibusque officiis habilem. Legatio ad Regem dirigitur, cùm quidem Domino dispensante Gregorius coram reperitur. De hac igitur causa conventus, quanta humilitate se excusare tentavit, quibus modis se subducere nisus est? sed quà velle (a) Domini est, huc cetera flectuntur. Hunc Rex auctoritate cogit, hunc Brunichildis Regina perurget. Sed quoniam discreta humilitas obedientiam non recusat, tandem aliquando assensus est. Quem, ut credo, ne qualibet occasione dilatus profugeret, statim Egidius Remensis Archiepiscopus ordinavit, ut Fortunatus Poëta scribens, ait :

Lib. 5. *car.* 2.

Martino proprium mittit Julianus alumnum,
Et fratri præbet quod sibi dulce fuit.
Quem patris Egidii Domino manus alma sacravit,
* *al.* recreet. *Ut populum* * *regeret, quem Radegundis amet.*
Huic Sigibertus ovans favet, et Brunichildis honorat.

Sedes itaque Turonica octavo-decimo die postquàm Eufronium amiserat, Gregorium suscepit. Turonensibus verò novo pastori triumphanter exsilientibus hoc prædictus poëta panegyricum carmen procudit.

Ibid.

Plaudite felices populi, nova vota tenentes,
Præsulis adventu spes gregis ecce venit.
Hoc puer exertus celebret, hoc curva senectus,
Hoc commune bonum prædicet omnis homo.

Et cetera quibus hunc à Turonensibus celebratum, et ad cathedram legaliter ingressum ostendit.

Hist. l. 10. *c.* 31.

12. Indeptus ergo præsulatum, qualis vel quantus fuerit, ut compendiosè dicatur, et plures Ecclesiæ quas noviter construxit, vel quarum sartatecta restauravit, insinuant, et libri in laudem Sanctorum, vel in expositione sacrarum Scripturarum editi quamprimùm demonstrant. Matrem namque Ecclesiam, quam domnus Martinus construxerat, hic nimia vetustate confectam arcuato schemate reparavit, atque histriatis parietibus per ejusdem Martini gesta decoravit. Quod metricanorus noster non tacuit, dicens inter cetera :

Lib. 10. *car.* 2.

Martini auxiliis operando Gregorius ædem,
Reddidit iste novus quod fuit ille vetus.

Et item :

Ibidem.

Fundamenta igitur reparans hæc prisca Sacerdos,
Extulit egregius quàm nituere priùs.

Sed plures alias, ut diximus, sicut in ipsius Chronicis reperitur, ut est Ecclesia sanctæ Crucis vel (b) Martiensi villa.

13. In construendis verò spiritalibus templis, videlicet in custodia gregis, quàm certatim sese impenderit, vel ex hoc animadvertitur, quòd nec ab ipsius quidem sanctis viris studium suæ prædicationis continuit. Nam ut de iis taceatur, quorum, ut ait Apostolus, peccata manifesta sunt, de quibus superfluum quicquid diceremus esset, ad ostendendum quantopere circa perfectiores sollicitus exstiterit, duo saltem eorum, quos ob sanctitatis insignia vix præter Gregorium aliquis arguere præsumeret, ad medium deducantur. Haud longè enim post ejus ordinationem sanctus Senoch Abbas de cella sua egressus, ad eum salutandum profectus est : quem sanctus vir magna reverentia susceptum, mutuoque colloquio sensim exploratum, * peste superbiæ mox persensit infectum. Sed gratia, quæ in discernendis spiritibus huic suppeditabat, illum ab eadem superbia penitùs expurgavit. Nec dissimili virtute circa beatum quoque Leobardum exstitit sollicitus, quem nequam spiritus ita sinistris cogitationibus agitabat, ut propter quamdam verborum contumeliam de cella, qua se dudum recluserat, migrare decrevisset. Sed nec iste potuit incurrere casum, qui Gregorium meruit habere sublevantem. Nam cùm solitò ad Majus-monasterium quasi sacra Martini vestigia deosculaturus adiret, sollicitus pastor qualiter ovis amore Christi vinculata se gereret, ad ejus tugurium divertit. Cui mox ille secreta cordis, quæ diabolus quasi rationabilia confinxerat, eidem reseravit : qui protinùs, sagacissimo ut erat ingenio, diaboli commenta deprehendit, et non minimo dolore suspirans, increpare hominem cœpit, ac diabolicam calliditatem verbis competentibus denudavit : domique reversus, libros ad propositum monachorum congruos ei pia sollicitudine transmisit. Quibus relectis, non solùm ab illa quam patiebatur incursione curatus est, sed etiam in sensûs acumine multùm provectus. Nihil ergo nunc magnificentius quæras, nihil in laude Gregoriana præstantius exspectes. Si anima corpore melior est, satius esse quemquam in ea suscitari, nec mendax negare potest. Vox autem ejus quàm imperiosa fuerit, vel ea quæ dicebat, quàm auctoriosa vita subditis inculcaverit, diligens lector in ipsius libris explorabit.

Ed. æstu.

Vit. Pat. cap. 15.

Vit. Pat. cap. 20.

14. Verùm, ut suprà retulimus, incommodo corporis frequenter ob incuriam carnis fatigabatur, sed eum quotiens corpusculum nimio virtutum exercitio fatigatum languor inclementiùs pulsavisset, ille ad Martinum suum recurrens, concitò sanabatur : hoc sæpenumero (c) fiebat. Quando autem et qualiter, in descriptione miraculorum ita dirigitur, ut meritò lectorem delectet : siquidem ut discretus et humilis corporea medicamenta sibi adhibebat primitùs ; sed quantò illa humiliùs expetebat, indignum se judicans cui medela per miraculum dari debuisset, tantò divina largitas hunc ad solam suæ potentiæ medicinam reservabat. Contigit aliquando ut solita beati Martini virtute ab unius temporis dolore sanaretur, cui post paullulum cogitatio per insidiatorem subiit injecta, quòd pulsus ille venarum sanguinis posset minutione

Mir. S. Mart. lib. 2. *cap.* 60.

(a) Germ. *sed quia velle Dei huc.* Ed. *hinc.*

(b) Serg. *Martensi.* Ed. *in Artensi.* An Artonensis villa, seu domus Marciacensis? Ecclesiam S. Crucis à Gregorio conditam laudat Fortunatus lib. 1. car. 3. quæ hodieque subsistit, titulo parochiali insignis.

(c) Serg. *Hoc sæpè fiebat quando aut æqualiter in discretione miraculorum ita digeritur, ut, etc.*

sedari. Dum id apud se volveret, amborum temporum venæ prosiliunt, renovatus dolor ardentiùs irrumpit : sed ille concitus ad basilicam properat, veniam priùs pro cogitatione precatur, dehinc palla sancti sepuleri caput adtigit, et ilicò sanus abscessit.

Gl. Mart. cap. 34.

15. Multa fateor in laudibus diversorum jam digesserat, sed quamvis amore Martini vehementiùs inferveret, ad ea tamen, quæ de ejus miraculis scribenda erant, se nullatenus dignum judicabat, donec bis et ter per soporem admonitus, si taceret, crimen incurrere minaretur. Denique oratorium sancti Stephani, quod in suburbio est, jusserat prolongari, et altare ut erat integrum in antea promoveri, sed quia nihil de pignoribus ibidem reperit, unum ex Abbatibus, ut ejusdem Martyris reliquias exhiberet, ad episcopium, clavem tamen oblitus direxit, qui capsam obseratam reperiens, quid faceret dubitabat : si ad Episcopum pro clave rediret, morosum erat ; si capsam exhibuisset, ob multorum pignora sanctorum quæ ibi continebantur, molestum ei esse sciebat. Cùm igitur apud se hæsisset, ut divina gratia cooperatricem se Gregorio testaretur, capsam exsilientibus repagulis adspicit reseratam : tunc gratias agens, reliquias non sine admiratione multorum Gregorio detulit, qui reversus capsam, ut reliquerat, obseratam invenit.

16. Multa quidem Gregorius, quæ insequi longum esset, in salute languentium operabatur, quæ tamen sub obtentu sanctorum, quorum reliquias perinde ferebat, à suis meritis excludere nitebatur. Cùm quidem hæc tantò veriùs per ipsum fiebant, quantò ipse humiliùs aliis tribuebat, ut est illud. Cùm aliquando per viam graderetur, et crucem auream cum reliquiis beatæ Mariæ semper virginis, vel beati Martini collo gestaret, haud procul à via eujusdam pauperis hospitiolum incendio conspicit concremari. Erat autem, ut est in usibus pauperum, soliis atque surculorum cremiis, ignium videlicet fomentis, contectum. Hac illaeque miser cum uxore et liberis cursitare et strepere, aquam advehere, sed nequicquam : jam flammæ prævaluerant, nec poterant mitigari. Tunc vero Gregorius accurrit, et contra flammarum globos crucem elevavit, moxque in adspectu sanctarum reliquiarum ita totus ignis obstupuit, ut nec ea quæ jam apprehenderat ultrà nec ad modicum ustulare posset.

Gl. Mart. cap. 11.

Mir. S. Mart. 3. *c.* 17.

17. Causa fuerat qua Remense opidum adire debuerit ; cùmque ab Egidio Pontifice humanitus fuisset exceptus, ibidem noctu quievit, in crastinum vero illucescente Dominica ad Ecclesiam Episcopo collocuturus venit. Cùm ejus adventum in secretario præstolaretur, nolebat enim in Ecclesia loqui, Sygo referendarius quondam Sigiberti Regis ad eum accessit, quem ille osculatum sedere juxta se fecit. Dum aliquantisper secum sermocinarentur, et ille de ore Gregorii penderet, subitò auris ejus quæ pridem obsurduerat, cum quodam * crepitu reserata est. Ille gratias cœpit agere, et quid ei per Gregorium præstitum sit manifestare. Sed vir Domini, consuetæ non immemor humilitatis, hominem ab hac æstimatione subducere

* *Germ.* strepitu.

nitens; *Noli*, ait, *dulcissime fili, mihi aliquid gratiæ referre, sed beato Martino per cujus reliquias licèt indignus quas defero, tibi auditus est redditus, et surditas depulsa.*

18. Virtus namque caritatis in illo præeminebat adeò ut ipsis inimicis affectum dilectionis impenderet, ut sequenti patebit exemplo. Quodam enim tempore factum est ut ad venerabilem matrem suam in Burgundiam properaret. In sylvis verò abiegnis, quæ trans (a) Verberim fluvium sitæ sunt, latrones incurrit, qui tanto impetu super comitatum ejus irruere nisi sunt, ut non modò eos expoliare, sed et occidere velle putarentur. Quorum assultu Gregorius terreri non potuit, qui præsidio Martini circumsæptus incedebat : cujus mox auxilium flagitans, ita sibi adesse expertus est, ut latrones velociùs quàm emerserant fugam inirent. At Gregorius usus (b) consueta pietate, nec in perturbatione turbatas, fugientes revocat ad cibum et potum inimicos invitat. Sed crederes eos fustibus agi, et invitos equos contra possibilitatem calcaribus urgeri, ut nec revocantem audire possent. Ita Gregorius supernis auribus ostensus est vicinus, et operibus caritatis intentus.

Mir. S. Mart. 1. 36.

19. Fides et devotio populi valde per Gregorium succrescebat ; at malignus hostis non modico dolore torquebatur : unde factum est, ut vim suæ malignitatis ferre non sustinens, vel pastoris, vel gregis fiduciam apertis vocibus dementare conaretur. Ipsa namque natalis Domini die cùm Gregorius pontificale (c) festum in principali basilica, sicut mos est, sollemniter celebrare procederet, quidam ex energumenis atrocior ceteris cœpit nimiùm debacchari, et sequentibus vel obviantibus turbis, quæ Gregorium sæpserant, se obviùm ingerens; *Frustrà*, inquit, *Martini limina petitis, incassùm ejus ædem aditis, quia vos propter multa crimina dereliquit : ecce vos abhorrens Romæ mirabilia facit.* Hæc et alia plura cunctis, ut erant constipati, populis verba diabolus insibilabat : ad quam vocem non solùm rusticorum corda exturbantur, sed et clerus, quin et ipse Gregorius pavore concutitur. Ingredientes autem cum fletu magno basilicam, omnes pavimento prosternuntur, orantes ut sancti viri præsentiam mererentur. Quidam verò, cui ante tres annos ambæ manus cum uno pede contraxerant, ante sanctum altare cum reliquis prostratus beati Martini auxilium precabatur, qui subitò nimia febre circumdatus tamquam in eculeo torquebatur extensus. Inter hæc sancta sollemnia gerebantur, cùmque sanctus Pontifex fletibus insistens beati Martini præstolaretur adventum, divino mysterio palla jam ex more cooperto, languidus ad plenum restituitur sanitati. Quare Gregorius admodùm gavisus omnipotenti Deo gratias agit, oculisque lacrymarum imbre suffusis, in hac ad populum voce prorupit : *Timor à cordibus vestris, fratres, abscedat, quia nobiscum beatus Confessor inhabitat, nec omninò credite diabolo, qui ab initio mendax est, et in veritate non stetit.* Cùm hæc et alia verba consolatoria adstantibus inferret, omnium luctus laxantur in gaudium,

Mir. S. Mart. 2. 25.

(a) Papyrius Masso legit *Ararim :* sed nostra lectio melior ex ipso Gregorio, qui hunc fluvium *Berberim* appellat.

(b) Mss. duo, *usu consueta pietatis.*

(c) Serg. *principalem festum..... solemnizare procederet.* Germ. *Gregorius in principali basilica, sicut moris est, solemnizare procederet.*

multòque alacriores quàm venerant ad sua per Martinum atque Gregorium redierunt.

Gl. Mart. cap. 87. 20. Quia verò natalis Domini mentionem fecimus, quid aliquando in hac die Pontifici nostro contigerit memoremus. Nam in sacrosancta hujus * sollemnitatis nocte pridianis vigiliis fatigatus, cùm paullulum se cubito collocaret, vir quidam ad eum concitus venit, dicens : *Surge, revertere ad Ecclesiam.* Ille expergefactus, signum crucis sibimet imponens, iterùm obdormivit. Nec destitit vir ille, quin hominem secundò moneret : sed cùm excitus gravem se adhuc sentiret, rursùs obdormivit. Tum verò ille vir tertiò veniens, maxillæ ejus alapam impressit, dicens : *En tu reliquos ad vigilias admonere debes, et tamdiu sopore deprimeris ?* Qua Gregorius voce perculsus, pernici velocitate ad Ecclesiam est regressus. Adeò supernis oculis gratus exstitit, ut nec humanitate cogente negligentiam pati permissus sit suæ salutis.

* *al.* natalis.

Mir. Mart. 2. 1. 21. Visum est hoc inserere lectioni qualiter eum Deus arguere voluerit, ne vel aliorum levitate peccaret. Nam cùm hunc à desperato languore beatus Martinus ita sanaret, ut ad Ecclesiam in crastino properaret, ne se in solemniis Missarum fatigaret, uni Presbyterorum hæc celebrare præcepit. Sed cùm Presbyter nescio quid rusticè * festiva verba depromeret, nonnulli de circumstantibus eum irridere cœperunt, dicentes melius fuisse tacere, quàm sic incultè loqui. Nocte autem insecuta vidit virum dicentem sibi, de mysteriis Dei nequaquam disputandum. Satis dehinc apud eum constitit, ne stultos et faciles ante se permitteret de beatis sollemniis obtrectare.

* *al.* festina.

Gl. Mart. 5. 22. Sæpiùs autem vir Domini, sicut verus et gregis et suimet consultor, vel subditorum utilitate, vel propriæ salutis causa longiùs procedebat. Aliquando igitur sepulcrum beati Hilarii supplicaturus adivit, cùm ad visendam quoque sanctam Radegundem Reginam divertit. Factum est autem cùm hi duo, tamquam incolæ paradisi, secum de cœlestibus confabularentur, oleum quod ante pignora sanctæ Crucis guttatim illic defluere solebat, sic in adventu Pontificis auctum est, ut infra unius horæ spatium ultra unum sextarium exundaret. Porrò cùm hæc beata Regina ad Regem esset accersenda cœlorum, vir Domini Gregorius de ejus transitu nuntium accepit : cùmque illa jam eo accurrente migrasset, sancta ejus membra sepulturæ locavit. Quod quidem tempore altare sollemniter benedixit, operculum tamen Episcopo, qui tunc fortè deerat, reservavit.

Gl. Conf. 106.

Gl. Conf. 46. 23. Causa fuerat qua Garumnam fluvium juxta Blaviense castrum transmeare debuerit, sed idem fluvius ita tunc intumuerat, ut intuentibus non parvum horrorem incuteret. Non longè autem sanctus Romanus Presbyter requieseit, quem noster, ut Vita ejus perhibet, Martinus tumulavit. Cùm igitur hinc procella ventorum, illinc montes undarum, ingens periculum navigaturo minarentur, oculos ad cœlum erigens, et ad Ecclesiam prædicti Romani subinde respiciens, adeò omne pelagus mox complanavit, ut compressis fragoribus, ripæ alteri sine periculo veheretur.

24. Sexdecim annos hic in episcopatu exegerat, cùm æquivocus ejus ille magnus Gregorius in sede Apostolica subrogatur. Siquidem opinata res est quòd dudum alter alteri peculiari sit amicitia devinctus. Nec immeritò, cùm hunc Fortunatus Gregorio comparet Nazianzeno, tamque ille datus sit Orienti, Romensis autem Meridiei, ast hic noster Occidenti. Cùm igitur iste sacra Apostolorum limina (a) expetisset, magna cum reverentia sanctus eum Papa excepit, quem ad beati Petri confessionem introducens, * è latere constitit, præstolans quoad surgeret. Interim autem, ut erat ingenio profundissimus, secretam Dei dispensationem admirans, considerabat in ejusmodi hominem (erat enim statura brevis) tantam gratiam cœlitus profluxisse. Quod ille mox divinitus persentiens, et ab oratione surgens, placidoque ut erat vultu ad Papam respiciens; *Dominus,* inquit, *fecit nos et non ipsi nos : idem in parvis qui et in magnis.* Cùmque id suæ cogitationi sanctus Papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gavisus, gratiam quam hactenùs in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit, sedemque Turonicam ita nobilitavit, ut auream ei cathedram donaret, quæ apud præfatam * sedem imposterùm servaretur.

Lib. 9. *car.* 6.

* *Ed.* ad altare.

* *Ed.* urbem.

25. Jam verò beatus Martinus hunc alumnum suum usquequaque magnificans, ei se propitium multis modis demonstraverat, sed ut operibus ejus se quoque cooperatorem ostenderet, aliquando præsentiam suam, licèt invisibilem, suo quo videri solet splendore, manifestare dignatus est. Nam oratorium ex promtuario prædecessoris sui apud Turonem consecraturus, reliquias sancti Saturnini martyris ac domni Martini à basilica susceptas cum ingenti veneratione deferebat. Erat enim Sacerdotum et Levitarum in albis vestibus non minimus chorus, et civium honoratorum ordo præclarus, sed et populi * secundi ordinis magnus conventus, radiantibus sollemniter cereis crucibus in altum sublatis. Cùm ita veniretur ad ostium, terribilis fulgor cellulam subitò perfundens omnium oculos nimio splendore perstrinxit, qui diutiùs durans hac illacque sicut fulgur discurrebat, omnes nimio pavore perculsi solo jacebant. At Gregorius, ut tantæ virtutis conscius, constanter eos exhortans : *Nolite,* inquit, *timere, rememoramini qualiter globus ignis de capite beati Martini egressus, cœlum visus est conscendisse, et ob id nos cum his sanctis reliquiis ipsum credite visitasse.* Tunc universi magnificaverunt Deum, et senior cum clericis dicebat : *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus et illuxit nobis.*

Gl. Conf. cap. 20.

* *Germ.* sæcularis.

26. Pauca hæc de nostro Præsule dicta sint : non enim eum miraculorum, quæ etiam reprobis dari solent, et copia commendamus; sed nec hanc quidem gratiam illi defuisse demonstramus. Ceterùm ad ejus gloriam commendandam illud nobis sufficiat, quòd humili corde Christum secutus est, et quòd non speravit in pecuniæ thesauris. Hoc (b) utique est mirabilia fecisse, quòd, ut partim superiùs monstratur,

(a) Hoc iter anno 594. à Gregorio susceptum fuisse videtur. Nam annos tres præcedentes, quibus Gregorius M. jam erat Pontifex, in Galliis exegit ex Vitis Pat. etc.

(b) Quæ sequuntur usque ad finem, paucis verbis contracta sunt in Codice Germ.

à peccatorum est laqueo custoditus. Super omnem quippe gloriam est à peccatis protectio. Vigesimo et primo igitur episcopatûs sui anno, tamquam septenario annorum numero ter in fide sanctæ Trinitatis completo, appositus est ad patres suos, non tam dierum, quia fermè tricennalis ordinatus est, quàm perfectione plenus. Qui tamen non usquequaque videtur clausus in tumulo, cui restat ut vel lingua vivat in mundo. Et quia, sicut credimus, beato Martino in cœlo est sociatus, sancto etiam corpore est illi in sepulcro vicinus. Porrò Turonicenses ne divinis muneribus videantur ingrati, semper necesse est ut retractent quantoperè sint à Deo suffulti. Datus namque est eis patronus non qualiscumque, sed Martinus, de cujus laude quid primum vel speciale dicatur, cùm, ut scriptum est, ejus minima aliorum maximis majora esse manifestum sit : tamen quanti habendus sit testantur universæ, ut ita dicam, mundi nationes, quæ illum ita privato affectu diligunt, ut etiam in nostro tempore, quando caritas nimiùm jam refrigescit, multos tam gente quàm lingua ignotos ad ejus sanctissimum tumulum confluere videamus, ut meritò de eodem Martino dicatur; *Cujus vultum desiderat universa terra*. Quorum utique studia nostram, qui vicini sumus inertiam jure vehementer redarguunt : non tamen sine divino moderamine constat, quòd ejus amor ita omnium corda penetravit, ut ejus memoria velut alterius Josiæ tam dulcis sit omnibus; et quòd per omnes fines terræ ita spatiavit, ut ubi Christus habet nomen, Martinus honorem habeat. Datus est eis et Gregorius vir non solùm sanctitate, sed et doctrina clarus, ne urbs Turonica obscurior videretur, si scriptorum officio caruisset;* quin etiam sicut urbs Romulea post Apostolos illustratur in altero Gregorio, ita et Turonica post Martinum decoretur in isto. Quem videlicet nos vel apud Deum, vel apud beatum Martinum advocatum quemdam atque sequestrem habere confidamus, eique nostras necessitates ad expediendum committamus. Verùm ille non erit immemor vel suæ, vel Martini misericordiæ, quam nobis tantoperè insinuare curavit; quippe qui ad hanc insinuandam ejus miracula digessit, quique futuri audientes quanta et qualia visibiliter operetur, quàm desperatos languores sanet, de potentia ejus nullatenus dubitent; et si pro dispensatione temporum contigerit corporea miracula cessare, semper tamen credamus illum in nostris animabus suæ virtutis medicinam operari. Gregorius igitur Martini misericordiæ conscius, semper illi de grege suo (a) suggerat, semper illum pro statu sancti loci sui, ac pro totius regni salute interpellet. Nec prætereundum quomodo consuetam sibi humilitatem etiam in ipsa sepultura sua servaverit. Nam in tali loco se sepeliri fecit, ubi semper omnium pedibus conculcaretur, et ipsa loci necessitas cogeret, ne unquam in aliqua reverentia haberi posset; sed grex beati Martini talia non ferens, amicum Domini sui de loco levavit, et edito pulcro Mausoleo ad lævam sancti sepulcri digna reverentia (b) collocavit. Obiit autem decimo-quinto Kalendas Decembris, videlicet infra Martinianam hebdomadam, ut sollemnitatem Martini, quam hic jam ægrotans celebrare cœperat, Martino junctus in cœlo consummaret, præstante Domino Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* *Ed.* potiùs.


(a) Ed. *Semper ille de grege suo succrescat.*

(b) De sepulcro et reliquiis beati Gregorii diximus in Notis. Festum ejus in vetustioribus Kalendariis et Martyrologiis hoc ipso die decimo-quinto Kalendas Decembris memoratur. Obiit autem anno DXCV.

Explicit Vita Sancti Gregorii Archiepiscopi Turonensis.

STEMMA GENTILITIUM

S. Gregorii Turonensis.



Codices mss. et editi, ad quos recensita sunt Gregorii Historia, Fredegarii Epitome et Chronicon; et Notæ quibus designantur.

IN Historia adornanda usus est Ruinartius codd. Jolianis duobus, 1. olim. Corbeiensi, *Corb.* altero S. Petri Bellovacensis, *Bell.* Regiæ Bibliothecæ 1. *Reg.* Colbertinæ Bibliothecæ duobus, 1. è monasterio Mettensi, *Colb. a.* altero S. Michaëlis, *Colb. m.* Beccensis monasterii 1. *Bec.* Regiimontis 1. *Regm.* Vindocinensis abbatiæ 1. *Vind.* Casinensis monasterii 1. *Casin.* Duobus Vaticanis, *Vat. Alex.* Eminentiss. Card. Ottoboni 1. *Ott.* Palatino apud Freherum, *Pal.* Fragmentis verò è codicibus Reg. Colbertinis, S. Germani à Pratis, *Germ.* Collegii Claromontani, *Clar.* S. Vincentii Cenomannensis, *Vinc.* Majorismonasterii, *Majm. etc.* Editis Badii, *Bad.* Morelii, *Mor.* et variis ejus lectionibus, *Mor. s.* Mathiæ Illyrici, *Illyr.* Historiæ Christianæ Vet. Pat. *Bar.* Marq. Freheri, *Freh.* Biblioth. PP. Bignii, *Bign.* Coloniensis, *Col.* Bochelli, *Boch.* variis ejus lectionibus, *Boch. s.* Chesnii, *Chesn.*

* Editionem Ruinartianam exegimus ad duos antiquissimos codices; unum qui fuit Bibliothecæ Cardinalis Dubois: quem codicem Duboisianum appellamus, *ub.* alterum, qui est Bibliothecæ percelebris Monasterii Cluniacensis. Hunc *Clun.* dicimus.

Fredegarii Epitome recensita est ad codd. Sirmondianum, *Clar.* et unum illust. Boherii, *Boh.* Ad editos Freheri, et Chesnii. Chronicum verò ad mss. eosdem, et Colbertinum 1. Vaticanum è Bibliotheca Palatina, *Vat.* Ad editos ut suprà ad Gregorium, et ad duos codices Canisianos.

* In Chronico S. Benigni Divionensis, edito ab Acherio tomo 1. Spicilegii, quæ ad Historiam nostram spectant, ea ex Fredegarii Epitome et Chronico exscripta sunt. Sicubi variat Chronicum Benignianum, uncinorum ope monstrabimus.

SANCTI

SANCTI GEORGII FLORENTII
GREGORII
EPISCOPI TURONENSIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ FRANCORUM
LIBRI DECEM.

PRÆFATIO.

DECEDENTE, atque (a) immò potiùs pereunte ab urbibus Gallicanis liberalium cultura litterarum, cùm nonnullæ res gererentur vel recte, vel improbè, ac feritas Gentium desæviret, Regum furor acueretur, Ecclesiæ impugnarentur ab Hæreticis, à Catholicis tegerentur : ferveret Christi fides in plurimis, refrigesceret (b) in nonnullis, ipsæ quoque Ecclesiæ vel ditarentur à devotis, vel nudarentur à perfidis ; nec reperiri posset quisquam peritus in arte dialectica grammaticus, qui hæc aut stylo prosaïco, aut metrico depingeret versu. Ingemiscebant sæpiùs plerique (c), dicentes : Væ diebus nostris, quia periit studium litterarum à nobis, nec reperitur in populis, qui gesta præsentia promulgare possit in paginis. Ista etenim atque his similia jugiter intuens dici (d), pro commemoratione præteritorum, ut notitiam attingerent venientium, etsi inculto affatu, nequivi tamen obtegere vel certamina flagitiosorum, vel vitam rectè viventium. Et præsertim his inlicitus stimulis, quod à nostris fari plerumque miratus sum, quia philosophantem rhetorem intelligunt pauci, loquentem rusticum multi ; libuit etiam animo, ut pro supputatione annorum ab ipso mundi principio libri primi poneretur initium : cujus capitula deorsùm subjeci.

(a) Aliqui *recedente*. Cod. Casin. *decedente itaque*. Ceterùm hæc præfatio deest in plerisque editis et mss. Eam tamen Fredegarius integram retulit.

(b) Alii cum Fredeg. *tepesceret*.

(c) Fredeg. edit. *Clerici* ; in ms. tamen habebatur *clerique* : sed antiqua manu emendatum est *clerici*.

(d) Cod. Casin. *duxi*, et infrà pro *inlicitus*, habet *illectus*.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

I. De creatione Adæ et Evæ, et de Adæ typo.
II. Ut Cain occidit Abel fratrem suum.
III. Enoch justus, quomodo à Deo translatus est.
IV. De diluvio, de Noë, de arca, de ira Dei et supputatione generationum.
V. De generatione Noë et filiorum ejus, præcipuè de Chus filio Cham magiæ et idololatriæ incœptore et inventore staticuli.
VI. De turre Babylonica et linguarum confusione.
VII. De ortu, nativitate et interpretatione Abrahæ, de Nino.
VIII. De Isaac, Esaü et filiis ejus, et Job.
IX. De Jacob et filiis ejus, et Joseph in Ægypto.
X. De Nili natura, et maris Rubri transitu.
XI. De filiis Israël in eremo, et de ingressu eorum in terram promissionis, et Josuë.
XII. De Regibus Judæorum.
XIII. De Salomone et Templi ædificatione.
XIV. Quomodo regnum Israël sit divisum propter duritiam Roboæ, et de captivitate Babylonica, et de Prophetis illius temporis.
XV. De reditu Judæorum è Babylone usque ad Christi nativitatem.
XVI. De reliquarum gentium Regibus et regnis.
XVII. De Imperatoribus Romanis. Quo tempore Lugdunus sit condita.
XVIII. De Nativitate Salvatoris nostri. De muneribus Magorum et nece Infantum.
XIX. De Christi prædicatione, miraculis et passione.
XX. De Joseph ab Arimathia, qui eum sepelivit.
XXI. De Jacobi Apostoli voto.
XXII. De die Resurrectionis Dominicæ.
XXIII. De Ascensione Domini; et de interitu Pilati et Herodis.
XXIV. De Petro qui Romam venit, et martyrium Christo perhibuit, et de Nerone; de Jacobo, Marco, et Johanne Evangelista.
XXV. De persecutione sub Trajano principe.
XXVI. De hæresum et schismatum ortu.
XXVII. De Photino et Irenæo martyribus.
XXVIII. De persecutione sub Decio, de septem viris in Gallias ad prædicandum missis.
XXIX. De Bituricensium conversione.
XXX. De persecutione sub Valeriano et Gallieno. De Chroco et de delubro Arverno.
XXXI. De aliis Martyribus.
XXXII. De Privato Martyre et Chroco tyranno.
XXXIII. De persecutione sub Diocletiano.
XXXIV. De Constantino Magno, beato Martino, et Crucis Dominicæ inventione.
XXXV. De Constantis Imperio.
XXXVI. De adventu sancti Martini. De Melania matrona.
XXXVII. De interitu Valentis Imperatoris.
XXXVIII. De Theodosio et ejus Imperio. De interitu Maximi tyranni.
XXXIX. De Urbico Episcopo Arverno.
XL. De sancto Hillidio, et ejus in Episcopatu successore.
XLI. De sancto Nepotiano etiam Arvernorum Episcopo.
XLII. De Duorum-Amantium castitate et sepultura.
XLIII. De beati Martini transitu.

SANCTI GEORGII FLORENTII GREGORII

EPISCOPI TURONENSIS

HISTORIA ECCLESIASTICA FRANCORUM.

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

A SCripturus bella Regum cum gentibus adversis, Martyrum cum paganis, Ecclesiarum cum hæreticis, priùs fidem meam proferre cupio, ut qui legerit, me non dubitet esse catholicum. Illud etiam placuit propter eos, qui appropinquante mundi fine desperant, ut collecta per chronicas (a) vel per historias anteriorum annorum (b) summa, explanetur apertè quot ab exordio mundi sint anni. Sed priùs veniam à legentibus precor, si aut in litteris, aut in syllabis grammaticam artem excessero, de qua adplenè (c) non sum imbutus. Illud tantùm studens, ut quod in Ecclesia credi prædicatur, sine aliquo fuco aut cordis hæsitatione retineam : quia scio peccatis obnoxium, per credulitatem puram (d) obtinere posse veniam apud nostrum pium Dominum (e).

Credo ergo in Deum Patrem omnipotentem. Credo in Jesum-Christum filium
B ejus unicum, Dominum Deum nostrum, natum à Patre, non factum; non post tempora, sed ante cunctum tempus, semper fuisse cum Patre. Nec enim Pater dici potuerat, nisi haberet Filium : neque Filius esset, si Patrem utique non haberet. Illos verò qui dicunt, (f) *Erat quando non erat*, exsecrabiliter renuo, et ab Ecclesia segregari contestor. Credo Christum hunc Verbum esse Patris, per quem facta sunt omnia. Hunc Verbum carnem factum credo, cujus passione mundus redemtus est; et humanitatem, non Deitatem subjacuisse passioni credo. Credo eum die tertia resurrexisse, hominem perditum liberasse, ascendisse in cœlos, sedere ad dexteram Patris : venturum ac judicaturum vivos et mortuos. Credo sanctum Spiritum à Patre et Filio (g) processisse, non minorem, et quasi antè non esset; sed æqualem, et semper cum Patre et Filio coæternum Deum, consubstan-
C tialem natura, æqualem omnipotentia, consempiternum essentia, ut nunquam sine Patre fuisse vel Filio, neque minorem Patre vel Filio. Credo hanc Trinitatem sanctam in distinctione subsistere personarum; et aliam quidem personam Patris, aliam Filii, aliam Spiritûs-Sancti. In qua Trinitate unam Deitatem, unam potentiam, unam essentiam esse confiteor. Credo (h) beatam Mariam, ut virginem ante partum, ita virginem et post partum. Credo animam immortalem, nec tamen partem habere Deitatis. Et omnia quæ a trecentis decem et octo Episcopis Nicææ constituta sunt, credo fideliter. De fine verò mundi ea sentio quæ à prioribus didici. Antichristus (i) verò primùm circumcisionem inducet, se asserens

(a) Sic Bec. et Reg. alii *Chronica*. Certè infrà omnes habent, *chronicæ Eusebii*.

(b) In cod. Corb. deest *annorum*.

(c) Cod. Reg. [et Clun.] *de qua plenè*. Casin. *adprime non sum instructus*.

(d) [Cod. Clun. *per credulitatis puritatem*.]

(e) Mss. et aliquot editi, *apud Deum*.

(f) Hoc adversùs Arianos symbolo suo addiderunt Patres Nicæni. Unde, ni fallor, post hæc verba, *Erat quando non erat*, addendum est, *etc.*

(g) Hanc particulam *Filioque*, habent omnes editi et mss. cum codice Corbeiensi. Et quidem jam à sæculo v. et vi. in fidei professionibus legitur in Hispaniæ synodis : quamquam sæculo ix. turbæ excitatæ fuerunt, cùm primùm symbolo Constantinopolitano, quod inter Missarum solemnia cantabatur, addita fuit.

(h) Hæc usque ad cap. 1. desunt in cod. Regio.

(i) Cod. Casin. *didici Antichristum priùs esse venturum, qui se asserens, etc.* In Corb. post *venturum* semilinea detrita est, post quam *sed primùm circumcisionem*.

Christum : deinde in templo Hierosolymis statuam suam collocabit adorandam , A
Matth. 24. 15. sicut (a) Dominum dixisse legimus : *Videbitis abominationem desolationis stantem in loco sancto.* Sed diem illam omnibus hominibus ignorari , ipse Dominus manifestat
Marc. 13. 32. dicens : *De die autem illa et hora nemo scit , neque Angeli cœlorum , neque Filius, nisi Pater solus.* Sed et hîc respondebimus hæreticis , qui nos impugnant asserentes minorem esse Filium Patre , qui hanc diem ignoret. Cognoscant ergo hunc
2. *Cor.* 6. 18. Filium Christianum populum nuncupatum , de quo à Deo prædicitur : *Ego ero illis in patrem , et ipsi erunt mihi in filios.* Si enim hæc de unigenito Filio prædixisset , nunquam ei Angelos præposuisset. Sic enim ait : *Neque Angeli cœlorum , neque Filius ;* ostendens non de Unigenito , sed de adoptivo populo hæc dixisse (b). Noster verò finis, ipse Christus est, qui nobis vitam æternam, si ad eum conversi fuerimus, larga benignitate præstabit. B

De supputatione verò hujus mundi evidenter Chronicæ Eusebii Cæsariensis Episcopi ac Hieronymi Presbyteri proloquuntur , et rationem de omnium annorum serie pandunt. Nam et Orosius diligentissimè hæc inquirens , omnem numerum annorum ab initio mundi usque ad suum tempus in unum collegit. Hoc etiam et Victorius (c), cùm ordinem Paschalis sollemnitatis inquireret , fecit. Ergo et nos scriptorum suprà memoratorum exemplaria sequentes , cupimus à primi hominis conditione, si Dominus dignabitur suum commodare auxilium , usque ad nostrum tempus cunctam annorum congeriem computare. Quod faciliùs adimplebimus , si ab ipso Adam sumamus exordium.

I. In principio Dominus cœlum terramque , in Christo suo , qui est omnium C principium , id est in Filio suo formavit , qui post creata mundi elementa , glebam assumens fragilis limi (d) , hominem ad suam imaginem similitudinemque plasmavit (e) , et insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ , et factus est in animam viventem : cui dormienti ablata costa , mulier Eva creata est. Nec dubium enim est, quòd hic primus homo Adam , antequàm peccaret , typum Domini nostri Redemtoris prætulisset. Ipse enim in sopore passionis obdormiens , de latere suo dum aquam cruoremque produxit , virginem immaculatamque Ecclesiam sibi exhibuit , redemtam sanguine , latice emundatam , non habentem maculam aut rugam ; id est lymphis ablutam propter maculam , in cruce extensam propter rugam. Hi ergo primi homines inter amœna Paradisi (f) beatè viventes, anguis astu illecti , divina præcepta transsiliunt. Ejectique ab angelica sede , mundi laboribus depu- D tantur.

II. Cognita autem à satellite (g) mulier concepit , peperitque duos filios. Sed dum Deus unius sacrificium dignanter suscipit , alter invidia inflammante tumescit, et in fraterni sanguinis effusionem novus parricida consurgens (h), fratrem opprimit , vincit, interimit.

III. Et exhinc cunctum genus in facinus exsecrabile ruit, præter Enoch justum ; qui ambulans in viis Dei , ab ipso Domino propter justitiam assumtus de medio
Gen. 5. 24. peccantis populi liberatur. Sic enim legimus : *Ambulavit Enoch cum Deo , et non comparuit , quia Deus tulit eum.*

IV. Dominus ergo commotus contra iniquitates populi non in suis semitis gradientis, diluvium immisit , cunctamque animam viventem de superficie terræ di- E luvio inundante delevit ; tantùmque Noë fidelissimum ac peculiarem sibi , suique typi speciem præferentem , cum sua et trium natorum conjugibus , posteritatis reparandæ gratia, in arca reservavit. Increpant nos hîc hæretici, cur Scriptura sacra Dominum dixisset iratum. Cognoscant ergo , quia Dominus noster , non ut homo irascitur : commovetur enim, ut terreat : pellit, ut revocet : irascitur, ut emendet.

(a) Hunc locum de Antichristo inter alios intellexerunt duo Gallicanæ Ecclesiæ illustrissimi patres , Irenæus sub finem libri 5. et Hilarius in Commentariis in Matth. cap. 25.

(b) Diversas alias hujus loci interpretationes afferunt sancti patres , inter quas ea est communior , quòd illum quidem diem ex natura humanitatis Filius hominis nescierit , quem tamen probè Deus-homo noverat. Vel nesciebat sub ratione qua legatus erat ad homines. Non enim erat ex illis veritatibus quas cum hominibus erat communicaturus , et de quibus aliàs dixit : *Omnia nota feci vobis quæ audivi à Patre meo,* id est omnia quæ ex ejus parte vobis habebam notificanda. Hæc Augustinus et Gregorius M.

(c) [Cod. Cluniac. *Victorinus.*]

(d) Sic cod. Casin. alii *fragillimam.*

(e) [Cod. Cluniac. *formavit.*]

(f) Editi *in amœna paradiso.*

(g) Sic mss. sicut et infrà non semel. Editi tamen habent, *cognita autem à consorte.* [Clun. *cognita autem à viro.*] Corb. sicut et aliàs sæpè accusandi casu utens pro sexto , *cognitum..... satellitem.*

(h) Editi *in fratrem sanguinis..... fratricida consurgens.*

A Sed nec hoc ambigo, quòd species illa arcæ typum matris gesserit Ecclesiæ : ipsa enim inter fluctus et scopulos hujus sæculi transiens, nos ab imminentibus malis materno gestamine fovens, pio amplexu ac protectione defendit.

Ab Adam ergo usque ad Noë sunt generationes decem : id est Adam, Seth, Enos, Caïnan, Malaleel, Jared, Enoch, Matusalam, Lamech, Noë. In his ergo decem generationibus, inveniuntur anni mille ducenti quadraginta duo. Adam verò in terra Enachim sepultum, quæ priùs Ebron vocabatur, liber Jesu Nave evidenter explanat. *Jos.* 14. 15.

V. Habebat ergo Noë post diluvium tres filios, Sem, Cham, et Jafeth. De Jafeth egressæ sunt gentes, similiter et de Cham, et de Sem. Et, sicut ait vetus historia, ab his disseminatum est genus humanum sub universo cœlo. Primogenitus
B verò Cham, Chus. Hic fuit totius artis magicæ, imbuente diabolo, et primus idololatriæ adinventor. Hic primus statuunculam (a) adorandam diaboli instigatione constituit : qui et stellas, et ignem de cœlo cadere, falsa virtute, hominibus ostendebat. Hic ad Persas transiit. Hunc Persæ vocitavere Zoroastrem (b), id est viventem stellam. Ab hoc etiam ignem adorare consueti, ipsum divinitùs igne consumtum ut deum colunt.

VI. Cùmque multiplicati homines dispergerentur per universas terras, egressi ab Oriente, Sennaar gramineum reperiunt campum. In quo ædificantes civitatem, turrem quæ cœlos attingeret nituntur struere. Quorum vanam cogitationem simul et linguam, ipsosque confutans Deus, per mundum latè patentem in universa terra dispersit : vocatumque est nomen civitatis, Babel, hoc est, Confusio, eò quòd
C ibi confudisset Deus linguas eorum. Hæc est Babylonia à Nembroth (c) gigante ædificata filio Chus. Et, sicut Orosii narrat historia, mira campi planitie in quadrum disposita est : murus ejus ex coctili latere infuso bitumine, in latum habet cubitos quinquaginta, altitudinis cubitos ducentos, in circuitu stadia quadringenta septuaginta. Unum stadium (d) habet aripennes (e) quinque. Vicenæquinæ portæ per unumquodque latus sitæ sunt, quæ faciunt centum. Harum portarum ostia miræ magnitudinis, ex ære fusili sunt formata. Multa et alia de hac civitate idem Historiographus narrat (f), addens, *Et cùm tanta fuisset honestas ædificii, attamen victa atque subversa est.*

VII. Primus autem filius Noë, Sem : de quo, generatione decima, natus est Abraham : id est, Noë, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phalech, Reü (g), Sa-
D ruch, Thare, qui genuit Abraham. In his decem generationibus, hoc est, à Noë usque ad Abraham, inveniuntur anni DCCCCXLII (h). Eo tempore regnabat Ninus, qui ædificavit civitatem, quam Ninivem vocavit : cujus in tribus mansionibus spatium amplitudinis Jonas propheta determinat. Hujus quadragesimo tertio regni anno natus est Abraham. Hic est Abraham, initium fidei nostræ : hic accepit repromissiones, huic se Christus Dominus noster nasciturum, ac pro nobis passurum in victimæ commutatione monstravit, ipso in Evangeliis sic dicente : *Abraham exultavit ut videret diem meum : et vidit, et gavisus est.* Hoc verò holocaustum in monte Calvariæ (i), quo Dominus crucifixus est, oblatum fuisse Severus narrat in Chronica (k); sicut et hodieque in ipsa Hierosolymorum urbe celebre fertur. In hoc monte crux sancta, in qua Redemtor affixus est, stetit, de qua et beatus ille
E cruor effluxit. Hic ergo Abraham accepit signum circumcisionis, ostendens ut quod ille gessit in corpore, nos portemus in corde, dicente Propheta : *Circumcidite vos Deo vestro, et circumcidite præputium cordis vestri.* Et, *Nolite sequi deos alienos.* Et iterùm : *Omnis incircumcisus corde non intret in sancta mea.* Hunc Abraham Deus, post adjectam nomini syllabam (l), patrem multarum gentium nuncupavit. *Joan.* 8. 56. *Deut.* 10. 16. *Jerem.* 35. 15. *Ezech.* 44. 9.

(a) Alii *stratunculam*. Mss. Bec. Reg. et Regm. *statunculum adorandum*. Corb. *staticolam*. [Clun. *staticulum*.] Morelius quoque ex cod. ms. S. Martini Turon. legit *statunculum*; quam vocem sic neutro genere in fragmento Petronii nuper edito usurpatam fuisse observavit Alteserra.

(b) De Zoroastre, quem primum Bactrianorum Regem fuisse volunt, plura habet Plinius.

(c) Cod. Corb. habet *ab Hebron*.

(d) Editio Badii habet : *Unum stadium habet passus centum viginti quinque*. Sic et Plinius lib. 1. cap. 23.

(e) [Cod. Cluniac. *aripannos*.]

(f) Hæc omnia Orosius describit lib. 2. Histor. c. 7.

(g) Sic Mss. Bec. Reg. et Regm. alii habent *Falec*, *Ragau*.

(h) Cod. Corb. habet DCCCC. Bec. DCCCCXLV.

(i) Idem dicit Auctor sermonis 6. Appendicis S. Augustini, anteà 71. de tempore, qui et laudat Hieronymum. Sed id reperitur in cap. 15. Comment. in Marcum S. Hieronymo perperam attributorum.

(k) Gennadius in Catalogo virorum illustrium inter Severi Sulpicii opera recenset *Chronicam*, quo nomine Historiam sacram ab eo editam puto designari. In ea tamen Isaac supra Calvariæ montem immolandum à Patre ductum fuisse non lego.

(l) Genes. cap. 17. ex *Abram* appellatur *Abraham*.

VIII. Is cùm centum esset annorum, genuit Isaac. Porrò Isaac sexagesimo ætatis anno nati sunt filii gemini de Rebecca. Primus Esaü, qui et Edom, id est terrenus : qui propter gulam vendidit primogenita sua. Ipse est pater Idumæorum : de cujus generatione quarta natus est Jobab : hoc est, Esaü, Raguel, Zara, Jobab, qui et Job. Is vixit annos ducentos quadraginta novem : octogesimo (a) anno ab infirmitate liberatus est; post infirmitatem autem, centum septuaginta (b) annis, restituta in duplum omni facultate, cum tot quot perdiderat filiis jocundatus est. A

IX. Secundus autem filius Isaac, Jacob, dilectus Dei, sicut ait per Prophetam : *Malac.* 1. 3. *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Hic post angelicam luctam vocatus est Israël, à quo Israëlitæ. Hic genuit duodecim patriarchas, quorum hæc sunt nomina : Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon, Dan, Neptalim, Gad et Aser. B Post hos genuit Joseph de Rachel, nonagesimo secundo ætatis suæ anno. Hunc ceteris filiis plus dilexit. Habuit ex ea et Benjamin ultimum omnium. Joseph autem, decimum sextum ætatis annum habens, typum præferens Redemtoris, vidit somnia quæ fratribus retulit : Quasi manipulos legens (c), quos suorum fratrum manipuli adorarent : et iterùm, Quasi sol et luna cum undecim stellis prociderent ante eum. Quæ res magnum ei cum fratribus odium generavit. Unde et inflammati invidia, viginti (d) eum argenteis Ismaëlitis in Ægyptum transeuntibus vendiderunt. Imminente autem fame, cùm descendissent hi in Ægyptum, cogniti sunt à Joseph, nec tamen ipsi Joseph cognoverunt. Ipse tamen se his post multas eorum fatigationes, et adducto Benjamin, declaravit : de Rachel enim matre sua natus et hic fuerat. Post hæc descendunt cuncti Israëlitæ in Ægyptum, et C per Joseph Pharaonis gratia utuntur. Jacob autem post benedictos filios suos in Ægypto moritur, et in sepulcro (e) patris sui Isaac sepelitur in terra Chanaan. Mortuo autem Joseph atque Pharaone (f), subjicitur cuncta generatio servituti, quæ per Moysen post decem plagas Ægypti liberatur, demerso Pharaone in mari Rubro.

X. Et quoniam de hoc maris transitu plures multa dixerunt, visum est, ut de situ loci illius, vel ipsius transitu, aliqua huic inseram lectioni. Nilus per Ægyptum, sicut optimè nostis, decurrit, et ipse eam impetu suo inrigat : unde et Ægyptii Nilicolæ appellantur. Cujus nunc litora multi locorum perlustratores referta sacris Monasteriis dicunt esse. Super ripam verò ejus non Babylonia, de qua suprà meminimus, sed Babylonia altera civitas (g) collocatur, in qua Joseph hor- D rea miro opere de lapidibus quadris et cæmento ædificavit : ita ut ad fundum capaciora, ad summum verò constricta sint, ut per parvulum foramen ibidem triticum jaceretur : quæ horrea usque hodie cernuntur. De hac civitate Rex ad persequendum Hebræos, cum exercitibus curruum, ac multa pedestri manu directus est. Antè dictus verò fluvius ab Oriente veniens, ad occidentalem plagam versus Rubrum mare vadit : ab Occidente verò stagnum sive brachium de mari Rubro progreditur, et vadit contra Orientem, habens in longo millia circiter quinquaginta; in lato autem, decem et octo. In hujus stagni capite Clysma civitas (h) ædificata est, non propter fertilitatem loci, cùm nihil sit plus sterile; sed propter portum : quia naves ab Indiis venientes, ibidem ob portùs opportunitatem quiescunt : ibi comparatæ merces per totam Ægyptum deportantur. Ad hoc stagnum E per desertum Hebræi tendentes, usque ad ipsum mare venerunt, inventisque dulcibus aquis castra metati sunt. In hoc ergo arcto loco, tam ab eremo quàm ab *Exod.* 14. 3. ipso mari, consederunt, sicut scriptum est : *Audiens Pharao, quòd conclusisset eos mare atque desertum, nec esset eis via qua possent pergere, ad persequendum eos direxit.* Cùmque imminentibus his Moysi populus adclamasset, secundùm jussum Divinitatis projecta virga super mare, divisum est; illisque per sicca gradientibus, *Exod.* 14. 22. et, ut Scriptura ait, *Muro aquarum undique vallati* in litus illud, quod est contra

(a) Sic cod. Reg. alii addunt *nono;* at 89. simul cum 170. efficerent 259. Bec. *vixit an.* 248.

(b) Et tamen lib. Job cap. et ℣. ult. Job dicitur vixisse post hæc 140. annis. Versio Syriaca et Arabica 146. sic et versio Græca, quæ etiam habet totam Job vitam fuisse annorum 240. quod non habent aliæ versiones.

(c) Cod. Regm. *legens, suumque manipulum fratrum, etc.* Cod. Reg. habet *ligans suumque, etc.* quod est textui Geneseos conformius.

(d) Sic Regm. sicut et in Genesi. Alii habent *triginta.*

(e) Cod. Regm. *in sepulcro suo à Joseph.* Utraque lectio vera ex Genesi.

(f) Cod. Regm. *à Pharaone subjicitur,* quæ etiam lectio vera est.

(g) Hæc hodie Cairum appellatur, urbs Ægypti præcipua ad Nilum fluvium, olim Sultanorum Ægypti sedes, hodie Turcis subdita.

(h) Apud Ptolemæum præsidium est in sinu Arabico situm. Lismum esse Antonini putat Simlerus apud Ortelium.

A montem Syna, inlæsi prorsùs, demersis Egyptiis, Moyse duce transgrediuntur. De quo transitu multa, ut dixi, narrantur : sed nos quod à sapientibus, et certè illis hominibus, qui in eodem loco accesserant, verum cognovimus, ea inserere studuimus paginæ. Aiunt enim sulcos, quos rotæ curruum fecerant, usque hodie permanere ; et quantùm acies oculorum videre potest, in profundo cerni. Quos si modicùm commotio maris obtexerit, illo quiescente, rursùm divinitùs renovantur ut fuerant. Dicunt alii, quòd ad ipsam ripam, facto modico per mare circuitu, unde ingressi fuerant, sint reversi. Alii verò adserunt, unum cunctis ingressum : nonnulli, unicuique tribui suam patuisse viam, illud testimonium Psalterii (a) adducentes : *Qui divisit mare Rubrum in divisiones.* Quas nos divisiones spiritaliter, et non secundùm litteram intelligere oportet (b). Sunt enim et in hoc sæculo, *Psal.* 135. 13.

B quod figuraliter mare dicitur, multæ divisiones : non enim æqualiter possunt, aut per unam viam ad vitam cuncti transire. Alii autem transeunt in horam primam ; id est qui renati per baptismum, immaculati ab omni inquinamento carnis perdurare usque ad vitæ præsentis exitum possunt. Alii ad horam tertiam, videlicet qui majori ætate convertuntur. Alii ad sextam, qui luxuriæ fervorem coërcent : et per has quasque horas, sicut Evangelista commemorat, ad operam dominicæ vineæ (c) secundùm fidem propriam conducuntur. Hæ sunt divisiones, quibus per hoc mare transitur. Illud verò quòd ad mare usque venientes, litus stagni tenentes revertuntur, illud est quod Dominus ad Moysen dixit : *Reversi castra metentur è regione Phiahiroth, quæ est inter Magdalum et mare contra Beelsephon.* Nec enim dubium est, quòd *Matth.* 20. *Exod.* 14. 2.

C transitus ille maris, vel columna nubis typum gesserint nostri baptismatis, dicente beato Paulo Apostolo : *Nolo vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari.* Columna verò ignis, typum sancti Spiritûs prætulit. 1. Cor. 10. 1. 2.

A nativitate ergo Abrahæ usque ad egressum filiorum Israël ex Egypto, vel transitum maris Rubri, qui fuit Moysi octogesimus annus, supputantur anni numero CCCCLXII (d).

XI. Exinde per quadraginta annos Israëlitæ eremo utuntur, imbuuntur legibus : probantur, victibusque pascuntur angelicis. Deinceps enim post acceptam Legem, transgressoque cum Jesu Nave Jordane, terram Repromissionis accipiunt.

XII. Post cujus transitum, dum præcepta divina postponunt, sæpè in alienige-

D narum servitio subjugantur. Sed cùm conversi ingemiscunt, tribuente Domino, per virorum fortium brachium liberantur. Post hæc per Samuelem, Regem, sicut reliquæ gentes habent, à Domino postulantes, accipiunt primùm Saül, deinde David.

Ab Abraham ergo usque ad David generationes quatuordecim, id est, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares, Esrom, Aram, Aminadab, Naason, Salmon, Booz, Obeth, Jesse, David. David autem genuit Salomonem de Bersabee. Is per Natham prophetam, fratrem suum, et matrem in regno evectus est.

XIII. Defuncto autem David, cùm regnare cœpisset Salomon, apparuit ei Dominus, et quod peteret, ut indulgeat pollicetur. At ille terrenas divitias postponens, sapientiam magis expetiit. Quod ratum (e) Domino fuit, ita ut ab eodem audiret :

E *Quia non quæsisti regna mundi, nec divitias ejus, sed postulasti sapientiam, ideò accipies eam. Ante te non fuit tam sapiens, sic et post te non erit.* Quod posteà judicium illud, quod inter duas mulieres de uno infante litigantes intulit, comprobavit. Hic Salomon ædificavit Templum nomini Domini miro opere, multum ibi auri argentique, æris ac ferri ingerens, ita ut diceretur à quibusdam, nunquam simile in mundo fuisse ædificium fabricatum. 3. *Reg.* 3. 12. *Ibid.* 16 *et seq.*

Ab egressu ergo filiorum Israël ex Egypto usque ad ædificationem Templi, qui fuit annus septimus regni Salomonis, inveniuntur anni CCCCLXXX. (f) sicut Regum testatur historia.

XIV. Post mortem autem Salomonis, divisum est per duritiam Roboæ regnum in duas partes. Restiterunt duæ tribus ad Roboam, quod Juda appellatur : ad Hie-

(a) Codex Turon. apud Morelium habet, *testimonium Psalterii abutentes.* Videtur quippe Gregorius eorum sententiam, de qua hîc loquitur, non approbare.

(b) [Codex Cluniac. *possumus.*]

(c) [Cod. Clun. *ad operandam dominicam vineam.*]

(d) [Cod. Clun. CCCCXLII.] * Utrobique malè, si verus numerus quæritur; nam à nativitate Abrahæ ad exitum filiorum Israël ex Ægypto effluxerunt anni DV. Anno ætatis suæ LXXV. à Deo vocatus est Abraham, et ab hac vocatione ad transitum maris Rubri numerantur anni CCCCXXX. quibus si addas LXXV. conficies annos DV.

(e) Latinius mavult legere *gratum.*

(f) Cod. Corb. CCLXXX. sed mendosè, ut patet ex Regum libro 3. cap. 6.

roboam autem decem tribus, quod Israël vocabatur. Post hæc igitur ad idololatriam A
declinantes, nec prophetarum vaticinia, nec eorum interitus, nec clades patriæ, nec
ipsorum etiam Regum eos excidia domuerunt ; donec iratus contra eos Dominus exci-
tavit Nabuchodonosor, qui eos in Babyloniam cum omnibus Templi ornamentis cap-
tivos abduxit : in qua captivitate et Daniel propheta eximius inter esurientes leones
inlæsus, et tres pueri in medio ignium rorulenti, abiere captivi. In hac captivitate et
Ezechiel prophetavit, et Esdras propheta natus est.

A David autem usque ad desolationem Templi, et transmigrationem in Babyloniam
generationes quatuordecim, id est, David, Salomon, Roboam, Abia, Asa, Josa-
phat, Joram, Ozias, Joatham, Achaz, Ezechias, Manasses, Amon, Josias. In his
ergo quatuordecim generationibus anni inveniuntur numero CCCLXI (a). De hac
verò captivitate per Zorobabel liberantur : qui posteà et Templum et civitatem res- B
tituit. Sed hæc captivitas typum illius captivitatis, ut puto, gerit, in qua anima
peccatrix abducitur, quam nisi Zorobabel, id est Christus, liberaverit, horribiliter
Joan. 8. 36. exsulabit. Ipse enim Dominus in Evangelio dicit : *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.*
Ipse, oro, sibi in nobis templum, in quo dignetur habitare, constituat, in quo fides,
ut aurum luceat ; in quo eloquium prædicationis, ut argentum splendeat : in quo
omnia visibilis templi illius ornamenta in nostrorum sensuum honestate clarescant.
Bonæ etiam voluntati nostræ ipse salubrem effectum indulgeat : quia *nisi ipse ædificaverit*
Psal. 126. 1. *domum, in vanum laborant qui edificant eam.* Hæc verò captivitas annis LXXVI (b). fuisse
dicitur.

XV. Reversi autem per Zorobabel, sicut diximus, nunc contra Deum murmurantes,
nunc post idola corruentes, vel abominationes facientes, et quæ gentes exercent imi- C
tantes, dum Dei prophetas contemnunt, gentibus traduntur, subjugantur, inter-
cidunt : donec ipse Dominus patriarcharum prophetarumque vocibus repromissus,
Virginis Mariæ utero per Spiritum-Sanctum inlapsus, ad redemtionem nasci, tam
illius gentis, quàm omnium gentium dignaretur.

A transmigratione ergo usque ad nativitatem Christi generationes quatuordecim :
id est, Jechonias, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliachim, Azor, Sadoc, Achim (c),
Eliud, Eleazar, Mathan, Jacob, Joseph vir Mariæ, de qua Dominus noster Jesus-
Christus nascitur : qui Joseph, quartus-decimus computatur (d).

XVI. Ergo ne videamur unius tantùm Hebrææ gentis habere notitiam, reliqua
regna, quæ, vel quali Israëlitarum fuerint tempore, memoramus. Tempore Abrahæ
Ninus regnabat super Assyrios : Sicyoniis EurOps : apud Ægyptios autem sexta- D
decima erat potestas, quam sua lingua Dynastian vocabant. Tempore Moysi apud
Argivos regnabat septimus Tropas (e) : in Attica Cecrops primus : apud Ægyptios
Cenchris duodecimus, qui et in mari obrutus est Rubro : apud Assyrios sextus-decimus
Agatadis : apud Sicyonios Maratis. Tempore verò Salomonis, quando regnabat
super Israël, apud Latinos quintus regnabat Silvius : Lacedæmoniis Festus (f) :
Corinthiis secundus Oxion : Ægyptiorum Thephei (g). Centesimo vicesimo sexto
anno (h) super Assyrios Eutropes : Atheniensibus secundus Agasastus. Tempore
quo Amon regnabat super Judæam, quando captivitas in Babyloniam abiit,
Macedoniis præerat Argeus : Lydorum Gyges : Ægyptiorum Vafres : apud Baby-
loniam Nabuchodonosor, qui eos captivos abduxit : Romanorum, sextus Servius
Tullus (i).

XVII. Post hos, Imperatores : primus, Julius Cæsar fuit, qui totius Imperii ob- E
tinuit monarchiam : secundus, Octavianus, Julii Cæsaris nepos, quem Augustum
vocant, à quo et mensis Augustus vocitatus. Cujus nono-decimo imperii anno, Lug-
dunum Galliarum urbem conditam manifestissimè reperimus (k) : quæ posteà inlustrata
Martyrum sanguine, Nobilissima nuncupatur.

(a) Sic codd. mss. cum edit. Badiana ; aliæ cum Bec. habent CCCXL. Cod. Corb. CCCXC.

(b) Sic cod. Corb. alii LXX.

(c) Idem habet, *Joachim.*

(d) Hic solummodò decimus-tertius recensetur, nisi duplex Jechonias admittatur, pater scilicet et filius, qui etiam Joachim dicti sunt, ut observant Ambrosius, Augustinus, Hieronymus et alii patres.

(e) Cod. Corb. *Trophas.*

(f) Cod. Regm. *Sistus*, alii cum edit. *Fistus*. Corb. lectionem ceteris prætulimus.

(g) Sic idem cod. Corb. at alii *Thebei.*

(h) Corb. habet, *centesimo vigesimo anno.* Ed. Bad. *septuagesimo sexto anno.*

(i) Codd. mss. Corb. Reg. Bec. et Regm. omittunt hanc vocem *Tullus.*

(k) Utrumque quod hîc à Gregorio dicitur falsum esse putat Valesius in Notitia Galliarum. Nam, teste Dione, ut hic auctor observat, Lugdunum à Lucio Planco conditum est jussu Senatûs, metuentis ne Plancus armatus Antonio hosti reipublicæ declarato sese conjungeret. Secundò Lugdunum *nobilissimum* dictum non est à Martyrum multitudine, sed ob splendorem et potentiam coloniæ, quæ etiam Senatores Curiæ conferebat. In eadem urbe natus est Claudius Augustus.

XVIII. Anno

A XVIII. Anno quadragesimo-tertio (a) imperii Augusti, Dominus noster Jesus-Christus, ut diximus, ex Virgine Maria in Bethleem David oppido, secundùm carnem natus est : cujus immensum sidus Magi ab Oriente cernentes, cum muneribus veniunt: et puerum supplices oblatis donis adorant. Herodes verò ob zelum regni sui, dum Deum Christum persequi nititur, parvulos infantes interimit. Ipse quoque postmodùm judicio divino percussus est.

XIX. Domino autem Deo nostro Jesu-Christo pœnitentiam prædicante, baptismi gratiam tribuente, vel cœleste regnum cunctis gentibus promittente, atque prodigia et signa per populos operante; hoc est, dum de aquis vina profert, dum febres exstinguit, dum cæcis lumen tribuit, dum sepultis vitam restituit, dum obsessos ab immundis spiritibus liberat, dum leprosos miserabili turpentes cute reformat : hæc dum et alia signa multa faciens, manifestissimè se Deum populis esse
B declarat : in Judæis ira succenditur, invidia exagitatur, ac mens de sanguine Prophetarum pasta, ut Justum interimat injustè molitur. Ergo ut veterum Vatum complerentur oracula, à discipulo traditur, à Pontificibus iniquè condemnatur, à Judæis inluditur, cum iniquis crucifigitur, à militibus emisso spiritu custoditur. His igitur actis, tenebræ super universum mundum factæ sunt, et multi conversi ingemiscentes, Jesum Filium Dei confessi sunt.

XX. Adprehensus autem et Joseph, qui eum aromatibus conditum in suo monumento recondidit, in cellulam recluditur (b), et ab ipsis Sacerdotum Principibus custoditur, majorem in eum habentes sævitiam, ut Gesta Pilati ad Tiberium Imperatorem missa referunt (c), quàm in ipsum Dominum, ut cùm ille à militibus, hic ab ipsis Sacerdotibus custodiretur : sed resurgente Domino, custodibus
C visione angelica territis, cùm non inveniretur in tumulo, nocte parietes de cellula, in qua Joseph tenebatur, suspenduntur in sublimi; ipse verò de custodia, absolvente Angelo, liberatur, parietibus restitutis in locum suum. Cùmque Pontifices custodibus exprobrarent, et sanctum corpus ab eisdem instanter requirerent, dicunt eis milites : *Reddite vos Joseph, et nos reddimus Christum : sed ut verum agnoscimus, neque vos benefactorem Dei, neque nos Filium Dei reddere nunc valemus.* Tunc illis confusis, milites sub hac excusatione liberantur.

XXI. Fertur Jacobus Apostolus, cùm Dominum jam mortuum vidisset in cruce, detestasse (d) atque jurasse, nunquam se comesturum panem, nisi Dominum cerneret resurgentem. Tertia demum die rediens Dominus, spoliato tartaro cum triumpho, Jacobo se ostendens, ait : *Surge Jacobe, comede, quia jam à mortuis resurrexi.* Hic est
D Jacobus Justus quem fratrem Domini nuncupant (e), pro eo quòd Joseph fuerit filius ex alia uxore progenitus.

XXII. Dominicam verò resurrectionem die prima factam credimus, non septima, sicut multi putant. Hic est dies resurrectionis Domini nostri Jesu-Christi, quem nos propriè Dominicam pro sancta ejus resurrectione vocamus. Hic primus lucem vidit in principio, et hic primus Dominum resurgentem contemplari meruit de sepulcro.

A captivitate verò Hierosolymæ et desolatione Templi, usque ad passionem Domini nostri Jesu-Christi, id est usque ad Tiberii septimum-decimùm annum, supputantur anni DCLXVIII (f).

XXIII. Resurgens autem Dominus, per quadraginta dies cum discipulis de regno
E Dei disputans, videntibus illis in nube susceptus, evectusque in cœlos, ad Patris dexteram residet gloriosus. Pilatus autem Gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, et ei tam de virtutibus Christi, quàm de passione vel resurrectione ejus insinuat. Quæ Gesta (g) apud nos hodie retinentur scripta. Tiberius autem hoc ad

(a) Cod. Corb. *anno quadragesimo-quarto imperii, etc.* Ceteri scripti habent, *quadragesimo tertio*, ut editi.

(b) Hoc ex apocrypho Nicodemi Evangelio, aut ex aliquo ejusdem farinæ auctore descripsit Gregorius, nec majorem fidem merentur Gesta Pilati, quæ inter apocrypha deputavit Gelasius Papa in Catalogo librorum apocryphorum.

(c) Tertullianus in Apologetico idem testatur, et ex eo Eusebius lib. 2. Histor. cap. 2. Plura habet Orosius libro 7. cap. 2. ubi ait Pilatum retulisse ad Tiberium et Senatum de passione et resurrectione Christi, de ejus virtutibus, et iis quæ per ipsius discipulos in ejus nomine fiebant, etc.

(d) Editi habent *detestatum esse.* Hanc autem historiam ex Hebræorum Evangelio laudat Hieronymus in Catalogo virorum illustrium. De ea et vulgatus Abdias libro 6.

(e) Quæ sequuntur ad caput 22. desunt in cod. Regio. Jacobum Josephi ex alia uxore filium fuisse dicunt plerique patres Græci et Latini, quos impugnat Hieronymus. Et quidem Jacobi mater, quæ laudatur in Evangelio, tempore passionis Christi nondum obierat; sicque Joseph aut eam repudiasse dicendus est, ut Mariam duceret; aut duas uxores simul habuisse. Quod utrumque falsissimum esse nemo non videt.

(f) Hæc annorum enumeratio in cod. Corb. non habetur.

(g) Gesta Pilati laudat Justinus martyr Apolog. 2. quæ suo tempore in omnium manibus habebantur : quæ verò ad nos pervenere, vulgòque nunc circumferuntur, inter spuria monumenta reputari debent.

Senatum (a) recensuit : quod Senatus cum ira respuit, pro eo quòd non ad eum primitus advenisset. Hinc etenim contra Christianos prima odiorum germina pullularunt. Pilatus autem non permanens impunitus, pro suæ malitiæ scelere, hoc est, pro nece, quam in Dominum nostrum Jesum-Christum exercuit, propriis se manibus interfecit (b); quem Manichæum fuisse multi putant, secundùm illud quod *Luc.* 13. 1. in Evangelio legitur : *Venerunt quidam de Galilæis, nuntiantes ei, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum.*

Sic et Herodes Rex, dum in Apostolos Domini sævit, percussus divinitus ob tanta scelera, intumescens ac scatens vermibus, accepto cultro ut malum purgaret, propriæ in se manûs ictum libravit (c).

XXIV. Beatus Petrus Apostolus sub Imperatore Claudio, quarto ab Augusto, Romam adgreditur (d) : ibique prædicans, multis virtutibus manifestissimè Christum esse Dei filium comprobavit. Ab illis enim diebus Christiani apud civitatem Romanam esse cœperunt. Cùm autem nomen Christi per populos magis ac magis dilataretur, oritur contra hæc antiqui serpentis invidia, et totis se Imperatoris præcordiis immittit sæva malignitas. Nam Nero ille luxuriosus, vanus atque superbus, virorum succuba, et rursùs virorum appetitor, matris, sororum, ac proximarum quarumque mulierum spurcissimus violator, ad complendam malitiæ suæ molem, primus contra Christi cultum persecutionem excitat in credentes. Habebat enim secum Simonem Magum, virum totius malitiæ, et omnis magicæ artis magistrum. Hoc eliso per Apostolos Domini Petrum atque Paulum, commotus contra eos, quòd Christum (e) Filium prædicarent, et idola adorare contemnerent, Petrum cruce, Paulum gladio jubet interfici. Ipse quoque excitatam super se seditionem fugere tentans, quarto ab Urbe lapide propria se manu interfecit.

Tunc et Jacobus frater Domini, et Marcus Evangelista, pro Christi nomine glorioso martyrio coronati sunt. Primus tamen omnium hanc viam Levita Stephanus et martyr intravit. Magna post Jacobi Apostoli necem Judæos calamitas adsecuta est. Nam adveniente Vespasiano, et Templum incensum est, et sexcenta millia Judæorum eo bello gladio (f) et fame affecta sunt. Domitianus autem secundus post Neronem in Christianos sævit : Johannem Apostolum in insulam Pathmos relegat in exsilium, et diversas crudelitates in populos agitat. Post cujus mortem beatus Johannes Apostolus et Evangelista de exsilio rediit : qui senex et plenus dierum, perfectæque in Deum vitæ, vivens se deposuit in sepulcro. Hic fertur (g) non gustare mortem, donec iteratò Dominus judicaturus adveniat, ipso in Evangeliis ita *Joan.* 21. 21. dicente, *Sic eum volo manere donec veniam* (h).

XXV. Tertius post Neronem persecutionem in Christianos Trajanus movet : sub quo beatus Clemens, tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus (i), passus est; et sanctus Simeon Hierosolymitanus Episcopus, Cleophæ filius, pro Christi nomine crucifixus adseritur : et Ignatius Antiochensis Episcopus Romam ductus bestiis deputatur. Hæc sub Trajani temporibus acta sunt.

XXVI. Post hunc (k) Ælius Adrianus Imperator creatus est. Unde et Hierosolyma Ælia ab Ælio Adriano vocatur, successore Domitiani, eò quòd eam reparaverit. Post has verò passiones sanctorum, non fuit satis parti adversæ gentes incredulas contra Christicolas excitasse, nisi commoveret et in ipsis Christianis schismata. Concitat hæreses, et divisa fides catholica aliter aliterque disseritur. Nam sub Antonini imperio Marcionitana et Valentiniana hæresis insana surrexit (l) : et Justinus Philosophus, post scriptos Catholicæ Ecclesiæ libros, martyrio pro Christi nomine coronatur. In Asia autem, orta persecutione, beatissimus Polycarpus, Johannis Apostoli et Evangelistæ discipulus, octogesimo ætatis suæ anno, velut holocau-

(a) Cod. Corb. *Senatores*.

(b) Apud Viennam Galliæ urbem relegatus, ut scribit Ado Viennensis in Chronico.

(c) Sic cod. Regm. alii verò, *propriæ se manûs ictu liberavit*. Corb. *ictibus*. De Herodis Agrippæ interitu præter Acta Apostolorum cap. 12. legendus Joseph in Antiquit. Judaïcis cap. 7. Gregorius tamen hîc Ascalonitam cum Agrippa confundit. Quæ enim hîc narrat Ascalonitæ contigerunt, ut refert Joseph lib. 2. de bello Judaïco, et ex eo Eusebius et Rufinus lib. 1. Historiæ cap. 8.

(d) [Codex Cluniac. *ingreditur*.]

(e) Sic habent omnes editi. Legendum tamen, *Christum filium Dei predicarent*. Quæ lectio est cod. Bec.

(f) Cod. Corb. *et bello et gladio*.

(g) Hæc fuit aliquot veterum opinio, quam Tertullianus et alii plerique patres refutarunt. Polycrates Ephesiorum Episcopus, qui Johannis discipulos viderat, eum Ephesi sepultum, ibique extremam resurrectionem exspectantem jacere affirmat in epistola, quam Eusebius refert lib. 5. cap. 24.

(h) Sic habent Bec. Reg. et Regm. cum editis Bad. et Ill. quam lectionem vulgata nostra etiam nunc retinet. Alii, *si eum volo, etc.* ut Græci legunt, et in aliquot mss. Latinis habetur.

(i) Corb. *Ecclesiæ fuit Episcopus. Passus, etc.*

(k) Illud caput cum seq. deest in cod. Corb.

(l) Cod. Regm. *hæreses insanæ surrexerunt*.

A stum purissimum, per ignem Domino consecratur. Sed et in Galliis multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cœlestibus coronati : quorum passionum historiæ apud nos fideliter usque hodie retinentur (a).

XXVII. Ex quibus et ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Photinus Episcopus fuit, qui plenus dierum, diversis afflictus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Beatissimus verò Irenæus hujus successor martyris, qui à beato Polycarpo ad hanc urbem directus est, admirabili virtute enituit : qui in modici temporis spatio prædicatione sua maximè in integro civitatem reddidit Christianam. Sed veniente persecutione talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, et tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem Dominici nominis est jugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano : quorum nec numerum, nec nomina colligere
B potuimus. Dominus enim eos in libro vitæ conscripsit. Beatum Irenæum diversis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per martyrium dedicavit (b). Post hunc et quadraginta octo (c) martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vettium-Epagatum.

XXVIII. Sub Decio verò Imperatore multa bella adversùm nomen Christianum exoriuntur, et tanta strages de credentibus fuit, ut nec numerari queant. Babyllas Episcopus Antiochenus cum tribus (d) parvulis, id est, Urbano, Prilidano, et Epolono : et Sixtus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, et Laurentius Archidiaconus, et Hippolytus, ob Dominici nominis confessionem per martyrium consummati sunt. Valentinianus et Novatianus maximi tunc hereticorum (e) principes, contra fidem nostram inimico impellente grassantur. Hujus tempore septem viri Episcopi ordinati
C ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia passionis sancti martyris Saturnini denarrat (f). Ait enim : *Sub Decio et Grato Consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana civitas sanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem.* Hi ergo missi sunt : Turonicis, Gatianus (g) Episcopus : Arelatensibus, Trophimus Episcopus : Narbonæ, Paulus Episcopus : Tolosæ, Saturninus Episcopus : Parisiacis, Dionysius Episcopus : Arvernis, Stremonius Episcopus : Lemovicinis, Martialis est destinatus Episcopus. De his verò beatus Dionysius Parisiorum Episcopus, diversis pro Christi nomine adfectus pœnis, præsentem vitam gladio imminente finivit : Saturninus verò, jam securus de martyrio, dicit duobus Presbyteris suis : *Ecce ego jam immolor, et tempus meæ resolutionis instat. Rogo, ut usquedum debitum finem impleam, à vobis penitùs non relinquar.* Cùmque
D comprehensus ad Capitolium duceretur, relictus ab his solus adtrahitur. Igitur (h) cùm se ab illis cerneret derelictum, orasse fertur : *Domine Jesu-Christe, exaudi me de cœlo sancto tuo, ut nunquam hæc Ecclesia de his civibus mereatur habere Pontificem in sempiternum.* Quod usque nunc in ipsa civitate ita evenisse cognovimus. Hic verò tauri furentis vestigiis alligatus, ac de Capitolio præcipitatus, vitam finivit. Gatianus verò, Trophimus, Stremoniusque, et Paulus, atque Martialis, in summa sanctitate (i) viventes, post acquisitos Ecclesiæ populos, ac fidem Christi per omnia dilatatam, felici confessione migrarunt. Et sic tam isti per martyrium, quàm hi per confessionem, relinquentes terras, in cœlestibus pariter sunt conjuncti.

XXIX. De (k) horum vero discipulis quidam Biturigas civitatem adgressus, Sa-

(a) In epistola scilicet Lugdunensium Martyrum quam Eusebius in Historia Ecclesiastica refert Eam, et suprà laudatorum Martyrum passiones, dedimus inter Acta Martyrum sincera.

(b) Conqueritur S. Gregorius M. lib. 9. ep. 50. scripta simul et gesta S. Irenæi à se non potuisse reperiri. Scripta ut plurimùm habemus, sed gesta authentica nemo hactenùs protulit. Irenæo Martyris titulum tribuit Hieronymus.

(c) Illi non post Irenæum, sed ante ipsum simul cum Photino Episcopo passi sunt, quorum nomina ipse Gregorius refert lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 49.

(d) Sic mss. omnes cum edit. Bad. aliæ cum Bec. *fratribus.* Tres pueros cum Babila interfectos memorant Chrysostomus et alii.

(e) Corb. *maximè tunc hæretici, quorum principes, etc.*

(f) Acta S. Saturnini ejus in Gallias missionis tempus exhibent : sed nihil habent de ceteris hîc recensitis, quorum in Gallias adventum alii aliis temporibus assignant. Gregorius tamen qui eos putavit simul in Gallias accessisse, ex certa epocha quæ in Actis S. Saturnini habetur, ceterorum etiam tempora deduxit.

(g) Cod. Regm. *Gazianus,* et sic inferiùs. Editi cum cod. Reg. *Gratianus.*

(h) Quæ sequuntur ex vulgi traditione retulit Gregorius. Nam hæc in Actis sancti Saturnini non habetur, quæ videsis inter Acta Martyrum sincera pag. 109. quæ nimis incautè ad annum CCXLV. retuli, quo circiter anno Saturninus in Gallias advenerat, cùm non nisi Decio et Grato consulibus, id est anno CCL. Tolosæ institutus sit Episcopus.

(i) Cod. Regm. *in summa religione.*

(k) Hoc caput deest in cod. Corb. Porrò hunc *Ursinum* appellat Gregorius lib. de Gloria Confess. cap. 80. eumque ibi à discipulis Apostolorum ordinatum, et in Gallias destinatum fuisse dicit. Quo eodem modo loquitur de ipso Saturnino in lib. de Gloria Mart. cap. 48. Porrò *Biturigas* ipsiusmet urbis nomen fuisse; *Bituriges* verò incolas, seu cives illius dictos, patet ex Apollinaris Sidonii concione pro electione Bituricensis Episcopi habita, libro 7. epist. 9. ubi ait *priùs Bituriges noveram, quàm Biturigas.* Quod scilicet Simplicium civem, pro quo perorabat, nosset, antequam Biturigas unquam accessisset.

lutare omnium, Christum Dominum populis nuntiavit. Ex his ergo pauci admodùm credentes, clerici ordinati, ritum psallendi suscipiunt : et qualiter Ecclesiam construant, vel omnipotenti Deo sollemnia celebrare debeant, imbuuntur. Sed illis parvam adhuc ædificandi facultatem habentibus, civis cujusdam domum, de qua Ecclesiam faciant, expetunt. Senatores verò, vel reliqui meliores loci, fanaticis erant tunc cultibus obligati ; qui verò crediderant, ex pauperibus erant, juxta illud Domini, quod Judæis exprobrat, dicens : *Quia meretrices et publicani præcedent vos in regno Dei.* Hi verò non obtenta à quo petierant domo, Leocadium quemdam primum Galliarum Senatorem, qui de stirpe Vettii-Epagati fuit, quem Lugduno passum pro Christi nomine superiùs memoravimus (a), repererunt. Cui cùm petitionem suam, et fidem pariter intimassent, ille respondit : *Si domus mea, quam apud Bituricam urbem habeo, huic operi digna esset, præstare non abnegarem.* Illi autem audientes, pedibus ejus prostrati, oblatis trecentis aureis cum disco argenteo, dicunt eam huic ministerio esse condignam (b). Tunc ille acceptis de his tribus aureis pro benedictione, clementer indulgens reliqua, cùm adhuc esset in errore idololatriæ implicitus ; Christianus factus, domum suam fecit Ecclesiam. Hæc est nunc Ecclesia apud Biturigas urbem prima, miro opere composita, et primi martyris Stephani reliquiis inlustrata (c).

Matth. 21. 31.

XXX. Vigesimo-septimo loco, Valerianus et Gallienus Romanum imperium sunt adepti, qui gravem contra Christianos persecutionem suo tempore commoverunt. Tunc Romam Cornelius (d), Cyprianus Carthaginem felici sanguine inlustrarunt. Horum tempore et Chrocus ille Alamannorum Rex, commoto exercitu, Gallias pervagavit. Hic autem Chrocus multæ adrogantiæ fertur fuisse. Qui cùm nonnulla iniquè gessisset, per consilium, ut aiunt, matris iniquæ, collectam, ut diximus, Alamannorum gentem (e), universas Gallias pervagatur, cunctasque ædes, quæ antiquitus fabricatæ fuerant, à fundamentis subvertit. Veniens verò Arvernos, delubrum illud, quod Gallica lingua Vasso (f) Galatæ vocant, incendit, diruit, atque subvertit. Miro enim opere factum fuit atque firmatum, cujus paries duplex erat. Ab intus enim de minuto lapide ; à foris verò quadris scalptis fabricatum fuit. Habuit enim paries ille crassitudinem pedes triginta. Intrinsecùs verò marmore ac musivo variatum erat (g). Pavimentum quoque ædis marmore stratum, desuper verò plumbo tectum.

XXXI. Juxta (h) hanc urbem Liminius Antolianusque martyres requiescunt. Ibi Cassius ac Victorinus in dilectione Christi fraterno affectu sociati, per effusionem cruoris proprii, cœlorum regna pariter sunt adepti. Nam refert antiquitas, Victorinum servum fuisse antè dicti templi Sacerdotis. Qui dum plerumque vicum, quem Christianorum vocant, ad persequendos Christianos adit, Cassium reperit Christianum : cujus prædicationibus atque miraculis motus, credit Christo ; relictisque fanaticis sordibus, ac baptismo consecratus, magnus in virtutum operatione enituit. Nec multò pòst per martyrium, ut diximus, in terris sociati, ad cœlestia pariter regna migraverunt (i).

XXXII. Inruentibus autem Alamannis in Gallias, sanctus Privatus Gabalitanæ urbis Episcopus (k), in crypta Memmatensis montis, ubi jejuniis orationibusque vacabat,

(a) Suprà cap. 27.

(b) Sic codd. Bec. Reg. et Regm. ceteri, *esse congruam. Qui acceptis.* Cod. Turon. apud Morelium sic habet : *Si enim domus mea..... præstare non abnuerem..... huic mysterio esse congruam.* Observa hoc caput, quod deest in Cod. Corbeiensi, in ms. Turonensi haberi.

(c) Hodieque major Ecclesia Biturigum sancto Stephano sacra, paucis in Gallia sacris ædificiis cedit.

(d) Cornelius tamen obiit anno 252. sub Decii principatu, et quidem, ut veri similius est, apud Centumcellas, ubi *cum gloria dormitionem accepit*, ut legitur in vetustissimo Pontificali Bucheriano. Non desunt tamen qui eum Romæ passum asseverent : sed nulla est circa martyrii tempus opinionum diversitas. Cyprianus verò anno 258. prope Carthaginem capite plexus est, Valeriano et Gallieno Imperatoribus.

(e) Bec. et Regm. *collecta... gente.* Quæ lectio etsi melior, non tamen sincerior. Gregorius quippe, ut ipse fatetur, sæpiùs accusandi casum pro ablativo posuit. Quod semel monuisse sufficiat. Chroci irruptionem alii sæculi quinti initio consignant.

(f) Cod. Regm. *Vasa.* Hoc nomine Martem deum ab antiquis Gallis designatum fuisse volunt. Hoc ipsum templum Mercurio consecratum fuisse conjicit Alteserra, quòd Plinius lib. 3. cap. 7. scribat, sua ætate apud Arvernos factum fuisse à Zenodoro ingens.

(g) Quæ sequuntur ad num. seq. desunt in cod. Regm.

(h) Hoc caput cum quatuor sequentibus deest in Corb. codice.

(i) Horum Martyrum festa antiqua Martyrologia commemorant. Sanctorum Cassii, Victorini, Antoliani ac Astrebundii, aliorumque sanctorum, qui in ea urbe coronati fuerunt, passiones à beato Præjecto descriptas fuisse narrat secundus ejusdem Præjecti Vitæ auctor in Sæculo 2. Benedictino. De his item Gregorius aliis in locis scribit. Sancti Cassius et Victorinus quiescebant in Ecclesia sancti Cassii, quæ hodie parochialis est ; Antolianus verò in Ecclesia sancti Galli, ex libro 1. de Claromontensibus Ecclesiis à Savarone vulgato cap. 9. et 8. Liminius autem ex Gregorio ipso lib. de Gloria Confess. cap. 36. servabatur in Ecclesia sancti Venerandi.

(k) Ejus festum die 21. Augusti recolitur. Sedes Episcopi Gabalitani, quæ olim apud Anderitum erat,

A reperitur, populo Gredonensis castri in munitione concluso (a) : sed dum oves suas bonus pastor lupis tradere non consentit, dæmoniis immolare compellitur. Quod spurcum ille tam exsecrans quàm refutans, tamdiu fustibus cæditur, quoadusque putaretur exanimis. Sed ex ipsa quassatione, interpositis paucis diebus, spiritum exhalavit. Chrocus verò apud Arelatensem Galliarum urbem comprehensus, diversis adfectus suppliciis, gladio verberatus interiit, non immeritò pœnas, quas sanctis Dei intulerat, luens.

XXXIII. Sub Diocletiano, qui tricesimo-tertio loco Romanum rexit imperium, gravis contra Christianos per annos quatuor (b) persecutio exagitata est : ita ut quadam vice in ipso sacratissimo die Paschæ, magni Christianorum populi ob veri Dei cultum interficerentur. Eo tempore Quirinus Sisciensis (c) Ecclesiæ
B Sacerdos gloriosum pro Christi nomine martyrium tulit : quem ligato ad collum molari saxo, in fluminis gurgitem sævitia impulit paganorum. Igitur cùm cecidisset in gurgitem, diu super aquas divina virtute ferebatur ; nec sorbebant aquæ, quem pondus criminis non premebat. Quod factum admirans multitudo populi circumstantis, despecto furore gentilium, ad liberandum properant Sacerdotem. Hæc ille cernens, non passus est se à martyrio subtrahi, sed erectis ad cœlum oculis, ait : *Jesu Domine, qui gloriosus resides ad dexteram Patris, ne patiaris me ab hoc stadio removeri ; sed suscipiens animam meam, conjungere me tuis Martyribus in requie sempiterna dignare.* His dictis, reddidit spiritum. Cujus corpus à Christianis susceptum, venerabiliter sepulturæ mandatum est.

XXXIV. Romanorum tricesimus-quartus imperium obtinuit Constantinus, an-
C nis triginta regnans feliciter. Hujus imperii anno undecimo, cùm post excessum Diocletiani pax reddita fuisset Ecclesiis, beatissimus præsul Martinus apud Sabariam (d) Pannoniæ civitatem nascitur, parentibus gentilibus, non tamen infimis. Hic Constantinus anno vicesimo imperii sui Crispum filium veneno, Faustam conjugem calente balneo interfecit, scilicet quòd proditores regni ejus esse voluissent. Hujus tempore venerabile Crucis Dominicæ lignum per studium Helenæ matris ejus repertum est, prodente Juda Hebræo, qui post baptismum Quiriacus est vocitatus. Usque hoc tempus historiographus in Chronicis scribit Eusebius. A vicesimo-primo enim ejus imperii anno Hieronymus Presbyter addidit, indicans Juvencum Presbyterum Evangelia versibus conscripsisse, rogante supradicto Imperatore.

D XXXV. Sub Constantis autem imperio, Jacobus Nisibenus (e) fuit, ad cujus preces inclinatæ aures divinæ clementiæ multa pericula à civitate ejus repulerunt. Sed et Maximinus Treverorum Episcopus potens in omni sanctitate reperitur.

Nono-decimo Constantii (f) junioris anno, Antonius monachus transiit, centesimo-quinto (g) ætatis suæ anno. Beatissimus Hilarius Pictaviensis Episcopus suasu hæreticorum exsilio deputatur : ibique libros pro fide Catholica scribens, Constantio misit, qui quarto exsilii anno eum absolvi jubens, ad propria redire permisit.

XXXVI. Tunc (h) jam et lumen nostrum exoritur, novisque lampadum radiis Gallia perlustratur : hoc est, eo tempore beatissimus Martinus in Galliis prædicare exorsus est : qui Christum Dei filium per multa miracula verum Deum in
E populis declarans, Gentilium incredulitatem avertit. Hic enim fana destruxit, hæresim oppressit, Ecclesias ædificavit, et cùm aliis multis virtutibus refulgeret, ad

Mimatum translata circa sæculum decimum, ibi etiam nunc perseverat.

(a) Sic cod. Regm. alii cum editis, *populi Gredonensis castri munitione conclusus*. Gredo autem putatur esse vicus ad radices montis situs, vulgò dictus *Greze*. Est tamen in Gabalis Vicecomitatus Credonensis, et cod. Regm. cum edit. Badiana habet *Credoñensis*. * Castrum Gredonense et Vicecomitatus Gredonensis apud Gabalos unum et idem sunt, vulgò *Grezes*.

(b) Nullo pacto Diocletiani persecutio ad annos quatuor revocari potest. De hac re vide præfationem nostram in Acta Martyrum sincera.

(c) Sic rectè codd. Bec. Reg. et Regm. Editi mendosè *Sistiensis*. Siscia quippe urbs erat Episcopalis in Pannonia superiori, ubi passus est Quirinus, de quo Prudentius hymno 7. de Coronis. Ejus Acta vide inter sincera Martyrum, pag. 552. ad ann. 309.

(d) Hodie, ut putant, oppidum est Hungariæ, *Szombatel* dictum, aliàs *Stain am Angern*, in comitatu Castriferrensi. Cluverius tamen existimat Sabariam antiquam olim exstitisse, ubi hodie est castrum *Sarwar*, quod Germani *Rothenturn* appellant, tribus leucis infra prædictum oppidum ad confluentes Sabariæ fluvii in Arrabonem.

(e) Aliquot editi mendosè *Niebenus*. Hic quippe est celebris Jacobus Episcopus, qui Nisibam Mesopotamiæ urbem à Saporis Persarum Regis obsidione liberavit anno 350. Ceterùm nisi ipse Gregorius erraverit, legendum est *Constantii*, pro *Constantis*.

(f) Sic cod. Regm. Alii *Constantini*. Sed mendosè, nam quarto sui imperii anno occisus est Constantinus junior. Constantium hîc juniorem appellat Gregorius, fortè ut ipsum à Constantio Chloro distinguat.

(g) Editi cum cod. Regio, *anno centesimo*. Sed mendosè.

(h) Hæc usque ad *Melania verò*, desunt in codice Regio.

consummandum laudis suæ titulum, tres mortuos vitæ restituit. Quarto Valentiniani et Valentis anno, sanctus Hilarius apud Pictavos, plenus sanctitate et fide, multis undique virtutibus editis, migravit ad cœlos (a). Nam et ipse legitur mortuos suscitasse. A

(b) Melania verò matrona nobilis, et incola urbis Romanæ, Hierosolyma ob devotionem abiit, Urbano filio Romæ relicto. Quæ ita se in cuncta bonitate ac sanctitate omnibus præbuit, ut Thecla vocaretur ab incolis.

XXXVII. Post mortem autem Valentiniani, Valens integri successor imperii, Monachos ad militiam cogi jubet: nolentes fustibus præcipit verberari. Post hæc bellum sævissimum in Thracia (c) Romani gessere: in quo tanta strages fuit, ut Romani amisso equorum præsidio, pedibus fugerent. Cùmque à Gotthis internecione maxima cæderentur, et Valens fugeret, sagitta sauciatus; parvum tugurium ingressus, B imminentibus hostibus, super se incensa casula, optata caruit sepultura. Sicque ultio divina ob Sanctorum effusum sanguinem tandem emissa processit. Hucusque Hieronymus: ab hoc verò tempore Orosius Presbyter plus scripsit.

XXXVIII. Igitur cùm Gratianus Imperator destitutam (d) cerneret esse rempublicam, Theodosium collegam imperii facit. Hic Theodosius omnem spem suam atque fiduciam in Dei misericordiam ponit. Qui multas gentes non tam gladio, quàm vigiliis et oratione compescuit, Rempublicam confirmavit (e), Constantinopolim urbem victor ingressus est.

Maximus verò cùm per tyrannidem oppressis Britannis sumsisset victoriam, à militibus Imperator creatus est. In urbe Treverica sedem instituens (f), Gratianum Imperatorem circumventum dolis interfecit. Ad hunc Maximum beatus Martinus jam Epis- C
An. Chr. 383. copus venit. In loco ergo Gratiani Theodosius ille, qui totam spem in Deum posuerat, totum suscipit imperium. Qui deinceps divinis affatibus fretus, Maximum spoliatum
An. 388. imperio interfecit (g).

XXXIX. Apud Arvernos verò post Stremonium Episcopum prædicatoremque primus Episcopus Urbicus fuit, ex Senatoribus conversus, uxorem habens: quæ juxta consuetudinem Ecclesiasticam, remota à consortio Sacerdotis religiosè vivebat. Vacabant enim ambo orationi, eleemosynis, atque operibus bonis. Cùmque hæc agerent, livor inimici, qui semper est æmulus sanctitati, commovetur in feminam: quam in concupiscentiam viri succendens, novam Evam efficit. Nam succensa mulier à libidine, operta peccati tenebris, pergit ad domum Ecclesiæ per tenebras noctis. Cùmque obserata omnia reperisset, pulsare fores Ecclesiæ domùs D cœpit, ac voces hujusmodi dare: *Quousque Sacerdos dormis? quousque ostia clausa non reseras? Cur conjugem* (h) *spernis? Cur obduratis auribus, Pauli præcepta non*
1. *Cor.* 7. 5. *audis?* Scripsit enim: *Revertimini ad alterutrum, ne tentet vos Satanas. Ecce ego ad te revertor, nec ad extraneum, sed ad proprium vas recurro.* Hæc et his similia diu declamanti (i), tandem Sacerdotis tepescit religio. Jubet eam cubiculo intromitti, ususque concubitu ejus discedere jubet. Dehinc tardiùs ad se reversus, et de perpetrato scelere condolens, acturus pœnitentiam, diœcesis suæ Monasterium expetit: ibique cum gemitu ac lacrymis quæ commiserat diluens, ad urbem propriam est reversus. Qui impleto vitæ cursu migravit à sæculo. Nata est enim ab hoc

(a) Lis est inter auctores de die et anno, quibus S. Hilarius excessit è vita. De hac re fusiùs disseritur in ipsius Vita, quæ ejus operibus recens à nostris editis præmittitur, num. 113. et seq. Ejus festivitas Idibus Januarii in antiquis et recentibus Martyrologiis celebratur, qua die et quidem anno 368. eum obiisse veri similius est. Mortuum infantem ab eo suscitatum refert Fortunatus in ejus Vitæ libro 1. num. 12. De hoc sancto Gregorius item agit in lib. de Gloria Confess. cap. 2.

(b) Melaniæ laudes præter Hieronymum fusè prosequuntur alii sancti Patres. Valentis tempore maximè enituit in fovendis et abdendis Confessoribus, quos ille persequebatur. Quinque Monachorum millia semel per triduum tyranni insidias fugientium pavit. Vide S. Paulini epistolam ad Severum olim 10. in nova edit. 29. Monet Rosweidus in notationibus ad peregrinationem Ruffini et Melaniæ, in Vitis Patrum pag. 444. Gregorium hîc lapsum esse, qui Melaniæ filium appellavit *Urbanum*, ex loco Chronici Hieronymi malè intellecto, ubi Hieronymus parvulum Melaniæ filium prætorem Urbanum, id est Romanæ urbis, exstitisse memorat: quod sic interpretatus est Gregorius, quasi *Urbanus* nomen parvuli fuerit.

(c) Aliquot codd. *Thracias*. Nonnulli cum editis *Thracas*. Valentis persecutionem ac orthodoxorum præclaras confessiones fusè describunt Gregorius Nyssenus, Sozomenus, Theodoritus et alii passim. Lex contra Monachos habetur, *l.* 26. *c. de Decurionibus*. Obiit die 9. Augusti anno 378. cùm paullò ampliùs quàm annos XV. regnasset.

(d) Cod. Regm. *destructam*.

(e) Cod. Regm. *Remque publicam confirmans*.

(f) Idem cod. *sedem sibi constituens*.

(g) Hîc desinit liber 1. in cod. Regio. Cetera usque ad librum 2. desunt, præter clausulam. *Explicit liber* 1. *à principio mundi usque ad transitum sancti Martini, computantur anni* VMDXLVI. In codd. verò Corb. et Vatic. omittuntur quatuor sequentia capitula, sed habetur ultimum.

(h) Bec. et Regm. *Cur satellitem spernis? Cur obturatis, etc.* suprà cap. 2. vir *satelles* appellatur. Cod. Turon. etiam habet: *Cur satellitem, etc.* [Ita Clun.]

(i) Cod. Regm. *Declamante, tandem Sacerdos*

A concubitu (a) filia, quæ in Religione permansit. Ipse quoque Sacerdos cum conjuge et filia in crypta Cantobennensi (b) juxta aggerem publicum (c) est sepultus. In cujus loco Legonus (d) Episcopus subrogatur.

XL. Quo defuncto, sanctus Hillidius successit, vir eximiæ sanctitatis ac præclaræ virtutis, qui in tanta sanctitate emicuit, ut fama ejus etiam extraneos fines adiret. Unde factum est, ut (e) Imperatoris Treverici filiam expetitus à spiritu immundo curaret (f) : quod in libro illo, quem de ejus Vita conscripsimus, memoravimus. Fuit autem, ut fama refert, valde senex et plenus dierum, plenusque bonis operibus, qui felici consummatione, vitæ hujus perfunctus tramite, migravit ad Christum : sepultusque in crypta, suburbano (g) civitatis illius. Habuit autem et Archidiaconum, nomine et merito Justum (h), qui et cursum vitæ bonis consummans
B operibus, magistri tumulo sociatur. Jam verò post transitum beati Hillidii confessoris, ad gloriosum ejus sepulchrum tantæ virtutes apparent, ut nec scribi integrè queant, nec memoria retineri. Huic sanctus Nepotianus successit.

XLI. Igitur apud Arvernos sanctus Nepotianus quartus (i) habebatur Episcopus. A Treveris verò legati in Hispaniam mittebantur : ex quibus Artemius quidam, admirabilis sapientiæ atque pulcritudinis, et prima ætate florens, vi febrium est correptus. Præcedentibus verò aliis, hic apud Arvernos ægrotus relinquitur. Nam eo tempore apud Treveros sponsali erat vinculo nexus. A sancto autem Nepotiano visitatus, atque oleo sancto perunctus, tribuente Domino redditur sanitati. Qui cùm ab eodem Sancto verbum prædicationis accepisset, oblitus tam sponsam terrenam, quàm facultates proprias, sanctæ copulatur Ecclesiæ, factusque clericus in
C tanta prælatus est sanctitate, ut beato Nepotiano successor exsisteret ad regendas gregis Dominici caulas (k).

XLII. Per idem tempus Injuriosus quidam de Senatoribus Arvernis, cum magnis opibus similem sibi in conjugio puellam expetiit, datoque arrabone, diem constituit nuptiarum. Erat autem uterque unicus patri. Adveniente verò die, celebrata nuptiarum solemnitate, in uno strato ex more locantur. Sed puella graviter contristata, aversa ad parietem, amarissimè flebat. Cui ille : *Quid*, inquit, *turbaris? Indica, quæso, mihi.* Illaque silente, adjecit vir : *Obsecro te per Jesum-Christum Filium Dei, ut mihi quid doleas sapienter exponas.* Tunc illa conversa ad eum, ait : « Si omnibus diebus vitæ meæ plangam, numquid tantæ erunt lacrymæ, ut
» queant abluere tam immensum pectoris mei dolorem. Statueram enim ut corpus-
D » culum meum immaculatum Christo à virili tactu servarem : sed væ mihi, quæ ta-
» liter ab eo relicta sum, ut quod optabam perficere non valerem, et quod ab ini-
» tio ætatis meæ servavi, in hac novissima die, quam videre non debueram, perdidi.
» Ecce enim relicta ab immortali Christo, qui mihi dotem promittebat paradisum,
» mortalis hominis sum sortita consortium ; et pro rosis immarcescibilibus, arentium
» me rosarum non ornat, sed deformat spolium (l). Et cùm debui super quadrifluo
» Agni flumine puritatis stolam induere : hæc mihi vestis onus exhibuit, non ho-

tepescit religiosus; jubetque eam cubiculum introire, post concubitum verò discedere.

(a) Ed. [Codd. Cluniac.] et Bec. *conceptu.* Observandum hîc *Religionis* vocem ad exprimendum vitæ sanctioris statum adhibitam. Quod et sæpiùs Gregorius facit passim.

(b) Cod. Regm. *Catabennensi.* [Cluniac. *Catabenensi.*] Bad. *Cantobonensi.* Vulgò *Chantoin.* Ubi exstitit posteà Monasterium puellarum, cujus Ecclesia dicata fuit sancto Petro, ut habetur in catalogo Ecclesiarum Claromontensium à Savarone edito, lib. 1. cap. 26. Huc secesserunt Canonici regulares Ecclesiæ Cathedralis, qui capitulo Claromontensi sæculari toga donato regulam ejurare noluerunt. In eodem tamen libello cap. 8. sanctus Urbicus sepultus dicitur in Ecclesia sancti Galli, sed jam fortè loco motus fuerat. Et quidem posteà iterùm translatus est in Ecclesiam sancti Illidii. De Cantobennensi Monasterio agitur infrà lib. 2. cap. 21. Robertus Abbas Cantinobensis memoratur in Appendice ad Historiam Translationis S. Austremonii apud Labb. tom. 2. Biblioth. novæ pag. 506.

(c) Editi duo habent, *Publianum.* Aggeris publici nomine designantur viæ publicæ seu militares.

(d) An sanctus Linguinus, qui in Ecclesia sancti Venerandi sepultus dicitur cap. 10. lib. 1. de Ecclesiis Claromontens. Hunc potiùs esse Liminium martyrem putat Savaro; et quidem lib. 2. cap. 18. memoratur Ecclesia sancti Leogontii, ubi idem sanctus, quem Gregorii Legonum esse putat Savaro, dicitur quiescere.

(e) Sic cod. Regm. et edit. Bad. Ceteri, *ut ab Imperatoris Treverici filia expetitus, ut Spiritu, etc.*

(f) [Cod. Cluniac. *liberaret.*]

(g) Ed. Bad. habet *suburbio.* Cod. Regm. *suburbana.*

(h) Memoratur inter sanctos qui in Ecclesia S. Illidii quiescebant, lib. 1. de Eccles. Claromont. cap. 11. quamquam Episcopus mendosè in inscriptione dicitur. Nisi fortè duo sint Justi, unus Archidiaconus, et alter Episcopus. Nam et in eodem libro cap. 14. Justus in Ecclesia S. Cyrici quiescere dicitur. V. Sirmond. in ep. 11. lib. 4. Sidonii. Justi festum in Illidianis tabulis die 12. Kal. Novembris memoratur. De S. Illidio plura dicemus ad ejus Vitam, quæ est inter Vitas Patrum cap. 2.

(i) Etiam juxta Gregorii calculum Nepotianus quintus est Arvernorum Episcopus. De ejus sepulcro vide lib. de Gloria Confess. cap. 37.

(k) Ecclesia sancti Artemii memoratur in libello de Ecclesiis Claromont. cap. 29. quam destructam et violatam, et arcam lapideam, quæ olim beati viri ossa continebat, prætereuntium pedibus conculcatam luget Savaro in notis ad hunc librum. Ejus festum colitur die 24. Januarii.

(l) Regm. *Non ornant, sed deformant sponsalia..... super quadrifluo amnis margine.*

» norem. Sed quid ampliùs verba protrahimus? Infelix ego, quæ debui sorte me- A
» reri polos, hodie demergor in abyssos. O si mihi hæc futura `erant, quare non
» dies vitæ meæ ipse fuit finis, qui fuit initium! O si antè introissem mortis januam,
» quàm lactis acciperem alimenta! O si mihi dulcium nutricum oscula in funere
» fuissent expensa! Horrent enim mihi terrenæ species, quia pro mundi vita trans-
» fixas manus suspicio Redemtoris. Nec cerno diademata gemmis insignibus coru-
» scantia, cùm illam spineam miror mente coronam. Respuo longè latèque diffusa
» spatia terræ tuæ, quia amœnitatem concupisco paradisi. Horrent tua solaria (a),
» cùm Dominum residentem suspicio super astra. » *Talia cum magno fletu jactanti commotus pietate Juvenis ait* : « Unicos nos nobilissimi Arvernorum habuere paren-
» tes, et ad propagandam generationem conjungere voluerunt, ne recedentibus eis
» de mundo succederet heres extraneus. » *Cui illa :* « Nihil est mundus, nihil sunt divi- B
» tiæ, nihil est pompa sæculi hujus : nihil est vita ipsa qua fruimur : sed illa magis
» vita quærenda est, quæ morte terminante non clauditur, quæ labe ulla non solvi-
» tur, nec aliquo occasu finitur; ubi homo in beatitudine æterna permanens, luce
» non occidente vivit. Et, quod majus est his omnibus, ipsius Domini præsentia,
» jugi perfruens contemplatione, in angelico translatus statu, indissolubili lætitia gau-
» det. » *Ad hæc ille :* « Dulcissimis, inquit, eloquiis tuis æterna mihi vita tamquam ma-
» gnum jubar inluxit, et ideò si vis à carnali abstinere concupiscentia, particeps tuæ
» mentis efficiar. » *Illa respondit :* « Difficile est sexum virilem mulieribus ista præstare.
» Tamen si feceris, ut immaculati permaneamus in sæculo, ego tibi partem tribuam
» dotis, quam promissam habeo à sponso Domino meo Jesu-Christo, cui me et fa-
» mulam devovi esse et sponsam. » *Tunc ille armatus crucis vexillo, ait :* « Faciam C
» quæ hortaris. » Et datis inter se dextris, quieverunt. Multos posteà in uno strato recumbentes annos, vixerunt cum castitate laudabili. Quod posteà in eorum transitu declaratum est. Nam cùm, impleto certamine, puella migraret ad Christum, peracto vir funeris officio, cùm puellam in sepulcrum deponeret, ait : *Gratias tibi ago, æterne Domine Deus noster, quia hunc thesaurum sicut à te commendatum accepi, ita immaculatum pietati tuæ restituo.* Ad hæc illa subridens : *Quid*, inquit, *loqueris quod non interrogaris?* Illamque sepultam ipse non post multum insequitur. Porrò cùm utriusque sepulcrum è diversis parietibus collocatum fuisset, miraculi novitas, quæ eorum castitatem manifestaret, apparuit. Nam facto mane cùm ad locum populi accederent, invenerunt sepulcra pariter, quæ longè inter se distantia reliquerant : scilicet ut quos tenet socios cœlum, sepultorum hîc corporum non separet monumentum. Hos D
usque hodie Duos-Amantes vocitare loci incolæ voluerunt. Meminimusque de his in libro Miraculorum (b).

XLIII. Arcadii verò et Honorii secundo imperii anno (c) sanctus Martinus Turonorum Episcopus, plenus virtutibus et sanctitate, præbens infirmis multa beneficia, octogesimo et primo ætatis suæ anno, Episcopatûs autem vigesimo-sexto apud Condatensem diœcesis suæ vicum (d) excedens à sæculo feliciter migravit ad Christum. Transiit autem media nocte, quæ Dominica habebatur, Attico Cæsarioque (e) Consulibus. Multi enim in ejus transitu psallentium (f) audierunt in cœlo, quod in libro virtutum ejus primo * pleniùs exposuimus. Nam cùm primitus Sanctus Dei apud Condatensem, ut diximus, vicum ægrotare cœpisset, Pictavi populi ad ejus transitum sicut Turonici convenerunt. Quo migrante, gran- E
dis altercatio in utrumque surrexit populum. Dicebant enim Pictavi : *Noster est*

* *Cap.* 4. *et* 5.

(a) Bign. etc. *solatia,* rectiùs *solaria,* id est superiores ædium partes.

(b) In libro de Gloria Confess. cap. 32. Porrò hi Duo-Amantes in Ecclesia sancti Illidii sepulti fuerunt, et puellæ nomen, quod hîc non exprimitur, colligimus ex lib. 1. de Ecclesiis Claromont. ubi cap. 11. in Ecclesia Illidiana S. *Injuriosus et Scholastica in corpore* quiescere dicuntur. Quippe cùm Gregorius Injuriosum alterum è duobus hic appellet, dubium non est quin Scholastica fuerit, quæ ei nuptui tradita fuerat.

(c) Clarom. in quo, ut et in aliis plurimis codicibus hoc caput legitur sub *sermonis Gregorii Turon.* titulo, habet, *Arcadio et Honorio imperantibus sanctus, etc.* Sic et cod. Corb. annorum 900. ubi habetur sub titulo *Epistolæ de transitu S. Martini.*

(d) Vulgò dicitur *Candes.* Situs est in confinio Turonum et Andegavorum ad Vigennæ et Ligeris confluentes, unde nomen traxit. Veteres enim Galli Condatum appellabant duorum fluminum confluxum.

(e) Sic codd. Corb. et Germ. alii *Cæsarico*, nonnulli *Cæsareo.* Quibus Consulibus vulgaris æræ annus CCCXCVII. designatur, quem Martino extremum fuisse putat et probat Cointius tomo 1. Annal. Eccles. Franc. ad annum 498. Scaliger lib. 6. de Emendatione temporum contendit eum anno CCCXCV. obiisse. Alii alium annum adsignant, ut videre est apud V. C. Jos. Antelmium in singulari de hac re dissertatione. Et quidem cùm nec Severus Sulpicius, nec Gregorius ipse in designandis characteribus chronologicis sibi constent, suum quisque calculum præferentes, in diversas opiniones abiere. Nobis satis sit Gregorii textum, ut in mss. et editis habetur, repræsentare, liberàm eligendi unicuique relinquendo facultatem.

(f) Sic Corb. alii addunt *voces.* At Gregorius et alii ejus ævi auctores *psallentium* substantivè usurpant.

monachus;

A *monachus* (a); *nobis abba exstitit : nos requirimus commendatum. Sufficiat vobis, quòd dum esset in mundo Episcopus, usi estis ejus colloquio, participastis convivio, firmati fuistis benedictionibus, insuper et virtutibus jocundati. Sufficiant ergo vobis ista omnia : nobis liceat auferre vel cadaver exanimum.* Ad hæc Turonici respondebant : *Si virtutum nobis facta sufficere dicitis, scitote quia vobiscum positus, ampliùs est quàm hîc operatus. Nam, ut prætermittamus plurima, vobis suscitavit duos mortuos, nobis unum : et, ut ipse sæpe dicebat* (b), *major ei virtus ante Episcopatum fuit, quàm post Episcopatum. Ergo necesse est, ut quod nobiscum non implevit vivens, expleat vel defunctus. Vobis est enim ablatus, nobis à Deo donatus. Verùm si mos antiquitus institutus servatur, in urbe qua ordinatus est, habebit Deo jubente sepulcrum. Certè si pro monasterii privilegio* (c) *cupitis vindicare, scitote quia primum ei monas-*
B *terium cum Mediolanensibus fuit.* His ergo litigantibus, sole ruente nox clauditur : corpusque in medio positum, firmatis serra ostiis, ab utroque populo custoditur; futurum, ut mane facto à Pictavis per violentiam auferretur : sed Deus omnipotens noluit urbem Turonicam à proprio frustrare patrono. Denique nocte media omnis Pictava somno phalanga comprimitur (d), nec ullus superfuit qui ex hac multitudine vigilaret.

Igitur ubi Turonici eos conspiciunt obdormisse, adprehensam sanctissimi corporis glebam, alii per fenestram ejiciunt, alii aforis suscipiunt : positumque (e) in navi cum omni populo per Vingennam (f) fluvium descendunt. Ingressique Ligeris alveum, ad urbem Turonicam cum magnis laudibus psallentioque dirigunt copioso. De quorum vocibus Pictavi expergefacti, nihil de thesauro quem custodie-
C bant habentes, cum magna confusione ad propria sunt reversi. Quòd si quis requiret, cur post transitum Gatiani Episcopi, unus tantùm, id est Litorius (g), usque ad sanctum Martinum fuisset Episcopus, noverit qui obsistentibus paganis, diu civitas Turonica sine benedictione sacerdotali fuit. Nam qui Christiani eo tempore videbantur, occultè et per latebras divinum Officium celebrabant. Nam si qui à paganis reperti fuissent Christiani, aut afficiebantur verberibus, aut gladio truncabantur.

A passione ergo Domini usque transitum sancti Martini, anni CCCCXII. (h) computantur.

Explicitus est liber primus, continens annos V. M. D. XLVI. *qui computantur à principio mundi usque ad transitum sancti Martini Episcopi.*

(a) Martinum in Monasterio prope Pictavos vitam monachi duxisse refert Severus Sulpicius in ipsius Vita. Hunc locum Locociacum dictum, vulgò *Ligugé*, miraculis celebrem invisit Gregorius, ut ipse refert lib. 4. de Mirac. S. Mart. cap. 30. ibique tunc vigebat adhuc Monasticus ordo sub Abbatis regimine; sed posteà locus in prioratum redactus, tandem Patribus Societatis Jesu cessit.

(b) Idipsum testatur Severus Sulpicius in Dialogo 2. de ejusdem sancti virtutibus.

(c) Sic Clarom. Corb. duo, [Clun.] Germ. et Vinc. Alii verò *Monasterio privilegium.*

(d) [In Cod. Clun. sic habebatur; sed eadem, ut videtur, manu correctum est : *Omnes Pictavi somno fallente comprimuntur.*]

(e) [Cod. Cluniac. *positaque.*]

(f) Aliàs *Vigenna*, nonnullis *Vincenna*, *la Viane*, vel *la Vignanne*, vulgò *la Vienne* dicitur. Oritur in Lemovicibus, quorum sicut et Pictonum, aliquot oppida alluit; denique prope ipsum Condatum in Ligerim devolvitur.

(g) Aliquot mss. et editi, *Lidorius*. Plures Gatianum inter ac Martinum admittendos esse Episcopos innuit Sulpicius Severus in libro de Vita S. Martini cap. 8. ubi agens de altari cujusdam pseudomartyris, quod Martinus evertit, illud *à superioribus Episcopis constitutum* fuisse dicit. Quod cùm sancto Gatiano primo Episcopo imputare nefas sit, alii præter S. Litorium intermedii videntur admittendi.

(h) Scaliger lib. 6. de emend. temporum hîc et in fine lib. 4. et 6. legendum esse censet CCCLXII. cui numero additis annis 33. Christi vitæ, efficitur annus 395.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. De Episcopatu Briccii.
II. De Vandalis et persecutione Christianorum sub ipsis.
III. De Cyrola hæreticorum Episcopo, et de sanctis Martyribus.
IV. De persecutione sub Athanarico agitata.
V. De Aravatio Episcopo et Chunis.
VI. De Basilica sancti Stephani apud Mettensem urbem.
VII. De uxore Aëtii. De Attila.
VIII. Quid de Aëtio Historiographi scripserunt.
IX. Quid de Francis iidem dicant.
X. Quid de simulacris gentium Prophetæ Domini scribant.
XI. De Avito imperatore.
XII. De Childerico rege, et Ægidio.
XIII. De Episcopatu Venerandi ac Rustici Arvernis.
XIV. De Episcopatu Eustochii Turonici atque Perpetui ; et de Basilica sancti Martini.
XV. De Basilica sancti Symphoriani.
XVI. De Namatio Episcopo, et Ecclesia Arverna.
XVII. De conjuge ejus, et Basilica sancti Stephani.
XVIII. Quòd Childericus Aurelianis ; et Andegavis venit Adouacrius.
XIX. Bellum inter Saxones ac Romanos.
XX. De Victorio Duce.
XXI. De Eparchio Episcopo.
XXII. De Sidonio Episcopo.
XXIII. De sanctitate Sidonii Episcopi, et de injuriis ultione divina moderatis.
XXIV. De fame Burgundiæ, et Ecditio.
XXV. De Euvarege persecutore.
XXVI. De obitu sancti Perpetui, et Episcopatu Volusiani ac Veri.
XXVII. Quòd Chlodovechus regnum accepit.
XXVIII. Quòd Chlodovechus Chrothechildem accepit.
XXIX. De primo eorum filio baptizato et in albis defuncto.
XXX. Bellum contra Alamannos.
XXXI. De baptismo Chlodovechi.
XXXII. Bellum contra Gundebadum.
XXXIII. De interitu Godegiseli.
XXXIV. Quòd Gundebadus converti voluerit.
XXXV. Quòd Chlodovechus et Alaricus se viderunt.
XXXVI. De Quintiano Episcopo.
XXXVII. Bellum contra Alaricum.
XXXVIII. De Patriciatu Chlodovechi Regis.
XXXIX. De Licinio Episcopo.
XL. De interitu Sigiberti senioris et filii ejus.
XLI. De interitu Chararici et filii ejus.
XLII. De interitu Ragnacharii et fratrum ejus.
XLIII. De obitu Chlodovechi.

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

PROSEQUENTES ordinem temporum, mixtè confusèque tam virtutes Sanctorum, quàm strages gentium memoramus. Non enim inrationabiliter accipi puto, si felicem Beatorum vitam inter miserorum memoremus excidia, cùm id non facilitas scriptoris, sed temporum series præstet. Nam sollicitus lector, si inquirat strenuè, inveniet inter illas Regum Israëliticorum historias sub Samuël ju-

A sto Phineem interisse sacrilegum : ac sub David, quem Fortem-manum (a) dicunt, Goliam allophylum corruisse. Meminerit (b) etiam sub Heliæ eximii vatis tempore, qui pluvias cùm voluit abstulit, et cùm libuit arentibus terris infudit ; qui viduæ paupertatem oratione locupletavit ; quantæ populorum strages fuere, quantæ (c) fames, vel quæ siccitas miseram oppresserit humum. Quæ sub Ezechiæ tempore, cui Deus ad vitam quindecim annos auxit, Hierosolyma mala pertulerit. Sed et sub Elisæo propheta, qui mortuos vitæ restituit, et alia in populis miracula multa fecit ; quantæ interneciones, quæ miseriæ ipsum Israëliticum populum oppresserunt. Sic et Eusebius, Severus, Hieronymusque in Chronicis, atque Orosius, et bella Regum, et virtutes Martyrum pariter texuerunt. Ita et nos idcircò sic scripsimus,
B quò faciliùs sæculorum ordo, vel annorum ratio usque ad nostra tempora tota reperiatur. Venientes ergo per antè dictorum Auctorum Historias, ea quæ imposterùm acta sunt, Domine adjuvante (d), disseremus.

I. Igitur (e) post excessum beati Martini Turonicæ civitatis Episcopi, summi et incomparabilis viri, de cujus virtutibus magna apud nos volumina retinentur, Briccius (f) ad episcopatum succedit. At verò Briccius iste, cùm esset primævæ ætatis juvenis, sancto adhuc Martino viventi in corpore multas tendebat insidias, pro eo quòd ab eodem plerumque, cur faciles (g) res sequeretur, arguebatur. Quadam autem die, dum quidam infirmus medicinam à beato Martino expeteret,
C Briccium adhuc Diaconum in platea convenit : cui simpliciter ait : *Ecce ego præstolor beatum Virum, et nescio ubi sit, vel quid operis agat ?* Cui Briccius : *Si*, inquit, *delirum illum quæris, prospice eminus : ecce cœlum solitò* (h) *sicut amens respicit.* Cùmque pauper ille, occursu (i) reddito, quod petierat impetrasset, Briccium (k) Diaconum vir beatus alloquitur : *En ego, Bricci, delirus tibi videor ?*

(a) Sic Corb. alii *Fortem-manu.*
(b) [Cod. Clun. *meminisse etiam potest*]
(c) [Cod. Clun. *quæ fames.*]
(d) Sic cod. Casin. alii *jubente.* [Cod. Clun. *Deo jubente.*]
(e) Deest hoc caput in Corb. et Reg. Hoc caput et quartum in Cod. Vatic. non exstant suo loco, sed habentur in fine libri. Porrò nonnulli hujus temporis eruditi viri, quibus non placet hæc Gregorii narratio, eum in hoc falsum fuisse putant, quòd Brictionem, de quo Sulpicius in fine Dialog. 3. scripsit, cum Briccio sancti Martini confuderit, quos tamen diversos omninò fuisse volunt. Primò, quòd neque Sulpicius, neque Fortunatus, qui Brictionis etiam meminit, eum Martino successisse dixerint. 2°. quòd verisimile non sit hominem adeò facinorosum, qualis Brictio ab illis auctoribus describitur, tanto viro in Episcopatu successisse. 3°. quòd, si Brictio Martino successisset, Sulpicius qui eo Turonis sedente Dialogos scripsit, tanta ejus facinora, aut saltem nomen reticuisset. Denique quòd Sulpicius et Fortunatus Brictionem nominaverint, Martini verò successor Briccius etiam ab ipso Gregorio appellatus fuerit. Quin et alii volunt totum hoc caput Gregorii Historiæ ab aliquo interpolatore fuisse adjectum : cùm in codd. vetustissimis, Corbeiensi scilicet et Bellovacensi, non habeatur, et in eo proferantur multa, quæ non satis sibi constant, ut à Gregorio scripta dici possint, videlicet hominem vanum Martino successisse, eumque annos saltem septuaginta natum adulterii crimine impetitum ; Romæ, ut suam causam tueretur, annos septem commoratum. His addunt Pontificis Romani, qui tamen Gregorio probè notus erat, nomen suppressum ; nullam denique horum factorum aliàs memoriam haberi, aliaque id gens, quæ à Cl. V. Josepho Antelmio in epistola ad R. P. Ant. Pagium Parisiis edita anno 1693. proferuntur.

Verùm his omnibus opponi potest antiqua et constans Ecclesiæ Turonensis traditio, quæ Briccium suum, qualis à Gregorio repræsentatur, semper venerata est, et etiam nunc cultu publico colit. Quæ autem objiciuntur adversùs hanc traditionem, non fortasse tanti videbundur, quæ hanc omninò possint elevare. Quid enim mirum si Briccius, vir aliàs dotibus bonis non planè destitutus, cujus crimina occultaverat sanctus Martinus, quem et ipse à teneris in Monasterio suo educatum, Presbyterum creaverat, ipsi in successorem suffectus fuerit ? Sulpicius verò ejus in sanctum virum convicia retulit, sed eo ipso tempore, quo ea Briccius à suis vexatus palàm confitebatur, justè, ut refert ipse Gregorius, sibi calamitates contigisse dicens, quòd ipse sæpiùs sanctum virum calumniis impetiisset. Nihil porrò obest levis illa nominum diversitas, cùm martyrologia, etiam vetustissima, ut in plerisque observavimus, aliquando *Briccium*, aliquando *Briccionem*, hunc beatum virum appellent. Quæ autem de Fortunato dicuntur, nihil objectionem roborant, cùm certum sit ea sulummodò ab eo versibus expressa fuisse, quæ Sulpicius soluta oratione dixerat. Quæ verò ad historiam hanc Gregorio abjudicandam proferuntur, multò minoris sunt momenti. Nam abest quidem à codice Corbeiensi, sed in isto codice multa alia desiderantur, quæ tamen à Gregorio scripta fuisse aliundè certum est, ut suo loco probamus. Ex codice autem Bellovacensi nihil erui potest, cùm avulsis ab eo aliquot foliis, à capitis tertii fine folium primum quod superest incipiat. Ceterùm hæc historia in aliis, etiam vetustis et bonæ notæ, codicibus habetur, tam in ipsa Historia Gregorii, quàm in aliis codd. sub titulo vitæ sancti Briccii, et quidem sub ipsius Gregorii nomine. Quod verò homo vanus in Episcopatum evectus, vel septuagenarius adulterii crimine impetitus fuerit, aut Romæ pro causa tuenda, seu pro quavis alia ratione toto septennio fuerit moratus ; denique quòd Pontificis nomen à Gregorio suppressum fuerit, aliaque ejusmodi argumenta, non adeò sunt valida, ut traditionem hactenùs inconcussam evellere possint ; cùm nec desint, etiam istis temporibus, exempla, queis Gregorii narratio approbari possit. Et quidem Zosimus Papa epist. 4. Aurelio, etc. Afris Episcopis testatur *Briccium Turonicæ civitatis Episcopum* falsò accusatum fuisse à Lazaro. Qui Lazarus, uti idem Papa refert epist. 6. damnatus fuit in Conc. Taurinensi, quòd *Briccii innocentis Episcopi vitam falsis objectionibus appetisset.*
(f) [Cod. Clun. *Brictius*, et sic deinceps.]
(g) Latinius legendum putat *futiles.* Regm. Germ. et Clar. *cor facile.* Sed retinenda prima lectio. Eodem quippe sensu hanc vocem *faciles* usurpat Gregorius lib. 2. Mirac. S. Martini cap. 1. et alibi passim.
(h) Sic Regm. cum editis 2. alii *solite*, unde Latinius *sollicite* reponendum conjicit. [Cod. Clun. *solite.*]
(i) Regm. *cursu.*
(k) [Cod. Clun. *Brictionem Diaconem.*]

Cùmque ille confusus hæc audiens, dixisse se denegaret, ait vir sanctus : *Nonne* A *aures meæ ad os tuum erant, cùm hæc eminus loquebaris? Amen dico tibi, quia obtinui apud Deum, ut post meum* (a) *transitum ad Pontificatûs honorem accedas : sed noveris te in Episcopatu multa adversa passurum.* Briccius hæc audiens inridebat, dicens : *Nonne verum dixi, istum delira verba proferre?* Sed et Presbyterii honore præditus, sæpiùs beatum virum conviciis lacessivit. Adeptus ergo, consentientibus civibus, Pontificatûs officium, orationi vacabat. Quia quamquam esset superbus et vanus, castus tamen habebatur corpore. Tricesimo-tertio (b) verò ordinationis ejus anno, oritur contra eum lamentabilis causa pro crimine. Nam mulier ad quam cubicularii ejus vestimenta deferre (c) solebant ad abluendum, quæ sub specie Religionis erat veste (d) mutata, concepit et peperit. Qua de re surrexit omnis populus Turonorum in iram, et totum crimen super Episcopum referunt, B volentes eum unanimiter lapidare. Dicebant enim : *Diu pietas Sancti tuam celavit luxuriam : nec* (e) *Deus nos diutiùs sinit manus tuas indignas osculando pollui.* Illo quoque è contrario viriliter hæc negante : *Adferte*, inquit, *infantem ad me.* Cùmque oblatus fuisset infans, triginta dies ab ortu habens, ait ad eum Briccius Episcopus : *Adjuro te per Jesum-Christum Filium Dei omnipotentis, ut si ego te generavi, coram cunctis edicas.* Et ille : *Non es*, inquit, *tu pater meus.* Populis autem rogantibus, ut quis esset pater interrogaret, ait Sacerdos : *Non est hoc meum. Quod ad me pertinuit, sollicitus fui : vobis si aliquid suppetit, per vos querite.* Tunc illi magicis hæc artibus facta asseverantes, insurgunt contra eum in una conspiratione. Et trahentes eum dicebant : *Non diutiùs nobis falso pastoris nomine dominaberis.* Ille autem ad satisfaciendum adhuc populo, prunas ardentes in byrrum (f) suum posuit : et C ad se stringens, usque ad sepulcrum beati Martini unà cum populorum turbis accedit : projectisque (g) ante sepulcrum prunis, vestimentum ejus inustum apparuit. Illo quoque sic prosequente : *Sicut istud vestimentum ab his ignibus videtis inlæsum, ita et corpus meum à tactu mulierisque coïtu est impollutum.* Illis verò non credentibus, sed contradicentibus, trahitur, calumniatur, ejicitur (h), ut sermo Sancti adimpleretur : *Noveris te in Episcopatu multa adversa passurum.* Hoc enim (i) ejecto, Justinianum in Episcopatu constituunt. Denique Briccius Romanæ urbis Papam expetiit, flens et ejulans, atque dicens : *Meritò hæc patior, quia peccavi in Sanctum Dei, et eum delirum et amentem sæpe vocavi; cujus videns virtutes, non credidi.* Post cujus abscessum, aiunt Turonici Sacerdoti suo : *Vade* (k) *post* D *eum, et exerce negotium tuum : quia si eum prosecutus non fueris, ad nostrum omnium contemtum humiliaberis.* Justinianus verò egressus à Turonis, Vercellas Italiæ civitatem adgressus, judicio Dei percussus, obiit peregrinus. Turonici ejus obitum audientes, et in sua malitia perdurantes, Armentium in ejus loco constituunt. At Briccius Episcopus Romam veniens, cuncta quæ pertulerat Papæ refert. Qui ad sedem Apostolicam residens, plerumque Missarum sollemnia celebrans (l) inibi quicquid in Sanctum Dei deliquerat, deflendo diluit. Septimo igitur regressus anno à Roma, cum auctoritate Papæ illius, Turonos (m) redire disponit : et veniens ad vicum, cujus nomen est Laudiacum (n), sexto ab urbe milliario, mansionem accepit. Armentius verò febre corripitur, et media nocte spiritum exhalavit. Quod protinùs Briccio Episcopo per visum revelatum est, qui ait

(a) [Cod. Clun. *ut post me ad.*]

(b) Clar. Germ. et Regm. *Tricesimo verò.* [Ita Clun.]

(c) [Cod. Clun. *deferebant ad.*]

(d) Nota vestium mutationem ab iis qui religiosam vitam agebant : quod et frequenter apud Gregor. occurret ; sed semel annotasse sufficiat. Vide Conc. Arelat. II. can. 25.

(e) Regm. *Non Deus sinat nos manus tuas indignas osculando pollui diutius.* [Ita Clun. deest tamen *nos.*] Vetus et planè laude digna consuetudo manus Episcoporum osculandi, quòd per earum impositionem tradatur Spiritus Sanctus. Hanc videre est in Vita S. Ambrosii per Paulinum, in Vita S. Fulgentii per Ferrandum, etc. Id etiam Reges honori ducebant, ut testatur Gerbertus, seu quivis alius antiquus auctor sub sancti Ambrosii nomine in libro *de dignitate Sacerdotum* cap. 2. *Cùm videas Regum colla et Principum submitti genibus Sacerdotum ; et exosculata eorum dextera orationibus eorum se credant communiri, etc.*

(f) Byrri nomine vestis designatur in Actis S. Cypriani, ad quæ plura observavimus in Actis Martyrum sinceris p. 218. His adde locum ex lib. 2. Vitæ S. Odonis Sæc. 5. Bened. ubi num. 5. dicitur ille sanctus per *Birri*, quo more cappæ tegebatur, fimbriam apprehensus.

(g) [In Cod. Clun. scriptum fuerat, *projectasque..... prunas*, sed correctum, *projectis prunis.*]

(h) Germ. *calumniatus ejicitur.*

(i) [Scriptum etiam fuerat in Cod. Clun. *Hunc enim ejectum.*]

(k) Cod. Turonensis apud Morelium habet : *Vade post eum, et exsere negotium tuum; quia si eum persecutus non fueris, à nostro omnium contemtu humiliaberis.* Hinc porrò colligere licet, hoc de S. Briccio caput in ms. *Turonensi* exstitisse. [Cod. Clun. *à nostro omnium comtemptu humiliaberis.*]

(l) [Cod. Clun. *celebravit, ibi quidquid in sanctum Dei deliquerat deflens. Septimo.*]

(m) [Cod. Clun. *Turonis..... cui nomen.*]

(n) Is ipse locus infrà lib. 10. cap. 31. appellatur, *Mons-laudiacus*, vulgò dicitur *Mont-loys.* Regm. habet *Claudiacum.*

A suis : *Surgite velociùs, ut ad tumulandum fratrem nostrum Turonicum Pontificem occurramus.* Cùmque illi venientes portam civitatis ingrederentur, ecce istum per aliam portam mortuum efferebant. Quo sepulto, Briccius in cathedram suam regressus est, septem posteà feliciter (a) vivens annos. Cui post quadragesimum-septimum Episcopatûs annum defuncto sanctus Eustochius successit, magnificæ sanctitatis vir (b).

II. Post hæc (c) Vandali à loco suo digressi, cum Gunderico Rege in Gallias ruunt. Quibus valde vastatis, Hispanias appetunt. Hos secuti Suevi, id est, Alamanni, Galliciam adprehendunt. Nec multò pòst scandalum inter utrumque oritur populum, quoniam propinqui sibi erant. Cùmque ad bellum armati procederent, ac jamjamque in conflictu parati essent, ait Alamannorum Rex : *Quousque* B *bellum super cunctum populum commovetur ? Ne pereant, quæso, populi utriusque phalangæ : sed procedant duo de nostris in campum cum armis bellicis, et ipsi inter se confligant. Tunc ille, cujus puer vicerit, regionem sine certamine obtinebit.* Ad hæc cunctus consensit populus, ne universa multitudo in ore gladii rueret. His enim diebus Gundericus Rex obierat, in cujus loco Trasamundus (d) obtinuerat regnum. Confligentibus verò pueris, pars Vandalorum victa succubuit ; interfectoque puero, placitum egrediendi Trasamundus spopondit, ut scilicet, præparatis itineris necessariis, se à finibus Hispaniæ removeret. An. 406. An. 428.

Per idem verò tempus persecutionem in Christianos Trasamundus exercuit, ac totam Hispaniam, ut ad perfidiam Arianæ sectæ consentiret, tormentis ac diversis mortibus impellebat. Unde factum est, ut puella quædam religiosa, prædives opibus, C ac secundùm sæculi dignitatem nobilitate senatoria florens ; et, quod his omnibus est nobilius, fide Catholica pollens (e), Deoque omnipotenti inreprehensibiliter serviens, ad hanc quæstionem adduceretur. Cùmque Regis fuisset oblata conspectibus, cœpit eam primum ad rebaptizandum blandis sermonibus inlicere. Quæ cùm venenosum ejus jaculum fidei (f) parma propelleret ; præcepit Rex facultates ejus auferri, quæ jam mente possidebat regna paradisi, deinde suppliciis adplicatam, sine spe præsentis vitæ torqueri. Quid plura ? Post multas quæstiones, post ablatos terrenarum divitiarum thesauros, cùm ad hoc frangi non posset, ut beatam scinderet Trinitatem, ad rebaptizandum invita deducitur. Cùmque in illud cœnosum lavacrum vi cogeretur immergi, ac proclamaret : *Patrem cum Filio, ac Spiritum-Sanctum unius credo esse substantiæ essentiæque* ; digno aquas unguine cunctas infecit, id est fluxu ventris adspersit. D Exhinc ad legitimam deducta quæstionem, post equuleos, post flammas et ungulas, Christo Domino capitis decisione dicatur (g). Post hæc prosequentibus Alamannis usque (h) ad Traductam, transito mari Vandali per totam Africam ac Mauritaniam sunt dispersi.

III. Sed quoniam eorum tempore persecutio in Christianos invaluit, sicut superiùs mentio facta est, videtur et aliqua ex his quæ circa Dei Ecclesias intulerunt, vel quemadmodum de regno expulsi sint, memorare. Defuncto igitur Trasamundo, post scelera quæ in Sanctis Dei exercuit, Hunericus (i) mente crudelior Africanum occupat regnum, atque ex electione Vandalorum ipsis præponitur. Cujus sub tempore quanti Christianorum populi pro ipso Christi sacratissimo nomine cæsi sint, ab hominibus non potest comprehendi. Testis est tamen Africa E quæ misit, et Christi dextera, quæ gemmis immarcescibilibus coronavit. Legimus tamen quorumdam (k) ipsorum Martyrum Passiones, ex quibus quædam replicanda sunt, ut ad ea quæ spopondimus veniamus. Igitur Cyrola falsò vocatus Episcopus, hæreticorum tunc maximus habebatur assertor. Cùmque ad persequendum Christianos Rex per diversa transmitteret ; sanctum Eugenium Episcopum, virum

(a) [In Cod. Clun. deest *feliciter.*]

(b) De utroque iterum lib. 10. cap. 31.

(c) Regm. incipit absolutè, *Vandali.* [Cod. Clun. *Post hæc Wandali.*]

(d) Sic semper Corb. Regius verò, Bec. Regm. [et Clun.] cum aliquot editis *Transimundus*, alii *Trasimundus.* Porrò hæc non sub Trasamundo, sed sub Genserico contigerunt, uti diximus in Historia persecutionis Vandalicæ, ubi gentis hujus in Gallias primùm, tum in Hispanias et Africam irruptiones descripsimus. * Gunderico successit Gensericus, non Trasamundus, qui post Gundabundum regnare cœpit anno 496.

(e) [Cod. Clun. *pollens, quæ Deo..... serviebat.*]

(f) [Cod. Clun. *fidei per arma.*]

(g) Hanc Hispani appellant Vincentiam, quam Cauriæ in Lusitania passam volunt : de hac egimus in libro laudato de persecutione Vandalica cap. 2.

(h) Gregorius hîc Traductam in Hispania locare videtur, eam in Africa collocat Plinius lib. 5. Hist. natur. cap. 1. Hanc contrarietatem facilè conciliat Harduinus, dum ait Traductam in utraque maris ripa unam exstitisse. [Cod. Clun. *usque Traductam.*]

(i) Editi *Honoricus.* [Ita Cod. Clun.] Is Genserico patri suo successit : huic Guntabundus, et Guntabundo Trasamundus.

(k) [Cod. Clun. *quorumdam ex ipsis Martyrum.*]

inenarrabili sanctitate, qui tunc ferebatur magnæ prudentiæ esse, in suburbano civitatis suæ reperit persecutor : quem ita violenter rapuit, ut nec ad hortandum gregem Christicolum (a) abire permitteret. Ille verò cùm se videret abduci, epistolam civibus pro custodienda fide Catholica hoc modo transmisit (b) : A

Dilectissimis et in Christi amore dulcissimis filiis et filiabus Ecclesiæ mihi à Deo commissæ (c), *Eugenius Episcopus.*

« Regalis emanavit auctoritas, et pro exercenda fide Catholica, edicto nos à » Carthagine (d) venire præcepit. Et ideò ne abiens à vobis Ecclesiam Dei in » ambiguo, hoc est, in suspenso, dimitterem ; aut oves Christi non verus pastor » silentio (e) relinquerem, necessarium duxi has pro me vicarias vestræ dirigere » sanctitati : in quibus non sine lacrymis peto, hortor, moneo, et satis abundèque » obtestor per Dei majestatem, et per tremendum Judicii diem, atque adventûs B » Christi terribilem claritatem, ut fixiùs teneatis Catholicam fidem, adserentes Filium Patri esse æqualem, et Spiritum-Sanctum eamdem habere cum Patre et Filio Deitatem (f). Servate itaque unici baptismatis gratiam, custodientes chrismatis unctionem (g). Nemo post aquam revertatur ad aquam, renatus ex aqua. Nutu » enim Dei sal ex aqua conficitur ; sed si in aquam redactum fuerit, omnis species *Matth.* 5. 13. » ejus confestim evacuatur. Unde non immeritò Dominus in Evangelio ait : *Si sal* » *infatuatum fuerit in quo salietur ?* Et utique hoc est infatuari, velle secundò condiri, *Joan.* 13. 10. » cum semel factum sufficiat. Non audistis Christum dicentem : *Qui semel lotus est,* » *non habet necessitatem iterùm lavandi?* Idcòque fratres, et filii, filiæque meæ in Domino, » non vos contristet absentia mea, quia si Catholicæ disciplinæ adhereatis, ego vos » nec longinquitate aliqua obliviscar, nec morte à vobis divellar (h). Scitote quia quo- C » cumque me fecerint dividi agones, mecum est palma : si ad exsilium abiero, beati » Joannis Evangelistæ exemplum habeo ; si ad mortis exitium, *Vivere mihi Christus est,* *Philip.* 1. 21. » *et mori lucrum.* Si rediero, fratres, implebit Deus desiderium vestrum. Attamen » sufficit modò, quod vobis non tacui : monui, instruxi, quomodo potui : ideò- » que immunis sum à sanguine omnium pereuntium ; et scio quia adversùs eos » legentur litteræ istæ ante tribunal Christi, cùm venerit reddere unicuique secundùm opera sua. Si reversus fuero, fratres, videbo vos in hac vita : si non reversus » fuero, videbo vos in futura. Dico tamen vobis, Valete, orate pro nobis, et jejunate : quia jejunium et eleemosyna semper Dominum ad misericordiam deflexerunt. *Matth.* 10. 2. » Mementote esse scriptum in Evangelio : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam* » *autem non possunt occidere : timete autem eum, qui postquàm occiderit corpus, habet potestatem* D » *et animam et corpus perdere et mittere in gehennam.* »

Ductus itaque sanctus Eugenius ad Regem, cum illo Arianorum Episcopo pro fide Catholica decertavit. Cùmque eum de sanctæ Trinitatis mysterio potentissimè devicisset, et insuper multas per eum virtutes Christus ostenderet, in majorem insaniam idem Episcopus, invidia inflammante, succenditur. Erant enim tunc temporis cum sancto Eugenio viri prudentissimi atque sanctissimi, Vindemialis (i) et Longinus Episcopi, pares gradu, et virtute non impares. Nam sanctus Vindemialis eo tempore ferebatur mortuum suscitasse : Longinus autem multis infirmis salutem tribuit. Eugenius quoque non solùm visibilium oculorum cæcitatem, sed etiam mentium depellebat. Quod cernens ille nequam Arianorum Episcopus, vocatum ad se quemdam hominem, ab illo quo ipse vivebat errore deceptum, ait : E *Non patior, quòd hi Episcopi multa in populo signa depromunt, illosque cuncti me neglecto sequuntur. Adquiesce nunc his quæ præcipio, et acceptis quinquaginta aureis, sede in platea, per quam nobis est transitus : et manum super clausos oculos ponens, me prætereunte cum reliquis exclama in magna virtute, dicens : Te beatissime Cyrola, nostræ religionis antistes, deprecor ut respiciens manifestes gloriam ac virtutem tuam, ut oculos meos aperiens merear lucem videre quam perdidi.* Qui jussa complens, residensque in platea, transeunte hæretico cum Sanctis Dei, iste qui Deum inridere cogitabat, exclamat in magna virtute, dicens : *Audi me, beatissime Cyrola : audi*

(a) Sic mss. at editi cum Bec. habent *Christi ullum.*

(b) Deest epistola integra in Corb. sed quæ tamen sponte omissa fuit, cùm habeat, *Epistolam..... hoc modo transmisit.*

(c) Ms. 1. *commissis.*

(d) Regm. *Chartaginem.* Et infrà post *vicarias*, addit, *litteras.*

(e) [Cod. Clun. *reliquissem.*]

(f) Regm. et Bec. *asserentes Patrem et Spiritum-Sanctum eamdem habere cum Filio Deitatem.*

(g) Baptismi gratiam, Chrismatis unctionem inter bona Christianis à Deo collata recenset Salvianus ejusdem ævi auctor lib. 3. de Gubernatione Dei.

(h) Sic mss. 2. alii, *quin si catholicæ disciplinæ adhæreatis, ego..... obliviscor..... divellor.* [Cod. Clun. *qua si..... obliviscor..... divellor.*]

(i) Corb. habet ubique *Vindimialis.*

A *me, sancte Sacerdos Dei : respice cæcitatem meam. Experiar ego medicamenta quæ sæpe cæci reliqui à te meruerunt, quæ leprosi experti sunt, quæ ipsi etiam mortui præsenserunt. Adjuro te per ipsam virtutem quam habes, ut mihi desideratam restituas lucem, quia gravi sum cæcitate percussus.* Veritatem enim nesciens, verum dicebat : quia cæcaverat eum cupiditas, et virtutem Dei omnipotentis inridere per pecuniam æstimabat. Tunc hæreticorum Episcopus paullulùm se divertit, quasi in virtute triumphaturus, elatus vanitate atque superbia, posuit manum suam super oculos ejus, dicens : *Secundùm fidem nostram, qua rectè Deum credimus, aperiantur oculi tui.* Et mox ut hoc nesas erupit, risus mutatur in planctum, et dolus Episcopi est patefactus in publico : nam (a) tantus dolor oculos miseri illius invasit, ut eos digitis vix (b) comprimeret, ne creparent. Denique clamare cœpit miser, ac di-
B cere : *Væ mihi misero, quia seductus sum ab inimico legis divinæ. Væ mihi, quia Deum per pecuniam inridere volui, et quinquaginta aureos accepi, ut hoc facinus perpetrarem.* Ad Episcopum autem aiebat : *Ecce aurum tuum, redde lumen meum, quod dolo tuo perdidi. Vosque* (c) *rogo, gloriosissimi Christiani, ne despiciatis miserum, sed velociter succurrite pereunti. Verè enim cognovi, quia Deus non inridetur.* Tunc Sancti Dei misericordia moti, *Si*, inquiunt, *credis, omnia possibilia sunt credenti.* At ille clamabat voce magna : *Qui non crediderit Christum Filium Dei et Spiritum-Sanctum æqualem habere substantiam atque Deitatem cum Deo Patre, hodie quæ ego perfero patiatur.* Et adjecit : *Credo Deum Patrem omnipotentem, credo Filium Dei Christum Jesum æqualem Patri, credo Spiritum-Sanctum Patri et Filio consubstantialem atque coæternum.* Hæc illi audientes, et se invicem honore mutuo prævenientes, oritur
C inter eos sancta contentio, quis oculis ejus signum beatæ crucis imponeret. Vindemialis verò ac Longinus Eugenium, ille (d) autem econtrà eos exorat ut manus imponerent cæco. Quod cùm fecissent, et manus suas super caput ejus tenerent, sanctus Eugenius crucem super oculos cæci faciens, ait : *In nomine Patris et Filii et Spiritûs-Sancti veri Dei, quem trinum in una æqualitate atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui.* Et statim ablato dolore, ad pristinam rediit sanitatem. Manifestissimè autem patuit per hujus cæcitatem, qualiter hæreticorum Episcopus oculos cordium misero assertionis suæ velabat amictu, ne veram lucem ulli liceret fidei oculis contemplari. O miserum, qui non ingressus per januam, id est, per Christum, qui est janua vera, lupus magis gregi quàm custos effectus est : et pacem (e) fidei quam in credentium cordibus debuerat accendere, pravitate cordis sui conabatur
D exstinguere. Sancti verò Dei alia signa in populis multa fecerunt, et erat vox una populi dicentis : *Verus Deus Pater, verus Deus Filius, verus Deus Spiritus-Sanctus, una fide colendus, uno timore metuendus, eodemque honore venerandus.* Nam quæ Cyrola adserit, falsa esse cunctis est manifestum.

Videns autem Honoricus rex, assertiones suas per Sanctorum fidem gloriosam taliter denudari, nec erigi sectam erroris, sed potiùs destrui; fraudemque Pontificis sui in hoc scelere fuisse detectam; Sanctos Dei post multa tormenta, post equuleos, post flammas, post ungulas, jussit interfici : beatum verò Eugenium decollari jussit, sub ea specie, ut si in ea hora qua ensis super cervicem ejus incumbebat, non reverteretur ad hæreticorum sectam, non occideretur, ne eum pro Martyre excolerent Christiani, sed exsilio damnaretur : quod ita factum esse mani-
E festum est. Nam cùm imminenti morte interrogatus fuisset, si mori pro fide Catholica destinaret, respondit : *Hæc enim est sempiterna vita, pro justitia mori.* Tunc suspenso gladio, apud Albigensem Galliarum urbem exsilio deputatus est : ubi et finem vitæ præsentis fecit (f). Ad cujus nunc sepulcrum multæ virtutes creberrimè ostenduntur. Sanctum verò Vindemialem gladio percuti præcepit : quod ita impletum est in hoc certamine. Octavianus verò Archidiaconus, et multa millia virorum ac mulierum hanc fidem adserentium, interemta atque debilitata sunt. Sed pro amore gloriæ, nihil erant hæc supplicia Confessoribus sanctis, qui in paucis vexati, in multis bene se noverant disponendos, juxta illud Apostoli : *Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelatur* (g) *in Sanctis.* Multi tunc

Gal. 6. 7. *Marc.* 9. 22.

An. 505.

Sap. 3. 5. *Rom.* 8. 18.

(a) Cod. Bellov. ceteris avulsis incipit ab his verbis, *patefactus in publico.* Tum quæ sequuntur usque ad hæc verba, *Tunc sancti Dei,* desunt in eodem cod. Porrò similis huic Historia Leovigildi temporibus in Hispania contigit, quam narrat ipse Gregorius lib. de Gloria Conf. cap. 13.

(b) Regm. *vi comprimeret.* Casin. *digitis suis comprimeret.* [Clun. *digitis sex compr.*]

(c) [Cod. Clun. *vos quoque rogo.*]

(d) [Cod. Clun. *ille verò eos exorat.*]

(e) Bell. *faciem,* pro *facem,* nisi fallor.

(f) De Eugenio, ceterisque hîc à Gregorio laudatis, consule Historiam persecutionis Vandalicæ à nobis editam, cap. 8. ubi fusè de his egimus, et de ejus sepulcro prope Albigensium urbem.

(g) [Cod. Clun. *revelabitur in nobis.*]

errantes à fide, accipientes divitias, inseruerunt se doloribus multis : sicut infelix ille A
Episcopus, nomine Revocatus, eo tempore est revocatus à fide Catholica. Tunc (a)
et sol teter apparuit, ita ut vix ab eo pars vel tertia eluceret : credo, pro tantis
sceleribus et effusione sanguinis innocentis. Honoricus verò post tantum facinus,
arreptus à dæmone, qui diu de Sanctorum sanguine pastus fuerat, propriis se mor-
An. 484. sibus laniabat : in quo etiam cruciatu vitam indignam justa morte finivit. Huic Chil-
dericus (b) successit, quo defuncto, Gelesimiris regnum suscipit. Ipse quoque à
Republica (c) superatus, vitam principatumque finivit : et sic regnum decidit Van-
dalorum.

IV. Multæ enim hæreses eo tempore Dei Ecclesias impugnabant, de quibus
plerumque ultio divina data est. Nam et Athanaricus Gothorum Rex magnam
excitavit persecutionem : qui multos Christianorum, diversis pœnis adfectos, gla- B
dio detruncabat : sed (d) et nonnullos exsilio datos, fame variisque cruciatibus ene-
cabat. Unde factum est, ut imminente judicio Dei, pro effusione sanguinis justi à
regno expelleretur, et esset exsul à patria, qui Dei Ecclesias impugnabat. Nunc verò
ad superiora redeamus.

V. Igitur rumor erat Chunos (e) in Gallias velle prorumpere. Erat autem tunc
temporis apud Tungros oppidum Aravatius (f) eximiæ sanctitatis Episcopus, qui
vigiliis ac jejuniis vacans, crebro lacrymarum imbre perfusus, Domini misericor-
diam precabatur, ne umquam gentem hanc incredulam, seque semper indignam,
in Gallias venire permitteret. Sed sentiens per spiritum, pro delictis populi, sibi
hoc non fuisse concessum ; consilium habuit expetendi (g) urbem Romanam ; sci-
licet, ut adjunctis (h) sibi Apostolicæ virtutis patrociniis, quæ humiliter ad Do- C
minum flagitabat, mereretur faciliùs obtinere. Accedens ergo ad beati Apostoli
tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis ejus, in multa abstinentia, maxima (i)
inedia se consumens; ita ut biduo triduoque sine ullo cibo potuque maneret, nec
esset intervallum aliquod, in quo ab oratione cessaret. Cùmque ibi per multorum
dierum spatia in tali afflictione moraretur, fertur hoc à beato Apostolo accepisse
responsum : *Quid me, vir sanctissime, inquietas? Ecce enim apud Domini delibera-
tionem prorsùs sancitum est Chunos in Gallias advenire, easque maxima tempestate
debere depopulari. Nunc igitur sume consilium, accelera velociter, ordina domum tuam,
sepulturam compone : require linteamina munda. Ecce enim migrabis à corpore, nec
videbunt oculi tui mala, quæ facturi sunt Chuni in Galliis, sicut locutus est Domi-
nus Deus noster.* Hoc à sancto Apostolo Pontifex responso suscepto, iter accele- D
rat, Galliasque velociter repetit : veniensque ad urbem Tungrorum, quæ erant
necessaria sepulturæ secum citiùs levat : valedicensque clericis, ac reliquis civibus
urbis, denuntiat cum fletu et lamentatione, quia non visuri essent ultrà faciem il-
lius. At illi cum ululatu (k) magno et lacrymis eum prosequentes, supplicabant

(a) Anno 450. sequenti verò Hunnorum in Gallias irruptionem contigisse probat Scaliger lib. 6. de emend. temp.

(b) Reg. *Hildericus*, quod idem est. Nam istis temporibus littera H. perinde sonabat ac nostris Ch. Ceterùm nonnisi Guntabundo et Trasamundo intermediis Hunerico patri suo successit Hildericus ; nec eo defuncto, sed pulso, Gelisimer regnum occupavit. Eorum fortunam Procopius et alii describunt. Vide Hist. persecut. Vandalicæ à nobis editam cap. 12.

(c) Id est à Belisario famoso duce Justiniani Imperatoris.

(d) Hæc usque ad *unde* desunt in mss. 2. Porrò Athanarici persecutionem descriptam habes in Actis Martyrum sinceris, pag. 670. ubi de S. Saba ad ann. 372.

(e) Aliquot mss. et editi *Hunos*, seu *Hunnos*, quod perinde est. In Regio autem hoc caput cum sequenti deest.

(f) Editi ferè omnes cum cod. Bec. [et Cluniac.] *Servatius*. Corb. *Asavatius*. Quem cùm vulgati auctores eum putarent esse Servatium Tungrorum Antistitem, ab Athanasio, Severo Sulpicio, aliisque auctoribus laudatum, qui Synodis Sardicensi, Ariminensi, immò et Agrippinensi, si sincera sunt hujus Concilii acta, interfuit ; cladem Galliarum, quam hîc Gregorius Hunnis tribuit, ad Vandalorum incursiones referre conati sunt ; sed cùm ex omnibus mss. quos videre licuit, unicus Beccensis hîc, et unicus cod. Clarom. in lib. de Gloria Conf. cap. 72. *Servatius* habeant ; facilè eorum sententiæ subscribo, qui illos à sese invicem distinguendos esse censent, quorum prior *Servatius* sæculo quarto vixerit, posterior verò, de quo hîc noster Gregorius, *Aravatius*, seu *Asavatius*, ut habet Corb. seu *Arvatius*, ut in libro de Gloria Confessorum cap. 72. sicut et apud Fredegarium etiam in vetustis mss. legitur appellatus, sæculo sequenti. De hac re Valesius fusè agit in Præf. tomi 2. Histor. Francorum, ubi duos admittit. Unicum verò fuisse pluribus probare conatur Henschenius ad diem 13. Maii Bolland. Cùm huic difficultati illustrandæ essem occupatus, occurrit mihi inter alios codices Corbeienses, qui in nostram sancti Germani Bibliothecam advecti sunt, unus Merovingico charactere partim, et partim Romano ab annis saltem 900. conscriptus, in quo tota hæc Gregorii narratio, et quidem paullò prolixior, continetur sub sancti *Servatii vitæ* titulo. In quo codice numquam aliter, sive in Vita ipsa, sive in Hymno antiquo, qui ei subjungitur, hic sanctus vir appellatur, quàm *Servatius*. Undè inferendum est, vel ipsum binominem fuisse, aut certè jam tunc temporis Aravatii nomen in Servatium fuisse translatum. In Vaticano et Vindocinensi codd. mss. idem *Aravatius* appellatur.

(g) Aliquot codd. *cepit ut expeteret*.

(h) [Cod. Clun. *adjuncta... patrocinia.*]

(i) [Cod. Clun. *maximè inedia.*]

(k) Sic Corb. et Bell. at ceteri cum editis, *ejulatu*.

humili

A humili prece, dicentes : *Ne derelinquas nos, Pater sancte ; ne obliviscaris nostri, Pastor bone.* Sed cùm eum fletibus revocare non possent, accepta benedictione cum osculis redierunt. Hic verò ad Trajectensem (a) urbem accedens, modica pulsatus febre recessit à corpore : ablutusque à fidelibus, juxta ipsum aggerem publicum est sepultus. Cujus beatum corpus qualiter post multorum temporum spatia sit translatum, in libro (b) Miraculorum scripsimus. An. Chr. 451.

VI. Igitur Chuni à Pannoniis egressi, ut quidam ferunt, in ipsa sancti Paschæ vigilia, ad Mettensem (c) urbem, reliqua depopulando, perveniunt, tradentes urbem incendio, et populum in ore gladii trucidantes, ipsosque Sacerdotes Domini ante sacrosancta altaria perimentes. Nec remansit in ea locus inustus, præter oratorium beati Stephani primi martyris ac levitæ. De quo oratorio, quæ à quibusdam audivi,
B narrare non distuli. Aiunt enim, priusquàm hi hostes venirent, vidisse se virum fidelem in visu, quasi conferentem cum sanctis Apostolis Petro ac Paulo beatum Levitam Stephanum de hoc excidio, ac dicentem : *Oro, domini mei, ut non permittatis obtentu vestro Mettensem urbem ab inimicis exuri, quia locus in ea est in quo parvitatis meæ pignora* (d) *continentur : sed potiùs sentiant se populi aliquid me posse cum Domino. Quòd si tantum facinus populi supercrevit, ut aliud fieri non possit, nisi civitas tradatur incendio ; saltem vel hoc oratorium non cremetur.* Cui illi aiunt : *Vade in pace, dilectissime frater, oratorium tantùm tuum carebit incendio. Pro urbe verò non obtinebimus, quia Dominicæ sanctionis super eam sententia jam processit. Invaluit enim peccatum populi, et clamor malitiæ eorum ascendit coram Deo : ideò civitas hæc cremabitur incendio.* Unde procul dubio est, quòd horum obtentu, urbe vastata, oratorium per-
C mansit inlæsum.

VII. Attila verò Chunorum Rex à Mettensi urbe egrediens, cùm multas Galliarum civitates opprimeret, Aurelianis adgreditur, eamque maximo arietum impulsu nititur expugnare. Erat autem eo tempore beatissimus Anianus in supradicta urbe Episcopus, vir eximiæ prudentiæ, ac laudabilis sanctitatis, cujus virtutum gesta nobiscum fideliter retinentur (e). Cùmque inclusi populi suo Pontifici quid agerent acclamarent; ille fisus (f) in Deo, monet omnes in orationem prosterni, et cum lacrymis præsens semper in necessitatibus Domini auxilium implorare. Denique his ut præceperat deprecantibus, ait Sacerdos : *Adspicite de muro civitatis, si Dei miseratio jam succurrat.* Suspicabatur enim per Domini misericordiam Aëtium adve-
D nire, ad quem et Arelatem abierat priùs, suspectus futuri. Adspicientes autem de muro, neminem viderunt. Et ille, *Orate*, inquit, *fideliter : Dominus enim liberabit* (g) *vos hodie.* Orantibus autem illis, ait : *Adspicite iterum.* Et cùm adspexissent, neminem viderunt qui ferret auxilium. Ait eis tertiò : *Si fideliter petitis, Dominus velociter adest.* At (h) illi cum fletu et ejulatu magno Domini misericordiam implorabant. Exacta quoque oratione, tertiò juxta Senis imperium adspicientes de muro, viderunt à longè quasi nebulam de terra consurgere. Quod renuntiantes, ait Sacerdos : *Domini auxilium est.* Intereà jam trementibus ab impetu arietum muris, jamque ruituris, ecce (i) Aëtius venit, et Theodorus (k) Gotthorum rex, ac Thorismodus filius ejus cum exercitibus suis ad civitatem adcurrunt, adversumque hostem eji-

(a) Trajectum scilicet ad Mosam, superius dictum, vulgò *Mastricht*, quò paullò pòst eversa per Attilam Aduaca, Tungrorum Episcopalis sedes translata est, quæ tandem Leodicum migravit. [Cod. Clun. *Trejectensim.*]

(b) Scilicet in libro de Gloria Confess. cap. 72.

(c) [Cod. Cluniac. *Metensim.*]

(d) Etiam nunc in majori urbis Mettensis Ecclesia sancto Stephano dicata servantur aliquot reliquiæ sancti Protomartyris.

(e) Ejus festum colitur die 17. Novembris. De hac obsidione vide Apollinaris Sidonii epist. 15. lib. 8. quæ est ad Prosperum Aniani successorem. Aniani Acta à Sausseio ex variis auctoribus consarcinata Surius retulit tomo 11. at ea prout à veteri Auctore condita sunt in codd. mss. invenimus, ubi ejus iter Arelatense ac virtutes in eo patratæ fusiùs narrantur. Vide Chesnium tomo 1. pag. 521. [et Tomum nostrum 1. pag. 645.] De eadem re legendum Carmen 7. Apollinaris Sidonii.

(f) [Cod. Clun. *fixus in Deo... in oratione.*]

(g) [Cod. Clun. *liberabit nos.*]

(h) Hic incipit cod. Colbertinus, quem ut ab alio distinguamus, appellabimus primum, et sic, Colb. a. designabimus.


(i) * Cùm Aëtius venit, jam capta fuerat urbs Aurelianensis, sed non direpta. Vide Sidonium Apollinarem lib. 8. epist. 15.

(k) Sic mss. et plerique editi pro *Theodoris*, ut à Sidonio appellatur, aut *Théodoricus*. Alii *Theudo*. Thorismodus verò, in Corb. appellatur *Thurremodus*, in Bell. *Thursimodus*, in Regm. *Thursimundus*, in Bec. *Thorismondus*. [Cod. Clun. *Aëtius ac Teudo... ac Tursimodus.*] Ii sunt Theuderedus seu Theodoricus, rex Wisigottorum, qui ab anno 419. ad 451. regnavit, et filius ejus Thurismundus, qui uno anno post patris obitum idem regnum obtinuit, anno 453. à suis fratribus interemtus, ut dicetur infrà. Theodorici Regis sincerum nomen discimus ex antiqua inscriptione, quæ in Conventum Minimorum Narbonensium nuper translata est ex veteri oratorio sancti Lupi, haud procul ab ipsa urbe dissito, olim sub titulo sancti Vincentii, Aginnensis scilicet, in istis partibus celebris, sacrato. Inscriptio autem epithaphium est cujusdam Palenopes, marmori albo insculptum, quod hîc repræsentare visum est integrum, quòd

An. Chr. 451. ciunt repelluntque. Itaque liberata (a) obtentu beati Antistitis civitate, Attilanem fugant, qui Mauriacum (b) campum adiens, se præcingit ad bellum. Quod hi audientes, se contra eum viriliter præparant. A

His diebus Romam sonus adiit, Aëtium in maximo discrimine inter phalangas hostium laborare. Quo audito uxor ejus anxia atque mœsta, assiduè Basilicam sanctorum Apostolorum adibat, atque ut virum suum de hac via reciperet (c) sospitem precabatur. Quæ cùm die noctuque hæc ageret, quadam nocte homo pauperculus, crapulatus à vino, in angulo Basilicæ beati Petri Apostoli obdormivit. Clausis autem ex more ostiis à custodibus, non est (d) ejectus : de nocte verò consurgens, relucentibus per tota ædis spatia lychnis, pavore perterritus quærit aditum foris ut evaderet (e). Verùm ubi primi atque alterius ostii claustra pulsat, et obserata cuncta cognoscit, solo decubuit, trepidus præstolans locum, ut (f) convenientibus ad matutinos hymnos populis, hic liber abscederet. Intereà vidit duas personas se invicem venerabiliter salutantes, sollicitosque de suis esse prosperitatibus. Tunc qui

non modò verum Gotthi Regis nomen exhibeat, sed et ejus imperii tempus certò indicet, decimum regni illius annum cum Indictione IV. componens. Linea verò quæ inscriptionem secare in duas partes videtur, marmoris fractionem exhibet, quæ unam ferè lineam exhausit.



Ejusdem oratorii antiquitas ex alio quoque monumento colligi potest. In antica quippe lapidei altaris parte visitur inscriptio Rustici, sæculo quinto Episcopi Narbonensis, fideles exorantis, ut apud Deum pro se ipso intercedant, quòd fortasse hoc altare consecrasset. Sic autem se habet litteris Romanis exarata.

ORATE. PRO. ME. RUSTICO. VESTRO.

Has inscriptiones cum tertia, Leovigildi tempore scripta, quæ infrà habetur, ad me transmisit V. Cl. D. *Peche* majoris Ecclesiæ Narbonensis Canonicus. * Ex hac inscriptione Theodorici nomen colligi nequaquam potest : Indictio enim quarta cum anno decimo regni Theodorici conciliari non potest : optimè verò quadrat in annum decimum regni Theudis, qui erat Christi 541. Theudes enim regnare cœpit mense Decembri an. 531.

(a) [Cod. Clun. *liberatam..... civitatem.*]

(b) Non una est auctorum de hac re sententia. Blondellus putat Mauriacum esse vicum, *Heiz le Mauru* dictum, in Catalaunensi diœcesi. Et quidem Jornandes Mauriacos campos à Catalaunicis non distinguit. Isidorus verò *in campis Catalaunicis* conflictum fuisse scribit ad æram 452. Sic et Idatius, qui eos haud longè à Mettensi urbe dissitos dicit. Savaro in notis ad Carmen 7. Sidonii aliquos è suis laudat qui campos istos à Mauriaco Arverniæ oppido sic dictos volebant. At Valesius qui Mauriacos campos post Fredegarium in Tricassibus locat, eos sic putat dictos fuisse à Mauriaco, vulgò *Mery*, quod oppidum est ad Sequanam positum inter Trecas et Duodecim-Pontes, ubi primùm leviter adversùs Attilam pugnatum fuisse contendit, ac paullò pòst in Catalaunicis campis ingens prælium fuisse commissum. Mittimus alios nonnullos, qui pro Catalaunicis Secalaunicos campos, *la Sologne* prope Aurelianum, aut Catallanos apud Tectosages intrudunt, cùm eorum sententiæ jam ab omnibus explodantur.

(c) Sic Corb. Bec. Colb. a. Regm. [et Clun.] alii verò, *de hac exspectatione susciperet.*

(d) [Cod. Clun. *non est nanctus.*]

(e) Sic codd. vetustiores : alii, *aditum per quem foris evaderet, quærit.* [Ita Cod. Clun.]

(f) [Cod. Clun. *ut cum venientibus.*]

A erat senior, ita exorsus est : *Uxoris Aëtii lacrymas diutiùs sustinere non patior. Petit enim assiduè ut virum suum de Galliis reducam incolumem, cùm aliud exindè fuisset apud Divinum judicium præfinitum : sed tamen obtinui immensam pietatem pro vita illius. Et ecce nunc illuc propero, viventem eum exinde reducturus. Verumtamen obtestor, ut qui hæc audierit sileat, arcanumque Dei vulgare non audeat, ne pereat velociter à terra.* Ille autem hæc audiens, silere non potuit : sed mox inlucescente cœlo, omnia quæ audierat, matrifamiliæ pandit : expletisque sermonibus, lumine caruit oculorum. An. Chr. 451.

Igitur Aëtius cum Gotthis Francisque conjunctus, adversùs Attilanem confligit. At ille ad internecionem vastari suum cernens exercitum, fuga dilabitur. Theodorus (a) verò Gotthorum rex huic certamini succubuit. Nam nullus ambigat Chunorum exercitum B obtentu memorati Antistitis fuisse fugatum. Verumtamen Aëtius patricius cum Thorismodo victoriam obtinuit, hostesque delevit. Expletoque bello, ait Aëtius Thorismodo : *Festina velociter redire in patriam, ne insistente germano, patris regno priveris.* Hæc ille audiens, cum velocitate discessit, quasi anticipaturus fratrem, et prior patris cathedram adepturus. Simili et Francorum regem (b) dolo fugavit. Illis autem recedentibus, Aëtius spoliato campo, victor in patriam cum grandi est reversus spolio. Attila verò cum paucis reversus est, nec multò pòst Aquileia à Chunis capta, incensa atque diruta, Italia pervagata atque subversa est. Thorismodus, de quo suprà meminimus, Alanos (c) bello edomuit : ipse deinceps, post multas lites et bella, à fratribus oppressus ac jugulatus interiit (d). An. 453.

VIII. Igitur his ita digestis ac per ordinem expletis, quid de Aëtio suprà memoC rato Renati-Frigeridi (e) narrat Historia tacere nefas putavi. Nam cùm in duodecimo Historiarum libro referat, post divi Honorii excessum, Valentinianum puerulum, uno tantùm lustro peracto, à consobrino Theodosio Imperatorem fuisse creatum, et apud urbem Romam tyrannum Johannem in imperium surrexisse, legatosque ejus à Cæsare dicat fuisse despectos, adjecit : « Dum hæc ita gererentur legati ad Tyran» num reversi sunt, mandata atrociora portantes (f) : quibus permotus Johannes, » Aëtium id temporis curam palatii gerentem, cum ingenti auri pondere ad Chunos » transmittit, notos sibi obsidiatûs sui tempore, et familiari amicitia devinctos, » cum mandatis hujusmodi : Cùm primum partes adversæ Italiam ingressæ forent, » ipsi (g) à tergo adorirentur, se (h) à fronte venturum. Et quia de hoc viro conse» quenter plura memoranda sunt, ejus genus moresque ordiri placet. Gaudentius D » Pater, Scythiæ (i) provinciæ primoris loci, à domesticatu exorsus militiam, usque » ad Magisterii-equitum culmen provectus est. Mater (k) Itala, nobilis ac locuples » femina. Aëtius filius, à puero Prætorianus, tribus annis Alarici obses, dehinc » Chunorum ; post hæc Carpilionis gener, ex Comite domesticorum, et Johannis (l) » curam palatii gerere cœpit. Medii corporis, virilis habitudinis decenter formatus, » quo neque infirmitudini esset neque oneri, animo alacer, membris vegetus : eques » promtissimus, sagittarum jactu peritus, conto impiger, bellis aptissimus, pacis » artibus celebris; nullius avaritiæ, minimæ cupiditatis, bonis animi præditus, nec » impulsoribus quidem pravis ab instituto suo devians, injuriarum patientissimus, » laboris adpetens, impavidus periculorum, famis sitisque atque vigiliarum toleran» tissimus. Cui ab ineunte ætate prædictum liquet, quantæ potentiæ satis destinare» tur, temporibus suis locisque celebrandus. » Hæc supradictus Historiographus de E Aëtio narrat. Adultus autem Valentinianus Imperator, metuens ne se per tyrrannidem Aëtius opprimeret, eum nullis causis exstantibus interemit. Ipse postmodùm Augustus, dum in Campo-Martio pro tribunali residens, concionaretur ad populum, Occylla Buccellarius Aëtii ex adverso veniens, eum gladio perfodit. Talis utrisque exstitit finis (m). An. 454. An. 455.

(a) [Cod. Clun. *Theudo.* Paulò pòst *Thurismodo.*]

(b) An Meroveum Regem ? quem post Aëtii mortem Germaniæ primæ ac Belgicæ secundæ bellum intulisse ut regni fines promoveret, testis est Sidonius in Panegyrico, quem socero suo dixit. Prosper Meroveum in Francia anno 447. regnasse scribit. De causa belli per Attilam illati videsis Prisci Rhetoris Historiam et Jornandem de reb. Geticis cap. 35. et seqq.

(c) Sic mss. Corb. Bell. Colb. Regm. Reg. Palatinus, [et Clun.] cum editis Bad. etc. *Alamannos* verò habent plerique editi cum Bec. Certè Alani tunc temporis trans Ligerim sedem habebant. De his consule Valesium lib. 4. Rerum Francicarum.

(d) Occisus est anno CCCCLIII. ut idem Valesius probat, à Theodorico et Friderico fratribus, quorum prior regnum occupavit ex Idatio, etc.

(e) Hic auctor ex solo Gregorio nobis est notus.

(f) Sic mss. plerique : alii, *atrocia reportantes.* [Ita Cluniac.]

(g) [Cod. Clun. *ipse à tergo adoriretur.*]

(h) [Cod. Dub. *ad frontem.*]

(i) Bell. *Sciciæ.* Bec. *Scyciæ.*

(k) [Cod. Dub. *mater Itela.*]

(l) [Cod. Clun. *Johannis cura palatii. Medii.*]

(m) De Aëtii et Valentiniani cæde, aliisque la-

IX. De Francorum verò Regibus, quis fuerit primus à multis ignoratur. Nam A
cùm multa de eis Sulpicii Alexandri (a) narret Historia, non tamen Regem primum eorum ullatenus nominat, sed Duces eos habuisse dicit : quæ tamen de eisdem referat, memorare videtur. Nam cùm dicit, Maximum intra Aquileiam, amissa (b)
An. Chr. 388. omni spe imperii, quasi amentem, residere, adjungit : « Eo tempore Genobaude (c),
» Marcomere et Sunnone ducibus, Franci in Germaniam (d) prorupere, ac plu-
» ribus mortalium limite inrupto cæsis, fertiles maximè pagos depopulati, Agrip-
» pinensi etiam Coloniæ metum incussere. Quod ubi Treveris perlatum est, Nan-
» nenus (e) et Quintinus militiæ Magistri, quibus infantiam filii et defensionem
» Galliarum Maximus commiserat, collecto exercitu apud Agrippinam convenere.
» Sed onusti præda hostes, provinciarum opima depopulati, Rhenum transiere,
» pluribus suorum in Romano relictis solo, ad repetendam depopulationem para- B
» tis, cum quibus congressus Romanis accommodus fuit, multis Francorum apud
» Carbonariam (f) ferro peremptis. Cùmque consultaretur de successu, an in Fran-
» ciam transire deberent; Nannenus abnuit, quia non imparatos et in locis suis
» indubiè fortiores futuros sciebat. Quod cùm Quintino et reliquis viris militari-
» bus displicuisset, Nanneno Mogontiacum reverso, Quintinus cum exercitu circa
» Nivisium (g) castellum Rhenum transgressus, secundis à fluvio castris, casas ha-
» bitatoribus vacuas atque ingentes vicos destitutos offendit. Franci enim simulato
» metu, se in remotiores saltus receperant, concidibus per extrema silvarum pro-
» curatis. Itaque universis domibus exustis, in quas sævire stoliditas ignava victo-
» riæ consummationem reponebat, noctem sollicitam milites sub armorum onere
» duxerant. Ac primo diluculo, Quintino prælii duce ingressi saltus, in medium C
» ferè diem implicantes se erroribus viarum, toto pervagati sunt : tandem cùm in-
» gentibus septis omnia à solido clausa offendissent, in palustres campos, qui sil-
» vis jungebantur, prorupêre : molientibus (h), hostium rari apparuere : qui con-
» junctis arborum truncis, vel concidibus superstantes, velut è fastigiis turrium,
» sagittas tormentorum ritu effudere inlitas herbarum venenis, ut summæ cuti,
» neque letalibus inflicta locis vulnera, haud dubiæ mortes sequerentur. Dehinc
» majori multitudine hostium circumfusus exercitus, in aperta camporum, quæ li-
» bera Franci reliquerant, avidè effusus est : ac primi equites voraginibus immersi,
» permixtis hominum jumentorumque corporibus, ruina invicem suorum oppressi
» sunt. Pedites etiam, quos nulla onera equorum calcaverant, implicati limo, ægrè
» explicantes gressum, rursùs se, qui paulò antè vix emerserant, silvis trepidantes D
» occulebant. Perturbatis ergo ordinibus, cæsæ (i) legiones. Heraclio Jovinianorum (k) tribuno, ac pænè omnibus qui militibus præerant, exstinctis, paucis effu-
» gium tutum nox et latibula silvarum præstitere. » Hæc in tertio Historiæ libro narravit.

In quarto verò libro, cum de interfectione Victoris filii Maximi tyranni narra-
An. 389. ret, ait : « Eo tempore Carietto et Syrus in locum Nanneni subrogati, in Germa-
» nia cum exercitu opposito Francis diversabantur. » Et post pauca, cùm Franci de Germania prædas tulissent, adjecit : « Nihil Arbogastes differre volens, com-
» monet Cæsarem pœnas debitas à Francis exigendas, nisi universa quæ superiori
» anno cæsis legionibus diripuerant, confestim restituerent, auctoresque belli tra-
» derent, in quos violatæ pacis perfidia puniretur. » Hæc acta, cùm duces essent, E
retulit, et deinceps ait : « Post dies pauculos, Marcomere et Sunnone Franco-
» rum Regalibus, transacto cursim conloquio, impetratisque (l) ex more obsidi-

bentis imperii rebus, quæ hîc et in sequentibus referuntur, videndi Orosius lib. 7. Procopius lib. 1. Hist. Vandalic. Marcellinus comes, Prosper etc. de quibus fusiùs in Notis agere superfluum videtur. Hæc tamen in Indice chronologico, quem Gregorii operibus præmisimus, suis locis posuimus, ut Francicarum rerum, quibuscum permixta sunt, series notior haberetur.

(a) Nec aliunde quàm ex Gregorio hunc auctorem, aut ejus Historiam novimus.

(b) [Codd. Dub. et Clun. *amissam omnem spem imperii.*] * Apud antiquos Accusativus sæpe ponitur pro Ablativo absoluto.

(c) Plerique edit. *Genobaldo.* Bec. *Genebaudo.* Bad. pro *Sunnone* habet *Sansone.* Regm. *Sumsone.*

(d) * Germaniam Gallicam intelligit : nam in Galliis duæ erant Germaniæ, prima et secunda, in quâ Colonia Agrippina.

(e) Sic appellant veteres mss. At Colb. et Reg. *Namninus.* Plerique editi *Nannius.* [Clun. *Nanninus.*]

(f) Carbonaria silva inter Rhenum et Scaldim sita, quæ pars erat Arduennæ.

(g) Alii habent *Novesium.* Quæ lectionis varietas etiam apud alios auctores occurrit, vulgò dicitur *Nuiz*, oppidum haud procul à Colonia Agrippina.

(h) Mss. 2. *prorumpere molientibus.*

(i) [Cod. Clun. *ordinibus cæsæ legionis, Eraclio.*]

(k) Valesius legit *Jovianorum.* Et quidem celebres erant *Joviani milites*, de quibus Toinardus in notis ad Lactantium. Vide et Notas in Acta Martyrum pag. 664. Alii fortè hîc memorantur, sic dicti à Jovino, de quo infrà.

(l) Regm. *Imperator ab eis acceptis obsidibus ex more ad hiemandum Treveris concessit;* et pro *an vices*, etc. idem cod. *an per vices tenuerint regnum.*

A » bus, ad hiemandum Treveris concessit. » Cùm autem eos Regales vocet, nescimus utrum Reges fuerint, an vices tenuerint Regum. Idem tamen scriptor, cùm necessitates Valentiniani Augusti commemorat, hæc adjungit : « Dum diversa in » Oriente per Thracias (a) geruntur, in Gallia status publicus perturbatur. Clauso An. Chr. 392.
» apud Viennam palatii ædibus Principe Valentiniano, et pænè infra privati modum » redacto, militaris rei cura Francis satellitibus tradita, civilia quoque officia (b) » transgressa in conjurationem Arbogastis : nullusque ex omnibus Sacramentis mi» litiæ obstrictis reperiebatur, qui familiari Principis sermoni aut jussis obsequi » auderet. Dehinc refert, quòd eodem anno Arbogastes Sunnonem et Marcomerem » subregulos Francorum gentilibus odiis (c) insectans, Agrippinam rigente maximè » hieme petiit : ratus (d) tutò omnes Franciæ recessus penetrandos urendosque,
B » cùm decussis foliis nudæ atque arentes silvæ insidiantes occulere non possent. » Collecto ergo exercitu, transgressus Rhenum (e), Bricteros ripæ proximos, » pagum (f) etiam quem Chamani incolunt, depopulatus est, nullo unquam occur» sante, nisi quòd pauci ex Ampsuariis et Chattis Marcomere duce in ulterioribus » collium jugis apparuere. » Iterùm hic relictis tam Ducibus quàm Regalibus, apertè Francos Regem (g) habere designat, hujusque nomen prætermittens (h), ait : « Dehinc Eugenius tyrannus suscepto expeditionali procinctu, Rheni limitem petit, An. 393.
» ut cum Alamannorum et Francorum Regibus vetustis fœderibus ex more initis, » immensum ea tempestate exercitum gentibus feris ostentaret. » Hæc suprà scriptus Historiographus de Francis disseruit.

Renatus Profuturus Frigeridus, cujus jam suprà meminimus, cùm Romam re-
C fert à Gotthis captam atque subversam, ait : « Intereà Respendial Rex Alamanno- An. 409.
» rum (i), Goare ad Romanos transgresso, de Rheno agmen suorum convertit, » Vandalis Francorum bello laborantibus, Godegisilo Rege absumto, acie viginti An. 6.
» fermè millibus ferro peremtis, cunctis Vandalorum ad internecionem delendis, » ni Alanorum (k) vis in tempore subvenisset. » Movet nos hæc causa, quòd cùm aliarum gentium Reges nominat, cur non nominet et Francorum. Tamen cùm ait, quòd Constantinus assumta tyrannide, Constantium filium ad se de Hispaniis venire jussisset, ita disseruit : « Accito Constantinus tyrannus de Hispaniis Constante filio, item- An. 409.
» que tyranno, quò de summa rerum consultarent præsentes ; factum est ut Constans » instrumento aulæ, et conjuge sua Cæsar-augustæ dimissis, Gerontio intra Hispa» nias omnibus creditis, ad patrem continuato itinere decurreret. Qui ubi in unum
D » venere, interjectis diebus plurimis, nullo ex Italia metu, Constantinus gulæ et » ventri deditus, redire ad Hispanias filium monet. Qui præmissis agminibus, dum » cum patre resideret, ab Hispania nuntii commeant, à Gerontio Maximum, unum An. 410.
» è clientibus suis, imperio præditum, atque in se comitatu gentium Barbararum

Codd. mss. Bellov. Beccensis, Turon. [et Clun.] habent, *Imperatorisque ex more obsidibus* : quod sic Morelius restituendum suspicatur, *imperatisque ex more obsidibus*.

(a) Sic. Bec. alii *Thracas*.

(b) Id est publici ministri, qui præsidibus provinciarum aut magistratibus inserviebant in publicis muniis. Hinc Officiales dicti sunt. Vide Baron. in Notis ad Martyrol. Rom. die 27 Maii.

(c) Ipse enim Arbogastes genere erat Francus, uti scribit Paulinus in Vita sancti Ambrosii, et alii quoque ejus ævi scriptores innuunt. * Paulinus ait, *Arbogastem..... adversùs gentem suam bellum gessisse, atque non parvam multitudinem manu fudisse, cum reliquis verò pacem iniisse.*

(d) [Cod. Clun. *gnarus tutò.*]

(e) Hîc in cod. Bellov. detractis duobus foliis, quæ sequuntur ad cap. 12. desunt.

(f) Corb. *Brictoris ripæ proximum pagum.* Ii sunt, ni fallor, Bructeri, de quibus Paterculus, Tacitus et alii, quos Toringis, Francis, etc. jungit Sidonius Carm. 7. Habitabant, ut putat H. Junius in hodierna Westphalia. Editi duo pro *etiam* habent *Ætiam*, quo nomine Ortelius putavit designari pagum, quem Chamani, sive Chamavi, ut alii codices habent, incolebant. [Clun. *Chamavi.*] Infrà pro *Ampsuariis*, Chesnius, etc. habent *Ampsivariis*. [Ita Clun.] Sic pro *Chattis* Corb. habet *Chatis*. Ii sunt *Catti* celebres Germaniæ populi.

(g) An is quem nostratis historiæ scriptores Pharamundum seu Faramundum appellant, quem Chlodionis patrem, et Franciæ monarchiæ parentem esse volunt ? Chlodionem Faramundi filium appellat auctor, qui Gesta Francorum scripsit sub Theoderico II. rege, quem secuti sunt Rorico, etc. In Prosperi Chronico ad annum 26. Honorii, id est Christi 420. Faramundus regnasse dicitur in Francia ; et superiùs ad annum 4. Theodosii, id est Christi 382. legitur, *Priamus regnat in Francia.* At Eugenius, de quo hîc Gregorius, occisus est anno 394. Mirum autem est nihil de Faramundo apud Gregorium et Fredegarium haberi. Ceterùm Valesius lib. 2. Rerum Franc. pag. 87. inscitiæ Gregorium arguit quòd ea verba Sulpicii Alexandri *Genobaude, etc. ducibus*, et *Marcomere duce*, interpretatus sit de Ducis dignitate, quasi tunc temporis Franci Duces solummodo habuerint, non Reges : quod, inquit, posteà veteres, ac recentiores plerique incautè secuti Gregorium pariter scripserunt : cùm tamen certum sit, ut ille existimat, *ducis* nomine eo loco nihil aliud Sulpicium voluisse, quàm iis auctoribus seu ductoribus, bella, quæ hîc memorantur, à Francis fuisse confecta, aliundeque istos principes verè Francorum reges fuisse constet ex Claudiano, Paulino in Vita sancti Ambrosii, et ipsomet Sulpicio, qui eos non solùm *Regales*, sed et *Subregulos* appellat, quo nomine ab eo auctore Reges fuisse designatos contendit. Idem Valesius in addendis ad tomum 1. observat Attilam et Bledam, Hunnorum reges, à Prisco nonnumquam Regales appellari.

(h) [Cod. Clun. *prætermissum.*]

(i) Valesius et Cointius legunt *Alanorum.* [Ita habet Cod. Clun.]

(k) [Cod. Dub. *ni Alamanorum vis.*]

» accinctum parari. Quo exterriti, Edobecco (a) ad Germanas gentes præmisso, A
* Galliarum. » Constans, et præfectus * jam Decimus (b) Rusticus ex officiorum Magistro pe-
» tunt Gallias cum Francis et Alamannis, omnique militum manu, ad Constanti-
» num jamjamque redituri. Item cùm Constantinum obsideri scribit, ita dicit : Vix
An. Chr. 411. » dum quartus obsidionis Constantini mensis agebatur, cùm repentè ex ulteriori
» Gallia nuntii veniunt, Jovinum adsumsisse ornatus regios, et cum Burgundioni-
» bus, Alamannis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminere obsidentibus. Ita
» acceleratis moris, reserata urbe Constantinus deditur. Confestimque ad Italiam
» directus, missis à Principe obviam percussoribus, supra Mincium flumen capite
» truncatus est. Et post pauca idem refert : Hisdem diebus præfectus tyrannorum
» Decimus Rusticus, Agroëtius ex Primicerio notariorum Jovini (c), multique no-
» biles apud Arvernos capti à Ducibus Honorianis, et crudeliter interemti sunt. B
» Treverorum (d) civitas à Francis direpta incensaque est secunda inruptione. » Cùm
autem Asterius codicillis imperialibus patriciatum sortitus fuisset, hæc adjungit :
An. 417. « Eodem tempore Castinus domesticorum (e) Comes, expeditione in Francos
» suscepta, ad Gallias mittitur. » Hæc hi de Francis dixere. Orosius autem et ipse
Historiographus in septimo operis sui libro (f) ita commemorat : « Stilico con-
» gregatis gentibus Francos proterit, Rhenum transit, Gallias pervagatur, et ad
» Pyrenæos usque perlabitur. » Hanc nobis notitiam de Francis memorati Histo-
rici reliquere, Regibus non nominatis. Tradunt enim multi eosdem de Pannonia
fuisse digressos ; et primùm quidem litora Rheni amnis incoluisse (g) : dehinc trans-
acto Rheno, Thoringiam (h) transmeasse ; ibique juxta pagos vel civitates Reges cri-
nitos super se creavisse, de prima, et ut ita dicam, nobiliori suorum familia. Quod C
posteà probatum Chlodovechi (i) victoriæ tradidere, idque in sequenti digerimus.
Nam et in Consularibus legimus Theodomerem Regem Francorum, filium Ri-
chimeris quondam (k), et Aschilam matrem ejus, gladio interfectos. Ferunt etiam
Chlodio. tunc Chlogionem utilem ac nobilissimum in gente sua, Regem Francorum fuisse,
qui apud Dispargum (l) castrum habitabat, quod est in termino Thoringorum. In
his autem partibus, id est ad meridionalem plagam, habitabant Romani usque Li-

(a) Bec. *Odobecco.*

(b) Sic Corb. Bad. etc. sicut et infrà ; alii, *Decimius.* Is est Rusticus, ut observat Sirmondus, quem Apollinaris Sidon. laudat lib. 5. epist. 9.

(c) Reg. *Jovinus multique*, etc. Corb. *ex primitivorum notariorum Jovini*, etc.

(d) * Primam hujus urbis devastationem anno 398. aut insequenti ; secundam anno 411. contigisse putat Pagius Crit. in Annal. Baronii ad an. 407. n. 14.

(e) [Cod. Clun. *Domesticus Comes.*]

(f) Scilicet cap. 28. seu totius operis penultimo. * Id Orosius non de Stilicone, sed de Vandalis aliisque barbaris scribit.

(g) Colb. etc. *incubuisse.* * Hieronymi tempore fabula illa, quæ Francos originem vel à Trojanis, vel à Pannoniis duxisse tradit, nondum fuerat excogitata. Imò ipsemet Hieronymus in Vita S. Hilarionis loquens de quodam Franco à Dæmone liberato, de ejus patria sic verba facit : *Inter Saxones quippe et Alemanos gens ejus non tam lata quàm valida, apud Historicos Germania, nunc verò Francia vocatur.* Vide Pagium ad an. 407. n. 10.

(h) Sic habent omnes mss. quos licuit videre, et infrà *Thoringorum*, præter Regm. qui hac secunda vice habet *Tungorum*, et Bad. *Tongrorum.* [Clun. *Tungrorum.*] Unde cùm Thuringia trans Rhenum Galliarum respectu sita sit, Valesius legendum putat *transacto Mœno*, qui fluvius è Pannonia in Thuringiam properantibus transmeandus est. Aliam viam iniit R. P. Daniel Soc. Jesu in Historia Franciæ à se Gallicè edita, ubi ait *Rheno* vocem esse retinendam, eò quòd hic Gregorii locus de Francis intelligendus sit, qui post acceptas à Probo Imperatore circa Pontum Euxinum sedes, per varias provincias divagati, tandem in patriam suam per Gallias repedarint, quo pacto Rhenum transiere, quem revera obvium habere debuissent. Sed hæc expositio verbis Gregorii contraria videtur. Guillelmus Morelius se vidisse ait veterem codicem, in quo eadem manu scriptum erat, *Thoringorum vel Tungrorum.* Unde aliqui recentiores Francos tunc transmisso Rheno Tungrorum regionem inhabitasse putant. Sed huic lectioni non solùm editi et mss. codices, sed et Fredegarius, auctor Gestorum Franc. etc. refragantur. * Pagius ad an. 418. n. 82. censet legendum *Tungriam* et *Tungrorum*, putatque Franciam Pharamundi tempore cis et ultra Rhenum fuisse. Aliter sentit Valesius in Notitia Galliarum, in voce *Francia*, contenditque Pharamundum nihil terrarum in Gallia, Clodionem et Meroveum pleraque trans Rhenum, pauca cis flumen in Galliis obtinuisse. Doctissimus Abbas Dubos in Historia Critica Monarchiæ Francicæ lib. 2. cap. 7. existimat, utrovis modo legatur, unum et idem esse ; siquidem Gregorius per *Toringiam* et *Toringos* necessariò *Tungriam* et *Tungros* intellexit.

(i) Reg. *Hludouvichi.* Hîc innuit Gregorius Chlodovei victoriæ datum fuisse, ut ipse rex esset, ac penes ipsius posteros regia dignitas semper remaneret. Porrò ex Claudiano et Eumenio probat Valesius longè ante Chlodionem Francorum Reges comatos fuisse. * Longè etiam ante Chlodoveum Francorum Reges sibi hereditario jure succedebant.

(k) Valesius pro *quondam* putat esset legendum *cons.* id est *consulis.* Quam vocem non habet cod. Reg. et ipse Valesius eumdem locum laudans in addendis ad tom. 1. Hist. hanc ipsam vocem omittit. Aschilam hîc memoratam [in Cod. Dub. *Asculam*, in Clun. *Ascilam*] aliqui putarunt esse Anthemii imp. filiam, quòd Ricimer ejusdem Anthemii gener fuerit. Sed illi Ricimeres duos tempore et patria diversos, ut monet Sirmondus in notis ad Ennod. in Vit. B. Epiphanii, in unum conflarunt. Porrò, ut observat Scaliger lib. 6. de emend. temp. Chronica apud antiquos duobus modis conscripta erant : alia per consulum seriem, quæ *Consularia* appellabantur, qualia hîc laudat Gregorius : alia verò in quibus non erant digesti consules, dicebantur Chronica.

(l) Cùm de Thuringiæ, quam laudat Gregorius, situ non eadem sit sententia, variè etiam varii sentiunt de Dispargo castro hîc memorato, quod alii putant esse *Duysburg* ad Rhenum in ducatu Montensi : alii cum Ortelio Asciburgium, vulgò *Asbourg*, in comitatu Moersensi : alii quibus accedit Cointius, *Duysborch*, quod etiam nunc oppidum est inter Bruxellas et Lovanium. Wendelinus, etc. volunt esse Diestam. * Cointii sententiam amplectitur suprà laudatus Ab-

A gerim fluvium. Ultra Ligerim verò Gotthi dominabantur. Burgundiones (a) quoque Arrianorum sectam sequentes, habitabant trans Rhodanum, qui adjacet civitati Lugdunensi. Chlogio autem missis exploratoribus ad urbem Camaracum, perlustrata omnia, ipse secutus, Romanos proterit, civitatem adprehendit : in qua paucum tempus residens, usque Suminam (b) fluvium occupavit. De hujus stirpe quidam Merovechum Regem fuisse adserunt, cujus fuit filius Childericus.

CHLODIO.

Circa an. 445.

MEROVEUS CHILDER.

X. Sed hæc generatio fanaticis semper cultibus visa est obsequium præbuisse, nec prorsùs agnovere Deum : sibique silvarum atque aquarum, avium, bestiarumque, et aliorum quoque elementorum finxere formas, ipsasque ut Deum colere, eisque sacrificia delibare consueti. O si eorum fibras cordium vox illa terribilis adtigisset, quæ per Moysem populo locuta est, dicens : *Non sint dii alii præter me. Non* *Exod.* 20. 3. 4. 5.
B *facies tibi sculptile, neque adorabis omnem similitudinem quæ in cœlo est, et quæ in terra, et quæ versantur in aquis : non facies ea, et non coles ea* (c). Et illud : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies, ac per nomen ejus jurabis.* Quid si *Deut.* 6. 13. intelligere potuissent quæ pro vituli conflatilis veneratione Israëliticum populum ultio subsecuta compresserit, cùm post epulum et cantica, post luxurias atque saltationes, cum ore immundo proferrent de eodem sculptili, *Hi sunt dii tui Israël,* *Exod.* 32. 4. *qui te eduxerunt de terra Ægypti :* cecidere ex eis viginti-quatuor millia hominum. Quid de his qui initiati Beelphegor cum Moabitidibus scortis commixti, à proximis cæsi, prostrati sunt? In qua plaga Phinees Sacerdos, interemtis adulteris, sedavit furorem Dei, et *reputatum est illi ad justitiam.* Quid si et illa eorum auribus inlata fuissent, quæ Dominus per David intonat, dicens : *Quia omnes dii gen-* *Num.* 25. 1. *et* 5. *Psal.* 105. 31. *Psal.* 95. 5.
C *tium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.* Et, *Simulacra gentium argentum et au-* *Psal.* 113. *rum, opera manuum hominum : similes illis, fiant qui faciunt ea, et omnes qui confi-* 4. 8. *et Psal.* *dunt in eis.* Vel illud : *Confundantur omnes qui adorant sculptile, et qui gloriantur in* 134. 15. 18. *Psal.* 96. 7. *simulacris suis.* Et iterùm quod Abachuc propheta testatur, dicens : *Quid prodest* *Habac.* 2. *sculptile quod sculpserunt. Illud finxerunt; illud conflatile fantasma* (d) *mentium est.* 18. 19. 20. *Hoc autem productio auri, et argenti, et omnis spiritus non est in eis : Dominus autem in templo sancto suo : sileat à* (e) *facie ejus universa terra.* Sed et alius Propheta dicit : *Dii qui cœlum et terram non fecere, pereant à terra et de his quæ sub cœlis* *Jerem.* 10. *sunt* (f). Item illic : *Hæc dicit Dominus, creans cœlos, ipse Deus formans terram,* 11. *Isai.* 45. 18. *et quæ in ea sunt : ipse plastes ejus, non in vanum fundavit eam, ut habitaretur creavit eam. Ego Dominus, hoc mihi nomen est, gloriam meam alteri non dabo, neque* *Id.* 42. 8. *Jerem.* 14.
D *virtutem meam sculptilibus, quæ ab initio transiere.* Et alibi : *Numquid* (g) *sunt in* 22. *sculptilibus gentium qui pluant?* Et per Isaïam iterùm dicit : *Ego primus et novis-* *Isai.* 44. 6. *simus* (h), *et absque me non est deus, et formator, quem ego non noverim. Plastæ idoli* *ad* 20. *omnes nihil sunt, et amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vident neque intelligunt, et confundantur* (i) *in eis : ecce omnes participes ejus confundentur. Fabri enim sunt ex hominibus.* (k) *Quis formavit deum, et sculptile conflavit ad nihil utile? in prunis et malleis formavit illud, et operatus est in brachio fortitudinis suæ. Similiter et artifex lignarius, in circino tornavit illud, et fecit imaginem viri, quasi speciosi hominis habitantis in domo. Succidit lignum, operatus est, fecit sculptile, et adoravit ut deum : clavis et malleis compaginavit, ut non dissolvatur. Portata tolluntur* (l), *quia incedere non valent : reliquum verò ligni, factum est*

bas Dubos [Cod. Clun. *Disparsum..... in terminum Tungrorum.*]

(a) * Fallitur Gregorius, cùm ait Burgundiones Arianorum sectam secutos esse. Hi enim, antequàm è Germania in Gallias venirent, gentiles erant; et postquàm fidem amplexi sunt, Reges Orthodoxos habuere usque ferè ad tempora Clodovei Magni, ut observat Pagius Crit. in Ann. Baronii ad an. 413. n. 14. Hanc Galliarum divisionem inter varios populos qui eas incolebant, malè hîc collocatam à Gregorio arbitratur Abbas Dubos lib. 3. cap. 15. cùm Gothi et Burgundiones loca illa quæ eis attribuit Gregorius, multò seriùs occupaverint.

(b) [Cod. Dub. *usque Summanam fluvium.*] Discimus ex Apollinari Sidonio in panegyrico Majoriani, Chlodionem, qui Atrebates pervaserat, à Majoriano fugatum fuisse.

——— *Post tempore parvo*
Pugnastis pariter Francis, qua Cloïo patentes
Atrebatum terras pervaserat, etc.

Sirmondus legit, *Francus qua*, etc. Prosper in Chronico ad an. 5. post Honorii mortem, id est an. 427. *Clodius regnat in Francia.* Et anno post hæc vigesimo, seu 447. *Meroveus regnat in Francia.*

(c) Colb. *non facias ea, non colas ea.*

(d) Bec. Colb. [et Clun.] cum Mor. s. Chesn. et Freh. *Fantasma, mendacium est. Hæc autem, etc.* At alii editi omninò aliter hunc textum referunt. *Quid prodest sculptile his, quia sculpsit illud fictor suus : conflatile et imaginem falsam, etc. Ecce iste coopertus est auro et argento, et omnis, etc.* Quæ lectio magis est conformis nostræ versioni. Altera verò videtur potiùs sensum referre quàm sacri codicis verba.

(e) Corb. Bec. [Clun.] Mor. s. et Regm. *timeat à facie.*

(f) Iidem, *sub cœlo sunt.*

(g) Bec. *Numquid Deus..... qui pluat.*

(h) Regm. *et ego novissimus.*

(i) Idem, Bec. [et Clun.] *confundentur.*

(k) *Quis formavit.* etc. usque ad *in prunis* desunt in Corb. Regm. Bec. [et Clun.]

(l) Regm. Bec. [et Clun.] *tollentur.*

MEROVEUS. CHILDER. *hominibus in focum, et calefacti sunt. Ex alio verò deum fecit, et sculptile sibi : curvatur ante* A *illud, et adoravit illud* (a), *et obsecrat dicens : Libera me, quia Deus meus es tu. Medietatem ejus igni combussi, et coxi super carbones ejus panes ; coxi carnes, et comedi, et de reliquo ejus idolum faciam. Ante truncum ligni procidam* (b) *: pars ejus cinis est. Cor insipiens adoravit illud, et non liberavit animam suam* (c). *Neque dicit, Fortè mendacium est in dextra mea.* Hæc autem Francorum generatio non intellexit primùm, intellexerunt autem posteà, sicut sequens historia narrat.

XI. Avitus enim unus ex Senatoribus, et, ut valde manifestum est, civis Arvernus,
An. 456. cùm Romanum ambisset imperium, luxuriosè agere volens, à Senatoribus projectus (d), apud Placentiam urbem Episcopus ordinatur. Comperto autem, quòd adhuc indignans Senatus vita eum privare vellet, basilicam sancti Juliani Arverni martyris cum multis muneribus expetivit : sed impleto in itinere vitæ cursu, obiit, B delatusque ad Brivatensem vicum ad pedes antedicti Martyris est sepultus : cui Martianus * successit. In Galliis autem Ægidius ex Romanis Magister militum datus (e) est.

* Leg. Majorianus.

CHILDERICUS. XII. Childericus verò cùm esset nimia in luxuria dissolutus, et regnaret super Francorum gentem, cœpit filias eorum stuprosè detrahere. Illi (f) quoque ob hoc
An. 457. indignantes, de regno eum ejiciunt. Comperto autem quòd eum etiam interficere vellent, Thoringiam petiit, relinquens ibi hominem sibi carum (g), qui virorum furentium animos verbis lenibus mollire possit : dans etiam signum quando redire possit in patriam : id est, diviserunt simul unum aureum, et unam quidem partem secum detulit Childericus, aliam verò amicus ejus retinuit, dicens : *Quandoquidem hanc partem tibi misero, partesque conjunctæ unum effecerint solidum, tunc tu* C *securo animo in patriam repedabis.* Abiens ergo in Thoringiam, apud Regem Bisinum (h) uxoremque ejus Basinam latuit : denique Franci hoc (i) ejecto, Ægidium sibi, quem superiùs Magistrum militum à Republica missum diximus, unanimiter Regem (k) adsciscunt. Qui cùm (l) octavo anno super eos regnaret, amicus ille fidelis, pacatis
An. 464. occultè Francis, nuntios ad Childericum, cum parte illa divisi solidi quam retinuerat, mittit. Ille verò certa cognoscens indicia, quòd à Francis desideraretur, ipsis etiam rogantibus, à Thoringia regressus, in regno suo est restitutus. His ergo regnantibus simul, Basina illa, quam suprà memoravimus, relicto viro suo, ad Childericum venit. Qui cùm sollicitè interrogaret, qua de causa ad eum de tanta regione venisset, respondisse fertur : *Novi*, inquit, *utilitatem tuam, quòd sis valde strenuus : ideòque veni ut habitem tecum : nam noveris, si in transmarinis partibus aliquem cognovissem utiliorem* D *te, expetissem utique cohabitationem ejus.* At ille gaudens, eam sibi in conjugio copulavit : quæ concipiens peperit filium, vocavitque nomen ejus Chlodovechum. Hic fuit magnus, et pugnator egregius.

XIII. Apud (m) Arvernum verò post transitum sancti Artemii, Venerandus è Senatoribus Episcopus ordinatur. Qualis autem fuerit hic Pontifex, testatur Paulinus (n), dicens : *Si enim hos videas dignos Domino Sacerdotes, vel Exsuperium* (o) *Tholosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum* (p)

(a) Regm. *et adorat et obsecrat.*

(b) Corb. Bec. Regm. [Clun.] et Mor. s. *adorabo.*

(c) Regm. [et Clun.] *liberavit eum.*

(d) Sic Corb. et Colb. at alii *ejectus.* Placentia urbs est Italiæ notissima. De S. Juliano, qui apud Brivatem, *Brioude*, in Arvernia quiescit, totus est liber secundus Gregorii de Gloria Martyrum.

(e) Aliquot mss. et ed. *dictus est.* Hanc dignitatem ab Avito habuerat. Comes utriusque militiæ ab Idatio appellatur.

(f) Cod. Clun. *Illique ob hoc.*

(g) In Colb. addita sunt æquali ferè manu hæc duo verba, *nomine Viomadum.* Sic ille ab Aimoino appellatur lib. 2. cap. 7.

(h) Reg. et Bad. *Basinum.* Regm. et Bec. *Bissinum.*

(i) [Cod. Clun. *hunc ejectum.*]

(k) [In Clun. deest *Regem.*]

(l) * Abbas Dubos suprà laudatus censet à Gregorio scriptum fuisse *IIII. anno*, et posteà à Librario repositum VIII. primo numero I. converso in V. Nam, inquit, certum est jam Majorianum habitum esse in Galliis pro Imperatore, et Ægidium creatum Magistrum militiæ, cùm Childerici loco suffectus est Ægidius. Porrò Galliæ monnisi exeunte anno 458. Majoriani potestati se subjecerunt, ac proinde Ægidius anno tantùm 459. Francorum regnum suscepit, in quod restitutus est Childericus anno 463. Putat Pagius Childericum restitutum anno 464. et mortuum Ægidium anno 465.

(m) [Cod. Clun. *Apud Arvernis.*]

(n) Editi cum aliquot mss. habent *presbyter Paulinus.* [Ita Cod. Clun.] Hunc celebrem Paulinum Nolæ Episcopum esse contendit novæ ipsius operum editionis auctor, ejus Vitæ cap. 49. contra Chiffletium qui id infitiatur. Rem in medio relinquit Rosweydus. Certè etsi à Gregorio Paulinus hîc presbyter appellatus fuerit, ut habent aliquot codices, nil inde confici potest, cùm hæc epistola à Paulino tunc presbytero scribi potuisset ; atque ita ejus titulum legisset Gregorius, ut ipsi tunc erat præfixus. Sed cujuscumque Paulini fuerit, nihil de ea exstat præter verba, quæ hîc à Gregorio laudantur.

(o) Exsuperius à S. Hieronymo laudatur in epist. ad Rusticum monachum, et aliis in locis. Eidem scripsit Innocentius I. Papa. Ejus festum recolitur die 28. Septembris. De Simplicio Zosimus Papa epist. 7. In Colb. et Bad. dicitur *Supplicius.* De Amando vide lib. de Gl. Conf. cap. 45. Dynamius in Corb. Regm. et Bad. scribitur *Damianus.* Bec. *Dinamium Engolesinæ.*

(p) [Cod. Clun. *Damitinum Albigæ..... Dinamium Albigæ*,

A *Albigæ , vel Dynamium Ecolismæ , vel Venerandum Arvernis , vel Alithium Cadurcis , vel nunc Pegasium Petrocoriis ; utcumque se habent sæculi mala , videbis profectò dignissimos totius sanctitatis ac fidei , religionisque custodes.* Hic in ipsa Dominici Natalis vigilia transisse refertur (a). Mane autem facto , processio sollemnitatis funeris ejus obsequium fuit : post cujus obitum fœda apud cives pro episcopatu intentio (b) vertebatur. Cùmque partes inter se divisæ , alium aliumque erigere vellent , magna (c) consilio erat populis. Residentibus tamen Episcopis die Dominica , mulier quædam velata atque devota (d) Deo audenter ad eos ingreditur , quæ ait : *Audite me , Sacerdotes Domini. Scitote enim , quòd non est in his beneplacitum Deo , quos hi ad sacerdotium elegere. Ecce enim Dominus hodie ipse sibi providebit Antistitem. Itaque nolite conturbare neque conlidere populum ; sed patientes estote parumper : Do-*
B *minus enim nunc dirigit , qui regat Ecclesiam hanc.* His itaque mirantibus hæc verba , subitò Rusticus nomine , qui erat ex ipsa (e) urbis Arvernis diœcesi Presbyter , advenit : ipse enim jam mulieri per visionem fuerat indicatus. Quo viso ait : *En ipsum quem elegit Dominus : ecce qualem vobis Dominus Pontificem destinavit : hic ordinetur Episcopus.* Hæc ea loquente , omnis populus, cuncta intentione postposita , clamavit dignum ac justum esse. Qui in cathedra positus, septimus in eodem loco pontificatûs honorem, populo gaudente, suscepit (f).

XIV. Apud (g) urbem verò Turonicam , defuncto Eustochio Episcopo septimo-decimo sacerdotii sui anno , quintus (h) post beatum Martinum Perpetuus ordinatur. Qui cùm virtutes assiduas ad sepulcrum ejus fieri cerneret , cellulam quæ super eum fabricata fuerat , videns parvulam, indignam talibus miraculis judi-
C cavit. Qua submota, magnam ibi basilicam , quæ usque hodie permanet, fabricavit : quæ habetur à civitate passus quingentos quinquaginta. Habet in longum pedes centum sexaginta (i), in latum sexaginta : habet in altum usque ad cameram pedes quadraginta-quinque ; fenestras in altario (k) triginta-duas , in capso viginti, columnas quadraginta unam. In toto ædificio fenestras quinquaginta duas , columnas centum viginti; ostia octo , tria in altario , quinque in capso. Sollemnitas enim ipsius basilicæ triplici virtute pollet : id est dedicatione templi , translatione corporis sancti , vel ordinatione (l) ejus episcopatûs. Hanc enim quarto Nonas Julias observabis : depositionem verò ejus tertio Idus Novembris esse cognoscas. Quòd si fideliter celebraveris , et in præsenti sæculo et in futuro patrocinia beati Antistitis promereberis. Et quoniam camera cellulæ illius prioris eleganti opere
D fuerat fabricata , indignum duxit Sacerdos , ut opera ejus deperirent ; sed in honore beatorum Apostolorum Petri et Pauli aliam construxit basilicam , in qua cameram illam affixit. Multas et alias basilicas ædificavit, quæ usque hodie in Christi nomine constant.

An. Chr. 460.

XV. Eo tempore et basilica beati Symphoriani Augustodunensis martyris ab Eufronio Presbytero ædificata est. Et ipse Eufronius hujus deinceps urbis episcopatum sortitus est (m). Hic enim marmor quod super sanctum sepulcrum beati Martini habetur, cum grandi devotione transmisit.

Engolismæ..... Rusticum Cadurcis , vel nunc Pegasinum Petragoricis , utcumque adversus sæculi mala, videris profectò dignissimos totius fidei , etc.]

(a) De S. Venerandi ecclesia agit Gregorius lib. de Gloria Conf. cap. 35. et seqq. memoratur in libello de Sanctis Claromont. cap. 10. ubi complura sanctorum Martyrum corpora in ea sepulta fuisse dicuntur. Hodie exstat in hortis Monasterii Illidiani. Vide Savaronis notas. S. Venerandi festum colitur die 18. Januarii.

(b) Sic mss. omnes , at editi habent hîc et infrà *contentio :* certum est tamen à Gregorio aliisque ejusmodi auctoribus vocem *intentio* pro exprimenda *contentione* ut plurimùm adhiberi.

(c) [Cod. Dub. *magna seditio erat populi.* Clun. *magna conlisio erat populi.*]

(d) [Cod. Clun. *atque Deo dicata*]

(e) [Cod. Clun. *urbe Arvernis diœcesis..... ipse verò jam.*]

(f) Ejus festum colitur die 24. Septemb. vulgò dicitur *Saint Rotiri.*

(g) Hoc caput et 3. seqq. id est , 14. 15. 16. et 17. desunt in Bell. Vatic. et Corb. [Desunt etiam in Dub.] In Colb. a. istud et sequens alia manu , sed antiqua addita sunt.

(h) Infrà lib. 10. cap. 31. dicitur sextus Episc. Turon. quòd inter eos Justinianum et Armentium Briccio suffectos ibi non recenseat. Apollinaris verò Sidonius lib. 4. epist. 18. eumdem sextum à B. Martino numerat , duos prædictos admittendo , quo sensu hîc *quintus* dici potest post S. Martinum , ita ut Briccius primus sit, tum Justinianus , Armentius , et quartus Eustochius , cui Perpetuus successit.

(i) Reg. Colb. et Chesn. habent , *longum pedes centum quinquaginta quinque.*

(k) Hîc altarii nomine presbyterium , per capsum verò navem intelligi verisimile est. Consule Liturgiam Gallicanam nostri Mabillonii lib. 1. cap. 8. num. 1. et seqq. De hac Ecclesia iterum agit Gregorius lib. 1. de Mirac. S. Martini etc. Vide et epistolam 18. lib. 4. Apollinaris Sidonii ; cui interseruntur versus , quos eidem Ecclesiæ adornandæ ipse composuit.

(l) [Cod. Clun. *ordinationis ejus Episcopatu.*]

(m) Æduensi Ecclesiæ præfuit labente sæculo 5. Interfuit ordinationi Johannis Cabillonensis Episcopi , uti testatur Apollinaris Sidonius lib. 4. epist. 25. et ad eum scripsit idem auctor epist. 8. libri 7. et 2. libri 9. Exstat ejus et Lupi Tricassini Episcopi egregia epistola de disciplina ecclesiastica , apud Sirmond. tom. 1. Concil. alteram ejusdem ad Agrippinum Comitem laudat Idatius in Chronico.

CHILDER. XVI. Sanctus (a) verò Namatius, post obitum Rustici Episcopi, apud Arvernis in diebus illis octavus erat Episcopus. Hic Ecclesiam quæ nunc constat (b), et senior infra muros civitatis habetur, suo studio fabricavit, habentem in longum pedes centum quinquaginta, in latum pedes sexaginta, in altum infra capsum usque cameram pedes quinquaginta : inante absidem rotundam habens, ab utroque latere ascellas eleganti constructas opere, totumque ædificium im modum crucis habetur expositum. Habet fenestras quadraginta duas, columnas septuaginta, ostia octo. Terror namque ibidem Dei, et claritas magna conspicitur : et verè plerumque inibi odor quasi aromatum suavissimus advenire à religiosis sentitur. Parietes ad altarium, opere (c) sarsurio, ex multo marmorum genere exornatos habet. Exacto (d) ergo in duodecimo anno beatus Pontifex ædificio, Bononiam civitatem Italiæ Sacerdotes dirigit, ut ei reliquias sanctorum Vitalis et Agricolæ exhibeant, quos pro nomine Christi Dei nostri manifestissimè crucifixos esse cognovimus (e). A B

XVII. Cujus conjux basilicam sancti Stephani (f) suburbano murorum ædificavit. Quam cùm fucis colorum adornare vellet, tenebat librum in sinu suo, legens historias actionum antiquorum, pictoribus (g) indicans quæ in parietibus fingere deberent. Factum est autem quadam die, ut sedente illa in basilica, ac legente, adveniret quidam pauper ad orationem, et adspiciens eam in veste nigra, senio jam provectam, putavit esse unam de egentibus, protulitque quadram panis, et posuit in sinu ejus, et abscessit. Illa verò non dedignans munus pauperis, qui personam ejus non intellexit, accepit et gratias egit, reposuitque, hanc suis epulis anteponens, et benedictionem ex ea singulis diebus sumens, donec expensa est. C

An. Chr. 463. XVIII. Igitur Childericus Aurelianis (h) pugnas egit : Adovacrius (i) verò cum Saxonibus Andegavos venit. Magna tunc lues populum devastavit. Mortuus est
An. 464. autem Ægidius, et reliquit filium, Syagrium nomine. Quo defuncto, Adovacrius
* An. 469. vel 470. de Andegavo et aliis locis obsides accepit. Britanni de Biturica (k) à Gotthis * expulsi sunt, multis apud Dolensem vicum (l) peremtis. Paulus verò Comes cum Romanis (m) ac Francis, Gotthis bella intulit, et prædas egit. Veniente verò
An. 471. Adovacrio Andegavis, Childericus (n) Rex sequenti die advenit, interemtoque

(a) Hoc caput et sequens desunt in cod. Regio et Colb.

(b) Hæc est Ecclesia Cathedralis, de qua Savaro multa observat in notis ad cap. 1. libri de Ecclesiis Claromonten. Unde *senior* in Mor. s. et Regm. dicitur, pro qua voce editi habent *veterrima*. Vide Liturgiam Gallicanam Mabillonii lib. 1. cap. 8. [Cod. Clun. *intra muros*.]

(c) Opus *sarsurium* idem esse observat Altaserra ac opus tectorium, quod varium est ac multiplex, sic dictum à verbo *sarcire*. Parietes autem templorum et publicorum ædificiorum marmore tegebantur seu incrustabantur, qualiter hîc describitur templum à S. Namatio constructum.

(d) [Cod. Clun. *Exactum ergo duodecimo..... ædificium*.]

(e) Et quidem reliquias horum Martyrum obtinuit, ut narrat ipse Gregor. lib. 1. de Gloria Mart. cap. 44. Eorumdem Martyrum passionem describit S. Ambrosius in lib. de exhortatione virginit. cap. 1. et 2.

(f) Hodie Ecclesia est parochialis, mutato nomine ab annis circiter 200. *Sancti Eutropii Suburbicarii* dicta. In ea sepultus fuit sanctus Namatius cum aliis sanctis, ut indicat libellus de sanctis Claromont. cap. 13.

(g) Sic Regm. Editi verò *historias actionis antiquas*. Mor. s. *antiquæ*. [Cod. Clun. *historias actionis antiquas, ut pictoribus indicaret*.] Picturas in Ecclesiis memorat passim Gregorius, ut lib. 7. cap. 36. lib. 10. cap. ult. etc.

(h) * Abbas Dubos lib. 3. cap. 8. arbitratur Childericum cum Ægidio contra Visigothos pugnasse, atque hîc agi de bello inter Ægidium et Gothos gesto anno 463. juxta Aurelianos, in quo Fredericus Theodorici Gothorum Regis frater interfectus est, et de quo Idatius et Marius Aventicensis in Chronicis.

(i) Sic Bell. Corb. Reg. et Regm. cum aliquot editis. Alii *Odovacrius*, et Colb. *Odoacrius*. Bec. *Adovacrius*. [Cod. Dub. *Odovacrius*.]

(k) Corb. et Bec. *Biturigas*. [Cod. Dub. *Bituricas*.]

(l) Etiam nunc exstat monasterio Ordinis nostri insignitus, quod sæcularibus Canonicis hujus sæculi initio cessit. Vulgò dicitur *Bourg de Deols*, à Castro-Radulfi Andria fluvio interjacente divisus.

(m) Romanos hîc appellat Gallos illos, qui nondum exteris regibus subjecti erant. Et quidem non solùm in Gallia, sed et in Italia, Hispania, Africa, etc. etiam post subactas omninò à barbaris has provincias, populi in duas veluti partes dividebantur : alii dicebantur Romani, veteres scilicet incolæ, quòd Romanis paruissent, legibusque ut plurimùm, etiam exteris principibus subditi, Romanis uterentur, quòdque Catholicam fidem colerent : alii verò dicebantur *Barbari*, quod vocabulum honorificum esse ducebant. Videsis plura de hac re apud Valesium lib. 6. rerum Francic. pag. 289.

(n) * Hæc Gregorii verba primo conspectu significare videntur, Childericum, occiso Paulo Comite, civitatem Andegavensem obtinuisse. Ita interpretati sunt Fredegarius in Historia Francorum Epitomata, Auctor Gestorum Francorum, Aimoinus et omnes alii qui res Francicas tractarunt. Si tamen locus iste ita intelligatur, difficiles habet explicatus. Quomodo enim fieri potest, ut Childericus, qui modò cum Romanis et Paulo Comite conjunctus, Gothis bella intulisse dicebatur, uno fortasse pòst anno à Romanis defecerit, et cum Audoacrio arma conjunxerit ut Paulum aggrederetur, et Andegavos invaderet : paulò pòst ad Romanos transierit, et cum eis adversùs Audoacrium arma sociaverit : brevi elapso tempore cum Audoacrio fœdus icerit ? Quis unquam credet Childericum intra tam breve temporis spatium tot sese in facies vertisse ? Difficultatem sensit Pagius, quam ut solveret, existimavit Francos illos qui cum Paulo Comite adversùs Visigothos bellum gesserunt, et qui Saxonum insulas ceperunt atque subverterunt, non Childerico Regi, sed Rignomeri Cenomanensi Regulo paruisse, *Crit. Annal. Baronii ad an.* 465. *Num.* 10. Gregorii verba malè à Fredegario et aliis intellecta fuisse censet doctissimus Abbas Dubos in Historia Critica Monarchiæ Francicæ. lib. 3. cap. 11. contenditque non Childericum,

A Paulo Comite, civitatem obtinuit. Magno ea die incendio domus Ecclesiæ concremata est (a).

XIX. His (b) itaque gestis, inter Saxones atque Romanos bellum gestum est : sed Saxones terga vertentes, multos de suis, Romanis insequentibus, gladio reliquerunt : insulæ eorum cum multo populo interemto, à Francis captæ atque subversæ sunt (c). Eo anno mense nono terra tremuit. Adovacrius cum Childerico fœdus iniit, Alamannosque (d), qui partem Italiæ pervaserant, subjugarunt.

XX. Eorichus (e) autem Gotthorum Rex, Victorium Ducem super septem civitates præposuit, anno quarto-decimo regni sui. Qui protinùs Arvernis adveniens, civitatem addere voluit : unde et cryptæ (f) illæ usque hodie perstant ad basilicam B sancti Juliani, et columnas, quæ sunt in æde positæ, exhiberi jussit. Basilicam sancti Laurentii et sancti (g) Germani Licaniacensis vici jussit ædificari. Fuit autem Arvernis annis novem. Super Eucherium (h) verò Senatorem calumnias devolvit : quem in carcere positum nocte extrahi jussit, ligatumque juxta parietem antiquum, ipsum parietem super eum elidi jussit. Ipse verò dum nimiùm esset in amore mulierum luxuriosus, et ab Arvernis vereretur interfici, Romam aufugit : ibique similem tentans exercere luxuriam, lapidibus est obrutus. Post cujus excessum regnavit Eorichus annos quatuor : obiit autem anno (i) vigesimo-septimo regni sui. Fuit etiam et tunc terræ-motus magnus.

An. Chr. 481.

An. 484.

XXI. Defuncto (k) autem apud Arvernos Namatio Episcopo, Eparchius successit, vir sanctissimus atque religiosus. Et quia eo tempore Ecclesia parvam infra muros urbis possessionem habebat, ipsi Sacerdoti in ipso, quod modò Salutato- C rium (l) dicitur, mansio erat, atque ad gratias Deo tempore nocturno reddendas ad altarium Ecclesiæ consurgebat. Factum est autem, ut nocte quadam ingrediens,

si Gregorius rectè intelligatur, sed Audoacrium civitatem Andegavensem cepisse. Itaque clarissimus Abbas ante hæc verba, *civitatem obtinuit*, supplendum putat, *Audoacrius*, et legendum ac si scriptum fuisset : *Veniente verò Adovacrio Andegavis* [*Childericus Rex sequenti die advenit*] *interemtoque Paulo Comite, Adovacrius civitatem obtinuit :* adeò ut hæc verba, *Chilpericus Rex sequenti die advenit*, ponantur quasi inter duas parentheses, idque ad ostendendum, urbem non capiendam fuisse, si Childericus uno die citiùs advenisset. In suæ interpretationis testimonium nonnulla loca, tum ex ipso Gregorio, tum ex scriptoribus Gregorio posterioribus deprompta, affert idem Abbas, ubi similes loquendi modi adhibentur, id est ubi post Ablativum absolutum Nominativus non exprimitur, sed subauditur. Apud Gregorium lib. 7. cap. 34. *Commorante eo apud Convenas, locutus est incolis.* In Historia Epitomata cap. 12. *Mortuo Ægidio, filium reliquit Syagrium nomine.* In Additamento ad Annales Metenses; *Odone Duce defuncto, reliquit Henrico filio suo Ducatum totius Saxoniæ.* In primo certè loco subauditur *ille vel Gondovaldus*; in secundo *Ægidius*; in tertio *Odo.*

(a) Hîc in cod. Bell. detritis aliquot lineis, quæ sub paginæ finem habebantur, sequens pagina ejusdem folii incipit ab his verbis, *regionem. Tantum ut quod tibi,* etc. quæ sunt de cap. 32.

(b) [Cod. Clun. *His ita digestis.*]

(c) Insulæ istæ ad Ligerim positæ erant, ut censet Cointius, quas arcibus munierant Saxones, ut si res ipsis minùs feliciter contingerent, liberam haberent per Oceanum abeundi facultatem. * Saxones illos in Galliis consedisse, atque inter mare Britannicum et Ligerim fluvium commoratos esse in tractu Armoricano finibusque Bajocassium, indeque à Gregorio Turon. lib. 5. cap. 10. *Saxones Bajocassinos* appellari, notat Pagius ad an. 465. num. 11. Verùm suprà laudatus Abbas l. 3. c. 10. Saxones illos nusquam in Galliis sedes habuisse arbitratur, illos verò censet post primam expeditionem anno 463. vel 464. factam, patriam suam repetiisse, sex aut septem pòst annis, id est circa an. 471. in Gallias rediisse, et Andegavum expugnasse; sed à Romanis fusos fugatosque, cum maxima suorum strage in Saxoniam reverti coactos fuisse : eorum insulas à Francis captas direptasque, quas nonnulli recentiores ad Ligerim positas tradunt, commentitias esse atque imaginarias; sed illas esse de quibus Ptolemæus in descriptione Germaniæ : *Insulæ*, inquit, *Germaniæ adjacent juxta Albis ostia tres, Saxonum dictæ :* quas fuisse *Nordstrand, Buren* et *Heilegeland* testatur Cluverius Germ. Antiq. lib. 3. cap. 23. Et certè Franci, qui Childerico parebant, cis et ultra Rhenum habitabant, vetusque Francia Saxoniæ erat contermina.

(d) Cointius legendum censet *Alanos*, pro *Alamannos*, qui non Italiæ, sed Galliæ partem invaserant. Cui conjecturæ favent quæ observavimus suprà ad caput 7. hujus libri. * Verùm Cointium errare contendit Pagius, qui Alanorum regnum in Galliis jam ab anno 464. finem accepisse demonstrat. Hanc Childerici expeditionem ad annum 479. refert suprà memoratus Abbas Dubos lib. 3. cap. 15.

(e) Regm. *Theodericus*, et infrà *Teddricus*. Corb. et Bec. *Eoricus*, seu *Euricus*. Infrà cap. 25. appellatur *Evarix*. Victorii mortem refert Gregorius lib. 1. de Gloria Mart. cap. 45. et in Vita S. Abrahæ. De eodem Apollinaris Sidonius lib. 7. epist. 17. Deest hoc caput in Bell. * Victorium, quem Ducem vocat Gregorius, Comitem dicit Sidonius. Ad hunc Sidonii locum hæc notat Sirmondus : *Sidonius unius Arvernicæ, Gregorius multarum, quibus præerat, civitatum rationem habuit. Nam discrimen hoc certum, Gregorii ævo et inferiore, Comitum atque Ducum, quòd Comes unius, Dux multarum civitatum rector erat, quæ singulæ suos Comites haberent.*

(f) Tres mss. *scriptæ*. Porrò non hîc designatur basilica Brivatensis, ut Fredegarius existimavit, sed quæ in honorem S. Juliani in ipsa Arvernorum urbe sita est, ut observat Savaro in notis ad cap. 33. lib. 1. de Eccles. Claromont. Adi Cointium ad annum 554. num. 4.

(g) Cod. Casin. *Sancti Martini Lecaniacensis*. Regm. *S. Germani Liciniacensi vico.* Observat Marollius hunc locum hodie vulgò appellari, *S. Germain de Lambron.*

(h) Is esse putatur ad quem Sidonius scribit lib. 3. epist. 8.

(i) * Corrig. *anno XVII.* errore nato ex numero X, à Librario perperàm geminato, ut notat Pagius ad ann. 484. n. 24.

(k) Hoc caput deest in Vatic. Corb. Bell. Reg. et Colb. [Deest etiam in Cod. Dub. sicut et duo sequentia.]

(l) Salutatorium, quod aliàs *secretarium*, hodie *sacristia* appellatur, uti patet ex Gregorii M. epist. 54. libri 4. ad Marinianum Episc. Ravennat. et ex Concilio Matisc. 1. can. 2. sic dictum est, quòd ibi Episcopi ante Missarum celebrationem sedere solerent ad excipiendas fidelium salutationes, qui eorum orationibus se, vel aliqua negotia commendare volebant. Id Presbyteris reliquisse videtur sanctus Martinus apud Sever. Sulpic. Dial. 2. ubi ipse dicitur

CHILDER. plenam Ecclesiam dæmonibus reperiret, ipsumque Principem in modum ornatæ mulieris in throni illius cathedram residentem. Cui ait Pontifex : *O meretrix exsecranda, non sufficit tibi loca cuncta variis pollutionibus inficere, adhuc et cathedram à Domino consecratam fœtida sessionis tuæ accessione coinquinas? Abscede à domo Dei, ne à te ampliùs polluatur.* Cui ait : *Et quia mihi meretricis nomen imponis, multas tibi parabo insidias ob desideria mulierum.* Et hæc dicens, sicut fumus evanuit. Verumtamen Sacerdos tentatus est per commotionem corporis ad concupiscentiam (a) : sed signo crucis sanctæ munitus, nihil ei inimicus nocere potuit. Ferunt etiam ipsum in arce Cantobennici montis monasterium (b) collocasse, ubi nunc oratorium est, et ibi se diebus Quadragesimæ sanctæ recludebat : die autem cœnæ Dominicæ, cum magno psallentio, comitantibus clericis civibusque, ad Ecclesiam suam revertebatur. Quo migrante, Sidonius ex Præfecto substituitur, vir secundùm sæculi dignitatem nobilissimus, et de primis Galliarum Senatoribus : ita ut filiam sibi Aviti Imperatoris in matrimonio sociaret. Hujus tempore, cùm adhuc apud urbem Arvernam Victorius, cujus suprà meminimus, moraretur, fuit in monasterio beati Cyrici (c) urbis ipsius Abbas, Abraham nomine : qui fide atque operibus Abrahæ illius prioris (d) refulgebat, sicut in libro Vitæ ejus scripsimus.

An. Chr. 473.

XXII. Sanctus (e) verò Sidonius tantæ facundiæ erat, ut plerumque ex improviso luculentissimè quæ voluisset, nulla obsistente mora componeret. Contigit autem quadam die, ut ad festivitatem basilicæ monasterii, cujus suprà meminimus, invitatus accederet : ablatoque sibi nequiter libello, per quem sacrosancta sollemnia agere consueverat, ita paratus à tempore cunctum festivitatis opus explicuit, ut ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adstantibus ibidem hominem locutum fuisse, sed Angelum. Quod in præfatione libri, quem de Missis ab eo compositis conjunximus, pleniùs declaravimus. Cùm autem esset magnificæ sanctitatis, atque, ut diximus, ex Senatoribus primis, plerumque nesciente conjuge, vasa argentea auferebat à domo, et pauperibus erogabat. Quod illa cùm cognosceret, scandalizabatur in eum : sed tamen dato egenis pretio, species domui restituebat.

XXIII. Cùmque (f) ad Officium Dominicum fuisset mancipatus, et sanctam ageret in sæculo vitam, surrexere contra eum duo Presbyteri, et ablata ei (g) omni potestate à rebus Ecclesiæ, arctum ei victum et tenuem relinquentes, ad summam eum contumeliam redegere. Sed non longi temporis spatio inultam ejus injuriam Divina voluit sustinere clementia : nam unus ex his nequissimis et indignis dici Presbyteris, cùm ante noctem minatus fuisset eum de Ecclesia velle extrahere (h), signum ad Matutinas audiens fuisse commotum, fervens felle contra Sanctum Dei, surrexit, hoc iniquo corde explere cogitans, quod die præcedente tractaverat. Ingressus autem in secessum suum, dum ventrem purgare nititur, spiritum exhalavit. Exspectabat enim puer aforis cum cereo dominum egressurum. Jamque advenerat lux, et satelles ejus, id est alius Presbyter, mittit nuntium, dicens : *Veni, ne tardaveris, ut quæ nobis die hesterna convenerant, pariter expleamus.* Sed cùm responsa dare differret exanimis, elevato puer velo ostii, reperit dominum super sellulam secessùs defunctum. Unde indubitatum (i) est non minoris criminis hunc reum esse, quàm Arium illum, cui similiter in secessu fuere interna de-

orationi incubuisse, eo tempore, quo presbyteri in alio secretario sedentes ejus permissu salutationibus, aut audiendis negotiis occupabantur.

(a) Mor. s. *à concupiscentia.* [Ita Cod. Clun.]

(b) De hoc Monasterio vide suprà lib. 1. cap. 39. Cantobennense Monasterium illud ipsum esse censet Savaro, quod non procul ab urbe Sanctimonialibus paravisse dicitur sanctus Genesius Arvernensis Episcopus in ipsius Vita. Alii ab eo etiam non distinguunt Candidinense Monasterium, quod Felix ejusdem urbis antistes, Præjecto tunc Abbati, posteà ipsius successori et martyri, gubernandum tradidit, ut in secunda ipsius Præjecti Vita legitur. Hunc locum posteà destructum reparavit sæculo undecimo quidam Aldefredus, quem Robertus de Alvernia Episcopus ultimo sequentis sæculi anno Piperacensi cœnobio subjecit : sed tandem post varias fortunas Carmelitis excalceatis nostro ævo donatus est. Vide notas in caput 39. libri 1.

(c) Sic Regm.. cum Bad. Ceteri ed. et Bec. *Cyriaci.* At nostra lectio sincera est. Hic est enim Cyricus puer, qui cum Julitta matre martyr occubuit. Vide Savaronem in notis ad libellum de Ecclesiis Claromont. num. 14. qui est de Ecclesia sancti Cyrici. De qua et Gregorius agit in Vita S. Abrahæ, lib. de Vitis Patrum cap. 3.

(d) [Cod. Clun. *prioris, gratia refulgebat.*]

(e) Deest hoc caput in Vatic. Corb. Bell. Colb. et Regio. Porrò Sidonius ille illustrior est, quàm ut hîc de eo plura observemus. Exstant ejus opera à Savarone primùm, tum à J. Sirmondo edita. Caius Sollius Apollinaris Sidonius appellabatur, cujus vitam collegit Savaro, eamque ipsius operibus præfixit. Papianillæ uxori suæ, filiæ Aviti Imp. epistolam 16. libri 5. scripsit ipse Sidonius, quam post susceptum Sacerdotium uti sororem habuit, ut probat Sirmondus in notis ad eamdem epist. ubi et plura habet de majorum Clericorum cælibatu. Vide suprà lib. 1. capite 39. et Hieronymi epist. ad Pammachium.

(f) Hoc caput deest in Vatic. Corb. Bell. Colb. et Regio.

(g) [Cod. Clun. *ablatam ei omnem potestatem.*]

(h) Regm. *velle extrahi.* Chesn. et Freh. *vel extrahere.* [Cod. Clun. *ad Matutinos.*]

(i) [Cod. Clun. *indubitandum.*]

A posita per partes inferiores egesta (a) : quia nec istud sine hæresi potest accipi, ut in Ecclesia non obediatur Sacerdoti Dei, qui ad pascendum oves commissæ sunt : et ille se ingerat potestati, cui neque à Deo, neque ab hominibus aliquid est commissum. Dehinc beatus Sacerdos, uno adhuc manente nihilominùs inimico, suæ restituitur potestati. Factum est autem post hæc, ut accedente febre ægrotare cœpisset : qui rogat suos, ut eum in Ecclesiam ferrent. Cùmque illuc inlatus fuisset, conveniebat ad eum multitudo virorum ac mulierum, simulque etiam et infantium plangentium atque dicentium : *Cur nos deseris pastor bone, vel cui nos quasi orphanos derelinquis? Numquid erit nobis post transitum tuum vita? Numquid erit postmodùm qui nos sapientiæ sale sic condiat? aut ad Dominici nominis timorem talis prudentiæ ratione redarguat?* Hæc et his similia populis cum magno fletu dicentibus, tandem Sacerdos, Spiritu in se sancto influente, respondit : *Nolite timere, ô populi, ecce frater meus Aprunculus vivit, et ipse erit Sacerdos vester.* Qui non intelligentes, putabant eum
B loqui aliquid in extasi.

Quo migrante (b), Presbyter ille nequam, alter ex duobus qui remanserat, protinùs omnem facultatem Ecclesiæ, tamquam si jam Episcopus esset, inhians cupiditate, præoccupat, dicens : *Tandem respexit in me Deus, cognoscens me justiorem esse Sidonio, largitusque est mihi hanc potestatem.* Cùmque per totam urbem superbus ferretur, adveniente die Dominico, qui imminebat post transitum sancti viri, præparato epulo, jussit cunctos cives in domo Ecclesiæ (c) invitari : despectisque senioribus, primus recumbit in toro. Cui oblato (d) pincerna poculo, ait : « Domine
» mi, vidi somnium, quod si permittis edicam : Videbam hac nocte Dominica, et
» ecce erat domus magna, et in domo erat thronus positus, in quo quasi Judex re-
C » sidebat cunctis potestate præstantior : cui adsistebant multi Sacerdotum in albis
» vestibus, sed et promiscuæ populorum turbæ valde innumerabiles. Verùm cùm
» hæc trepidus contemplarer, conspicio eminùs inter eos beatum adstare Sidonium,
» et cum Presbytero illo tibi carissimo, qui ante hos paucos annos de hoc mundo
» migravit, adtentè litigantem : quo devicto jubet Rex ut in imis carceris angustiis
» retrudatur : ablatoque isto, contra te iterùm insurgere (e), dicens te in eo sce-
» lere, propter quod ille prior damnatus fuerat, fuisse participem. Verùm ubi Ju-
» dex, quem ad te transmitteret, sollicitè cœpit inquirere, ego me inter reliquos
» oculere cœpi, et à tergo steti ; tractans apud memetipsum, ne fortè ego, qui
» notus sum homini, mittar. Dum hæc mecum tacitus volverem, amotis omnibus
» remansi solus in publico : vocatusque à Judice, propiùs accedo. Cujus virtutem
D » atque splendorem contuens, cœpi hebes effectus titubare præ metu. Et ille : Ne
» timeas, puer, inquit : sed vade, dic Presbytero illi : Veni ad respondendam cau-
» sam, quia Sidonius te accersiri deprecatus est. Tu verò ne moram facias ad eun-
» dum, quia sub grandi testificatione mihi præcepit Rex ille tibi hæc loqui, dicens :
» Si tacueris, morte pessima morieris. » Hæc eo loquente, exterritus Presbyter, elapso (f) de manu calice, reddidit spiritum : ac de recubitu ablatus mortuus, sepulturæ mandatus est, possessurus infernum cum satellite suo. Tale judicium super contumaces clericos Dominus in hunc prætulit mundum, ut unus Arii sortiretur mortem : alius, tamquam Simon Magus, Apostoli sancti oratione ab excelsa arce superbiæ præceps allideretur. Qui non ambiguntur pariter possidere tartarum, qui simul egerunt nequiter contra sanctum (g) Episcopum suum. Intereà cùm jam terror Fran-
E corum resonaret in his partibus, et omnes eos amore desiderabili cuperent regnare, sanctus Aprunculus Lingonicæ civitatis Episcopus (h) apud Burgundiones cœpit haberi suspectus. Cùmque odium de die in diem cresceret, jussum est ut clam gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuntio, nocte à castro Divionensi per murum demissus, Arvernis advenit, ibique juxta verbum Domini, quod posuit in ore sancti Sidonii, undecimus datus est Episcopus.

(a) Regm. *inferioris egestus.* Et infrà *obaudiatur sacerdoti.* Bec. *partis inferioris egestum... obaudiatur sacerdos.*

(b) Obiit anno 484. ut scribit Savaro, et quidem die 12. Kal. Septembris, ejus tamen festum 10. Kal. ejusdem mensis in Martyrologio Romano recolitur. Sepultus est in Ecclesia sancti Saturnini, ut dicitur in lib. 1. de Eccles. Claromont. cap. 22. hæc Ecclesia mutato nomine sancti Amandini dicta est. Postmodùm translatum est B. Sidonii corpus in Ecclesiam sancti Genesii.

(c) Domum Ecclesiæ passim memorat Gregorius quo nomine ædes Episcopales, majori Ecclesiæ urbis seu Cathedrali adhærentes, designari videtur esse extra dubium.

(d) [Cod. Clun. *oblatum pincerna poculum.*]

(e) Editi habent, *suggerit.*

(f) [Cod. Clun. *elapsum de manu calicem.*]

(g) [Idem, *sanctum Dei et Episcopum suum.*]

(h) De eodem infrà cap. 36. et lib. 3. cap. 2. ad quem exstant aliquod Ruricii Lemovicensis Episc. epistolæ. Eidem, adhuc Lingonum Episcopo, scripsit Sidonius epistolam 10. libri 9. Sepultus est in Ecclesia S. Stephani ex lib. 1. Ecclesiar. Claromont. cap. 13.

CHILDER. XXIV. Sed (a) tempore Sidonii Episcopi magna Burgundiam fames obpressit. A Cùmque populi per diversas regiones dispergerentur, nec esset ullus qui pauperibus alimoniam largiretur; Ecdicius quidam ex Senatoribus, hujus propinquus (b) magnam tunc rem in Deo confisus fecisse perhibetur. Nam invalescente fame, misit pueros suos cum (c) equis et plaustris per vicinas sibi civitates, ut eos qui hac inopia vexabantur sibi adducerent. At illi euntes, cunctos pauperes quotquot invenire potuerunt, adduxere ad domum (d) ejus. Ibique eos per omne tempus sterilitatis pascens, ab interitu famis exemit. Fuereque, ut multi aiunt, ampliùs quàm quatuor millia promiscui sexûs. Adveniente autem ubertate, ordinata iterùm evectione, unumquemque in locum suum restituit. Post quorum discessum, vox ad eum è cœlis lapsa pervenit, dicens : *Ecdici, Ecdici, quia fecisti rem hanc, tibi et semini tuo panis non deerit in sempiternum : eò quòd obedieris verbis meis, et famem meam refectione pauperum satiaveris.* B Quem Ecdicium miræ velocitatis fuisse, multi commemorant. Nam quadam vice multitudinem Gotthorum cum decem viris fugasse perscribitur (e). Sed et sanctus Patiens Lugdunensis Episcopus simile huic in ipsa fame populis præstitisse perhibetur beneficium. Exstat exinde hodie apud nos beati Sidonii epistola (f), in qua eum declamatoriè conlaudavit.

Circa an. 467. XXV. Hujus tempore et Evarix (g) Rex Gotthorum, excedens Hispanum limitem, gravem in Galliis super Christianos intulit persecutionem. Truncabat passim perversitati suæ non consentientes, clericos carceribus subigebat : Sacerdotes verò, alios dabat exsilio, alios gladio trucidabat. Nam et ipsos sacrorum Templorum aditus spinis jusserat obserari, scilicet ut raritas ingrediendi oblivionem faceret fidei. Maximè tunc Novempopulanæ, geminæque Germaniæ (h) urbes, ab hac tempestate depo- C pulatæ sunt. Exstat hodieque et pro hac causa ad Basilium Episcopum nobilis Sidonii ipsius epistola, quæ ita hæc loquitur. Sed persecutor non post multum tempus ultione divina percussus interiit.

An. 490. XXVI. Post (i) hæc beatus Perpetuus Turonicæ civitatis Episcopus, impletis triginta in episcopatu annis, in pace quievit : in cujus loco Volusianus, unus ex Senatoribus, subrogatus est. Sed à Gotthis suspectus habitus, episcopatûs sui anno septimo in Hispanias est quasi captivus abductus : sed protinùs vitam finivit. In cujus loco Verus (k) succedens, septimus post beatum Martinum ordinatur Episcopus.

CHLODOVEUS. An. 486. XXVII. His (l) ita gestis, mortuo Childerico, regnavit Chlodovechus filius ejus pro eo. Anno autem quinto regni ejus, Syagrius Romanorum Rex, Ægidii D filius, ad civitatem Suessionas (m), quam quondam suprà memoratus Ægidius te-

ubi *sanctus* dicitur. Celebrant in Martyrol. Gallic. Saussaii die 14. Maii.

(a) Hoc caput deest in Bell. In tribus verò aliis absolutè incipit, *Tempore Sidonii,* etc.

(b) Ecdicius, seu, ut alii scribunt, Hecdicius, filius fuit Aviti Imperatoris, et frater Papianillæ uxoris Sidonii, ad quem exstant ejusdem Sidonii Carmen 20. epistola 1. lib. 2. et 3. libri 3. Factus est Patricius à Julio Nepote Augusto ex epist. 16. lib. 5.

(c) [Cod. Clun. *cum equitibus.*]

(d) Editi plerique cum Bec. *ad domos.*

(e) Id narrat Sidonius epist. 3. libri 3. ubi *vix duodeviginti equites* cum Ecdicio fuisse dicuntur.

(f) Ea est duodecima libri 6. Eumdem laudat, ob Ecclesiam Lugduni constructam lib. 2. epist. 10. Ipsius verò memoria in fastis Ecclesiasticis recolitur tertio Idus Septembris.

(g) Is ipse suprà cap. 20. appellatur *Eorichus*, seu *Eurichus*. In capitum indicibus, etiam vetustiorum codicum, legitur *de Euva rege*. Ceterùm hoc caput deest in Bellov.

(h) Legendum haud dubiè *Aquitaniæ*. Non enim Evarichus persecutionem in Germania movit, cùm è contrario maximè efferbuerit in Novempopulania, ac in utraque Aquitania, ut patet ex ipsa Sidonii epistola ad Basilium Episcopum, quam infrà Gregorius laudat; estque 6. libri 7. Ibi enim recensentur urbes ex his tribus provinciis, in quibus persecutio sæviit; scilicet Elusa, Auscium, Vasate, et Convenæ in Novempopulania; Rutheni, Lemovicæ et Gabali in Aquitania prima ; Burdegala et Petrocorii in secunda Aquitania. Non tamen textum Gregorii mutare licuit absque alicujus codicis auctoritate. Et quidem Valesius Germaniæ nomen à Gregorio datum fuisse Aquitaniæ putat, quòd ibi regnaret Euricus, quem hîc è Germania oriundum existimabat. Quo pacto et Lugdunensis Germania dicitur à Sidonio lib. 5. epist. 7. Janus à Costa in lib. 2. Decretalium Gregorii IX. tit. 1. hîc legendum esse censet, *geminæque germanæ. Geminam enim,* uti prosequitur, *et duplicem Aquitaniam, primam et secundam, elegantèr vocat germanam et sororem Novempopulaniæ, id est Aquitaniæ tertiæ, quasi provinciæ divisæ in duas, tres vel plures sint sibi invicem sorores ex hac divisione; habeantque communem matrem urbem Romam, imperii caput, à qua scilicet provinciæ institutæ et veluti partæ. Sic apud Tertullianum in libro de Pallio Utica colonia Romanorum dicitur soror Carthaginis.* Hæc ille, cujus sententia ex Testamento S. Remigii aliisque antiquis monumentis confirmari potest, in quibus Ecclesiæ Remensis ac Trevirensis *sorores* appellantur, eò quòd utraque in Belgica Metropolis esset et suæ provinciæ caput. Favet etiam codex ms. Regii montis, in quo legitur, *geminæque germanæ.* [In Cod. Clun. scriptum fuerat, *Germaniæ;* sed suprà repositum est, *Aquitaniæ.*]

(i) Hoc caput deest in codd. Vatic. Corb. et Bellov. [Deest quoque in Dub.] In Colb. autem alia manu, licèt antiqua, additum est. De Perpetuo, Volusiano, et Vero vide infrà lib. 10. c. 31.

(k) Sic Colb. et Reg. cum aliquot editis; alii cum Bec. Regm. [et Clun.] *Virus.*

(l) Hoc caput deest in cod. Bellovac.

(m) Corb. *Saxonas*. Scriptum est tamen alia manu ferè æquali, sicut et infrà, *Suessionas*. Bec. *Suessiones*, et infrà *Sessionas :* quæ lectiones variæ passim in mss. occurrunt. [Cod. Clun. *apud civitatem Sessonas.*]

A nuerat, sedem habebat. Super quem Chlodovechus cum Regnachario (a) parente suo, quia et ipse regnum tenebat, veniens, campum pugnæ præparari deposcit. Sed nec iste distulit, ac resistere metuit. Itaque inter se utrisque pugnantibus, Syagrius elisum cernens exercitum, terga vertit, et ad Alaricum Regem Tholosam cursu veloci perlabitur. Chlodovechus verò ad Alaricum mittit, ut eum redderet: alioquin noverit sibi bellum ob ejus retentionem (b) inferri. At ille metuens, ne propter eum iram Francorum incurreret, ut Gotthorum pavere mos est (c), vinctum legatis tradidit. Quem Chlodovechus receptum custodiæ mancipari præcepit: regnoque ejus accepto, eum gladio clam feriri mandavit. Eo tempore multæ Ecclesiæ à Chlodovechi exercitu deprædatæ sunt, quia erat ille adhuc fanaticis erroribus involutus. Igitur de quadam Ecclesia urceum miræ magnitudinis ac pulcritu- CHLODOVEUS.
B dinis hostes abstulerant, cum reliquis Ecclesiastici ministerii ornamentis. Episcopus (d) autem Ecclesiæ illius missos ad Regem dirigit, poseens, ut si aliud de sacris vasis recipere non mereretur, saltem vel urceum Ecclesia sua reciperet. Hæc audiens Rex, ait nuncio: *Sequere nos usque Suessionas, quia ibi cuncta quæ acquisita sunt, dividenda erunt. Cùmque mihi vas illud sors dederit, quæ Papa poscit, adimpleam.* Dehinc adveniens Suessionas, cuncto (e) onere prædæ in medium posito, ait Rex: *Rogo vos, ô fortissimi prœliatores, ut saltem mihi vas istud,* (hoc enim de urceo suprà memorato dicebat,) *extra partem concedere non abnuatis.* Hæc Rege dicente, illi quorum erat mens sanior, aiunt: *Omnia, gloriose Rex, quæ cernimus tua sunt: sed et nos ipsi tuo sumus dominio subjugati. Nunc quod tibi beneplacitum videtur, facito: nullus enim potestati tuæ resistere valet.* Cùm illi hæc ita dixissent, unus
C levis, invidus ac facilis (f), cum voce magna, elevatam bipennem urceo impulit, dicens: *Nihil hinc accipies, nisi quæ tibi sors vera largitur.* Ad hæc obstupefactis omnibus, Rex injuriam suam patientiæ lenitate coërcuit, acceptumque urceum nuntio Ecclesiastico reddidit, servans (g) abditum sub pectore vulnus. Transacto verò anno, jussit omnem cum armorum apparatu advenire phalangam, ostensuram in Campo-Martio (h) suorum armorum nitorem. Verùm ubi cunctos circuire deliberat, venit ad urcei percussorem; cui ait: *Nullus tam inculta, ut tu, detulit arma: nam neque tibi hasta, neque gladius, neque securis* (i) *est utilis.* Et adprehensam (k) securim ejus in terram dejecit. At ille cùm paullulùm inclinatus fuisset ad colligendum eam, Rex elevatis manibus, securim suam capiti ejus defixit. *Sic*, inquit, *tu apud Suessionas in urceo illo fecisti.* Quo mortuo, reliquos abscedere
D jubet; magnum (l) sibi per hanc causam timorem statuens. Multa (m) bella victoriasque fecit. Nam decimo regni sui anno Thoringis (n) bellum intulit, eosdemque suis ditionibus subjugavit. An. Chr. 491.

XXVIII. Fuit autem et Gundeuchus (o) Rex Burgundionum, ex genere Athanarici Regis persecutoris, de quo suprà meminimus. Huic fuerunt quatuor filii, Gundobadus, Godegiselus, Chilpericus, et Godomarus. Igitur Gundobadus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio, uxoremque ejus, ligato ad collum lapide,

(a) Cod. Corb. *Ragnario parente suo, qui et ipse tenebat, veniens campum ut pugnaret.* [Dub. *Ragnachario parenti suo, qui et ipse tenebat.*] Regm. *Racario... tenuerat, etc.* [Cod. Clun. *Ranacario... tenuerat.*] Colb. *Raghenario, etc.* Idem et Pal. pro Clodovechus habent semper *Hludowiehus* et alia manu Regm. *Clodoveus.* Quod semel et iterum monuisse satis sit.

(b) [Cod. Clun. *retentationem.*]

(c) Vide Salvianum libro 7. de Gubernatione Dei.

(d) Hic fuit beatus Remigius Remorum antistes, ut Fredegarius cap. 16. Hincmarus, Frodoardus, aliique auctores testantur. Porrò *ministerii Ecclesiastici* nomine sacram Ecclesiæ supellectilem intelligebant, ut ex compluribus Gregorii ipsius, aliorumque auctorum locis constat, quos videsis libro 1. Liturgiæ Gallicanæ Mabillonii nostri cap. 7. legendum ea de re beati Aredii Testamentum.

(e) [Cod. Dub. *Cunctum onus prædæ in medio positum.*]

(f) Chesn. cum Colb. *unus Francus levis.* Alii editi, *cerebrosus.*

(g) [Cod. Dub. *servans anno abditum.*]

(h) Conventus Francorum sic dicebatur, quòd singulis annis Kal. Martii fieri soleret in campo, quò omnes armis instructi accedere debebant. Posteà *Campus-Maius* dictus est, ex quo à Pippino in Kal. Maii translatus est.

(i) Editi plerique, *bipennis.* Et sic infrà ubi occurrit vox *securis.*

(k) [Cod. Dub. *securem ejus terræ dejecit.*]

(l) [Cod. Clun. *magnam rem sibi per hanc occasionem timorem.*]

(m) Sic Corb. at alii, *Multa deinde bella, etc.* Chlodoveus Thuringos devictos tributarios fecit, ut auctor Gestorum Francorum refert. Nam et postmodùm, etiam testante Gregorio, Thuringi suos Reges habuere.

(n) * Clarissimus Abbas Dubos suprà laudatus lib. 2. cap. 7. putat hæc intelligenda de Tungris, quos Augustus in Galliis constituerat.

(o) Deest hoc caput in Bellov. *Gundeuchus* scribitur in Corb. et aliis. Nonnulli habent *Gundivicus.* [Clun. *Gundouchus.*] Ejusdem filii in aliquot codd. appellantur, *Gundobaldus, Gothesilus,* seu *Godegisilus, Hilpericus, etc.* Bec. *Gundobaudus.* De Athanarici persecutione suprà cap. 4. [Cod. Dub. *Fuit igitur Gundeuchus.*] * Athanaricus Gothorum Rex ac Ecclesiæ persecutor, qui obiit an. 381. nihil commune habuit cum Burgundionum Regibus. Hinc fallitur Gregorius, cùm Gundeuchum dicit ex genere Athanarici fuisse.

CHLODOVEUS.

aquis immersit. Hujus duas filias exsilio condemnavit : quarum senior, mutata veste Chrona (a); junior Chrotechildis (b) vocabatur. Porrò Chlodovechus, dum legationem in Burgundiam sæpiùs mittit, Chrotechildis puella reperitur à legatis ejus. Qui cùm eam vidissent elegantem atque sapientem, et cognovissent quòd de regio esset genere, nuntiaverunt hæc Chlodovecho Regi. Nec moratus ille, ad Gundobadum legationem dirigit, eam sibi in matrimonio petens. Quod ille recusare metuens, tradidit eam viris : illique accipientes puellam, Regi velociùs repræsentant. Qua visa, Rex valde gavisus, suo eam conjugio sociavit, habens jam de concubina filium, nomine Theodoricum.

An. Chr. 493.

An. 494.

XXIX. Igitur (c) Rex ex Chrotechilde Regina habuit filium primogenitum : quem cùm mulier baptismo consecrare vellet, prædicabat assiduè viro, dicens : *Nihil sunt dii quos colitis, qui neque sibi, neque aliis poterunt subvenire : sunt enim aut ex lapide, aut ex ligno, aut ex metallo aliquo sculpti. Nomina verò quæ eis indidistis, hominum fuere, non deorum* (d), *ut Saturnus, qui filio, ne à regno depelleretur, per fugam elapsus adseritur : ut ipse Jupiter omnium stuprorum spurcissimus perpetrator, incestator virorum, propinquarum derisor, qui nec ab ipsius sororis propriæ potuit abstinere concubitu, ut ipsa ait :* Jovisque et soror et conjunx. *Quid Mars Mercuriusque potuere? Qui potiùs sunt magicis artibus præditi, quàm divini* (e) *numinis potentiam habuere. Sed ille magis coli debet, qui cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, verbo ex non exstantibus procreavit ; qui solem lucere fecit, et cœlum stellis ornavit : qui aquas reptilibus, terras animantibus, aëra volatilibus adimplevit : cujus nutu terræ frugibus, pomis arbores, uvis vineæ decorantur : cujus manu genus humanum creatum est : cujus largitione ipsa illa creatura omnis homini suo, quem creavit, et obsequio et beneficio famulatur.* Sed cùm hæc Regina diceret, nullatenùs ad credendum Regis animus movebatur, sed dicebat : *Deorum nostrorum jussione cuncta creantur ac prodeunt ; Deus verò vester nihil posse manifestatur ; et quod magis est, nec de deorum genere esse probatur.* Intereà Regina fidelis filium ad baptismum exhibet : adornari Ecclesiam velis præcipit atque cortinis, quo faciliùs vel hoc mysterio (f) provocaretur ad credendum, qui flecti prædicatione non poterat. Baptizatus autem puer, quem Ingomerem (g) vocitaverunt, in ipsis, sicut regeneratus fuerat, albis (h) obiit. Qua de causa commotus felle Rex, non segniter increpabat Reginam, dicens : *Si in nomine deorum meorum puer fuisset dicatus, vixisset utique : nunc autem quia in nomine Dei vestri baptizatus est, vivere omninò non potuit.* Ad hæc Regina : *Deo*, inquit, *omnipotenti creatori omnium gratias ago, qui me non usquequaque judicavit indignam, ut de utero meo genitum regno suo dignaretur adscire. Mihi autem dolore hujus causæ animus non adtingitur, quia scio in albis ab hoc mundo vocatos, Dei obtutibus nutriendos* (i). Post hunc verò genuit alium filium, quem baptizatum Chlodomerem vocavit : et hic cùm ægrotare cœpisset, dicebat Rex : *Non potest aliud fieri, nisi et de hoc, sicut et de fratre ejus contingat, ut baptizatus in nomine Christi vestri, protinùs moriatur.* Sed orante matre, Domino jubente convaluit.

Virg. Æneid. lib. 1.

An. 495.

XXX. Regina (k) verò non cessabat prædicare Regi, ut Deum verum cognosceret, et idola negligeret : sed nullo modo ad hæc credenda poterat commoveri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoveretur : in quo compulsus est confiteri necessitate, quod priùs voluntate negaverat. Factum est autem, ut confligente utroque exercitu, vehementer cæderentur : atque exercitus Chlodovechi valde ad internecionem ruere cœpit. Quod ille videns, elevatis ad cœlum oculis, compunctus corde, commotus in lacrymis, ait : *Jesu-Christe, quem Chrotechildis prædicat esse filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in te sperantibus tribuere diceris ; tuæ opis gloriam devotus efflagito : ut si mihi victoriam super hos hostes indulseris, et expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini dicatus probasse se prædicat, credam tibi, et in nomine tuo baptizer. Invocavi enim*

(a) Sic appellatur in Corb. Palat. et Colb. quibus concordat Vita sanctæ Chlotildis, ubi num. 2. legitur *Chrona*, Sæc. 1. Act. SS. Ord. Benedictini. Bec. tamen Regm. [et Clun.] cum plerisque editis habent, *Mucuruna ;* alii, *Corona*. Dicitur in Fredegarii Epitome cap. 17. *Sedeleuba ;* de qua agitur in Chronici cap. 22. Chlotildis et Chronæ matrem Agrippinam appellatam fuisse, de qua Sidonius lib. 5. epist. 7. observat Savaro.

(b) Aliàs *Chrotchildis, Chrotigeldis, Rodieldis*, seu *Chrodieldis, Chrotildis*. [Clun. *Chrodicheldis*.] Hodie vulgò scribitur *Clotildis*.

(c) Deest hoc caput in cod. Bell.

(d) Sic edit. Bad. at ceteri, *homines fuere, non dii*. [Clun. *numina... homines fuere, non dii*.]

(e) [Cod. Dub. *divini nominis*.]

(f) Cod. Regm. *ministerio*.

(g) Cassin. cum aliquot edit. *Ignomerem*.

(h) *In albis*, id est intra hebdomadam, in qua recens baptizati albis induti prodibant.

(i) Alii *vocatum, Dei obtutibus nutriendum*.

(k) Et hoc caput deest in cod. Bellovac.

deos

A *deos meos, sed ut experior, elongati sunt ab auxilio meo : unde credo eos nullius esse potestatis præditos, qui sibi obedientibus non occurrunt* (a). *Te nunc invoco, et tibi credere desidero; tantùm, ut eruar ab adversariis meis.* Cùmque hæc diceret, Alamanni terga vertentes, in fugam labi cœperunt. Cùmque Regem suum cernerent interemtum, Chlodovechi se ditionibus subdunt, dicentes : *Ne ampliùs, quæsumus, pereat populus : jam tui sumus.* At ille prohibito bello (b) coartatoque populo, cum pace regressus, narravit Reginæ, qualiter per invocationem nominis Christi, victoriam meruit obtinere (c). CHLODOVEUS. An. Chr. 496.

XXXI. Tunc (d) Regina accersiri clam sanctum Remigium Remensis urbis Episcopum jubet, deprecans ut Regi verbum salutis insinuaret. Quem Sacerdos accersitum, secretiùs cœpit ei insinuare (e), ut Deum verum, factorem cœli et
B terræ crederet, idola negligeret, quæ neque sibi, neque aliis prodesse possunt. At ille ait : *Libenter te, sanctissime Pater, audiam, sed restat unum, quòd populus qui me sequitur, non patitur relinquere deos suos : sed vado et loquar eis juxta verbum tuum.* Conveniens autem cum suis, priusquàm ille loqueretur, præcurrente potentia Dei, omnis populus pariter adclamavit : *Mortales deos* (f) *abjicimus, pie Rex, et Deum quem Remigius prædicat immortalem sequi parati sumus.* Nuntiantur hæc Antistiti, qui gaudio magno repletus, jussit lavacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ Ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur, baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totumque templum baptisterii divino respergitur ab odore (g); talemque ibi gratiam adstantibus Deus tribuit, ut æstimarent se Paradisi odoribus conlocari. Rex ergo prior poposcit se à Pontifice baptiC zari. Procedit novus Constantinus ad lavacrum, deleturus lepræ (h) veteris morbum, sordentesque maculas gestas antiquitus (i) recenti latice deleturus. Cui ingresso ad baptismum sanctus Dei sic infit ore facundo : *Mitis depone colla Sicamber* (k) *: adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Erat enim sanctus Remigius Episcopus egregiæ scientiæ, et rhetoricis adprimè imbutus studiis (l) : sed et sanc-

(a) Sic mss. 4. alii cum editis *succurrunt*.

(b) [Cod. Dub. *cohortatoque populo*.]

(c) Bec. Mor. s. alia manu, et alius codex ab Henschenio laudatus cum Chesn. hìc habent, *Actum anno xv regni sui*, id est anno 496. quæ verba desumta fuisse videntur ex libro de Gestis Francorum. In ceteris enim scriptis et editis, quos videre licuit, non habentur. Corb. tamen et Bell. in medio cap. 37. ut infrà notabitur, habent, *anno xv Chlodovechi*. Porrò pugna, quæ hìc memoratur, data creditur apud Tolbiacum oppidum, uti ex eodem cap. 37. colligitur. [Cod. Dub. in fine cap. 30. habet, *Actum anno regni sui XXII*.]

(d) Hoc caput non exstat in cod Bell.

(e) Sic mss. editi verò, *cœpit instigare*.

(f) [Cod. Dub. *abigimus*.]

(g) Hincmarus et qui post eum secuti sunt scriptores asserunt, chrisma hac ipsa occasione in ampulla è cœlo allatum fuisse à columba. Quod etsi disertè non dicat Gregorius, innuit tamen aliquid insolitum tunc contigisse, cùm ait *divino odore* locum fuisse respersum, ita ut omnes gratia Dei id tribuente sese in *Paradiso* locatos existimarent. Certè Hincmarus miraculum istud non solùm in Vita S. Remigii descripsit, sed et in frequenti prælatorum, principum, populorumque conventu palam de illo, uti publicè noto, locutus est apud Mettas, cùm scilicet Carolum-Calvum ibi in majori Ecclesia Regem inauguraret. Quin et ejus rei vestigium aliquod inspicitur in Vita sanctæ Chlotildis, quæ videtur ante Hincmarum scripta fuisse. Quod verò aiunt à Centuriatoribus Magdeburgensibus visum fuisse codicem Gregorii, in quo ampulla illa memoraretur, quem Heterodoxi posteà discisserunt, verisimile non videtur. At fortè illi habuere præ manibus librum de Gestis Francorum à Chesnio tomo 1. editum, qui in nonnullis codicibus mss. Gregorio nostro tribuitur, in quo hæc historia descripta fuerit. Ejusmodi habetur unum exemplar in Bibliotheca Archimonasterii Remigiani apud Remos, ab annis circiter 500. exaratum. Ceterùm ampulla illa etiamnunc Remis adservatur studiosissimè in Archimonasterio Remigiano, ad Regum nostrorum consecrationem. Chlodoveum autem à sancto Remigio baptizatum, septiformi gratia Spiritus-Sancti illustratum, et ad regiam potestatem perunctum fuisse in Ecclesia beatæ Mariæ Remensis agnovit Ludovicus Pius apud Frodoardum lib. 2. Histor. Remensis cap. 19. Ad hanc verò baptismi sui sollemnitatem Chlodoveum non solùm sui regni, sed et exteros Episcopos catholicos invitasse colligitur ex epistola sancti Aviti ad ipsum Chlodoveum, [quam in tomo sequenti reperies.]

(h) Colb. ad Marginem hæc habet, ab annis circ. 400. addita : *Ecce iste Historiographus concordat cum Historia sancti Silvestri de lepra Constantini mundata in fonte baptismi.* Et quidem certum videtur ex hoc loco, ubi etiam Chlodoveus Constantino et sanctus Remigius beato Silvestro comparantur, tunc temporis jam invaluisse opinionem de baptizato Romæ Constantino per beatum Silvestrum, lepraque ejus mundata. Sed et S. Silvestri acta in Decreto Gelasii recensentur. Porrò in cod. Reg. post hæc verba *à Pontifice baptizari*, una ferè pagina vacua relinquitur : tum sequens incipit, quasi textum continuatura per verba sequentia, *Procedit hìc novus Constantinus*, quæ cum medio capitis sequentis conjunguntur sic prosequendo, *inquit cum exercitu meo tibi auxilium, etc.*

(i) Sic Corb. et Reg. alii, *gestorum antiquorum*.

(k) De Sicambrorum gente fusiùs agit Browerus in notis ad Carmen 4. libri 6. Fortunati.

(l) Vide Apollinaris Sidonii epistolam 7. libri 9. ad ipsum Remigium directam. De eodem Avitus in Collatione Episcoporum coram rege Gundobado : *Providente Domino Ecclesiæ suæ, et inspirante pro salute totius gentis cor domni Remigii, qui ubique altaria destruebat idolorum, et veram fidem potenter cum multitudine signorum amplificabat, factum est ut Episcopi, etc.* sic etiam exteris Remigii apostolatus utilis erat. Nihil porrò superest ex ejus scriptis, præter aliquot epistolas. Nam Commentarii in sac. scripturam, qui vulgò ipsi tribuuntur, sunt ipsius ætate multò recentiores. Vita autem ejus à Gregorio hìc laudata, quæ à Fortunato descripta creditur, etiamnunc exstat, sed brevior est quàm ut tam eximii viri, Regum et gentis nostræ Apostoli, gestis describendis par sit, in qua ne unum quidem verbum de Francorum conversione, aut Chlodovei baptismo. Hinc mirum non est, si Gregorius plura de his rebus non dixerit. Prolixiorem scripsit Hincmarus, nullusque fermè auctor exstitit, qui hunc sanctissimum virum laudibus non fuerit prosecutus.

CHLODOVEUS.

titate ita prælatus, ut sancti Silvestri virtutibus æquaretur. Est enim nunc liber vitæ ejus, qui eum narrat mortuum suscitasse. Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus est in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs-Sancti, delibutusque sacro chrismate cum signaculo crucis Christi. De exercitu verò ejus baptizati sunt ampliùs tria millia. Baptizata est et soror ejus Albofledis (a) quæ non post multum tempus migravit ad Dominum : pro qua cùm Rex contristaretur sanctus Remigius consolatoriam misit ei epistolam, quæ hoc modo sumsit exordium : *Angit* (b) *me et satis me angit vestræ causa tristitiæ, quòd bonæ memoriæ germana vestra transiit Albofledis. Sed de hac re consolari possumus, quia talis de hoc mundo migravit, ut suspici magis debeat quàm lugeri*. Conversa est enim et alia soror ejus, Lanthechildis (c) nomine, quæ in hæresim Arianorum dilapsa fuerat, quæ confessa æqualem Filium Patri et Spiritum-Sanctum, chrismata est. A B

XXXII. Tunc Gundobadus et Godegiselus fratres regnum circa Rhodanum aut Ararim cum Massiliensi (d) provincia retinebant. Erant autem tam illi, quàm populi eorum, Arianæ sectæ subjecti. Cùmque se invicem impugnarent, audiens (e) Godegiselus Chlodovechi Regis victorias, misit ad eum legationem occultè, dicens : *Si mihi ad persequendum fratrem meum præbueris solatium* (f), *ut eum bello interficere, aut de* (g) *regno ejicere possim; tributum tibi, quale tu ipse velis injungere, annis singulis dissolvam*. Quod ille libenter accipiens, auxilium ei ubicumque necessitas posceret, repromisit. Et statuto tempore contra Gundobadum exercitum commovit. Quo audito Gundobadus, ignorans dolum fratris, misit ad eum, dicens : *Veni in adjutorium meum, quia Franci se commovent contra nos, et regionem nostram adeunt ut eam capiant : ideòque simus unianimes adversùs gentem inimicam nobis, ne separati ab invicem, quod aliæ gentes passæ sunt perferamus*. At ille : *Vadam*, inquit, *cum exercitu meo, et tibi auxilium præbebo*. Moventesque simul hi tres exercitum, id est Chlodovechus contra Gundobadum et Godegiselum (h) cum omni instrumento belli, ad castrum, cui Divione nomen est, pervenerunt. Confligentesque super Oscaram (i) fluvium, Godegiselus Chlodovecho conjungitur, ac uterque exercitus Gundobadi populum atterit. At ille dolum fratris, quem non suspicabatur, advertens, terga (k) dedit, fugamque iniit, Rhodanitidesque ripas paludesque percurrens, Avenionem urbem ingreditur. Godegiselus verò obtenta victoria, promissa Chlodovecho (l) aliqua parte regni sui, cum pace discessit, Viennamque triumphans, tamquam si jam totum possideret regnum, ingreditur. Auctis adhuc Chlodovechus Rex viribus, post Gundobadum abiit, ut eum de civitate extractum interimeret. Quod ille audiens, pavore perterritus, metuebat ne ei mors repentina succederet. Habebat tamen secum virum inlustrem Aridium (m), strenuum atque sapientem, ad quem ad se accersitum ait : *Vallant me undique angustiæ, et quid faciam ignoro, quia venerunt hi Barbari super nos, ut nobis interemtis regionem totam evertant*. Ad hæc Aridius ait : *Oportet te lenire feritatem hominis hujus, ne pereas. Nunc ergo si placet in oculis tuis, ego à te fugere, et ad eum transire consimulo : cùmque ad eum accessero, ego faciam ut neque te, neque hanc evertat* (n) *regionem. Tantùm, ut quod tibi per meum consilium demandaverit implere studeas, donec*

An. Chr. 500.

C D

(a). Colb. et infrà *Albfledis*. Epistolam hîc laudatam, ex qua patet Albofledem virginitatem suam Deo consecrasse, in [Tomo seq.] referemus integram.

(b) [Cod. Clun. *Anget me et satis me anget.*]

(c) Sic Corb. alii *Lantildis*. [Clun. *Lanthieldis.*] Solius Chrismationis in Arianorum reconciliatione meminit passim Gregorius. Sicut nec hodie in conferendo Confirmationis sacramento, vix aliqua fit mentio impositionis manuum, quæ tamen omnino necessaria est; sic et tunc impositionem manuum præter chrismationem adhibitam fuisse extra dubium videtur, ne si aliquis absque ea ab hæresi veniens reciperetur, *tamquam extra omnem culpam*, uti loquitur Augustin. lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 23. *esse judicaretur*. Vide Morinum de Pœnitentia lib. 9. cap. 10. et Cointium tomo 1. annal. Eccles. Franc.

(d) * A Massilia nomen accepit Provincia Massiliensis, quæ præ ceteris continebat Massiliam, Avenionem, Aquas Sextias. *Valesius in Notit. Gall. pag.* 321.

(e) [Cod. Clun. *auditas.*]

(f) Sic Corb. et Bec. ceteri *auxilium*. Et quidem ferè semper pro *auxilio* in vetustioribus mss. *solatium* habetur.

(g) [Cod. Dub. *de regione.*]

(h) Sic Corb. Bec. et Reg. meliùs quàm ceteri, qui habent *Godegiselus*. [Clun. *Godigisilus.*] Tunc enim duo fratres conjuncti simul adversùs Chlodoveum videbantur, nondum detecta Godegisili proditione.

(i) Edit. Bad. mendosè *Isaram*. Oscara nempe fluvius est Burgundiæ, vulgò *Ousche*, qui Divionem aliaque loca præterlapsus, ad S. Johannem de Latona in Ararim defluit. Hæc autem Patricio et Hypatio coss. id est. anno 500. contigisse scribit Marius in Chronico.

(k) [Clun. *terga vertit.*]

(l) [Cod. Dub. *promissam Chlodovecho aliquam partem.*]

(m) Sic ferè omnes mss. editi verò plerique cum Bec. *Aredium*. [Cod. Clun. *Aredium... quem ad se.*] Is est, ni fallor, qui memoratur in collatione Episcoporum coram Rege Gundobado : de qua infrà ad cap. 34. Vide Fredeg. Epitom. cap. 18.

(n) [Cod. Clun. *hanc noceant regionem.*] Hîc omissis aliquot capitibus, nonnullis etiam detritis, cod. Bellov. textum resumit.

A *causam tuam Dominus prosperam facere sua pietate dignetur.* Et ille : *Faciam*, inquit, *quæcumque mandaveris.* Hæc eo discente, vale dicens Aridius discessit, et ad Chlodovechum Regem abiens, ait : *Ecce ego humilis servus* (a) *tuus, piissime Rex, ad tuam potentiam venio, relinquens illum miserrimum Gundobadum. Quòd si me pietas tua respicere* (b) *dignatur, integrum in me famulum atque fidelem, et tu et posteri tui habebitis.* Quem ille promtissimè colligens, secum retinuit : erat enim jocundus in fabulis, strenuus in consiliis, justus in judiciis, et in commisso fidelis. Denique Chlodovecho cum omni exercitu circa muros urbis residente, ait Aridius : *Si dignanter, ô Rex, gloria celsitudinis tuæ paucos humilitatis meæ sermones velit accipere, consilio* (c) *licèt non egeatis, tamen fide integra ministrabo ; idemque vel tibi congruum, vel civitatibus erit, per quas transire deliberas. Cur*, inquit, *retines exercitum,*
B *cùm loco firmissimo tuus resideat inimicus? Depopularis agros, prata depascis, vineas dissecas* (d), *oliveta succidis, omnesque regionis fructus evertis : interim et illi nocere non prævales. Mitte potiùs legationem, et tributa quod tibi annis singulis dissolvat, impone ; ut et regio salva sit, et tu tributa dissolventi perpetuò domineris : quod si noluerit, tunc quod libuerit, facies.* Quo consilio Rex accepto, hostem (e) redire jubet ad propria. Tunc missa legatione ad Gundobadum, ut ei per singulos annos tributa imposita reddere debeat, jubet. At ille et de præsenti solvit, et deinceps soluturum esse se promittit.

XXXIII. Post hæc resumtis viribus, jam despiciens Regi Chlodovecho tributa promissa dissolvere, contra Godegiselum fratrem suum exercitum commovit, eumque apud Viennam civitatem inclusum obsedit. Verùm ubi minori populo alimen-
C ta deficere cœperunt, timens Godegiselus ne ad se usque fames extenderetur, jussit expelli minores populi ab urbe. Quo facto expulsus est inter ceteros artifex ille ab (f) urbe, cui de aquæductu cura manebat. Ille verò indignans quòd fuerit ejectus ab urbe cum ceteris, ad Gundobadum furibundus vadit, indicans qualiter civitatem inrumpens, ultionem exerceret in fratrem. Illo quoque (g) duce, exercitu per aquæductum directo, multis cum ferreis vectibus præcedentibus, erat autem spiraculum illius lapide magno conclusum, quo cum vectibus illis per magisterium artificis repulso, civitatem introeunt : illisque de muro sagittantibus, hi terga præveniunt (h). Dato autem de medio civitatis sono buccinæ, obsidentes portas capiunt, apertisque pariter ingrediuntur. Cùmque inter duas has acies populus urbis (i) ab utroque exercitu cæderetur, Godegiselus ad Ecclesiam hæreticorum confugit, ibi-
D que cum Episcopo Ariano interfectus est. Denique Franci, qui apud Godegiselum erant, in unam se turrim congregant. Gundobadus autem jussit, ne uni (k) quidem ex ipsis aliquid noceretur ; sed adprehensos eos Tholosæ in exsilium ad Alaricum Regem transmisit, interfectis senatoribus, Burgundionibusque, qui Godegiselo consenserant. Ipse verò regionem omnem, quæ nunc Burgundia dicitur, in suo dominio restauravit. Burgundionibus leges (l) mitiores instituit, ne Romanos opprimerent. An. Chr. 501.

XXXIV. Cùm autem cognovisset assertiones hæreticorum nihil esse ; à sancto Avito Episcopo Viennensi (m), Christum Filium Dei et Spiritum Sanctum æqualem Patri confessus, clam ut chrismaretur expetiit. Cui ait Sacerdos : « Si verè cre-
» dis, quod nos ipse Dominus edocuit debes exsequere (n). Ait autem, *Si quis* *Matth.* 10.
E » *me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo,* 32. *et* 33.
» *qui est in cœlis : qui* (o) *autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum*
» *coram Patre meo qui est in cœlis.* Sic et ipsis sanctis ac dilectis suis beatis Apos-

(a) In Bell. et Bec. deest *servus*. [Deest etiam in Dub. et Clun.]

(b) Aliquot scripti et ed. *recipere*. [Ita etiam Clun.]

(c) [Cod. Clun. *consilium*.]

(d) Sic mss. omnes præter Colb. qui habet *desecas*. Plerique editi cum Bec. *dissipas*.

(e) Sic mss. Bell. et Corb. at alii habent *hostem patriæ redire, etc.* [Ita Cod. Clun.] Sed hîc *hostis* nomine exercitus signatur, quem nostrates superioribus sæculis vernaculè l'*host* appellare consueverant.

(f) [In Codicibus Dub. et Cluniac. deest *ab urbe*.]

(g) [Dub. et Clun. *Illoque duce exercitum..... directum*.]

(h) Aliquot mss. et ed. *premunt*. [Mox in Cod. Dub. *datum..... sonum* : in Clun. *datum..... sonitum*.]

(i) [Cod. Dub. *populus verberibus ab utroque*.]

(k) [Cod. Clun. *unus quidem ex ipsis noceretur*.]

(l) Leges illæ etiam nunc ab institutore nomen habent, vulgò *les Gombettes*. Lex Gundebada in Caroli M. Capitularibus, et apud Agobardum laudatur. Habentur in Codice legum antiquarum, quem publici juris fecit Fridericus Lindenbrogius.

(m) In Collatione scilicet publica inter Catholicos Episcopos et Arianos, præsente Rege et regni proceribus, Lugduni habita. Vide et ejusdem S. Aviti epistolam 2. apud Sirmondum. * In ea Collatione de Gundobado dicitur : *Quia Pater eum non traxerat, non potuit venire ad Filium, etc.*

(n) Sic Corb. Bell. Cas. et Bec. at Regm. habet *debes exsequi*. Ceteri omittunt vocem *debes*.

(o) Hæc usque ad *sic et ipsis*, non habentur in

CHLODOV. *Matth.* 10. 17. » tolis (a), cùm de futuræ persecutionis tentationibus doceret, insinuavit, dicens : A
» *Adtendite vobis ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis*
» *suis flagellabunt vos, et ante Reges et præsides stabitis propter me in testimo-*
» *nium illis, et omnibus* (b) *gentibus.* Tu verò cùm sis Rex, et à nullo adpre-
» hendi formides, seditionem pavescis populi, ne Creatorem omnium in publico
» fatearis. Relinque hanc stultitiam, et quod corde te dicis credere, ore profer in
Rom. 10. 10. » plebe. Sic etenim et beatus Apostolus ait : *Corde creditur ad justitiam, ore au-*
Psal. 34. 18. » *tem confessio fit ad salutem* (c). Sic et Propheta ait : *Confitebor tibi Domine in*
Psal. 56. 10. » *Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* Et iterum : *Confitebor tibi in po-*
» *pulis Domine, psalmum dicam nomini tuo inter gentes.* Metuens (d) enim popu-
» lum, ô Rex, ignoras quia satius est ut populus sequatur fidem tuam, quàm tu
» infirmitati faveas populari? Tu enim es caput populi, non populus caput tuum. B
» Si enim ad bellum proficiscaris, tu præcedis catervas hostium, et illæ quò abie-
» ris subsequuntur. Unde melius est ut te præcedente cognoscant veritatem, quàm
Gal. 6. 7. » te pereunte permaneant in errore. Nam *Deus non inridetur* : nec enim diligit il-
» lum, qui propter terrenum regnum eum non confitetur in sæculo. » Ista ille ra-
tione confusus, usque ad exitum vitæ suæ in hac insania perduravit, nec publicè æqualitatem Trinitatis voluit confiteri. Magnæ enim facundiæ erat tunc temporis beatus Avitus : namque insurgente hæresi apud urbem Constantinopolitanam, tam illa quam Eutyches (e), quàm illa quam Sabellius docuit, id est nihil divinitatis habuisse Dominum nostrum Jesum-Christum, rogante Gundobado Rege, ipse contra eas scripsit. Exstant exinde nunc apud nos epistolæ admirabiles, quæ sicut tunc hæresim oppresserunt, ita nunç Ecclesiam Dei ædificant (f). Scripsit enim Homi- C
liarum librum unum de mundi principio; et de diversis aliis conditionibus libros sex, versu compaginatos; Epistolarum libros novem, inter quas supradictæ continentur epistolæ. Refert enim in quadam homilia, quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes, quas ante Ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto ipsius Viennensis urbis Episcopo (g), cui et hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum urbs illa multis terreretur prodigiis. Nam terræ motu frequenter quatiebatur : sed et cervorum atque luporum feritas portas ingressa, per totam, ut scripsit, urbem nihil metuens oberrabat. Cùmque hæc per anni circulum gererentur, advenientibus Paschalis sollemnitatis diebus, exspectabat misericordiam Dei plebs tota devotè, ut vel hic magnæ sollemnitatis dies huic terrori terminum daret. Sed in ipsa gloriosæ noctis vigilia, dum Missarum celebrarentur sollemnia, su- D
bitò palatium regale intramuraneum divino igne succenditur, pavore omnibus perterritis, et Ecclesiam egressis, credentibus, ne aut hoc incendio urbs tota consumeretur, aut certè disrupta tellure dehisceret, sanctus Sacerdos prostratus ante altare, cum gemitu et lacrymis Domini misericordiam imprecatur. Quid plura? Penetravit excelsa poli oratio pontificis inclyti, restinxitque domûs incendium flumen profluentium lacrymarum. Cùmque hæc agerentur, adpropinquante Ascensione, ut jam diximus, majestatis Dominicæ, indixit populis jejunium, instituit orandi modum, edendi seriem (h), erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus quoque exinde terroribus, per cunctas provincias dispersa facti fama, cunctos Sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit ex fide : quæ usque nunc in Christi nomine per omnes Ecclesias in compunctione cordis et contritione spiritûs celebratur.

Regm. et Bec. in quibus, cùm frequentia sunt ejusmodi Scripturæ loca, ut plurimùm omittuntur.

(a) Colb. cum plerisque editis : *Sic et ipsos sanctos ac dilectos suos beatos Apostolos.*

(b) Vox *omnibus* deest in plerisque mss. et edit. sed habetur in vetustioribus. [Deest in Clun.]

(c) Bellov. *in salutem.*

(d) [Cod. Clun. *metues..... ignorans.*]

(e) Nonnulli, *Eutices*, aut *Euticis*, plerique *Euthicus*. Bell. et Bec. *tam illam, quam Eutiches quamque Sabellius*. Legendum fortè *Nestorius*, pro *Sabellius*. Nulla tamen in epistola 2. ad Gundebadum, quæ tota est de hac re, Nestorii fit mentio, licèt ibi ejus errores, quos etiam quandoque Eutycheti tribuit, fusè refellat. Vide et epist. 3. et 28. Certè perseveravit in Gallicanæ Ecclesiæ Patribus illud fidei orthodoxæ studium, qui in Concilio Aurelian. V. anno 549. Canone 1. Eutychetis et Nestorii prava dogmata cum exsecrationibus damnarunt et anathematizaverunt.

(f) Præter epistolas 88. aliquot S. Aviti opuscula edidit V. C. Jac. Sirmondus, et inter illa homiliam de Rogationibus hîc laudatam. Quam etiam in vet. mss. reperimus. Ejusdem Vita habetur tom. 1. Bibliot. novæ Labbei. Illius verò festum celebratur die 5. Februarii, ad quem diem plura de eo habent Bollandiani.

(g) Idem testatur Sidonius lib. 5. epist. 14. et lib. 7. epist. 1. Cæsarius Arelat. homilia 33. et alii passim auctores, qui subsecuti sunt. Vide et Concil. Aurelianens. I. canon. 27. etc. Quoties autem et quo ritu fierent, vel quid his diebus in Ecclesia legeretur, exponit Mabillonius noster lib. 2. de Liturgia Gallicana pag. 152. in notis ad num. 55. et seqq. duos Lectionarii Gallicani, qui toti sunt de Rogationibus. Mamerti festum colitur die 11. Maii. Vide Librum de Mirac. sancti Juliani cap. 2.

(h) Freherus legendum putat *legendi seriem*. Hîc Gregorius notat tres religiosi jejunii conditiones,

CHLODOVEUS.

A XXXV. Igitur Alaricus Rex Gotthorum, cùm videret Chlodovechum Regem gentes assiduè debellare, legatos ad eum dirigit, dicens : *Si frater* (a) *meus velit, insederat animo ut nos Deo propitio pariter videremus.* Quod Chlodovechus non respuens, ad eum venit. Conjunctique (b) in insula Ligeris, quæ erat juxta vicum Ambaciensem (c) territorii urbis Turonicæ, simul locuti, comedentes pariter ac bibentes, promissa sibi amicitia pacifici discesserunt.

XXXVI. Multi jam tunc ex Galliis habere Francos dominos summo desiderio cupiebant. Unde (d) factum est, ut Quintianus Ruthenorum Episcopus per hoc odium ab urbe depelleretur. Dicebant enim ei : *Quia desiderium tuum est, ut Francorum dominatio possideat terram hanc.* Post dies autem paucos, orto inter eum et cives scandalo, Gotthos qui in hac urbe morabantur, suspicio attigit, exprobran-
B tibus civibus, quòd velit se Francorum ditionibus subjugare; consilioque accepto, cogitaverunt eum perfodere gladio. Quod cùm viro Dei nuntiatum fuisset, de nocte consurgens cum fidelissimis ministris suis, ab urbe Ruthena egrediens, Arvernos (e) advenit. Ibique à sancto Eufrasio Episcopo, qui quondam Aprunculo Divionensi successerat, benignè susceptus est, largitisque ei tam domibus quàm agris et vineis, secum retinuit, dicens : *Sufficit* (f) *hujus facultas Ecclesiæ ut utrumque sustineat : tantùm charitas quam beatus Apostolus prædicat, permaneat inter Sacerdotes Dei.* Sed et Lugdunensis Episcopus largitus est ei aliqua possessionis Ecclesiæ suæ, quam in Arverno habebat. Reliqua verò de sancto Quintiano, tam insidiæ quas pertulit, quàm illa quæ per eum Dominus operari dignatus est, scripta sunt in libro Vitæ ejus (g).

An. Chr. 507.

C XXXVII. Igitur Chlodovechus Rex ait suis : *Valde molestè fero, quòd hi Ariani partem teneant Galliarum. Eamus* (h) *cum Dei adjutorio, et superatis* (i) *redigamus terram in ditionem nostram.* Cùmque placuisset omnibus hic sermo, commoto exercitu Pictavis dirigit : ibi enim tunc Alaricus commorabatur (k). Sed quoniam pars hostium per territorium Turonicum transibat, pro reverentia beati Martini dedit edictum, ut nullus de regione illa aliud, quàm herbarum alimenta aquamque præsumeret. Quidam autem de exercitu, invento (l) cujusdam pauperis fœno, ait : *Nonne Rex herbam tantùm præsumi mandavit, et nihil aliud? Et hoc,* inquit, *herba est. Non enim erimus transgressores præcepti ejus, si eam præsumimus.* Cùmque vim faciens pauperi, fœnum virtute tulisset (m), factum pervenit ad Regem. Quo (n) dicto citiùs gladio peremto, ait : *Et ubi erit spes victoriæ, si beatus Martinus offenditur* (o)? Satisque fuit exercitui nihil ulteriùs ab hac regione præsumere. Ipse verò Rex direxit nuntios ad Beati (p) basilicam, dicens : *Ite et forsitan aliquod victoriæ auspicium*

quibus fiat utile. Rogationes appellat ipse Avitus *festivitatem operosissimam.*

(a) Vetus est, sacris Scripturis et vetustis auctoribus approbata, quæ etiam nunc perseverat, consuetudo, ut Reges sese mutuò fratres dicant. Quod jam viri eruditi non semel observarunt : cujus rei exempla proferunt viri clarissimi Stephanus Baluzius, et Gisb. Cuperus in notis ad cap. 8. Lactantii de mortibus perfec. et Mabillonius lib. 2. de re diplomat. cap. 2. num. 15. Ego verò, ut de nostra solummodò gente loquar, laudabo ex lib. 1. Marculfi formulam nonam, quæ est *Indiculus ad alium Regem cùm legatio dirigitur,* sic autem inscribitur. *Domino glorioso atque præcellentissimo fratri, illi Regi, in Dei nomine ille Rex.*

(b) * Hoc colloquium cum anno 504. componit Abbas Dubos; alii ad annum 506. referunt paulò ante bellum Visigothicum; nos cum novæ Historiæ Occitaniæ Auctoribus in annum 498. vel sequentem retrahimus. Epistolæ enim Theodorici Regis Italiæ, quibus operam navavit ut Clodoveum cum Alarico reconciliaret, scriptæ sunt ante annum 500. Illas edemus Tomo sequenti.

(c) Chesn. *Ambaciacensem.* Oppidum istud etiam nunc celebre est, vulgò *Amboise* dictum, ad confluentes Ligeris et Amatissæ, l'*Amasse*, situm. De hoc oppido sic loquitur Severus Sulpic. Dial. 3. *In vico Ambatiensi, id est castello illo veteri, quod nunc frequens habitatur à fratribus, etc.* Hæc ipsa creditur esse insula, quæ hodieque prope Ambaciam visitur arboribus consita, vulgò Insula S. Johannis dicta. [Cod. Clun. *quæ est juxta vicum.*]

(d) *Unde* et quæ sequuntur ad caput sequens desunt in Corb. et Bell. [Desunt etiam in Dub.] Quintianum nonnisi post Chlodovei obitum è sua sede pulsum fuisse contendit Valesius lib. 6. rerum Francic. quem si lubet consule. * Idem asserit Pagius ad an. 507. N. 3. et 4. Doctissimus Abbas Dubos Hist crit. Monarchiæ Franc. lib. 4. cap. 9. duplex statuit Quintiani exsilium : primum accidit anno 507. paulò ante pugnam Vocladensem, post quam Chlodoveus urbe Ruthenensi potitus, Quintianum sedi suæ restituit : quod in causa est cur anno 511. tamquam Ruthenensis Episcopus Aurelianensi Concilio subscripsit. Mortuo Chlodoveo, Gothi urbem Ruthenensem recuperarunt, atque iterùm Quintianum è sede expulerunt.

(e) [Clun. *Arvernis.*]

(f) [Clun. *sufficiat.*]

(g) Is est caput 4. de Vitis Patrum.

(h) Bellum istud levibus de causis exortum testatur Theodoricus Ostrogotthorum Rex, qui nullum non movit lapidem, ut ipsum, datis ad Chlodoveum aliosque Reges litteris, missisque legationibus, impediret. Vide apud Cassiodor. lib. 3. epist. 2. 3. et 4. * Aliam, præter Arianam hæresim, hujus belli causam afferunt Fredegarius in Epitome cap. 25 et Aimoinus lib. 1. cap. 20. Et certè, cur Chlodoveus Gundobadum Burgundionum Regem Arianum in suas partes pertraxit, si Ariana hæresis hujus belli fuit occasio ?

(i) [Cod. Clun. *superatis eis.*]

(k) [Clun. *commanebat.*]

(l) [Dub. et Clun. *inventum..... fœnum.*]

(m) Sic mss. vetustiores; alii cum editis *vi abstulisset.*

(n) [Dub. et Clun. *quem..... peremtum.*]

(o) Corb. *si beato Martino offendimus,* familiari apud Gregorium casuum mutatione. [Dub. *si beato Martino offendimur.*]

(p) [Clun. *ad beatam basilicam..... percipietis.*]

CHLODOVEUS. An. Chr. 507.

ab æde sancta suscipietis. Tunc datis muneribus, quæ loco sancto exhiberent, ait: A *Si tu, Domine, adjutor mihi es, et gentem hanc incredulam, semperque æmulam tibi, meis manibus tradere decrevisti, in ingressu basilicæ sancti Martini dignare propitius revelare, ut cognoscam, quia propitius dignaberis esse famulo tuo.* Maturantibus autem pueris, et ad locum accedentibus juxta imperium Regis, dum sanctam ingrederentur basilicam, hanc antiphonam ex improviso primicerius qui erat, imposuit (a) : *Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum : supplantasti insurgentes in me subtus me, et inimicorum* (b) *meorum dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.* Quod psallentium (c) audientes, et Domino gratias agentes, et vota beato Confessori promittentes, læti nuntiaverunt Regi. Porrò ille cùm ad fluvium Vingennam (d) cum exercitu advenisset, in quo loco eum transire deberet penitùs ignorabat : intumuerat enim ab inundatione pluviarum. Cùmque illa nocte Dominum deprecatus fuisset, ut ei vadum quo B transire possit dignaretur ostendere, mane facto cerva miræ magnitudinis ante eos nutu Dei flumen ingreditur, illaque vadante, populus quò transire possit, agnovit. Veniente autem Rege apud Pictavis, dum eminus in tentoriis commoraretur, pharus ignea de basilica sancti Hilarii egressa, visa est ei tamquam super se advenire, scilicet ut lumine beati Confessoris adjutus Hilarii, liberiùs hæreticas acies, contra quas sæpe idem Sacerdos pro fide conflixerat, debellaret (e). Contestatus est autem omni exercitui, ut nec ibi quidem aut in via aliquem (f) exspoliarent, aut res cujusquam diriperent.

Psal. 17. 40. 41.

Erat autem in his diebus vir laudabilis sanctitatis Maxentius Abbas, reclausus in monasterio suo ob Dei timorem (g) infra terminum Pictavensem. Cujus monasterii nomen lectioni non indidimus, quia locus ille usque hodie Cellula sancti C Maxentii vocatur. Cujus monachi cùm hostium cuneum unum ad monasterium cernerent propinquare, Abbatem exorant, ut de cellula sua egrederetur ad exorandum eos (h). Illoque demorante hi timori perculsi, eum aperto ostio producunt de cellula sua. At ille in occursum hostium, quasi pacem rogaturus, pergit intrepidus. Unus autem ex his evaginato gladio, ut caput ejus libraret, manus ad aurem erecta diriguit, gladiusque retrorsum ruit. At ipse ad pedes beati Viri veniam deposcens sternitur. Quod videntes reliqui, cum timore maximo ad exercitum redierunt, timentes ne et ipsi pariter interirent. Hujus verò brachium beatus Confessor cum oleo benedicto contrectans, imposito signo crucis restituit sanum : ejusque obtentu monasterium permansit inlæsum. Multasque et alias virtutes operatus est, quas si quis diligenter inquiret, librum Vitæ (i) illius legens, D cuncta reperiet (k). Intereà Chlodovechus Rex cum Alarico Rege Gotthorum in campo Vogladense (l) decimo ab urbe Pictava milliario convenit : et confligentibus his eminus, resistunt (m) cominus illi. Cùmque secundùm consuetudinem Gotthi terga vertissent, ipse Rex Chlodovechus victoriam, Domino adjuvante, obtinuit. Habebat autem in adjutorium suum filium Sigiberti-Claudi, nomine Chlodericum. Hic Sigibertus (n) pugnans contra Alamannos apud Tulbiacense oppi-

(a) Sic vetustiores mss. ceteri, *incæpit.* Porrò in Ecclesia Romana primicerius caput erat inferioris chori, quod et in Ecclesia Gallicana fuisse in usu tempore Chlodovei colligi potest ex epistola sancti Remigii ad Falconem Tungrensem Episcopum, ubi conqueritur vir sanctissimus à Falcone institutos fuisse in Mosomagensi Ecclesia Levitas, Presbyteros, Archidiaconos, *Primicerium scholæ clarissimæ militiæque lectorum.* Vide Glossarium Cangii, et Thomassinum lib. 2. partis 1. Disciplinæ Ecclesiast. Latinè editæ pag. 103. Ceterùm mos ille per Scripturæ sacræ lectiones res futuras explorandi, sollemnis erat illis temporibus, uti ex aliis Gregorii locis compluribus patet. Sic etiam actum fuerat in electione sancti Martini apud Severum Sulpicium, in ejus Vita cap. 7. Vide et Vitam S. Consortiæ num. 9. Sæc. 1. Bened. ad. ann. 578.

(b) [Clun. *inimicos meos.*]

(c) Regm. *voces psallentium.* Ed. *satellites audientes.*

(d) De hoc ad cap. 43. libri 1.

(e) Vide Fortunat. lib. 2. Vitæ S. Hilarii num. 7.

(f) Ed. aliquot et Bec. *aliquid spoliarent.*

(g) [Cod. Clun. *intra terminum Pictavensim.*]

(h) Sic Bec. ceteri mss. et aliquot ed. *ad consolandum eos.* Ceteri ed. *consulendum eis.* [Cod. Dub. *ad consolandum eos.* Clun. *ad consulendum eos.*]

(i) Vitam sancti Maxentii è 2. codd. mss. editam habes tom. 1. Actor. SS. Ordinis Benedictini pag. 578. quam consule. Exstat etiam nunc monasterium istud cum oppido cognomini, Ordini nostro sub nostra S. Mauri Congregatione subjectum, à Calvinianis dirutum, restauratumque paucis abhinc annis : ubi Abbas fuit S. Leodegarius martyr et Episcopus Æduensis, qui et ibi post mortem diu jacuit.

(k) Hic in Corb. et Bellov. interseruntur hæc verba, *Anno quinto-decimo Chlodovechi*, et quidem prima manu. [Eadem verba inseruntur in Cod. Dub.] Constare tamen videtur pugnam hanc anno 26. Chlodovei, id est vulgaris æræ 507. commissam fuisse. Vide suprà notas ad cap. 30. * Abbas Dubos suprà laudatus lib. 3. cap. 24. existimat in Diœcesibus Bellovacensi et Ambianensi, ubi Codices Bellovacensis et Corbeiensis exarati sunt, regni Chlodovei initium ductum fuisse ab anno 493. quo Chlodoveus Chlotildem uxorem duxit, vel ab anno quo Bellovacorum et Ambianorum civitates in Francorum ditionem venerunt. Verùm in Codice Duboisiano hæc etiam verba, *anno* 15. *Chlodovechi*, reperiuntur : at quo in loco exaratus sit, ignoratur.

(l) Aliquot mss. et editi, *Vocladense.* [Ita Cod. Clun.] Vulgò dicitur *Vouglé*, quod oppidum est ad Clennum fluvium, tribus leucis ab urbe Pictaviensi dissitum. Colb. habet *Dubiacense.*

(m) Alii mss. *consistunt.* Regm. *hii eminus.*

(n) Sigibertus Coloniæ Agrippinæ sedem habebat,

A dum percussus in geniculo claudicabat. Porrò Rex, cùm fugatis Gotthis Alaricum Regem interfecisset, duo ex adverso subitò advenientes, cum contis utraque ei latera feriunt. Sed auxilio tam loricæ, quàm velocis equi, ne periret exemtus est. Maximus ibi tunc Arvernorum populus, qui cum Apollinare (a) venerat, et primi * qui erant ex Senatoribus conruerunt. De hac pugna Amalaricus filius Alarici in Hispaniam fugit, regnumque patris sagaciter occupavit (b). Chlodovechus verò filium suum Theudericum (c) per Albigensem ac Ruthenam civitatem ad Arvernis dirigit. Qui abiens urbes illas, à finibus Gotthorum usque Burgundionum terminum, patris sui ditionibus subjugavit. Regnavit autem Alaricus viginti-duos annos. Chlodovechus verò apud Burdegalensem urbem hyemem agens, cunctos thesauros Alarici à Tholosa (d) auferens, Ecolismam (e) venit. Cui Dominus tantam gratiam tribuit, ut
B in ejus contemplatione muri sponte conruerent. Tunc exclusis Gotthis urbem suo dominio subjugavit. Patrata post hæc victoria, Turonis regressus est (f), multa sanctæ (g) basilicæ beati Martini munera offerens.

CHLODOVEUS.

* *f.* plurimi.

An. Chr. 508.

XXXVIII. Igitur Chlodovechus ab Anastasio Imperatore codicillos de Consulatu accepit, et in basilica beati Martini tunica blatea (h) indutus est et chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc ascenso equite (i) aurum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrii basilicæ beati Martini et Ecclesiam civitatis est, præsentibus populis manu propria spargens, voluntate benignissima erogavit, et ab ea die tamquam Consul aut (k) Augustus est vocitatus. Egressus autem à Turonis Parisios (l) venit : ibique cathedram regni constituit. Ibi et Theudericus ad eum venit.

C XXXIX. Denique (m) migrante Eustochio Turonorum Episcopo, octavus post sanctum Martinum Licinius Turonicis Episcopus ordinatur. Hujus tempore bellum superiùs scriptum gestum est. Et hujus tempore Chlodovechus Rex Turonis venit. Hic fertur in Oriente fuisse, ac loca visitasse Sanctorum, ipsamque adiisse Hierosolymam ; et loca Passionis ac Resurrectionis Dominicæ, quæ in Evangeliis legimus, sæpe vidisse.

XL. Cùm autem Chlodovechus Rex apud Parisius moraretur, misit clam ad filium Sigiberti, dicens : *Ecce pater tuus senuit, et pede debili claudicat. Si ille*, inquit, *moreretur, rectè tibi cum amicitia nostra regnum illius redderetur.* Qua ille

Circa an. 509.

à qua Tolbiacum, hodie *Zullich*, seu *Zulg*, quatuor circiter leucis distat, ubi celebre prælium inter Alamannos et Chlodoveum, quod Francorum conversioni occasionem præbuit, commissum est. Existimat tamen Henschenius bellum istud prope Argentoratum confectum fuisse, quòd exinde Chlodoveus Remos accedens, Tullo transierit : sed Chlodoveus, devictis Alemannis, eos est prosecutus, ita ut jam Remos properanti Tullo transire debuerit. Vide Vales. lib. 6. Rer. Franc.

(a) Hic erat sancti Apollinaris Sidonii filius, ante episcopatum ex matrimonio legitimo procreatus, de quo Gregorius in libro 3. cap. 2. et lib. 1. de Gloria Mart. cap. 45. etc.

(b) Occiso Alarico Gezalicus ejus filius regni paterni partem occupavit, Theodoricus verò M. Ostrogotthorum Rex alteram rexit, post cujus mortem Amalaricus, aliis *Amalricus*, seu *Almaricus*, ex Theudichusa, seu Theodogottha ejusdem Theodorici filia, Alarici filius regnare cœpit.

(c) Sic scribitur in vetustioribus codd. alii habent *Theodericus* seu *Theodoricus*. * Hoc anno, ut notat Pagius ad an. 507. num. 8. Chlodoveus Turonos, Pictavum, Burdigalam cepit. Theodoricus ejus filius Cadurcos, Albigenses, Rutenos, Arvernos subegit, et Franciam usque ad Occidentalem Burgundiæ limitem propagavit, Gothis in illa regione ne oppido quidem relicto.

(d) * Alarici thesauros Carcassone asservatos fuisse, atque inde à Theodorico Italiæ Rege ablatos, testatur Procopius lib. 1. de Bello Goth. cap. 11.

(e) Alii scribunt *Encolismam*, *Ecolisinam*, seu *Engolismam*. Urbs est episcopalis, vulgò *Angoulesme*, satis nota.

(f) Regm *est ingressus*. Ceterùm Chlodoveus cùm bellum istud pararet, à sancto Remigio admonitus, à rebus sacris inviolabiliter abstinendum omnibus mandavit, quæ res ei conciliavit à Deo adversùs hostes victoriam. S. Remigii epistola, et ea quam peracto bello ipse Chlodoveus ad Episcopos de hac re scripsit, etiam nunc supersunt.

(g) [*Multa sanctæ basilicæ B. Martini munera offerens,* desunt in Cod. Clun.]

(h) Bec. et Mor. s. *tunica*, *baltheo*. [Clun. *Turonica blathea*, mendosè.] Retinenda nostra lectio. Tunicæ enim blateæ nomine vestis purpurea indicatur ; quæ maximè Consulem et Augustum decebat. Blata seu blatta purpuram significari patet ex vetustis glossariis antiquisque auctoribus, quos videsis apud Savaronem in notis ad lib. 9. epist. 13. Sidonii, et alibi passim, Brouverum in Fortunati lib. 2. carm. 3. Hugonem Menardum in Sacramentarium S. Gregorii, etc. Hinc Senatus *blattifer* dicitur Sidonio.

(i) Sic Corb. Bell. et alii scripti vetustiores, qui hîc et aliàs ferè semper equos hominibus ferendis destinatos *equites* appellant. Editi et aliquot scripti *equo*.

(k) Editi, *Consul et Augustus*. Contendit Cointius ad annum 508. Gregorium his verbis voluisse Chlodoveum in consortium imperatoriæ dignitatis ab Anastasio fuisse admissum, cùm à Justiniani tempore idem fuerit esse Consulem ac Imperatorem, et, testante Theophane in Historia Miscella cap. 15. Zatus Lazorum Rex, imperatorii nominis consortio à Justino Imperatore obtento, coronam posteà et chlamydem imperatoriam gestaverit. Valesius autem lib. 6. Rerum Franc. *consulis* nomine hîc intelligi putat *patriciatûs* dignitatem, quæ posteà ad Carolum Magnum delata fuit. Favet huic sententiæ titulus capitis in indice etiam vetustissimorum codicum, qui sic habet, *De patriciatu Chlodovei*. Porrò ad nostræ sancti Germani à Pratis Basilicæ januam majorem supersunt etiam nunc veteres aliquot Regum primæ stirpis statuæ, quæ sub Chlodovei nepotibus sculptæ fuerunt, inter quas exstat una Chlodoveum repræsentans vestimentis Consularibus redimitum, cum baculo hypatico, quem manu gestat.

(l) [Cod. Clun. *Parisius*.]

(m) Hoc caput deest in codd. Vatic. Bellov. et Corb. [Deest etiam in Dub.] In Colb. autem habetur alia manu, quamvis antiqua, in margine descriptum. Regm. sic habet, *Denique... octavo post S. Martinum loco Theodorus, etc.* Hic tamen aliis in locis dicitur, ut in ceteris codd. *Licinius*.

CHLODOVEUS.

cupiditate seductus, patrem molitur occidere. Cùmque ille egressus de Colonia civitate, transacto Rheno, per Buconiam (a) silvam ambulare disponeret, meridie in tentorio suo obdormiens, immissis super eum filius percussoribus, eum ibidem interfecit, tamquam regnum illius possessurus. Sed judicio Dei in foveam, quam patri hostiliter fodit, incidit. Misit igitur nuntios ad Chlodovechum Regem, de patris obitu nuntiantes, atque dicentes : *Pater meus mortuus est, et ego thesauros cum regno ejus penes me habeo. Dirige tuos ad me, et ea quæ tibi de thesauris illius placent, bona voluntate transmittam.* Et ille : *Gratias*, inquit, *tuæ voluntati ago, et rogo ut venientibus nostris patefacias, cuncta ipse deinceps possessurus.* Quibus venientibus iste patris thesauros pandit. Qui dum diversa respicerent, ait : *In hanc arcellulam solitus erat pater meus numismata auri congerere. Immitte*, inquiunt illi, *manum tuam usque ad fundum, ut cuncta reperias.* Quod cùm fecisset, et esset valde declinus, unus elevata manu bipennem cerebro ejus inlisit : et sic quæ in patrem egerat indignus incurrit. Quod audiens Chlodovechus, quòd scilicet interfectus esset Sigibertus, et filius ejus ; in eumdem locum adveniens, convocat omnem populum illum, dicens : *Audite quid contigerit. Dum ego*, inquit, *per Scaldem* (b) *fluvium navigarem, Chlodericus, filius parentis mei, patrem suum insequebatur, verbo ferens, quòd ego eum interficere velim. Cùmque ille per Buconiam silvam fugeret, immissis super eum latrunculis, morti tradidit et occidit. Ipse quoque dum thesauros ejus aperit, à nescio quo percussus interiit. Sed in his ego nequaquam conscius sum. Nec enim possum sanguinem parentum meorum effundere : quod fieri nefas est. Sed quia hæc evenerunt, consilium vobis præbeo, si videtur acceptum; convertimini ad me, ut sub mea sitis defensione.* At illi ista audientes, plaudentes tam parmis (c) quàm vocibus, eum clypeo evectum super se Regem constituunt. Regnumque Sigiberti acceptum cum thesauris, ipsos quoque suæ ditioni adscivit. Prosternebat enim quotidie Deus hostes ejus sub manu ipsius, et augebat regnum ejus, eò quòd ambularet recto corde coram eo, et faceret quæ placita erant in oculis ejus.

Circa an. 509.

XLI. Post hæc ad Chararicum Regem (d) dirigit. Quando autem cum Siagrio pugnavit, hic Chararicus evocatus ad solatium * Chlodovechi eminus stetit, neutram (e) adjuvans partem ; sed eventum rei exspectans, ut cui eveniret victoria, cum illo et hic amicitiam conligaret. Ob hanc causam contra eum indignans Chlodovechus abiit, quem circumventum dolis cepit cum filio, vinctosque totondit : et Chararicum quidem Presbyterum, filium verò ejus Diaconem ordinari jubet. Cùmque Chararicus de humilitate sua conquereretur et fleret, filius ejus dixisse fertur : *In viridi*, inquit, *ligno hæ frondes succisæ sunt, nec omninò arescunt ; sed velociter emergent ut crescere queant : utinam tam velociter qui hæc fecit, intereat.* Quod verbum sonuit in aures Chlodovechi, quòd scilicet minarentur sibi cæsariem ad crescendum laxare, ipsumque interficere. At ille jussit eos pariter capite plecti. Quibus mortuis, regnum eorum cum thesauris et populo adquisivit.

* *al.* auxilium.

Circa an. 509.

XLII. Erat autem tunc Ragnacharius (f) Rex apud Camaracum, tam effrenis in luxuria, ut vix vel propinquis quidem parentibus indulgeret. Is habebat Farronem (g) consiliarium, simili spurcitia lutulentum : de quo fertur, cùm aliquid aut cibi, aut muneris, vel cujuslibet rei Regi allatum fuisset, dicere solitum : Hoc sibi suoque Farroni sufficere. Pro qua re Franci maxima indignatione tumebant. Unde factum est, ut datis aureis sibi (h) armillis, vel baltheis Chlodovechus, sed totum adsimilatum auro : (erat enim æreum deauratum sub dolo factum) hæc dedit leudibus (i) ejus, ut super eum invitaretur (k). Porrò cùm

(a) Alii et infrà, *Burconiam* : Buconia silva celebris postmodùm fuit ob monasterium Fuldense, quod ibi ad Fuldam amnem condidit S. Bonifacius Germaniæ Apostolus, Archiepiscopus Moguntinus et martyr sæculo octavo. Erat etiam Buronia silva haud procul à Colonia Agrippina, quæ propior Scaldi fluvio erat quàm Buconia.

(b) [Cod. Clun. *Scandem.... Chlodorichus.*

(c) Editi plerique cum Bec. [et Clun.] *palmis.* Gallos armis concrepare consuevisse cùm Ducis sui orationem approbarent, observat Valesius ex lib. 7. Comment. Julii Cæsaris de bello Gallico. Idem habet Tacitus de Germanis, et Ammianus Marcellinus Romanis.

(d) In omnibus fermè mss. deest hæc vox *Regem.* [Deest quoque in Clun.] Hic tamen infrà regnum habuisse dicitur. Malbrancus lib. 2. cap 38. Chararicum Morinorum Regem laudat.

(e) [Cod. Clun. *neutræ adjuvans parti.*]

(f) Bell. *Ragnarius.* Regm. [et Clun.] *Ranacharius.* Colb. *Ragenharius.* Reg. *Regnacharius.*

(g) Alii cum Corb. *Faronem.* Nonnulli *Pharronem.* De Faronibus vide infrà Notas in cap. 41. Chronici Fredegarii.

(h) Sic Corb. et Chesn. alii editi et mss. *sive armillis.* [Ita Clun.]

(i) Sic Chesn. et mss. omnes, præter Regm. qui habet *legatis.* [Clun. *Leudebus.*] Editi plerique *proditoribus.* Retinenda vox *Leudibus.* Leudes seu fideles suos appellabant Reges nostri vassallos suos, maximè nobiliores, qui nulli præterquàm Principi obnoxii erant. Posteà Barones appellati fuerunt. Vide Bignonium in formulas Marculfi lib. 1. cap. 40. qui jam anteà cap. 18. eosdem *Anstrustiones* quoque fuisse nominatos observarat. Demùm *Vassi* aut *Vassalli* dicti fuerunt. Vide Glossarium Cangii.

(k) Ed. omnes *inimicarentur.*

exercitum

A exercitum contra eum commovisset, et ille speculatores plerumque ad cognoscendum transmitteret, reversis nuntiis interrogat, quàm valida hæc manus foret. Qui responderunt : *Tibi tuoque Farroni maximum est supplementum.* Veniens autem Chlodovechus, bellum contra eum instruit. At ille devictum cernens exercitum suum, fuga labi parat : sed ab exercitu comprehensus, ac ligatis (a) post tergum manibus, in conspectu Chlodovechi unà cum Richario (b) fratre suo perducitur. Cui ille : *Cur,* inquit, *humiliasti genus nostrum, ut te vinciri permitteres? Melius enim tibi fuerat mori :* et elevatam securim capiti ejus defixit. Conversusque ad fratrem ejus, ait : *Si tu solatium* * *fratri tribuisses, alligatus utique non fuisset :* similiter et hunc securi percussum interfecit. Post quorum mortem, cognoscunt proditores eo-
B rum, aurum quod à Rege acceperant esse adulterum. Quod cùm Regi dixissent : ille respondisse fertur. : *Meritò,* inquit, *tale aurum accipit, qui dominum suum ad mortem propria voluntate deducit :* hoc illis quòd viverent debere sufficere, ne malè proditionem dominorum suorum luituri inter tormenta deficerent. Quod illi audientes, optabant gratiam adipisci, illud sibi adserentes sufficere si vivere mererentur. Fuerunt autem supradicti Reges, propinqui hujus : quorum frater, Rignomeris (c) nomine, apud Cenomannis civitatem ex jussu Chlodovechi interfectus est. Quibus mortuis, omne regnum eorum et thesauros Chlodovechus accepit. Interfectisque et aliis multis Regibus, vel parentibus suis primis, de quibus zelum habebat, ne ei regnum auferrent, regnum suum per totas Gallias dilatavit. Tamen congregatis suis, quadam vice (d) dixisse fertur de parentibus, quos ipse perdiderat :
C *Væ mihi, qui tamquam peregrinus inter extraneos remansi, et non habeo de parentibus, qui mihi, si venerit adversitas, possit aliquid adjuvare.* Sed hoc non de morte horum condolens, sed dolo dicebat, si fortè potuisset adhuc aliquem reperire, ut interficeret.

CHLODOVEUS.

* *al.* auxilium.

XLIII. His ita transactis, apud Parisius obiit : sepultusque in basilica sanctorum Apostolorum (e), quam cum Chrotechilde (f) Regina ipse construxerat. Migravit autem post Vocladense bellum anno (g) quinto. Fueruntque omnes dies regni ejus, triginta anni. Ætas (h) tota, quadraginta quinque anni. A transitu ergo sancti Martini usque ad transitum Chlodovechi Regis, qui fuit undecimus annus episcopatus Licinii Turonici Sacerdotis, supputantur anni centum duodecim. Chrotechildis autem Regina post mortem viri sui Turonis venit : ibique ad basilicam sancti Martini deserviens, cum summa pudicitia atque benignitate in hoc loco commorata est omnibus diebus vitæ suæ, rarò Parisius visitans.

An. Chr. 511.

(a) [Clun. *ligatis manibus retrorsum.*]
(b) Cod. Regm. *Rachanario.*
(c) Alii cum Bell. *Regnomeris :* et paullò infrà codices aliquot *Cinomannis.* Editi 4. *Cenomanniam.*
(d) Regm. addit *fidelibus suis.*
(e) Hæc modò sanctæ Genovefæ appellatur, quòd ibi sepulta virgo sacratissima multis miraculis claruerit : estque Abbatia celebris Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, quos ex Victorina Abbatia deductos ibi locavit Sugerius Abbas S. Dionysii.
(f) [Clun. *Crochielde.*]
(g) * Suprà laudatus Abbas Dubos lib. 3. cap. 24. censet Gregorium hanc ideò epocham usurpare, quia nonnisi post pugnam Vocladensem Chlodoveus Turonum et Arvernorum civitates sibi subjecerat, quas hucusque Visigothi possederant.
(h) Hæc verba *ætas tota* 45. *anni,* desunt in codd. Corb. et Regm. Obiit Chlodoveus æræ vulgaris anno 511. qui nec annus CXII. post obitum sancti Martini fuit, si verum sit hunc anno 397. ad superos abiisse : nec Licinii Episcopi XI. cùm Leo Diaconus nomine Veri Episcopi, qui Licinii decessor fuit, Concilio Agathensi anno 506. subscripserit. * Pagius in Dissertatione particulari demonstrat sancti Martini mortem contigisse anno 400. Fortè pro his verbis, *XI. annus episcopatûs Licinii,* legendum *III. annus.*

Explicit liber secundus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. De filiis Chlodovechi.
II. De Episcopatu Dinifii, Apollinaris, atque Quintiani.
III. Quòd Dani Gallias appetierunt.
IV. De Thoringorum Regibus.
V. Quòd Sigimundus filium suum interemit.
VI. De interitu Chlodomeris.
VII. De bello contra Thoringos, et eorum strage.
VIII. De interitu Hermenefridi.
IX. Quòd Childebertus Arvernis abiit.

X. De interitu Amalrici.
XI. Quòd Childebertus et Chlothacharius in Burgundias, Theudericus Arvernis abiit.
XII. De excidio regionis Arvernæ.
XIII. De Lovolautro et Meroliacensi castro.
XIV. De interitu Munderici.
XV. De captivitate Attali.
XVI. De Sigivaldo.
XVII. De Episcopis Turonicis.
XVIII. De interitu filiorum Chlodomeris.
XIX. De sancto Gregorio Lingonensi, et situ Divionensis castri.
XX. Quòd Theudebertus Wisigardem desponsavit.
XXI. Quòd Theudebertus in Provinciam abiit.
XXII. Quòd posteà Deotheriam accepit.
XXIII. De interitu Sigivaldi, et fuga Givaldi.
XXIV. Quòd Childebertus Theudebertum muneravit.
XXV. De bonitate Theudeberti.
XXVI. De interitu filiæ Deotheriæ.
XXVII. Quòd Theudebertus Wisigardem accepit.
XXVIII. Quòd Childebertus cum Theudeberto contra Chlothacharium abiit.
XXIX. Quòd Childebertus et Chlothacharius in Hispanias abierunt.
XXX. De Regibus Hispanorum.
XXXI. De filia Theodorici Regis Italici.
XXXII. Quòd Theudebertus in Italiam abiit.
XXXIII. De Asteriolo et Secundino.
XXXIV. De munere Theudeberti circa Viridunenses cives.
XXXV. De interitu Sirivaldi.
XXXVI. De obitu Theudeberti, et de interitu Parthenii.
XXXVII. De hyeme gravi.

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS.

THEODOR. CHLODOM. CHILDEB. CHLOTAR.

VELIM, si placet, parumper conferre, quæ Christianis beatam confitentibus Trinitatem prospera successerint, et quæ hæreticis eamdem scindentibus fuerint in ruinam. Omittamus autem qualiter illam Abraham veneratur ad ilicem, Jacob prædicat in benedictione (a), Moyses cognoscit in sente, populus sequitur in nube, eamdemque pavescit in monte : vel qualiter eam Aaron portat in logio, aut David vaticinatur in psalmo : orans innovari se per Spiritum-rectum, nec sibi auferri Spiritum-Sanctum, atque se confirmari per Spiritum Principalem. Magnum et ego hîc cerno mysterium, quòd scilicet quem hæretici minorem adserunt, Principalem vox prophetica nuntiavit. Sed (b) his, ut diximus, omissis ad nostra tempora revertamur. Arius enim, qui hujus iniquæ sectæ primus iniquusque inventor fuit, interioribus in secessum (c) depositis, infernalibus ignibus subditur. Hilarius verò beatus individuæ Trinitatis defensor, propter hanc in exsilium deditus, et patriæ paradiso restauratur. Hanc Chlodovechus Rex confessus, ipsos hæreticos adjutorio ejus oppressit, regnumque suum per totas Gallias dilatavit : Alaricus hanc denegans, à regno et populo, atque ab ipsa, quod majus est, vita multatur æterna. Dominus autem se verè credentibus, etsi insidiante inimico aliqua perdant, hîc centuplicata restituit : hæretici verò nec adquirunt (d), sed quod videntur habere, aufertur ab eis. Probavit hoc Godegiseli, Gundobadi, atque Godomari interitus, qui et patriam simul et animas perdiderunt (e). Nos verò unum atque invisibilem,

Psal. 50. 13. *et* 14.

A B

(a) [Clun. *in benedictionem... in sentem... in nubem... in montem... in logium... in psalterium.*]
(b) [Dub. et Clun. *Hæc, ut diximus, omissa.*]
(c) [Clun. *interiora in secessum deposita.*]
(d) Corb. Bel. Casin. [et Clun.] habent *nec adquirunt melius.*
(e) Gundobadus, ut observat Valesius, diu florentissimum regnum obtinuit, ipsumque, morte naturali excedens, filio suo Sigismundo reliquit. * Non loquitur Gregorius de Chilperico Gundobadi fratre, quia Chilpericus religionem Catholicam conservavit.

A immensum, incomprehensibilem, inclytum, perennem, atque perpetuum Dominum confitemur, unum in Trinitate propter personarum numerum, id est Patris et Filii et Spiritûs-Sancti : confitemur et trinum in unitate, propter æqualitatem substantiæ, deitatis, omnipotentiæ, vel virtutis : qui est unus summus atque omnipotens Deus in sempiterna sæcula regnans. THEODOR. CHLODOM. CHILDEB. CHLOTAR.

I. Defuncto igitur Chlodovecho Rege, quatuor filii ejus, id est Theudericus (a), Chlodomeris, Childebertus, atque Chlothacharius (b) regnum ejus accipiunt, et inter se æqua lance dividunt. Habebat jam tunc Theudericus filium, nomine Theudebertum, elegantem atque utilem. Cùmque magna virtute pollerent, et eis de exercitu robur (c) copiosum inesset, Amalaricus filius Alarici, Rex Hispaniæ, sororem eorum in B matrimonium postulat : quod illi clementer indulgent, et eam ipsi in regionem Hispaniæ cum magnorum ornamentorum mole transmittunt (d). An. Chr. 511.

II. Licinio (e) autem urbis Turonicæ defuncto episcopo, Dinifius Cathedram pontificalem ascendit. Apud Arvernis verò post obitum beati Aprunculi (f), sanctus Eufrasius duodecimus Episcopus habebatur. Hic quatuor annos post Chlodovechi obitum vixit, vicesimo-quinto episcopatûs sui anno transiens. Cùmque populus sanctum Quintianum, qui de Rutheno ejectus fuerat, elegisset, Alchima et Placidina (g) uxor sororque Apollinaris, ad sanctum Quintianum venientes, dicunt : *Sufficiat, domine sancte, senectuti tuæ, quòd es Episcopus ordinatus. Permittat*, inquiunt, *pietas tua servo tuo Apollinari locum hujus honoris adipisci. Ille verò cùm ad hunc apicem ascenderit, sicut tibi placitum fuerit, obsequetur : tu quoque imperabis, et* C *ille tuæ parebit in omnibus jussioni : tantùm ut humili suggestioni nostræ aurem tuæ benignitatis accommodes.* Quibus ille : *Quid ego*, inquit, *præstabo, cujus potestati nihil est subditum : sufficit enim ut orationi vacans quotidianum mihi victum præstet Ecclesia.* Illæ autem hæc audientes, Apollinarem ad Regem dirigunt. Qui abiens, oblatis multis muneribus, in episcopatu successit : quo quatuor abutens mensibus, migravit à sæculo. Cùm autem hæc Theuderico nuntiata fuissent, jussit inibi sanctum Quintianum constitui, et omnem ei potestatem tradi Ecclesiæ, dicens : *Hic ob nostri amoris zelum ab urbe sua ejectus est.* Et statim directi nuntii, convocatis Pontificibus et populo, eum in Cathedram Arvernæ Ecclesiæ locaverunt, qui quartus-decimus illi Ecclesiæ præpositus est. Reliqua verò quæ gessit, tam virtutes quàm tempus migrationis ejus, scripta sunt in libro quem de ejus (h) Vita composuimus. An. 515.

D III. His ita gestis, Dani cum Rege suo, nomine Chlochilaicho (i), evectu navali per mare Gallias appetunt. Egressique ad terras, pagum unum de regno Theuderici devastant atque captivant : oneratisque navibus tam de captivis quàm de reliquis spoliis, reverti ad patriam cupiunt. Sed rex eorum in litus residebat, donec naves altum mare comprehenderent, ipse deinceps secuturus. Quod cùm Theuderico nuntiatum fuisset, quòd scilicet regio ejus fuerit ab extraneis devastata, Theudebertum filium suum in illas partes cum valido exercitu ac magno ar- Circa an. 515.

(a) [Clun. *Theodericus, Clodomerus... Clotarius.*]

(b) Sic veteres mss. quamvis aliquando varient, alii *Hlotharius*, seu *Chlotarius*, quod idem est. Ceterùm filii Chlodovei non æquales habuere regni paterni partes. Nam Theodorici portio longè major ceteris fuit. Æqua tamen dici potuit, quòd cùm in dilatandis regni paterni limitibus patris expeditionum fuisset comes, jam sibi aliquid acquisivisse censeri poterat. * *Theudericus* præter provincias Transrhenanas et civitates inter Rhenum et Mosam sitas, obtinuit Remos, Catalaunum, Trecas, et in Aquitania prima urbes Arvernorum, Ruthenorum, Cadurcorum et Albigensium, cum Ucetia in Gallia Narbonensi. *Chlodomeres* Senonas, Autissiodorum, Aureliam, Turonos, Cenomanum, Andegavum et Novempopulaniam. *Childebertus* Meldas, Parisios, Sylvanectum, Bellovacum, quidquid inde patet ad Oceanum, provinciam Lugdunensem secundam integram, civitates Redonum, Nannetum, Venetûm, Britanniam, itemque aliquot urbes Aquitaniæ. *Chlotharius* Laudunum, Suessionem, Veromanduos, Ambianum, quidquid ultra Somonam est inter Mosam et Oceanum, itemque partem Aquitaniæ, ut ex antiquis Scriptoribus colligit Pagius ad an. 514. N. 11.

(c) [Cod. Dub. *rumor copiosus.*]

(d) De hac vide inferiùs cap. 10.

(e) Deest hoc caput in Regio. Porrò ipse Gregorius lib. 10. c. 31. inter Licinium et Dinifium locat Theodorum et Proculum Episcopos è Burgundia, qui è sede sua ejecti, jubente Chlotilde Regina, Licinio defuncto subrogati fuerunt.

(f) Corb. *Abroncoli.* Bell. *Abrunculi.* Colb. *Patrunculi.* [Dub. *Abrincoli.*] De hoc libro 2. cap. 23. et 36. Eufrasius autem subscripsit Concilio I. Aurelian. ac ipsius nomine Concilio Agathensi interfuit Paulinus Presbyter. Colitur die 14. Januarii. De sancto Quintiano sæpiùs agit Gregorius. Vide Vitas Patrum cap. 4.

(g) Regm. *Althima.* Corb. Bell. [et Clun.] *Placidana.* De his infrà cap. 12. Corb. *Apollonaris.* Hic sancti Apollinaris Sidonii filius fuit, qui Arvernorum dux fuerat in prælio Vogladensi, pater Arcadii, de quo infrà cap. 12. etc. Etenim S. Apollinaris Sidonius ex Papianilla Aviti Imp. filia genuit Alcimam et Apollinarem : hic ex Placidina Arcadium, Arcadius verò alteram Placidinam, quæ Leontio juniori, posteà Episcopo Burdigalæ, nupsit. De qua Fortunatus lib. 1. carm. 14. Vide Vales. lib. 7. Rer. Franc pag. 324. et Sirmondi notas in Sidonii epist. 13. lib. 3.

(h) Cap. 4. de Vitis Patrum.

(i) Colb. *Hrodolaico.* Bec. cum. ed. *Chochilaico.* [Clun. *Chlochiliaco.* Dub. *nomen Chodilaicum.*]

THEODOR. CHLODOM. CHILDEB. CHLOTAR.

morum apparatu direxit. Qui interfecto Rege, hostes navali prælio superatos opprimit, omnemque rapinam terræ restituit. A

IV. Porrò tunc apud Thoringos, tres fratres regnum gentis illius retinebant: id est Badericus, Hermenefridus (a), atque Bertharius. Denique Hermenefridus Bertharium fratrem suum vi opprimens, interfecit. Is moriens Radegundem filiam orphanam dereliquit: reliquit autem et alios filios, de quibus in sequentibus scribemus. Hermenefridi verò uxor iniqua atque crudelis, Amalaberga (b) nomine, inter hos fratres bellum civile disseminat. Nam veniens quadam die ad convivium vir ejus, mensam mediam opertam reperit. Cùmque uxorem quid sibi hoc velit interrogaret, respondit: *Qui*, inquit, *à medio regno spoliatur, decet eum mensæ medium habere nudatum.* Talibus et his similibus ille permotus, contra fratrem insurgit, ac per occultos nuntios Theudericum Regem ad eum persequendum invitat, dicens: *Si hunc interficis, regionem hanc pari sorte dividemus.* Ille autem gavisus, hæc audiens, cum exercitu ad eum dirigit. Conjunctique simul fidem sibi invicem dantes, egressi sunt ad bellum. Confligentesque cum Baderico, exercitum ejus adterunt, ipsumque obtruncant gladio, et obtenta victoria, Theudericus ad propria est reversus. Protinus Hermenefridus oblitus fidei suæ, quod Regi Theuderico indulgere pollicitus est, implere despexit, ortaque est inter eos grandis inimicitia. B

An. Chr. 517.

V. Igitur mortuo Gundobado (c), regnum ejus Sigimundus filius ejus obtinuit, monasteriumque Agaunense sollerti cura cum domibus basilicisque ædificavit (d): qui perdita priori conjuge (e), filia Theodorici Regis Italici, de qua filium habebat nomine Sigiricum, aliam duxit uxorem: quæ validè contra filium ejus, sicut novercarum mos est, malignari ac scandalizare cœpit. Unde factum est, ut una sollemnitatum die, cùm puer super eam vestimenta matris agnosceret, commotus felle diceret ad eam: *Non enim eras digna, ut hæc indumenta tua terga contingerent* (f), *quæ dominæ tuæ, id est matris meæ, fuisse noscuntur.* At illa furore succensa, instigat verbis dolosis virum suum, dicens: *Hic iniquus regnum tuum possidere desiderat, teque interfecto, id usque Italiam dilatare disponit, scilicet ut regnum quod avus ejus Theodoricus Italiæ tenuit, et iste possideat. Sit enim quòd te vivente hæc non potest adimplere; et nisi tu cadas, ille non surget.* His et hujuscemodi ille incitatus verbis, uxoris iniquæ consilio utens, iniquus exstitit parricida. Nam sopitum vino dormire post meridiem filium jubet: cui dormienti, orarium (g) sub collo positum, ac sub mento ligatum, trahentibus ad se invicem duobus pueris, suggillatus est (h). Quo facto pater serò jam pœnitens, super cadaver exanime ruens, flere cœpit amarissimè. Ad quem senex quidam sic dixisse fertur: *Te*, inquit, *plange amodò, qui per consilium nequam factus es parricida sævissimus. Nam hunc qui innocens jugulatus est, necessarium non est plangi.* Nihilominùs ille ad sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu et jejuniis durans, veniam precabatur. Psallentium (i) ibi C D

(a) Sic. Corb. et Bellov. alii paullò aliter *Herminefredus*. Colb. *Ermenfredus*. Et Bertharius semel in cod. Corb. dicitur *Bertecarius*. [Dub. *Hermenefredus atque Bertacharius.*]

(b) Sic vetustiores codd. alii *Amalberga*, aut *Almaberga*. Ea erat Amalafridæ sororis Theodorici Italiæ Regis filia ex Procopio lib. 1. Histor. Gotthicæ, quam paullò inferiùs Theudati Regis sororem appellat.

(c) *Petro Consule*, id est anno 516. ex Mario Aventicensi. * Ibi notavimus Gundobadum vixisse usque ad annum 517.

(d) Agaunense monasterium *Florentio et Anthemio Consulibus*, id est anno 515. à Sigismundo constructum fuisse refert Marius Aventicensis, quod de ejus reparatione intelligendum esse suadet Aviti homilia, quæ dicta fuit *in innovatione monasterii ipsius*. Situm est in diœcesi Sedunensis ad radices montis. S. Bernardi: primùm sub regula privata, tum sub Benedictina diu floruit, demùm ad Canonicos Regulares devolutum est. De hoc diximus in Admonitione ad Passionem SS. Mauricii et Sociorum, in Actis Martyrum pag. 288. Hi vulgò *Martyres Agaunenses* appellantur. de quibus Gregorius lib. 1. de Gloria Mart. cap. 75. et 76. * Hadr. Valesius in Not. Gall. pag. 3. observat Agaunum veteres Gallos saxum aut petram lingua sua vocavisse, et hoc nomen loco à rupe aliqua Alpina indidisse. In Passione S. Mauricii legitur: *Agaunum accolis interpretatione Gallici sermonis saxum dicitur.* In Vita S. Romani Abbatis Jurensis: *Quamvis Agaunus vester Gallico priscoque sermone tam primitus per naturam quàm nunc quoque per Ecclesiam veridica præfiguratione Petri petra esse dignoscitur.*

(e) Nomine *Ostrogotha*. Titulus homiliæ 8. S. Aviti ex perditis est *in conversione domni Sigisrici, postridie quàm soror ipsius ex Ariana hæresi est recepta.* [Cod. Dub. *perditam priorem conjugem, filiam Theuderici, etc.* Sic scriptum fuerat in Cod. Clun. sed correctum, *perdita, etc.*

(f) Bochel. *contegerent*. [Ita Dub.]

(g) Editi *lorum*, sed retinenda vox *orarium*, quæ licèt varias sortiatur significationes, propriè tamen pro linteo quodam oblongo, in fasciæ modum efformato, etiam sumitur. Vide Cangii Glossarium, aut Card. Bona de rebus Liturg. lib. 1. cap. 24.

(h) Et hîc editi *suffocatus est*, quod vocabulum, etsi fortè magis aptum rei significandæ, rariùs tamen occurrit in sequioris ævi auctoribus. Occisus est ex Marii Chronico *Simmacho et Boëtio coss.* id est anno 522.

(i) Reg. et Regm. *Psallentium ibi chorum assiduum*, quod etiam in Colb. secunda manu additum legitur. Melior tamen est aliorum mss. et edit. lectio. Hoc

A assiduum instituens, Lugduno regressus est, ultione divina de vestigio eum prosequente. Hujus filiam (a) Rex Theudericus accepit. THEODOR. CHLODOM. CHILDEB. CHLOTAR.

VI. (b) Chrotechildis verò Regina Chlodomerem, vel (c) reliquos filios suos alloquitur, dicens : *Non me pœniteat, carissimi, vos dulciter enutrisse : indignamini, quæso, injuriam meam, et patris matrisque meæ mortem sagaci studio vindicate.* Hæc illi audientes, Burgundias (d) petunt, et contra Sigimundum et fratrem ejus Godomarum dirigunt : devictoque (e) exercitu eorum, Godomarus terga vertit. Sigimundus verò dum ad sanctos Agaunos (f) fugere nititur, à Chlodomere captus cum uxore et filiis captivus abducitur, atque infra terminum Aurelianensis urbis in custodia positus, detinetur. Discedentibusque his Regibus, Godomarus resumtis viribus, Burgundiones colligit, regnumque recipit. Contra quem Chlodomeris iterum ire disponens, Sigimundum interficere destinavit : cui à beato Avito Abbate B Miciacense (g), magno tunc temporis Sacerdote, dictum est : *Si*, inquit, *respiciens Deum, emendaveris consilium tuum, ut hos homines interfici non patiaris, erit Deus tecum ; et abiens victoriam obtinebis : si verò eos occideris, tu ipse in manus inimicorum traditus, simili* (h) *sorte peribis : fietque tibi uxorique et filiis tuis, quod feceris Sigimundo et conjugi ac liberis ejus.* Sed ille auscultare despiciens consilium ejus, ait : *Stultum enim consilium esse puto, ut inimicis* (i) *domi relictis, contra reliquos eam : eisque à tergo, hoc à fronte surgente, inter duos hostium cuneos ruam. Satiùs enim et faciliùs victoria patrabitur, si unus ab olio separetur : quo interfecto, facilè et alius morti poterit destinari.* Statimque interfecto Sigimundo cum uxore et filiis, apud Columnam (k) Aurelianensis urbis vicum, in puteum jactari præcipiens, Burgundias petiit, vocans in solatium (l) Theudericum Regem. Ille au- C tem injuriam soceri sui vindicare nolens (m), ire promisit. Cùmque pariter apud Virontiam (n) locum urbis Viennensis conjuncti fuissent, cum Godomaro confligunt. Cùmque Godomarus cum exercitu terga vertisset, et Chlodomeris insequeretur, ac de suis non modico spatio elongatus esset, adsimilantes illi signum ejus, dant ad eum voces, dicentes : *Huc huc convertere : tui enim sumus.* At ille credens, abiit, inruitque in medium inimicorum suorum : cujus amputatum caput, et conto defixum, elevant in sublime. Quod Franci cernentes, atque cognoscentes Chlodomerem interfectum, reparatis viribus Godomarum fugant, Burgundiones opprimunt, patriamque in suam redigunt potestatem. Nec mora (o), Chlotha-

An. Chr. 523.

An. 524.

An. 524.

autem loco jugem diu noctuque psalmodiam in Agaunensi Ecclesia institutam designari pluribus adversùs Cointium probat noster Mabillonius in præfat. secunda ad Sæc. IV. Benedictinum.

(a) Hæc fuit Suavegotta, de qua Frodoardus lib. 2. Histor. Remensis. Vide infrà Notas ad caput 26. lib. 4.

(b) [Cod. Dub. *Chlodechildis*, alias *Chlodegildis*, et sic semper alterutrum. [Clun. *Chrodicheldis autem.*]

(c) Sic Corb. et Bell. alii et, quod perinde est. Iidem codd. habent *indignate* pro *indignamini*. [Clun. *dulcissimè enutrisse : indignate.*]

(d) [Clun. *Burgundiones.*]

(e) [Clun. *devictumque exercitum.*]

(f) Sic omnes mss. Chesn. *sanctos Agaunenses :* ceteri ed. *saltus Agaunos*. Refert Marius, *Maximo Consule*, id est anno 523. Sigismundum per Burgundiones Francis traditum fuisse, ac in habitu monachali in Franciam perductum; anno autem sequenti Godomarum fratrem ipsi successisse, ac Chlodomerem fuisse interfectum. Confer Vitam S. Sigismundi tomo 1. Maii Bollandiani.

(g) Ed. mendosè *Nutiacense*. Mss. locum non exprimunt, sed habent, *Avito*. [In Clun. deest *Miciacense.*] Aliquot, *Adjuto, Abbate magno*. Anonymus, qui gesta Regum Franc. scripsit sub Theodorico, hæc habet cap. 20. *Beatus autem Avitus, qui erat tunc vir sanctus, Abba in Aurelianensi civitate, deprecabatur Chlodomirum, ut non occideret eos, etc.* Est autem Miciacum Abbatia celebris Ordinis nostri, vulgò *Mici*. Quæ etiam à suo conditore, decessore scilicet Aviti, sancto Maximino, dicitur *saint Mesmin*, duabus circiter leucis ab Aurelianensi urbe dissita, quam hodie Fulienses occupant. S. Aviti festum celebratur die 17. Junii, quo ejus Vita apud Surium habetur.

(h) [Clun. *simili morte.*]

(i) [Clun. *inimicos domui relictos..... eosque à tergo, hunc à fronte surgentes.*]

(k) Cas. et Regm. cum Bad. *Colonia*. [Ita Clun.] Hîc Columellam, vulgò *Coloumelle*, aut certè vicum ei vicinum, vulgò *Coulmiers* dictum, designari putant. Utrique vico, uti observat Valesius in Notitia, vicinus est locus in veteribus chartis dictus *Puteus sancti Sigismundi*, vernaculo idiomate *saint Sigismond*, aut contrahendo *saint-Simond*. Sigismundus nempe non solùm inter Confessores colitur, sed etiam inter Martyres locum obtinuit, pro illorum temporum more, quibus innocui, quacumque de causa interfecti, Martyres appellabantur. Diem ejus festum etiam vetustiora Martyrologia Kalendis Maii celebrant. Ad quam diem ejus Vita à Bollandianis edita est. In ea filii ipsius, simul cum illo interfecti apud *Belsa*, Giscladus et Gundebaudus appellantur ; quorum corpora triennio post eorum necem Venerandus Agauni Abbas, annuente Theodeberto Rege, levata ad monasterium suum transferri curavit. Vide lib. 1. de Gloria Mart. cap. 75. Sigismundi necem *Maximo Consule*, id est anno 523. contigisse scribit Marius in Chronico.

(l) Editi *suppetias*, et sic passim.

(m) Sic Bell. ceteri *volens*, sed mendosè. Nam Theodoricus Chlodomeri suppetias pollicens, nolebat vindicare soceri sui mortem. Sigismundi quippe filiam duxerat uxōrem. Fredegarius tamen epitom. cap. 36. legisse videtur *volens*, cùm ait Chlodomerem à Theoderico fuisse deceptum, quasi ille copias quidem miserit, sed quæ inter præliandum sese Burgundionibus adjunxerint. [In Cod. Clun. desunt, *Ille autem* usque ad *promisit.*]

(n) Sic Corb. et Bell. quem locum Labbeus *Voiron* in Delfinatu interpretatur. Bec. *Visoronitom :* ceteri autem mss. et editi habent *Visorontiam*. [Ita Clun.] Quem Valesius in Notitia et Cointius putant esse *Veseronce*. Qui locus ad Rhodanum situs est inter Viennam et Belicam urbes.

(o) [Clun. *nec moratus Chlotharius.*]

THEODOR. CHILDEB. CHLOTAR.

charius uxorem germani sui, Guntheucam nomine, sibi in matrimonium sociavit : A filios quoque ejus Chrotechildis Regina, exactis diebus luctus, secum recipit ac tenuit : quorum unus Theodovaldus (a), alter Guntharius, tertius Chlodovaldus vocabatur. Godomarus iterum regnum recepit.

Circa an. 528.

VII. Pòst Theudericus non immemor perjurii Hermenefridi Regis Thoringorum, Chlothacharium (b) fratrem suum in solatium suum evocat, et adversùm eum ire disponit, promittens Regi Chlothachario partem prædæ, si eis munus victoriæ divinitus conferretur. Convocatis igitur Francis, dicit ad eos : *Indignamini, quæso, tam meam injuriam, quàm interitum parentum vestrorum* (c), *ac recolite Thoringos quondam super parentes nostros violenter advenisse, ac multa illis intulisse mala, qui datis obsidibus, pacem cum his inire voluerunt* (d) *: sed illi obsides ipsos diversis mortibus peremerunt : et inruentes super parentes nostros, omnem substantiam abstulerunt, pueros per nervum femoris ad arbores appendentes, puellas ampliùs ducentas crudeli nece interfecerunt : ita ut ligatis brachiis super equorum cervicibus, ipsique acerrimo moti stimulo per diversa petentes, diversas in partes feminas diviserunt. Aliis verò super orbitas* (e) *viarum extensis, sudibusque in terram confixis, plaustra desuper onerata transire fecerunt, confractisque ossibus, canibus avibusque eas in cibaria dederunt. Nunc autem Hermenefridus quod mihi pollicitus est fefellit, et omnino hæc adimplere dissimulat. Ecce* (f) *verbum directum habemus : eamus cum Dei adjutorio contra eos.* Quod illi audientes, et de tanto scelere indignantes, uno animo eademque sententia Thoringiam petiverunt. Theudericus autem Chlothacharium fratrem suum, et Theudebertum filium in solatium adsumens (g), cum exercitu abiit. Thoringi verò venientibus Francis dolos præparant. In campo enim, in quo C certamen agi debebat, fossas effodiunt : quarum ora, operta denso cæspite, planum adsimulant campum. In has (h) ergo foveas cùm pugnare cœpissent, multi Francorum equites conruerunt, et fuit eis valde impedimentum : sed pòst cognitum hunc dolum observare cœperunt. Denique cùm se Thoringi cædi vehementer viderent, fugato (i) Hermenefrido Rege ipsorum, terga vertunt, et ad Onestrudem (k) fluvium usque perveniunt. Ibique tanta cædes ex Thoringis facta est, ut alveus fluminis cadaverum congerie repleretur ; et Franci, tamquam per pontem aliquem, super eos in litus ulterius transirent. Patrata ergo victoria regionem

Circa an. 529.

illam capessunt, in suam redigunt potestatem. Chlothacharius verò rediens, Radegundem filiam Bertharii Regis (l) secum captivam abduxit, sibique eam in matrimonium sociavit. Cujus fratrem posteà injustè per homines iniquos occidit. D Illa quoque ad Deum conversa, mutata veste monasterium sibi infra Pictavensem urbem construxit, quæ orationibus, jejuniis, vigiliis atque eleemosynis prædita in tantum emicuit, ut magna in populis haberetur. Cùm autem adhuc supradicti Reges in Thoringia essent, Theudericus Chlothacharium fratrem suum occidere voluit. Et præparatis occultè cum armis viris, eum ad se vocat, quasi secretiùs cum eo aliquid tractaturus, expansoque (m) in parte domûs illius tentorio, de uno pariete in alterum, armatos post eum stare jubet. Cùmque tentorium illud esset brevius, pedes armatorum apparuere detecti. Quod cognoscens Chlothacharius, cum suis armatus ingressus est domum. Theudericus verò intelligens hunc (n) hæc cognovisse, fabulam fingit, et alia ex aliis loquitur. Denique nesciens qualiter dolum suum deliniret, discum ei magnum argenteum pro gratia dedit. Chlothacharius verò vale dicens, et pro munere gratias agens, ad metatum regressus est. Theu-

(a) [Clun. *secum retinuit... Theovaldus.*] Alii *Theotbaldus*. Fallitur itaque Agathias, qui lib. 1. Chlodomerem absque liberis periisse, et Francos, ipso occiso, animo abjecto à Burgundionibus legem accepisse scribit. Obiit Chlodomeris *Justino II. et Opilione coss.* id est an. 524. ex Marii Chronico.

(b) [Cod. Dub. *Chlotharium fratrem suum in solatio suo vocat*]

(c) Cod. Regm. *meorum*. Vide suprà cap. 4.

(d) Idem cod. Regm. [et Clun.] *noluerunt*.

(e) *Orbitas* vetera glossaria ipsasmet vias publicas appellant. *Orbita* quippe est sulcus quem carrorum rotæ seu orbes in viis efformant; Gallicè dicimus *des ornieres*.

(f) Hic loquendi modus passim apud Gregorium occurrit ad exprimendum, aliquid jure et cum ratione suscipi posse : hodieque Gallicè dicimus, *avoir droit d'entreprendre une chose*.

(g) [Clun. *adsumtos.*]

(h) [Cod. Dub. *In his ergo foveis.* Clun. *locum. In his ergo foveis.*]

(i) Addunt editi *præ timore*.

(k) Colb. Cod. *Unstrondem*. Fluvius est Eichsfeldiæ, vulgò ab incolis *Unstrud* dictus, ut observat Browerus in notis ad Fortunatum.

(l) Is erat frater Hermenfredi. Vide suprà cap. 4. Excidium verò Thuringiæ describit, et Radegundis nomine deplorat Fortunatus in Supplementi carm. 1. ubi etiam de ejusdem fratre injustè occiso. Idem Fortunatus librum primum Vitæ S. Radegundis, alteram verò Baudonivia Monialis scripsere, qui habentur in Actis SS. Ord. S. Benedicti Sæc. I. pag. 319. Monasterium verò ab ipsa conditum etiam nunc sub S. Crucis titulo illustre perseverat, Ordini Benedictino addictum. De his infrà non semel, potissimùm lib. 9.

(m) [Dub. et Clun. *expansumque..... tentorium.*]

(n) [Clun. *hunc decognovisse dolum.*]

A dericus verò queritur ad suos, nulla (a) exstanti causa suum perdidisse catinum : et ad filium suum Theudebertum ait : *Vade ad patruum* (b) *tuum, et roga ut munus quod ei dedi, tibi sua voluntate concedat.* Qui abiens, quod petiit impetravit. In talibus enim dolis Theudericus multùm callidus erat. THEODOR. CHILDEB. CHLOTAR.

VIII. Idem verò regressus ad propria, Hermenefridum ad se data fide securum venire præcepit, quem et honorificis ditavit muneribus. Factum est autem dum quadam die per murum civitatis Tulbiacensis confabularentur, à nescio quo impulsus de altitudine muri ad terram conruit, ibique spiritum exhalavit. Sed quis eum exinde dejecerit, ignoramus : multi tamen adserunt Theuderici in hoc dolum manifestissimè patuisse (c). Circa an. 530.

IX. Cùm autem adhuc Theudericus in Thoringia esset, Arvernis sonuit eum
B interfectum fuisse. Arcadius quoque, unus ex Senatoribus Arvernis, Childebertum invitat, ut regionem illam deberet accipere. Ille quoque nec moratus Arvernis vadit. Tantaque in illa die condensa fuit nebula, ut nihil super duabus jugeri partibus discerni posset. Dicere enim erat solitus Rex : *Velim,* inquit, (d) *Arvernam Lemanem, quæ tantæ jocunditatis gratia refulgere dicitur, oculis cernere.* Sed non ei à Deo concessum est. Cùmque portæ civitatis obseratæ essent, et unde ingrederetur pervium patulum non haberet, incisa Arcadius sera unius portæ, eum civitati intromisit. Dum hæc agerentur, nuntiatur Theudericum vivum de Thoringia fuisse regressum.

X. Quod certissimè Childebertus cognoscens, ab Arvernis rediit, in Hispa- An. 531.
niam (e) verò propter sororem suam Chrotechildem (f) dirigit. Hæc verò multas
C insidias ab Amalarico viro suo propter fidem Catholicam patiebatur. Nam plerumque procedente illa ad sanctam Ecclesiam, stercora et diversos fœtores super eam projici imperabat. Ad extremum autem tanta eam crudelitate dicitur cecidisse, ut infectum de proprio sanguine sudarium fratri transmitteret : unde ille (g) maximè commotus, Hispanias appetit. Amalaricus verò hæc audiens, naves ad fugiendum parat. Porrò imminente Childeberto, cùm Amalaricus (h) navem deberet ascendere, ei in mentem venit multitudinem se pretiosorum lapidum in suo thesauro reliquisse. Cùmque ad eosdem petendos in civitatem regrederetur, ab exercitu à portu (i) exclusus est. Videns autem se non posse evadere, ad Ecclesiam Christianorum (k) confugere cœpit. Sed priusquàm limina sancta contingeret, unus emissa manu lancea eum mortali ictu sauciavit, ibique decedens reddidit spiritum.
D Tunc Childebertus cum magnis thesauris sororem assumtam secum adducere cupiebat : quæ nescio quo casu in via mortua est, et posteà Parisius adlata, juxta patrem suum Chlodovechum sepulta est. Childebertus verò inter reliquos thesauros ministeria Ecclesiarum pretiosissima detulit. Nam sexaginta calices, quindecim patenas, viginti Evangeliorum capsas detulit, omnia ex auro puro, ac gemmis pretiosis ornata. Sed non est passus ea confringi. Cuncta enim Ecclesiis et basilicis sanctorum dispensavit, ac tradidit in ministerium (l).

XI. Post hæc Chlothacharius et Childebertus Burgundias petere destinant. Convocatusque Theudericus, in solatio (m) eorum ire noluit. Franci verò qui ad eum adspiciebant, dixerunt : *Si cum fratribus tuis in Burgundiam ire despexeris, te*
E *relinquimus, et illos satiùs sequi præoptamus.* At ille infideles sibi existimans (n) : *Ad Arvernos,* ait, *me sequimini, et ego vos inducam in patriam, ubi aurum et argentum accipiatis, quantùm vestra potest desiderare cupiditas, de qua pecora, de qua mancipia, de qua vestimenta in abundantiam adsumatis : tantùm hos ne sequamini.* His

(a) [Dub. *nullam extantem causam.*]
(b) Editi *patrem.*
(c) Refert Procopius lib. 1. Hist. Gotthicæ Francos occiso Hermenefrido Thuringiam sibi subjecisse.
(d) Sic Bec. Bell. verò et Bad. *unicam,* ceteri *umquam.* Loquitur Gregorius de ea Arverniæ parte, quæ etiam nunc vocatur *La Limagne d'Auvergne,* ubi Clarus-mons, provinciæ caput. De Arverniæ ubertate et jucunditate multa collegit ex variis auctoribus Savaro in notis ad epistolam 21. lib. 4. Sidonii, quem si lubet consule.
(e) Hispaniæ nomine hîc Septimaniam intelligi volunt, Amalaricumque non Barcinonæ, aut Toleti, ut aliquibus placet, sed Narbone fuisse occisum. Quæ enim Wisigotthis parebant, etiam intra veteres Galliarum fines, tunc temporis Hispaniæ nomine frequenter designabantur, ut sexcentis exemplis probari posset. Lege Valesium lib. 7. Rerum Francor. * Isidorus Hispal. in Hist. Goth. et Auctor Appendicis insertæ Chronico Victoris Tununensis, victum quidem Amalaricum dicunt prope Narbonem, sed Barcinone occisum : ibidem interfectum testatur Fredegarius epist. 30. et 42.
(f) Alii *Chrotildem* aut *Crotigeldem.* Bec et Regm. *Clocchildem.* [Clun. *Clotchildem.*] Vide not. in cap. 28. lib. 2.
(g) [Clun. *ille commotus felle.*]
(h) Corb. et Bellov. *Alaricus,* et in capitulorum indice, quamvis aliàs semper eum *Amalaricum* appellent.
(i) Colb. cum omnibus ferè editis *à porta.* [Ita Clun.]
(k) Nota Catholicos appellari Christianos ad Arianorum discrimen.
(l) Sic Casin. alii non habent *in ministerium,* sicut nec editi, [nec Clun. Cod.]
(m) Regm. *solatium.* Editi *auxilium.*
(n) [Clun. *existimans Arvernos, ait.*]

THEODOR. CHILDEB. CHLOTAR. An. Chr. 532.

promissionibus hi inlecti, suam voluntatem facere promittunt. Ille verò illuc transire disponit, promittens iterùm atque iterùm exercitui cunctam regionis prædam cum hominibus in suas (a) regiones transferri permittere. Chlothachariùs verò et Childebertus in Burgundiam dirigunt, Augustodunumque obsidentes, cunctam fugato Godomaro Burgundiam occupaverunt (b). A

XII. Theudericus verò cum exercitu Arvernis veniens, totam regionem devastat ac proterit. Intereà Arcadius sceleris illius auctor, cujus ignaviâ regio devastata est, Bituricas urbem petiit. Erat autem tunc temporis urbs illa in regno Childeberti Regis. Placidina verò mater ejus, et Alchima (c) soror patris ejus, comprehensæ, apud Cadurcum urbem rebus ablatis exsilio condemnatæ sunt. Rex igitur Theudericus ad urbem Arvernam usque accedens, in vici illius suburbano (d) castra fixit. Beatus verò Quintianus his diebus erat Episcopus. Intereà exercitus cunctam circumit miseram regionem illam, cuncta delet, universa debellat. De quibus nonnulli ad basilicam sancti Juliani perveniunt, confringunt ostia, seras removent: resque pauperum, quæ ibidem fuerant adgregatæ, diripiunt, et multa in hoc loco perpetrant mala. Verumtamen auctores scelerum à spiritu immundo correpti, infestis dentibus propriis se morsibus lacerant, clamantes atque dicentes: *Cur nos, Martyr sancte, sic crucias?* sicut in libro Virtutum ejus conscripsimus (e). B

XIII. Lovolautrum (f) autem castrum hostes expugnant, Proculumque Presbyterum, qui quondam sancto Quintiano injuriam intulerat, ad altarium Ecclesiæ miserabiliter interficiunt. Et credo ob illius causam, quòd fuerit ipsum castrum in manibus traditum iniquorum: quod usque in illa die defensatum est. Nam cùm illud hostes expugnare non possent, et ad propria jam redire disponerent, audientes hæc obsessi, jam læti atque securi decipiuntur, sicut ait Apostolus: *Cùm dixerint, pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus.* Denique per ipsius Proculi Presbyteri servum (g), jam securi populi traduntur in manus hostium. Cùmque vastato castello ducerentur captivi, immanis pluvia quæ per triginta dies fuerat abnegata, descendit. Tunc obsessi Meroliacensis (h) castri, ne captivi abducerentur, redemtione data liberantur: sed hæc ignavia eorum effecit; Castrum (i) enim propria natura munitum erat. Nam centenorum aut eo ampliùs pedum ab exciso vallatur lapide, non murorum (k) structione; in medio autem ingens stagnum aquæ, liquore gratissimum: ab alia verò parte fontes uberrimi, ita ut per portam (l) rivus diffluat aquæ vivæ. Sed in tam grandi spatio munitio ista distenditur, ut manentes infra murorum sæpta terram excolant, frugesque in abundantia colligant. Hujus munitionis tutamine elati, qui obsessi erant, egressi foras, ut arrepta (m) aliqua præda, iterum se infra castelli sæpta reconderent, ab hostibus comprehensi sunt. Erant autem quinquaginta (n) viri. Tunc ante ora parentum, vinctis post tergum manibus oblati, imminente jam gladio, adquieverunt obsessi, ne interficerentur, singulos triantes (o) dare in redemtionem suam. Theudericus autem ab Arverno discedens, Sigivaldum parentem suum, in ea quasi pro custodia dereliquit (p). Erat autem ibi tunc temporis quidam Litigius ex monitoribus (q), C D

1. *Thess.* 5. 3.

(a) [Clun. *in suis regionibus.*]

(b) *Justiniano IV. et Paulino Coss.* si Mario credimus, id est anno 534. * Jam tamen Concilio Aurelian. secundo, anno 533. celebrato, subscripserant Agrippinus Augustodun. Episcopus, Julianus Viennensis Episcopus, et Asclepius Presbyter missus ab Adelphio Episcopo Rauracensi. Quæ tres Burgundiæ urbes, Vienna, Augustodunum et Augusta Rauracùm ab Childeberto et Chlothario fuerant occupatæ an. 532. Vide quæ suprà notavimus ad Chronicon Marii Aventicensis Episcopi, pag. 15.

(c) Jam de his cap. 2. hujus libri. Hîc in Reg. pro *Archima*, legitur *Archidima*. [In Cod. Duh. pro *Placidina*, habetur *Placidana*.] Ceterùm non videntur apud Cadurcum comprehensæ, ut innuunt editi: sed in Arvernis comprehensæ Cadurcum in exsilium missæ fuerunt. Arcadius erat sancti Sidonii nepos, ejus scilicet filii Apollinaris filius. Vide suprà cap. 9.

(d) Mss. aliquot *suburbana*. [Ita Dub.]

(e) Cap. scilicet 13. lib. 2. de Mirac. qui est de sancto Juliano, de cujus basilica apud Brivatem urbem loquitur hîc Gregorius.

(f) Cod. Reg. *Novolautrum*. [Dub. *Jovolotrum*.] Cujus situs incertus est. Valesius in Notitia putat esse locum dictum *Volorre*, prope Tigernum *Thiern*, oppidum apud Arvernos. Confer cum hoc capite Vitam S. Quintiani in libro de Vitis Patrum cap. 4.

(g) Cod. Corb. *stuprum*. Bell. mendosè *struum*.

(h) Hunc locum idem Valesius putat esse *Oliergue*, castrum haud procul à Tigerno. Aliis tamen probabilius videtur, hîc designari locum *Chastel Merliac* dictum, qui duobus circiter milliariis à Mauriaco oppido, ob Abbatiam Ordinis Benedictini celebri, dissitus est. Exstat in collis editissimi declivi, unde descensus est per prata in profundam vallem.

(i) [Dub. et Clun. *Caster..... munitus erat.*]

(k) Sic mss. vetustiores; alii cum edit. *sine murorum*. [Ita Dub. et Clun.]

(l) Corb. *per munitionem totam rivus*. At vocabulum *munitionem* alia manu, sed antiquissima, scriptum est.

(m) [Cod. Dub. *ut arreptum aliquid prædæ, iterùm se intra*. Clun. *arrepti aliquid prædæ.*]

(n) Edit. 2. *quingenti*. Omnes tamen mss. habent *quinquaginta*, præter Corb. qui habet *quìnquaginti*.

(o) Editi hìc et passim inferiùs *trientes* semper scribunt. Unde apud Gregorium *trientem* semper haberi observavit Franciscus Pithœus in tit. 37. legis Salicæ.

(p) Confer cum cap. 14. de Mirac. S. Juliani.

(q) Sic Corb. et Bellov. Alii *minoribus*. [Sic Dub.

qui

A qui magnas sancto Quintiano parabat insidias ; et cùm se sanctus Episcopus pedibus ejus prosterneret, nunquam ut se ei subderet movebatur, ita ut et quadam vice uxori quæ Sanctus fecerat pro ridiculo indicaret. Quæ melioris intelligentiæ modo commota, ait ? *Si ita est hodie pessumdatus, numquam erigeris.* Die autem tertia advenientes nuntii de præsentia Regis, vinctum cum uxore ac liberis pariter abduxerunt. Qui abiens nunquam Arvernis regressus est.

XIV. Mundericus igitur, qui se parentem regium (a) adserebat, elatus superbia, ait : *Quid mihi et Theuderico Regi ? Sic enim mihi solium regni debetur, ut illi. Egrediar, et colligam populum meum, atque exigam sacramentum ab eis, ut sciat Theudericus quia Rex sum ego, sicut et ille.* Et egressus cœpit seducere populum, dicens : *Princeps ego sum, sequimini me, et erit vobis bene.* Sequebatur autem eum
B rustica (b) multitudo, ut plerumque fragilitati humanæ convenit, dantes sacramentum fidelitatis, et honorantes eum ut Regem. Quod cùm Theudericus comperisset, mandatum mittit ad eum, dicens : *Accede ad me, et si tibi aliqua de dominatione regni nostri portio debetur, accipe.* Dolosè enim hæc Theudericus dicebat, scilicet ut cùm ad eum venisset, interficeretur. Ille verò noluit dicens : *Ite, renuntiate Regi vestro, quia Rex sum sicut et ille.* Tunc Rex commoveri jussit exercitum, quo oppressus vi puniretur. Quod ille cognoscens, et se non prævalens defensare, Victoriaci castri (c) muros expetens, cum rebus omnibus in eo se studuit communire, his secum quos seduxerat adgregatis. Igitur commoto (d) exercitu castrum vallat, ac per septem dies obsedit. Mundericus autem repugnabat cum suis, dicens : *Stemus fortes, et usque ad mortem pariter dimicemus, et non*
C *subdamur inimicis.* Cùmque exercitus à circuitu in contra jacula transmitteret, nec aliquid prævaleret, nuntiaverunt hæc Regi. At ille misit quemdam de suis, Aregisilum (e) nomine, dixitque ei : *Vides,* inquit, *quòd prævaleat hic perfidus in contumacia sua : vade, et redde ei sacramentum, ut securus egrediatur. Cùm autem egressus fuerit, interfice eum, et dele memoriam ejus à regno nostro.* Qui abiens, fecit juxta quod ei præceptum fuerat. Dederat tamen priùs signum populo, dicens : *Cùm ego hæc et hæc locutus fuero, statim inruentes interficite eum.* Ingressus autem Aregisilus ait Munderico : *Quousque hîc resides tamquam unus ex insipientibus ? Numquid poteris diu Regi resistere ! Ecce* (f) *ablato tibi cibo, cùm te fames oppresserit, ultrò egredieris, et traderis in manus inimicorum, et morieris quasi unus ex canibus : audi potiùs consilium meum, et subde te Regi, ut vivere possis tu et filii*
D *tui.* Tunc ille his mollitus sermonibus ait : *Si egredior, comprehensus à Rege interficior et ego, et filii mei, et omnes amici qui mecum sunt congregati.* Cui Aregisilus ait : *Noli timere, sed si vis egredi, accipe sacramentum de hac culpa, et sta securus coram Rege. Ne timeas, sed eris cum eo, sicut priùs fuisti.* Ad hæc Mundericus respondit : *Utinam securus sim quòd non interficiar.* Tunc Aregisilus positis super altarium sanctum (g) manibus, juravit ei ut securus egrederetur. Dato igitur sacramento, egrediebatur Mundericus de porta castelli, tenens manum Aregisili ; populus autem spectabat (h) à longè adspiciens eum. Tunc pro signo ait Aregisilus : *Quid adspicitis tam intentè, ô populi ? Numquid non vidistis priùs* (i) *Mundericum ?* Et statim inruit populus in eum. At ille intelligens, ait : *Evidentissimè cognosco, quòd feceris per hoc verbum signum populis ad me interficiendum : verumtamen*
E *dico tibi, quia perjuriis me decepisti, te vivum ultrà nullus adspiciet.* Et emissa lancea in scapulas ejus, perfodit eum, ceciditque et mortuus est. Evaginatoque (k) deinceps Mundericus gladio cum suis, magnam stragem de populo illo fecit, et usquequò spiritum exhalavit, interficere quemcumque adsequi potuisset non destitit. Quo interfecto, res ejus fisco conlatæ sunt.

XV. Theudericus verò et Childebertus fœdus inierunt, et dato sibi sacra-

et Clun.] Erant autem Monitores, ut observat Valesius in Præfatione ad tom. 2. Rerum Francic. qui Regis nomine Francis expeditionem denuntiabant, eosque ad bellum compellebant. Dicuntur in legibus Wisigotthorum *Compulsores* ; quorum officium nostrates voce Germanica expresserunt quandoque, *in hostem bannire.*

(a) Sic mss. at editi habent *Regum.* [Dub. *Regis.*]

(b) [Clun. *multitudo Rusticanorum.*]

(c) Hunc locum de Victoriaco apud Arvernos intellexit Aimoinus in lib. 2. at licèt verum sit in ea regione haud procul à Brivate Victoriacum castrum exstitisse, Gregorium tamen de Victoriaco in Campania, vulgò *Vitri,* in diœcesi Catalaunensi, hîc loqui cum Valesio existimamus. [Clun. *Victuriaci.*]

(d) [Clun. *commotus exercitus.*]

(e) Colb. *Archisilum*, et sic semper.

(f) [Dub. *Ecce ablatus tibi cibus.* Clun. *ablatum tibi cibum.*]

(g) Aliquot mss. et editi, *altare sanctum.*

(h) Chesn. cum Bec. *exspectabat.* [Ita cod. Dub.]

(i) Reg. *An numquid non vidistis anteà.* Ed. aliquot cum Bec. *an numquid vidistis priùs.* [Clun. *an numquid non.*]

(k) [Clun. *evaginatumque gladium suum Mundericus cum suis.*]

THEODOR. CHILDEB. CHLOTAR. An. Chr. 533.

mento, ut (a) neuter contra alterum moveretur, obsides ab invicem acceperunt, A quò faciliùs firmarentur quæ fuerant dicta. Multi tunc filii Senatorum in hac obsidione (b) dati sunt : sed orto iterùm inter Reges scandalo, ad servitium publicum sunt addicti. Et quicumque eos ad custodiendum accepit, servos sibi ex his fecit. Multi tamen ex eis per fugam elapsi, in patriam redierunt, nonnulli in servitio sunt retenti : inter quos Attalus nepos beati Gregorii Lingonici Episcopi, ad publicum servitium mancipatus est, custosque equorum destinatus. Erat enim infra Treverici termini territorium cuidam barbaro (c) serviens. Denique beatus Gregorius ad inquirendum eum (d) misit pueros. Quo invento, obtulerunt homini munera, sed respuit ea, dicens : *Hic de tali generatione decem auri libris redimi debet.* Quibus redeuntibus, Leo quidam de coquina domini sui, ait : *Utinam me permitteres, et forsitan ego poteram eum reducere ex captivitate.* Gaviso autem do- B mino, directus venit ad locum : voluitque puerum clam abstrahere, sed non potuit. Tunc locans secum hominem quemdam, ait : *Veni mecum, et venunda me in domo barbari illius, sitque tibi lucrum pretium meum : tantùm liberiorem aditum habeam faciendi id quod decrevi.* Accepto verò sacramento, homo ille abiit, et (e) vendito eo duodecim aureis discessit. Sciscitatus autem emtor à rudi famulo quid operis sciret, respondit : *In omnibus quæ manducari debent* (f) *in mensis dominorum, valde scitus sum operari : nec metuo quòd reperiri possit similis mei in hac scientia. Verum enim dico tibi, quia etiam si Regi epulum cupias præparare, fercula regalia componere possum, nec quisquam me meliùs.* Et ille : *Ecce enim dies solis adest,* (sic enim barbaries vocitare diem Dominicum consueta est,) *in hac die vicini atque parentes mei invitabuntur in domo mea : rogo ut facias mihi prandium quod admi-* C *rentur, et dicant, Quia in domo Regis meliùs non adspeximus.* Et ille, *Jubeat,* inquit, *Dominus meus congregari pullorum gallinaceorum multitudinem, et faciam quæ præcipis.* Præparatis ergo quæ dixerat puer, inluxit Dominica dies, fecitque epulum magnum, deliciisque (g) refertum. Epulantibus autem omnibus, et laudantibus prandium, parentes illius discesserunt. Dominus enim dedit gratiam puero huic, et accepit potestatem super omnia, quæ habebat dominus suus in promtu. Diligebatque eum valde, et omnibus qui cum eo erant ipse dispensabat cibaria et pulmenta. Post anni verò curriculum, cùm jam securus esset dominus illius de eo, abiit in pratum, quod erat domui proximum; cum Attalo puero custode equorum : et decubans in terra cum eo à longè, aversis dorsis, ut non cognosceretur quòd loquerentur simul, dicit puero : *Tempus est enim ut jam cogitare de patria* D *debeamus. Ideòque moneo te, ut hac nocte cùm equos ad claudendum adduxeris, sopore non deprimaris, sed cùm primùm te vocitavero adsis, et ambulemus.* Vocaverat enim Barbarus ille multos parentum suorum ad epulum, inter quos erat et gener ejus, qui acceperat filiam illius. Media autem nocte à convivio surgentibus, et quieti datis, prosecutus est Leo generum domini sui cum potu, porrigens ei bibere, in metatum ejus. Ait itaque ad eum homo : *Dic tu, ô creditor soceri mei, si valeas,* * *al.* equis. *quando* (h) *voluntatem adhibebis, ut adsumtis equitibus* * *ejus eas in patriam tuam?* Hoc quasi joco delectans dixit. Similiter et ille joculariter veritatem respondens, ait : *Hac nocte delibero, si Dei voluntas fuerit.* Et ille : *Utinam,* inquit, *custodiant me famuli mei, ne aliquid de rebus meis adsumas.* Et ridentes discesserunt. Dormientibus E autem cunctis vocavit Leo Attalum (i) : stratisque equitibus interrogat si haberet gladium. Respondit : *Non est* (k) *mihi, nisi tantùm lancea parvula.* At ille ingressus mansionem domini sui adprehendit scutum ejus ac frameam. Quo interrogante quis esset, aut quid sibi velit. Respondit : *Ego sum Leo servus tuus, et suscito Attalum ut surgat velociùs, et deducat equos ad pastum : detinetur enim sopore quasi ebrius.* Qui ait : *Fac ut libet.* Et hæc dicens obdormivit. Ille verò egressus foras, munivit puerum armis, invenitque januas atrii divinitus reseratas, quas in initio noctis cum cuneis malleo percussis obseraverat pro custodia caballorum. Et gratias agens Domino, sumtis reliquis equitibus (l) secum, discesserunt, unum etiam volucrum (m)

(a) [Dub. et Clun. *ut nullus contra alium.*]
(b) Id est, obsides dati sunt.
(c) Id est *Franco.* Quemadmodum enim veteres incolæ dicebantur Romani, ita ceteri, ut jam observavimus, Barbari dicebantur : quod passim apud Gregorium occurrit.
(d) [Dub. et Clun. *pueros destinavit.*]
(e) [Iidem, et *venditum xij.*]
(f) Editi cum Bec. *mandi debent.* [Clun. *mandi possunt vel debent.*]
(g) [Clun. *epulum magnum deliclis magnis refertum.*]
(h) [Dub. *quando enim voluntatem habebis.*]
(i) Edit. *Attalum ex stratu suo. Interrogat, etc.*
(k) [Dub. *Non est mihi necesse.*]
(l) Id est, equis, ut sæpè monuimus.
(m) [Cod. Bellov. *voluclum.* Corb. verò, *voluclum vestimenti tollentes.*

A cum vestimentis tollentes. Venientes autem ad Mosellam (a) fluvium, cùm transirent illum, et detinerentur à quibusdam, relictis * equitibus et vestimentis, enatantes super parma positi amnem, in ulteriorem egressi sunt ripam. Et inter obscura noctis ingressi silvam, latuerunt. Tertia enim nox advenerat, quòd nullum cibum gustantes iter terebant. Tunc nutu Dei reperta (b) arbore plena pomis, quam vulgò prunum (c) vocant, comedunt; et parumper sustentati ingressi sunt iter Campaniæ : quibus pergentibus, audiunt pedibulum equitum currentium, dixeruntque : *Prosternamur terræ, ne appareamus hominibus venientibus.* Et ecce ex improviso stirps rubi (d) magnus adfuit, post quem transeuntes, projecerunt se terræ cum gladiis evaginatis, scilicet ut si adverterentur, confestim se quasi ab improbis (e) framea defensarent : verumtamen cùm venissent in locum illum coram stirpe
B spineo restiterunt : dixitque unus, dum equi urinam projicerent : *Væ mihi, quia fugiunt hi detestabiles, nec reperiri possunt : verùm dico per salutem meam, quia si invenirentur, unum patibulo condemnari, et alium gladiorum ictibus in frusta discerpi juberem.* Erat enim barbarus ille qui hæc aiebat, dominus eorum, de Remensi urbe veniens, et hos inquirens : et reperisset utique in via, si nox obstaculum non præbuisset. Tunc motis equitibus * discesserunt. Hi autem nocte ipsa adtigerunt ad urbem, ingressique invenerunt hominem, quem sciscitati sunt ubinam esset domus (f) Paulelli Presbyteri. Indicavitque eis. Qui dum per plateam præterirent, signum ad (g) Matutinas motum est; erat enim dies Dominica, pulsantesque januam Presbyteri, ingressi sunt. Exposuitque puer de domino suo. Cui ait Presbyter : *Vera est enim visio mea : nam videbam duas in hac nocte columbas advolare, et consedere*
C *in manu mea, ex quibus una alba, alia autem nigra erat.* Dixeruntque (h) pueri Presbytero : *Indulgeat Dominus pro die sua sancta* (i). *Nam nos rogamus, ut aliquid victûs præbeas : quarta enim inlucescit dies, quòd nihil panis pulmentique gustavimus.* Occultatis autem pueris, præbuit eis infusum cum vino panem, et abiit ad Matutinas. Secutusque est et barbarus, iterum inquirens pueros : sed inlusus à Presbytero regressus est. Presbyter enim amicitiam cum beato Gregorio antiquam habebat. Tunc resumtis pueri epulo viribus, per duos dies in domo Presbyteri commorantes, abscesserunt; et sic usque ad sanctum Gregorium perlati sunt. Gavisus autem Pontifex visis pueris, flevit super collum Attali (k) nepotis sui. Leonem autem à jugo servitutis absolvens cum omni generatione sua, dedit ei terram propriam, in qua cum uxore ac liberis liber vixit omnibus diebus vitæ suæ.

D XVI. Sigivaldus (l) autem cùm in Arverno habitaret, multa mala in ea faciebat. Nam et res diversorum pervadebat, et servi ejus non desistebant à furtis, homicidiis, ac superventis (m), diversisque sceleribus : nec ullus mutire ausus erat coram eis. Unde factum est, ut ipse villam (n) Bulgiatensem, quam quondam benedictus Tetradius Episcopus (o) basilicæ sancti Juliani reliquerat, temerario ausu pervaderet. Sed cùm ingressus in domum illam fuisset, statim amens effectus lecto decubuit. Tunc mulier admonita per Sacerdotem, elevatum in basternam, ut in aliam villam transtulit, sanum recepit. Et accedens, exposuit ei omnia quæ pertulerat. Quod ille audiens, vota beato Martyri vovens, ea quæ simplum adstulerat (p), duplicata restituit. Meminimus et hujus virtutis in libro Miraculorum sancti Juliani (q).

THEODOR. CHILDEB. CHLOTAR. * equis. An. Chr. 533.

* equis.

(a) *Mosam* legendum esse vix dubitari potest, ut monet Valesius in Notitia Galliarum. Nam Remorum inter et Trevirorum urbes Mosa interfluit, quæ utramque diœcesim disterminat, et transmissa Mosa statim Campania occurrit, quæ omnia Mosellæ aptari non possunt. Immò quocumque loco Mosellam illi transmisissent, vix eis possibile fuisset hac ipsa die Remos advenire. Cùm tamen mss. omnes et editi habeant Mosellam, Gregorii textum immutare non licuit; maximè cùm certum videatur illos viam rectam secutos non fuisse. Non enim tres erant itineris dies à Treviris ad Mosam, cùm hic fluvius non magis ab urbe Trevirensi quàm à Remensi distet, scilicet decem et octo circiter leucis. [Clun. *fluvium ut transirent, cùm detinerentur.*]

(b) [Dub. et Clun. *repertam arborem plenam.*]

(c) Bell. et alii *pruna.* [Ita Clun.]

(d) [Clun. *stirpis rubi magni apparuit.*]

(e) Corb. et Bell. non habent, *framea.*

(f) [Dub. *domus Pauli Presbyteri.*]

(g) [Clun. *ad Matutinos*, sic infrà.]

(h) [Dub. *Dixitque puer Presbytero.* Clun. *Dixit autem puer Presbytero.*]

(i) Quia scilicet illis temporibus non licebat diebus Dominicis ante Missam quidquam cibi aut potûs sumere.

(k) Is, ut videtur, posteà fuit Comes Æduensis, cui Sidonius scripsit epistolam 18. lib. 5.

(l) Qui suprà cap. 13. à Theodorico Rege pro urbis custodia relictus fuerat.

(m) Editi *super numerum.*

(n) [Dub. *villam Bolgiacensem.*]

(o) Hic fuit Episcopus Bituricensis, ut ex Gregorio ipso discimus lib. 2. Mirac. cap. 14. Dicitur verò à Gregorio *benedictus*, qua voce non cognomen, sed epithetum honoris causa ipsi datum intelligi debet. Sic in lib. de Gloria Conf. cap. 86. *benedictus Agricolaus* : apud Tertullian. lib. de Præscript. *benedictus Eleutherus.* Plura exempla si cupis, adi Sirmondum in epist. 9. lib. 7. Apollinaris Sidonii.

(p) Ed. cum. Bec. *quæ vi abstulerat.* [Ita Dub. et Clun.]

(q) Nimirùm cap. 14.

THEODOR. CHILDEB. CHLOTAR.

XVII. Igitur Dinifio (a) Episcopo apud Turonos decedente, Ommatius (b) A tribus annis præfuit. Hic enim ex jussu Chlodomeris Regis, cujus suprà meminimus, ordinatus est. Illo quoque migrante, Leo (c) septem mensibus ministravit. Hic fuit vir strenuus atque utilis in fabrica operis lignarii. Quo defuncto, Theodorus et Proculus Episcopi, qui de partibus Burgundiæ advenerant, ordinante Chrotechilde Regina, tribus annis Turonicam rexerunt Ecclesiam. Quibus defunctis, Francilio ex Senatoribus substituitur. Anno igitur tertio Episcopatûs sui, cùm Dominici Natalis nox alma populis effulsisset, idem Pontifex priusquàm ad vigilias descenderet, jussit sibi poculum ministrari. Adveniens autem puer, sine mora porrexit. Quo hausto, mox spiritum fudit. Unde indubitatum (d) est veneno eum fuisse necatum. Quo decedente, Injuriosus unus è civibus, quintus-decimus post beatum Martinum, Cathedram Pontificalem sortitus est. B

Circa an. 533.

XVIII. Dum autem Chrotechildis Regina Parisius moraretur, videns Childebertus, quòd mater sua filios Chlodomeris, quos suprà memoravimus, unico affectu diligeret, invidia ductus, ac metuens ne favente Regina admitterentur in regnum, misit clam ad fratrem suum Chlothacharium Regem, dicens : *Mater nostra filios fratris nostri secum retinet, et vult eis regnum dare* (e) *: debes velociter adesse Parisius, et habito communi consilio pertractare oportet, quid de his fieri debeat : utrùm incisa cæsarie ut reliqua plebs habeantur* (f), *an certè his interfectis, regnum germani nostri inter nosmetipsos æqualitate habita dividatur.* De quibus ille verbis valde gavisus Parisius venit. Jactaverat enim Childebertus verbum in populo, ob hoc (g) hos conjungi Reges, quasi parvulos illos elevaturos in regno. Conjuncti autem miserunt ad Reginam, quæ tunc in ipsa urbe morabatur, dicentes : *Dirige parvulos ad nos,* C *ut sublimentur in regno.* At illa gavisa, nesciens dolum illorum, dato pueris esu potuque, direxit eos dicens : *Non me puto amisisse filium, si vos videam in ejus regno substitui.* Qui abeuntes, adprehensi sunt statim, ac separati à pueris et nutritoribus suis, custodiebantur utrique, seorsum pueri, et seorsum hi parvuli. Tunc Childebertus atque Chlothacharius miserunt Arcadium, cujus suprà meminimus (h), ad Reginam, cum forcipe atque evaginato gladio. Qui veniens ostendit Reginæ utraque, dicens : *Voluntatem tuam, ô gloriosissima Regina, filii tui domini nostri expetunt, quid de pueris agendum censeas, utrùm incisis crinibus eos vivere jubeas, an utrumque jugulari.* At illa exterrita nuntio, et nimiùm felle commota, præcipuè cùm gladium cerneret evaginatum ac forcipem, amaritudine præventa, ignorans in ipso dolore quid diceret, ait simpliciter : *Satius enim mihi est, si ad regnum non eriguntur, mor-* D *tuos eos videre quàm tonsos.* At ille parum admirans dolorem ejus, nec scrutans quid deinceps pleniùs pertractaret, venit celeriter nuntians ac dicens : *Favente Regina opus cœptum perficite : ipsa enim vult expleri consilium vestrum.* Nec mora adprehensum Chlothacharius puerum seniorem brachio elisit in terram, defigensque cultrum (i) in axillam crudeliter interfecit. Quo vociferante, frater ejus ad pedes Childeberti prosternitur, adprehensisque ejus (k) genibus, aiebat cum lacrymis : *Succurre, piissime pater, ne et ego peream sicut frater meus.* Tunc Childebertus lacrymis respersa facie, ait : *Rogo, dulcissime frater, ut ejus mihi vitam tua largitate concedas : et quæ jusseris pro ejus anima conferam, tantùm ne interficiatur.* At ille conviciis actum, (l) ait : *Aut ejice eum à te, aut certè pro eo morieris. Tu,* inquit, *es ince-*

(a) Aliquot editi *Dionisio.* Ceterùm hoc capite cum capite ultimo libri 2. et fine libri 10. ubi episcopos Turonenses Gregorius enumerat, collato, patet quàm parum sibi ipsi constet, tum in assignando pontificatûs Episcoporum Turonensium tempore; tum in ordine quo sedem hanc obtinuerunt. Hoc tamen caput habetur in omnibus mss. [Clun. *Turonis.*]

(b) [Dub. *Omacius.*]

(c) [Idem, *IIII. mensibus.*]

(d) [Clun. *indubitandum est.*]

(e) Sic Corb. et Bell. Alii ferè omnes cum editis, *vult eos regno donari.* [Ita Clun.]

(f) De jure Regalis capillitii agit Hotomannus cap. 11. Franco-galliæ. Præclarum est ea de re Agathiæ hominis Græci testimonium, libro I. *Solemne est Francorum Regibus numquam tonderi... cæsaries tota decenter eis in humeros propendet, anterior coma è fronte discriminata in utrumque latus deflexa. Neque verò, quemadmodum Turcis et Barbaris, impexa iis et squalida sordidaque est coma, vel complicatione indecenter cirrata, sed smigmata varia ipsi sibi adhibent, diligenterque curant, idque velut insigne quoddam eximiaque honoris prærogativa regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur, neque eis prolixiorem comam alere facilè permittitur.* Idem pluribus laudat Francorum mores et urbanitatem. Parcior est in iis laudandis Procopius, quòd sæpiùs Imperatorum conatibus obstiterint. Morem nutriendi capillos à Principibus regiæ stirpis receptum non semel inferiùs laudat Gregorius, ut lib. 6. cap. 24. lib. 8. cap. 10. etc. Vide Savaronis et Sirmondi notas in epist. Apollinaris Sidonii, lib. 1. epist. 2.

(g) [Club. *ob hoc nos conjungi.*]

(h) Id est, cap. 9. et 12.

(i) Corb. *defixumque cultrum,* pro *defixoque cultro.* Colb. autem cum Reg. et editis aliquot, habet *ascellam* pro *axillam.* Regm. *sub ascella.* Reg. et Bec. *in ascella.* [Dub. et Clun. *defixumque cultrum in ascella.*]

(k) [Clun. *adprehensaque ejus genua.*]

(l) Sic Corb. Bellov. Bec. Colb. [Dub. et Clun.] At ceteri habent, *at ille furore actus.*

THEODOR. CHILDEB. CHLOTAR.

A *stator* (a) *hujus causæ, et tam velociter de fide resilis?* Hæc ille audiens, repulsum à se puerum projecit ad eum : ipse verò accipiens, transfixum cultro in latere, sicut fratrem priùs fecerat, jugulavit : deinde pueros cum nutritiis peremerunt. Quibus interfectis, Chlothacharius ascensis equitibus * abscessit, parvi pendens de interfectione nepotum : sed et Childebertus in suburbana concessit. Regina verò compositis corpusculis feretro, cum magno psallentio, immensoque luctu usque ad basilicam sancti Petri (b) prosecuta, utrumque pariter tumulavit : quorum unus decem annorum erat, alius verò septennis. Tertium verò Chlodovaldum comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium (c) liberatus est. Is postposito (d) regno terreno, ad Dominum transiit, et sibi manu propria capillos incidens, clericus factus est : bonisque operibus insistens, Presbyter ab hoc mundo migra-
B vit (e). Hi quoque regnum Chlodomeris inter se æqua lance diviserunt. Chrotechildis verò Regina talem se tantamque exhibuit, ut ab omnibus honoraretur : assidua in eleemosynis, pernox in vigiliis; in castitate atque omni honestate puram se semper exhibuit : prædia Ecclesiis, monasteriis, vel quibuscumque locis sanctis necessaria providit, larga ac prona voluntate distribuit, ut putaretur eo tempore non Regina, sed propria Dei ancilla (f) ipsi sedulò deservire. Quam non regnum filiorum, non ambitio sæculi, nec facultas extulit ad ruinam, sed humilitas evexit ad gratiam.

XIX. Erat enim tunc et beatus Gregorius apud urbem Lingonicam, magnus Dei Sacerdos, signis et virtutibus clarus (g). Sed quia hujus Pontificis meminimus, gratum arbitratus sum, ut situm loci Divionensis, in quo maximè erat assi-
C duus, huic inseram lectioni. Est autem castrum firmissimis muris, in media planitie et satis jucunda compositum, terras valde fertiles habens atque fecundas (h), ita ut arvis semel scissis vomere, semina jaciantur, et magna fructuum opulentia subsequatur. A Meridie habet Oscaram fluvium, piscibus valde prædivitem; ab Aquilone verò alius fluviolus (i) venit, qui per portam ingrediens, ac sub pontem decurrens, per aliam rursus portam egreditur, totum munitionis locum placida unda circumfluens : ante portam autem molendinas mira velocitate divertit. Quatuor portæ à quatuor plagis mundi sunt positæ : totumque ædificium triginta-tres turres exornant : murus verò illius de quadris lapidibus usque in viginti pedes, desuper à minuto lapide ædificatus habetur, habens in altum pedes triginta, in latum pedes quindecim. Quæ cur civitas dicta non sit, ignoro (k). Habet enim in cir-
D cuitu pretiosos fontes : à parte autem Occidentis, montes sunt uberrimi, vineisque repleti, qui tam nobile incolis Falernum porrigunt, ut respuant Cabilonum (l). Nam veteres ferunt ab Aureliano hoc imperatore fuisse ædificatum.

* *al.* equis.

(a) Sic iidem mss. cum Chesnio. Reg. habet *inscrutator*. Regm. *incentor*. Editi ut plurimùm *incœptator*. [Clun *incestator hujus, et tam velociter defendere vis?*]

(b) Hodie sanctæ Genovefæ, ut jam suprà monuimus. Hoc scelus circa annum 526. patratum videtur, quod seriùs, anno scilicet 532. aut sequenti, admissum fuisse Valesius contendit.

(c) Viros fortes, quorum ope Chlodoaldus mortem evasit, eos esse, qui posteà vulgò *Barones* appellati sunt, censet Valesius lib. 7. Rerum Francicarum.

(d) [Clun. *postpositum regnum terrenum.*]

(e) Obiit circa annum 560. die 7. Septembris, quo ejus festivitas celebratur. Condidit monasterium in vico, *Novientum* dicto, tribus milliaribus infra Parisios ad Sequanam, qui vulgò hodie dicitur *saint Cloud*. Ubi Ecclesia collegiata, destructo jam pridem monasterio, nunc visitur, in qua ejus sacrum corpus asservatur. Vitam ejus ex ms. cod. S. Germani à Pratis habes in Actis SS. Ord. Benedictini sæculo I. ubi *habitum sacræ religionis* suscepisse a sancto Severino, qui alius est ab Agaunensi Abbate, memoratur num. 8. Johannes Abbas de sancto Flodoaldo subscripsit conventui Attiniacensi sub Pippino Rege anno 765. quem huic monasterio præfuisse non dubitamus. Veteres enim *ch* in litteram *f* nonnunquam mutaverunt.

(f) Id est sanctimonialis. Vide infrà lib. 4. capite 1.

(g) Ejus Vitam scripsit noster Gregorius, * quæ sic incipit : *Igitur sanctus Gregorius ex Senatoribus primis, bene litteris institutus, Augustidunensis civitatis comitatum ambivit : in comitatu autem positus, regionem illam per quadraginta annos, justitia comitante, rexit; et tam severus atque districtus fuit in malefactoribus, ut vix ei ullus reorum posset evadere. Conjugem de genere Senatoris habens, Armentariam nomine.* Is habuit filiam, quæ genuit Armentariam matrem Gregorii Turonensis.

(h) Sic Bell. Regm. [Dub. et Clun.] at ceteri mss. et editi, *terra valde fertilis atque fecunda.*

(i) Hic *Susio* vocatur, qui ex valle cognomine tribus milliaribus supra Divionem exoritur. De Oscara suprà lib. 2. cap. 32.

(k) Nec hodie civitatis jure gaudet Divio, id est Episcopali cathedra non nobilitatur; licèt fuerit Burgundionum Ducum sedes, totiusque provinciæ caput, supremique Senatûs sedes etiam nunc exsistat. * Nunc sedes est Episcopalis ab anno 1731.

(l) Sic habet Corb. In Bellov. et Colb. legitur *Scalononum*, Regm. *Calonum*. Bec. et ceteri cum editis *Scalonum*. [Clun. *Scalonum*, Dub. *Acalonum.*] Corbeiensis lectionem prætulimus. Nam sensus est vina ita generosa nasci Divione, ut Cabilonensibus vinis non indigeant ipsius cives. *Scalonum* tamen pro *Ascalonum* interpretatur Savaro, id est vinum ex urbe Palæstinæ Ascalona advectum, Ascalona quippe vicina erat Gazæ, unde vina Gazitina, de quibus infrà lib. 7. cap. 29. Claudius Robertus ad calcem Galliæ Christianæ anno 1626. editæ plura de Divione habet, ibique col. 59. legendum putat hîc apud Gregorium, *Chalibonium. Nam Chalibonium*, uti refert, *vinum, ut quo solo Persarum Reges uterentur; sicut aqua solius Coaspis, commendatur à Syriæ urbe Chalibone.*

THEODOR. CHILDEB. CHLOTAR.

XX. Theudericus autem filio suo Theudeberto Wisigardem cujusdam Regis (a) filiam desponsaverat. A

XXI. Gotthi verò cùm post (b) Chlodovechi mortem multa de his quæ ille adquisierat (c), pervasissent, Theudericus Theudebertum, Chlothacharius verò Guntharium seniorem filium suum ad hæc requirenda transmittunt. Sed Guntharius usque Ruthenos (d) accedens, nescio qua faciente causa, regressus est : Theudebertus verò usque ad Biterrensem civitatem abiens, Deas (e) castrum obtinuit, atque hinc prædam
An. Chr. 533. diripuit. Deinde ad aliud castrum, nomine Caprariam (f), legatos mittit, dicens, nisi se illi subdant, omnem locum illum incendio concremandum, eosque qui ibidem resident captivandos.

XXII. Erat autem ibidem tunc matrona, Deuteria (g) nomine, utilis valde atque sapiens, cujus vir apud Biterris (h) urbem concesserat. Quæ misit nuntios ad Regem, B dicens : *Nullus tibi, domine piissime, resistere potest. Cognoscimus dominum nostrum : veni, et quod fuerit beneplacitum in oculis tuis facito.* Theudebertus autem ad castrum veniens, cum pace ingressus est : subditumque sibi cernens populum, nihil inibi malè gessit. Deuteria verò ad occursum ejus venit : ait ille speciosam eam cernens, amore ejus capitur, suoque eam copulavit stratui.

XXIII. In illis diebus Theudericus parentem suum Sigivaldum occidit gladio, mittens occultè (i) ad Theudebertum, ut et ille Givaldum (k), filium ejus, neci daret, quem tunc secum habebat : sed quia eum de sacro fonte exceperat, perdere noluit. Litteras verò quas ei pater transmiserat, ipsi ad legendum dedit, dicens : *Fuge hinc, quia patris mei præceptum accepi ut te interficiam : si verò ille defunctus fuerit, et me regnare audieris, tunc securus ad me reverteris.* Quod audiens, C gratias agens, et valedicens, abscessit. Arelatensem enim tunc urbem Gotthi pervaserant, de qua Theudebertus obsides retinebat : ad eam Givaldus confugit. Sed parum se ibidem cernens esse munitum, Latium (l) petiit, ibique et latuit. Dum hæc agerentur, nuntiatur Theudeberto patrem suum graviter ægrotare, et ad quem nisi velociùs properaret, ut eum inveniret vivum, à patruis suis excluderetur, et ultrà illuc non rediret. At ille (m) his auditis, cunctis postpositis illuc dirigit,
An. 534. Deuteria cum filia sua Arvernis relicta. Cùmque abiisset, Theudericus non post multos dies obiit vicesimo-tertio regni sui anno. Consurgentes autem Childebertus et Chlothacharius contra Theudebertum, regnum ejus auferre voluerunt. Sed
THEODEBERTUS. ille muneribus placatis (n), à leudibus suis defensatus est, et in regno stabilitus. Mittens posteà Arvernum, Deuteriam exinde accersivit, eamque sibi matrimonio D sociavit.

XXIV. Videns autem Childebertus, quòd ei prævalere non potuisset, legationem ad eum misit, et ad se venire præcepit, dicens : *Filios non habeo, te tamquam filium habere desidero.* Quo veniente, tantis eum muneribus ditavit, ut ab omnibus miraretur. Nam de rebus bonis tam de armis quàm de vestibus, vel reliquis

(a) Scilicet Wacconis Langobardorum Regis, ut refert Paulus Diac. lib. 1. de Gestis Langob. cap. 21.

(b) [In cod. Dub. hæc nomina sic ferè semper leguntur, *Chlodoveus, Chlotharius, Theudobertus,* sæpiùs *Theodobertus.* In Clun. *Clodovechus, Clotharius, Theodericus, Theodebertus.*]

(c) Theodoricus Italiæ Rex audita Chlodovei victoria apud Vogladum reportata, Ibbam seu Ebbanem Ducem cum copiis in Gallias misit, qui Francis Wisigotthorum regnum invadentibus resisterent : quæ causa fuit, ut Franci soluta Arelatensi obsidione fugati, nihil præter Aquitaniam acquisierint. Theodoricus verò, dimissa Wisigotthis regni parte, regiones ultra Rhodanum sitas, quas Odoacer Eurico Alarici patri dimiserat, occupavit. Bellum exinde ferè continuum fuit inter Chlodoveum et Theodoricum ac eorum successores. Qua tandem occasione ea Galliæ pars Francorum imperio subjecta fuerit, dicetur in notis ad cap. 31. * Quæ loca post Chlodovei mortem acquisierit Theodoricus Rex Italiæ, certò definiri non potest. Illud dumtaxat certum est, illum Rutenos, Gabalos, Vellavos, et fortasse Albigenses suo adjecisse imperio. Arelatensis obsidio nonnisi anno 510. soluta est. Hæc omnia loca Theodebertus anno 533. recuperavit.

(d) [Clun. *Rutenis.*]

(e) Hunc locum Blondellus et alii putant esse *Montadié.* Mavult Valesius hac voce designari *Diou*, in Septimania. [Dub. et Clun. *atque in prædam diripuit.*]

(f) Capraria etiam nunc subsistit, vulgò *Cabriere*, æquali ferè intervallo à Leuteva, Agatha et Biterris distans, sed ad Biterrensem diœcesim attinens, ut observat Valesius.

(g) Mss. nonnulli et quidem vetustiores, *Deoteria.* [Ita cod. Dub.] Valesius tamen legendum censet *Deuteria ;* indeque conjicit hanc mulierem genere Gallam, seu, ut tunc loquebantur, Romanam fuisse. Inscitiæ verò Fredegarium arguit, quod scripserit *Deoteriam,* seu *Teoteriam.* Sed tunc scriptores ita promiscuè litteras *u* et *o*, sicut et *d* et *t* adhibebant, ut vix quidquam certi ex harum litterarum mutationibus statui possit.

(h) Sic mss. omnes cum Chesn. plerique ed. *Biternas.*

(i) [Clun. *occultè nuntios ad.*]

(k) Corb. et Bellov. *Sigivaldum.* [Ita Dub. hîc et infrà.] Regm. *Gilvaldum.*

(l) Cod. Corb. *Italiam*, quod idem est.

(m) [Clun. *Ille hæc audiens, cuncta postposita..... Deuteriam..... relictam.*]

(n) Regm. *illis muneribus pacatis.* Ed. et mss. præter Corb. et Bell. habent *Leodibus.* [Ita Dub. et Clun.] * *Leudes* apud Gregorium Turon. ii dicuntur, qui fideles regis sunt, et qui nulli præterquàm principi obnoxii sunt. *Bign. ad form.* 40 *Marculfi lib.* 1.

A ornamentis, quæ Regem habere decet, terna ei paria condonavit : similiter et de equitibus atque catinis (a). Hæc audiens Givaldus (b) quòd scilicet Theudebertus regnum patris obtinuisset, ad eum de Italia rediit. Cui ille (c) congaudens ac deosculans, tertiam partem ei de muneribus quæ à patruo acceperat, est largitus : et omnia quæ in fisco suus pater posuerat de rebus Sigivaldi patris ejus, ipsi reddi præcepit.

XXV. At ille in regno firmatus, magnum se atque in omni bonitate præcipuum reddidit. Erat enim regnum cum justitia regens, Sacerdotes venerans, Ecclesias munerans, pauperes relevans, et multa multis beneficia pia ac dulcissima accommodans voluntate. Omne tributum, quod fisco suo ab Ecclesiis in Arverno sitis reddebatur, clementer indulsit (d).

B XXVI. Deuteria verò cernens filiam suam adultam valde esse, timens ne eam concupiscens Rex sibi adsumeret, in basterna positam, indomitis bobus conjunctis, eam de ponte præcipitavit, quæ in ipso flumine spiritum reddidit. Hoc apud Viridunum civitatem actum est.

XXVII. Cùmque jam septimus annus esset, quòd Wisigardem desponsatam haberet, et eam propter Deuteriam accipere nollet, conjuncti Franci contra eum valde scandalizabantur, quare sponsam suam relinqueret. Tunc commotus, relicta Deuteria, de qua parvulum filium habebat, Theodobaldum (e) nomine, Wisigardem duxit uxorem. Quam nec multo tempore habens, defuncta (f) illa, aliam accepit. Verumtamen Deuteriam ultrà non habuit.

XXVIII. (g) Childebertus autem et Theudebertus commoventes exercitum, An. Chr. 537.

C contra (h) Chlothacharium ire disponunt. Ille autem hæc audiens, æstimans se horum exercitum sustinere non posse, in silvam confugit (i), et concides magnas in silvis illis fecit, totamque spem suam in Dei pietatem transfundens. Sed et Chrotechildis Regina hæc audiens, beati Martini sepulcrum adiit, ibique in oratione prosternitur, et tota nocte vigilat, orans ne inter filios suos bellum civile consurgeret. Cùmque hi venientes cum exercitibus suis eum obsiderent, tractantes illum die sequenti interficere, mane facto, in loco quo erant congregati, orta tempestas tentoria disjicit, res diripit, et cuncta subvertit; immixtaque fulgura cum tonitruis ac lapidibus super eos descendunt. Ipsi quoque super infectam grandine humum in faciem proruunt, et à lapidibus descendentibus graviter verberantur. Nullum enim eis tegumen remanserat, nisi parmæ tantùm, hoc maximè metuentes ne ab

D ignibus cælestibus cremarentur. Sed et equite * eorum ita dispersi sunt, ut vix * *al.* equi. in vicesimo quoque reperirentur stadio. Multi enim prorsùs ex eis non sunt inventi. Tunc illi, ut diximus, à lapidibus cæsi, et humo prostrati, pœnitentiam agebant, ac precabantur veniam à Deo, quòd ista contra sanguinem suum agere voluissent. Super Chlothacharium verò neque una quidem pluviæ gutta decidit, aut aliquis sonitus tonitrui est auditus : sed nec anhelitum ullius venti in illo loco sensere. Hi quoque mittentes nuntios ad eum, pacem et concordiam petierunt. Qua data, ad propria sunt regressi. Quod nullus ambigat hanc per obtentum Reginæ beati Martini fuisse virtutem.

XXIX. Post hæc Childebertus Rex in Hispaniam abiit. Quam ingressus cum An. 542.

E Chlothachario, Cæsaraugustanam civitatem cum exercitu vallant atque obsident. At illi in tanta humilitate ad Deum conversi sunt, ut induti ciliciis, abstinentes à cibis et poculis, cum tunica beati Vincentii Martyris muros civitatis psallendo

(a) Ms. 1. *catenis* ; [ita Dub.] Ed. *equis et catenis*. Unde Valesius catenarum nomine designari putat torques, quibus, teste Floro Annæo lib. 4. Germaniæ gentes sibi colla adornare solebant. Mor. s. explicat *catinis*, id est *vasis*.

(b) Bell. [et Dub.] ut suprà, *Sigivaldus*.

(c) [Clun. *Quem ille..... fisco suo pater.*]

(d) Vide epistolam Aureliani Episc. Arelat. ad eum scriptam, [in Tomo sequenti,] et Fortunatum lib. 2. Carm. 12. *Magnus* à Mario Aventicensi Episc. aliisque auctoribus dictus est. Tanta autem erat ei animi magnitudo, ut Justiniani Imp. sese in titulis *Francicum*, quasi Francos devicisset, inscribentis vanitatem ferre non valens, expeditionem paraverit in Orientem, ut subjugato imperio, regiæ urbis Constantinopolis expugnatione gentis suæ injuriam vindicaret. Sed morte præventus, rem infectam reliquit. Hæc refert Agathias lib. 1. Historiæ, auctor Græcus illorum temporum.

(e) Sic Bell. et Corb. alii *Theodovaldum*. [Dub. *Theodoboldum*.]

(f) [Clun. *defunctam illam*.]

(g) Sigebertus in Chronico hanc inter Reges Francorum dissensionem narrat anno 540 : sed cùm numeret eum annum post Chlodovei Regis mortem vicesimum-sextum, bellum illud ad annum 537. revocandum.

(h) [Cod. Dub. *contra Flotharium*. Infrà *Chlotharius* scribitur, et sic deinceps.]

(i) Silvæ nomen retulit auctor qui Gesta Francorum scripsit sub Theodorico Principe, his verbis : *In silvam confugit in Arelauno, fecitque combros.* Ubi aliquot editi et scripti pro *Arelauno*, mendosè habent *Auriliano*, quod in errorem conjecit Aimoinum, qui *combros*, id est arborum in silvis concædes, putavit esse vici alicujus nomen pagi Aurelianensis. De saltu Arelauno dicetur infrà, ad caput 24. Chronici Fredegarii.

CHILDEB. CHLOTAR. THEODEB.

circuirent : mulieres quoque amictæ nigris palliis, dissoluta cæsarie, superposito cinere, ut eas putares vivorum funeribus deservire, plangendò sequebantur. Et ita totam spem suam locus ille ad Domini misericordiam retulit (a), ut diceretur ibidem Ninivitarum jejunium celebrari : nec æstimaretur aliud posse fieri, nisi eorum precibus divina misericordia inflecteretur. Hi autem qui obsidebant, nescientes quid obsessi agerent, cùm viderent sic murum circuiri, putabant eos aliquid agere maleficii. Tunc adprehensum unum de civitate rusticum, ipsi interrogant, quid hoc esset quod agerent. Qui ait : *Tunicam beati Vincentii deportant, et cum ipsa, ut eis Dominus misereatur, exorant.* Quod illi timentes, se ab ea civitate removerunt : tamen acquisita (b) maxima Hispaniæ parte, cum magnis hi spoliis in Gallias redierunt (c). A

An. Chr. 531. * *al.* Theuda. An. 548. An. 549.

XXX. Post Amalaricum verò, * Theoda Rex (d) ordinatus est in Hispaniis. Quo interfecto, Theudegisilum levaverunt Regem. Is dum ad cœnam cum amicis suis, epularetur, et esset valde lætus, cùm subitò, exstinctis in recubitu luminaribus (e) ab inimicis gladio percussus interiit : post quem Agila regnum accepit. Sumserant enim Gotthi hanc detestabilem consuetudinem, ut si quis eis de Regibus non placuissent, gladio eum adpeterent : et qui libuisset animo, hunc sibi statuerent Regem. B

XXXI. Et quia Theodoricus Rex Italiæ (f) Chlodovechi Regis sororem in matrimonio habuit, mortuus parvulam filiam cum uxore reliquit. Hæc autem cùm adulta facta esset, per levitatem animi sui, relicto matris consilio, quæ ei Regis filium providebat, servum suum, Traguilanem (g) nomine, accepit, et cum eo ad civitatem, qua defensari possit, aufugit. Cùmque mater ejus contra eam valde frenderet, peteretque ab ea ne humiliaret diutiùs nobile genus, sed dimisso servo similem sibi de genere regio, quem mater providerat, deberet accipere, nullatenus voluit adquiescere. Tunc mater ejus contra eam frendens, exercitum commovit. At illi venientes super eos, Traguilanem interfecerunt gladio, ipsam quoque cædentes in domum matris reduxerunt. Erant autem sub Ariana secta viventes. Et quia consuetudo eorum est, ut ad altarium venientes, de alio calice Reges communicent, et de alio (h) populus minor, venenum in calice illo posuit de quo mater communicatura erat. Quo illa hausto, protinus mortua est : non enim dubium est tale maleficium esse de parte diaboli. Quid contra hæc miseri hæretici respondebunt, ut in Sancta (i) eorum locum habeat inimicus? Nos verò Trinitatem in una æqualitate pariter et omnipotentia confitentes, etiam si mortiferum bibamus, in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti, veri atque incorruptibilis C

(a) Cod. Bell. et Regm. cum editis plerisque, *ad Dominum misericordiæ contulit.* Boch. s. *Dominum misericordem.*

(b) [Clun. *adquisitam maximam Hispaniæ partem.*]

(c) Anonymus, qui sub Theodorico Rege scripsit Gesta Francorum, refert Childebertum urbis Episcopum accersivisse, ab eoque aliquid ex B. Vincentii reliquiis postulasse. *Qui*, inquit, *dedit ei stolam ejus. Tunc adquisita, etc. Childebertus verò Parisius veniens, Ecclesiam in honore B. Vincentii martyris ædificavit.* Hæc fuit occasio celeberrimæ basilicæ exædificandæ, quæ etiam S. Crucis nomine insignita apud Fortunatum in lib. de Vita S. Germani, posteà Regum nostrorum, stirpisque regiæ Principum conditorium fuit, ut passim Gregorius memorat. Nunc sub S. Germani à Pratis nomine nota est, de qua non semel inferiùs agendum. Porrò Victor Tunnonensis in expeditionis hujus narratione non dissentit à Gregorio : at qui posteà subsecuti sunt Hispani auctores, magnam cladem ea occasione Francis à Theodisclo Duce illatam fuisse scribunt. Vide Cointium ad an. 542. * Hujus cladis meminit Isidorus Hispal. in Chronico; meminit et Chronologia Regum Gothorum ex codice mss. monasterii Moissiadensis eruta.

(d) [Cod. Dub. *Theuda Rex..... quem interfectum, Chrodeghisselum.* Clun. *Theuda Rex....: quem interfectum, Theodegisilum.*]

(e) Sic Bell. et Corb. ceteri cum ed. *cereis subitò exstinctis in recubitu ab, etc.* [Ita Dub. et Clun.] Hanc pessimam occidendorum Regum licentiam exstirpare conati sunt Hispaniarum Episcopi variis in conciliis, uti observavit Cointius ad an. 584.

(f) Theodoricus, cognomento Magnus, Ostrogotthorum Rex, obiit *Olybrio Cons.* ex Mario, id est an. 526. Ex Anaflede Chlodovei sorore, non filia, ut quidam volunt, suscepit Amalasuntham, apud ejus ævi scriptores celebrem, quæ nupsit Eutharico, viro principi ex nobili Amalorum stirpe. Hæc autem post patris simul et viri obitum, Athanagildi filii sui, qui nondum administrando regno par erat, tutelam suscepit, eoque defuncto, ad Theodatum seu Theodahadum, qui ex stirpe regia erat, sceptrum transferri curavit. Sed ille beneficii accepti immemor, Amalasuntham in insulam laci Volsiniensis exsulare coëgit, ac paullò posteà strangulari jussit. Cujus mortis ulciscendæ specie Justinianus bellum in Gotthos movit, quod Procopius et alii auctores fusiùs describunt, et tandem Gotthis fatale fuit. Ex his patet quantùm à vero aberraverit Gregorius in hoc capite, quod tamen in omnibus mss. et editis, et quidem integrum, habetur.

(g) Colb. et aliquot ed. *Trauvillanem.* Bell. *Traquillanem.* Regm. *Straguilonem.* Vide Fredegarium cap. 44.

(h) Mos adhuc sæculo 8. in Romana Ecclesia vigebat, ut ex unico calice omnibus porrigeretur communio, ut colligere licet ex epistola 9. Gregorii II. ad sanctum Bonifacium Moguntinum, ubi Pontifex scribit congruum non esse *duos vel tres calices in altario ponere cùm Missarum sollemnia celebrantur.*

(i) Sic omnes mss. præter Bell. qui prima manu habet *Scâm*, et alia manu *sectam;* quam vocem habet edit. 1. sed retinenda est vox *Sancta.* Quo nomine intelligitur sacra Eucharistia et quidem hîc sub unica specie. Lege Mabillonii Commentarium prævium in Ordinem Romanum tomo 2. Musei Italici.

Dei,

CHILDEB. CHLOTAR. THEODEB.

A Dei, nihil nos nocebit. Indignantes ergo Itali contra hanc mulierem, Theodadum Regem Tusciæ invitantes, super se Regem statuunt. Hic verò cùm didicisset quæ meretrix ista commiserat, qualiter propter servum, quem acceperat, in matrem exstiterat parricida, succenso (a) vehementer balneo, eam in eodem cum una puella includi præcepit. Quæ nec mora, inter arduos vapores ingressa, in pavimento conruens, mortua atque consumta est. Quod cognoscentes hi Reges Childebertus et Chlotacharius consobrini ejus, necnon et Theudebertus, quòd scilicet tam turpi fuerit interfecta supplicio, ad Theodadum legationem dirigunt, exprobrantes de morte ejus, atque dicentes : *Si hæc quæ egisti nobiscum non composueris, regnum tuum auferemus; et simili pœna te damnabimus.* Tunc ille timens, quinquagena eis
B millia aureorum transmisit (b). Childebertus autem, ut erat semper contra Chlotacharium Regem invidus atque versutus, cum Theudeberto nepote suo conjunctus, diviso (c) inter se hoc auro, nihil exinde dare Regi Chlotachario voluerunt. At ille super thesauros Chlodomeris adgressus, multum illis ampliùs quàm hi fraudaverant, abstulit.

An. 534.

XXXII. Theudebertus verò in Italiam abiit (d), et exinde multum adquisivit. Sed quia loca illa, ut fertur, morbida sunt, exercitus ejus in diversis febribus conruens, vexabatur. Multi enim ex his in illis locis mortui sunt. Quod videns Theudebertus, ex ea reversus est, multa secum spolia ipse, vel sui deferentes : dicitur tamen tunc temporis usque Ticinum accessisse civitatem, in qua Buccellinum (e) rursùm direxit. Qui minore illa Italia (f) capta, atque in ditionem Regis ante-
C dicti redacta, majorem petiit : in qua contra Bellissarium (g) multis vicibus pugnans, victoriam obtinuit. Cùmque Imperator vidisset, quòd Bellissarius crebriùs vinceretur, amoto eo, Narsetem in ejus locum statuit. Bellissarium verò Comitem stabuli, quasi pro humilitate, quòd priùs fuerat, posuit. Buccellinus verò contra Narsetem magna certamina gessit : capta (h) omni Italia, usque in mare terminum dilatavit : thesauros verò magnos ad Theudebertum de Italia direxit. Quod cùm Narses Imperatori posuisset in notitiam, Imperator conductis pretio gentibus, Narseti solatium mittit; confligensque posteà victus abscessit. Deinceps verò Buccellinus Siciliam occupavit, de qua etiam tributa exigens, Regi transmisit. Magna enim ei felicitas in his conditionibus fuit.

An. 539.

An. 547.

D XXXIII. Asteriolus (i) tunc et Secundinus magni cum Rege habebantur. Erat autem uterque sapiens, et rhetoricis imbutus litteris. Sed Secundinus plerumque legationem Imperatori a Rege missus intulit; et ob hoc jactantiam sumserat, ac nonnulla contra rationem exercebat. Qua de causa factum est, ut inter illum atque Asteriolum lis sæva consurgeret : quæ usque ad hoc profecit, ut oblitis verborum objectionibus propriis se manibus lacerarent (k). Cùmque hæc per Regem pacificata fuissent, et Secundinus adhuc de sua cæde tumeret (l), nata est inter eos rursum intentio *. Et Rex suscipiens Secundini causam, Asteriolum in ejus potestatem (m) dedidit. Qui valde humiliatus est, et ab honore depositus : sed per Wisigardem Reginam iterum est restitutus. Mortua autem illa, consurgens iterum

* *al.* contentio.

(a) [Codex Cluniac. *succensum vehementer balneum.*]

(b) Non ea occasione, quæ fabulosa est, uti diximus, pecunias Francorum Regibus dedit Theodatus : sed ingentem tamen eis summam pollicitus fuerat cum Provincia ac aliis regionibus, quas Ostrogotthi in Gallis possidebant, ut eorum opem adversùs Justinianum imploraret. Sed re adhuc infecta Vitiges Theodato substitutus, non solùm pecunias ac regiones pollicitas Francis tradidit; sed etiam Alamannos, qui post Tolbiacense prælium in Italiam profugi sedes à Theodorico acceperant, eorum dominio subjecit, ut scribit Agathias.

(c) [Clun. *divisum inter se hoc aurum.*]

(d) Sic et Marius ad an. 539. quo scilicet Apio erat Consul. Plura de hoc bello Procopius, qui Francos violatæ fidei accusat, quòd post susceptas à Justiniano legationes ac munera, sese tamen Gotthis conjunxissent; aut potiùs Gotthis ac Romanis inter sese certantibus, ipsi utrisque infesti Italiæ partem maximam diripuissent ac invasissent.

(e) Reg. et omnes fermè editi *Buccilenum;* [ita Clun.] Hunc *Butilinum* Procopius et Agathias appellant. Is erat natione Alemannus, cùmque in ejus exercitu Franci simul permixti essent cum Alemannis, quorum plerique nondum Christiani, aut certè variis superstitionibus adhuc dediti erant, Procopius contra Francorum mores passim scribit. At multò æquior est Agathias lib. 1. qui ait : *Non enim feri sunt Franci, ut multi barbarorum, etc. Christiani enim sunt rectissimarum sententiarum, etc.*

(f) Minorem Italiam appellat Gregorius Liguriam ac Venetiam, ut observat Valesius lib. 8. Rerum Francicarum. [Dub. et Clun. *Qui minorem illam Italiam captam, atque..... redactam.*]

(g) Sic editi, et cod. Regm. semel. Sed alii mss. etiam vetustissimi, semper habent *Belsuarium.* [Ita Dub. et Clun.] Hic autem famosus ille Belisarius designatur, de quo, sicut et de Narsete eunucho, plura dicere supervacaneum esset. [Dub. habet *Narsitem*, et infrà *Narsis.*]

(h) [Clun. *captam omnem Italiam.*]

(i) Reg. *Etteriolus* semel, tum *Atteriolus.* Secundinus verò is esse videtur, quem ob spretam Johannis Reomaensis Abbatis epistolam divinitùs fuisse punitum memorat Jonas in Vita ejusdem sancti lib. 2. cap. 1. ubi dicitur *Secundinus patricius.*

(k) Sic Corb. et Bellov. Alii cum editis, *verberarent.* [Ita Clun.]

(l) Sic iidem codd. cum Bec. Reg. et Regm. Colb. *tumuerat.* Editi *timeret.*

(m) [Clun. *potestate dedit.*]

CHILDEB. CHLOTAR. THEODEB.

Secundinus, eum interfecit. Nam hic moriens filium dereliquit. Qui cùm crevisset, et esset adultus, cœpit patris sui velle injuriam vindicare. Tunc Secundinus timore perterritus, dum de villa in villam ante eum fugeret, cùm se jam videret eo imminente non posse evadere; ne in manus inimici conrueret, veneno se, ut dicitur, interfecit. A

XXXIV. Desideratus autem Viridunensis Episcopus (a), cui Theudericus Rex multas inrogavit injurias, cùm post multa exitia, et damna atque ærumnas, ad libertatem propriam jam Domino jubente rediisset, et episcopatu, ut diximus, apud Viridunensem urbem potiretur, videns habitatores ejus valde pauperes atque destitutos, dolebat super eis : et cùm ipse per Theudericum de rebus suis remansisset extraneus, nec haberet de proprio qualiter eos consolaretur, bonitatem et clementiam circa omnes Theudeberti Regis cernens, misit ad eum legationem, B dicens : *Fama bonitatis tuæ in universam terram vulgatur, cùm tanta sit tua largitas, ut etiam non petentibus opem præstes : rogo, si pietas tua habet aliquid de pecunia, nobis commodes, qua cives nostros relevare valeamus. Cùmque hi negotium exercentes, responsum* (b) *in civitate nostra, sicut reliquæ habent, præstiterint, pecuniam tuam cum usuris legitimis reddemus.* Tunc ille pietate commotus, septem ei millia aureorum præstitit. Quæ ille accipiens, per cives suos erogavit. At illi negotia exercentes, divites per hoc effecti sunt, et usque hodie magni habentur. Cùmque antedictus Episcopus debitam pecuniam obtulisset Regi, respondit Rex : *Non habeo necessarium hoc recipere : illud mihi sufficit, si dispensatione tua pauperes, qui opprimebantur inopia, per tuam suggestionem vel per meam largitatem sunt relevati.* Et nihil exigens, antedictos cives divites fecit. C

XXXV. Defuncto autem apud urbem supradictam memorato antistite, Agiricus quidam (c) è civibus in cathedram ejus subrogatur. Siagrius (d) autem filius ejus reminiscens injurias patris, qualiter à Sirivaldo ad Regem Theudericum incusatus, non solùm spoliatus, verùm etiam suppliciis affectus fuisset, oppressum cum armata manu Sirivaldum taliter interfecit. Tunc mane facto, cùm nebula esset condensa, et vix adhuc disrumpentibus tenebris aliquid quis posset discernere, venit ad villam ejus in Divionensi territorio, cui nomen est Floriacum (e) : egressoque domum uno amicorum, putantes ipsum Sirivaldum esse, interfecerunt eum : et revertentibus (f), quasi victoriam obtinuissent de inimico, indicat eis unus ex familia, non eos dominum interfecisse, sed subditum. At illi regressi, requirentes eum, cellulam in qua dormire solitus erat, repertam adgrediuntur. Ad cujus ostium D diutissimè pugnantes, nihil ei poterant prævalere. Dehinc (g) eruto ab uno latere pariete ingredientes, gladio eum interfecerunt. Post mortem enim Theuderici hic interfectus est.

XXXVI. His denique gestis Theudebertus Rex ægrotare cœpit. Ad quem medici multa studia impenderunt : sed nihil valuit, quia eum jam Dominus vocari jubebat. Ergo cùm diutissimè ægrotasset, ab ipsa infirmitate deficiens, reddidit
An. Chr. 547. spiritum. Franci verò cùm Parthenium in odio magno haberent, pro eo quòd eis tributa antedicti Regis tempore inflixisset, eum persequi cœperunt. Ille verò in periculo positum se cernens, confugium ab urbe facit, et à duobus Episcopis suppliciter exorat, ut eum ad urbem Trevericam deducentes, populi sævientis seditionem sua prædicatione comprimerent. Quibus euntibus, nocte dum in stratu E suo decumberet, subitò per somnium vocem magnam emittit, dicens : *Heu, heu! succurrite qui adestis, et auxilium ferte pereunti.* A quo clamore expergefacti qui aderant, interrogant quid hoc esset. Respondit ille : *Ausanius amicus meus cum Papianilla* (h) *conjuge, quos olim interfeci, ad judicium me arcessebant, dicentes : Veni ad respondendum, quia causaturus es nobiscum coram Domino.* Zelo enim ductus ante (i) annos aliquot conjugem innocentem, amicumque peremerat. Igitur accedentibus Episcopis ad antedictam urbem, cùm strepentis populi seditionem

(a) S. Vitono successit, subscripsitque Concilio Arvernensi anno 535. et Aurelianensi V. an. 549. obiit an. 550. *Sanctus* dicitur à Wasseburgio.

(b) Sic. mss. Ed. verò *sponsionem*.

(c) [Clun. *quidam unus ex civibus.*]

(d) Reg. Colb. et Bad. *Siacrius*. Et infrà pro *Sirivaldo* aliquot editi et mss. *Sirivuldo*. Siagrius autem filius fuit Desiderati, qui injurias, de quibus cap. præcedenti, quas pater sub Theodorico pertulerat, ultus est. De Agerico plura inferiùs.

(e) Vicus ad Oscaram fluvium in diœcesi Lingonensi, vulgò *Florey*. Pertinet ad monasterium Cabilonense sancti Marcelli.

(f) Regm. *exsultantibus eis*.

(g) [Dub. et Clun. *erutum ab uno latere pariete.*]

(h) Colb. *Papia illius conjuge*. Sed mendosè : nam patet ex sequentibus Papianillam Parthenii ipsius uxorem fuisse, quam zelotypia laborans occiderat.

(i) [Clun. *ante hos annos.*]

A ferre non possent, eum in Ecclesia abdere voluerunt, scilicet ponentes eum in arca, et desuper sternentes vestimenta, quæ erant ad usum Ecclesiæ. Populus autem ingressus, perscrutatusque universos angulos Ecclesiæ, cùm nihil reperisset, frendens egrediebatur. Tunc unus ex suspicione locutus, ait : *En arca, in qua non est inquisitus adversarius noster.* Dicentibus verò custodibus, nihil in ea aliud nisi ornamenta Ecclesiæ contineri; illi clavem postulant, aientes : *Nisi reseraveritis velociùs, ipsi eam sponte confringimus.* Denique reserata arca, amotis linteaminibus, inventum extrahunt, plaudentes atque dicentes : *Tradidit Deus inimicum nostrum in* (a) *manus nostras.* Tunc cædentes eum pugnis, sputisque perurgentes (b), vinctis post tergum manibus ad columnam lapidibus obruerunt. Fuit autem in cibis valde vorax : sed quæ sumebat, quò celeriùs ad manducandum commoveretur, sumto aloë velociter digerebat : sed et
B strepitus ventris absque ulla auditorum reverentia in publico emittebat. Hoc ergo exitu consummatus interiit.

CHILDEB. CHLOTAR. THEODEB.

XXXVII. Gravem eo anno et solito asperiorem hyemem fecit (c), ita ut torrentes concatenati gelu, pervium populis iter, tamquam reliqua humus, præberent. Aves quoque rigore affectæ vel fame, absque ullo hominum dolo, cùm magnæ essent nives, manu capiebantur. A transitu igitur Chlodovechi usque in transitum Theudeberti, computantur anni triginta-septem (d). Mortuo ergo Theudeberto, quarto-decimo regni sui anno, regnavit Theodobaldus (e) filius ejus pro eo.

An. Chr. 547.

(a) [Dub. et Clun. *in manibus nostris.*]
(b) Sic mss. at plerique editi *perungentes.*
(c) Phrasis est Gallica, quam habent mss. omnes, præter Bec. qui cum ed. habet, *Gravis..... asperior hiems fuit.*
(d) Col. *triginta sex.* * Anni triginta septem incompleti intelligendi sunt, sicut et anni quatuordecim regni Theodeberti. Aimoinus lib. 2. cap. 45. annos tredecim Theodeberto assignat, quia scilicet eos integros enumerat.
(e) Sic Bec. alii *Theodovaldus.* [Ita Dub. et Clun.] Vide suprà cap. 27.

Explicit liber tertius.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

I. De obitu Chrothechildis Reginæ.
II. Quòd Chlothacharius Rex tertiam partem fructuum Ecclesiis auferre voluit.
III. De uxoribus et filiis ejus.
IV. De Britannorum Comitibus.
V. De sancto Gallo Episcopo.
VI. De Catone Presbytero.
VII. De Episcopatu Cautini.
VIII. De Hispanorum Regibus.
IX. De obitu Theodobaldi Regis.
X. De rebellione Saxonum.
XI. Quòd Catonem ex jussu Regis ad Episcopatum Turonici petierint.
XII. De Anastasio Presbytero.
XIII. De levitate et malitia Chramni; et de Cautino ac Firmino.
XIV. Quòd Chlothacharius contra Saxones ivit altera vice.
XV. De Episcopatu sancti Eufronii.
XVI. De Chramno et satellitibus ejus, et malis quæ gessit; vel qualiter Divionem advenit.
XVII. Quòd Chramnus ad Childebertum transiit.
XVIII. De Austrapio Duce.
XIX. De obitu sancti Medardi Episcopi, et ejus sepultura.
XX. De obitu Childeberti, et interitu Chramni.
XXI. De obitu Chlothacharii Regis.
XXII. Divisio regni inter filios ejus.
XXIII. Quòd Sigibertus contra Chunos abiit; et Chilpericus civitates ejus pervasit.
XXIV. De Patriciatu Celsi.
XXV. De uxoribus Guntchramni.
XXVI. De uxoribus Chariberti.
XXVII. Quòd Sigibertus Brunichildem accepit.

XXVIII. De uxoribus Chilperici.
XXIX. De secundo Sigiberti contra Chunos bello.
XXX. Quòd Arverni ad capiendam Arelatensem urbem jussu Sigiberti Regis abierunt.
XXXI. De Taureduno castro, et aliis signis.
Nova. * *XXXII. De Juliano monacho.*
* *XXXIII. De Sunniulfo Abbate.*
* *XXXIV. De Burdigalensi monacho.*
* *XXXV. De Episcopatu Aviti Arverni.*
* *XXXVI. De sancto Nicetio Lugdunensi.*
* *XXXVII. De sancto Friardo recluso.*
al. XXXII. *XXXVIII. De regibus Hispanorum.*
al. XXXIII. *XXXIX. De imperio Justini.*
al. XXXIV. *XL. De interitu Palladii Arverni.*
al. XXXV. *XLI. Quòd Alboinus cum Langobardis Italiam occupavit.*
al. XXXVI. *XLII. De Eunii cognomento Mummoli origine.*
al. XXXVII. *XLIII. De bellis Mummoli cum Langobardis.*
al. XXXVIII. *XLIV. De Archidiacono Massiliensi.*
al. XXXIX. *XLV. De Langobardis et Mummolo.*
al. XL. *XLVI. Quòd Mummolus Turonis venit.*
al. XLI. *XLVII. De interitu Andarchii.*
al. XLII. *XLVIII. Quòd Theodobertus civitates pervasit.*
al. XLIII. *XLIX. De Latta monasterio.*
al. XLIV. *L. De Sigiberti reliquis gestis; et quòd Parisius venit.*
al. XLV. *LI. Quòd Chilpericus cum Guntchramno fœdus iniit; et de obitu Theodoberti filii ejus.*
al. XLVI. *LII. De obitu Sigiberti Regis.*

LIBER QUARTUS.

CHILDEB. CHLOTAB. THEODEBALDUS.

I. IGITUR Chrotechildis (a) Regina plena dierum, bonisque operibus prædita, apud urbem Turonicam obiit, tempore Injuriosi Episcopi: quæ Parisius A cum magno psallentio (b) deportata, in sacrario basilicæ S. Petri, ad latus Chlodovechi Regis sepulta est à filiis suis, Childeberto atque Chlothachario Regibus. Nam basilicam illam ipsa construxerat (c), in qua et Genovefa beatissima est sepulta.

II. Denique Chlothacharius Rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco dissolverent. Quod, licèt inviti, cùm omnes Episcopi consensissent atque subscripsissent, viriliter hoc beatus Injuriosus respuens subscribere dedignatus est, dicens : *Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet : quia iniquum est, ut pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur.* Et iratus contra Regem, nec valedicens abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem beati Martini, misit post eum cum muneribus, B veniam precans, et hoc quod fecerat damnans, simulque rogans, ut pro se virtutem beati Martini antistitis exoraret.

III. Chlothacharius denique ipse Rex de diversis mulieribus septem filios habuit, id est de Ingunde, Guntharium, Childericum, Charibertum, Guntchrammum (d), Sigibertum, et Chlotsindam filiam. De Aregunde verò sorore Ingundis, Chilpericum. De (e) Chunsena habuit Chramnum. Quæ autem causa fuerit, ut uxoris suæ sororem acciperet, dicamus. Cùm jam Ingundem in conjugio accepisset, et eam unico amore diligeret, suggestionem ab ea accepit, dicente : *Fecit dominus meus de ancilla* (f) *sua quod libuit, et suo me strato* (g) *adscivit : nunc ad complendam mercedem, quid famula tua suggerat, audiat dominus meus Rex. Precor*

(a) [Clun. *Crodichildis.*]
(b) Sic mss. omnes præter Regm. qui habet, *psallentium choro*, et Bec. cum ed. *psallentium præconio.* S. Chlotildis festum celebratur die 3. Junii. Ejus Vita edita est ex ms. cod. S. Germani à Pratis in Actis SS. Ord. Benedictini sæculo 2. ad annum 545. quo quidem circiter anno obiisse dicenda est juxta Cointii calculum, si quidem Injuriosi mors anno 546. consignanda sit.
(c) Basilicam S. Petri, *ubi religio monastici ordinis vigeret Parisius*, ab eadem exstructam fuisse legitur in Vita sanctæ Balthildis. Bell. *S. Genoveva.* Sic veteres scribebant. Vide Liturgiam Gallicam. Mabillon. lib. 2. §. 16.
(d) [Clun. *Guntrannum.*]
(e) [Dub. *de Chunsina.*]
(f) [In cod. Clun. deest *de ancilla sua.*]
(g) [Clun. *suo me stratui.*]

CHILDEB. CHLOTAR. THEODEB.

A *ut sorori meæ, servæ vestræ, utilem atque habentem* (a) *virum ordinare dignemini, unde non humilier, sed potiùs exaltata servire fideliùs possim.* Quod ille audiens, cùm esset nimiùm luxoriosus, in amorem Aregundis incenditur, et ad villam in qua ipsa residebat dirigit *, eamque sibi in matrimonio sociavit. Qua accepta, ad Ingundem rediens ait : *Tractavi mercedem illam implere, quam me tua dulcedo expetiit. Et requirens virum divitem atque sapientem, quem tuæ sorori deberem adjungere, nihil melius quàm meipsum inveni. Itaque noveris, quia eam conjugem accepi, quod tibi displicere non credo.* At illa : *Quod bonum*, inquit, *videtur in oculis domini mei faciat : tantùm ancilla tua cum gratia Regis vivat.* Guntharius verò, Chramnus atque Childericus vivente patre mortui sunt. Exitum verò Chramni in posterum scribemus. Alboinus (b) quoque Rex Langobardorum Chlotsindam filiam Regis accepit. Obiit autem Injurio-
B sus Episcopus urbis Turonicæ decimo et septimo episcopatûs sui anno : cui (c) Baudinus, ex domestico Chlothacharii Regis, successit, decimus-sextus post exitum beati Martini.

IV. Chanao quoque Britannorum Comes tres fratres suos interfecit. Volens autem adhuc Macliavum interficere, comprehensum atque catenis oneratum in carcere retinebat. Qui per Felicem (d) Namneticum Episcopum à morte liberatus est. Post hæc juravit fratri suo, ut ei fidelis esset : sed nescio quo casu sacramentum inrumpere voluit : quod Chanao sentiens, iterùm eum persequebatur. At ille, cùm se evadere non posse videret, post alium Comitem regionis illius fugit, nomine Chonomorem (e). Is cùm sentiret persecutores ejus adpropinquare, sub terra eum in loculo abscondit, componens desuper ex more tumulum, parvumque ei spiraculum
C reservans, unde halitum resumere posset. Advenientibus autem persecutoribus ejus dixerunt : *Ecce hic Macliavus mortuus atque sepultus jacet.* Quod illi audientes atque gaudentes, et super tumulum bibentes, renuntiaverunt fratri eum mortuum esse. Quod ille audiens, regnum ejus integrum accepit : nam semper Britanni sub Francorum potestate post obitum Regis Chlodovechi fuerunt, et Comites, non Reges (f) appellati sunt. Macliavus autem de sub terra consurgens, Veneticam urbem expetiit, ibique tonsuratus, et Episcopus ordinatus est. Mortuo autem Chanaone, hic apostatavit, et demissis capillis, uxorem quam post clericatum reliquerat cum regno fratris (g) simul accepit : sed ab Episcopis excommunicatus est, cui qualis fuerit interitus, sequenter scribemus *. Obiit autem Baudinus Episcopus anno sexto epis- * *lib.* 5. cap.
copatûs sui : in cujus locum Guntharius Abbas subrogatur, decimus-septimus post 16.
D transitum sancti Martini.

V. Denique (h) cùm beatus Quintianus, sicut suprà diximus, ab hoc mundo migrasset, sanctus Gallus in ejus cathedram, Rege opitulante, substitutus est. Hujus tempore cùm lues illa, quam inguinariam (i) vocant, per diversas regiones desæviret, et maximè tunc Arelatensem provinciam depopularetur, sanctus Gallus non tantùm pro se, quantùm pro populo suo trepidus erat. Cùmque diu noctuque Dominum deprecaretur, ut vivens plebem suam vastari non cerneret, per visum noctis apparuit ei Angelus Domini, qui tam cæsariem, quàm vestem in similitudine nivis candidam efferebat. Et ait ad eum : *Bene enim facis, ò Sacerdos, quòd sic Dominum pro populo tuo supplicas : exaudita est enim oratio tua ; et ecce*

(a) Id est divitem. Reg. et editi 2. *habilem.*

(b) Corb. *Albuenus.* Bell. *Alboënus.* [Ita Dub. et Clun.] De hoc fusiùs Paulus lib. 1. et 2. de gestis Langobardorum. Ad Chlotsindam verò scripsit beatus Nicetius Trevirensis Episcopus, cujus epistolam [in tomo sequenti] proferemus.

(c) [Dub. *Baudenus ex domestico Clotharii..... Chano quoque.*]

(d) [Idem, *Namnetiæ Episcopum.*]

(e) Regm. *Clonomorem.* De hoc agit auctor Vitæ S. Gildæ, quæ habetur apud Surium, et Bollandum die 19. Januarii, et in Sæculo I. Benedictino.

(f) Pluribus disserit Valesius lib. 6. Rer. Francic. pag. 281. et seqq. utrùm Britanni sub propriis Regibus fuerint, et quo tempore ? Eos in Aremoricam, seu Lugdunensem tertiam, sub Placidi Valentiniani Imp. principatu ex majori Britannia transiisse refert, qui domitis incolis regioni suas leges et nomen imposuerunt : an verò hæc regio Francorum Regibus paruerit ambigi posse censet, cùm eam constet sub propriis Principibus semper exstitisse, quos aliquando Comites, aliquando Duces, immò et nonnumquam Reges varii auctores appellarunt. Deinde *regni* nomine Brittonum regionem scriptores passim, et ipse etiam Gregorius hîc, et aliàs non semel, designaverunt. Et quidem Brittonum Principes sæpiùs adversùs Francos bellum gessere, suis legibus semper usi sunt, sub hereditariis suis Principibus viventes, cùm in aliis regionibus Comites aut Duces nostrorum Regum nutu frequenter mutarentur. Hæc pro tuenda apud Brittones regia dignitate, quibus alii opponunt Gregorii locum, quem illustramus, aliorumque veterum scriptorum auctoritatem, qui disertè asserunt Brittones Francorum Regibus paruisse. Quibus aliisque, quæ fusiùs exponit Valesius, antiquorum auctorum locis expensis, concludit Brittones, etsi sæpiùs armis domitos, numquam tamen aut Merovingiæ familiæ, aut Carolovingicæ Francorum Regibus certa imperii confessione paruisse.

(g) [Clun. *fratris sui accepit.*]

(h) Deest hoc caput in codicibus Vatic. Corb. Bellov. Colb. et Reg. [deest etiam in Dub. sicut et duo sequentia.] S. Galli Vita habetur inter Vitas Patrum cap. 6.

(i) Sic dicebatur, quòd nascente in inguine, vel in axilla ulcere, in modum serpentis interficeret.

CHILDEB. CHLOTAR. THEODEB.

eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nullusque te vivente in regione ista ab hac A
strage deperiet. Nunc autem ne timeas : post octo verò annos time. Unde manifestum fuit, transactis his annis, eum à sæculo discessurum. Expergefactus autem, et Deo gratias pro hac consolatione agens, quòd eum per cœlestem nuntium confortare dignatus est, Rogationes illas instituit, ut media Quadragesima psallendo, ad basilicam beati Juliani martyris itinere pedestri venirent. Sunt autem in hoc itinere quasi stadia trecenta sexaginta (a). Tunc etiam in subita contemplatione parietes vel domorum vel Ecclesiarum signari videbantur. Unde à rusticis hæc scriptio Thau vocabatur. Cùm autem regiones alias, ut diximus, lues illa consumeret, ad civitatem Arvernam, sancti Galli intercedente oratione, non adtigit. Unde ego (b) non parvam censeo gratiam, qui hoc meruit, ut pastor positus oves suas devorari defendente Domino non videret. Cùm autem ab hoc mundo migrasset, et ablutus B
in Ecclesiam deportatus fuisset, Cato Presbyter continuò à Clericis de episcopatu laudes accepit : et omnem rem Ecclesiæ, tamquam si jam esset Episcopus, in suam redegit potestatem : ordinatores (c) removet, ministros respuit, cuncta per se ordinat.

VI. Episcopi (d) tamen qui advenerant ad sanctum Gallum sepeliendum, postquàm eum sepelierant, dixerunt Catoni Presbytero : *Videmus quia te elegit pars maxima populorum : veni, consenti nobis, et benedicentes consecremus te ad episcopatum. Rex verò parvulus est, et si qua tibi adscribitur culpa, nos suscipientes te sub defensione nostra, cum proceribus, et primis regni Theodobaldi Regis agemus, ne tibi ulla excitetur injuria ; nos quoque, (in tantum fideliter crede, ut spondeamus pro te) omnia, etiam si damni aliquid supervenerit, de nostris propriis facultatibus id reddituros.* C
At ille cothurno vanæ conflatus gloriæ, ait : *Nostis enim fama currente, me ab initio ætatis meæ semper religiosè vixisse, vacasse jejuniis, eleemosynis delectatum fuisse, continuatas sæpiùs exercuisse vigilias, psallentio verò jugi crebra perstitisse statione nocturna. Nec me Dominus Deus meus patitur hac ordinatione privari, cui tantum famulatum exhibui. Nam et ipsos clericatûs gradus canonica sum semper institutione sortitus. Lector decem annis fui, in subdiaconatûs officio quinque annis ministravi, diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui, presbyterii autem jam honore viginti annis potior. Quid enim mihi nunc restat, nisi ut episcopatum, quem fidelis servitus promeretur, accipiam ? Vos igitur revertimini ad civitates vestras, et si quid utilitati vestræ competit, exercete : nam ego canonicè adsumturus sum hunc honorem.* Hæc audientes Episcopi, et in eum vanam gloriam exsecrantes, discesserunt. D

VII. Igitur (e) cum consensu Clericorum ad episcopatum electus, cùm adhuc non ordinatus cunctis ipse præesset, Cautino Archidiacono diversas minas intendere cœpit, dicens : *Ego te removebo, ego te humiliabo, ego tibi multas neces impendi præcipiam.* Cui ille : *Gratiam*, inquit, *tuam, domine piissime, habere desidero, quam si mereor, unum tibi beneficium præstabo. Sine ullo enim labore tuo, et absque ullo dolo, ego ad Regem pergam, et episcopatum tibi obtinebo, nihil petens, nisi ut promerear gratiam tuam.* At ille suspicans eum sibi velle inludere, hæc valde despexit. Hic verò cùm se cerneret humiliari, atque calumniæ subjici, languore simulato, et per noctem civitatem egrediens, Theodobaldum Regem petiit, adnuntians transitum sancti Galli. Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, convocatis Sacerdotibus apud Mettensem civitatem, Cautinus Archidiaconus Episco- E
pus ordinatur. Cùm autem venissent nuntii Catonis Presbyteri, hic jam Episcopus erat. Tunc ex jussu Regis traditis ei Clericis, et omnibus quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant, ordinatisque qui cum eo pergere deberent Episcopis, et camerariis, Arvernos eum direxerunt. Qui à Clericis et civibus libenter exceptus, Episcopus Arvernis est datus. Grandes posteà inter ipsum et Catonem Presbyterum inimicitiæ ortæ sunt : quia nullus umquam potuit flectere Catonem, ut Episcopo suo subditus esset. Nam et divisio Clericorum facta est, et alii Cautino Episcopo erant subditi, alii Catoni Presbytero : quod eis fuit maximum detrimentum. Cautinus autem Episcopus videns eum nulla ratione posse flecti, ut sibi esset subditus, tam ei quàm amicis ejus, vel quicumque ei consentiebant,

(a) Duodecim circiter leucis dissita est Brivas à Claromontana urbe.

(b) Sic Regm. cum Bad. ceteri, *unde hæc non.*

(c) Ordinatorum officium vel ex hoc loco licet intelligere. Bertefridus Episc. Ambianensis in Privilegio Corbeiensi vetat, ne quis Episcopus ex suis successoribus, aut Archidiaconus, seu quislibet ordinator Ecclesiæ Ambianensis, ad præfatum monasterium accedere, aut..... præsumat, nisi ab Abbate rogatus fuerit

(d) Deest hoc cap. in Vatic. Bel. Corb. Colb. et Reg.

(e) Et hoc caput deest in mss. 3. supradictis.

A omnes res Ecclesiæ abstulit, reliquitque eos inanes ac vacuos. Quicumque tamen ex ipsis ad eum convertebantur, iterum quod perdiderant, recipiebant.

VIII. Regnante verò Agilane apud Hispaniam, cùm populum gravissimo dominationis suæ jugo adtereret, exercitus Imperatoris Hispanias est ingressus, et civitates aliquas pervasit. Interfecto autem Agilane, Athanagildus (a) regnum accepit. Qui multa bella contra ipsum exercitum posteà egit, et eos plerumque devicit; civitatesque, quas malè pervaserant, ex parte auferens de potestate eorum. An. Chr. 554.

IX. Theodobaldus verò cùm jam adultus esset, Vuldetradam (b) duxit uxorem. Hunc Theodobaldum ferunt mali fuisse ingenii, ita ut iratus cuidam, quem suspectum de rebus suis habebat, fabulam fingeret, dicens : *Serpens ampullam vino plenam reperit, per cujus os ingressus, quod intus habebatur avidus hausit : à quo inflatus vino, exire per aditum quo ingressus fuerat, non valebat. Veniens verò vini dominus, cùm ille exire niteretur, nec posset, ait ad serpentem : Evome priùs quod inglutisti, et tunc poteris abscedere liber.* Quæ fabula magnum ei timorem atque odium
B præparavit. Sub eo enim et Buccellinus, cùm totam Italiam in Francorum regnum redegisset, à Narsete interfectus est, (c) Italia ad partem Imperatoris capta, nec fuit qui eam ultrà reciperet. Sub hujus tempore uvas in arbore, quam sambucum (d) vocamus, absque vitis coujunctione natas vidimus : et flores ipsarum arborum, quæ nigra, ut nostis, grana proferre solitæ sunt, racemorum grana dederunt. Tunc et in circulum lunæ stella (e) quinta ex adverso veniens introisse visa est. Credo hæc signa mortem ipsius Regis adnuntiasse. Ipse verò valde infirmatus, à cinctura deorsum se volutare non poterat (f). Qui paullatim decidens, septimo An. 553.
C regni sui anno mortuus est, regnumque ejus Chlothacharius Rex accepit, copulans Vuldetradam (g) uxorem ejus strato suo. Sed increpitus à Sacerdotibus, reliquit eam, dans ei Garivaldum ducem *, dirigensque (h) Arvernis Chramnum filium suum. * Bajoariæ.

X. Eo (i) anno rebellantibus Saxonibus, Chlothacharius Rex, commoto contra eos exercitu, maximam eorum partem delevit, pervagans totam Thoringiam ac devastans, pro eo quòd Saxonibus solatium præbuissent (k).

XI. Decedente (l) verò apud urbem Turonicam Gunthario Episcopo, per emissionem, ut ferunt, Cautini Episcopi, Cato Presbyter ad gubernandam Turonicæ urbis Ecclesiam petebatur. Unde factum est, ut conjuncti Clerici, cum Leubaste Martyrario (m) et Abbate, cum magno apparatu Arvernum properarent.
D Cùmque Catoni Regis voluntatem patefecissent, suspendit eos à responso paucis diebus. Hi verò regredi cupientes, dicunt : *Pande nobis voluntatem tuam, ut sciamus quid debeamus sequi : alioquin revertimur ad propria. Non enim nostra te voluntate expetivimus, sed Regis præceptione.* At ille, ut erat vanæ gloriæ cupidus, adunata pauperum caterva, clamorem dari præcepit his verbis : *Cur nos deseris, bone pater, filios, quos nunc usque educasti? Quis nos cibo potuque reficiet, si tu abieris?*

(a) Regm. [et Clun.] cum Bad. *Athanagel*, *Dux*, mendosè. Is Agilanem, adjuvante Liberio Patricio, quem Justinianus in Hispaniam miserat, devicit ; sed posteà in pellendis Græcis, qui urbes aliquot occuparant, multùm desudavit. [Cod. Dub. *regnum ejus accepit.*]

(b) Sic Corb. Bell. Bec. et Reg. alii *Vvaldetrudam*, aut *Vuldotradam*. Hæc fuit Wachonis Langobardorum Regis altera filia, Wisegardis Theodeberti uxoris soror, de quibus Paulus lib. 1. cap. 21.

(c) [Clun. *Italiam..... captam.*] De expeditionibus Buccelini in Italiam, præter alios auctores, legendi potissimùm Procopius et Agathias, qui fusè de bellis inter Justinianum et Gotthos in Italia motis, quibus sese Franci sæpiùs intermiscuere, scripserunt. Iidem de legationibus hinc et inde missis ea de causa. Buccelinum anno 554. fuisse interemtum censet Valesius, Hamingum verò, alterum Francici exercitûs ducem, anno sequenti, cùm jam Leutharius Buccelini frater præda onustus in patriam reverti festinans, inter Tridentum ac Veronam fuisset defunctus. Quas quidem Francorum clades appendix ad Marcellinum Comitem, Marius in Chronico, Paulus Diaconus, aliique auctores, sed variis annis commemorant. Porrò licèt ea occasione Franci ea quæ in Italia possidebant penitùs amiserint : nec tunc temporis quisquam missus fuerit ad ea recuperanda, certum est tamen Chlotarium posteà aliquid in Italia possedisse, ut ipse Sigibertus filius ejus testatur infrà lib. 9. cap. 20. et Langobardi in Italia commanentes tributa Francorum Regibus pendebant, ex lib. 10. cap. 3.

(d) Mor. s. *saucum*. [Ita Dub. et Clun.]

(e) Sic Corb. et Regm. ceteri ferè, *lunæ quintæ stella*, [ita Clun.] alii, *stellam*.

(f) Regm. *diu non poterat stare*. Bec. et Bell. *se judicare*. [Ita Dub. et Clun.]

(g) [Clun. *Vuldetradam stratui suo.*

(h) Regm. *dirigens Arvernis ad filium suum Chramnum.*

(i) Hoc caput deest in Reg. et Colb.

(k) Aliquot, *suppetias præstitissent*. [Dub. *solatium præbuisset.*] Nonnulli pro *totam Thoringiam*, habent, *Tornacum*, *Thoringiam*. [Ita Clun.] Marius Thuringiæ devastationem ob præstita Saxonibus auxilia post alteram Chlotarii expeditionem contigisse refert an. xv. P. C. Basilii, id est 556. priorem anno præcedenti, quo Theodebaldus obiit, consignat.

(l) Hoc caput non habent Corb. et Bell. [Non habet etiam Dub.]

(m) Concilium Aurelian. II. anno 533. can. 13. statuit, *ut Abbates, Martyrarii, etc. apostolia*, id est litteras dimissorias, *dare non præsumant*. Martyrarii dicebantur, quòd Martyrum oratoriis præessent. Ex formula Andegavensi, num. 48. tomo 4. Analect. Mabillon. colligitur Martyrarium matriculæ seu nosocomio pauperum præfuisse.

CHILDEB. CHLOTAR. *rogamus ne nos relinquas, quos alere consuesti.* Tunc ille conversus ad Clerum Turonicum, ait : *Videtis nunc, fratres carissimi, qualiter hæc multitudo pauperum me diligit : non possum eos relinquere et ire vobiscum.* Istud hi responsum accipientes, regressi sunt Turonis. Cato autem amicitias cum Chramno nexuerat, promissionem ab eo accipiens, ut si contigerit in articulo temporis illius Regem mori Chlothacharium, statim ejecto Cautino ab episcopatu, iste præponeretur Ecclesiæ. Sed qui cathedram beati Martini contemtui habuit, quam voluit non accepit : impletumque est in eo quod David cecinit, dicens : *Noluit benedictionem, et prolongabitur ab eo.* Erat enim vanitatis cothurno elatus, nullum sibi putans in sanctitate haberi præstantiorem. Nam quadam vice conducta pecunia mulierem clamare fecit in Ecclesia, quasi per energiam, et se sanctum magnum, Deoque carum confiteri, Cautinum autem Episcopum omnibus sceleribus criminosum, indignumque qui Sacerdotium debuisset adipisci.

Psal. 108. 18.

XII. Denique (a) Cautinus adsumto episcopatu, talem se reddidit, ut ab omnibus exsecraretur, vino ultra modum deditus. Nam plerumque in tantum infundebatur potu, ut de convivio vix à quatuor portaretur. Unde factum est, ut epilepticus fieret in sequenti : quod sæpiùs populis manifestatum fuit. Erat enim et avaritiæ in tantum incumbens, ut cujuscumque possessionis fines ejus termino adhæsissent, interitum sibi putaret, si ab eisdem aliquid non minuisset : et à majoribus quidem cum rixa et scandalo auferebat, à minoribus autem violenter diripiebat. Quibus et à quibus, ut Sollius (b) noster ait, nec dabat pretia contemnens, nec accipiebat instrumenta desperans. Erat enim tunc temporis Anastasius Presbyter, ingenuus genere, qui per chartas gloriosæ memoriæ Chrotechildis Reginæ proprietatem aliquam possidebat : quem plerumque conventum Episcopus rogabat humiliter ac suppliciter, ut ei chartas supradictæ Reginæ daret, sibique possessionem hanc subderet : sed ille cùm voluntatem Sacerdotis sui implere differret, eumque Episcopus nunc blanditiis provocaret, nunc minis terreret; ad ultimum invitum urbi exhiberi præcepit, ibique impudenter teneri : et, nisi instrumenta daret, injuriis adfici, et fame necari jussit. Sed ille virili repugnans spiritu, numquam præbuit instrumenta, dicens, satius sibi esse ad tempus inedia tabescere, quàm sobolem in posterum miseram derelinqui. Tunc ex jussu Episcopi traditur custodibus, ut nisi has chartulas proderet, fame necaretur. Erat enim ad basilicam sancti Cassii (c) martyris crypta antiquissima abditissimaque, ubi erat sepulcrum magnum ex marmore Pario, in quo grandævi cujusdam hominis corpus positum videbatur. In hoc sepulcro super sepultum vivens Presbyter sepelitur, operiturque lapide, quo prius sarcophagum fuit obtectum, datis ante ostium custodibus. Sed custodes fidi quòd lapide premeretur, cùm esset hyems, accenso igne, vino sopiti calido obdormiunt. At Presbyter, tamquam novus Jonas, velut de ventres inferi, ita de conclusione tumuli Domini misericordiam flagitabat. Et quia spatiosum erat, ut diximus, sarcophagum, etsi se integrum vertere non poterat, manus tamen in parte qua voluisset liberè extendebat. Manabat enim ex ossibus mortuis, ut ipse referre erat solitus, fœtor letalis, qui non solùm externa, verùm etiam interna viscerum quatiebat. Cùmque pallio aditus narium obseraret, quamdiu flatum continere poterat, nihil pessimum sentiebat : ubi autem se quasi suffocari putabat, remoto paullulùm ab ore pallio, non modò per os, aut per nares, verùm etiam per ipsas, ut ita dicam, aures odorem pestiferum hauriebat. Quid plura? Quando Divinitati, ut credo, condoluit, manum dexteram ad spondam sarcophagi tendit, reperitque vectem, qui decedente opertorio, inter ipsum ac labium sepulcri remanserat. Quem paullatim commovens, sensit cooperante Dei adjutorio, lapidem amoveri. Verùm ubi ita remotus fuit, ut Presbyter caput foras educeret, majorem quo totus egrederetur aditum liberiùs patefecit. Intereà operientibus nocturnis tenebris diem, nec adhuc usquequaque diffusis, aliud cryptæ ostium petit : erat enim seris fortissimis clavisque firmissimis obseratum : verumtamen non erat ita levigatum, ut inter tabulas adspicere homo non posset. Ad hos aditus Presbyter caput

(a) Hoc caput deest in Vatic. Corb. Bell. Reg. et Colb. [Deest etiam in Dub.]

(b) Bab. *Solinus*; sed nostra lectio melior. Hîc quippe Apollinaris Sidonius designatur, qui et dicebatur *Caius Sollius*. Locus autem à Gregorio laudatus habetur in epist. 1. lib. 2. quæ est ad Hecdicium, ubi loquitur de Serenati vitiis, qui res aliorum invadebat nullo dato pretio, quòd eos contemneret; nec accipiebat instrumenta, id est litteras seu tabulas venditionis.

(c) De hac lib. 1. de Ecclesiis Claromont. Exstat hodie, ut monet Savaro, parochiali titulo insignita. Vide suprà lib. 1. ad cap. 31. De S. Cassio et sociis agunt Bollandiani ad diem 15. Febr. quo eorum festum celebratur.

reclinat,

A reclinat, advertitque hominem viam prætereuntem. Hunc, licèt voce tenui, vocat. Exaudit ille, nec mora, securem manu tenens, sudes ligneas, quibus seræ continebantur, incidit, aditumque Presbytero patefecit. At ille de nocte (a) consurgens, ad domum pergit, satis virum obsecrans, ne de eo cuiquam aliquid enarraret. Domum igitur suam ingressus, inquisitis chartis, quas ei memorata Regina tradiderat, ad Chlothacharium Regem defert, indicans qualiter ab Episcopo suo vivens sepulturæ fuerat mancipatus. Stupescentibus autem omnibus, et dicentibus, numquam vel Neronem, vel Herodem tale facinus perpetrasse, ut homo vivens sepulcro reconderetur, advenit ad Chlothacharium Regem Cautinus Episcopus : sed accusante Presbytero, victus confususque discessit. Presbyter autem acceptis à Rege præceptionibus, res suas ut libuit defensavit, posseditque, ac suis posteris dereliquit. In Cautino autem nihil
B sancti, nihil pensi fuit : de omnibus enim scripturis, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, adplenè immunis fuit. Judæis valde carus ac subditus erat, non pro salute, ut pastoris cura debet esse sollicita, sed pro comparandis speciebus, quas cùm hic blandiretur, et illi se adulatores manifestissimè declararent, majori quàm constabant pretio venumdabant (b).

XIII. Chramnus (c) verò his diebus apud Arvernum residebat : multæ enim causæ tunc per eum inrationabiliter gerebantur; et ob hoc acceleratus est (d) de mundo : multùm enim maledicebatur à populo. Nullum autem hominem diligebat, à quo consilium bonum utileque posset accipere; nisi collectis vilibus personis ætate juvenili fluctuantibus, eosdem tantummodò diligebat (e), eorumque consilium audiens, ita ut filias Senatorum, datis præceptionibus, eisdem videntibus trahi (f) juberet. Firminum à Comitatu urbis graviter injuriatum abegit, et Salustium Evodii * filium subrogavit. Sed Firminus cum socru sua Ecclesiam pe- *al.* Euvodi.
C tiit. Erant autem Quadragesimæ dies : et Cautinus Episcopus in Brivatensem diœcesim (g) psallendo adire disposuerat, juxta institutionem sancti Galli, sicut suprà scripsimus. Egressus est igitur Episcopus ab urbe cum magno fletu, metuens ne aliquid in itinere adversi perferret : intendebat enim et ipsi Rex (h) Chramnus minas. Qui dum iter ageret, misit Rex Imnacharium et Scaptharium primos de latere suo (i), dicens : *Ite et vi abstrahite Firminum Cæsariamque socrum ejus de Ecclesia.* Discedente (k) verò Episcopo cum psallentio, sicut suprà memoravimus, hi qui missi fuerant à Chramno, ingrediuntur Ecclesiam, ac Firminum Cæsariamque variis conlocutionum dolis mulcere tentant. Verùm ubi diutissimè alia ex aliis deambulantes per Ecclesiam colloquuntur, et in hoc qui confugerant intenderent ex animo quæ dicebantur, ad regias (l) ædis sacræ, quæ
D tunc reseratæ fuerant, adpropinquant. Tunc Imnacharius Firminum, Scaptharius (m) Cæsariam adprehensos inter brachia ab Ecclesia ejiciunt, paratis pueris qui susciperent : quos statim in exsilium direxerunt. Sed die altera depressis somno custodibus, ipsi se liberos sentientes, ad beati Juliani basilicam confugiunt, et sic ab exsilio liberantur : res tamen eorum fisco conlatæ sunt. Cautinus autem Episcopus, cùm suspectus esset quòd et ipse (n) injuriaretur, ac memoratum iter terens equum haberet stratum, vidit post tergum homines venientes cum caballis, qui ad occursum ejus veniebant, et ait : *Væ mihi, quia hi sunt quos Chramnus di-*

(a) [Clun. *de nocte præteriens.*]

(b) Chesn. et Freh. *venumdabat.*

(c) Hoc caput deest in Reg. et Colb. Confer illud cum cap. 66. lib. 1. de Gloria Mart.

(d) Sic mss. Editi verò *celeriùs ablatus est.*

(e) Sic iidem mss. At editi habent, *collectas viles personas ætate juvenili fluctuantes fovebat et diligebat.*

(f) Sic Cord. alii mss. *vi detrahi juberet.* [Ita Cluniac.] Ed. *datis prædationibus*, seu, *dans prædonibus, eisdem vi detrahi, etc.* Firminus hîc laudatus, erat è nobili Firminorum familia, qui præfecti-prætorio et patricii fuerunt, uti ex novellis Valentiniani et Marciani liquet. Eos autem ex Arvernis oriundos fuisse putat Savaro in notis ad epist. 2. Sidonii lib. 9. quæ est ad Firminum.

(g) *Diœcesis* hîc pagum designat; nam Brivas, ubi celebris Ecclesia S. Juliani, ex diœcesi erat Arvernensi. Ceterùm hac voce aliquando provincia metropolitani jurisdictioni subjecta designatur, aliquando verò plures provinciæ patriarchæ, primati, sive exarcho parentes : quod et in civili reipublicæ administratione locum habuit; hinc diœcesis Orientis, etc. quandoque vicum aut pagum designat, ut hîc, et infrà lib. 7. cap. 38. nunc vulgò pro Episcopi jurisdictione, quam medii ævi scriptores frequenter parochiam appellabant, sumitur. Vide Cangii Gloss. et Sirmond. in epist. 16. Sidonii lib. 9. Porrò Litaniæ institutio, de qua hîc Gregorius, habetur suprà cap. 5. quod tamen deest in 4. mss.

(h) Observa hîc Chramnum *Regem* appellari, quòd fuerit Regis filius. Alia ejusmodi exempla passim reperies apud Gregorium

(i) Directos *de latere* Regis habemus quoque in formula ultima lib. 1. apud Marculfum, quod nomen Legati Pontificii è Romana curia in Provincias missi retinent.

(k) Aliquot manuscripti et editi *descendente.* [Ita Clun.]

(l) Id est portas. Corb. *ad reïas.* Regiæ etiam erant valvæ seu cancelli quibus presbyterium claudebatur. Vide Mabillonii Commentarium in Ordinem Roman. num. 20. et ipsos Ordines Rom. tom. 2. Musei Italici.

(m) In Bec. semel prior *Immacrius*, semper verò alter *Captarius* dicuntur.

(n) [Dub. *ipsi injuriaretur.*]

CHILDEB. CHLOTAR. *rexit ad me comprehendendum.* Et ascenso (a) equite, relicto psallentio, solus usque A in porticum basilicæ sancti Juliani, ambobus urgens calcaneis cornipedem, pænè exanimis percurrit. Sed nos hæc narrantes, Salustii sententiam, quam in detractores Historiographorum protulit, memoramus. Ait enim (b) : *Arduum videtur res gestas scribere : primùm, quòd facta dictis exæquanda sunt : deinde quia plerique delicta, quæ reprehenderis, malevolentia et invidia dicta putant.* Sed cœpta sequamur.

An. Chr. 553. XIV. Igitur Chlothacharius post mortem Theodobaldi cùm regnum Franciæ (c) suscepisset, atque illud circumiret, audivit à suis iterata insania effervescere Saxones, sibique esse rebelles; et quòd tributa quæ annis singulis consueverant ministrare, contemnerent reddere. His incitatus verbis, ad eos dirigit. Cùmque jam prope terminum illorum esset, Saxones legatos ad eum mittunt, dicentes : *Non enim sumus contemtores tui, et ea quæ fratribus* (d) *ac nepotibus tuis reddere consuevimus, non* B *negamus; et majora adhuc, si quæsieris, reddemus. Unum tantùm exposcimus, ut sit pax, ne tuus exercitus et noster populus conlidatur.* Hæc audiens Chlothacharius Rex, ait suis : *Bene loquuntur hi homines : non* (e) *incedamus super eos, ne fortè peccemus in Deum.* At illi dixerunt : *Scimus enim eos mendaces, nec omninò quod promiserint impleturos : eamus super eos.* Rursùm Saxones obtulerunt medietatem facultatis suæ, pacem petentes. Et Chlothacharius Rex ait suis : *Desistite, quæso, ab his hominibus, ne super nos Dei ira concitetur.* Quod illi non adquieverunt. Rursùm Saxones obtulerunt vestimenta, pecora, vel omne corpus facultatis suæ, dicentes : *Hæc omnia tollite cum medietate terræ nostræ : tantùm uxores et parvulos nostros relinquite liberos, et bellum inter nos non committatur.* Franci autem nec hoc adquiescere voluerunt. Quibus ait Chlothacharius Rex : *Desistite, quæso, desistite ab hac intentione. Verbum enim directum non* C *habemus : nolite ad bellum ire, in quo disperdamini. Tamen si eò ire* (f) *volueritis spontanea voluntate, ego non sequar.* Tunc illi ira commoti contra Chlothacharium Regem, super eum inruunt, et scindentes tentorium ejus, ipsum quoque conviciis exasperantes, ac vi detrahentes, interficere voluerunt, si cum illis abire differret. Hæc videns Chlothacharius, invitus fuit cum eis. At illi, inito certamine, maxima ab

An. 555. adversariis internecione cæduntur : tantaque ab utroque exercitu multitudo cecidit, ut nec æstimari, nec numerari penitùs possit. Tunc Chlothacharius valde confusus pacem petiit, dicens se non sua voluntate super eos venisse. Qua obtenta, ad propria rediit.

XV. Turonici (g) autem audientes regressum fuisse Regem de cæde Saxonum, facto consensu (h) in Eufronium Presbyterum, ad eum pergunt, dataque suggestione, D respondit Rex : *Præceperam enim, ut Cato Presbyter illic ordinaretur : et cur est spreta jussio nostra?* Responderunt ei : *Petivimus enim eum, sed noluit venire.* Hæc illis dicentibus, advenit subitò Cato Presbyter deprecans Regem, ut ejecto Cautino ipsum Arverno juberet institui. Quod Rege inridente, petiit iterùm ut Turonis ordinaretur, quod ante despexerat. Cui Rex ait : *Ego primùm præcepi, ut Turonis te ad episcopatum consecrarent : sed quantùm audio, despectui habuisti Ecclesiam illam; ideòque elongaberis à dominatione ejus :* et sic confusus abscessit. De sancto verò Eufronio interrogans, dixerunt eum nepotem esse beati Gregorii (i), cujus suprà meminimus. Respondit Rex : *Prima hæc est et magna generatio. Fiat voluntas Dei, et beati Martini : electio compleatur.* Et data præceptione, octavus-decimus post beatum Martinum sanctus Eufronius ordinatur Episcopus.

An. 555. XVI. Chramnus verò apud (k) Arvernis diversa, ut diximus, exercebat mala, semper adversùs Cautinum Episcopum invidiam tenens. Eo tempore graviter ægro-

(a) [Dub. *ascenso equo.*]

(b) Initio libri de bello Catilinario.

(c) Nota Theodebaldi portionem hîc *regnum Franciæ* appellari. Vide Cointium ad ann. 558. ubi fusè disserit de *Franciæ* nomine; probatque cujuslibet partis Franciæ regni Reges, dictos fuisse Reges Francorum. De qua re multa ibi congerit.

(d) Valesius legendum putat *fratri*, quòd soli Theodorico ac filio ejus Theodeberto et nepoti Theodebaldo, qui Chlotarii nepotes hîc dicuntur, Saxones tributa persolvisse dici possunt.

(e) [Dub. *non ingrediamur.*]

(f) Bec. Colb. et Reg. cum editis aliquot, *si abire.* [Ita Dub.] Et infrà pro *fuit cum eis,* iidem habent *abüt cum eis :* [sic Clun.]

(g) Deest hoc caput in Bellov. et Corb. [Deest etiam in Dub.]

(h) Consensus erat instrumentum publicum, quo de Ecclesia pastore viduata Rex certior fiebat, ab eo postulando, ut eum qui in successorem electus fuerat, consecrari permitteret. Ejus formulam habes lib. 1. Marculfi cap. 7. Præceptio autem, de qua in fine hujus capitis, seu, ut aliàs dicitur, præceptum, à Rege mittebatur ad Metropolitanum, ut virum à se probatum et electum in Episcopum ordinaret. Ejus formula habetur ibidem cap. 5. Indiculus etiam ejusdem rei causa à Rege mittebatur, ut patet ex formula 6. ejusdem libri. Sed inter indiculum et præceptum hanc fuisse distinctionem censet Bignonius, quòd præceptio diploma majoris esset auctoritatis, manu scilicet Regis subscriptum, ac fortè ejus annuli impressione munitum; indiculus verò simplex esset epistola absque sigillo.

(i) Lingonensis scilicet Episcopi, de quo suprà lib. 3. cap. 19. et inter Vitas Patrum cap. 7. etc.

(k) [Clun. *apud Arvernum.*]

CHILDEB. CHLOTAR.

A tavit, ita ut capilli ejus à nimia febre deciderent. Habebat autem tunc secum virum magnificum, et in omni bonitate perspicuum, civem Arvernum, Ascovindum (a) nomine, qui eum vi ab hac malitia quærebat avertere, sed non poterat. Habebat enim et Leonem Pictavensem, ad omnia mala perpetranda gravem stimulum, qui secundùm nominis sui interpretationem, tanquam leo erat in omni cupiditate sævissimus. Hic fertur quadam vice dixisse, quòd Martinus et Martialis (b) confessores Domini nihil fisci juribus utile reliquissent. Sed statim percussus à virtute Confessorum, surdus et mutus effectus, amens est mortuus. Venit enim miser ad basilicam sancti Martini Turonis, celebravitque vigilias, dedit munera : sed non eum respexit virtus consueta : cum ipsa enim qua venerat infirmitate, regressus est. Chramnus autem ab (c) Arverno regressus, ad Pictavis civitatem venit. Ubi cùm in ma- An. Chr. 536.
B gna potentia resideret, seductus per malorum consilium, ad Childebertum patruum suum transire cupit, patri insidias parare disponens. Ille verò dolosè quidem, sed suscipere illum promittit, quem monere spiritaliter debuerat, ne patri exsisteret inimicus. Tunc per occultos nuntios inter se conjurati, contra Chlothacharium unanimiter conspirant. Sed nec memor fuit Childebertus, quòd quotienscumque adversùs fratrem suum egit, semper confusus abscessit. Chramnus verò hoc fœdere inito, Lemovicino rediit, et illud, per quod priùs ambulaverat in regno patris sui, in sua dominatione redegit. Tunc Arvernus populus infra muros tenebatur inclusus, et diversis infirmitatibus oppressus graviter interibat. Porrò Chlothacharius Rex duos filios suos, id est Charibertum et Guntchramnum, ad eum dirigit. Qui per Arvernum venientes, audientesque quòd in Lemovicino esset,
C usque ad montem, quem Nigrum nomine dicunt, accedunt, eumque reperiunt. Figentesque tentoria, contra se resederunt, mittentes legationem, ut res paternas, quas malè pervaserat, reddere deberet : sin autem aliud, campum præpararet ad bellum. Cùmque ille patri subditum se esse confingeret, diceretque : *Omne quod circumivi laxare non potero, sed sub mea hoc potestate cum gratia patris mei cupio retinere.* Illi ut prælium hoc inter ipsos dijudicaret, postulant. Cùmque moto utrique exercitu cum magno armorum apparatu ad bellum convenissent, subito exorta tempestas cum gravi coruscatione atque tonitruo, eos ne pugnarent, inhibuit. Redeuntes autem ad castra, Chramnus dolosè per extraneam personam patris mortem fratribus pronuntiat. Eo enim tempore bellum contra Saxones, quod suprà diximus*, * cap. 10. et 14.
gerebatur. At illi timentes, cum summa velocitate Burgundiam redierunt. Chram-
D nus verò cum exercitu post eos dirigens, usque civitatem Cavillonensem venit, eamque obsidens adquisivit. Exinde usque Divionense castrum pertendit, ibique cùm die Dominico advenisset, quid gestum fuerit dicam. Erat ibi tunc sanctus Tetricus Episcopus, cujus in superiori libello memoriam fecimus (d). Positis clerici tribus libris super altarium, id est Prophetiæ, Apostoli, atque Evangeliorum, oraverunt ad Dominum, ut Chramno quid eveniret ostenderet : aut si ei felicitas succederet, aut certè si regnare posset, divina potentia declararet : simulque unam habentes conniventiam (e), ut unusquisque in libro quod primum aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret. Aperto ergo primo omnium Prophetarum libro, reperiunt : *Auferam maceriam ejus, et erit in desolationem : pro eo quòd debuit facere* *Isai.* 5. 5.
E *uvam, fecit autem labruscam.* Reseratoque (f) Apostoli libro inveniunt : *Ipsi enim* 4.
diligenter scitis, fratres, quia dies Domini sicut fur in nocte veniet (g). *Cùm dixerint,* 1. *Thess.* 5. 2. *et* 3.
Pax et securitas, tunc repentinus illis superveniet interitus, sicut dolores parturientis, et non effugient (h). Dominus autem per Evangelium ait : *Qui non audit verba mea,* *Matth.* 7.
adsimilabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam : descendit pluvia, 27.
advenerunt flumina, flaverunt venti, et inruerunt in domum illam, et cecidit, et facta

(a) Sic omnes mss. præter Bec. cum Ed. ubi *Anscovindum.* [In cod. Dub. deest *vi.*]

(b) Primus Lemovicum Episcopus et Apostolus.

(c) [Clun. *ab Arvernis.*]

(d) Nihil de S. Tetrico in superiori libro, qualem nunc habemus, occurrit; sed et in indice libri de Gloria Confess. cap. 105. in mss. inscribitur *de S. Tetrico Episc. Lingonensi,* de quo tamen in ipso libro tam in editis quàm in mss. nihil habetur. Plura de eo leguntur lib. seq. cap. 5. et in lib. de Vitis Patrum, qui fortè hîc laudatur, cap. 7. ubi S. Gregorii filius et successor dicitur. Interfuit Concil. Aurel. V. an. 549. Paris. II. anno 555. et per Piolum Presbyterum Lugdun. II. an. 567. Epitaphium ejus scripsit Fortunatus lib. 4. carm. 3. Festum ejus celebratur die 18. Martii, sepultus est Divione in Ecclesia S. Johannis juxta S. Gregorium. [Dub. *positis à clericis.*]

(e) Corb. Bec. et Bell. *conhibentiam.* [Ita Dub. Clun. *conibentiam.*]

(f) [Clun. *reseratumque librum Apostoli.*]

(g) Sic Corb. et Bell. alii cum editis *nocte, ita veniet.* [Sic Dub. et Clun.] Regm. infrà, *tunc repentinus veniet interitus.* [Ita Clun.]

(h) Hîc desinit codex Regius, quamvis initio hujus libri index omnium ipsius capitum habeatur, et non sit lacerus. Tum proximè subjungitur Reginonis Chronicon eadem omninò manu, qua Gregorii libri, conscriptum.

CHILDER. CHLOTAR. *est ruina ejus magna.* Chramnus verò ad basilicas (a) ab antedicto Sacerdote susceptus A est, ibique comedens panem, ad Childebertum pertendit. Infra tamen muros Divionenses non est permissus intrare. Fortiter tunc Rex Chlothacharius contra Saxones decertabat. Saxones enim, ut audierunt (b), per Childebertum commoti, atque indignantes contra Francos superiori anno, exeuntesque de regione sua in Franciam venerunt, et usque ad Divitiam (c) civitatem prædas egerunt, nimiùmque grave * scelus perpetrati sunt.

* *al.* grande.

XVII. Tunc Chramnus jam accepta Wiliacharii (d) filia, Parisius accedens, secum Childebertum Regem constringit in fide atque caritate, jurans se patri esse certissimum inimicum. Childebertus autem Rex, dum Chlothacharius contra Saxones decertaret, in Campaniam Remensem accedit, et usque (e) Remis civitatem properans, cuncta prædis atque incendio devastavit. Audierat enim fratrem suum à Saxonibus B fuisse peremtum, et regno suo cuncta subjici æstimans, quæ adire potuit universa pervasit.

An. Chr. 557.

XVIII. Tunc et Austrapius Dux Chramnum metuens, in basilicam sancti Martini confugit : cui tali in tribulatione posito non defuit divinum auxilium. Nam cùm Chramnus ita eum constringi jussisset, ut nullus illi alimenta præbere præsumeret, et ita artiùs custodiretur, ut nec aquam quidem ei haurire liceret, quò faciliùs compulsus inedia, ipse sponte sua de basilica sancta periturus exiret : accedens quidam vasculum illi cum aqua (f) semivivo detulit ad potandum. Quo accepto, velociter judex loci advolavit, ereptumque de manu ejus, terræ diffudit. Quod velox Dei ultio, et beati Antistitis virtus est subsecuta. Ea namque die judex, qui ista (g) gesserat, correptus à febre, nocte media expiravit; nec pervenit in crastinum ad illam horam, qua in C basilica Sancti poculum de manu excusserat fugitivi. Post illud miraculum, omnes ei opulentissimè quæ erant necessaria detulerunt. Redeunte autem in regnum suum Rege Chlothachario, magnus cum eo est habitus. Tempore verò ejus, ad clericatum accedens apud Sellense castrum (h), quod in Pictava habetur diœcesi, ordinatur (i) : futurum ut decedente Pientio antistite, qui tunc Pictavam regebat Ecclesiam, ipse succederet. Sed Rex Charibertus in aliud vertit sententiam. Denique cùm Pientius Episcopus (k) ab hac luce migrasset, apud Parisius civitatem Pascentius, qui tunc Abbas erat basilicæ sancti Hilarii, ei succedit, ex jussu Regis Chariberti, clamante Austrapio sibi hunc redhiberi (l) locum : sed parum ei jactati profuere sermones. Ipse quoque regressus ad castrum suum, mota super se Theifalorum (m) seditione, quos sæpe gravaverat, lancea sauciatus crudeliter vitam finivit. Diœceses verò suas Ecclesia Pictava D recepit.

XIX. Tempore (n) quoque Chlothacharii Regis, sanctus Dei Medardus Episcopus, consummato boni (o) operis cursu, et plenus dierum, sanctitate præci-

(a) Colb. et Reg. *basilicam.* Fortè sancti Benigni aut S. Johannis, quæ nunc intra muros urbis conclusæ sunt. Ex hoc loco patet tunc in Gallia tres lectiones in Missa legi solitas fuisse, quarum prior erat veteris Testamenti, secunda ex Apostolo, tertia ex Evangelio. Vide Liturgiam Gallicanam Mabillonii.

(b) Sic Corb. et Bell. alii plerique, *ut aderunt.* [Ita Clun.]

(c) Sic Corb. Bell. [Dub. et Clun.] vulgò dicitur esse *Deutz* prope Coloniam Agrippinam. Sed mirum est hunc locum civitatem appellari, qui hodie Tuitium dicitur, celebris ob abbatiam, cui præfuit Rupertus Abbas. *Divitentium* meminit Ammianus Marcellinus lib. 26 et 27. Hîc Gregorius, sicut et suprà passim, appellat regionem Transrhenanam simpliciter *Franciam.* Colb. habet *Mustiam.* Editi ut plurimùm *Nutiam.*

(d) Alii cum Corb. *Wilicharii.* Is erat Dux Aquitaniæ; filia ejus, quæ Chramno nupsit, Chalda appellatur in libro de Gestis Francorum. [Clun. *acceptam. Wiliacharii filiam, Parisius accessit.*]

(e) [Cod. Dub. *usque Remus.*]

(f) [Dub. et Clun. *cum aqua sine vino.*]

(g) [Dub. et Clun. *quâ ista gesserat.*]

(h) Etiam nunc sub prisco nomine notum, vulgò *Selle* aut *Celle*, ubi abbatia Canonicorum regularium.

(i) [Clun. *Episcopus ordinatur.*]

(k) Si Pientius, ut observat Beslius, apud Metulum, vulgò *Melle*, in sua diœcesi obiit, hæc Gregorii verba *apud Parisius*, ad Pascentium, non verò ad Pientium sunt referenda. Porrò Pientio et Austrapio hîc memoratis cura exstruendi monasterii sanctæ Radegundis fuerat commissa, ipsa Baudonivia attestante. Pascentio Fortunatus Vitam S. Hilarii à se scriptam nuncupavit. Pientii verò, vulgò *S. Pien*, festum celebratur die 13 Martii.

(l) Regm. *reddi debere.* Bec. *redeberi.* [Clun. *reddere debere.*]

(m) Teifali seu Taifali, una ex his gentibus barbaris, quæ sæculo quinto ineunte Gallias inundarunt. Horum aliquot sedes fixere apud Pictones, ac nomen dedere vico *Teifalia* dicto, qui etiam nunc superest sub nomine Tifaugiæ, vulgò *Tifauge*, inter Clicchionem et Moritaniam, positus ad fluvium Separim. Fuere et Taifali gentiles, quorum unà cum Sarmatis apud Pictones præsidium fuit, ex Notitia provinciarum Imperii Romani. Adi Vales. lib. 8. Rerum Francic. aut in Notitia Galliarum ea de re disserentem.

(n) Deest hoc caput in Corb. et Bellov. [Deest etiam in cod. Dub.] habetur in ceteris, et indicatur inter capita libri quarti in codice Regio. De sancto Medardo agitur item in lib. de Gloria Confessorum capite 95. Obitum ejus consignat Cointius anno 545. Valesius anno 560. Etiam nunc prope Suessionas exstat basilica cum insigni monasterio Ordinis Benedictini sub sancti Mauri congregatione, ubi sepulcrum beati Medardi visitur in crypta subterranea. Fortunatus præter ejus Vitam, scripsit de eodem carm. 17. libri 2. ubi de basilica à Sigiberto perfecta agit.

(o) [Clun. *bonis operibus.* Infrà *Sessonas*, et sic deinceps.]

puus, diem obiit. Quem Chlothacharius Rex cum summo honore apud Suessionas civitatem sepelivit, et basilicam super eum fabricare cœpit : quam posteà Sigibertus filius ejus explevit, atque composuit. Ad cujus beatum sepulcrum vidimus vinctorum compedes atque catenas disruptas confractasque jacere, quæ usque hodie in testimonium virtutis ejus, ad ipsum Beati sepulcrum reservantur. Sed ad superiora redeamus.

XX. Chilbebertus igitur Rex ægrotare cœpit, et cùm diutissimè apud Parisius lectulo decubasset, obiit : et ad basilicam beati Vincentii (a), quam ipse construxerat, est sepultus. Cujus regnum et thesauros Chlothacharius Rex accepit : Vultrogottham (b) verò et filias ejus duas, in exsilium posuit. Chramnus autem patri repræsentatur, sed posteà infidelis exstitit. Cùmque se cerneret evadere non posse, Britanniam petiit : ibique cum Chonobro (c) Britannorum Comite, ipse et uxor ejus, ac filiæ latuerunt. Wiliacharius autem socer ejus (d) ad basilicam sancti Martini confugit. Tunc sancta basilica à peccatis populi ac ludibriis, quæ in ea fiebant, per Wiliacharium conjugemque ejus succensa est, quod non sine gravi suspirio (e) memoramus. Sed et civitas Turonica ante annum jam igni consumta fuerat, et totæ Ecclesiæ in eadem constructæ, desertæ relictæ sunt. Protinùs beati Martini basilica, ordinante Chlothachario Rege, stanno cooperta est, et in illa, ut priùs fuerat elegantia, reparata. Tunc duæ acies locustarum apparuerunt, quæ per Arvernum atque Lemovicinum (f) transeuntes, ut ferunt, Romaniacum campum venerunt, in quo, prælio (g) magno inter se acto, maximè sunt conlisæ. Chlothacharius autem Rex, contra Chramnum frendens, cum exercitu adversùs eum in Britanniam dirigit. Sed nec ille contra patrem egredi timuit. Cùmque in uno campo conglobatus uterque resideret exercitus, et Chramnus cum Britannis contra patrem aciem instruxisset, incumbente nocte à bello cessatum est. Ea quoque nocte Chonober Comes Britannorum dicit ad Chramnum : *injustum censeo te contra patrem tuum debere egredi. Permitte me hac nocte, ut inruam super eum, ipsumque cum toto exercitu prosternam.* Quod Chramnus, ut credo, virtute Dei præventus, fieri non permisit. Mane autem facto, uterque commoto exercitu ad bellum contra se properant. Ibatque Chlothacharius Rex tamquam novus David contra Absalonem filium pugnaturus, plangens atque dicens : *Respice Domine de cœlo, et judica causam meam, quia injustè à filio injurias patior. Respice, et judica justè; illudque impone judicium, quod quondam inter Absalonem et patrem ejus David posuisti.* Confligentibus (h) igitur pariter, Britannorum Comes terga vertit, ibique et cecidit. Denique Chramnus fugam iniit, naves in mari paratas habens : sed dum uxorem et filias suas liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cùm Chlothachario Regi nuntiatum fuisset, jussit eum cum uxore et filiabus igni consumi : inclusique in tugurio cujusdam pauperculi (i), Chramnus super scamnum extensus orario suggillatus est ; et sic posteà super eos incensa casula, cum uxore et filiabus interiit.

An. Chr. 558.

CHLOTAR. An. 559.

An. 560.

XXI. Rex verò Chlothacharius anno quinquagesimo-primo (k) regni sui, cum multis muneribus limini beati Martini expetiit (l), et adveniens Turonis ad sepulcrum antedicti Antistitis, cunctas actiones quas fortassè negligenter egerat re-

(a) Hæc est basilica S. Germani à Pratis dicta, de qua suprà ad cap. 29. lib. 3. ubi in medio chori visitur etiam nunc Childeberti Regis sepulcrum, tametsi non tantæ antiquitatis. Ejus depositio in autographo Usuardi Martyrologio die 23. Decembris consignatur, quo die singulis annis ejus anniversarium cum sollemni pompa etiam nunc celebramus. *Non facilè reperias,* inquit Valesius lib. 8. Rerum Francic. *cujus pietas et de summis Ecclesiæ rebus sollicitudo multis et magnis experimentis testatior fuit, quàm Childeberti.* Id probant loca sacra, quæ exstruxit, dotavit, protexit; Concilia, quæ eo curante frequenter celebrata sunt ; Pontificum Romanorum, aliorumque Episcoporum epistolæ; omnium fermè ejus ævi auctorum testimonia. Ob suam in cultum divinum pietatem *Rex atque Sacerdos* à Fortunato appellatur, qui et eum passim, tum in Vita sancti Germani, tum in carminibus plurimùm laudat. Vide Vales. libro laudato, et alios auctores passim.

(b) Uxorem scilicet Childeberti Regis, ac duas filias ejus, Chrotbergam et Chrotesindam.

(c) Alii *Coonobro.* Corb. *Chonoo.* Et sic in isto capite legitur bis, tam pro *Chonober,* quàm pro *Chonobro.* Sed et suprà in cap. 4. ejusdem libri 4. pro *Chanaone* legitur in eodem Corb. *Chonoone,* quamquam idem aliàs dicitur *Chanao.* [Dub. *Chonoobro.* Infrà, *Chonoober.*]

(d) Corb. et Bell. *Williacharius autem Sacerdos ad.* Colb. et aliquot editi *Willicharius,* ut suprà. [Dub. *Willicharius.*]

(e) [Clun. *suspicione.*]

(f) Bell. *Lemajecinum..... Romanicum campum.* [Dub. *Romanicum.*]

(g) [Clun. *prœlium magnum inter se actum.*]

(h) [Codd. Dub. et Clun. *Confligentes etenim pariter.*]

(i) Alii *inclusitque..... pauperculæ.* [Clun. *inclususque..... pauperculæ.* Marius ad annum 560. refert eum *cum uxore et filiis* crematum fuisse.

(k) [Clun. *quinquagesimo regni.*]

(l) Itineris comes fuit beatus Germanus Parisiorum Episcopus, qui ea occasione Pictavos perrexit, Radegundi pro Rege veniam petiturus, ut narrat Baudonivia in Vita S. Radegundis. Tunc procul dubio Agnetem Abbatissam benedixit, ut dicitur infrà lib. 9. cap. 42.

plicans, et orans cum grandi gemitu, ut pro suis culpis beatus Confessor Domi- A
ni misericordiam exoraret, et ea quæ inrationabiliter commiserat, suo obtentu dilueret. Exin regressus, quinquagesimo-primo regni sui anno, dum in Cotia silva (a) venationem exerceret, à febre corripitur, et exinde Compendium villam rediit : in qua cum graviter vexaretur à febre, aiebat : *Wa ! Quid putatis, qualis est ille Rex cœlestis, qui sic tam magnos Reges interficit ?* In hoc enim tædio positus, spiritum exhalavit. Quem quatuor filii sui cum magno honore Suessionas deferentes, in basilica beati
An. Chr. 561. Medardi sepelierunt. Obiit autem post unum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus.

CHARIB. GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

XXII. Chilpericus verò post patris funera, thesauros, qui in villa Brinnaco (b) erant congregati, accepit, et ad Francos utiliores petiit, ipsosque muneribus mollitos sibi subdidit. Et mox Parisius ingreditur, sedemque Childeberti Regis occupat, sed B
non diù hoc ei licuit possidere : nam conjuncti fratres ejus eum exinde repulere : et sic inter se hi quatuor, id est Charibertus, Guntchramnus, Chilpericus, atque Sigibertus, divisionem legitimam faciunt : deditque sors (c) Chariberto regnum Childeberti, sedemque habere Parisius : Guntchramno verò regnum Chlodomeris, ac tenere sedem Aurelianensem (d) : Chilperico verò regnum Chlothacharii patris ejus, cathedramque Suessionas habere : Sigiberto quoque regnum Theuderici, sedemque habere Remensem (e).

* *al.* Hunni. XXIII. Nam post mortem Chlothacharii Regis Chuni * Gallias adpetunt, contra
An. 562. quos Sigibertus exercitum dirigit; et gesto (f) contra eos bello, vicit atque fugavit : sed posteà Rex eorum amicitias cum eodem per legatos meruit. Dum autem (g)
An. 564. cum eis turbatus esset Sigibertus, Chilpericus frater ejus Remis pervadit, et alias C
civitates, quæ ad eum pertinebant, abstulit. Ex hoc enim inter eos, quod pejus est, bellum civile surrexit. Rediens autem Sigibertus victor à Chunis, Suessione civitatem occupat ; ibique inventum Theodobertum, Chilperici Regis filium, adprehendit, et in exsilium transmittit. Accedens autem contra Chilpericum, bellum commovit : quo victo (h) atque fugato, civitates suas in suam dominationem restituit. Theodobertum verò filium illius, apud Ponticonem villam (i) custodiri jussit per annum integrum, quem posteà, ut erat clemens, muneribus ditatum patri reddidit sanum : dato tamen sibi sacramento, ne umquam contra eum agere deberet : quod posteà peccatis facientibus est inruptum.

XXIV. Cùm autem Guntchramnus Rex regni partem, sicut fratres sui, obtinuisset, amoto Agrœcula (k) patricio, Celsum patriciatûs honore donavit, virum

(a) Etiam nunc nomen retinet, *la forest de Cuise*, Compendio proxima. Cointius pluribus probat Chlotarium anno L. regni sui obiisse, Valesius aliquot diebus annum excessisse probabile existimat. Quo pacto legendum esset saltem hujus capitis initio *anno* L. Henschenius censet hîc scribendum LII. Chlotarius obiit ex Mario *anno* 20. post Consulatum Basilii, id est an. 561. Ind. IX. [Dub. *in Cotiam silvam..... et inde Compendio villa.*]

(b) Alii *Brannaco*. [Clun. *Brannacum,*] vulgò *Braine,* oppidum tribus circiter leucis ab Augusta Suessionum distans versùs Remos, ubi insignis abbatia Ordinis Præmonstratensis S. Evodio dicata.

(c) *Sors* dicitur, quòd sortitò regni partes dividerentur, ut observat Valesius initio lib. 7. Rerum Franc. Nonnulli tamen volunt hanc divisionem patre adhuc vivente fuisse factam.

(d) Guntramnum numquam Aurelianis sedisse contendit Valesius.

(e) Sic omnes mss. et editi, excepto unico Chesnio, qui habet *Mettensem.* Verùm quidem est in cod. Colb. qui olim fuit monasterii S. Arnulfi Mettensis, hodie legi *Mettensem ;* sed id ab aliquo nebulone factum est, qui detrito priori vocabulo, istud substituit. Deinde certum est Sigibertum apud Remos habuisse regiam, quam urbem Chlodoveus Theodorico filio suo natu maximo *regni caput* attribuerat ; et Theodebertus Theodorici filius cùm Cabillone in morbum incurrisset, Remos revertens in itinere defunctus est, ut testatur Fortunatus in Vita sancti Germani. Hinc vetus auctor, qui S. Quinidii Vasionensis Episcopi Gesta scripsit, ut eum, qui sub Chlodovei filiis et nepotibus vixit, ubique celebrem fuisse ostenderet : *Famam ipsius,* inquit, *Romam non latuit. Regna Gallorum, Remis denique cum suis Germanicis populis..... non texerunt.* Germanos Remis attribuit, quòd illi Regibus Austrasiæ, cujus regni urbs Remorum erat caput, subjecti essent. [* Fortunat. lib. 1. carm. 1. et 7. Austriam et Neustriam appellat *Germanica regna.*] His consentiunt vetus auctor, qui Gesta Francorum sub prima Regum nostrorum stirpe conscripsit, Rorico, aliique plerique, qui Remos sedem regiam fuisse testantur. Baronium, Petavium, Cointium aliosque recentiores prætermitto. Scaliger, Had. Valesius et alii *Remos aut,* sive *et Mettas,* regni sedem fuisse scribunt, Regesque Mettensium et Remorum appellant ; et quidem nemo infitiari potest, plerosque ex postremis Austrasiæ Regibus apud Mettas potissimùm consedisse.

(f) [Clun. *gestum contra eos bellum.*]

(g) [Dub. *Deum autem cum eis esset, turbatus est Sigibertus.*] * Chilperici expeditionem refert ad an. 567. Valesius lib. 9. Rerum Franc. pag. 11.

(h) [Clun. *quem victum atque fugatum.*]

(i) Villa regia ad Saltum fluvium in pago Pertensi haud procul à Victoriaco Incenso in Campania, quam Papirius Massonus malè cum Ponte-Icaunæ prope Senonas confudit. Vide lib. 4. de Re diplomatica ubi de Palatiis, num. 118.

(k) Sic Bell. et Bec. cum edit. at Corb. Regm. et Colb. *Agricola.* [Dub. *Agræcola.*] De Celso non semel inferiùs. Obiit ex Marii Chronico IV. Cons. Justini junioris, id est an. 570. Silviæ ipsius matris epitaphium refert Chesnius tom. 1. pag. 517. Patricii autem dignitas in Guntramni regno à Burgundionum Regibus derivabat, qui cùm eam ab Imperatoribus accepissent, eoque nomine vocitari sæpiùs delectarentur ; iis etiam exstinctis, qui posteà sub Regibus nostris illis Provinciis præfecti sunt, Patricii nomen ut plurimùm tulere. Vide Valesium lib. 6. Rer. Franc. et Bignonium in lib. 1. Marculfi Formul. num. 35.

A procerum statu (a), in scapulis validum, lacerto robustum, in verbis tumidum, in responsis opportunum, juris lectione peritum : cui tanta deinceps habendi cupiditas exstitit, ut sæpiùs Ecclesiarum res auferens, suis ditionibus subjugarit. Nam cùm audisset quadam vice Esaiæ prophetæ lectionem in Ecclesia legi, in qua ait : *Væ his qui jungunt domum ad domum, et agrum ad agrum copulant usque ad terminum loci*, exclamasse fertur : *Incongruè hoc Væ mihi et filiis meis.* Sed reliquit filium, qui absque liberis functus, maximam partem facultatis Ecclesiis, quas pater expoliaverat, dereliquit. CHARIB. GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT. *Isai.* 5. 8.

XXV. Guntchramnus autem Rex bonus, primò Venerandam, cujusdam suorum ancillam, pro concubina thoro subjunxit, de qua Gundobadum filium suscepit. Posteà verò Marcatrudem (b), filiam Magnarii, in matrimonium accepit. Gundo-
B badum (c) verò filium suum Aurelianis transmisit. Æmula autem Marcatrudis post habitum filium, in hujus mortem grassatur (d) : et transmissum, ut aiunt, venenum in potum, occidit (e). Quo mortuo, ipsa judicio Dei filium suum quem habebat perdidit, et odium Regis incurrit, dimissaque ab eodem, non multo pòst tempore mortua est. Post quam Rex Austrechildem (f), cognomento Bobylam, accepit, de qua iterum duos filios habuit, quorum senior Chlotharius, junior Chlodomeris dicebatur. An. Chr. 565.

XXVI. Porrò Charibertus (g) Rex Ingobergam accepit uxorem, de qua filiam habuit, quæ posteà in Cantiam (h), virum accipiens, est deducta. Habebat tunc temporis Ingoberga in servitium suum duas puellas pauperis cujusdam filias, quarum prima vocabatur Marcovefa (i) ; religiosam vestem habens : alia verò
C Merofledis ; in quarum amore Rex vale detinebatur : erant enim, ut diximus (k), artificis lanarii filiæ. Æmula ex hoc Ingoberga, quòd à Rege diligerentur, patrem earum secretiùs operari fecit, futurum ut dum hæc Rex cerneret, odio filias ejus haberet : quo operante vocavit Regem. Ille autem sperans aliquid novi videre, adspicit hunc eminus lanas (l) regias componentem : quod videns, commotus in ira, reliquit Ingobergam, et Merofledem accepit. Habuit et aliam puellam opilionis, id est pastoris ovium, (m) filiam, nomine Theudechildem, de qua et fertur filium habuisse, qui ut processit ex alvo, protinùs delatus est ad sepulcrum. Hujus Regis tempore apud urbem Sanctonicam Leontius (n), congregatis pro-
D vinciæ suæ Episcopis, Emerium ab episcopatu depulit, adserens non canonicè eum fuisse hoc honore donatum. Decretum enim Regis Chlothacharii habuerat, ut absque metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens. Quo ejecto, consensum (o) fecere in Heraclium, tunc Burdegalensis urbis Presbyterum, quod Regi Chariberto subscriptum propriis manibus, per Nuncupatum Presbyterum transmiserunt : qui veniens Turonis, rem gestam beato Eufronio pandit, deprecans ut hoc consensum subscribere dignaretur, quod vir Dei manifestè respuit. Igitur postquàm Presbyter Parisiacæ urbis portas ingressus Regis præsentiam adiit, hæc effatus est : *Salve, Rex gloriose. Sedes enim Apostolica eminentiæ tuæ salutem* An. 562.

(a) Status pro statura etiam apud auctores non infimos, sacros et profanos, occurrit. Vide Glossar. Cang. et notam 273. in nov. edit. sancti Paulini.

(b) Golb. [et Clun.] *Mercatrudem*, de Magnario, seu Magnachario infrà lib. 5. cap. 17. [Dub. *filiam Mangneharii.*]

(c) Sic Bell. Bec. [Dub. et Clun.] Regm. *Gundebaudum*. Colb. *Gundebadum*. Alii *Gundebaldum*.

(d) Quæ sequuntur usque ad hæc verba capitis sequentis, *Exactis à Leontio Episcopo*, desunt in Bec. Colb. Regm. et Bad. Quæ autem hîc habentur nemo dixerit interpolata, cùm his omissis textus sit evidenter omninò mancus et interruptus.

(e) Sic Corb. pro *transmisso..... veneno*. Bell. cum ed. *in potum ei dari curavit*. [Dub. *in potum ei dicavit*. Clun. *in potu ædificavit* : mendosè.]

(f) Sic Corb. Alii *Austrigildem*. [Clun. *Austrigildem cognomento Bobiam.*] Apud Chesn. alius codex *cognomento Bobilanam*. Bell. *Bobillam*. [Ita Dub.]

(g) Corb. mendosè *Sigibertus* : alii *Haribertus*.

(h) Hæc est Aldeberga, sive Bertha, quæ Ethelberto Cantiæ Regi in Anglia nupta, mariti sui totiusque gentis conversioni plurimùm adlaboravit cum S. Augustino, aliisque monachis à Gregorio Magno missis. Letaldum Episc. ut putant, Silvanectensem, secum habebat, cujus memoria celebratur die 24. Febr. Pro *Cantia*, cod. Bell. et alii, quibus usi sunt qui editiones plerasque Chesnio anteriores curarunt, habent *Gantia*, cui vocabulo particulam *in* præcedentem jungentes, nomen fecerunt *Ingantia*, quasi hæc Regina sic fuisset appellata. Vide Bedam lib. 9. cap. 25. Guillelm. Malmesbur. etc. et confer cap. 26. lib. 9. infrà.

(i) Cod. Bell. *Marocovefa*.

(k) Sic omnes mss. et editi, præter Chesn. qui habet, *ut dicebatur*.

(l) Sic Corb. et Bell. Editi plerique *Lascias*.

(m) Hæc verba, *id est pastoris ovium*, desiderantur in editis : sunt autem in codd. Corb. Bellov. Palatino, [Dub. et Clun.] Hæc verò in Bell. dicitur *Teudegildis*. Regm. *Teotigildis*. Ed. *Theudegildis*, seu *Teodegildis*, [in Dub. *Theodogildis* ; in Clun. *Theodigildis*, et infrà *Theotigildis*.]

(n) Is fuit Burdegalensis Episcopus, de quo Fortunatus lib. 4. carm. 10. et aliàs passim ; distinguendus ab alio ejusdem nominis Episcopo item Burdegalensi, paullò antiquiore, de quo idem Fortunatus lib. 4. carm. 9. Leontium simul et Emerium laudat idem auctor lib. 1. carm. 12. Variis conciliis interfuit. Leontii festum celebrant Burdigalenses die 17 Kalend. Decemb. * Santonense Concilium ad an. 562. revocat Pagius in Crit. ad Annales Baronii ad an. 566. N. 8. alii ad an. 564. referunt.

(o) De consensu vide suprà cap. 15.

CHARIB. GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

mittit uberrimam. Cui ille : *Numquid,* ait, *Romanam* (a) *adisti urbem, ut Papæ* A *illius nobis salutem deferas? Pater,* inquit Presbyter, *tuus Leontius cum provincialibus suis salutem tibi mittit, indicans Æmulum* (b), sic enim vocitare consueverant Emerium in infantia sua) *ejectum ab episcopatu pro eo quòd prætermissa canonum sanctione, urbis Sanctonicæ episcopatum ambivit. Ideoque consensum ad te direxerunt, ut alius in loco ejus substituatur : quò fiat, ut dum transgressores canonum regulariter arguuntur, regni vestri potentia ævis prolixioribus propagetur.* Hæc eo dicente, frendens Rex eum à suis conspectibus extrahi jussit, et plaustro spinis oppleto imponi desuper, et in exsilium protrudi præcepit, dicens : *Putasne quòd non est super quisquam de filiis Chlothacharii Regis, qui patris facta custodiat, quòd hi Episcopum, quem ejus voluntas elegit, absque nostro judicio projecerunt?* Et statim directis viris religiosis, Episcopum in loco restituit, dirigens etiam quosdam de camera- B riis suis, qui exactis à Leontio Episcopo mille aureis, reliquos juxta possibilitatem condemnarent Episcopos : et sic Principis (c) est ultus injuriam. Post hæc Marcovefam, Merofledis (d) scilicet sororem, conjugio copulavit. Pro qua causa à sancto Germano Episcopo excommunicatus uterque est. Sed cùm eam Rex relinquere nollet, percussa judicio Dei obiit. Nec multò pòst et ipse Rex post eam
An Chr. 567. decessit Charibertus (e) : cujus post obitum Theudechildis una Reginarum ejus, nuntios ad Guntchramnum Regem dirigit, se ultrò offerens matrimonio ejus. Quibus Rex hoc reddidit in responsis : *Accedere ad me ei non pigeat cum thesauris suis. Ego enim accipiam eam, faciamque magnam in populis, ut scilicet majore mecum* (f) *honore quàm cum germano meo, qui nuper defunctus est, potiatur.* At illa gavisa, collectis omnibus, ad eum profecta est. Quod cernens Rex ait : *Rectius* C
* *al.* apud. *est enim, ut hi thesauri penes me habeantur, quàm post* * *hanc, quæ indignè germani mei thorum adivit.* Tunc ablatis multis, paucis relictis, Arelatensi eam monasterio destinavit. Hæc verò ægrè adquiescens jejuniis ac vigiliis adfici, per occultos nuntios Gotthum quemdam advocat (g), promittens quòd si se in Hispanias deductam conjugio copularet, cum thesauris suis de monasterio egrediens, libenti eum animo sequeretur. Quod ille, nihil dubitans, repromisit. Cùmque hæc collectis rebus, factisque voluclis (h), à cœnobio pararet egredi, anticipavit voluntatem ejus industria Abbatissæ (i) : deprehensaque fraude, eam graviter cæsam custodiæ mancipare præcepit, in qua usque ad exitum vitæ præsentis, non mediocribus adtrita passionibus, perduravit.

An. 566. XXVII. Porrò Sigibertus Rex, cùm videret, quòd fratres ejus indignas sibi- D
met uxores acciperent, et per vilitatem suam etiam ancillas in matrimonium sociarent; legationem in Hispaniam mittit, et cum multis muneribus Brunichildem (k) Athanagildi Regis filiam petiit. Erat enim puella elegans opere, venusta adspectu, honesta moribus atque decora, prudens consilio, et blanda conloquio. Quam pater ejus non denegans, cum magnis thesauris antedicto Regi transmisit. Ille verò congregatis senioribus secum, præparatis epulis, cum immensa lætitia

(a) Sic Bell. [Dub. et Clun.] ceteri cum ed. *Turonicam.* Licèt enim aliæ quoque sedes episcopales tunc *apostolicæ,* ut vel ex hoc loco patet, et Episcopi omnes apostolici, ut omnes sciunt, dicerentur; id tamen cùm absolutè et absque adjuncto sedis aut Episcopi nomine dicebatur, intelligebatur potissimùm de Romana sede, ejusque Pontifice. Idem dicendum de Papæ nomine, quod ante Gregorii VII. tempus omnibus Episcopis commune erat. Videsis Cointium ad annum 562. ea de re disserentem. Infrà pro *pater..... tuus,* ed. cum Bec. *patris..... tui.* [Ita Dub.]

(b) [Clun. *Cymulum,* fortè pro *Simulum.*]

(c) Sic mss. Ed. verò habent *patris.* Corb. Regm. [et Clun.] *Principis est ulta injuria.* [Dub. *et sic pressa est atque ulta injuria.*]

(d) Aliquot mss. et ed. mendosè *Marcovei Famerofledis.*

(e) Chariberti vitia passim commemorat Gregorius, ejus verò laudes fusiùs prosequitur Fortunatus libro 6. carm. 4. quod ideò ejus regni initio videtur scriptum. Sequens verò est de Theodechilde, sed alia à Chariberti uxore, sicut et ejusdem Fortunati carmen 25. libri 4. quam Theodorici uxorem et Theodeberti matrem fuisse suspicatur Browerus. Sed quæ ibi Fortunatus scribit, uxori Theodorici attribui non posse probat Valesius lib. 7. Rerum Francic. unde existimat eam potiùs esse ejusdem Theodorici filiam, et Theodeberti sororem, hanc scilicet ipsam, quæ, teste Procopio lib. 4. Belli Gothici, quamquam ejus nomen reticeat, postquàm Hermegisclo, tum Radigeri Warnorum Regibus nupserat, tandem in Galliam reverti coacta fuit. De eadem, uti Valesio videtur, agit Gregorius in libro de Gloria Confess. quam etiam eamdem esse conjicit cum Theodechilde, quæ monasterium S. Petri Vivi prope Senonas exstruxisse dicitur. Denique *Suavegottham Reginam Teudechildis Reginæ matrem* laudat Frodoardus lib. 2. Hist. Remensis, quæ partem Virisiaci villæ, ubi tunc Anachoretæ degebant, Ecclesiæ Remensi dedit, easque Theodorici uxorem et filiam fuisse etiam Marlotus lib. 2. Metrop. Remensis cap. 20. cum Valesio censet. Cointius tamen ad annum 564. contendit Theodechildem, quam Procopius Regi Warnorum nupsisse tradit, fuisse Chlodovei ex priori uxore filiam, sororem Theodorici et Theodeberti amitam. De Chariberti obitu vide lib. de Gloria Confess. cap. 19.

(f) [Clun. *majorem mecum honorem.*]

(g) Al. *adivit.* [Ita Dub. et Clun.]

(h) Al. *volucris* [Ita Dub. et Clun.]

(i) Hæc erat Liliola, tertia loci Abbatissa, quam præcesserant duæ Cæsariæ.

(k) [Dub. *Adtanagildi.*]

atque

A atque jocunditate eam accepit uxorem. Et quia Arianæ legi subjecta erat, per prædicationem Sacerdotum, atque ipsius Regis commonitionem (a) conversa, beatam in unitate confessa Trinitatem credidit, atque chrismata est, quæ in nomine Christi Catholica perseverat (b). GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

XXVIII. Quod videns Chilpericus Rex, cùm jam plures haberet uxores, sororem ejus Galsuintham (c) expetiit, promittens per legatos se alias relicturum: tantùm condignam sibi, Regisque prolem mereretur accipere. Pater verò ejus has promissiones accipiens, filiam suam, sicut anteriorem, similiter ipsi cum magnis opibus destinavit. Nam Galsuintha ætate senior quàm Brunichildis erat. Quæ cùm ad Chilpericum Regem venisset, cum grandi honore suscepta, ejusque est sociata conjugio: à quo etiam magno amore diligebatur. Detulerat enim secum B magnos thesauros. Sed per amorem Fredegundis, quam priùs habuerat, ortum est inter eos grande scandalum. Jam enim in lege Catholica conversa fuerat, et chrismata (d). Cùmque se Regi quereretur assiduè injurias perferre, diceretque nullam se dignitatem cum eodem habere, petiit ut relictis thesauris, quos secum detulerat, liberam (e) redire permitteret ad patriam. Quod ille per ingenia dissimulans, verbis eam lenibus demulsit. Ad extremum eam suggillari jussit à puero, mortuamque reperit in strato. Post cujus obitum Deus virtutem magnam ostendit. Lychnus enim ille, qui fune suspensus coram sepulcro ejus ardebat, nullo tangente, fune disrupto in pavimentum conruit: et fugiente ante eum duritia pavimenti, tamquam in aliquod molle elementum descendit, atque medius (f) est suffossus, nec omninò contritus: quod non sine grandi (g) miraculo videntibus C fuit. Rex autem cùm eam mortuam deflesset, post paucos dies Fredegundem recepit in matrimonio. Post quod factum, reputantes ejus (h) fratres, quòd sua emissione antedicta Regina fuerit interfecta, eum de regno dejiciunt. Habebat autem tunc Chilpericus tres filios de Audovera priore regina sua: id est Theodobertum, cujus suprà meminimus *, Merovechum atque Chlodovechum. Sed ad cœpta redeamus. An. Chr. 567. * cap. 23.

XXIX. Chuni (i) verò iterum in Gallias venire conabantur: adversùs quos Sigibertus cum exercitu dirigit, habens secum magnam multitudinem virorum fortium. Cùmque confligere deberent, isti magicis artibus instructi, diversas eis fantasias ostendunt, et eos valde superant. Fugiente autem exercitu Sigiberti, ipse inclusus à Chunis retinebatur, nisi posteà, ut erat elegans et versutus, quos D non potuit superare virtute prælii, superavit arte donandi. Nam datis muneribus fœdus cum Rege iniit (k), ut omnibus diebus vitæ suæ nulla inter se prælia commoverent: idque ei magis ad laudem, quà ad aliquod pertinere opprobrium justa ratione pensatur. Sed et Rex Chunorum multa munera Regi Sigiberto dedit: vocabatur autem Gaganus (l). Omnes enim Reges gentis illius hoc appellantur nomine. An. 566.

XXX. Sigibertus verò Rex Arelatensem urbem capere cupiens, Arvernos commoveri præcepit. Erat enim tunc Firminus Comes urbis illius, qui cum ipsis in capite abiit. Sed et de alia parte Audovarius (m) cum exercitu advenit, ingressique urbem Arelatensem, sacramenta pro parte Sigiberti Regis exegerunt. Quod cùm Guntchramnus Rex comperisset, Celsum patricium cum exercitu illuc E dirigit: qui abiens Avennicam * urbem abstulit. Accedens autem Arelatem, et vallans eam, impugnare exercitum Sigiberti qui infra muros continebatur, cœpit. Tunc Sabaudus Episcopus dixit ad eos, *Egredimini foras, et inîte certamen* An. 566. * *i.* Avenionem.

(a) Sic Colb. [Dub. et Clun.] Editi habent *commotionem*. Bad. *communionem*.

(b) Sic Corb. Bec. et Bell. et rectè quidem: nam scribente Gregorio adhuc in vivis erat, quæ anno 614. discerpta fuit. Editi *perseveravit*. [Ita Clun.] Colb. *permansit*. Sigiberti et Brunechildis nuptias celebravit Fortunatus libro 6. carm. 2.

(c) Corb. Bell. et Freh. al. *Galsuendam*, et infrà, *nam Galsuenda ætate seniore à Brunechilde erat*. [Ita Dub. nisi quòd habet, *senior à Brunicilde*. Clun. *senior à Brunichilde*.]

(d) De ejus nuptiis, conversione et morte cecinit Fortunatus carm. 7. lib 6.

(e) [Dub. et Clun. *libera redire permitteretur*.]

(f) [Dub. *medius est suffusus*.]

(g) Alii cum edit. *magno*.

(h) Bell. *ei*. [Dub. *reputantes ei fratres, quòd sua inmissione*.]

(i) Vide suprà cap. 23. et Paulum Diac. lib. 2. de Gestis Langob. cap. 10. ubi *Chuni, qui et Avares* dicuntur. Valesius libro 9. Rerum Francic. fusiùs agit de Chunis-Avaribus, quem consule. * Hanc Hunnorum irruptionem, et Arelatensis urbis obsessionem anno 569. collocat idem Valesius loco cit. pag. 28.

(k) Cod. Regm. *fœdus iniit*.

(l) Sic Corb. et Bec. cum editis aliquot. Regm. *Garganus*, alii *Chaganus* aut *Caganus*. Mos hîc Hunnis peculiaris non fuit, et omnes suæ gentis Reges idem nomen ferrent. Sic olim Ægyptii Reges primò Pharaones, tum Ptolemæi vocati sunt, Persæ Arsacidæ, Athenienses Cecropidæ, Æthiopes Candaces, Langobardi Flavii, etc. ut Cæsares et Augustos prætermittam. Sic hodie Presbyter-Johannes dicitur Rex Æthiopum, etc.

(m) Sic vet. mss. Regm. [et Clun.] *Adovagrius*. Editi *Adouarius*, aut *Eudouarius*.

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT. *quia non poteritis sub murorum conclusione degentes, neque nos, neque urbis istius subjecta defendere. Quod si vos Deo propitio illos devincitis, nos fidem quam promisimus custodiemus : si verò illi contra vos invaluerint, ecce reseratas reperietis portas ; ingredimini ne pereatis.* Hoc illi dolo delusi, egressi foras bellum parant. Sed superati ab exercitu Celsi, fugam ineunt (a), venientesque ad urbem portas reperiunt obseratas (b). Cùmque exercitus à tergo jaculis feriretur (c), operireturque lapidibus ab urbanis, ad amnem Rhodanum dirigunt, ibique parmis superpositi, ulteriorem ripam expetunt. Sed multos ex his violentia amnis direptos enecavit, fecitque Rhodanus tunc Arvernis, quod fecisse quondam Simois (d) legitur de Trojanis. A

Virg. Æneid. lib. 1.

—— *correpta sub undis*
Scuta virûm, galeasque, et fortia corpora volvit. B
Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Qui vix natandi, ut diximus, impulsu parmarumque adjuti adminiculo, litoris alterius plana contingere potuerunt. Qui nudati à rebus, ab equitibus * destituti, non sine grandi contumelia patriæ restituti sunt. Firmino tamen (e) et Audovario discedendi via indulta est. Multi ibi tunc viri ex Arvernis, non solùm torrentis impetu rapti, verùm etiam gladiorum ictibus sunt prostrati. At sic Guntchramnus Rex recepta urbe illa, juxta consuetudinem bonitatis suæ, Avennicam ditionibus fratris (f) sui restituit.

* *al.* equis. *Ita Dub.*

An. 563. XXXI. Igitur in Galliis magnum prodigium (g) de Taureduno castro apparuit, quod super Rhodanum fluvium in monte collocatum erat. Qui cùm per dies ampliùs sexaginta nescio quem mugitum daret, tandem scissus atque separatus mons ille ab alio monte sibi propinquo, cum hominibus, Ecclesiis, opibusque ac domibus in fluvium ruit, exclusoque (h) amnis illius litore, aqua retrorsum petiit. Locus etenim ille ab utraque parte à montibus conclusus erat, inter quorum angustias torrens defluit. Inundans ergo superiorem partem, quæ ripæ insidebat (i), operuit atque delevit. Adcumulata enim aqua erumpens deorsum, inopinatos reperiens homines, ut desuper fecerat, ipsos enecavit, domos evertit, jumenta delevit, et quæ cuncta litoribus illis insidebant, usque ad Ienubam (k) civitatem, violenta atque subita inundatione diripuit atque subvertit. Traditur à multis tantam congeriem inibi aquæ fuisse, ut in antedictam civitatem super muros ingrederetur. Quod dubium non est, quia, ut diximus, Rhodanus in locis illis inter angustias montium defluit, nec habuit in latere, cùm fuit exclusus, quò se diverteret : commotumque montem qui descenderat adsemel erupit, et sic cuncta delevit. Quod cùm factum fuisset, triginta Monachi, unde castrum ruerat, advenerunt, et terram illam, quæ monte diruente remanserat, fodientes, æs sive ferrum reperiunt. Quod dum agerent, mugitum montis, ut priùs fuerat, audierunt. Sed dum à sæva cupiditate retinentur, pars illa quæ nondum ruerat, super eos cecidit, quos operuit atque interfecit, nec ultrà inventi sunt. Similiter et ante cladem Arvernam, magna regionem illam prodigia terruerunt. Nam plerumque tres aut quatuor splendores magni circa solem apparuerunt, quos rustici soles vocabant, dicentes : *Ecce tres vel quatuor soles in cœlo.* Quadam tamen vice in Calendis Octobribus, ita sol obscuratus apparuit, ut nec quarta quidem pars in eodem lucens remaneret, sed teter atque decolor apparens, quasi saccus videbatur. Nam et stella, quam quidam cometem vocant, radium tamquam gladium habens, super regionem illam per annum integrum apparuit, et cœlum ardere visum est, et multa alia signa apparuere. In Ecclesia verò Arverna, dum matutinæ celebra- C D

(a) [Quæ sequuntur usque ad caput 31. desunt in Clun.]

(b) Quæ sequuntur usque ferè ad finem cap. 38. desunt in Regm.

(c) Aliquot mss. cum ed. *foderetur.*

(d) Fluvius est Troadis ex Ina monte defluens, hodie à Turcis dicitur *Chisime* in Phrygia minore. [Dub. *Simoes.*]

(e) Editi quidam *Firmino tantùm :* et infrà Corb. et Bellov. *Magni ibi tunc viri.*

(f) Sic mss. omnes : plerique tamen editi habent *patris.*

(g) Hic locus omninò illustratur ex Marii Aventicensis Chronico, ubi de eadem re sic loquitur : *Hoc anno* (563.) *mons validus Tauretunensis in territorio Vallensi ita subitò ruit, etc.* ut suprà pag. 17. [Cod. Clun. *de Tauredune castro apparuit : super Rhodanum enim fluvium collocatum erat.* Dub. *super Rhotanum enim fluvium collocatum erat.*] * Hunc locum malè nonnulli putant esse *Turnonem* in pago Vivariensi. Labbeus in Pharo Galliæ pag. 175. existimat post Moretum esse potiùs *Clusam* ad Rhodanum inter Sesselium et Genevam, ubi visuntur etiamnum rupium illarum reliquiæ, quæ in Rhodanum ceciderunt.

(h) [Clun. *exclusaque... littora.*

(i) Plerique editi, *insidebant.*

(k) Sic Corb. et Bell. Editi plerique cum Bec. *Janobam.* Colb. [Dub.] et Chesn. *Genuam.* [Clun. *januam civitatis*, mendosè.] Sed hîc Genevam, vulgò *Geneve*, designari manifestum est : et quidem id in Vallensi *le Walaiz,* contigit.

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

A rentur vigiliæ in quadam festivitate, avis corydalus (a), quam alaudam vocamus, ingressa, omnia luminaria quæ lucebant, alis superpositis in tanta velocitate exstinxit, ut putares ea in unius hominis manu posita, aqua fuisse submersa : in (b) sacrario autem sub velo transiens, cicindelum (c) exstinguere voluit, sed ab ostiariis prohibita, atque occisa est. Simile et in basilica beati Andreæ (d) de lychnis lucentibus avis alia fecit. Jam verò adveniente ipsa clade, tanta strages de populo illo facta est per totam regionem illam, ut nec numerari possit quantæ ibidem ceciderint legiones. Nam cùm jam sarcofagi aut tabulæ defecissent, decem aut eo ampliùs in una humi fossa sepeliebantur. Numerata sunt autem quadam Dominica in una beati Petri basilica (e) trecenta defunctorum corpora : erat enim et ipsa mors subita. Nam nascente in inguine aut in ascella vulnere in modum serpentis, ita inficiebantur homines illi (f) B à veneno, ut die altera aut tertia spiritum exhalarent. Sed et sensum vis illa veneni auferebat ab homine. Tunc et Cato Presbyter mortuus est (g). Nam cùm de hac lue multi fugissent, ille tamen populum sepeliens, et Missas dicens viritim (h), numquam ab eo loco discessit. Hic autem Presbyter multæ humanitatis, et satis dilector pauperum fuit : et credo hæc causa ei, si quid superbiæ habuit, medicamentum fuit. Cautinus autem Episcopus, cùm diversa loca, hanc cladem timens, circumisset, ad civitatem regressus est ; et hanc incurrens, parasceve Passionis Dominicæ obiit. Nam ipsa hora et Tetradius consobrinus ejus mortuus est. Tunc et Lugdunum, Biturix, Cavillonum (i) atque Divionum ab hac infirmitate valde depopulata sunt.

An. Chr. 571.

* XXXII. Erat (k) tunc temporis apud Randanense monasterium civitatis Arvernicæ C Presbyter præclaræ virtutis, Julianus nomine, vir magnæ abstinentiæ, qui neque vinum neque ullum pulmentum utebatur, cilicio omni tempore sub tunicam habens, in vigiliis primus (l), in oratione assiduus : cui inergumenos curare, cæcos illuminare, vel reliquas infirmitates depellere per invocationem Dominici nominis, et signaculum sanctæ Crucis facile erat. Idem cùm stando pedes ab humore haberet infectos, et ei diceretur, cur contra possibilitatem corporis semper staret, dicere cum joco spirituali erat solitus : *Faciunt opus meum, dùm et vita comes est, nec me eorum sustentatio Domino jubente relinquit* (m). Nam vidimus eum quadam vice in basilica beati Juliani Martyris inergumenum verbo tantùm curasse : quartanariis et aliis febribus sæpe per orationem remedia conferebat : qui sub hoc tempore luis, dierum atque virtutum plenus ex hoc mundo est adsumtus in D requie.

* XXXIII. Transiit (n) tunc et Abbas monasterii ipsius, cui Sunniulfus (o) successit, vir totius simplicitatis et caritatis. Nam plerumque hospitum pedes ipse abluebat, manibusque ipse tergebat : unum tantùm, quòd gregem commissum non timore, sed supplicatione regebat. Ipse quoque referre erat solitus, ductum se per visum ad quoddam flumen igneum, in quo ab una parte litoris concurrentes populi ceu apes ad alvearia mergebantur : et erant alii usque ad cingulum, alii verò usque ad ascellas, nonnulli usque mentum, clamantes cum fletu se vehementer aduri. Erat enim et fons super fluvium positus ita angustus, ut vix unius vestigii

(a) Corb. et Bec. *Coredallus*. [Ita Dub. et Clun.] *Coradallus*. Vide Alteserram.

(b) [Dub. et Clun. *in sacrarium*.]

(c) Sic Corb. et Bell. Alii et plerique editi, *cicindelem*. [Clun. *cecindelim*.] Nostra lectio confirmatur ex Vita sancti Eligii à sancto Audoëno edita cap. 47. ubi vocabuli hujus significatio exponitur tomo 5. Spicileg. De velis autem Ecclesiarum vide Cardinal. Bona lib. 1. de Rebus Liturgic. cap. 25. et Mabillon. lib. 1. de Liturgia Gallic. cap. 8.

(d) De hac libellus de Ecclesiis Claromont. cap. 34. Anno 1149. à Willelmo Comite et Delphino Alverniæ restaurata, tradita fuit Præmonstratensibus, uti observat Savaro.

(e) Complures olim fuere apud Clarummontem basilicæ S. Petro dicatæ. Hic locus de parochiali intelligendus est, de qua laudatus liber cap. 6.

(f) Sic Bell. at Corb. et Bec. cum plerisque edit. *ita inficiebatur homo ille*. Alii, *interficiebatur*. [Ita Dub. et Clun. paulò post, *exhalaret*.] De hac clade Marius in Chronico ad an. 571. Vide lib. de Mirac. S. Juliani cap. 45.

(g) De hoc Presbytero vide suprà cap. 6. et sequentia.

(h) Bell. Colb. et aliquot editi *viriliter*, quod idem hic sonat. [Dub. *virilitim*.]

(i) Sic mss. cum Chesn. plerique ed. *Cavallonum*. [Clun. *Cavalonus atque Divion*.] Bad. *Cabilo* : quæ re vera civitas hîc designatur, non Cabellio provinciæ, vulgò *Cavaillon*.

(k) Hoc caput et quinque sequentia desunt in ed. et in mss. quamvis in capitum indice in mss. Beccensi et Regiomontensi et in editione per Judocum Badium procurata indicentur. [Desunt quoque in Cod. Dub.] In vet. editis et scriptis post cap. 41. aut 42. habetur cap. 47. Hæc autem habemus ex ms. cod. sacri monasterii Casinensis, ab annis 700. exarato. Et quidem stylus et modi loquendi, casuum mutationes, sicut et ea quæ complectuntur, Gregorii nostri genium sapiunt ; Vitam sancti Nicetii à se ipso scriptam laudat cap. 36. Randanense monasterium dirutum est, at vicus, vulgò *Randan*, nomen retinet, paullò infra Doræ et Elaveris confluxum situs apud Arvernos.

(l) [Clun. *in vigiliis promptus*.]

(m) [Clun. *relinquet*.

(n) Deest hoc caput in cod. Clun.]

(o) Bad. in titulo, *De Symnulpho Abbate*. Regm. et Bec. *de Somniulfo Abbate*. Ejusmodi visiones habentur in Actis SS. Perpetuæ et Felicitatis.

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

latitudinem recipere posset. Apparebat autem et in alia parte litoris domus magna extrinsecus dealbata. Tunc iis qui cum eo erant, quid sibi hæc velint interrogat. At illi dixerunt : *De hoc enim ponte præcipitabitur, qui ad distringendum commissum gregem fuerit repertus ignavus ; qui verò strenuus fuerit, sine periculo transit, et inducitur lætus in domum quam conspicis ultrà.* Hæc audiens à somno excutitur, multò deinceps Monachis severior apparens. A

* XXXIV. Quid etiam apud quoddam monasterium eo tempore actum sit, pandam : nomen autem Monachi (a), quia superest, nominari nolo, ne cùm hæc scripta ad eum pervenerint, vanam incurrens gloriam reviliscat. Quidam juvenis ad monasterium veniens, Abbati se commendavit, ut in Dei servitio degeret. Cui ille cùm multa objiceret, dicens durum esse servitium illius loci, nec omninò tanta possit implere quanta ei injungebantur : se omnia impleturum in nomine Domini pollicetur. Sicque collectus est ab Abbate. Factum est autem post paucos dies, dum in humilitate atque sanctitate se in omnibus exhiberet, ut expellentes Monachi de horrea annonas, quasi coros tres, ad solem siccare ponerent, quas huic custodire præcipiunt. Cùm autem reficientibus aliis, hic ad custodiam resideret annonæ, subitò nubilatum est cœlum, et ecce imber validus cum rumore venti festinus ad annonæ congeriem appropinquabat. Quod cernens Monachus quid agere (b), quid facere nesciebat. Tractans autem, quòd si ceteros vocaret, præ multitudine hoc recondere (c) in horrea non valerent, cuncta postposita, ad orationem convertitur, Dominum deprecans, ne super triticum illud imbris illius gutta descenderet. Quod cùm se terræ dejiciens exoraret, divisa est nubes, et circa annonam pluvia valde diffusa est, nullum granum tritici (d), si dici fas est, humectans. Cùmque reliqui Monachi cum Abbate hæc consentientes (e), velociter ut annonam colligerent advenissent, cernunt hoc miraculum, requirentesque custodem, inveniuntque haud procul arenæ dejectum orantem. Quod videns Abbas, se post eum prosternit, et pertranseunte pluvia, consummata oratione vocat ut surgeret : quem adprehensum verberibus agi præcepit, dicens : *Oportet enim te, fili, in timore et servitio Dei humiliter crescere ; non prodigiis atque virtutibus gloriari* : reclusumque in cellulam septem dies, eum sicut culpabilem jejunare præcepit, quò ab eo vanam gloriam, ne ei aliquod impedimentum generaret, averteret. Nunc autem idem Monachus, ut à fidelibus viris cognovimus, in tanta abstinentia est devotus, ut diebus Quadragesimæ nullum alimentum panis accipiat, nisi tantùm die tertia plenum calice (f) thisinæ hauriat. Quem Dominus orantibus usque vitæ consummationem, ut sibi placeat, custodire dignetur. B C D

* XXXV. Defuncto igitur, ut diximus (g), apud Arvernum Cautino Episcopo, plerique intendebant propter episcopatum, offerentes multa, plurima promittentes. Nam Eufrasius Presbyter, filius quondam Senatoris Ennodi (h), susceptas à Judæis species magnas, Regi per cognatum suum Beregesilum misit, ut scilicet quod meritis obtinere non poterat, præmiis obtineret. Erat quidem elegans in conversatione, sed non erat castus in opere; et plerumque inebriabat barbaros, sed rarò reficiebat egenos. Et credo hæc causa obstitit, ut non obtineret, quia non per Deum, sed per homines adipisci voluit hos honores. Sed nec

(a) In capitulorum indice in mss. et in Bad. legitur *de Burdegalensi monacho.* Simile factum exstat in Dialogo 1. Sulpicii Severi cap. 3. ubi Abbas virgis cædi jussit puerum, qui aspidem in pallio tulerat illæsus ; ut disceret *Deo in humilitate servire, non in signis et virtutibus gloriari, quia melior esset infirmitatis conscientia, virtutum vanitate.*

(b) [Clun. *quid ageret, quid faceret.*]

(c) [Idem, *recondere ante pluviam in.*]

(d) [In cod. Clun. desunt, *nullum granum tritrici, si dici fas est, humectans.*]

(e) [Clun. *hæc sentientes.*]

(f) [Clun. *calicem thissinæ..... orantibus vobis.*]

(g) Scilicet suprà cap. 31. hujus libri. Caput istud et alia hîc à nobis nunc primùm edita tamquam sincerum Gregorii fetum laudavit antiquus Vitæ sancti Aviti Arvernorum Episcopi scriptor, qui suam narrationem ab isto capite inchoavit, et nonnulla subjunxit ex capite sequenti. Lectiones varias referre sufficiat. Sic verò incipit, *Arverna igitur civitate secundùm sæculi dignitatem beatus Avitus, non infimis nobilium natalibus ortus est, qui tempore pueritiæ suæ usque ad archidiaconi arcem Deo disponente perductus est. Defuncto itaque Cautino Episcopo plerique intendebant in episcopatum.. .. Ennodii suscepit species..... multa quidem bona secundùm Deum Ecclesiæ promisit ; tamen..... sed si præstolaretur..... eulogias accipere. Hæc enim gratia..... adveniat..... castitatem. Eodem tempore apud Lugdunum, Galliarum civitatem, sanctus Nicetius electus est, et consecratus in Episcopum fuit. Huc usque Gregorius Turonensis.* Hæc ille auctor, qui ante annos sexcentos scripsit, ut conjicere licet ex codicis vetustate, unde primùm descripta sunt. Avitus porrò sæpiùs à Gregorio laudatur, Ecclesiam apud Thigernum construxit ex cap. 67. libri 1. de Gloria Mart. reparavit Ecclesiam S. Antoliani ex cap. 65. Obiit anno 594. die 20. Septemb. quo ejus festum recolitur. Sepultus est in Ecclesia S. Mariæ de Portu à se constructa, quam *Principalem* licèt appellatam, à Cathedrali tamen distinguendam esse contendunt viri eruditi. Vide Savaronis notas in lib. de Ecclesiis Claromont. cap. 2.

(h) Savaro legit *Euvodi.* Sic pro *Evodii* scriptum hoc nomen passim in veteribus codd. occurrit. [Clun. *Evodi... Beregiselum.*]

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT. * *l.* nulla.

A illud potuit immutari, quod Dominus per os sancti Quintiani locutus est : *Quia non surgit* (a) *de stirpe Hortinzi, qui regat Ecclesiam Dei.* Congregatis igitur Avitus Archidiaconus Clericis in Ecclesia Arverna, multa * quidem promisit, sed tamen accepto consensu (b) ad Regem petiit; voluitque ei tunc Firminus (c), qui in hac civitate Comes positus fuerat, impedire : sed ipse non abiit. Amici autem ejus, qui in hac causa directi fuerant, rogabant Regem, ut saltem una Dominica (d) præteriret, ut hic non benediceretur : quod si propalaretur, mille aureos Regi darent : sed Rex his non annuit. Factum est ergo ut congregatis in unum civibus Arvernis, beatus Avitus, qui tunc tempore, ut diximus, erat Archidiaconus, à Clero et populo electus cathedram pontificatûs acciperet, quem Rex in tanto honore (e) dilexit, ut parumper rigorem canonicum præteriens (f), in
B sua eum præsentia benedici juberet, dicens : *Merear de manu ejus eulogia* (g) *accipere.* Hæc enim in gratia fecit, ut apud Mettensem urbem benediceretur. Idem accepto episcopatu magnum se hominibus præbuit, justitiam populis tribuens, pauperibus opem, viduis solatium, pupillisque maximum adjumentum. Jam si peregrinus ad eum advenerit, ita diligitur, ut in eodem se habere et patrem recognoscat et patriam : qui cùm magnis virtutibus floreat, et omnia quæ Deo sunt placita ex toto corde custodiat, iniquam in omnibus extirpans luxuriam, justam Dei (h) inserit castitatem.

* XXXVI. Decedente verò apud Parisius post Synodum illam, quæ Saffaracum expulit (i), Sacerdote Lugdunensi Episcopo, sanctus Nicetius ab ipso, sicut in libro Vitæ ejus scripsimus (k), electus suscepit episcopatum, vir totius sanctita-
C tis egregius, castæ conversationis. Caritatem verò, quam Apostolus cum omnibus, si possibile esset, observare (l) præcepit, hic possibiliter ita in cunctis exercuit, ut in ejus pectore ipse Dominus, qui est vera caritas, cerneretur. Nam etsi commotus contra aliquem pro negligentia fuit, ita protinùs emendatum recepit, tamquam si non fuisset offensus. Erat enim castigator delinquentium, pœnitentiumque remissor, eleemosynarius atque strenuus in labore : Ecclesias erigere, domos componere, serere agros, vineas pastinare diligentissimè studebat. Sed non eum hæ res ab oratione turbabant. Hic viginti duobus annis sacerdotio ministrato migravit ad Dominum : qui nunc magna miracula ad suum tumulum exorantibus præstat. Nam de oleo cicindeli (m), qui ad ipsum sepulcrum quotidie accenditur, cæcorum oculis lumen reddidit, dæmones de obsessis corporibus fugat, contractis
D membris restituit sanitatem, et omnibus infirmis magnum in hoc tempore habetur præsidium. Igitur Priscus Episcopus, qui ei successerat, cum conjuge sua Susanna cœpit persequi ac interficere multos de his, quos vir Dei familiares habuerat, non culpa aliqua victos, non in crimine comprobatos, non furto deprehensos, tantùm inflammante malitia invidus, cur ei fideles fuissent. Declamabat multa blasphemia ipse cum conjuge de sancto Dei : et cùm diù multoque tempore observatum fuisset ab anterioribus Pontificibus, ut mulier domum non ingrederetur Ecclesiæ (n); hæc cum puellis etiam in cellula, in qua viri beati (o) quieverant, introibat, sed pro his commota tandem divina Majestas ulta est in familia (p) Prisci Episcopi. Nam conjux ejus dæmone arrepta, dimissis crinibus per totam urbem insana vexabatur, et sanctum Dei, quem sana negaverat, amicum Christi confessa, ut sibi parceret declamabat. Episcopus ille à typo quartanæ (q) correptus tremorum incurrit. Nam cùm typus ille recessisset, hic semper tremens habebatur

Rom. 12. 17.

(a) In libro de Vitis Patrum cap. 4. ubi plura de Hortensio. [In cod. Clun. *non surget..... Hortensii.*]

(b) Sic instrumentum electionis cap. 26. non semel Gregorius appellat. De sancto Avito sæpiùs agit Gregorius infrà, et in libris Miraculorum. Vide et Fortunatum lib. 3. carm. 24. et duabus seqq. Ejusdem laudes à Gregorio invitatus cecinit carm. 4. lib. 5. præmissa ad ipsum Gregorium epistola. Ceterùm Savaro de Originibus Claromontensibus pag. 137. et seqq. laudat hoc libri 4. Historiæ Gregorii caput, ejusque epitomen scripsit : unde patet ea capita quæ hîc primùm damus ex cod. Casinensi, in aliis quoque codicibus exstitisse, quorum unus saltem Savaroni fuerit notus.

(c) [Clun. *voluitque tunc Firminus, qui..... Comitatum potitus fuerat.* Deest *ei.*]

(d) Dominicis solummodò diebus fiebant Episcoporum consecrationes. Vide Concilium Carthaginense tertium canone trigesimo-nono.

(e) [Clun. *amore dilexit.*]

(f) Quòd ordinationes à Metropolitano in propria provincia fieri conveniret secundùm Canonum præscripta. Sic et ipse Gregorius Remis ab Ægidio consecratus est.

(g) [Clun. *eulogias.*]

(h) [In cod. Clun. deest *Dei.*]

(i) Saffaracus Episcopus Parisiensis exauctoratus est in synodo Parisiensi II. quam anno 555. Sirmondus, an. 551. Cointius consignant.

(k) In libro de Vitis Patrum cap. 8. quod cum isto loco confer.

(l) [Clun. *observari.*]

(m) [Clun. *cicindelis .... lumen reddit.*]

(n) [In Clun. deest *Ecclesiæ.*]

(o) [Clun. *vir beatus queverat.*]

(p) [Idem, *in familiam.*]

(q) [Idem, *typo quartano.*]

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

ac stupidus : filius quoque, omnisque familia decolor esse videbatur ac stupida : A ut nulli sit dubium, eos à sancti viri virtute percussos. Semper enim Priscus Episcopus, ejusque familia, contra (a) sanctum Dei nefariis vocibus oblatrabant, ipsumque sibi amicum esse dicentes, quicumque de eo improperia evomuisset. Jusserat enim in primordio episcopatûs sui ædificium domûs Ecclesiasticæ exaltari : et Diaconus quem sæpe propter facinus adulterii sanctus Dei, dum esset in corpore, non solùm à communione removerat, sed etiam sæpiùs cædi præceperat, et numquam ei (b) ad emendationem ducere potuit, hic ascendens super tectum domûs illius, cùm detegere cœpisset, ait : *Gratias tibi ago, Jesu-Christe, quòd post mortem iniquissimi Nicetii super hunc tectum calcare promerui.* Adhuc verba in ore pendebant, et statim subductus à pedibus ejus robur (c) in quo stabat, cecidit ad terram, crepuitque et mortuus est. Cùm autem Episcopus vel conjux ejus multa B contra rationem agerent, apparuit cuidam Sanctus per somnium, dicens : *Vade, et dic Prisco ut emendetur ab operibus malis, et fiant opera ejus bona. Martino* (d) *quoque Presbytero dices : Quia consentis his operibus, castigandus eris : et si emendare perversitatem tuam nolueris, morieris.* At ille evigilans, locutus est Diacono cuidam, dicens : *Vade quæso, eò quòd sis amicus in domo Episcopi, et hæc loquere sive Episcopo, sive Martino Presbytero.* Promisit se Diaconus elocuturum, sed retractatus (e) noluit ea fari. Nocte autem cùm se sopori dedisset, apparuit ei Sanctus, dicens : *Cur non dixisti quæ tibi Abbas locutus est, et clausis pugnis cœpit guttur ejus cædere.* Mane autem facto, inflatis faucibus cum magno dolore, accessit ad viros, et omnia quæ audierat intimavit. At illi parvi pendentes ea quæ audierant, phantasiam somniorum esse dixerunt. Martinus verò Presbyter (f) statim in febre et ægrotans con- C valuit ; secum semper (g) adoratorio Episcopo loqueretur, et consentiret et in malis actibus ac blasphemiis quæ in sanctum evomebant, iterum in febre redactus spiritum exhalavit.

* XXXVII. Sanctus verò Friardus hoc nihilominùs tempore, quo sanctus Nicetius, obiit plenus dierum, sanctitate egregius, actione sublimis, vita nobilis ; de cujus miraculis quædam in libro, quem de Vita ejus scripsimus (h), memoravimus. In cujus transitu adveniente Felice Episcopo, cellula tota contremuit : unde non ambigo aliquid ibidem fuisse angelicum, quòd sic locus ille ipso transeunte tremuerit, quem Episcopus abluens, atque dignis vestimentis involvens, sepulturæ mandavit.

al. XXXII. An. Chr. 567.

XXXVIII. Ergo, ut ad historiam recurramus (i), mortuo apud Hispaniam D Athanagildo Rege, Leuva cum Leuvieldo fratre regnum accepit. Defuncto igitur Leuvane, Leuvieldus frater ejus totum regnum occupavit. Qui uxore mortua, Gunthsuentham (k) Reginæ Brunichildis matrem accepit, duos filios de prima uxore habens, quorum (l) unus Sigiberti, alius Chilperici filiam despon-

(a) [In Clun. deest *contra.*]

(b) [Clun. *eum ad emend. reducere.*]

(c) [Idem, *rubor.* Paulò pòst deest *crepuitque.*]

(d) [Idem, *Martiano*, sic infrà.]


(e) [Idem, *retractans.*]

(f) [Idem, *statim inruit à febre.*]

(g) Sic fortè legendum, *in febrem incidit, et ægrotans convaluit : sed cùm semper adulatoria..... consentiret ei in*, etc. [Cod. Cluniac. *sed cùm semper adulatoriè loqueretur, et consentiret in malis ac.*]

(h) In libro de Vitis Patrum cap. 10.

(i) Capitum numero ob addita ex cod. Cassin. accreto, Chesnianos numeros è regione ad marginem usque ad libri finem apponemus, ob citationum commoda. Ceterùm omnes mss. præter Bec. habent : *Ergo ut ad historiam recurramus*, aut, *redeamus.* Editi verò ut plurimùm. *Eo autem tempore mortuo.* Et infrà Corb. *Athanieldo..... Leuveldo.* Editi aliquot *Athanoldo.* [Clun. *Atthanaheldo.*] Leuvigildi sincerum nomen, et regni tempus discimus ex antiqua inscriptione sepulcro cujusdam Gotthi apposita, quæ hodieque in Ecclesia vici *Truillas* dicti, duobus leucis à Narbonensi urbe dissiti, visitur : quo in loco antiqua ædificiorum rudera, et aquæductus primorum temporum reliquiæ supersunt. Inscriptionem verò huc integram proferimus.



* Annus XIV. regni Leuvigildi incidit in an. Chr. 582.

(k) Editi cum Bec. *Gunsventham*, al. *Grandiswintham.* [Dub. *Guthsuendam.*]

(l) Hermenegildus Ingundem duxit uxorem, Rec-

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT. al. XXXIII.

A savit. Ille quoque inter eos regnum æqualiter divisit, interficiens omnes illos qui Reges interimere consueverant, non relinquens ex eis mingentem ad parietem.

XXXIX. Defuncto (a) igitur apud urbem Constantinopolitanam Justiniano Imperatore. Justinus ambivit Imperium, vir nimiæ avaritiæ debitus, contemtor pauperum, Senatorum exspoliator : cui tanta fuit cupiditas, ut arcas juberet fieri ferreas, in quas numismatis aurei talenta (b) congereret : quem etiam ferunt in hæresim Pelagianam dilapsum. Nam non post multum tempus exsensus (c) effectus, Tiberium Cæsarem sibi adscivit ad defensandas provincias suas, hominem justum, eleemosynarium, æquum, discernentem, obtinentemque (d) victorias : et, quod omnibus supereminet bonis, etiam verissimum Christianum. Denique Sigibertus Rex legatos ad Justinum (e) Imperatorem misit, pacem petens, id est Warina- An. 566.
B rium (f) Francum, et Firminum Arvernum. Qui euntes vectu navali, Constantinopolitanam sunt urbem ingressi, locutique cum Imperatore, quæ petierunt obtinuerunt. Ad sequentem tamen annum (g) in Galliam sunt regressi. Post hæc autem Antiochia Ægypti, et Appamia Syriæ, maximæ civitates, à Persis captæ sunt, et populus captivus abductus. Basilica tunc sancti Juliani Antiochensis martyris gravi incendio concremata est. Ad Justinum autem (h) Imperatorem Persæ-Armeni cum magno serici intexti pondere venerunt, petentes amicitias ejus, atque narrantes se Imperatori Persarum esse infensos. Venerant enim ad eos legati ejus, dicentes : *Sollicitudo imperialis sciscitatur, si fœdus initum cum eo custodiatis intactum.* Respondentibus illis, omnia ab his pollicita inlibata servari; dixerunt legati : *In hoc apparebit vos ejus amicitias custodire, si ignem, ut ille veneratur* (i),
C *et vos veneremini.* Respondente populo nequaquam se hæc facturum, ait Episcopus qui coram erat : *Quæ est in igne deitas, ut venerari queat? quem Deus ad usus hominum procreavit, qui fomentis accenditur, aqua restinguitur, adhibitus urit, neglectus* (k) *tepescit.* Hæc et his similia Episcopo prosequente, legati furore succensi, actum conviciis fustibus, cædunt. Cernens autem populus Sacerdotem suum sanguine cruentatum, super legatos inruunt, manus injiciunt, interimuntque : et, sicut diximus, hujus Imperatoris amicitias petierunt.

XL. Palladius autem Brittiani (l) quondam Comitis ac Cæsariæ filius, Comi- al. XXXIV.
tatum in urbe (m) Gaballitana, Sigiberto Rege impertiente, promeruit, sed orta intentio (n) inter ipsum et Parthenium Episcopum, valde populum conlidebat. Nam plerumque conviciis, ac diversis opprobriis, ac criminibus obruebat Episco-
D pum, pervadens res Ecclesiæ, spoliansque homines ejus. Unde factum est, ut hac intentione crescente, cùm ad præsentiam jam dicti Principis properassent, et diversa sibi invicem objectarent, mollem Episcopum, effeminatum Palladius vocitaret : *Ubi sunt mariti tui, cum quibus stuprosè ac turpiter vivis?* Sed hæc in Sacerdotem verba prolata, divina confestim ultio subsequens abolevit. Nam anno sequenti semotus à Comitatu Palladius Arvernum regressus est : Romanus verò Comitatum ambivit. Factum est autem, ut quadam die in urbe Arverna uterque conjungeretur, et altercantibus inter se pro hac actione Comitatûs; audivit Palladius se à Sigiberto Rege debere interfici : sed falsa hæc et maximè à Romano emissa deprehensa sunt. Tunc ille timore perterritus, ita in angustiam gravem redactus est, ut minaretur se propria dextera perimere. Cùmque à matre vel à cognato suo Firmino intentè adtenderetur, ne perficeret quod mente amara conceperat, per intervalla horarum elapsus à matris adspectu, ingressusque cubi-

caredus verò Rigunthem Chilperici filiam desponsavit, sed numquam duxit, ut dicetur inferiùs.

(a) Hoc caput in Corb. Bellov. et Colb. habetur post caput sequens. [Ita in Dub. et Clun.] Editorum tamen ordinem retinuimus.

(b) Sic editi, Colb. et Corb. *numismata auri.* [Clun. *in quibus nomismata auri.*]

(c) Sic Corb. Bec. et Bell. quæ vox familiaris est Gregorio. Editi et Paul. Diac. lib. 3. cap. 11. habent *amens.* [Clun. *exsensus effectus, Tiburtium..... ad defendendas..... æqualem discernentemque victorias.*]

(d) [Cod. Dub. *obtinentemque verissimum Christianismum.*]

(e) Sic Corb. et Bell. Editi verò cum Colb. et Bec. *ad Justinianum.*

(f) [Clun. *Warnarum.*]

(g) Corb. et Bell. *in alium annum.* [Dub. et Clun. *in alium tamen annum in Galliis.*]

(h) Sic Colb. at Corb. *Persiani.* Bec. *ad Justinianum... Persesiri Armeni.* Ceteri ed. *ad Justinianum autem Imp..... cum magno auri pondere.* [Clun. *Persi Armeni... Syrici intexto.*] Persarmenios memorat Procopius lib. 4. de Bello Gotthico : Armeniam-majorem appellatam fuisse Persarmeniam dicit Valesius, quòd Persis esset subjecta.

(i) [Clun. *veneratur, adoraveritis.*]

(k) Alii, *at ubi erit neglectus.*

(l) Cod. Bellov. *Britani,* alii *Brittanii.* [Clun. *Biciani.*] Editi veteres *Brictiani.* Porrò caput istud deest in Bec. et Bad. licèt ibidem in capitum Indiculo memoretur.

(m) Editi plerique mendosè *Gallicana.* Corb. *Callitana.* [Clun. *Gabalitana.*] Sed hîc Gabalis urbs indicatur, hodie vicus *Javoulz*, sede episcopali apud Mimatem stabilita.

(n) Sic mss. et infrà, pro *contentione*, quod habent editi. [Cod. Dub. *contentu*]

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

culum, accepto spatio solitudinis, evaginato gladio, cornuaque ensis pedibus calcans, acumen ad pectus erexit, impressusque desuper, gladius ab una ingressus mamilla in (a) spatulam dorsi regressus est : erectusque iterum, similiter altera manu perfossus, cecidit, et mortuus est. Quod non sine diaboli opere perfectum scelus mirati sumus. Nam prima eum plaga interficere potuit, si non diabolus sustentaculum præbuisset, quo hæc nefanda perageret. Currit mater exanimis, et supra filii corpusculum orbata collabitur, atque omnis familia voces planctûs emittit. Verumtamen ad monasterium Chrononensem (b) delatus sepulturæ mandatur, sed non juxta Christianorum cadavera positus, sed nec Missarum sollemnia meruit (c) : quod non ob aliam causam, nisi ob injuriam Episcopi, hæc ei evenisse probatur. A

al. XXXV. An. Chr. 568.

XLI. Alboinus verò Langobardorum Rex, qui Chlothosindam Regis Chlothacharii filiam habebat, relicta regione sua, Italiam cum omni illa Langobardorum (d) gente petiit. Nam commoto exercitu, cum uxoribus et liberis abiere, illuc commanere deliberantes. Quam regionem ingressi, maximè per septem annos pervagantes, spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, in suam redigunt potestatem. Mortua autem Chlothosinda uxore Alboini, aliam duxit conjugem, cujus patrem ante paucum tempus interfecerat. Qua de causa mulier in odio semper virum habens, locum opperiebatur, in quo posset injurias patris ulcisci : unde factum est, ut unum ex famulis concupiscens, virum veneno necaret (e) : quo defuncto, cum famulo abiit : sed adprehensi, pariter interfecti sunt. Langobardi deinceps alium super se Regem statuunt. B

An. 574.

al. XXXVI.

XLII. Eunius quoque, cognomento Mummolus, à Rege Guntchramno patriciatum promeruit : de cujus militiæ origine, altiùs quædam repetenda putavi. Hic etenim Peonio (f) patre ortus, Autisiodorensis urbis incola fuit. Peonius verò hujus municipii Comitatum regebat. Cùmque ad renovandam actionem (g), munera Regi per filium transmisit, ille datis rebus paternis, Comitatum patris ambivit, supplantavitque genitorem, quem sublevare debuerat. Ex hoc (h) verò gradatim proficiens, ad majus culmen evectus est. Igitur prorumpentibus Langobardis (i) in Gallias, Amatus Patricius (k), qui nuper Celsi successor exstiterat, contra eos abiit, commissoque (l) bello terga vertit, ceciditque ibi. Tantamque tunc stragem Langobardi feruntur fecisse de Burgundionibus, ut non possit colligi numerus occisorum : oneratique præda discesserunt iterum in Italiam. Quibus discedentibus, Eunius, qui et Mummolus, arcessitus à Rege, patriciatûs culmen meruit. Inruentibus iterum Langobardis in Gallias, et usque Mustias-Calmes (m) accedentibus, quod adjacet civitati Ebredonensi, Mummolus exercitum movet, et cum Burgundionibus illuc proficiscitur. Circumdatisque Langobardis cum exercitu, factis etiam concidibus, per devia silvarum inruit super eos : multos interfecit, nonnullos cepit, et Regi direxit. Quos ille per loca dispersos custodire præcepit, paucis quodammodò per fugam elapsis, qui patriæ nuntiarent. C D

An. 571.

An. 572.

(a) [Cod. Dub. *in spadolam dorsi egressus est, et retractus iterùm, similiter in alia mamilla perfossus, cecidit mortuus.*]

(b) Sic appellatur in Bellov. et Corb. In Corb. et apud Chesn. *Chronensium*; plerique alii editi, *Dironensium*. Huc S. Gallus, posteà Arvern. Episc. secessit, ut in ejus Vita dicitur, inter Vitas Patrum cap. 6. Hodie vulgò *Cornon*, seu *Cournon* appellatur, ubi Collegium Canonicorum sub S. Martini titulo.

(c) Observa hîc missas pro defunctis olim dici solitas, si id ipsis utile fore speraretur. Vide Mabillonium lib. 2. Liturgiæ Gallic. num. 70.

(d) Editi complures, *cum quatuor millium Longobardorum*. Marius in Chronico Alboini in Italiam migrationem revocat ad an. 569. ejus verò necem ad 572.

(e) Hæc erat Rosemunda, Cunimundi Gepidarum Regis filia, quæ primò Alboinum maritum necari procuravit, tum Helmigisum adulterum veneno interficere conata, reliquum veneni ab ipso jam media parte ebibitum bibere coacta, simul periere. Vide Pauli Historiam Langobardorum lib. 1. cap. 27. et lib. 2. cap. 28. et 29. [Clun. *veneno maleficaret.*]

(f) Editi aliquot *Pœnio*. Colb. *Pionio*.

(g) Id est, ut comitiva sibi prorogaretur. Solebant enim tunc Reges nostri judices seu præfectos, qui Comites dicebantur, civitatibus seu oppidis in certum tempus præponere : quibus munera præstantibus, si de iis nemo querebatur, facilè in idem temporis spatium magistratus concedebatur. Hæc etiam erat quandoque ad superiores dignitates pertingendi via, ut Mummolo contigit. *Actionis* autem nomine sæpiùs officium signatur. Vide Bignon. in lib. 1. Marculfi. form. 11.

(h) [Codex Cluniac. *Ex hac verò gratia hic proficiens.*]

(i) * Variæ Longobardorum in Gallias irruptiones, quæ hîc et in capitibus sequentibus memorantur, contigere à morte Celsi Patricii, id est, ab anno 570. ad 576.

(k) Editi plerique *Armatus Pericius*, *qui nuper Celsi successor. Concurruntque ibi.* Sed apud Paulum Diaconum lib. 3. cap. 3. dicitur quoque *Amatus patricius.*

(l) [Dub. *commissumque bellum.*]

(m) Sic Bellov. At Corb. [et Clun.] *Musticascalmes*. Bec. *Mutias-calmes*. Editi nonnulli *Musciascalmes*. [Dub. *Musciascalmes..... Ebreionense.*] Nostram lectionem habet Paulus lib. 3. Histor. Langob. c. 4. ubi et hanc Langobardorum incursionem describit.

A XLIII. Fueruntque in hoc prælio Salonius (a) et Sagittarius fratres, atque Episcopi, qui non cruce cœlesti muniti, sed galea aut lorica sæculari armati, multos manibus propriis, quod pejus est, interfecisse referuntur. Hæc prima Mummoli in certamine victoria fuit. Post hæc Saxones, qui cum Langobardis in Italiam venerant, iterum prorumpunt in Gallias, et infra territorium Regense, id est apud Stablonem (b) villam, castra ponunt, discurrentes per villas urbium vicinarum, diripientes prædas, captivos abducentes, vel etiam cuncta vastantes. Quod cùm Mummolus comperisset, exercitum movet, inruensque super eos, multa ex his millia interfecit, et usque ad vesperam cædere non destitit, donec nox finem faceret. Ignaros enim repererat homines, et nihil de his quæ accesse-
B runt autumantes. Mane autem facto statuunt Saxones exercitum, præparantes se ad bellum. Sed intercurrentibus nuntiis pacem fecerunt : datisque muneribus Mummolo, relicta universa regionis præda cum captivis, discesserunt (c) : jurantes priùs quòd ad subjectionem Regum, solatiumque * Francorum redire deberent in Gallias. Igitur regressi Saxones in Italiam, adsumtis secum uxoribus et parvulis, vel omni supellectile facultatis, redire in Gallias destinantes (d), scilicet ut à Sigiberto Rege collecti, in loco unde egressi fuerant, stabilirentur. Feceruntque ex se duos, ut aiunt, cuneos : et unus quidem per Niceam urbem, alius verò per Ebredunensem venit, illam re vera tenentes viam, quam anno superiore tenuerant : conjunctique sunt in Avennico (e) territorio. Erat enim tunc tempus messium, et locus ille maximè fructus terræ sub divo * habebat, nec quicquam ex his domi incolæ recon-
C diderant. Denique accedentes in areas, segetes inter se dividunt : colligentesque ac triturantes, frumenta comedebant, nihil ex his, eis qui laboraverant, relinquentes. Verùm postquàm expensis fructibus ad litus Rhodani amnis accesserunt, ut transacto torrente, regno se Regis Sigiberti conferrent, occurrit eis Mummolus, dicens : *Non transibitis torrentem hunc : ecce regiones domini mei Regis depopulastis, collegistis segetes, pecora devastastis* (f), *tradidistis domus incendiis, oliveta ac vineta succidistis. Non ascendetis, nisi satisfaciatis priùs his quos exiguos reliquistis : alioquin non effugietis manus meas, nisi ponam gladium super vos, et uxores, et parvulos vestros, et ulciscar injuriam domini mei Guntchramni Regis.* Tunc illi timentes valde, dantes multa numismatis (g) aurei millia pro redemtione sua, transire permissi sunt : et sic Arvernis pervenerunt. Erat tunc vernum tempus, proferebant ibi regulas (h) æris
D incisas pro auro, quas quisque videns, non dubitabat aliud, nisi quòd aurum probatum atque examinatum esset. Sic enim coloratum ingenio nescio quo fuit : unde nonnulli hoc dolo seducti, aurum dantes et æs accipientes, pauperes facti sunt. Hi verò ad Sigibertum Regem transeuntes, in locum, unde priùs egressi fuerant, stabiliti sunt.

al. XXXVII.

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

An. Chr. 573.

* *i.* auxilium.

An. 574.

* *ed.* dio.

XLIV. In (i) regno autem Sigiberti Regis, remoto ab honore Jovino Rectore Provinciæ, Albinus in loco ejus subrogatur. Magnam inter eos inimicitiam hæc causa gessit. Igitur advenientibus ad cataplum Massiliensium navibus transmarinis (k), Vigilii Archidiaconi homines septuaginta vasa, quæ vulgò orcas (l) vocant, olei liquaminisque furati sunt, nesciente domino. Negotiator autem cùm cognovisset sibi rem furto ablatam fuisse, inquirere diligenter cœpit, quo furtum in loco fuisset reconditum. Hæc inquirens, audiit à quodam quòd (m) homines Vigilii Archidiaconi perpetrassent. Perveniunt hæc ad Archidiaconem, qui inquirens et inveniens, nequaquam publicare, sed excusare suos cœpit, dicens : *Num-*

al. XXXVIII.

(a) Editi aliquot *Salvinus,* quòd sic legerent pro *Salunius,* ut in Colb. Salonius Ebredunensis, Sagittarius Vapincensis Episcopi fuere.

(b) Sic veteres mss. Chesn. *Staplonem.* Hic locus hodie dicitur vulgò *Stoblon*, vel *Establon* in diœcesi Regiensi, *de Riez*, in Provincia. [Clun. *terminum Regensim et apud Staplonem.*]

(c) Editi ita comma apponunt, ut Saxones cum captivis discessisse videantur; at ex Paulo Diacono lib. 3. cap. 5. patet has voces *cum captivis* esse præcedentibus conjungendas, cùm ipse habeat, *relictis captivis et universa præda in Italiam revertuntur.* Vide et ejusdem Pauli cap. 6. et 8.

(d) [Clun. *in Galliis destinant. Erat tunc vernum tempus.* Media desunt.]

(e) Sic mss. Editi verò cum Bec. habent *Arvernico.* At præferenda mss. lectio : nam infrà à Mummolo intercepti sunt in Rhodani transitu : quod fieri non potuisset, si jam in Arvernico territorio fuissent, longè à Rhodani ripis posito. Designatur itaque hoc in loco Avenionense territorium. Nobis favet Fredegarius cap. 68. [Dub. *Avennio.*]

(f) Plerique editi addunt *trucidastis.*

(g) Cod. Corb. *numismata.*

(h) Alii habent, *tegulas.* [Clun. *proferebant hi regulas ære.*]

(i) Hoc caput deest in Corb. Bellov. [et Dub.]

(k) In plerisque editis *Advenientibus transmarinis.* Cetera omissa sunt. Hæc porrò apud Massiliam contigisse patet ex capitis titulo, quod de Archidiacono Massiliensi inscribitur. *Cataplus* autem pro portu frequenti sumitur apud Sidonium. Vide Amaltheon Josephi Laurentii.

(l) Colb. *arcas;* sed retinenda nostra lectio. Orca quippe vasis est species usitata.

(m) [Clun. *quia hoc omines.*]

GUNTRAM, CHILPER. SIGIBERT.

quam de domo mea egressus est, qui tale (a) *auderet admittere.* Taliter, inquam, excusante Archidiacono, negotiator ad Albinum pergit : causam exserit, et Archidiaconem in crimine fraudis hujus mixtum accusat. Die autem sancto Natalis Dominici, Episcopo in Ecclesia adveniente, Archidiaconus indutus alba adest, Episcopum, ut mos est (b), invitans ad altare debere procedere, ac sollemnitatem diei sancti opportuno debere tempore celebrare. Nec mora, Albinus de sede exsiliens, adprehensum Archidiaconem detrahit, pugnis calcibusque cædit, et custodia carcerali coartat (c). Pro quo numquam obtinere potuerunt, nec Episcopus, nec cives, nec ullus major natu, nec ipsa vox totius populi adclamantis, ut datis fidejussoribus, diem sanctum Archidiacono liceat cum reliquis celebrare, atque accusatio (d) ejus in posterum debere audiri : sed nec ob ipsa sacrosancta sollemnia metum habuit, ut ministrum Dominici altaris tali in die non auderet adripere. Quid plura? Quatuor millibus solidorum Archidiaconem condemnavit : qui in præsentia Regis Sigiberti veniens, quadrupla satisfactione, insequente Jovino, composuit. A B

al. XXXIX. Post ann. 576.

XLV. Post hæc tres Langobardorum Duces (e), id est Amo, Zaban, ac Rhodanus, Gallias inrupere. Et Amo quidem Ebredunensem carpens viam usque Machovillam (f) Avennici territorii, quam Mummolus munere meruerat regio, accessit : ibique fixit tentoria. Zaban verò per Diensem (g) descendens urbem, usque Valentiam venit : ibique castra posuit. Rhodanus autem Gratianopolitanam urbem adgressus est, ibique papiliones extendit. Et Amo quoque Arelatensem debellavit provinciam, cum urbibus quæ circumsitæ sunt. Et usque ipsum Lapideum campum (h), qui adjacet urbi Massiliensi accedens (i), tam de pecoribus, quàm de hominibus denudavit : Aquensibus autem obsidionem paravit, de quibus viginti duabus libris argenti acceptis abscessit. Sicque et Rhodanus ac Zaban in locis quibus accesserant fecerunt. Quæ cùm Mummolo perlata fuissent, exercitum movit, et Rhodano, qui Gratianopolitanam urbem debellabat, occurrit. Sed cùm Iseram (k) fluvium exercitus laboriosè transiret, nutu Dei animal amnem ingreditur, vadum ostendit : et sic populus in ulteriorem ripam egreditur. Quod videntes Langobardi, nec morati, evaginatis gladiis hos adpetunt. Commissoque bello in tantum cæsi sunt, ut Rhodanus sauciatus lancea ad montium excelsa confugeret. Exinde cum quingentis viris qui ei remanserant, per devia silvarum prorumpens, ad Zabanem pervenit, qui tunc urbem Valentiam obsidebat : narravitque ei omnia quæ acta fuerant. Tunc datis pariter cunctis in prædam, ad Ebredunensem urbem regressi sunt : ibique eis cum innumero exercitu Mummolus in faciem venit. Commissoque prælio, Langobardorum phalangæ usque ad internecionem cæsæ, cum paucis Duces in Italiam sunt regressi. Cùmque usque Sigusium (l) urbem perlati fuissent, et eos incolæ loci durè susciperent, præsertim cum Sisinnius Magister militum à parte Imperatoris in hac urbe resideret : simulatus Mummoli puer in conspectu Zabanis, Sisinnio litteras protulit (m), salutemque ex nomine Mummoli dedit, dicens : *En ipsum in proximo.* Quod audiens Zaban, cursu veloci ab urbe ipsa digressus præteriit. His auditis Amo, collecta omni præda in itinere proficiscitur : sed (n) resistentibus nivibus, reli- C D

(a) [Clun. *talia auderet admittere. Taliter denique excusante.*]

(b) Mos erat ut Episcopo celebraturo ad Ecclesiam accedenti Archidiaconus cum reliquo clero in albis, thuribulis fumigantibus occurreret. Vide Paulum Emeritensem, etc. apud Mabillonium lib. 1. de Liturgia Gallic. cap. 7. [Clun. *deberet procedere..... deberet tempore.*]

(c) Plerique editi, *Archidiaconum coarctat*, ceteris omissis.

(d) [Clun. *accusatio causæ in posterum deberet.*]

(e) Ex iis erant Ducibus, qui post Clebi Regis necem, anno 574. Langobardis præfuerunt. * Clebus nonnisi anno 576. interfectus est.

(f) Sic duo mss. veteres Corb. et Bellov. ceteri cum editis *Machao-villam*, præter Colb. in quo vox *villam* desideratur. Paulus Diac. lib. 3. cap. 8. habet sicut veteres mss. *Machovillam.* [Clun. *Machaovillam.*]

(g) Alii editi *Deensem.* [Clun. *Deinsim,*] quod perinde est. Est namque Dia seu Dea Vocontiorum civitas episcopalis, etiam nunc celebris. Tamen Bell. habet *Verdunensem*, et Corb. *Virdunensem*, quamquam prima manu scriptum fuisset *Vinsunensem.* Sed correctio ejusdem est ævi ac codex ms. Et quidem Freherus in margine monet, in ms. scilicet Palatino, haberi *Virdunensem.* Unde Valesius existimat duo hanc urbem nomina habuisse, latinum unum, Deam scilicet, alterum Gallicum, quod est *Virdunum.* Idem auctor alio in loco observat in Provincia fluvium esse, nomine Verdunum, vulgò *Verdon*, ex quo fortè locus aliquis hîc designatus nomen habuerit. Paulus Diac. qui lib. 3. has omnes Langobardorum et Saxonum expeditiones narrat iisdem fermè verbis ac Gregorius, cap. 8. ubi de hac ipsa irruptione loquitur, habet *Diensem.*

(h) Vulgò *la Crau*, ut Cointius monet.

(i) Bell. *accipiens tam.*

(k) Sic Corb. et Bellov. alii *Eseram* aut *Isaram*, vel cum adspiratione *Heseram, Hiseram.* [Cluniac. *Eseram.*] Quæ variæ lectiones in aliis quoque scriptoribus occurrunt, sed eumdem fluvium designant, vulgò l'*Isere*, qui in Sabaudia ortus, Rhodano paullò supra Valentiam miscetur.

(l) Alii, *Siosium*, hodieque nomen Segusii retinet, vulgò *Suze*, ad Duriam amnem.

(m) [Clun. *protulit dicens.* Media desunt.]

(n) [Dub. *resistentibus relicta præda.*]

A cta præda, vix cum paucis erumpere potuit. Exterriti enim erant virtute Mummoli.

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT. al. XL.

XLVI. Multa enim Mummolus bella gessit, in quibus victor exstitit. Nam post mortem Chariberti, cùm Chilpericus Turonis ac Pictavis pervasisset, quæ Sigiberto Regi per pactum in partem venerant, conjunctus Rex ipse cum Guntchramno fratre suo, Mummolum eligunt, qui has urbes ad eorum (a) dominum revocare deberet. Qui Turonis veniens, fugato exinde Chlodovecho Chilperici filio, exactis à populo ad partem Regis Sigiberti sacramentis, Pictavos accessit. Sed Basilius ac Sigharius (b) Pictavi cives, collecta multitudine, resistere voluerunt : quos de diversis partibus circumdatos oppressit, obruit, interemit ; et sic Pictavos accedens, sacramenta exegit. Hæc interim de Mummolo dicta sufficiant : (c) reliqua in
B posterum sunt digerenda.

XLVII. De Andarchii (d) verò interitu locuturus, priùs genus ordiri placet et patriam. Hic igitur, ut adserunt, Felicis (e) senatoris servus fuit, qui ad obsequium domini deputatus, ad studia litterarum cum eo positus, bene * institutus emicuit. Nam de operibus Virgilii, legis Theodosianæ libris, arteque calculi adplenè eruditus est. Hac igitur scientia tumens, despicere dominos cœpit : et se patrocinio Lupi Ducio (f), cum ad urbem Massiliensem ex jussu Regis Sigiberti accederet, commendavit. De qua regressus, hunc secum abire (g) præcepit, insinuavitque eum diligenter Sigiberto Regi atque ad serviendum tradidit. Quem ille per loca diversa dirigens, locum præbuit militandi. Ex hoc quasi honoratus (h) habitus, Arvernum venit : ibique cum Urso cive urbis ejus amicitias inligat.

al. XLI.

* *Dub.* instructus.

C Interim, ut erat acris ingenii, filiam ejus desponsare desiderans, loricam, ut ferunt, in libellari quo chartæ abdi solitæ sunt, recondit, dicens mulieri, conjugi utique Ursi : *Quia multitudinem aureorum meorum ampliùs quàm sexdecim millia in hoc libellari reconditam tibi commendo, quod tuum esse poterit, si mihi filiam tuam præstiteris desponsari.* Sed

——— *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri sacra fames?

Virgil. Æneid. lib. 3.

Promisit mulier hæc simpliciter credens, absente viro, huic desponsari puellam. At ille regressus ad Regem, præceptionem ad judicem loci exhibuit, ut puellam hanc suo matrimonio sociaret, dicens : *Quia dedi arrham in desponsatione ejus.* Negavit autem vir ille, dicens : *Quia neque te novi unde sis, neque aliquid*
D *de rebus tuis habeo.* Qua intentione pullulante, ac vehementiùs increscente, Andarchius expetiit Ursum Regis præsentia arcessiri. Cùmque venisset apud villam Brennacum (i), requirit hominem alium, Ursum nomine, quem ad altarium clam adductum jurare fecit, ac dicere : *Per hunc locum sanctum et reliquias Martyrum beatorum, quia si filiam meam tibi in matrimonio non tradidero, sexdecim millia solidorum tibi satisfacere non morabor.* Stabant enim testes in Sacrario, auscultantes occultè verba loquentis, sed personam quæ loqueretur penitus non videntes. Tunc Andarchius demulsit verbis lenibus Ursum, fecitque eum sine Regis præsentia reverti ad patriam. Factoque ex hoc (k) juramento, breve sacramen-
E torum Regi illo protulit discedente, dicens (l) : *Hæc et hæc mihi Ursus scripsit : et ideò gloriæ vestræ præceptionem deposco, ut filiam suam mihi tradat in matrimonio. Alioquin mihi liceat res ejus possidere, donec sexdecim millibus solidorum acceptis, me ab hac causa removeam.* Tunc adeptis præceptionibus, Arvernum rediit : ostendit judici jussionem Regis. Ursus autem se in Vellavum (m) territorium contulit. Cùmque res ejus huic consignarentur, et hic in Vellavum accessit. Ingressusque

(a) Aliàs, *verum.* [Dub. et Clun. *ad verum dominium.* Paulò pòst, *exacta..... sacramenta, Pictavum.*]

(b) Ed. al. *Siagrius.* Regm. [et Clun.] *Pasilius ac Siagrius.* Fortunati carmen 18. lib. 4. epitaphium est Basilii cujusdam illustris viri Pictaviensis, qui fortè idem est de quo hîc loquitur Gregorius.

(c) *Reliqua, etc.* ad finem capitis desunt in omnibus ferè mss.

(d) Corb. et Bell. *Andarci,* sed eum infrà *Andarchium* appellant. Colb. *Anparchi.* [Dub. *Andarchi.* Infrà *Andarcius.* Clun. *loquamur.*]

(e) Colb. cum plerisque editis *Facilis.*

(f) Is fuit Campaniæ Remensis Dux, de quo Gregorius infrà non semel. Ejus laudes prosequitur Fortunatus lib. 7. carm. 7. 8. et 9.

(g) Bell. *habere.* [Ita Dub.]

(h) Id est, quasi unus ex iis, qui res civiles et publicas nomine Principis gerebant, quibus Honorati titulus concedebatur. De hoc titulo plura habes apud Vales. in notis ad Ammian. Marcell. et Cangium in Glossario.

(i) Colb. *Brinna.* [Dub. *Brinnacum.* Clun. *venisset Brennacum.*]

(k) [Clun. *ex hoc sacramento Regi.*]

(l) Sic Colb. Bec. et Regm. At Chesn. *illi protulit,* alii editi *illo protulit discedenti.* Bellov. breviùs, *illo protulit, dicens.*

(m) Editi plerique cum Bec. et Colb. *Villavum.* [Dub. et Clun. *in Villavo territorio.*] Regm. et Bad. *Villanum,* sic et infrà. At Vellavum designari certum est, hodieque vulgò *le Velay.* Vide notas ad c. 25. l. 10.

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

unam Ursi domum, cœnam sibi præcepit præparari, atque aquas quibus ablueretur A calefieri jubet. Sed cùm servi domûs minimè rudi domino parerent, alios fustibus, alios virgis cœdit, nonnullis capita percutiens sanguinem elicuit. Turbata ergo familia, præparatur cœna, abluitur hic aquis calidis, inebriatur vino, et se collocat super stratum. Erant autem cum eo septem pueri tantùm. Cùmque non minùs somno quàm vino sepulti altiùs obdormissent, Ursus congregata familia, ostia domùs, quæ erat ex ligneis fabricata tabulis, claudit : acceptisque clavibus, metas (a) annonæ quæ aderant, elidit ; ac circa domum et supra domum (b) adgregatis his acervis annonæ, quæ tunc in manipulis erat, ita ut operta ex his domus cerneretur omninò. Tunc immisso per partes diversas igne, cùm jam super hos infelices materia ædificii exusta dirueret, excitantur, emittunt voces (c) : sed non fuit qui exaudiret, donec tota domo (d) adusta ipsos pariter ignis absorberet. Ursus verò metuens, B basilicam sancti Juliani expetiit : datisque Regi muneribus, res suas in (e) solidum recepit.

al. XLII.

XLVIII. Chlodovechus verò Chilperici filius, de Turonico ejectus, Burdegalam abiit. Denique cùm apud Burdegalensem civitatem nullo prorsùs inquietante resideret, Sigulfus quidam à parte Sigiberti se super eum objecit : quem fugientem cum tubis et buccinis, quasi labentem cervum fugans, insequebatur : qui vix ad patrem regrediendi liberum habuit aditum. Tamen per Andegavis regressus, ad eum rediit. Cùm autem intentio inter Guntchramnum (f) et Sigibertum Reges verteretur, Guntchramnus Rex apud Parisius omnes Episcopos regni sui congregat, ut inter utrosque quid veritas haberet, edicerent. Sed ut bellum civile in majore pernicitate (g) cresceret, eos audire peccatis facientibus dis- C tulerunt. Chilpericus autem Rex in ira commotus, per Theodobertum filium suum seniorem, qui à Sigiberto aliquando adprehensus sacramentum dederat (h) ut ei fidelis esset, civitates ejus pervadit, id est Turonis et Pictavis, et reliquas citra (i) Ligerim sitas. Qui Pictavis veniens, contra Gundobaldum (k) Ducem pugnavit. Terga autem vertente exercitu partis Gundobaldi, magnam ibi stragem de populo illo fecit. Sed et de Turonica regione maximam partem (l) incendit, et nisi ad tempus manus dedissent, totam continuò debellasset (m). Commoto autem exercitu, Lemovicinum, Cadurcinum, vel reliquas illorum provincias (n) pervadit, vastat, evertit; Ecclesias incendit, ministeria detrahit, Clericos interficit, monasteria virorum dejicit, puellarum deludit (o) et cuncta devastat : fuitque illo in tempore pejor in Ecclesiis gemitus, quàm tempore persecutionis Dio- D cletiani.

An. Chr. 573.

al. XLIII.

XLIX. Et (p) adhuc obstupescimus et admiramur, cur tantæ super eos plagæ inruerant : sed recurramus ad illud quod parentes eorum egerunt, et isti perpetrant. Illi post prædicationem Sacerdotum, de fanis ad Ecclesias sunt conversi : isti quotidie de Ecclesiis prædas detrahunt. Illi Sacerdotes Domini ex toto corde venerati sunt, et audierunt : isti non solùm non audiunt, sed etiam persequuntur. Illi monasteria et Ecclesias ditaverunt : isti eas diruunt ac subvertunt. Quid de Latta (q) monasterio referam, in quo beati Martini habentur reliquiæ? cùm ad eum unus cuneus hostium adventaret, et fluvium, qui propinquus est, transire disponeret ut monasterium exspoliaret, clamaverunt Monachi dicentes : *Nolite, ô* (r) *barbari, nolite huc transire : beati enim Martini istud est monasterium.* Hæc au-

(a) Metæ vocabulum pro frugum acervo usurpari multis exemplis probat Alteserra in hunc locum. Vide Hincmarum in Vita S. Remigii.

(b) [Dub. *adgregat acervos.*]

(c) Alii, *excitantur ad emissas voces.* [Dub. *excitantur voces.*]

(d) [Dub. et Clun. *totam domum adustam.*]

(e) [Dub. et Clun. *in soliditate.*]

(f) Censet Valesius, et post eum Cointius, legendum esse *Chilpericum.* Nam Gregorius ibi et capitibus sequentibus de bello inter Chilpericum et Sigibertum moto loquitur : ad quos in pacem revocandos Guntramnus Episcopo suæ ditionis Parisios convenire procuravit. Religio tamen fuit id mutare, cùm *Gunthramnum* omnes editi simul et mss. habeant. Hîc synodum Paris. IV. laudari censet Cointius, quæ anno 573. habita fuit.

(g) [Clun. *pertinacitate.*]

(h) Suprà cap. 23. Ceterùm plerique editi cum aliquot mss. habent *quondam adprehensus, etc.*

(i) [Clun. *circa Ligerem.*]

(k) Bell. Corb. [et Dub.] *Gundoaldum.* Regm. *Gundobaudum* : al. *Guntwaldum.*

(l) Alii, *Turonicam regionem maxima ex parte.* Quæ sequuntur sic refert Regm. *Et nisi se ad tempus dedissent..... devastasset.*

(m) [Clun. *devastasset.*]

(n) Corb. et Bell. *illarum propinquas.* [Clun *illarum provincias.*] Bad. *reliquas provincias.* Regm. *reliquas illarum partium civitates.* Bec. *illarum urbium provincias.*

(o) Sic mss. at editi plerique *puellas*, Freh. al. *puellam*, et infrà cum Bec. *persecutoris.*

(p) Hoc caput deest in Bell. Corb. [et Dub.]

(q) Colb. [et Clun.] *Lata.* Bec. *de Lettat.* Erat fortasse monasterium hîc memoratum in vico, qui etiam nunc *Siran la Late*, seu *la Latte* appellatur, haud procul à Severiaco, *Sivré*, Bellismo et Noviliaco *Neuilli* sito.

(r) * Valesius lib. 6. Rer. Franc. pag. 288. observat, cùm Barbari provincias perpetuæ possessionis causâ in Occidente occupavissent, Provinciales

A dientes, eorum multi compuncti à Dei timore regressi sunt. Viginti tamen ex ipsis, qui non metuebant Deum, neque beatum Confessorem honorabant, ascendentes navem illuc transgrediuntur, et inimico stimulante, Monachos cædunt, monasterium evertunt, resque diripiunt : de quibus facientes sarcinas, navi imponunt. Ingressisque fluvium, protinùs vibrante carina huc illucque feruntur. Cùmque amisso solatio remorum, hastilibus (a) lancearum in fundum alvei defixis remeare conarentur ; navis sub pedibus eorum dehiscit, et uniuscujusque ferrum, quod contra se tenebat, pectori defigitur, transverberatique cuncti à propriis jaculis interimuntur. Unus tantum ex ipsis, qui eos increpabat, ne ista committerent, remansit inlæsus. Quòd si hoc quis fortuitu evenisse judicat, cernat unum insontem plurimis evasisse de noxiis. Quibus interfectis, Monachi ipsos et res suas ex alveo detrahentes, illos sepelientes, res suas
B domui restituunt.

L. Dum hæc agerentur, Sigibertus Rex (b) gentes illas, quæ ultra Rhenum habentur, commovet, et bellum civile ordiens, contra fratrem suum Chilpericum ire destinat. Quod audiens Chilpericus, ad fratrem suum Guntchramnum legatos mittit. Qui conjuncti pariter fœdus ineunt, ut nullus fratrem suum perire sineret. Sed cùm Sigibertus gentes illas adducens venisset, et Chilpericus de alia parte cum suo exercitu resideret, nec haberet Rex Sigibertus super fratrem suum iturus, ubi Sequanam (c) fluvium transmearet, fratri suo Guntchramno mandatum mittit, dicens : *Nisi me permiseris per tuam sortem hunc fluvium transire, cum omni exercitu meo super te pergam.* Quod ille timens, fœdus cum eodem iniit, eumque transire permisit. Denique sentiens Chilpericus, quòd Guntchramnus, scilicet re-
C licto eo ad Sigibertum transisset, castra movit, et usque Avallocium (d) Carnotensem vicum abiit. Quem Sigibertus insecutus, campum sibi præparari petiit (e). Ille verò timens, ne conliso utroque exercitu, etiam regnum eorum conrueret, pacem petiit, civitatesque ejus, quas Theodobertus malè pervaserat, reddidit, deprecans ut nullo casu culparentur earum habitatores, quos ille injustè igni ferroque opprimens adquisierat. Vicos quoque, qui circa Parisius erant, maximè tunc flamma consumsit ; et tam domus quàm res reliquæ ab hoste direptæ sunt : ut etiam et captivi ducerentur. Obtestabatur enim Rex, ne hæc fierent : sed furorem gentium, quæ de ulteriore Rheni amnis parte venerant, superare non poterat : sed omnia patienter ferebat, donec redire posset ad patriam. Tunc ex gentilibus illis contra eum quidam murmuraverunt, cur se à certamine subtraxisset.
D Sed ille, ut erat intrepidus, ascenso equo, ad eos dirigit, eosque verbis lenibus demulsit, multos ex eis posteà lapidibus obrui præcipiens. Sed nec hoc sine beati Martini fuisse virtute ambigitur, ut hi sine bello pacificarentur. Nam in ipsa die, qua hi pacem fecerunt, tres paralytici ad beati basilicam sunt directi (f) : quod in sequentibus libris, Domino juvante, disseremus.

al. XLIV. An. Chr. 574.

LI. Dolorem enim ingerit animo ista civilia bella referre. Nam post annum iterum Chilpericus ad Guntchramnum fratrem suum legatos mittit, dicens : *Veniat frater mecum* (g), *et videamus nos, et pacificati persequamur Sigibertum inimicum nostrum.* Quod cùm fuisset factum, seque vidissent, ac muneribus honorassent, commoto Chilpericus exercitu usque Remis accessit, cuncta incendens atque de-
E bellans. Quod audiens Sigibertus, iterum convocatis gentibus illis, quarum suprà memoriam fecimus, Parisius venit, et contra fratrem suum ire disponit, mittens nuntios Dunensibus (h) et Turonicis, ut contra Theodobertum ire deberent. Quod illi dissimulantes, Rex Godegiselum et Guntchramnum Duces in capite dirigit. Qui commoventes exercitum, adversùs eum pergunt. At ille derelictus à suis, cum paucis remansit : sed tamen ad bellum exire non dubitat. Ineuntes autem

al. XLV. An. 575.

quidem nomen unà cum dominis minimè mutavisse, et, uti anteà dicebantur, Romanos à Barbaris dictos esse, ipsos autem non jam, sicut antè, contumeliæ, sed honoris causâ Barbaros appellari cœpisse.

(a) [Clun. *hastilia..... defixa.*]

(b) Col. *Sigibertus tres gentes, etc.*

(c) Sic mss. omnes, præter Colb. et Chesn. qui habent *Segonam*, quasi hîc Sagona sive Arar, vulgò *la Saone*, designaretur. Editi veteres habent quoque *Sequanam*. Et quidem ex Gregorii lib. 2. de Mirac. sancti Martini cap. 7. patet hîc legendum esse *Sequanam*. De hac re vide etiam lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 72.

(d) Hic vicus est ad flumen Lidericum, qui posteà Allocium seu Alogium, vulgò *Alluye* dictus est. In plerisque mss. et editis scribitur *Alocium*. Bec. *ad Valocium*, [Dub. *ad Avalocum*. Clun. *Avalotium Carnotensium.*]

(e) Tunc temporis scripsit ad Brunechildem Sigiberti uxorem beatus Germanus Parisiorum antistes, ut excidium, quod toti regioni imminebat, averteret. Superest hæc epistola tanto Pontifice ad pacem Principes Christianos adhortante digna, quam [in tomo sequenti] referemus.

(f) Horum trium paralyticorum curationem refert Gregorius lib. 2. Mirac. sancti Martini cap. 5. 6. et 7.

(g) Aliàs, *meus*. [Ita Dub. et Clun.]

(h) [Clun. *Dugnensibus vel Turonicis..... Godigisilum.*]

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

prælium, Theodobertus evictus in campo prosternitur, et ab hostibus exanime corpus, quod dici dolor est, spoliatur. Tunc ab Arnulfo (a) quodam collectus, ablutusque, ac dignis vestibus est indutus, et ad Ecolismensem (b) civitatem sepultus. Chilpericus verò cognoscens, quòd iterum se Guntchramnus cum Sigiberto pacificasset, se infra Tornacenses muros cum uxore et filiis suis communivit. A

al. XLVI. LII. In eo anno fulgor per cœlum discurrisse visus est (c), sicut quondam ante mortem Chlothacharii factum vidimus. Sigibertus verò obtentis civitatibus illis, quæ citra (d) Parisius sunt positæ, usque Rothomagensem urbem accessit, volens easdem urbes hostibus cedere. Quod ne faceret, à suis prohibitus est. Regressus inde, Parisius est ingressus : ibique ad eum Brunichildis cum filiis venit. Tunc Franci, qui quondam ad Childebertum adspexerant seniorem, ad Sigibertum legationem mittunt, ut ad eos veniens, derelicto Chilperico, super seipsum Regem stabilirent. Ille verò hæc audiens, misit qui fratrem suum in suprà memorata civitate (e) obsiderent, ipse illuc properare deliberans (f). Cui sanctus Germanus Episcopus dixit : *Si abieris, et fratrem tuum interficere nolueris, vivus et victor redibis : sin autem aliud cogitaveris, morieris.* Sic enim Dominus per Salomonem dixit : *Foveam quam fratri tuo parabis, in eam conrues.* Quod ille, peccatis facientibus, audire neglexit (g). Veniente autem illo ad villam, cui nomen est Victoriacum (h), collectus est ad eum omnis exercitus, impositumque super clypeo sibi Regem statuunt. Tunc duo pueri cum cultris validis, quos vulgò scramasaxos (i) vocant, infectis veneno, maleficati à Fredegunde Regina cùm aliam causam se gerere (k) simularent, utraque ei latera feriunt. At ille vociferans, atque conruens, non post multo spatio emisit spiritum : ibique et Charegisilus cubicularius ejus conruit : ibi et Sigila, qui quondam ex Gotthia venerat, multùm laceratus est : et posteà ab Chilperico Rege comprehensus, incensis cum cauteriis candentibus omnibus juncturis, ac membratim separatus (l), crudeliter vitam finivit. Fuit autem Charegisilus ille tam levis opere, quàm gravis cupiditate : de minimis consurgens, magnus per adulationes cum Rege effectus est : competitor rerum alienarum, testamentorumque effractor : cui talis fuit vitæ exitus, ut non mereretur voluntatem propriam morte imminente complere, qui aliorum voluntates sæpe destruxerat. Chilpericus autem in ancipiti casu defixus, in dubium habebat, an evaderet, an periret, donec ad eum missi veniunt de fratris obitu nuntiantes. Tunc egressus à Tornaco cum uxore et filiis, eum vestitum apud Lambros (m) vicum sepelivit. Unde posteà Suessionas in basilica sancti Medardi, quam ipse ædificaverat translatus, secus Chlothacharium patrem suum sepultus est. Obiit autem quarto-decimo regni sui anno, ætate quadragenaria. A transitu ergo Theudeberti senioris usque ad exitum Sigiberti, supputantur anni viginti-novem (n). Inter exitum verò Sigiberti et nepotis sui Theodoberti, fuere dies decem et octo. Mortuo autem Sigiberto, regnavit Childebertus filius ejus pro eo. B

A principio usque ad diluvium, anni bis mille ducenti quadraginta duo. A diluvio autem usque ad Abraham, anni nongenti quadraginta duo (o). Ab Abra-

Prov. 26. 27.

An. Chr. 575.

C

D

(a) Colb. Bec. [et Clun.] cum Chesn. *Aunulfo.* [Dub. *Unulfo.*] De more abluendorum defunctorum apud Gentiles et Christianos plura habet V. C. Ant. Dadinus Alteserra in cap. 5. lib. 2. Hist. Gregorii nostri, ubi ex Aimoino in Vita S. Abbonis cap. 20. observat, interemtorum corpora inlota sepeliri solita fuisse. Abbo quippe *cum ipsis quibus indutus erat vestimentis, uti mos est sepeliri interemtos, inlotus etiam lapideo tumulatus sarcofago* fuit. Fortè Theodebertus lotus fuit ac aliis vestibus indutus ob regiam dignitatem, vel quòd nondum mos ille inolevisset. Reges autem, Episcopos, et Abbates *dignis,* id est, ut puto, suæ dignitati competentibus indutos vestibus, sepeliri solitos fuisse probant complures Gregorii loci.

(b) Corb. Bell. et Freh. *Colosinensem.* Colb. *Ecolunensem.* Bec. et Mor. s. *Ecolinensem.* [Dub. *Ecolonensim.* Clun. *Ecolisinensim.*]

(c) Sic Corb. alii cum editis, *fulgur..... visum est.* [Ita Dub.]

(d) [Clun. *circa Parisius.*]

(e) Tornacensi scilicet ex cap. præcedenti.

(f) [Dub. *deliberat.*]

(g) Clun. *audire noluit.*]

(h) [Dub. *Victuriaco.*] Vicus est, ut monet Miræus, inter Duacum et Atrebatas ad Scarpam fluvium, vulgò *Vitry* hodieque dictus, quem Hariulfus in Chronico Centulensi villam publicam in suburbano Atrebatensis urbis sitam appellat.

(i) Corb. *Scrumasaxos.* Regm. *Scramaxos.* Colb. *Chramasaxos.* Vox est barbara quæ significat cultellos vulneficos, seu gladiolos breves, à Saxonico *sax* vel *sachs.* Adi Vossium de Vit. Latin. sermon. lib. 2. cap. 17.

(k) Bell. [Dub. et Clun.] Mor. s. etc. *suggerere.* Sigiberti necem an. 576. consignat Marius, quam tamen anno præcedenti contigisse volunt viri eruditi.

(l) Corb. *separatis.*

(m) Vicus est ad Scarpam fluvium inter Camaracum et Atrebatas situs. Cognatus in Historia Tornacensi hunc prope Duacum, quà iter est Atrebatum, locat. De hac Chilperici sortis mutatione Fortunatus lib. 9. carm. 1. [Clun. *Labrum vicum.*]

(n) Corb. et Colb. cum Bad. XXVIII. [Ita Dub. In Clun. *anni xviij. mortuo verò Sigiberto.* Media desunt.]

(o) [Clun. DCCCCXII.]

GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

Aham verò usque ad egressum filiorum Israël ex Ægypto, anni quadringenti sexaginta duo (a). Ab egressu filiorum Israël ex Ægypto usque ad ædificationem Templi Salomonis, anni quadringenti octoginta. Ab ædificatione ergo Templi usque ad desolationem ejus, et transmigrationem in Babyloniam, anni trecenti nonaginta (b). A transmigratione igitur usque ad passionem Domini, anni sexcenti sexaginta-octo (c). A passione Domini usque ad transitum sancti Martini, anni quadringenti et duodecim. A transitu sancti Martini usque ad transitum Chlodovechi Regis, anni centum duodecim. A transitu Chlodovechi Regis usque ad transitum Theudeberti, anni triginta-septem (d). A transitu Theudeberti usque ad exitum Sigiberti, anni viginti-novem. Qui sunt simul anni quinquies mille septingenti septuaginta-quatuor (e).

(a) Colb. CCCCLII. Bec. CCCCXLII.
(b) Sic codd. Bell. et Corb. quem numerum ita scribunt CCCLXL. Regm. Bec. [Clun.] et Bad. habent CCCXL. Colb. et Ches. CCCLXI. alii editi CCCLX.
(c) Colb. Chesn. et Bad. DCXLVIII. nullus est numerus in codice Regm.
(d) Cod. Colb. XXXIV.
(e) Sic mss. cum Bad. qui computus congruit singulis articulis, ut habentur in nostro textu. Ceteri tamen editi habent *quadraginta-quatuor*.

Explicit liber quartus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUINTI.

I. De Childeberti junioris regno, et de matre ejus.
II. Quòd Merovechus Brunichildem accepit uxorem.
III. Bellum contra Chilpericum, et de malitia Rauchingi.
IV. Quòd Roccolenus Turonis venit.
V. De Episcopis Lingonicis, et Namnetico.
VI. De Leonaste Archidiacono Biturigo.
VII. De Senoch reclauso.
VIII. De sancto Germano Parisiorum Episcopo.
IX. De Caluppane reclauso.
X. De Patroclo reclauso.
XI. De Judæis conversis per Avitum Episcopum.
XII. De Brachione Abbate.
XIII. Quòd Mummolus Lemovicas vastavit.
XIV. Quòd Merovechus tonsoratus ad basilicam sancti Martini confugit.
XV. Bellum inter Saxones et Suevos.
XVI. De interitu Macliavi.
XVII. Quòd Guntchramnus Rex filios Magnacharii interfecit, suosque perdidit; et de dubietate Paschæ.
XVIII. De Ecclesia Cainonensi; et quòd Guntchramnus Rex cum Childeberto conjunctus est.
XIX. De Prætextato Episcopo; et interitu Merovechi.
XX. De eleemosynis Tiberii.
XXI. De Salonio et Sagittario Episcopis.
XXII. De Winnoco Brittone.
XXIII. De obitu Samsonis filii Chilperici.
XXIV. De prodigiis ostensis.
XXV. Quòd Guntchramnus-Boso filias suas de basilica sancti Martini abstulit, et Chilpericus Pictavis invasit.
XXVI. De interitu Daconis et Dracoleni (cod. Corb. *Dacoleni et Dratgleni Ducis*).
XXVII. Quòd exercitus in Britannias abiit.
XXVIII. De ejectione Salonii et Sagittarii.
XXIX. De descriptionibus à Chilperico impositis.
XXX. De vastatione Britannorum.
XXXI. De Imperio Tiberii.
XXXII. De insidiis Britannorum.
XXXIII. De Basilica sancti Dionysii injuriata per mulierem.
XXXIV. De prodigiis.
XXXV. De dysenteriæ morbo, et filiis Chilperici mortuis.

XXXVI. De Austrechilde Regina.
XXXVII. De Heraclio Episcopo, et Nantino Comite.
XXXVIII. De Martino Galliciensi Episcopo.
XXXIX. De persecutione Christianorum in Hispaniis.
XL. De interitu Chlodovechi.
XLI. De Elasio et Eunio Episcopis.
XLII. De legatis Galliciensibus, ac prodigiis.
XLIII. De Maurilione Cadurcorum Episcopo.
XLIV. De altercatione cum hæretico.
XLV. De his quæ Chilpericus scripsit.
XLVI. De obitu Agræculæ Episcopi.
XLVII. De obitu Dalmatii Episcopi.
XLVIII. De comitatu Eunomii.
XLIX. De malitia Leudastis.
L. De insidiis quas nobis fecit, et qualiter ipse humiliatus est.
LI. Quæ beatus Salvius de Chilperico prædixit.

LIBER QUINTUS.

PROLOGUS.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II.

TÆDET me bellorum civilium diversitates, quæ Francorum gentem et regnum valde proterunt, memorare : in quo, quod pejus est, tempus illud, quod Dominus de dolorum prædixit initio, jam videmus. *Consurgit pater in filium, filius in patrem : frater in fratrem, proximus in propinquum.* Debebant enim eos exempla anteriorum Regum terrere, qui ut divisi, statim ab inimicis sunt interemti. Quotiens et ipsa Urbs urbium, et totius mundi caput, iniens bella civilia, ruit! quo cessante, rursum quasi ex * humo surrexit. Utinam et vos, ô Reges, in his prælìis, in quibus parentes vestri desudaverunt, exerceremini, ut gentes vestra pace conterritæ, vestris viribus premerentur. Recordamini quid caput victoriarum vestrarum Chlodovechus fecerit, qui adversos (a) Reges interfecit, noxias gentes elisit, patrias gentes subjugavit : quarum regnum vobis integrum inlæsumque reliquit. Et cùm hoc faceret, neque aurum (b), neque argentum, sicut nunc est in thesauris vestris, habebat. Quid agitis? quid quæritis? quid non abundatis? In domibus deliciæ (c) supercrescunt : in promtuariis vinum, triticum, oleumque redundat : in thesauris aurum atque argentum coacervatur. Unum vobis deest, quòd pacem non habentes, Dei gratia indigetis. Cur unus tollit alteri suum? cur alter (d) concupiscit alienum? Cavete illud quæso Apostoli : *Si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Scrutamini diligenter veterum scripta, et videbitis quid civilia bella parturiant. Requirite quid de Carthaginensibus scribat Orosius (e) : qui cùm post septingentos annos subversam dicat civitatem et regionem eorum, addidit : *Quæ res eam tamdiu servavit? concordia. Quæ res eam post tanta destruxit tempora? discordia.* Cavete discordiam, cavete bella civilia, quæ vos populumque vestrum expugnant. Quid aliud sperandum erit, nisi cùm exercitus vester ceciderit, vos sine solatio relicti, atque à gentibus adversis oppressi protinùs conruatis? Si te, ô Rex, bellum civile delectat, illud quod Apostolus in hominem agi meminit, exerce, ut spiritus concupiscat adversùs carnem, et vitia virtutibus cedant; et tu liber capiti tuo, id est Christo, servias, qui quondam radici malorum servieras compeditus.

Matth. 24. 8.

Matth. 10. 21.

* *al.* ab.

Gal. 5. 15.

Gal. 5. 17.

An. 575. I. Igitur interemto Sigiberto Rege apud Victoriacum villam, Brunichildis Regina cum filiis Parisius residebat. Quod factum cùm ad eam perlatum fuisset, et

(a) Alii *diversos*.

(b) Hinc patet Chlodoveum filiosque ejus non multùm argenti coacervasse. Unde suprà lib. 3. cap. 7. Theodoricus adeò ægrè ferebat disci argentei privationem.

(c) Corb. et Bell. *In domibus militiæ.*

(d) Alii, *alteri suum, cùm alter concupiscit alienum.*

(e) Liber quartus, potissimùm à capite 6. pænè omnis est de Carthaginensibus.

conturbata

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II.

An. Chr. 576.

A conturbata dolore ac luctu, quid ageret ignoraret, Gundobaldus (a) Dux adprehensum Childebertum filium ejus parvulum furtim abstulit : ereptumque ab imminenti morte, collectisque gentibus super quas pater ejus regnum tenuerat, Regem instituit, vix lustro ætatis uno jam peracto : qui die Dominici (b) Natalis regnare cœpit. Anno igitur primo regni ejus, Chilpericus Rex Parisius venit, adprehensamque Brunichildem apud Rothomagensem civitatem in exsilium trusit, thesaurosque ejus quos Parisius detulerat, abstulit : filias verò ejus Meldis (c) urbe teneri præcepit. Tunc Roccolenus (d) cum Cenomannicis Turonis venit, et prædas egit, et multa scelera fecit : quod in sequenti qualiter à virtute beati Martini pro tantis malis quæ gessit, percussus interiit, memorabimus (e).

II. Chilpericus verò filium suum Merovechum cum exercitu Pictavis dirigit. B At ille relicta (f) ordinatione patris, Turonis venit, ibique et dies sanctos Paschæ tenuit. Multùm enim regionem illam exercitus ejus vastavit. Ipse verò simulans ad matrem suam ire velle, Rothomagum petiit : et ibi Brunichildi Reginæ conjungitur, eamque sibi in matrimonio sociavit. Hæc audiens Chilpericus, quòd scilicet contra fas legemque canonicam uxorem patrui accepisset, valde amarus, dicto citiùs ad suprà memoratum oppidum dirigit. At illi cùm hæc cognovissent, quòd eosdem separare decerneret, ad basilicam sanctam Martini, quæ super muros civitatis ligneis tabulis fabricata est, confugium faciunt. Rex verò adveniens, cùm in multis ingeniis eos exinde auferre niteretur, et illi dolosè eum putantes facere, non crederent, juravit eis dicens : *Si*, inquit, *voluntas Dei fuerit* (g), *ipse hos separare non conaretur*. Hæc illi sacramenta audientes (h), de basilica egressi sunt, exosculatisque et dignanter ac- C ceptis, epulavit cum eis. Post dies verò paucos, adsumto secum Rex Merovecho, Suessionas (i) rediit.

III. Cùm autem ibidem commorarentur, collecti aliqui de Campania, Suessionas urbem adgrediuntur, fugataque ex ea Fredegunde Regina (k), atque Chlodovecho filio Chilperici, volebant sibi subdere civitatem : quod ut Chilpericus Rex comperit (l), cum exercitu illuc direxit, mittens nuntios ne sibi injuriam facerent, et excidium de utroque eveniret exercitu. Illi autem hæc negligentes, præparantur ad bellum : commissoque prælio invaluit pars Chilperici, atque fugavit partem sibi adversam, multos ex ea strenuos atque utiles viros prosternens, fugatisque reliquis (m), Suessionas ingreditur. Quæ postquàm acta sunt, Rex propter conjugationem Brunichildis, suspectum habere cœpit Merovechum filium D suum dicens, hoc (n) prælium ejus nequitia surrexisse : spoliatumque ab armis, datis custodibus, liberè (o) custodiri præcepit, tractans quid de eo in posterum ordinaret. Godinus autem qui à forte (p) Sigiberti se ad Chilpericum transtulerat, et multis ab eo muneribus locupletatus est, caput belli istius fuit : sed in campo victus, primus fuga dilabitur : villas verò quas ei Rex à fisco in territorio Suessionico indulserat, abstulit, et basilicæ contulit beati Medardi. Ipse quoque Godinus non post multum tempus repentina morte præventus, interiit. Cujus conjugem Rauchingus (q) accepit, vir omni vanitate repletus, superbia tumidus, elatione protervus : qui se ita cum subjectis agebat, ut non cognosceret in se aliquid humanitatis habere, sed ultra modum humanæ malitiæ atque stultitiæ (r) in suos desæviens, nefanda mala gerebat. Nam si ante eum, ut adsolet (s), con-

(a) Sic editi cum Regm. mss. plerique *Gundovaldus*. Corb. *Gundovaldus Rex*.

(b) * Hîc loquitur Gregorius de solemni Childeberti elevatione : nam certum est ex Epitaphio Cæsariæ Childebertum octavo mensis Decembris die jam regnare cœpisse.

(c) Sic Regm. et Bad. Bec. *Meledum*. Alii tres mss. *Meledus*. [Ita Dub. et Clun.] Editi plerique *Meledis*, vulgò *Meaux*.

(d) Alii *Rucculenus*. Regm. *Rotolenus*. Bec. *Ruccolenus*, et infrà cap. 4. *Ruccolinus*, seu *Rutulenus*. [Clun. *Rucolenus..... cum Cenomannis*.]

(e) Infrà cap. 4. et in lib. 2. de Miraculis sancti Martini cap. 27.

(f) [Dub. et Clun. *relictam ordinationem*.]

(g) Plerique editi cum Bec. [et Clun.] *foret*. Bad. *foret, ipse vos separare non conarer*.

(h) Alii, *accipientes*. Et infrà Colb. *epulatus est cum eis*.

(i) Alii, *Sessiones*, et inferiùs. Regm. verò et Bec. *Sessionis*. [Dub. *Sessionas*, sic infrà. Clun. *Sessonas*.]

(k) [Clun. *fugatamque ex ea Fredegundam Reginam atque Chlodovechum filium*.]

(l) Monet Valesius hîc sibi ipsi contrarium esse Gregorium, qui Chilpericum Suessionibus commorantem dicit; et tamen de eo sic loquitur, quasi ibi non adfuisset.

(m) [Clun. *fugatosque reliquos, Sessonas ingrediuntur*.]

(n) [Dub. *hæc prælia*.]

(o) Viri illustres honestorum semper hominum custodiæ committebantur, ut notat Hieronymus in lib. 2. adversùs Vigilantium. Vide lib. 1. de Gloria Mart. cap. 45. *Delicatam custodiam* appellat Pontius in Vita sancti Cypriani num. 15.

(p) [Clun. *à parte*.]

(q) Alii *Rauchinchus*. [Dub. *Raucincus*. Clun. *Rauchincus*.]

(r) Corb. et Bell. *ultra modum atque stultitiam*.

(s) Sic in libro 2. Dialog. S. Gregorii cap. 20. monachus quidam S. P. Benedicto ad mensam sedenti lucernam tenebat.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II.

vivio urentem puer cereum tenuisset, nudari ejus tibias faciebat, atque tamdiu in his cereum comprimi, donec lumine privaretur : iterum cùm inluminatus fuisset, similiter faciebat, usque dum totæ famuli tenentis exurerentur. Quòd si vocem emittere, aut se de loco illo alia in parte movere conatus fuisset, nudus illicò gladius imminebat : fiebatque ut hoc flente, iste magna lætitia exultaret. Aiebant enim quidam, eo tempore duos de famulis ejus, ut sæpe contingit, mutuo se amore dilexisse, virum scilicet et puellam. Cùmque hæc dilectio per duorum annorum aut eo ampliùs spatia traheretur, conjuncti pariter Ecclesiam petierunt. Quod cùm Rauchingus comperisset, accedit ad Sacerdotem loci : rogat sibi protinùs reddi suos famulos (a) excusatos. Tunc Sacerdos ait ad eum : *Nosti enim quæ veneratio debeat impendi Ecclesiis Dei : non enim poteris eos accipere, nisi ut fidem facias de permanente eorum conjunctione; similiter et ut de omni pœna corporali liberi maneant, repromittas* (b). At ille, cum diu ambiguus cogitatione siluisset, tandem conversus ad Sacerdotem, posuit manus suas super altaricum juramento, dicens : *Quia numquam erunt à me separandi; sed potiùs ego faciam, ut in hac conjunctione permaneant : quia quamquam mihi molestum fuerit, quòd absque mei consilii conniventia* (c) *talia sint gesta; illud tamen libens amplector, quòd nec hic ancillam alterius, neque hæc extranei servum acceperit.* Credidit Sacerdos ille simpliciter promissioni hominis callidi, reddiditque homines excusatos. Quibus ille acceptis, et gratias agens abscessit ad domum suam : et statim jussit elidi arborem, truncatamque columnam ejus per capita cuneo scissam (d) præcepit excavari : effossaque (e) in altitudine trium aut quatuor pedum humo, deponi vas jubet in foveam. Ibique puellam ut mortuam componens, puerum desuper jactari præcepit : positoque opertorio, fossam humo replevit, sepelivitque eos viventes, dicens : *Quia non frustravi juramentum meum, ut non separarentur hi in sempiternum.* Quæ cùm Sacerdoti nuntiata fuissent, illuc cucurrit velociter : et increpans hominem, vix obtinuit ut detegerentur. Verumtamen puerum vivum extraxit, puellam verò reperit suffocatam. In talibus enim operibus valde nequissimus erat, nullam aliam habens potiùs (f) utilitatem, nisi in cachinnis ac dolis, omnibusque perversis rebus. Unde non immeritò taliter excessit à vita, qui talia gessit cùm frueretur hac vita (g) : quod in posterum digesturi sumus *. Siggo quoque Referendarius (h), qui annulum Regis Sigiberti tenuerat, et ab Chilperico Rege provocatus erat, ut servitium quod tempore fratris sui habuerat, obtineret, ad Childebertum Regem Sigiberti filium relicto Chilperico transivit, resque ejus quas in Suessionico habuerat, Ansoaldus (i) obtinuit. Multi autem et alii de his qui se de (k) regno Sigiberti ad Chilpericum tradiderant, recesserunt. Uxor quoque Siggonis non pòst multo temporis spatio (l) obiit : sed ille aliam rursùs accepit.

A B C D

* *l.* 9. *c.* 9.

IV. His diebus Roccolenus (m) ab Chilperico missus, Turonis advenit cum magna jactantia, et ultra Ligerim castra ponens, nuntios ad nos direxit, ut scilicet Guntchramnum, qui tunc de morte Theodoberti impetebatur, à Basilica sancta deberemus extrahere. Quod si non faceremus, et civitatem, et omnia suburbana ejus juberet incendio concremari. Quo audito mittimus ad eum legationem, dicentes; hæc ab antiquo facta non fuisse, quæ hic fieri deposcebat; sed nec modò permitti posse, ut basilica sancta violaretur : quod si fieret, nec sibi fore prosperum, nec Regi qui hæc jussa mandasset : metueretque magis sanctitatem Antistitis, cujus virtus hesterna die paralyticam (n) direxisset. Nihil ex his ille formidans, cùm in domo Ecclesiæ ultra Ligerim resideret, domum ipsam, quæ clavis adfixa erat, disfixit (o). Ipsos quoque clavos Cenomannici, qui tunc

An. Chr. 576.

(a) [Dub. *famulos. Excusatus tunc.*]

(b) Exstat ea de re formula apud Bignonium, inter veteres incerti auctoris num. 22. Vide et ejusdem viri Cl. notas.

(c) Colb. cum aliquot editis *convenientia.* Bec. *conhibentia.*

(d) Corb. *Ejus per capita cuneos.* Chesn. *ejus pro capite cuneo.* Bec. *columplam..... effossamque, etc.*

(e) [Dub. et Clun. *effossamque humum.*]

(f) Regm. *nullam prorsùs aliam habens.* At in Corb. et Bell. desunt hæc, *valde nequissimus, etc.* usque ad *perversis rebus.*

(g) [Dub. et Clun. *hanc vitam.*]

(h) Referendarius tunc dicebatur, qui hodie Cancellarius. De ejus officio et prærogativis vide Mabillonium de Re Diplomat. lib. 2. cap. 11. et Bignonium in formulam 25. lib. 1. Marculfi. Infrà *provocatus*, id est, *promotus.* [Dub. *prævaricatus.*]

(i) Sic mss. at plerique editi *Ansovaldus.* [Ita Clun.] Bec. *Ansolvaldus.*

(k) [Dub. et Clun. *de regione.*]

(l) Regm. *non post multum temporis spatium.*

(m) [Clun. *Rucculenus.*]

(n) Colb. cum Chesn. *paralytica membra.* [Ita Dub.] sed mulier paralytica dicitur in lib. 2. de Miraculis sancti Martini cap. 27. ubi hæc eadem historia narratur.

(o) Sic Corb. alii *dissecat.* [Dub. *disfecit.*]

A cum eodem advenerant, impletis follibus (a) portant, annonas evertunt, et cuncta devastant. Sed dum hæc Roccolenus agit, à Deo percutitur, morboque regio croceus effectus (b), mandata aspera remittit, dicens : *Nisi hodie projeceritis Guntchramnum ducem de basilica, ita cuncta virentia quæ sunt circa urbem adteram* (c), *ut dignus fiat aratro locus ille.* Interim advenit dies sanctus Epiphaniæ, et hic magis ac magis torqueri cœpit. Tunc accepto à suis consilio, amne transacto, ad civitatem accedit. Denique cùm psallentes de Ecclesia (d) egressi ad sanctam basilicam properarent; hic post crucem præcedentibus signis, equo superpositus ferebatur. Verùm ubi basilicam sanctam introiit, mox furor minantis intepuit (e) : regressusque ab Ecclesia, nihil cibi ea die accipere potuit. Exinde cùm valde anhelus esset, Pictavis abiit. Erant enim dies sanctæ Quadragesimæ, in qua fetus cuniculorum sæpe
B comedit. Dispositis verò actionibus, quibus in Calendis Martiis cives Pictavos vel adfligeret, vel damnaret, pridie animam reddidit : et sic superbia tumorque (f) quievit.

V. Eo (g) tempore Felix Namneticæ urbis Episcopus litteras mihi scripsit plenas obprobriis, scribens etiam fratrem meum ob hoc interfectum, eò quòd ipse cupidus Episcopatûs, Episcopum interfecisset. Sed ut hæc scriberet, villam Ecclesiæ concupivit. Quam cùm dare nollem, evomuit in me, ut dixi, plenus furore, obprobria mille. Cui aliquando ego respondi : *Memento dicti Prophetici :* » *Væ his qui jungunt domum ad domum, et agrum ad agrum copulant. Numquid* *Isai.* 5. 8.
» *soli inhabitabunt terram? O si te habuisset Massilia Sacerdotem! numquam naves*
» *oleum, aut reliquas species detulissent, nisi tantùm chartam* (h), *quò majorem op-*
C » *portunitatem scribendi ad bonos infamandos haberes. Sed paupertas chartæ finem*
» *imponit verbositati.* Immensæ enim erat cupiditatis atque jactantiæ. Sed ego ista postponens, ne illi similis appaream, illud explicabo qualiter germanus meus (i) ab hac luce migraverit, et quàm velocem in percussorem ejus Dominus præstiterit ultionem. Consenescente beato Tetrico Ecclesiæ Lingonicæ Sacerdote, cùm Lampadium Diaconum, quem creditorem habuit, dejecisset, et frater meus, dum pauperibus, quos ille malè spoliaverat, opitulari cupiens, consensisset in ejus humiliationem, odium ex hoc incurrit. Intereà beatus Tetricus à sanguine sauciatur (k) : cui cùm nulla medicorum fomenta valerent, conturbati Clerici, et à pastore ut pote destituti, Mondericum (l) expetunt : qui à Rege indultus, ac tonsuratus, Episcopus ordinatur, sub ea quidem specie, ut dum beatus Tetricus
D viveret, hic Ternodorense castrum (m) ut Archipresbyter regeret, atque in eo commoraretur : migrante verò decessore, iste succederet. In quo castro dum habitaret, iram Regis incurrit. Adserebatur enim contra eum, quòd ipse Sigiberto Regi, adversùs fratrem suum Guntchramnum venienti, alimenta et munera præbuisset. Igitur extractus à castro, in exsilium super ripam Rhodani in turri quadam arta atque detecta retruditur : in qua per duos ferè annos cum grandi cruciatu commoratur. Obtinente beato Nicetio Episcopo, Lugdunum regreditur : habitavitque cum eo per duos menses. Sed cùm obtinere non posset à Rege, ut in locum unde dejectus fuerat, restitueretur; nocte per fugam lapsus ad Sigibertum Regem (n) transiit, et apud Arisitensem (o) vicum Episcopus instituitur, habens sub se

(a) Folles sunt sacculi scortei, seu ex corio facti. Vide Juvenal. Sat. 13.

(b) [Clun. *crochius affectus.*]

(c) Sic Corb. Bell. et Bec. alii cum Chesn. *devastabo.*

(d) Ex institutione Perpetui infrà lib. 10. cap. 31. Epiphaniæ vigiliæ agebantur in Ecclesia, id est in Cathedrali : exinde autem, uti ex præsenti loco discimus, processio fiebat ad basilicam sancti Martini. In ea primò signa seu vexilla deferebantur, tum crux, quandoque etiam sacræ Reliquiæ, etc. quod et ex aliis Gregorii locis patet : qui mos hodieque in Ecclesia Catholica in processionibus perseverat.

(e) Colb. *increpuit.* Bell. et Corb. *intrepuit.* [Dub. *increpuit, regressusque ad Ecclesiam..... cùm valde nullus esset, Pictavo abiit.* Clun. *ad Ecclesiam, nihil cibi ea die passus est gustare.*]

(f) [Clun. *superbia tumidus quievit.*]

(g) Deest hoc caput in Vatic. Corb. Bell. Colb. [et Dub.] habetur autem in Casin. Bec. Regm. [Clun.] etc. De Felice passim agit Gregorius; sicut et Fortunatus, qui ejus laudes pluribus celebravit, potissimùm lib. 3. carm. 3. 4. et seqq. subscripsit Conc. Turon. II. an. 567. et Paris. IV. an. 573.

(h) Ex Ægypto scilicet allatam. Vide notas in lib. 6. cap. 6.

(i) Petrus vocabatur, Diaconus ut ex seqq. patet. De quo vide lib. 2. de Gloria Mart. cap. 24.

(k) Id est, apoplexi, quæ ex sanguinis effusione oritur, correptus est.

(l) Fuit, ut notant Bollandiani ad 18. Martii, Mundericus, seu, ut alii scribunt, Modericus Ansberti famosissimi Senatoris filius, S. Arnulfi Episc. Mettensis frater, qui clarus miraculis obiisse dicitur.

(m) Tornodorum oppidum, vulgò *Tonnere*, comitatûs dignitate illustre. Haud dubium quin ejusmodi castrorum Episcopi, qui Archipresbyterorum vicibus fungebantur, apud plerosque auctores Chorepiscopi fuerint appellati.

(n) Sic Casin. alii *ad Sigiberti regnum.* [Ita Clun.] Nondum Sigebertus erat occisus, cùm hæc contigere.

(o) Regm. *Aritensem*, sed mendosè. Nam aliquot alios Arisitenses Episcopos ex variis auctoribus recenset Valesius in Notitia Galliarum. Haud diu ta-

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 576.

plus minùs diœceses (a) quindecim, quas primùm Gotthi quidam tenuerant, nunc verò Dalmatius (b) Ruthenensis Episcopus vindicabat. Quo abeunte iterum Lingonici Silvestrum propinquum, vel * nostrum, vel beati Tetrici, Episcopum (c) expetunt. Sed tamen ut eum peterent, fratris mei hoc instinctu fecerunt. Interèa transeunte beato Tetrico, hic tonso capite Presbyter ordinatur, accepta omni potestate de rebus Ecclesiæ : qui verò ut benedictionem episcopalem Lugduni accipiat, iter parat. Quæ dum aguntur, ipse quia jam diu epilepticus erat, ab hoc morbo correptus, asperiùs extra (d) sensum factus, et per dies duos assiduè dans mugitum, tertia die spiritum exhalavit. Quibus (e) peractis, Lampadius, ut superiùs diximus, ab honore et facultate privatus, in odium * Petri Diaconi cum filio Silvestri conjungitur, machinans atque confirmans patrem suum ab ipso fuisse maleficiis interfectum. At ille ætate juvenis, sensu levis, contra eum commovetur, ipsum impetens publicè parricidam. Porrò ille hæc audiens, facto Placito in præsentia sancti Nicetii Episcopi, avunculi matris meæ, Lugdunum dirigitur : et ibi Siagrio Episcopo (f) coram adstante, et aliis Sacerdotibus multis, cum sæcularium (g) Principibus, se sacramento exuit, numquam se in mortem Silvestri mixtum fuisse. Post duos verò annos instigans iterum à Lampadio filius Silvestri, adsequutus in via Petrum Diaconum, lancea sauciatum interfecit. Quod cùm factum fuisset, de eo loco elevatus, et ad Divionense delatus castrum, secus sanctum Gregorium proavum nostrum sepelitur (h). Iste verò homicida fugam iniens, ad Chilpericum Regem transiit, facultatibus suis fisco (i) Regis Guntchramni dimissis. Cùmque per diversa vagaretur pro commisso scelere, nec ei esset locus firmus ad commorandum : tandem, ut credo, contra eum sanguine insonte ad divinam potentiam proclamante, in quodam loco dum iter ageret, innocentem hominem evaginato (k) gladio interemit. Cujus parentes condolentes propinqui exitum, commota seditione, extractis gladiis, eum in frusta concidunt, membratimque dispergunt. Talem justo judicio Dei (l) exitum miser accepit, ut qui propinquum innocentem interemerat, ipse nocens diutiùs non maneret : nam tertio hæc ei evenerunt anno. Denique post transitum Silvestri, Lingonici iterùm Episcopum flagitantes, Pappolum, qui quondam Archidiaconus Augustodunensis fuerat, accipiunt : qui multa, ut adserunt multi, egit iniqua, quæ à nobis prætermittuntur, ne detractores fratrum esse videamur : tamen qualem is habuerit exitum, non omittam. Anno octavo episcopatûs sui, dum diœceses ac villas Ecclesiæ circumiret (m), quadam nocte dormienti apparuit illi beatus Tetricus vultu minaci : cui ita dicit : *Quid tu*, inquit, *hîc Pappole? Ut quid sedem meam polluis? ut quid Ecclesiam pervadis? ut quid oves mihi creditas sic dispergis? Cede loco, relinque sedem, abscede longiùs à regione.* Et hæc dicens, virgam quam habebat in manu, pectori ejus cum ictu valido impulit. In quo ille evigilans dum cogitat quid hoc esset, fixa (n) in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur. In hoc igitur angore (o) manens, abhorret cibum potumque, et mortem jam sibi proximam præstola-

* *ed.* odio.

men stetit illa sedes. Incertum porrò est quis fuerit locus ille, quem ex hoc Gregorii loco intra Ruthenicæ diœceseos fines contineri discimus. Est namque vicus *Ariat* dictus, qui latinè *Arisitum* dici potuisset. Est etiam vicus montanus, nomine *Aire*. Plerique tamen existimant *Arisitensis* nomine designari pagum seu territorium, longum circiter sex leucas, quod etiam nunc appellatur *l'Arsat*. * Licèt pagum Ruthenensem anno 533. invaserit Theodebertus, *vici* tamen *Arisitensis*, qui in eo continebatur, potiti sunt Wisigothi usque ad annum circiter 560. quo eum recuperavit Chlotarius. In Charta Guillelmi Comitis Ruthenensis scripta anno 1207. mentio fit octo castellorum vel vicorum, *Buzens* scilicet, *Galhac*, *Provenquieres*, *Severac-l'Eglise*, *Ligons*, *Gagnac*, *Laissac* et *Monferran*, quæ sita dicuntur *dans le pays de l'Arssaguez :* quibus ultimis verbis *pagum Arisitensem* designari putant Novæ Historiæ Occitaniæ Auctores. Castella enim supradicta sita sunt in pago Ruthenensi in confinio pagi Gabalitani et antiquæ diœceseos Nemausensis.

(a) Id est parochias, qui loquendi modus aliis etiam auctoribus familiaris fuit, ut observat Savaro in epist. 16. lib. 9. Apollinaris Sidonii. Hæ autem parochiæ cum Septimania fuerant sub dominio Wisigotthorum, qui ibi instituerant Episcopum.

(b) Regm. *Sanctus Martinus Episcopus*. Bad. *Matius Episcopus*. [Clun. *Macius Ep. Rutenorum.*] Ceterùm pro *Nunc verò*, legendum esset *tunc verò*, aut certè *vindicat*, pro *vindicabat*. Valesius in Notitia sua legit *tum*.

(c) Regm. *Tetrici Episcopi*. De quo suprà ad cap. 16. lib. 4.

(d) [Clun. *ex sensu*, corrig. *exsensus*, ut suprà.]

(e) [Clun. *quæ peracta.*]

(f) Is est Episcopus Augustodunensis apud S. Gregorium celebris, qui sedi suæ pallii honorem, et sedendi primo loco prærogativam obtinuit ab eodem sancto Pontifice.

(g) [Clun. *sæcularibus.*]

(h) In basilica S. Johannis, hodie parochiæ titulo insignita.

(i) Regm. *suis, quæ erant ex fisco regio dimissis.*

(k) Idem codex, *hominem fortè gladio interemit.*

(l) Editi, *juxta judicium Dei.*

(m) Visitandæ diœcesis *sollemnem consuetudinem, ut Episcopis mos est*, appellat Severus Sulpicius epist. 1. ad Euseb. De hac passim Gregorius et alii auctores antiqui.

(n) Sic Regm. Ed. verò cum Bec. [et Clun.] *ficta*, qua voce utitur item Gregorius l. 3. de Mirac. S. Mart. cap. 10. Est autem ficta, ut putat Alteserra, dolor subitaneus, quasi clavus infixus, sicut medici πλινθίον, telum appellant. Nostra lectio rem magis exprimit.

(o) [In cod. Clun. desunt hæc verba, *in hoc igitur angore manens.*]

A tur. Quid plura? Tertia die cùm sanguinem ore projiceret, exspiravit; exinde elatus Lingonas (a), est sepultus. In cujus locum Mummolus Abbas (b), quem Bonum cognomento vocant, Episcopus substituitur : quem multi magnis laudibus prosequuntur : dicentes eum esse castum, sobrium, moderatum, ac in omni bonitate promptissimum, amantem justitiam, caritatem omni intentione diligentem. Qui accepto episcopatu, cognoscens quòd Lampadius multùm de rebus fraudasset Ecclesiæ, ac de spoliis pauperum, agros, vineasque, vel mancipia congregasset, eum ab omni re nudatum à præsentia sua jussit abigi. Qui nunc in maxima paupertate degens, manibus propriis victum quærit. Hæc de his sufficiant.

VI. Anno verò (c) quo suprà, id est, quo mortuo Sigiberto Childebertus filius ejus regnare cœpit, multæ virtutes ad sepulcrum beati Martini apparuerunt,
B quas in illis libellis scripsi, quos de ipsius miraculis componere tentavi. Et licèt sermone rustico, tamen celare passus non sum, quæ aut ipse vidi, aut à fidelibus relata cognovi. Hîc tantùm quid negligentibus evenerit, qui post virtutem cœlestem terrena medicamenta quæsierunt, exsolvam : quia sicut per gratiam sanitatum, ita et per (d) castigationem stultorum virtus ejus ostenditur. Leonastes Biturigus (e) Archidiaconus, decidentibus cataractis, lumine caruit oculorum. Qui cùm per multos medicos ambulans, nihil omninò visionis recipere posset, accessit ad basilicam beati Martini : ubi per duos aut tres menses consistens, et jejunans assiduè, lumen ut reciperet flagitabat. Adveniente autem festivitate, clarificatis oculis cernere cœpit : regressus quoque domum, vocato quodam Judæo, ventosas quarum beneficio oculis lumen augeret, humeris superponit. Decidente quoque
C sanguine, rursùs in recidivam cæcitatem redigitur. Quod cùm factum fuisset, rursùm ad templum sanctum regressus est. Ibique iterùm longo spatio commoratus, lumen recipere non meruit. Quod ei ob peccatum non præstitum reor, juxta illud Dominicum oraculum : *Qui habet, debitur ei, et abundabit : et qui non habet, ipsum quod habet auferetur ab eo.* Et illud : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius eveniat.* Nam perstitisset hic in sanitate, si Judæun non induxisset super divinam virtutem. Tales enim admonet et arguit Apostolus, dicens : *Nolite enim jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis cum tenebris* (f)*? Quæ autem communicatio Christi cum Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos estis enim templum Dei vivi. Propterea exite de medio eorum, et separamini ab his, ait Do-*
D *minus* (g). Ideò doceat unumquemque Christianum hæc causa, ut quando cœlestem accipere meruerit medicinam, terrena non requirat studia.

Matth. 13. 12. *Joan.* 5. 14. 2. *Cor.* 6. 14. 15. 16. 17.

VII. Sed (h) et illud commemorare libet, qui, vel quales viri hoc anno à Domino sunt vocati : unde magnum eum et Deo (i) acceptabilem ego censeo, qui talis de nostra terra suo paradiso collocatur. Nam benedictus Senoch Presbyter, qui apud Turonos morabatur, sic migravit à sæculo. Fuit autem genere Theisalus, et in Turonico clericus factus, in cellulam quam ipse inter parietes antiquos composuerat, se removit : collectisque monachis, oratorium, quod multo tempore dirutum fuerat reparavit. Idem super infirmos multas virtutes fecit, quas in libro Vitæ ejus scripsimus (k).

E VIII. Eo anno (l) et beatus Germanus Parisiorum Episcopus transiit : in cujus exsequiis, multis virtutibus quas in corpore gesserat, hoc miraculum confirmationem fecit. Nam carcerariis adclamantibus, corpus in platea adgravatum est; solutisque eisdem, rursùm sine labore levatur : ipsi quoque qui soluti fuerant, in obsequium funeris usque ad basilicam in qua sepultus est, liberi pervenerunt. Ad sepulcrum (m) autem ejus multas virtutes, Domino tribuente, credentes experiuntur : ita ut quisque, si justa petierit, velociter exoptata reportet. Si quis tamen strenuus virtutes illius, quas in corpore fecit, sollicitè vult inquirere, librum Vitæ illius,

(a) [Clun. *Lingonis est sepultus.*]

(b) Is fuit Abbas sancti Johannis Reomaensis in agro Tornodorensi, qui sancto Silvestro successerat; ipsi verò substitutus est Leopardinus. Mummolus jam Episcopus subscripsit Concil. Matisc. I. et II.

(c) Hoc caput deest in Corb. et Bellov.

(d) [Clun. *in castigatione.*]

(e) Becc. et Colb. *Leonastis.* Regm. *Leonastis Bituricensis.* Freh. *Leuvastis.* Editi præter Chen. *Leonastes Biturigis.*

(f) Regm. *Luci ad tenebras..... ad Belial.*

(g) Idem, *dicit Dominus.*

(h) Hoc caput deest in Vatic. Corb. Bellov. et Colb.

(i) Regm. *et ideò.* Et infrà alii, *qui tales..... collocavit.* [Ita Clun.]

(k) Inter Vitas Patrum cap. 15. De Teifalorum gente vide suprà lib. 4. cap. 19.

(l) Corb. Bellov. [et Dub.] *Eo tempore beatus.*

(m) Id est basilicam S. Crucis et S. Vincentii, quæ à compluribus sæculis sancti Confessoris nomine vulgò designatur. Obiit die 28. Maii quo celebratur ejus festivitas.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 576.

qui à Fortunato Presbytero compositus est, legens cuncta reperiet (a). A

IX. Eodem (b) quoque anno et Caluppa reclausus obiit. Hic autem ab infantia sua semper religiosus fuit, et apud monasterium Melitense (c) termini Arverni conversus, in magna se humilitate fratribus præbuit, sicut in libro Vitæ (d) ejus scripsimus.

X. Fuit (e) autem in Biturico termino reclausus, nomine Patroclus, presbyterii honore præditus, miræ sanctitatis ac religionis, vir magnæ abstinentiæ : qui plerumque ab inedia diversis incommodis vexabatur. Vinum, siceram, vel omne quod inebriare potest, non bibebat, præter aquam parumper melle linitam : sed nec pulmento (f) aliquo utebatur. Cujus victus erat panis in aquam infusus, atque sale respersus : hujus oculi numquam caligaverunt. Erat autem in oratione assiduus, quam si parumper prætermisisset, aut legebat aliquid, aut scribebat. Frigoriticis (g) pustulis B laborantibus, vel reliquis morbis, sæpe per orationem remedia conferebat. Sed et alia signa multa fecit, quæ per ordinem longum est enarrare. Cilicium semper puro adhibebat corpori. Qui octogenaria ætate abscedens à sæculo, migravit ad Christum. Scripsimus et de hujus Vita libellum (h).

XI. Et quia semper Deus noster Sacerdotes suos glorificare dignatur, quid Arverno de Judæis hoc anno contigerit, pandam. Cùm eosdem plerumque beatus Avitus (i) Episcopus commoneret, ut relicto velamine legis Mosaïcæ, spiritaliter lecta intelligerent, et Christum filium viventis Dei, prophetica et regali (k) auctoritate promissum, corde purissimo in sacris litteris contemplarentur ; manebat in pectoribus eorum, jam non dicam, velamen illud, quo facies Moysi obumbrabatur, sed paries. Sacerdote (l) quoque orante, ut conversi ad Dominum, ve- C lamen ab eis litteræ rumperetur (m), quidam ex his ad sanctum Pascha, ut baptizaretur expetiit, renatusque Deo per baptismi sacramentum, cum albatis reliquis in albis et ipse procedit. Ingredientibus autem populis partem civitatis, unus Judæorum super caput conversi Judæi oleum fætidum, diabolo instigante, diffudit. Quod cùm cunctus abhorrens populus voluisset eum urgere lapidibus, Pontifex ut fieret non permisit. Die autem beato, quo Dominus ad cœlos post redemtum hominem ascendit gloriosus, cùm Sacerdos de Ecclesia ad basilicam (n) psallendo procederet, inruit super synagogam Judæorum multitudo tota sequentium, destructamque à fundamentis, campi planitiei adsimilat (o). Alia autem die Sacerdos eis legatos mittit, dicens : *Vi ego vos confiteri Dei filium non impello, sed tamen prædico, et salem scientiæ* (p) *vestris pectoribus trado. Pastor sum enim Domini-* D *cis ovibus superpositus, et de vobis ille verus Pastor, qui pro nobis passus est, dixit habere*
Joan. 10. 16. *se alias oves quæ non sunt ex ovili suo, quas eum oporteat adducere, ut fiant unus grex et unus pastor. Ideòque si vultis credere ut ego, estote unus grex, custode me posito : sin verò aliud, abscedite à loco.* Illi autem diu æstuantes atque dubitantes, tertia die, ut credo, obtentu Pontificis, conjuncti in unum ad eum mandata remittunt, dicentes : *Credimus Jesum filium Dei vivi, nobis prophetarum vocibus repromissum : et* (q) *ideò petimus ut abluamur baptismo, ne in hoc delicto permaneamus.* Gavisus autem nuntio Pontifex, nocte sancta Pentecostes, vigiliis (r) celebratis, ad baptisterium foras muraneum egressus est : ibique omnis multitudo coram eo prostrata, baptismum flagitavit. At ille præ gaudio lacrymans, cunctos aqua abluens, chri-

(a) Exstat apud Surium, et Bollandum 28. Maii, et in sæculo 1. Actorum SS. Ord. Benedictini.

(b) Deest hoc caput in Vatic. Corb. Bellov. et Colb. [Deest etiam in cod. Dub. sicut et caput sequens.]

(c) Regm. [Clun.] Bad. *Meletense.*

(d) Est inter Vitas Patrum cap. 11.

(e) Deest et hoc caput in iisdem 4. mss.

(f) [Clun. *pulmentum aliquid.*]

(g) Frigoriticos passim memorat Gregorius, id est febre laborantes, quòd accessio febris à frigore incipiat. *Pustulas* ut plurimùm habent editi, *pusulas* verò scripti. Pustulæ tamen propriè sunt tumores seu vesiculæ in cute, pusulæ verò morbi genus, vulgò sacer ignis, aut ignis S. Antonii, dictum.

(h) Inter Vitas Patrum cap. 9.

(i) Regm. *Adjutus.* Eum laudat Fortunatus lib. 3. carm. 24. Vide suprà lib. 4. cap. 35. Hanc Judæorum ab Avito Episcopo procuratam conversionem versibus descripsit Fortunatus lib. 5. carm. 4. adhortante ipso Gregorio nosto, cui carmen cum præmissa epistola nuncupatum est.

(k) Sic Corb. et Bell. qui locus sic expressus de Davide intelligitur. Ceteri tamen editi et scripti habent *legali;* [ita Clun.] et sic idem locus legem et prophetas exprimeret.

(l) [Clun. *Sacerdos quoque orans.*]

(m) In die parasceves, qua publicè in Ecclesia pro Judæis oratur, ut velamen ab eorum oculis tollatur. Vide Mabillonii notam in Missale Gotthic. num. 29. Liturgiæ Gallic. lib. 3.

(n) Quæ processio *de Ecclesia ad basilicam* hîc dicitur, fiebat fortassè ex majori Ecclesia ad basilicam S. Illidii. Ceterùm ex hoc loco collige non solùm in Turonensi, sed et in aliis quoque Gallicanis Ecclesiis ejusmodi processiones celebratas fuisse.

(o) Sic Corb. Alii, *destruensque..... locus adsimilatur.* Regm. *destructamque redegit in campi planitiem.* [Dub. *adsimilatur.* Cluniac. *locus adsimilatur.*]

(p) Cod. Regm. *justitiæ solem.*

(q) Hæc verba *et ideò*, usque ad *permaneamus*, desunt in Corb. et Bellov. [desunt et in Dub.]

(r) [Clun. *vigilias celebratus.*]

A smate liniens, in sinu matris Ecclesiæ congregavit. Flagrabant cerei, lampades (a) refulgebant, albicabat tota civitas de grege candido : nec minus fuit urbi gaudium, quàm quondam Spiritu-Sancto descendente super Apostolos, Hierusalem videre promeruit. Fuerunt autem qui baptizati sunt, ampliùs quingenti. Hi verò qui baptismum percipere (b) noluerunt, discedentes ab illa urbe, Massiliæ redditi sunt.

XII. Transiit (c) post hæc et Brachio Abbas cellulæ Manatensis. Fuit autem genere Thoringus, in servitium Sigivaldi quondam ducis venationem exercens, sicut alibi scripsimus (d).

XIII. Ergo ut ad propositum revertamur, Chilpericus Rex Chlodovechum filium suum Turonis transmisit. Qui congregato exercitu, in terminum (e) Turo-
B nicum et Andegavum usque Santonas transiit, eamque pervasit. Mummolus (f) verò patricius Guntchramni Regis, cum magno exercitu usque Lemovicinum transiit : et contra Desiderium Ducem Chilperici Regis bellum gessit. In quo prælio cecidere de exercitu ejus quinque millia; de (g) Desiderii verò viginti-quatuor millia. Ipse quoque Desiderius fugiens vix evasit. Mummolus verò patricius per Arvernum rediit, eamque * per loca exercitus ejus devastavit, et sic in Burgundiam peraccessit.

* *al.* eaque.

XIV. Post hæc Merovechus cùm in custodia à patre retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, qua Clericis uti mos est, Presbyter ordinatur, et ad monasterium Cenomannicum, quod vocatur Aninsula (h), dirigitur, ut ibi sacerdotali erudiretur regula. Hæc audiens Guntchramnus-Boso, qui tunc in basilica
C sancti Martini, ut diximus, residebat, misit Riculfum * Subdiaconum, ut ei consilium occultè præberet expetendi basilicam sancti Martini. Qui cùm abiisset, ab alia parte Gailenus (i) puer ejus advenit. Cùmque parvum solatium qui eum ducebant haberent, ab ipso Gaileno in itinere excussus est, opertoque capite, indutusque veste sæculari, beati Martini templum expetiit. Nobis autem Missas celebrantibus, in sanctam basilicam, aperta reperiens ostia, ingressus est. Post Missas autem petiit, ut ei eulogias (k) dare deberemus. Erat autem tunc nobiscum Ragnemodus Parisiacæ sedis Episcopus, qui sancto Germano successerat. Quod cùm refutaremus, ipse clamare cœpit et dicere, quòd non rectè eum à communione sine Fratrum (l) conniventia suspenderemus. Illo autem hæc dicente, cum consensu Fratris qui præsens erat, contestata causa canonica (m), eulogias à nobis
D accepit. Veritus autem sum, ne dum unum à communione suspendebam, in multos exsisterem homicida. Minabatur enim aliquos de populo nostro interficere, si communionem nostram non meruisset. Multas tamen pro hac causa Turonica regio sustinuit clades. His diebus Nicetius vir neptis meæ, propriam (n) habens causam, ad Chilpericum Regem abiit cum Diacono nostro, qui Regi fugam Merovechi narraret. Quibus visis, Fredegundis Regina ait : *Exploratores sunt, et ad sciscitandum quid agat Rex advenerunt, ut sciant quid Merovecho renuntient.* Et statim exspoliatos in exsilium retrudi præcepit, de quo mense septimo expleto relaxati sunt. Igitur Chilpericus nuntios ad nos direxit, dicens : *Ejicite apostatam illum de basilica : sin autem aliud, totam regionem illam igni succendam.* Cùmque nos rescripsissemus, impossibile esse quod temporibus hæreticorum non fuerat (o),

* *al.* Rigulfum.

(a) [Clun. *lampades choruscabant..... de grege candiculo.*]

(b) In Corb. et Bell. deest *percipere*. Et infrà pro *redditi sunt*, Colb. habet *redierunt*. Porrò Judæi posteà etiam Massiliæ ad baptismum suscipiendum adacti fuisse videntur, ex S. Gregorii M. epist. 45. lib. 1. Virgilio Arelat. et Theodoro Massiliensi Episcopis inscripta.

(c) Deest hoc caput in Vatic. Corb. Bell. et Colb.

(d) In cap. 12. libri de Vitis Patrum. In Regm. dicitur *Braco*. Menatense monasterium etiam nunc exstat in diœcesi Claromontensi, Ord. S. Benedicti.

(e) Sic Corb. et Bell. Ceteri autem, *inter terminum*. [Ita Clun.]

(f) In capitum indiculo cod. Colb. dicitur *Momolenus*.

(g) Hæc verba, *de Desiderii verò viginti-quatuor, millia*, desunt in Bellov. [et Clun. Dub. *viginti millia.*]

(h) Colb. *in Cenoniacum, qui vocatur Annisola.* [Clun. *Annisola*, Dub. *Anninsola.*] Adhuc subsistit à conditoris et primi Abbatis sancti Carilefi nomine, vulgò *S. Calais* dictum, sub Ordine S. Benedicti et Congregatione S. Mauri. Observa hîc Meroveum in monasterio versatum fuisse ut clericalibus muniis erudiretur, et vestem clericalem sæculari fuisse dissimilem. Et quidem Gregorius Magnus jussit epist. 10. lib. 5. ut pueri Angli in Galliæ Monasteriis in fide erudirentur.

(i) Sic Corb. Bell. et Regm. ceteri *Gaulenus*.

(k) Nota est eulogiarum acceptio pro quolibet munusculo, maximè à viris piis misso, cùm aliàs in re sacra panem benedictum significet. Hincmarus in Capitulis anni 852. num. 7. *Ut de oblatis quæ offeruntur à populo, et consecrationi supersunt, vel de panibus, etc. post Missarum sollemnia, qui communicare non fuerunt parati, omni die Dominico et diebus festis exinde accipiant, etc.*

(l) [Dub. *convenientia.*]

(m) Regm. *contestatus causam canonicam.* [Dub. et Clun. *contestatam causam canonicam.*]

(n) [Clun. *propinquam causam habens.*]

(o) [Clun. *non fuerat factum.*]

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. AN. CHR. 577.

Christianorum nunc temporibus fieri; ipse exercitum commovet, et illuc dirigit. A
Anno autem secundo Childeberti Regis, cùm videret Merovechus patrem suum in hac deliberatione intentum, adsumto secum Guntchramno duce ad Brunichildem pergere cogitat, dicens : *Absit ut propter meam personam basilica domni Martini violentiam perferat, aut* * *regio ejus per me captivitati subdatur.* Et ingressus basilicam, dum vigilias ageret, res quas secum habebat, ad sepulcrum beati Martini exhibuit, orans ut sibi Sanctus succurreret, atque ei concederet gratiam suam, ut regnum accipere posset. Leudastes tunc Comes cùm multas ei in amore Fredegundis insidias tenderet, ad extremum pueros ejus, qui in pago egressi fuerant, circumventos dolis gladio trucidavit, ipsumque interimere cupiens, si reperire loco (a) opportuno potuisset. Sed ille consilio usus Guntchramni, et se ulcisci desiderans, redeunte Marileifo (b) archiatro de præsentia Regis compre- B
hendi præcepit : cæsumque gravissimè, ablato auro argentoque ejus, et reliquis rebus quas secum (c) exhibebat, nudum reliquit. Et interfecisset utique, si non inter manus cædentium elapsus, Ecclesiam expetisset : quem nos posteà indutum vestimentis, obtenta vita, Pictavum remisimus. Merovechus verò de patre atque noverca multa crimina loquebatur : quæ cùm ex parte vera essent, credo acceptum non fuisse Deo, ut hæc per filium vulgarentur, sicut in sequentibus cognovi. Quadam enim die ad convivium ejus adscitus (d), dum pariter sederemus, suppliciter petiit aliqua ad instructionem animæ legi. Ego verò reserato Salomonis libro, ver-
Prov. 30. 17. siculum qui primus occurrit arripui, qui hæc continebat : *Oculum qui adversùs adspexerit* (e) *patrem, effodiant eum corvi de convallibus.* Illo quoque non intelligente, consideravi hunc versiculum à Domino præparatum. Tunc direxit Guntchram- C
nus (f) puerum ad mulierem quamdam, sibi jam cognitam à tempore Chariberti Regis, habentem spiritum phytonis, ut ei quæ erant eventura narraret. Adserebat prætereà ipsam sibi ante hoc tempus, non solùm annum, sed et diem et horam, in qua Rex Charibertus obiret denuntiasse. Quæ hæc ei per pueros mandata remisit : *Futurum est enim ut Rex Chilpericus hoc anno deficiat, et Merovechus Rex exclusis fratribus* (g) *omne capiat regnum. Tu verò Ducatum totius regni ejus annis quinque tenebis. Sexto verò anno in una civitatum* (h), *quæ super Ligeris alveum sita est in dextra ejus parte, favente populo, episcopatûs gratiam adipisceris, ac senex et plenus dierum ab hoc mundo migrabis.* Cùmque hæc pueri redeuntes domino nuntiassent, statim ille vanitate elatus, tamquam si jam in cathedra Turonicæ Ecclesiæ resideret, ad me hæc detulit verba. Cujus ego inridens stultitiam, dixi : *A* D
Joan. 8. 44. *Deo hæc poscenda sunt : nam credi non debent quæ diabolus repromittit. Ille* (i) *autem ab initio mendax est, et in veritate numquam stetit.* Illo quoque cum confusione discedente, valde inridebam hominem, qui talia credi putabat. Denique quadam nocte (k) vigiliis in basilica sancti Antistitis celebratis, dum lectulo decubans obdormissem, vidi Angelum per aëra volantem : cùmque super sanctam basilicam præteriret, voce magna ait : *Heu heu! percussit Deus Chilpericum, et omnes filios ejus : nec superabit* (l) *de his qui processerunt ex lumbis ejus, qui regat regnum illius in æternum.* Erant ei eo tempore de diversis uxoribus filii quatuor, exceptis filiabus. Cùm autem hæc in posterum impleta fuissent, tunc ad liquidum cognovi falsa esse quæ promiserant arioli. Igitur commorantibus his apud basilicam sancti Martini, misit ad Guntchramnum-Bosonem Fredegundis Regina, quæque ei jam E
pro morte Theodoberti patrocinabatur occultè, dicens : *Si Merovechum ejicere potueris de basilica ut interficiatur, magnum de me munus accipies.* At ille præstò putans esse interfectores, ait ad Merovechum : *Ut quid hîc quasi segnes et timidi residemus, et ut hebetes circa basilicam hanc occulimur? Veniant enim equi nostri, et acceptis accipitribus, cum canibus exerceamur venatione, spectaculisque patulis jocun-*

(a) [Clun. *locum opportunum..... se vindicare desiderans.*]
(b) Alii *Mareleifo.* Regm. *Marilefio.* [Dub. *Arileifo.*]
(c) [Clun. *secum habebat.*]
(d) Colb. *accessi.* [Dub. *acciti.*]
(e) Corb. *exasperat.* Colb. *qui aversus dispexerit.* [Dub. *aversus aspexerat.* Clun. *aversus aspexerit.*]
(f) Sic Corb. Bel. Colb. et Bec. cum Bad. [Clun. *Guntrannus.*] Alii *Guntchramnum,* quæ unius litterulæ mutatio docet nos puerum à Guntramno, non à Meroveo Guntramnum, ad pythonissam consulendam missum fuisse.
(g) Sic Corb. Bell. et Colb. ceteri cum editis *Merovechus inclusis fratribus.* [Ita Clun.] Vox *Rex* est in solo Bell.
(h) Id de Turonensi episcopatu intellexit Valesius : at Turonensis urbs ad lævam Ligeris sita est. Ad dexteram Ligeris sunt Nivernum, Aurelia, Namnetæ ; de postrema hac id potiùs intelligendum Cointius censet, nec repugnat Gregorii textus.
(i) Quæ sequuntur usque ad *stetit,* desunt in Corb. et Bell. [desunt et in Dub.]
(k) [Codd. Dub. et Clun. *vigilias..... celebratas.*]
(l) [Dub. *supererit.*]

demur

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 577.

A *demùr*. Hoc enim agebat (a) callidè, ut eum à sancta basilica separaret. Guntchramnus verò aliàs sanè bonus. Nam ad perjuria (b) nimiùm præparatus erat, verumtamen nulli amicorum sacramentum dedit, quod non protinùs omisisset. Egressi itaque, ut diximus, de basilica, ad Jocundiacensem domum (c) civitati proximam progressi sunt : sed à nemine Merovechus nocitus (d) est. Et quia impetebatur tunc Guntchramnus de interitu, ut diximus, Theodoberti, misit Chilpericus Rex nuntios et epistolam scriptam ad sepulcrum sancti Martini, quæ habebat insertum, ut ei beatus Martinus rescriberet, utrùm liceret extrahi Guntchramnum de basilica ejus, an non. Sed Baudegilus (e) Diaconus, qui hanc epistolam exhibuit, chartam puram cum eadem quam detulerat, ad sanctum tumulum misit. Cùmque per triduum exspectasset, et nihil rescripti (f) reciperet, redivit ad Chilpericum. Ille
B verò misit alios, qui à Guntchramno sacramenta exigerent, ut sine ejus scientia (g) basilicam non relinqueret. Qui ambienter jurans pallam altaris fidejussorem dedit (h), numquam se exinde sine jussione regia egressurum. Merovechus verò non credens phytonissæ, tres libros super Sancti sepulchrum posuit, id est Psalterii, Regum, Evangeliorum : et vigilans tota nocte, petiit ut sibi beatus Confessor quid eveniret ostenderet, et utrùm possit regnum accipere, an non, ut Domino indicante cognosceret (i). Post hæc continuato triduo in jejuniis, vigiliis, atque orationibus, ad beatum tumulum iterùm accedens, revolvit librum, qui erat Regum : versus autem primus (k) paginæ quam reseravit, hic erat : *Pro eo quòd dereliquistis Dominum Deum vestrum, et ambulastis post deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum ejus, ideò tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimi-*
C *corum vestrorum*. Psalterii autem versus hic est inventus (l) : *Verumtamen propter dolositatem posuisti eis mala : dejecisti eos dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subitò defecerunt : perierunt propter iniquitates suas.* In Evangeliis autem hoc est repertum : *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur*. In his responsionibus ille confusus, flens diutissimè ad sepulcrum beati Antistitis, adsumto secum Guntchramno Duce, cum quingentis aut eò ampliùs viris discessit. Egressus autem basilicam (m) sanctam, cùm iter ageret per Autisiodorense territorium, ab Erpone (n) Duce Guntchramni Regis comprehensus est. Cùmque ab eo detineretur, casu nescio quo dilapsus, basilicam sancti Germani (o) ingressus est. Audiens hæc Guntchramnus Rex, in ira commotus Erponem septingentis (p) aureis damnat, et ab honore removet, dicens : *Retinuisti, ut ait*
D *frater meus, inimicum suum : quod si hoc facere cogitabas, ad me eum debuisti priùs adducere : sin autem aliud, nec tangere debueras, quem tenere dissimulabas*. Exercitus autem Chilperici Regis usque Turonis accedens, regionem illam in prædas mittit, succendit, atque devastat : nec rebus sancti Martini pepercit, sed quod manu tetigit, sine ullo Dei intuitu, aut timore diripuit. Merovechus propè duos menses ad antè dictam basilicam (q) residens, fugam iniit, et ad Brunichildem Reginam usque pervenit : sed ab Austrasiis non est collectus. Pater verò ejus exercitum contra Campanenses commovit, putans eum ibidem occultari : sed nihil nocuit : nec eum potuit reperire.

3. *Reg.* 9. 9.

Psal. 71. 18. 19.

Matth. 26. 2.

XV. Et quia tempore illo, quo (r) Alboinus in Italiam ingressus est, Chlothacharius et Sigibertus (s) Suavos et alias gentes in loco illo posuerunt (t); hi qui

(a) Editi cum Bec. *aiebat*. [Ita Clun.]
(b) [Dub. et Clun. *in perjuriis*.]
(c) Locus est ad Carum fluvium contra Turonos, vulgò *Jouay* dictus.
(d) Sic Corb. Bec. [et Clun.] alii *noscitus est*. Casin. *notus est*.
(e) Sic Corb. et Bell. at Regm. et Bad. *Baudigisilus*. Colb. *Baidegisilus*. Bec. *Baudegisilus*. [Ita Dub. et Clun.] Editi aliquot *Baudinus*.
(f) Corb. et Bell. *rescribere cœperit*.
(g) Regm. *consensu*.
(h) Eam scilicet tangendo.
(i) Hæc consuetudo, potissimùm ubi agebatur de rebus sæcularibus, valde S. Augustino displicebat, ex epist. 55. alias 119. *Sortes sanctorum* et alias ejusmodi divinationes damnarunt Concilia Gallic. Agath. can. 42. Aurel. I. can. 30. etc. quæ tandem penitùs abrogatæ sunt in tertio Capitulari an. 789. ubi cap. IV. legitur, *Ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortire præsumat, nec divinationes aliquas observare*. Quo autem ritu fieret id per sacros libros sortilegium, disce ex V. C. Stephani Balusii notis in eumdem locum. Vide suprà not. in lib. 2. cap. 37. Mos ille etiam apud gentiles invaluerat. Sic Hadrianus apud Spartianum ex fortuito versu, qui primus in Virgilio occurrisset, futurum augurabatur.
(k) [Clun. *primæ paginæ*.]
(l) [Clun. *versus hic erat. Verumtamen*.]
(m) [Clun. et Dub. *de basilica sancta*.]
(n) Regm. *Herpone*, Bec. *Herbone*.
(o) Juxta urbem Autisiodorum, ubi etiam nunc subsistit, sed in urbe, cum percelebri monasterio Ordinis Benedictini, sub S. Mauri Congregatione.
(p) Corb. *septuaginta*.
(q) [Dub. *sedens*.]
(r) [Idem, *Alboënus*.]
(s) [Idem, *Suævos*.]
(t) Confer caput hoc cum 43. libri 4. Ceterùm, ut monent Valesius et Cointius, Sigibertus solus Suevis locum inhabitandi dederat : nam tunc jam defunctus erat Chlotarius. Emendandus quoque Paulus Diaconus, qui Gregorium incautè secutus, in hunc errorem impegit.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 577.

tempore Sigiberti regressi sunt, id est qui cum Alboino fuerant, contra hos con- A surgunt, volentes eos à regione illa extrudere ac delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem terræ, dicentes : *Simul vivere sine conlisione possumus.* Sed illi contra eos irati, eò quòd ipsi hoc anteà tenuissent, nullatenus pacificare voluerunt. Dehinc obtulerunt eis iterùm isti medietatem, post hæc duas partes, sibi tertiam relinquentes. Nolentibus autem illis, obtulerunt cum terra omnia pecora, tantùm ut à bello cessarent. Sed nec hoc illi adquiescentes, certamen expetunt. Et inter se ante certamen, qualiter uxores Suavorum dividerent, et qui quam post eorum exitum acciperet, tractant; putantes eos jam quasi interfectos habere. Sed Domini miseratio, quæ justitiam facit, in aliam partem voluntatem eorum retorsit. Nam confligentibus illis : erant autem viginti sex millia Saxonum, ex quibus viginti millia ceciderunt : Suavorum quoque sex millia quadraginti, et octoginta (a) tantùm B prostrati sunt : reliqui verò victoriam obtinuerunt. Illi quoque qui ex Saxonibus remanserant, detestati sunt, nullum se eorum barbam, neque capillos incisurum, nisi priùs se de adversariis ulciscerentur. Quibus iterùm decertantibus in majore excidio conruerunt : et sic à bello cessatum est (b).

XVI. In Britanniis hæc acta sunt. Macliavus quondam et Bodicus Britannorum Comites (c), sacramentum inter se dederant, ut qui ex eis superviveret, filios partis alterius tamquam proprios defensaret. Mortuus autem Bodicus reliquit filium, Theodericum nomine. (d) Quo, Macliavus oblitus sacramenti, expulso à patria, regnum patris ejus accepit. Hic verò multo tempore profugus vagusque fuit. Cui tandem misertus Deus (e), collectis secum à Britannia viris, se super Macliavum objecit, eumque cum filio ejus Jacob gladio interemit, partemque regni, quam C quondam pater ejus tenuerat, in sua potestate restituit : partem verò aliam Warochus (f) Macliavi filius vindicavit sibi.

XVII. Guntchramnus verò Rex duos Magnacharii (g) quondam filios gladio interemit, pro eo quòd in Austrechildem (h) Reginam, ejusque soboles multa detestabilia atque exsecranda proferrent : facultatesque eorum fisco suo redegit. Ipse quoque duos filios suos subito morbo oppressos perdidit (i) : de quorum funere valde contristatus est, eò quòd orbatus absque liberis remansisset. Eo anno dubietas paschæ fuit. In Galliis verò nos cum multis civitatibus quarto-decimo Calendas Maias (k) sanctum Pascha celebravimus. Alii verò cum (l) Hispanis, duodecimo Calendas Aprilis solemnitatem hanc tenuerunt : tamen, ut ferunt, fontes illi, qui in (m) Hispaniis nutu Dei complentur (n), in nostro Pascha repleti D sunt.

XVIII. Cainone verò (o) Turonico vico, dum ipso glorioso Resurrectionis Dominicæ die Missæ celebrarentur, Ecclesia contremuit, populusque conterritus à pavore, unam vocem dedit, dicens quòd Ecclesia caderet : cunctique ab ea, etiam pereffractis ostiis per fugam lapsi sunt. Magna post hæc lues populum devastavit. Post hæc Guntchramnus Rex ad Childebertum nepotem suum legatos mittit, pacem petens, ac deprecans eum videre. Tunc ille cum proceribus suis ad eum venit : qui ad pontem, quem Petreum (p) vocitant, conjuncti sunt, con-

(a) Sic Corb. et Bellov. Colb. idem etiam habebat; sed posteà addita sunt post *millia*, hæc verba *ex quibus*, ut conficeretur *sex millia, ex quibus quadringenti et octoginta, etc.* quam lectionem Bec. [Clun.] et editi habent, quibus favet Paulus Diac. lib. 3. cap. 7.

(b) Witichindus monachus Corbeiensis in Saxonia, qui sub Otthone M. floruit, observat Suavos Transalbenses regionem quam incolebant occupavisse Saxonibus in Italiam migrantibus; ideòque sua adhuc ætate eosdem aliis quàm Saxones legibus usos esse, quamvis in Saxonia sedes haberent.

(c) Regm. *Duces, Comitesque.* Macliavus ordinatus fuerat Episcopus Venetensis, suprà lib. 4. cap. 4. et licèt apostata, numquam tamen passus est se vivente alium ordinari.

(d) [Dub. et Clun. *quem..... expulsum.*]

(e) Editi, *qui tandem miserante Deo.*

(f) Bell. *Varrocus.*

(g) Corb. *Magnarii.* Colb. et aliquot editi, *Maginharii.* [Dub. *Magnœcharii.*] Guntramnus Marcatrudem Magnacharii Ducis filiam duxerat, qua ob Gundobadum privignum, quem Guntramnus ex Veneranda habuerat, veneno sublatum dimissa, Austrigildem ejus ancillam duxit, quod Guntio et Wiolicus Magnacharii filii ferre non valebant, idque tandem exitii causa eis fuit. Magnacharii mortem anno 565. consignat Marius Aventicensis.

(h) Alii *Austrigildem.* [Ita Clun.]

(i) Chlodomerem scilicet et Chlotarium, quorum epitaphia refert Chesnius tomo 1. Histor. Franc. pag. 512. Eosdem *Regios ac egregios adolescentes* vocat Marius ad an. 577. [In cod. Clun. deest *subito.*]

(k) Colb. *Martias*, sed mendosè.

(l) [Dub. *Spanis.*]

(m) [Idem, *Spaniis.*]

(n) De his fontibus vide Cointium ad annum 497. num. 3. Dubietas hæc orta ex eo quòd Franci Victorii laterculum sequebantur, ut in Concilio Aurelian. IV. can. 1. an. 541. statutum fuerat; Hispani verò antiquum Latinorum canonem. Adi Cointium ad annum 539. num. 15. * et Pagium ad annum 573. num. 4.

(o) Castrum est ad Vingennam positum, quod vulgò *Chinon* appellatur, unde recentiores *Chinonium* corruptè efformarunt.

(p) Complures sunt hujus nominis vici in Galliis, vulgò *Pierre-Pont* dicti : qui autem hîc memoratur,

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 577.

A salutantes atque invicem osculantes se. Guntchramnus Rex ait : *Evenit impulsu peccatorum meorum, ut absque liberis* (a) *remanerem : et ideò peto, ut hic nepos meus mihi sit filius.* Et imponens eum super cathedram suam, cunctum ei regnum tradidit, dicens : *Una nos parma protegat, unaque hasta defendat. Quòd si filios habuero, te nihilominùs tamquam unum ex his reputabo, ut illa cum eis, tecumque permaneat caritas, quam tibi hodie ego polliceor, teste Deo.* Proceres verò Childeberti similiter pro eodem polliciti sunt. Et manducantes simul atque bibentes, dignisque se muneribus honorantes, pacifici discesserunt ; tunc ad Chilpericum Regem legationem mittentes, ut redderet quod de eorum regno minuerat : quòd si differret, campum præpararet ad bellum. Quod ille despiciens, apud (b) Suessionas atque Parisius circos ædificare præcepit, eosque populis spectaculum præbens (c).

B XIX. His ita gestis, audiens Chilpericus, quòd Prætextatus Rothomagensis Episcopus contra utilitatem suam populis munera daret, eum ad se arcessiri præcepit. Quo discusso (d), reperit cum eodem res Brunichildis Reginæ commendata : ipsisque ablatis, eum in exsilio usque ad sacerdotalem audientiam retineri præcepit. Conjuncto autem Concilio, exhibitus est. Erant autem Episcopi (e) qui advenerant apud Parisius, in basilica sancti Petri Apostoli. Cui Rex ait : *Quid tibi visum est, ô Episcope, ut inimicum meum Merovechum, qui filius esse debuerat, cum amita sua, id est patrui sui uxore, conjungeres? An ignarus eras, quæ pro hac causa Canonum statuta sanxissent? Etiam non hîc solùm excessisse probaris, sed etiam cum illo egisti, datis muneribus, ut ego interficerer. Hostem autem filium patri fecisti, seduxisti pecunia plebem, ut nullus mecum fidem habitam custodi-*
C *ret : voluistique regnum meum in manum alterius tradere.* Hæc eo dicente, infremuit multitudo Francorum, voluitque ostia basilicæ rumpere, quasi ut extractum Sacerdotem lapidibus urgeret : sed Rex prohibuit fieri. Cùmque Prætextatus Episcopus ea quæ Rex dixerat, facta negaret, advenerunt falsi testes, qui ostendebant species aliquas, dicentes : *Hæc et hæc nobis dedisti, ut Merovecho fidem promittere deberemus.* Ad hæc ille dicebat : *Verum enim dicitis, vos à me sæpius muneratos, sed non hæc causa exstitit, ut Rex ejiceretur à regno. Nam et cùm vos mihi et equos optimos, et res alias præberetis, numquid poteram aliud facere, nisi et ego vos simili sorte remunerarem.* Recedente verò Rege ad metatum (f) suum, nos collecti in unum sedebamus in secretario basilicæ beati Petri. Confabulantibusque nobis, subitò advenit Aëtius Archidiaconus Parisiacæ Ecclesiæ, salu-
D tatisque nobis, ait : *Audite me, ô Sacerdotes Domini, qui in unum collecti estis : aut enim hoc tempore exaltabitis nomen vestrum, et bonæ famæ gratia refulgebitis : aut certè nullus vos amodò pro Dei Sacerdotibus est habiturus, si personas vestras sagaciter non erigitis, aut fratrem perire permittitis.* Hæc eo dicente, nullus Sacerdotum ei quicquam respondit. Timebant enim Reginæ furorem, cujus instinctu hæc agebantur. Quibus intentis, et ora digito comprimentibus, ego aio : *Adtenti estote, quæso, sermonibus meis, ô sanctissimi Sacerdotes Dei, et præsertim vos, qui familiariores esse Regi videmini : adhibete ei consilium sanctum atque sacerdotale, ne exardescens in ministrum Dei, pereat ab ira ejus, et regnum perdat, et gloriam.* Hæc me dicente, silebant omnes. Illis verò silentibus (g) adjeci : *Mementote, domini mei Sacerdotes, verbi prophetici quod ait, Si viderit speculator iniquitatem hominis, et non dixerit ; reus erit animæ pereuntis. Ergo nolite silere, sed prædicate, et ponite ante oculos Regis peccata ejus, ne fortè ei aliquid mali contingat, et vos rei sitis pro anima ejus. An ignoratis quid novo gestum fuerit tempore? quomodo adprehensum Sigimundum Chlodomeris retrusit in carcerem? dixitque ei Avitus* (h) *Dei*

Ezech. 33. 6.

dicitur *Pont-Pierre*, situs in silva Vosago ad Mosam fluvium, inter Motam et Novum-castellum, vix hodie notus.

(a) Habebat filias duas Guntramnus, Chlodobergem nempè et Chlotildem ; sed id pro nihilo ducebat, quòd regno capessendo inhabiles essent juxta legem Salicam, quæ semper in omnibus regni divisionibus locum habuerat, et exinde habuit. Numquam enim, ex quo Francorum Imperium subsistit, mulieres ad succedendum in regia dignitate admissæ fuerunt.

(b) [Dub. *Sessionas*. Clun. *Sessonas*.]

(c) Regm. *eosque spectandos populis præbuit*. Bad. *in eis populo spectaculum præbiturus*. Porrò hîc detrita est scriptura cod. Bellov. usque ad hæc verba sequentis capitis *et ora digito, etc.* [Cod. Cluniac. habet *spectaculis præbuit.*]

(d) Corb. Bec. etc. *quem discussum*, casuum mutatione, quam sibi familiarem fuisse fatetur non semel Gregorius. [Ita Dub. et Clun. et paulò pòst *ipsasque ablatas.*]

(e) Erant numero XLV. ex libro 7. infrà cap. 16.

(f) Veteres metatum pro solo hospitum vel militum hospitio adhibebant : sequioris ævi scriptores pro quolibet domicilio.

(g) [Dub. *silentibus et ora digitis comprimentibus adjeci.*]

(h) Regm. ut semper aliàs, *Adjutus*. Vide suprà lib. 3. cap. 6. Porrò hîc *Sacerdotis* nomine Episcopum non intelligit Gregorius ; ut sæpè aliàs. Nam sanctus Avitus erat solummodò Abbas Miciacensis.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 577.

Sacerdos : Ne injicias manum in eum, et cùm Burgundiam petieris, victoriam obti- A
nebis. Ille verò abnuens quæ ei à Sacerdote dicta fuerant, abiit, ipsumque cum uxore et filiis interemit : petiitque Burgundiam, ibique oppressus ab exercitu, iuteremtus est. Quid Maximus Imperator? nonne cùm beatum Martinum (a) *compulisset communicare cuidam homicidæ Episcopo, et ille, quò faciliùs addictos morti liberaret, Regi impio consensisset; prosequente Regis æterni judicio, ab Imperio depulsus Maximus, morte pessima condemnatus est?* Hæc me dicente, non respondit ullus quicquam, sed erant omnes intenti et stupentes. Duo tamen adulatores ex ipsis, quod de Episcopis dici dolendum est, nuntiaverunt Regi dicentes, quia nullum majorem inimicum in suis causis quàm me haberet. Illicò unus ex aulicis cursu rapido ad me repræsentandum dirigitur. Cùmque venissem, stabat Rex juxta tabernaculum ex ramis factum, et ad dexteram jus Bertchramnus Episcopus, ad lævam verò B
Ragnemodus (b) stabat : et erat ante eos scamnum (c) pane desuper plenum cum diversis ferculis. Visoque me Rex ait : *O Episcope, justitiam cunctis largiri debes : et ecce ego justitiam à te non accipio; sed, ut video, consentis iniquitati, et impletur in te proverbium illud, quòd corvus oculum corvi non eruit.* Ad hæc ego : *Si quis de nobis, ô Rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest : si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris audis : si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse Justitiam?* Ad hæc ille, ut erat ab adulatoribus contra me accensus, ait : *Cum omnibus enim inveni justitiam, et tecum invenire non possum. Sed scio quid faciam, ut noteris in populis, et injustum te esse omnibus perpatescat. Convocabo enim populum Turonicum,* C
et dicam eis : Vociferamini contra Gregorium, quòd sit injustus, et nulli hominum justitiam præstet. Illis quoque hæc clamantibus respondebo : Ego qui Rex sum, justitiam cum eodem inveniri non possum, et vos qui minores estis invenietis? Ad hæc ego : *Quòd sim injustus, tu nescis. Scit enim ille conscientiam meam, cui occulta cordis sunt manifesta. Quòd verò falso clamore populus te insultante vociferatur, nihil est, quia sciunt omnes à te hæc emissa. Ideòque non ego, sed potiùs tu in adclamatione notaberis. Sed quid plura? Habes legem et Canones : hæc te diligenter rimari oportet : et tunc quæ præceperint, si non observaveris* (d), *noveris tibi Dei judicium imminere.* At ille quasi me demulcens, quod dolosè faciens putabat me non intelligere, conversus ad juscellum quod coram erat positum : *Propter te hæc juscella paravi, in quibus nihil aliud præter volatilia, et parumper ciceris continetur.* Ad hæc ego, cognoscens adulationes ejus, dixi : *Noster cibus esse debet facere voluntatem* D
Dei, et non his deliciis delectari : ut ea quæ præcipit, nullo casu prætermittamus. Tu verò qui alios de justitia culpas, pollicere priùs quòd legem et Canones non omittas : et tunc credimus quòd justitiam prosequaris. Ille verò porrecta (e) dextera, juravit per omnipotentem Deum, quòd ea quæ lex et Canones edocebant, nullo prætermitteret pacto. Post hæc accepto pane, hausto etiam vino discessi (f). Ea verò nocte, decantatis nocturnalibus hymnis, ostium mansionis nostræ gravibus audio cogi verberibus : missoque puero, nuntios Fredegundis Reginæ adstare cognosco. Quibus introductis, salutationem Reginæ suscipio. Deinde precantur pueri, ut in ejus causis contrarius non exsistam, simulque ducentas argenti promittunt libras (g), si Prætextatus me impugnante opprimeretur. Dicebant enim : *Jam omnium Episcoporum promissionem habemus : tantùm tu adversus non incedas.* Quibus ego respondi : *Si* E
mihi mille libras auri argentique donetis, numquid (h) *aliud facere possum, nisi quod Dominus agere præcipit? Unum tantùm polliceor, quòd ea quæ ceteri secundùm Canonum statuta consenserint, sequar.* At illi non intelligentes quæ dicebam, gratias agentes discesserunt. Manè autem facto, aliqui de Episcopis ad me venerunt, simile mandatum ferentes : quibus ego similia respondi.

Convenientibus autem nobis in basilica sancti Petri, mane Rex adfuit, dixitque : *Episcopus enim in furtis deprehensus, ab episcopali officio ut avellatur Canonum*

(a) Corb. Bell. et Colb. habent *Germanum*. Vulgatam tamen ceterorum lectionem retinuimus ; quòd hoc ipsum sancto Martino contigisse referat Sulpicius Severus in Dialogo 3. ubi sanctus Martinus Felicis ordinationi interfuisse narratur.

(b) Bertramnus erat Episcopus Burdegalensis, Ragnemodus verò Parisiensis, uterque à Fortunato passim laudatus, de quibus sæpius infrà. [Clun. *Bertramus.*]

(c) Id est mensa humilis, gallicè dicitur *un banc*, ex quo derivavit vox *banquet*, ad designandum convivium.

(d) Regm. *observare volueris.*

(e) [Clun. *porrectam dexteram.* Satis sit semel adnotasse in hoc codice et in Duboisiano pro Ablativo absoluto ferè semper poni Accusativum.]

(f) Regm. *discessit.*

(g) Cod. Regm. *marchas.*

(h) [Cod. Clun. *Non aliud face possum, nisi quæ.*]

A *auctoritas sanxit*. Nobis quoque respondentibus, quis ille Sacerdos esset cui furti crimen inrogaretur? respondit Rex : *Vidistis enim species, quas nobis furto abstulit*. Ostenderat enim nobis ante diem tertiam Rex duo volucla (a), speciebus et diversis ornamentis referta : quæ adpretiabantur ampliùs quàm tria millia solidorum. Sed et sacculum cum numismatis (b) auri pondere tenentem quasi millia duo. Hæc enim dicebat Rex, sibi ab Episcopo fuisse furata. Qui respondit : *Recolere vos credo, discedente à Rothomagensi urbe Brunichilde Regina, quòd venerim ad vos, dixique vobis, quia res ejus, id est quinque sarcinas, commendatas haberem : et frequentiùs advenire pueros ejus ad me, ut ea redderem, et nolui sine consilio vestro. Tu autem dixisti mihi, ô Rex : Ejice hæc à te, et revertantur ad mulierem res suæ, ne inimicitia inter me et Childebertum nepotem meum pro his rebus debeat pullulare. Re-*
B *versus ergo ego ad urbem, unum voluclum tradidi pueris : non enim valebant ampliùs ferre. Reversi iterum requirebant alia : iterum consului* (c) *magnificentiam vestram. Tu autem præcepisti, dicens : Ejice, ejice hæc à te, ô Sacerdos, ne faciat scandalum hæc causa. Iterum tradidi eis duo ex his : duo autem alia remanserunt mecum. Tu autem, quid nunc calumniaris, et me furti arguis, cùm hæc causa non ad furtum, sed ad custodiam debeat deputari?* Ad hæc Rex : *Si hoc depositum penes te habebatur ad custodiendum, cur solvisti unum ex his, et limbum aureis contextum filis in partes dissecasti, et dedisti per viros, qui me à regno dejicerent?* Prætextatus Episcopus respondit : *Jam dixi tibi superiùs, quia munera eorum acceperam, ideòque cùm non haberem de præsenti quod darem, hinc præsumsi, et eis vicissitudinem munerum tribui. Proprium mihi esse videbatur, quod filio meo Merovecho erat, quem de lavacro regenera-*
C *tionis excepi*. Videns autem Rex Chilpericus, quòd eum his calumniis superare nequiret, adtonitus valde, à * conscientia confusus, discessit à nobis : vocavitque quosdam de adulatoribus suis, et ait : *Victum me verbis Episcopi fateor, et vera esse quæ dicit scio : quid nunc faciam, ut Reginæ de eo voluntas adimpleatur?* Et ait : *Ite, et accedentes ad eum dicite, quasi consilium ex vobismetipsis dantes : Nosti quòd sit Rex Chilpericus pius atque compunctus, et citò flectatur ad misericordiam : humiliare sub eo, et dicito ab eo objecta à te perpetrata fuisse. Tunc nos prostrati omnes coram pedibus ejus, dari tibi veniam impetramus*. His seductus Prætextatus Episcopus, pollicitus est se ita facturum. Mane autem facto, convenimus ad consuetum locum : adveniensque et Rex, ait ad Episcopum : *Si munera pro muneribus his hominibus es largitus, cur sacramenta postulasti, ut fidem Merovecho servarent?* Res-
D pondit Episcopus : *Petii, fateor, amicitias eorum haberi cum eo : et non solùm hominem, sed, si fas fuisset, Angelum de cœlo evocassem, qui esset adjutor ejus : filius enim mihi erat, ut sæpe dixi, spiritalis ex lavacro*. Cùmque hæc altercatio altiùs tolleretur, Prætextatus Episcopus prostratus solo, ait : *Peccavi in cœlum et coram te, ô Rex* (d) *misericordissime, ego sum homicida nefandus : ego te interficere volui, et filium tuum in solio tuo erigere*. Hæc eo dicente, prosternitur Rex coram pedibus Sacerdotum, dicens : *Audite, ô piissimi Sacerdotes, reum crimen* (e) *exsecrabile confitentem*. Cùmque nos flentes Regem elevassemus à solo, jussit eum basilicam egredi. Ipse verò ad metatum discessit, transmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quasi Apostolicos (f), continentes hæc : *Episcopus in homicidio, adulterio, et perjurio deprehensus, à sacerdotio divellatur*. His ita lectis, cùm Prætextatus staret stupens, Bertchramnus Episcopus ait : *Audi, ô frater et Coëpiscope, quia Regis gratiam non habes, ideòque nec nostra caritate* (g) *uti poteris, priusquàm Regis indulgentiam merearis*. His ita gestis, pe-

* *al.* ac.

(a) Sic Corb. Bell. et Colb. quam vocem aliàs pro *involucris* in his mss. positam jam animadvertimus. [Dub. et Clun. *volucra*. Infrà *volucrum*.] Sic et pro *speciebus*, habent *species*, mutato casu.

(b) Colb. *numismate*. Sed Gregorius ponit hîc, sicut et jam aliàs, *numismatis*, pro *numismatibus*.

(c) Alii mss. et editi *consiliatus sum*. [Ita Dub. et Clun.]

(d) [Clun. *O Rex, miserere mei.*]

(e) [Dub. *crimina sacrilega.*]

(f) Ii sunt, qui etiam nunc vulgò Canones Apostolici appellantur, quorum auctoritas in Ecclesia Gallicana nulla tunc erat. De his Hincmarus loquitur opusc. 24. Qui autem hîc laudatur, num. 21. est; sed non sincerè à Prætextati adversariis relatus est : nihil quippe in eo habetur de homicidio, pro qua voce legitur in ipso Canone *furto*. De Canonum Collectione, quam hîc Gregorius laudat, et de Canonibus Apostolicis vide Cointium ad annum 577. de iis fusiùs disserentem. Ex hoc autem loco V. C. Paschasius Quesnelius in dissertatione XVI. ad opera S. Leonis Papæ probat, Dionysii Exigui collectionem nondum tunc temporis in Galliis fuisse receptam. Dionysius quippe ceteris Canones Apostolicos præmittit, quos in codice Gallicano tunc non exstitisse indicant verba Gregorii reprehendentis Regem, quòd novum quaternionem *Canones quasi Apostolicos* continentem inseruisset. Et quidem habemus præ manibus vetustissimum codicem Canonum Ecclesiæ Gallicanæ, ex ms. Corbeïensi tempore Vigilii Papæ conscripto, in quo et isti Canones desiderantur, et ceterorum Canonum Græcorum versio alia est ab ea, quam Dionysius Exiguus exornavit.

(g) [Dub. *nostram caritatem*. In hoc codice et Clun. verba *uti, frui, potiri, carere, fungi*, ferè sem-

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 577.

tiit Rex, ut aut tunica ejus scinderetur, aut centesimus-octavus psalmus, qui maledictiones Ischariothicas continet (a), super caput ejus recitaretur : aut certè judicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus ego restiti, juxta promissum Regis, ut nihil extra Canones gereretur. Tunc Prætextatus à nostris raptus oculis, in custodiam positus est. De qua fugere tentans * nocte, gravissimè cæsus, in insulam maris, quod adjacet civitati Constantinæ (b), in exsilium est detrusus.

* *al.* cùm fugeret.

Post hæc sonuit, quòd Merovechus iterum basilicam sancti Martini conaretur expetere. Chilpericus verò custodiri basilicam jubet, et omnes claudi aditus. Custodes autem unum ostium, per quod pauci Clerici ad officium ingrederentur, relinquentes, reliqua ostia clausa tenebant, quod non sine tædio populis fuit. Cùm autem apud Parisius moraremur, signa in cœlo apparuerunt, id est viginti radii à parte Aquilonis, qui ab Oriente surgentes, ad Occidentem properabant : ex quibus unus prolixior et aliis supereminens, ut est in sublime elatus, mox defecit : et sic reliqui qui secuti fuerant, evanuerunt. Credo interitum Merovechi pronuntiasse. Merovechus verò dum in Remensi Campania latitaret, nec palàm se Austrasiis crederet, à Tarabannensibus (c) circumventus est, dicentibus, quòd relicto patre ejus Chilperico, ei se subjugarent, si ad eos accederet. Qui velociter adsumtis secum viris fortissimis, ad eos venit. Hi præparatos detegentes dolos, in villam eum quamdam concludunt, et circumsæptum cum armatis, nuntios patri dirigunt. Quod ille audiens, illuc properare destinat. Sed hic cùm in hospitiolo quodam retineretur, timens ne ad vindictam inimicorum multas lueret pœnas, vocato ad se Gaileno familiari suo, ait : *Una nobis usque nunc et anima et consilium fuit : rogo ne patiaris me manibus inimicorum tradi ; sed accepto gladio inruas in me.* Quod ille nec dubitans, eum cultro confodit. Adveniente autem Rege, mortuus est repertus (d). Exstiterunt tunc qui adsererent verba Merovechi, quæ superiùs diximus, à Regina fuisse conficta ; Merovechum verò ejus fuisse jussu clam interemtum. Gailenum verò adprehensum, abscissis manibus et pedibus, auribus, et narium summitatibus, et aliis multis cruciatibus adfectum, infeliciter necaverunt. Grindionem quoque, intextum rotæ, in sublime sustulerunt, Gucilionem (e), qui quondam Comes palatii Sigiberti Regis fuerat, abscisso capite interfecerunt. Sed et alios multos qui cum eodem venerant, crudeli nece diversis mortibus adfecerunt. Loquebantur etiam tunc homines, in hac circumventione Egidium (c) Episcopum et Guntchramnum-Bosonem fuisse maximum caput, eò quòd Guntchramnus Fredegundis Reginæ occultis amicitiis potiretur pro interfectione Theodoberti ; Egidius (f) verò, quòd ei jam longo tempore esset carus.

XX. Cùm autem Justinus Imperator (g) amisso sensu, amens effectus esset, et per solam Sophiam Augustam ejus Imperium regeretur, populi, ut in superiore libro jam diximus, * Tiberium Cæsarem elegerunt, utilem, strenuum, atque sapientem, eleemosynarium, inopinumque optimum defensorem. Qui cùm multa de thesauris quos Justinus adgregavit, pauperibus erogaret, et Augusta illa eum frequentiùs increparet, quòd rempublicam redegisset in paupertatem, diceretque : *Quod ego multis annis adgregavi, tu infra paucum tempus prodigè dispergis :* aiebat ille : *Non deerit fisco nostro : tantùm pauperes eleemosynam accipiant, aut captivi redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino : Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit ; ut ubi fures non effo-*

* lib. 4. cap. 33.

Matth. 6. 20.

per cum Accusativo junguntur : quod semel notasse sufficiat.]

(a) Quòd psalmi hujus verba, *Et Episcopatum ejus accipiat alter*, contra Judam Ischariotem laudaverit Petrus Actuum 3. ut ostenderet ipsum ab Apostolatu decidisse.

(b) Urbs est episcopalis Normanniæ, vulgò *Coutance*, nemini ignota, à qua haud procul dissita est Cæsarea insula, vulgò *Jersey*, olim ad Normanniam spectans, sed quæ nunc est Suthamptoniæ Angliæ provinciæ, sola, cum Garnseia sibi vicina, Anglis superest ex avita Normanniæ hereditate.

(c) Tarvenna Morinorum urbs sæculo proximè elapso diruta, cujus sedes episcopalis in tres episcopatus divisa fuit, Bononiensem, Audomaropolitanum, et Iprensem.

(d) Mortem ejus refert Marius ad an. 578. Ejus corpus Parisios posteà delatum est, ut habetur infrà lib. 8. cap. 10.

(e) Corb. *Guciolonem*. [Clun. *Cuicilonem*.] Bell. *Ciucilonem, qui quondam palatii Sigiberti*. Comes palatii præpositus erat Regiæ, juri dicundo præerat, ac res majoris momenti referebat ad Principem ; et ut Archicapellanus de ecclesiasticis rebus, quæ ad palatium deferebantur, sic iste de sæcularibus judicabat. Vide Bignonii notas in lib. 1. Marculfi formula 25.

(f) Egidius seu Ægidius Episc. Remensis, ob sua tam bona quàm mala facinora notissimus. Ejus laudes prosequitur Fortunatus lib. 3. carm. 18. Plura de eo Frodoardus lib. 2. Hist. Remensis, et passim noster Gregorius.

(g) Vide cap. 31. inferiùs. Hæc autem omnia exscripsit Paulus Diac. lib. 3. de gestis Langob. cap. 11. et 12. * Non hoc anno 577. Tiberius Cæsar creatus est, sed anno 574. post diem decimum-tertium mensis Decembris, ut probat Pagius ad hunc annum num. 7.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 577.

A *diunt, nec furantur. Ergo de hoc quod Deus dedit, congregemus per pauperes in cœlo, ut Dominus nobis augere dignetur in sæculo.* Et quia, ut diximus, magnus et verus Christianus erat, dum hilari distributione pauperibus opem præstat, magis ac magis ei Dominus subministrat. Nam deambulans per palatium, vidit in pavimento domûs tabulam marmoream, in qua crux Dominica erat sculpta, et ait : *Cruce tua, Domine, frontem nostram munimus et pectora, et ecce crucem sub pedibus conculcamus* (a). Et dicto citiùs jussit eam auferri, defossaque tabula atque erecta, inveniunt subter et aliam hoc signum habentem. Nuntiantesque, jussit et illam auferre. Qua amota, reperiunt et tertiam : jussuque ejus et hæc aufertur. Qua ablata, inveniunt magnum thesaurum habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum, pauperibus adhuc abundantiùs, ut consueverat, subministrat : nec ei Do-
B minus aliquid deficere fecit (b) pro bona voluntate sua. Quid ei in posterum Dominus transmiserit, non omittam. Narses ille Dux Italiæ (c), cùm in quadam civitate domum magnam haberet, in Italiam cum multis thesauris egressus (d), ad suprà memoratam urbem advenit : ibique in domo sua occultè cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri argentique reposuit : ibique interfectis consciis, uni tantummodò seni per juramentum condita commendavit. Defunctoque Narsete hæc sub terra latebant. Cùmque supradictus senex hujus eleemosynas assiduè cerneret, pergit ad eum, dicens : *Si*, inquit, *mihi aliquid prodest, magnam rem tibi, Cæsar, edicam.* Cui ille : *Dic*, ait, *quod volueris. Proderit enim tibi, si quiddam nobis profuturum esse narraveris. Thesaurum*, inquit, *Narsetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ positus celare non possum.* Tunc Cæsar Tiberius gavisus, mittit
C usque ad locum pueros suos : præcedente verò sene, hi sequuntur adtoniti. Pervenientesque ad citernam, deopertamque ingrediuntur, in qua tantum aurum argentumque reperiunt, ut per multos dies vix evacuaretur à deportantibus. Et ex hoc ille ampliùs hilari erogatione dispensavit egenis.

XXI. Igitur (e) contra Salonium Sagittariumque Episcopos tumultus exoritur. Hi enim à sancto Nicetio Lugdunensi Episcopo educati, diaconatûs officium sunt sortiti : hujusque tempore Salonius Ebredunensis (f) urbis, Sagittariusque Vapigensis Ecclesiæ Sacerdotes statuuntur. Sed adsumto episcopatu, in proprium relati arbitrium, cœperunt in pervasionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diversisque in sceleribus insano furore grassari; ita ut quodam tempore, celebrante Victore Tricastinorum (g) Episcopo sollemnitatem natalitii sui, emissa cohorte,
D cum gladiis et sagittis inruerent super eum. Venientesque sciderunt vestimenta ejus, ministros ceciderunt, vasa et omnem adparatum (h) prandii auferentes, relinquentes Episcopum in grandi contumelia. Quod cùm Rex Guntchramnus comperisset, congregari Synodum apud urbem Lugdunensem jussit. Conjunctique Episcopi cum Patriarcha (i) Nicetio beato, discussis causis, invenerunt eos de his sceleribus, quibus accusabantur, valde convictos : præceperuntque ut qui talia commiserant, episcopatûs honore privarentur. At illi cùm adhuc propitium sibi Regem esse nossent, ad eum accedunt, implorantes se injustè remotos : sibique

(a) Theodosius et Valentinianus vetuerant, ne signum crucis insculperetur in solo, vel lapide, vel marmore humi posito, L. unic. Cod. *Neminem lic. sign.* Vide et can. 6. Conc. Trullani.

(b) Sic Corb. et Bell. Bec. [et Clun.] *faciet :* alii *permittebat.*

(c) Eunuchus famosissimus Belisario substitutus, qui Ostrogotthos in Italia penitùs delevit, sed ab Augusta malè habitus Langobardos in eamdem regionem advocavit, quod tamen gratis fictum existimat Valesius lib. 9. Rer. Francic. [Dub. et Clun. *Narsis*, infrà *Narsite, Narsitis.*]

(d) Sic veteres mss. et edit. Chesn. verò *ingressus*, Colb. *regressus.*

(e) Hoc caput deest in Corb. Bell. et Colb. [Deest et in Dub.] Exstat in Casin. et aliis. Confer cap. 28. infrà. Refert autem in hoc Gregorius, quæ saltem à decennio his duobus Episcopis, Sagittario scilicet et Salonio, contigerant.

(f) Ebrodunum, *Embrun*, et Vapingum seu Vapincum *Gap*, civitates in Delphinatu parum à sese invicem dissitæ, diversæ tamen provinciæ Ecclesiasticæ. Prior nempè metropolis est Alpium-Maritimarum, altera verò sub Narbonensi II. Archiepiscopo Aquensi paret.

(g) Editi plerique cum Regm. Bec. [et Clun.] *Tricassinorum.* Retinenda tamen nostra lectio. Nam Tricassina urbs est in Campania, vulgò *Troyes.* At hîc designatur urbs Tricastinornm in Delphinatu, vulgò *Saint Paul de trois-Châteaux.* Et quidem Eusebius Presbyter, Victoris hîc memorati nomine, Concilio Lugdun. II. interfuit, ipsemet Concilio Matisconensi I. subscripsit. Natalitii autem sui sollemnitas quam celebrabat, erat anniversaria consecrationis suæ dies in Episcopum. Et quidem hodieque in Pontificali Romano inter festa sollemniora computatur consecrationis Episcoporum dies, qui mos est antiquus, ut patet ex vet. Sacramentariis.

(h) Regm. non habet *prandii.* [Non habet etiam Clun.]

(i) Patriarchæ titulum hîc Nicetio datum objicit Cointius, ut probet ea quæ hîc de Sagittario et Salonio referuntur, ab aliquo interpolatore Gregorii Historiæ addita fuisse. Sed idem titulus Prisco Nicetii successori datur in Concilio Matiscon. II. Sulpicius Episc. Bituric. dicitur Patriarcha in epist. Desiderii Cadurcensis, Chesn. tom. 1. pag. 880. nec alteri usquam Metropolitano concessus legitur in aliis illorum temporum Galliæ Synodis. Concilium autem Lugdunense, de quo hîc agitur, II. vulgò dicitur, habitum ann. 567.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 577.

tribui licentiam, ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Johanne (a), exponunt se nullius rationis exsistèntibus causis dimotos (b). Ille verò epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui jubet. Quod Rex sine mora, castigatis priùs illis verbis multis, implevit. Sed nulla, quod pejus est, fuit emendatio subsecuta : tamen Victoris Episcopi pacem petierunt, traditis hominibus, quos in seditionem direxerant. Sed ille recordatus præcepti Dominici, non debere reddi inimicis mala pro malis ; nihil his mali faciens, liberos abire permisit. Unde in posterum à communione suspensus est, pro eo quòd publicè accusans, clam inimicis pepercisset, absque consilio fratrum, quos accusaverat. Sed per favorem Regis iterum in communionem revocatus est. Hi verò in majoribus sceleribus quotidie miscebantur : et in prœliis illis, sicut jam suprà meminimus *, quæ Mummolus cum Langobardis gessit, tanquam unus ex laicis, accincti arma, plurimos propriis manibus interfecerunt. In cives verò suos nonnullos commoti felle, verberantes fustibus usque ad effusionem sanguinis, sæviebant. Unde factum est, ut clamor populi ad Regem denuò procederet ; eosdemque Rex arcessiri præcepit. Quibus advenientibus, noluit suis obtutibus præsentari : scilicet ut priùs habita audientia, si idonei (c) invenirentur, sic Regis præsentiam mererentur. Sed Sagittarius felle commotus, hanc rationem durè suscipiens, ut erat levis ac vanus, et in sermonibus inrationabilibus profluus, declamare plurima de Rege cœpit, ac dicere, quòd filii ejus regnum capere non possent, eò quòd mater eorum ex familia (d) Magnacharii quondam adscita, Regis thorum adiisset : ignorans quòd prætermissis nunc generibus feminarum, Regis vocitantur liberi, qui de Regibus fuerint procreati. His auditis Rex commotus valde, tam equos quàm pueros, vel quæcumque habere potuerant, abstulit : ipsosque in monasteriis à se longiori accessu dimotis, in quibus pœnitentiam agerent, includi præcepit, non ampliùs quàm singulos eis Clericos relinquens : judices locorum terribiliter commonens, ut ipsos cum armatis custodire debeant : ne cui ad eos visitandos ullus pateat aditus. Superstites enim erant his diebus filii Regis, ex quibus senior ægrotare cœpit. Accedentes autem ad Regem familiares ejus, dixerunt : *Si propitius audire dignaretur Rex verba servorum suorum, loquerentur in auribus tuis.* Qui ait : *Loquimini quæ libet.* Dixeruntque : *Ne fortè innocentes hi Episcopi exsilio condemnati fuissent, et peccatum Regis augeatur in aliquo, et ideò filius domini nostri pereat.* Qui ait : *Ite quantociùs, et laxate eos, deprecantes ut orent pro parvulis nostris.* Quibus abeuntibus, dimissi sunt. Egressi igitur de monasteriis, conjuncti sunt pariter, et se osculantes, eò quòd olim à se visi non fuerant, ad civitates suas regressi sunt : et in tantum compuncti sunt, ut viderentur nunquam à psallentio cessare, celebrare jejunia, eleemosynas exercere, librum Davidici carminis explere per diem, noctesque in hymnis ac lectionibus meditando deducere. Sed non diu hæc sanctitas inlibata permansit, conversique sunt iterum retrorsùm : et ita plerumque noctes epulando atque bibendo ducebant, ut Clericis matutinas in Ecclesia celebrantibus, hi pocula poscerent, et vina libarent. Nulla prorsùs de Deo erat mentio, nullus omninò cursus (e) memoriæ habebatur. Redeunte (f) aurora surgentes à cœna, mollibus se indumentis operientes, somno vinoque sepulti, usque ad horam diei tertiam dormiebant. Sed nec mulieres deerant cum quibus polluerentur. Exurgentes igitur, abluti balneis ad convivium discumbebant : de quo vespere surgentes, cœnæ inhiabant usque ad illud lucis tempus, quod superiùs diximus. Sic faciebant singulis diebus, donec ira Dei inruit super eos, quod in posterum memoraturi sumus *.

Rom. 12. 17.

* lib. 4. cap. 43.

* lib. 7. cap. 39.

XXII. Tunc Winnochus (g) Britto in summa abstinentia à Britanniis venit Turonis, Hierosolymam accedere cupiens, nullum aliud vestimentum nisi de pellibus ovium lana privatis habens : quem nos quò faciliùs teneremus, quia

(a) Johannes III. cognomento Catellinus, ad quem permissu Regis, ut observat Gregorius, accesserant.

(b) Regm. *remotos à suis honoribus.*

(c) Id est, absque crimine, ut passim loquitur Gregorius. Inde in Capitularibus *se idoneare.* Vide Alteserræ notas.

(d) Id est, quæ fuerat ancilla in domo Magnacharii. Vide suprà notas in cap. 17.

(e) Sic vocabantur horæ canonicæ. Hodie diceremus : Nulla eis erat cura recitandi Breviarii. Quàm vero religiosi essent istis temporibus Clerici, etiam Episcopi, in hoc persolvendo penso, ex compluribus aliis Gregorii locis patet. Vide Mabillonii disquisitionem de cursu Gallicano paragrapho 6.

(f) Sic cod. Casin. at Regm. *relucente.* Editi, *renidente.*

(g) Colb. *Wanochus.* [Dub. *Winochus.*] Bad. *Munochus.* De ejus morte lib. 8. cap. 34.

nobis

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 577.

A nobis religiosus valde videbatur, presbyterii gratia honoravimus (a). Ingitrudis autem religiosam consuetudinem habebat, aquam de sepulcro sancti Martini colligere : qua aqua deficiente, rogat vas cum vino ad beati tumulum deportari. Transacta autem nocte, hid exinde hoc presbytero præsenti adsumi mandavit. Et ad se delato, ait Presbytero : *Aufer hinc vinum, et unam tantùm guttam de aqua benedicta, unde parum superest, effunde* (b). Quod cùm fecisset, mirum dictu, vasculum quod semiplenum erat, ad unius guttæ descensum impletum est. Idem bis aut ter ita vacuatum, per unam tantùm guttam est impletum : quod non ambigitur et in hoc beati Martini fuisse virtutem.

XXIII. His ita gestis, Samson filius Chilperici Regis junior à dysenteria et febre
B comprehensus, è rebus humanis excessit. Hic verò, cùm Chilpericus Rex Tornaci à fratre obsideretur, * natus est : quem mater ob metum mortis à se abjecit, et perdere voluit. Sed cùm non potuisset, objurgata à Rege, eum baptizari præcepit. Qui baptizatus, et ab ipso Episcopo (c) susceptus, lustro uno nec perfecto, defunctus est. Nam et mater ejus Fredegundis in his diebus graviter ægrotavit, sed convaluit.

* lib. 4. cap. 52.

XXIV. Post hæc in nocte, quæ erat tertio Idus Novembris, apparuit nobis beati Martini vigilias celebrantibus magnum prodigium : nam in medio lunæ stella fulgens visa est elucere, et super ac subter lunam aliæ stellæ propinquæ apparuerunt. Sed et circulus ille, qui pluviam plerumque significat, circa eam apparuit. Sed quæ hæc figuraverint, ignoramus. Nam et lunam hoc anno sæpe in nigredinem versam vidimus,
C et ante natalem Domini gravia fuere tonitrua. Sed et splendores illi circa solem, sicut jam ante cladem Arvernam (d) fuisse commemoravimus *, quos rustici soles vocant, apparuerunt (e) : et mare ultra modum egressum adserunt, et multa alia signa apparuerunt.

* lib. 4. cap. 31.

XXV. Guntchramnus-Boso Turonis cum paucis armatis veniens, filias suas, quas in basilica sancta reliquerat, vi abstulit, et eas usque Pictavis civitatem (f), quæ erat Childeberti Regis, perduxit. Chilpericus quoque Rex Pictavum pervasit, atque nepotis sui homines ab ejus sunt hominibus effugati. Ennodium ex Comitatu ad Regis præsentiam perduxerunt. Quo exilio damnato, facultates ejus fisco subdiderunt. Sed post annum, et patriæ et facultatibus redditus est *. Guntchamnus-Boso, relictis filiabus suis in basilica beati Hilarii, ad Childebertum Regem
D transiit.

* lib. 8. cap. 26.

XXVI. Anno quoque tertio Childeberti Regis, qui erat Chilperici et Guntchramni septimus-decimus annus, cùm Dacco (g) Dagarici quondam filius, relicto Rege Chilperico, huc illucque vagaretur, à Dracoleno (h) Duce, qui dicebatur Industrius, fraudulenter adprehensus est : quem vinctum ad Chilpericum Regem Brannacum (i) deduxit, dato ei sacramento, quòd vitam illius cum Rege (k) obtineret. Sed oblitus sacramenti, egit cum Principe, nefarias res asserens, ut moreretur. Ille quoque cùm vinctus detineretur, et cerneret se penitùs non evasurum, à Presbytero, Rege nesciente, pœnitentiam petiit (l). Qua accepta, interfectus est. Cùm autem idem Dracolenus velociter reverteretur in patriam, his diebus Guntchramnus-Boso filias suas à Pictavo auferre conabatur. Quod audiens Dracolenus, se super eum objecit : sed illi, sicut erant parati, resistentes, se defensare nitebantur. Guntchramnus verò misit unum de amicis suis ad eum, dicens : *Vade et dic ei : Scis enim quòd fœdus inter nos initum habemus, rogo ut te de meis removeas insidiis. Quamtumvis de rebus tollere non prohibeo : tantùm mihi,*

An. 578.

(a) Colb. Regm. [et Clun.] *oneravimus. Ingitrudis* verò in editis plerisque dicitur *Ingetrudis*. [Dub. *Inchitrudis.*] Regm. *Ingiltrudis autem religiosam consuetudinem, etc.* De Ingiltrude infrà lib. 9. cap. 33. et lib. 10. cap. 12.

(b) Regm. *inde parum supereffunde.* Ceterùm ex hoc similibusque miraculis consuetudinem manasse putat Cointius sancti Martini nomen super vinum invocandi, illudque posteà à convivis potandi in mutuæ caritatis symbolum, quem morem posteà pravus usus corrupit. At crediderim potiùs fideles olim in festo S. Martini, sicut et in aliis celebrioribus, parare convivia consuevisse ; idque, etsi in aliis festivitatibus abrogatum, in hac una perseverasse ob sancti Viri celebritatem. Hîc autem de ista consuetudine non agit Gregorius, sed de aqua illa, qua beati Viri sepulcrum ablui solebat, ex qua ægri potati sæpius curabantur.

(c) Is fuisse videtur Chrasmarus Tornacensium simul et Noviomagensium seu Viromandensium Episcopus. Hîc desinit codex Bellovacensis, cetera sunt avulsa.

(d) [Clun. *cladem Arvernicam.*]

(e) Hîc desinit caput in Corb. [et in Dub.]

(f) [Clun. *eas Pictavis civitatem, quia erat.*]

(g) Corb. *Dacolenus.* Colb. *Tacco Tagarici,* Bad. *Dargo Godarici.* Regm. *Dago Gadarici,* Bec. *Dacco Gadarici.*

(h) Corb. *Dragoleno,* qui in indiculo capitum dicitur *Dratglenus.*

(i) [Dub. *Brinnacum,* sic infrà.]

(k) Alii, *apud Regem.*

(l) Nota hominem in periculo positum clam à Presbytero pœnitentiam petiisse ; quòd ea ante Carolum VI. in Francia reis ante mortem denegaretur. Vide Mabillon. Præf. in Sæc. III. Benedictin. p. 1. n. 24.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 578.

etsi nudo, liceat cum filiabus meis accedere quò voluero. At ille, ut erat vanus ac levis : A *Ecce*, inquit, *funiculum, in quo alii culpabiles ligati ad Regem, me ducente, directi sunt : in quo et hic hodie ligandus, illuc deducetur vinctus.* Et hæc cùm dixisset, calcaneorum ictibus urgens equum, ad illum veloci cursu dirigit : et casso eum verberans ictu, hastili diviso, ensis ad terram ruit. Guntchramnus verò cùm super se mortem cerneret imminere, invocato nomine Domini, et virtute magna beati Martini, elevatoque conto, Dracolenum artat in (a) faucibus. Suspensumque de equo sursùm (b), unus de amicis suis eum lancea latere verberatum finivit. Fugatisque sociis, ipsoque spoliato, Guntchramnus cum filiabus liber abscessit. Post hæc Severus socer ejus à filiis apud Regem graviter accusatur. Hæc ille audiens, cum magnis muneribus ad Regem petit : qui in via adprehensus et exspoliatus, atque in exsilium deductus, morte pessima vitam finivit. Sed et duo filii ejus, Bursolenus (c) B et Dodo, ob crimen majestatis læso judicio mortis suscepto, unus ab exercitu vi oppressus est ; alius in fuga (d) adprehensus, truncatis manibus et pedibus interiit : resque omnes tam eorum, quàm patris, fisco conlatæ sunt. Erant enim eis magni thesauri.

XXVII. Dehinc Turonici, Pictavi, Baiocassini, Cenomannici, Andegavi, cum aliis multis in Britanniam ex jussu Chilperici Regis abierunt : et contra Warochum (e), filium quondam Macliavi, ad Vicinoniam (f) fluvium resident. Sed ille dolosè per noctem super Saxones-Baiocassinos (g) ruens, maximam exinde partem interfecit. Post die autem tertia, cum Ducibus Regis Chilperici pacem faciens, et filium suum in obsidatum donans, sacramento se constrinxit, quòd fidelis Regi Chilperico esse deberet. Venetos quoque civitatem refudit, sub ea C conditione, ut si mereretur eam per jussionem Regis regere, tributa vel omnia, quæ exinde debebantur, annis singulis nullo admonente dissolveret. Quòd cùm factum fuisset, exercitus ab eo loco remotus est. Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus et junioribus (h) Ecclesiæ vel basilicæ bannos jussit exigi, pro eo quòd in exercitu non ambulassent. Non enim erat consuetudo, ut hi ullam exsolverent (i) publicam functionem. Post hæc Warochus obliviscens promissionis suæ, volens irrumpere quod fecerat, Eunium Episcopum Veneticæ urbis ad Chilpericum Regem dirigit. At ille ira commotus, objurgatum eum exsilio damnari præcepit.

An. 579. XXVIII. Anno quoque quarto Childeberti, qui fuit decimus octavus Guntchramni et Chilperici Regum, apud Cavillonum civitatem Synodus acta est ex jussu Principis D Guntchramni ; discussisque diversis causis, contra Salonium et Sagittarium Episcopos iteratur illa antiqua calamitas (k). Objiciuntur eis crimina : et non solùm de adulteriis, verùm etiam de homicidiis accusantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, illud est additum (l) quòd essent rei majestatis et patriæ proditores. Qua
* *al.* dejecti. de causa ab episcopatu discincti *, in basilicam beati Marcelli sub custodia detruduntur. Ex qua per fugam lapsi, discesserunt per diversa vagantes, donec in civitatibus eorum alii subrogati sunt (m).

XXIX. Chilpericus verò Rex descriptiones novas et graves in omni regno

(a) [Clun. *artat in faciem.*]
(b) Regm. *equo, rursùm.*
(c) [Clun. *Burgulenus.*]
(d) [Clun. *in fugam lapsus et apprehensus.*]
(e) Colb. *Voracium*, et infrà *Varadium.*
(f) Cervicem Britanniæ peninsulæ secat, atque inter Venetos et Namnetes urbes in Oceanum Britannicum immergitur. Vulgari idiomate dicitur *la Vilaine.*
(g) Cod. Regm. *Saxones atque Bajocassinos.* Ast alia lectio potior. Hic quippe designantur Saxones è Germania oriundi, qui inclinatis Imperii Romani viribus in Britanniam majorem et in Gallias irrupere, atque ex iis nonnulli in tractu Aremorico, ac finibus Bajocassium et Namnetensium considentes, cum veteribus incolis permixti, nomen etiam utrique genti commune habuerunt. Hinc Fortunatus lib. 3. carm. 8. laudat Felicem Episc. Namneticum ob *Saxones* ab eo sub jugo Christi mansuefactos. Eorum regionem Carolus Calvus in legibus apud Silvacum appellat *linguam Saxonicam.*
(h) Juniores hîc sunt Ecclesiæ servitores, ut vult Cointius ad annum 586. aliàs sic appellantur Clerici Subdiaconis inferiores. Vide Concil. Matiscon. I. can. 8. et Bignonii Notas in Marculfi formulam 3. lib. 1. Bannum autem hîc usurpat pro multa indicta iis quid ad bannum, id est ad placitum, militiam seu delectum non accesserant. [In cod. Clun. deest *vel basilicæ.*]
(i) [Clun. *exhiberent..... Warochus oblitus.*]
(k) Jam quippe accusati fuerant et condemnati in concilio Lugdun. II. ut dictum est suprà cap. 21. sed Joannis Papæ decreto restituti, Concilio Parisiensi IV. anno 573. cum aliis Episcopis interfuerant. Ceterùm ex hoc capite, quod omnes mss. exhibent, certum est etiam caput 20. hujus libri, licèt in aliquot codd. desideretur, verum esse Gregorii fetum. De eorumdem dejectione agit Marius ad hunc ipsum annum.
(l) Colb. *adtitulatum.*
(m) Aridius scilicet Sagittario Vapincensi, et Emeritus Salonio Ebredunensi. Uterque interfuit Concilio Matisc. II. anno 585. et Aridius Valentino II. an. 584. Eidem tres scripsit epistolas S. Gregorius M. in quibus *Aregius* dicitur, sicut et in ejus Vita ab auctore coætaneo scripta, apud Labbeum tomo 1. Biblioth. novæ. Ipsius festum in propria Ecclesia celebratur die 1. Maii.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 579.

A suo fieri jussit. Qua de causa multi relinquentes civitates illas *, vel possessiones proprias, alia regna petierunt : satius ducentes alibi peregrinari, quàm tali periculo subjacere. Statutum enim fuerat, ut possessor de propria terra unam amphoram vini per aripennem (a) redderet. Sed et aliæ functiones infligebantur multæ, tam de reliquis terris, quàm de mancipiis : quod impleri non poterat. Lemovicinus quoque populus cùm se cerneret tali fasce gravari, congregatus in Calendis Martiis, Marcum referendarium, qui hæc agere jussus fuerat, interficere voluit : et fecisset utique, nisi eum Episcopus Ferreolus (b) ab imminenti discrimine liberasset. Arreptis quoque libris descriptionum, incendio multitudo conjuncta concremavit : unde multùm molestus Rex, dirigens de latere suo personas, immensis damnis populum adflixit, suppliciisque conterruit (c), morte multavit. Ferunt etiam tunc Abbates atque Presbyteros ad stipites extensos diversis subjacuisse tormentis, calumniantibus regalibus missis, quòd in seditione populi ad incendendos libros satellites * adfuissent, acerbiora quoque deinceps infligentes tributa.

* *al.* suas.

* *i.* adjutores.

XXX. Britanni quoque graviter regionem Rhedonicam vastaverunt, incendio, præda, captivitate : qui usque Cornutium vicum (d) debellando progressi sunt. Eunius * verò Episcopus de exsilio reductus, Andegavo ad pascendum delegatur, nec ad civitatem suam Veneticam redire permittitur. Bippolenus (e) verò Dux contra Britannos dirigitur, et loca aliqua Britanniæ ferro incendioque opprimit : quæ res majorem insaniam excitavit.

* *al.* Eonius.

XXXI. Dum (f) hæc agerent in Galliis, Justinus impleto Imperii octavodecimo (g) anno, amentiam quam incurrerat, cum vita finivit. Quo sepulto Tiberius Cæsar arripuit jam olim adgressum Imperium. Sed cùm eum secundùm consuetudinem loci ad spectaculum circi præstolaretur populus processurum, parare ei cogitans pro parte Justiniani insidias, qui tunc nepos Justini habebatur, ille per loca sancta processit. Completaque oratione, vocato ad se urbis Papa, cum Consulibus ac Præfectis palatium est ingressus. Dehinc indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impositus, cum immensis laudibus (h) Imperium confirmavit. Factionarii quoque opperientes ad circum, cùm cognovissent quæ acta fuerant, pudore confusi sine effectu regressi sunt, nihil homini qui in Deo spem posuerat, adversari valentes (i). Transactis igitur paucis diebus adveniens Justinianus, pedibus se projecit Imperatoris, quindecim ei centenaria auri deferens ob meritum gratiæ. Quem ille secundùm patientiæ suæ ritum colligens, in palatium jussit adsistere. Sophia verò Augusta immemor promissionis, quam quondam in Tiberium habuerat, insidias ei tentavit intendere. Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum imperialem triginta diebus ad vindemiam jocundaretur (k), vocato clam Justiniano, Sophia voluit eum erigere in Imperium. Quo comperto, Tiberius cursu veloci ad Constantinopolitanam civitatem regreditur; adprehensamque Augustam, ab omnibus thesauris spoliavit, solùm ei victûs quotidiani alimentum relinquens. Segregatisque pueris ejus ab ea, alios posuit de fidelibus suis, mandans prorsùs ut nullus de anterioribus ad eam haberet accessum. Justinianum verò objurgatum tanto in posterum amore dilexit, ut filio ejus filiam suam promitteret, rursùmque filio suo filiam ejus expeteret : sed non est res sortita effectum. Exercitus ejus Persas debellavit, victorque regressus, tantam molem prædæ detulit, ut crederetur cupiditati humanæ posse sufficere. Viginti elephanti capti ad Imperatorem deducti sunt (l).

XXXII. Britanni eo anno valde infesti circa urbem fuere Namneticam (m) atque Rhedonicam : qui immensam auferentes prædam, agros pervadunt, vineas à

(a) Aripennem appellabant veteres Galli, ut monet Valesius, semijugerem continentem 120. pedes.

(b) De hoc infrà lib. 7. cap. 10.

(c) Regm. Bec. [et Clun.] *contrivit.* Hanc esse primam Missorum regiorum mentionem apud nostros Historicos observat Valesius libro 10. Rerum Franc. Posmodùm sub Missorum dominicorum nomine celebres fuerunt.

(d) Hunc locum Cointius appellat *Cornuz.* Valesius verò ait vulgò putari esse *Saint Aubin le Cormier.* Cod. Regm. *Tornuntium.*

(e) Cod. Regm. cum aliquot editis *Bypolenus*, alii *Dipolenus*, *Beppolenus.* [Clun. *Bibolenus.*]

(f) Nulla hîc est capitum distinctio in Colb. ubi, *excitavit, qui cùm reverterentur in Galliis, etc.*

(g) * Justinus regnare cœpit mense Nov. anni 565, obiit mense Octobri an. 578, ideòque anno imperii 13. non 18. Justini mortem anno 579. collocat Gregorius, sicut et Marius in Chronico.

(h) Id est acclamationibus, quæ Regibus fieri solent.

(i) Corb. *nihilominùs qui in Deum spem posuerat adversarios non metuit.*

(k) Feriæ Vindemiales celebres sunt apud veteres scriptores, sacros et profanos : ab Impp. observatas fuisse tradunt Capitolinus in Antonino, Lamprid. in Heliogabalo, etc.

(l) Hæc vivente adhuc Justino contigisse scribunt Johannes Biclar. in Chronico, et Evagr. lib. 5. Hist.

(m) Colb. *Veneticam.* Nostra tamen lectio melior censeri debet, tum ob miss. et editos, tum quia Felix Episcopus erat Namnetensis.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 579.

fructibus vacuant, et captivos abducunt. Ad quos cùm Felix Episcopus legatio- A
nem misisset, emendare promittentes, nihil de promissis implere voluerunt.

XXXIII. Apud (a) autem Parisius mulier quædam ruit in crimen, adserentibus multis, quasi quòd relicto viro cum alio misceretur. Igitur parentes illius accesserunt ad patrem, dicentes : *Aut idoneam redde filiam tuam, aut certè* (b) *moriatur, ne stuprum hoc generi nostro notam infligat. Novi*, inquit pater, *ego filiam meam bene idoneam, nec est verum verbum hoc, quod mali homines proloquuntur. Tamen ne crimen consurgat ulteriùs, innocentem eam faciam sacramento.* Et illi : *Si*, inquiunt, *est innoxia, super tumulum hoc beati Dionysii martyris sacramentis* (c) *adfirma. Faciam*, inquit pater. Tunc inito placito ad basilicam Martyris sancti conveniunt, elevatisque pater manibus super altarium, juravit filiam non esse culpabilem. E contrario verò perjurasse eum alii à parte (d) viri pronuntiant. His ergo altercantibus, evaginatis gladiis in se invicem proruunt, atque ante ipsum altarium se trucidant. Erant autem B
majores natu et primi apud Chilpericum Regem. Sauciantur multi gladiis, respergitur sancta humano cruore basilica, ostia jaculis (e) fodiuntur et ensibus, atque usque ad ipsum sepulcrum tela iniqua desæviunt. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit (f), donec ista omnia ad Regis notitiam pervenirent. Hi verò properantes ad præsentiam Principis, non recipiuntur in gratiam : sed ad Episcopum loci illius remitti eos jussum est, ut si de hoc facinore culpabiles invenirentur, non convenienter sociarentur (g) communioni. Tunc ab Episcopo Ragnemodo (h), qui Parisiacæ Eccle-
* *al.* quæ. siæ præerat, componentes qui * male gesserant, in communionem Ecclesiasticam sunt recepti. Mulier verò non pòst multis diebus cùm ad judicium vocaretur, laqueo vitam finivit.

An. 580. XXXIV. Anno quinto Childeberti Regis Arvernorum regionem diluvia magna C
presserunt, ita ut per dies duodecim non cessaret à pluvia : tantaque inundatione Limane (i) est infusum, ut multos ne sementem jacerent prohiberet. Flumina quoque Liger, Flavarisque, quem Elacrem (k) vocitant, vel reliqui torrentes percurrentes in eum, ita intumuerunt, ut terminos, quos numquam excesserant, præterirent. Quæ grande de pecoribus excidium, de culturis detrimentum, de ædificiis fecere naufragium. Pari modo Rhodanus cum Arari conjunctus, ripas excedens, grave damnum populis intulit, muros Lugdunensis civitatis aliqua ex parte subvertit. Quiescentibus verò pluviis, arbores denuò floruerunt : erat enim mensis September (l). In Turonico verò eo anno mane priusquàm dies inlucesceret, fulgor per cœlum cucurrisse visus est, et ad Orientis plagam decidisse. Sed et sonitus tamquam diruentis arboris, per totam terram illam auditus est : quod D
ideò non est de arbore æstimandum, quia in quinquaginta aut ampliùs milliaria est auditum. Ipso anno graviter urbs Burdegalensis à terræ motu concussa est, mœniaque civitatis in discrimine eversionis exstiterunt : atque ita omnis populus metu mortis exterritus est, ut si non fugeret, putaret se cum urbe dehiscere. Unde et
* *al.* timor. multi ad civitates alias transierunt. Qui tremor * ad vicinas civitates porrectus est, et usque Hispaniam adtigit, sed non tam validè. Tamen de Pyrenæis montibus immensi lapides sunt commoti, qui pecora hominesque prostraverunt. Nam et vicos Burdegalenses incendium divinitus ortum exussit, ita ut subitò comprehensi (m) igne, tam domus quàm areæ, cum annonis incendio cremarentur ; nullum penitus incitamentum habens ignis alieni, nisi forsitan jussione divina. Nam et Aurelianensis civitas gravi incendio conflagravit, in tantum ut ditioribus nihil penitus remaneret : et si aliquis ab igne quicquam eripuit, ab insistentibus furibus est direptum. Apud terminum Carnotenum verus (n) de effracto pane sanguis effluxit. Graviter tunc et Biturica civitas à grandine verberata est.

(a) Deest hoc caput in Vatic. Corb. Colb. [et Dub.]

(b) [Clun. *aut certè pro ea morieris.*]

(c) [Clun. *sacramentum.*]

(d) Regm. *apertè.*

(e) Clun. *jaculis feriuntur.*]

(f) Ecclesia interdicta ob sanguinis effusionem. Vide Audoënum lib. 2. de Vita S. Eligii cap. 20.

(g) Sic Regm. at alii *non invenirentur, sociarentur.* [Clun. *non inveniebantur, sociarentur.*]

(h) Al. *Reginmodo.* Bad. *Raimundo :* aliquot *Regnamodo.* [Clun. *Ragnimodo.*]

(i) Sic jam suprà lib. 3. cap. 9. appellavit eam Arverniæ partem, quam *Limaniam* etiam nunc appellamus ; à limo ob fœcunditatem sic dictam putat Alteserra. De ea Sidonius lib. 3. epist. 1. *cujus meriti sit, vel Gotthis credite, qui etiam Septimaniam suam fastidiunt, modò invidiosi hujus anguli etiam desolata proprietate potiantur.*

(k) Sic mss. et editi præter Colb. qui habet *Ilacrem,* et Chesn. *Elaurem.* Codd. laudat Alteserra, ubi *Elaverque, quem Melacrem.* Is est Elaver fluvius, vulgò *l'Allier,* qui ortus in Cebennis, et lustratis Arvernis, infra Nivernum urbem in Ligerim labitur.

(l) Mense Octobri hæc contigisse scribit Marius ad an. 580.

(m) [Clun. *comprehensæ igni.*]

(n) Corb. *urbis de.*

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 580.

A XXXV. Sed hæc prodigia gravissima lues est subsecuta. Nam discordantibus Regibus, et iterùm bellum civile parantibus (a), dysentericus morbus pænè Gallias totas præoccupavit. Erat enim his qui patiebantur, valida cum vomitu febris, renumque nimius dolor, caput grave vel cervix. Ea verò quæ ex ore (b) projiciebantur, colore croceo, aut certe viridia erant : à multis autem adserebatur venenum occultum esse. Rusticiores verò corales hoc pusulas (c) nominabant : quod non est incredibile, quia missæ in scapulis sive cruribus ventosæ, procedentibus erumpentibusque vesicis, decursa sanie multi liberabantur : sed et herbæ, quæ venenis medentur, potui sumtæ, plerisque præsidia contulerunt. Et quidem primùm hæc infirmitas à mense Augusto initiata, parvulos adolescentes adripuit, letoque subegit. Perdidimus dulces et caros nobis infantulos, quos aut gremiis
B fovimus, aut ulnis bajulavimus, aut propria manu ministratis cibis ipsos studio sagaciore nutrivimus : sed abstersis lacrymis cum beato Job diximus : *Dominus dedit, Dominus abstulit : quomodo Domino placuit, ita factum est. Sit nomen ejus benedictum in sæcula.* Igitur in his diebus Chilpericus Rex graviter ægrotavit, quo convalescente, filius ejus junior, necdum ex aqua et Spiritu sancto renatus, ægrotare cœpit. Quem in extremis videntes, baptismo abluerunt. Quo parumper meliùs agente, frater ejus senior, nomine Chlodobertus, ab hoc morbo corripitur, ipsumque in discrimine mortis Fredegundis mater cernens, serò pœnitens, ait ad Regem : *Diu nos malè agentes pietas divina sustentat : nam sæpe nos febribus et aliis malis corripuit, et emendatio non successit. Ecce jam perdimus filios : ecce jam eos lacrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orphanorum interimunt; nec spes remanet*
C *cui aliquid congregemus. Thesaurizamus, nescientes cui congregemus ea. Ecce thesauri remanent à possessore vacui, rapinis ac maledictionibus pleni. Numquid non exundabant promtuaria vino? numquid non horrea replebantur frumento? numquid non erant thesauri referti auro, argento, lapidibus pretiosis, monilibus, vel reliquis imperialibus ornamentis? Ecce quod pulcrius habebamus, perdimus. Nunc, si placet, veni* (d), *et incendamus omnes descriptiones iniquas : sufficiatque fisco nostro, quod suffecit patri Regique Chlothachario.* Hæc effata Regina, pugnis verberans pectus, jussit libros exhiberi, qui de civitatibus suis per Marcum venerant : projectisque in ignem, iterùm ad Regem conversa : *Quid tu*, inquit, *moraris? Fac quod vides à me fieri, ut et si dulces natos perdimus, vel pœnam perpetuam evadamus.* Tunc Rex compunctus corde tradidit omnes libros descriptionum igni, conflagratisque illis, misit qui futuras prohibierent descriptiones. Post hæc infantulus
D junior dum nimio labore tabescit (e), exstinguitur : quem cum maximo mœrore deducentes à villa Brennaco Parisius, ad basilicam sancti Dionysii sepelire mandaverunt (f). Chlodobertum verò componentes in feretro, Suessionas ad basilicam sancti Medardi duxerunt, projicientesque eum ad sanctum sepulcrum, voverunt vota pro eo, sed media nocte, anhelus jam et tenuis, spiritum exhalavit : quem in basilica sanctorum Crispini atque Crispiniani (g) martyrum sepelierunt. Magnus quoque hic (h) planctus omni populo fuit : nam viri lugentes, mulieresque lugubribus vestimentis indutæ, ut solet in conjugum exsequiis fieri, ita hoc funus sunt prosecutæ (i). Multa posteà Chilpericus Rex Ecclesiis, sive basilicis, vel pauperibus est largitus.

XXXVI. His diebus Austrechildis, Guntchramni Principis Regina, ab hoc morbo consumta est : sed priusquàm nequam (k) spiritum exhalaret, cernens quòd evadere non posset, alta trahens suspiria, voluit leti sui habere participes, agens ut in exsequiis ejus aliorum funera plangerentur. Fertur enim Herodiano (l) more Regem petiisse, dicens : *Adhuc spes vivendi fuerat, si non inter iniquorum medicorum manus interessem : nam potiones ab illis acceptæ, mihi vi abstulerunt vitam, et fecerunt me hanc lucem velociter perdere : et ideò, ne inulta mors mea præter-*

(a) [Clun. *patrantibus.*]

(b) In Corb. deest *ex ore.*

(c) Colb. *Corales hoc pustulas.* Bad. *Corales, hoc est, pustulas.* [Dub. *Corales hoc pustulas.*] Erant, ni fallor, pustulæ in corde ortæ, et ideò corales dictæ ; vel quòd sputa essent purpurei coloris, coralio similis.

(d) Aliàs, *venite, incendamus.* [Ita Dub. et Clun.]

(e) [Dub. *tabesceret.*]

(f) Hic à Fortunato appellatur Dagobertus, cujus et Chlodoberti fratris epitaphia scripsit lib. 9. carm. 4. et 5. Obiere post Synodum Brennacensem, ut ex cap. ultimo hujus libri patet.

(g) Est nunc monasterium Ordinis S. Benedicti sub S. Mauri Congregatione, cum Basilica insigni, cujus navim Calvinistæ sæculo superiori everterunt. Nonnulli existimant ibi olim exstitisse sedem episcopalem.

(h) Sic Colb. [Dub. Clun.] et Chesn. plerique editi, *Magnus usque huc.*

(i) [Dub. *Sunt prosecuti.*]

(k) [In cod. Clun. deest *nequam.*]

(l) Herodes Ascalonita morti proximus petierat, ut statim post ipsius mortem nobilissimi Judæorum occiderentur. Vide Josephi lib. 1 de Bello Judaïco ca. 21.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 580.

eat, quæso, et cum sacramenti interpositione conjuro, ut, cùm ab hac luce discessero, statim ipsi gladio trucidentur : ut sicut ego ampliùs vivere non queo, ita nec illi post meum obitum glorientur : sed sit unus dolor nostris pariter ac eorum amicis. Hæc êffata infelicem animam tradidit. Rex verò peracto ex more exsequio (a), oppressus iniquæ conjugis juramento, implevit præceptum iniquitatis. Nam duos medicos (b), qui ei studium adhibuerant, gladio feriri præcepit : quod non sine peccato factum fuisse multorum censet (c) prudentia. A

XXXVII. Hac (d) itaque ægritudine et Nantinus Ecolismensis Comes exinanitus interiit : sed quæ contra Sacerdotes vel Ecclesias Dei egerit, altiùs repetenda sunt. Denique Maracharius avunculus ejus diu in ipsa urbe usus est Comitatu : quo officio expleto, Ecclesiæ sociatur, Clericusque factus, ordinatur Episcopus. Qui multùm vigilanter vel Ecclesias, vel Ecclesiæ domos et erigens, B et componens, septimo sacerdotii anno, injecto ab inimicis in caput piscis veneno, simpliciter accipiens crudeliter enecatur. Sed non diu inultam ejus mortem pertulit divina clementia : nam Frontonius (e), cujus consilio hoc scelus est perpetratum, adsumto confestim episcopatu, uno in eo degens anno, præcurrente judicio Dei, interiit. Cujus post obitum Heraclius (f) Burdegalensis Presbyter, qui quondam legatus Childeberti senioris fuerat, Episcopus ordinatur. Nantinus verò ob requirendam avunculi sui mortem, Comitatum in ipsa urbe expetiit. Quo accepto, multas Episcopo injurias inrogavit. Aiebat enim Episcopo : *Homicidas illos, qui avunculum meum interfecerunt, tecum retines; sed et Presbyteros huic* (g) *noxæ admixtos ad convivium recipis.* Deinde inimicitia increscente, paullatim cœpit villas Ecclesiæ, quas Maracharius testamento scripto reliquerat, violenter in- C vadere, adserens non debere Ecclesiam ejus facultatem adipisci, à cujus Clericis testator fuerat interfectus. Post ista verò, jam aliquibus ex laicis interfectis, addidit ut adprehensum Presbyterum adligaret, ac conto perfoderet. Cui adhuc viventi, retortis post tergum manibus, adpenso ad stipitem, elicere quærebat, si in hac causa fuisset admixtus. Quod cùm ille negaret, profluente cruore de vulnere, reddidit spiritum. Qua de causa commotus Episcopus, jussit eum ab Ecclesiæ foribus prohiberi. Convenientibus autem apud civitatem Santonas Sacerdotibus (h), deprecabatur Nantinus, ut pacem Episcopi mereretur, promittens se omnes Ecclesiæ res, quas sine ratione abstulerat, redditurum, atque humilem exhibere se Sacerdoti. At ille fratrum jussioni obaudire procurans, cuncta quæ petebantur indulsit : causam tamen Presbyteri omnipotenti Deo commendans, Co- D mitem in caritate recepit. Qui post ista regressus urbem, domos illas quas malè pervaserat, spoliat, elidit, ac disjicit, dicens : *Et si hoc ab Ecclesia recipitur, vel desertum inveniatur.* Qua de causa iterùm motus Episcopus, eum à communione suspendit. Quæ dum aguntur, impleto beatus Pontifex vitæ cursu, migravit ad Dominum. Nantinus quoque ab aliquibus Episcopis, intercedentibus præmiis atque adulationibus, communicatur. Post paucos verò menses à supradicto morbo corripitur : qui nimia exustus febre, clamavit, dicens : *Heu, heu! ab Heraclio* (i) *Antistite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor. Cognosco facinus, reminiscor me injustè injurias intulisse Pontifici : mortem deprecor, ne diutiùs crucier hoc tormento.* Hæc cùm maxima in febre clamaret, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit, indubia relinquens vestigia, hoc ei ad ultionem beati Antistitis evenisse. Nam exanimum (k) corpus ita nigredinem duxit, ut putares eum prunis superpositum fuisse combustum. Ergo (l) omnes hæc obstupescant, admirentur, et metuant, ne inferant injurias Sacerdotibus : quia ultor est Dominus servorum suorum sperantium in se.

(a) Sic Corb. alii *justitio*, præter Casin. qui habet, *funeris officio*. [Clun. *justitio*.] Austrigildis epitaphium profert Chesnius tomo 1. Scriptorum Histor. Franc. pag. 517. vixit annos 32.

(b) Hos Nicolaum et Donatum appellat Marius in Chronico, ubi Austregildem obiisse ait anno 581. mense Septembri.

(c) Regm. *quod non sine præcepto..... novit prudentia.* [Dub. *sensit prudentia.*]

(d) Hoc caput deest in Vatic. Corb. Colb. [et Dub.] Sic habet Regm. *Hac itaque pestilentia, etc.* In Bec. Nantinus dicitur Comes *Ecolinensis*. Variè quippe scribitur hujus urbis nomen *Ecolesina*, *Egolisma*, hodie *Inculisma*, quod semel et iterùm notasse satis sit. Maracharius interfuit dedicationi Ecclesiæ Namneticæ per Felicem Episcopum, ut refert Fortunatus lib. 3. carm. 4.

(e) Bec. *Frontimius*.

(f) In Regm. hic dicitur *Eradius*, infrà *Eraclius*. Sic et Comes dicitur aliquando *Nautinus*, aliàs ut editi, *Nantinus*.

(g) [Clun. *huic causæ.*]

(h) Hanc Synodum an. 579. consignat Sirmondus tom. 1. Concil. Galliæ.

(i) [Cluniac. *ab Eraclio consumor, ab illo crucior.*]

(k) [Clun. *Nam cùm exanimum corpus fuisset, ita, etc.*]

(l) Hæc ad finem capitis desunt in codice Regm.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 580.

A XXXVIII. Hoc (a) tempore et beatus Martinus Galliciensis Episcopus obiit, magnum populo illi faciente planctum (b). Nam hic Pannoniæ ortus fuit, et exinde ad visitanda loca sancta in Orientem properans, in tantum se litteris imbuit, ut nulli secundus suis temporibus haberetur. Exinde Galliciam venit, ubi cùm beati Martini reliquiæ portarentur, Episcopus ordinatur : in quo sacerdotio impletis plus minùs triginta annis, plenus virtutibus migravit ad Dominum (c). Versiculos qui super ostium sunt à parte meridiana in basilica sancti Martini, ipse composuit.

XXXIX. Magna eo anno in Hispaniis Christianis persecutio fuit; multique exsiliis dati, facultatibus privati, fame decocti, carcere mancipati, verberibus adfecti, ac diversis suppliciis trucidati sunt. Caput quoque hujus sceleris Goisvintha
B (d) fuit, quam post Athanachildi (e) Regis connubium Rex Leuvichildis acceperat : sed quæ Dei servis (f) notam humilitatis inflixerat, prosequente ultione divina, ipsa quoque est omnibus populis facta notabilis. Nam unum oculum nubes alba contegens, lumen quod mens non habebat, pepulit à palpebris. Erant autem Leuvichildo Regi ex alia uxore duo filii, quorum senior Sigiberti, junior Chilperici Regis filiam desponsaverat. Sed Ingundis Sigiberti Regis filia cum magno apparatu in Hispanias directa, ab avia Goisvintha cum gaudio magno suscipitur : quam nec passa est in religione Catholica diu commorari, sed ut rebaptizaretur in Ariana hæresi blandis cœpit sermonibus inlicere. Sed illa viriliter reluctans, cœpit dicere : *Sufficit satis me ab originali peccato baptismo salutari semel ablutam fuisse, et sanctam Trinitatem in una æqualitate esse confessam. Hæc me credere ex*
C *toto corde confiteor, nec nunquam ab hac fide ibo retrorsùm.* Hæc illa audiens, iracundiæ furore succensa, adprehensam per comam capitis puellam in terram conlidit, et diu calcibus verberatam, ac sanguine cruentatam, jussit exspoliari, et piscinæ immergi (g) : sed, ut adserunt multi, numquam animum suum à fide nostra reflexit. Leuvichildus autem dedit eis unam (h) de civitatibus, in qua residentes regnarent. Ad quam cùm abiissent, cœpit Ingundis prædicare viro suo, ut relicta hæresis fallacia, Catholicæ legis veritatem agnosceret. Quod ille diu refutans, tandem commotus ad ejus prædicationem, conversus est ad legem Catholicam : ac dum chrismaretur, Johannes est vocitatus. Quod cùm Leuvichildus audisset, cœpit causas quærere qualiter eum perderet. Ille verò hæc intelligens, ad partem se Imperatoris jungit, ligans cum Præfecto ejus amicitias, qui tunc Hispaniam im-
D pugnabat. Leuvichildus autem direxit ad eum nuntios, dicens : *Veni ad me, quia exstant causæ quas conferamus simul.* Et ille, *Non ibo, quia infensus es* * *mihi, pro eo quòd sim Catholicus.* At ille datis Præfecto Imperatoris triginta millibus solidorum, ut se ab ejus solatio * revocaret, commoto exercitu contra eum venit. Hermenegildus (i) verò, vocatis Græcis, contra patrem egreditur, relicta in urbe conjuge sua. Cùmque Leuvichildus ex adverso veniret, relictus à solatio; cùm videret nihil se prævalere posse, Ecclesiam, quæ erat propinqua, expetiit, dicens :

* *Casin.* est.

* *i.* auxilio.

(a) Hoc caput deest in Vatic. Colb. [et Dub.] Porrò Regm. habet *Calleciensis*. Et quidem veteres scribebant *Callæcia* pro *Gallicia*.

(b) Regm. *magnum plebi suæ relinquens de se planctum.* [Clun. *faciens planctum.*]

(c) Fuit Episcopus primò Dumiensis monasterii, tum Bracarensis : qua dignitate non 30. sed 20. circiter annis potitus est. Festivitas ejus recolitur die 20. Martii. Vide ejus Elogium in Actis SS. Ord. Benedictini tomo 1. pag. 257. Ad eumdem exstat Fortunati epistola cum carmine 1. libri 5. Confer lib. 1. de Mirac. S. Martini cap. 11. Versus autem hîc laudatos edidit Sirmondus, qui habentur etiam in tomo 15. Biblioth. Patrum edit. Colon. etc.

(d) Goisvintha erat Brunechildis Reginæ, uxoris Sigiberti, mater, quam nempe ex Athanagildo Rege priore suo marito habuerat, proindeque Ingundis avia. Hanc porrò Leuvigildus duxerat post obitum prioris suæ conjugis, Theodosiæ scilicet filiæ Severiani Ducis Carthaginensis, ex qua duos filios susceperat, Hermenegildum Ingundis maritum, et Reccaredum, cui desponsata fuit Rigunthis Chilperici filia. Reccaredus denique post fratris necem et patris obitum, adepto regno, ex Ariano Catholicus factus totam Wisigotthorum gentem ad fidem rectam adduxit. Quæ omnia observare visum est ad totius hujus capitis et eorum, quæ inferiùs ea de re habentur, notionem. De persecutione verò hîc memorata, videndus quoque Isidorus in Chronico ad æram 606. * Vide etiam Abbatem Biclariensem in Chronico, qui rem aliter narrat, ac Gregorius.

(e) Alii codd. *Athanagildus, Atanachildis.* [Clun. *Athanachildis.*] Sic et *Leuvigildus, Leuvihildus, Leuvichildis, Levieldus, Leviheldis:* quæ lectiones variæ in variis codd. occurrunt, quoties ferè hæc nomina repetuntur.

(f) Casin. *sed quæ diversis notam.*

(g) Hac, uti videtur, occasione Leuvigildus Synodum Episcoporum Arianorum Toleti coëgit, ubi statutum est, ut qui de *Romana* religione ad eorum partes accederet, non deberet rebaptizari, sed solùm impositione manûs, communionis perceptione, et gloriam Patri per Filium in Spiritu Sancto dando, aggregaretur. Hæc ex Johan. Biclar. ad an. 581.

(h) Hispalim scilicet Bæticæ caput, in qua posteà à patre obsessus est : captus est Cordubæ; indeque Valentiam in exsilium missus, et denique Tarracone occisus, ut refert Johan. Biclar. aut certè Hispali, ut plerisque auctoribus placet. De his infrà Gregorius passim loquitur.

(i) Sic Corb. et Johan. Biclar. Alii, *Hermenichildis, Hermenchildis, Ermengildus.* [Clun. *Herminichildus autem.*] S. Leandrum ea occasione Constantinopolim profectum fuisse, ut auxilium à Tiberio Imp. sollicitaret, discimus ex S. Gregorii Papæ præf. in libros Moral. in Job.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 580.

Non veniat super me pater meus : nefas est enim aut patrem à filio, aut filium à patre interfici. Hæc audiens Leuvichildus, misit ad eum fratrem (a) ejus : qui dato sacramento ne humiliaretur, ait : *Tu ipse accede, et prosternere pedibus patris nostri, et omnia indulget tibi.* At ille poposcit vocari patrem suum : quo ingrediente, prostravit se ad pedes illius. Ille verò adprehensum osculatus est eum, et blandis sermonibus delinitum duxit ad castra : oblitusque sacramenti innuit suis, et adprehensum spoliavit eum indumentis suis, induitque illum veste vili : regressusque ad urbem Toletum, ablatis pueris ejus, misit eum in exsilium (b) cum uno tantùm puerulo.

XL. Igitur (c) post mortem filiorum Chilperici, Rex mense Octobri in Cotia silva plenus luctu cum conjuge residebat. Tunc Chlodovechum filium suum Brennacum, faciente Regina, transmisit, ut scilicet et ipse ab hoc interitu deperiret. Graviter ibi his diebus morbus ille, qui fratres interfecerat, sæviebat : sed nihil ibidem incommodi pertulit. Ipse enim Rex Calam (d) Parisiacæ civitatis villam advenit. Post paucos verò dies Chlodovechum ad se venire præcepit : cui qualis interitus fuerit, dicere non pigebit. Igitur cùm in supradicta villa apud patrem habitaret, cœpit immaturè jactare, vel dicere : *Ecce mortuis fratribus meis ad me restitit omne regnum : mihi universæ Galliæ subjicientur, imperiumque universum mihi fata largita sunt. Sed inimicis in manu positis inferam quæcumque placuerit.* Sed et de noverca sua Fredegunde Regina non condecibilia detractabat. Quæ illa audiens, pavore nimio terrebatur. Post dies verò aliquot adveniens quidam ait Reginæ : *Ut orbata* (e) *filiis sedeas, dolus hic Chlodovechi est operatus. Nam ipse concupiscens unius ancillarum tuarum filiam, maleficiis tuos per matrem ejus filios interfecit : ideòque moneo ne speres de te melius, cùm tibi spes per quam regnare debueras sit ablata.* Tunc Regina timore perterrita, et furore succensa, nova orbitate compuncta, adprehensa puella in quam oculos injecerat Chlodovechus, et graviter verberata, incidi comam capitis ejus jussit : ac (f) scissæ sudi impositam defigi ante metatum Chlodovechi præcepit : matre quoque puellæ religata, et tormentis diu cruciata, elicuit ab ea possessionem, quæ hos sermones veros esse firmaret : Regi (g) exinde hac et alia hujuscemodi insinuans, vindictam de Chlodovecho poposcit. Tunc Rex in venationem directus, eum præcepit arcessiri secretiùs. Quo adveniente, ex jussu Regis adprehensus in manicis à Desiderio (h) atque Bobone Ducibus, nudatur armis et vestibus, ac vili indumento contectus Reginæ vinctus (i) adducitur. At illa in custodia eum retineri præcepit, elicere ab eo cupiens, si hæc ita ut audierat se haberent, vel cujus consilio usus fuerit, aut cujus hæc instinctu fecisset, vel cum quibus maximè amicitias conligasset. At ille reliqua denegans, amicitias multorum detexit. Denique post triduum, Regina vinctum jussit eum transire Matronum fluvium, et in villa, cui Nuceto (k) nomen est, custodiri. In qua custodia cultro percussus, interiit : ipsoque in loco sepultus est (l). Intereà advenerunt nuntii ad Regem, qui dicerent, quòd ipse se ictu proprio perfodisset : et adhuc ipsum cultrum de quo se perculit, in loco stare vulneris adfirmabant. Quibus verbis Rex Chilpericus

(a) Reccaredum, ut suprà notavimus.

(b) A patre jussus est interfici, quòd die sancto Paschæ communionem ab Episcopo Ariano sibi porrectam sumere recusasset, ut fusiùs narrat S. Gregorius M. lib. 3. Dialog. cap. 31 et Paulus Diac. lib. 3. Hist. Langob. cap. 21. quod contigit Tarraconæ an. 586. ex Johan. Biclar. in Chronico, ubi ejus interfectorem, *Sisbertum*, biennio posteà morte turpi punitum fuisse scribit. Hermenegildi sub Martyris titulo festum die 13. Aprilis celebratur. Ingundis uxor ejus fugiens intercepta, in Siciliam perducta est, ubi exspirasse dicitur. Infrà tamen Gregorius lib. 8. cap. 28. ipsam in Africa obiisse scribit, cùm Constantinopolim à Græcis perduceretur. Eorum filius Athanagildus CP. vixit in aula Mauricii Imp. Aliquot epistolas ad ipsum, aut ejus occasione ad alios à Childeberto Rege, et à Brunichilde Regina scriptas, in [tomo sequenti] dabimus.

(c) Hoc caput in Regm. loco suo motum, exstat num. 42. De Cotia silva, suprà lib. 4. cap. 22. Dub. *post mortem filiorum Chilpericus Rex mense Octobrio in Chotiam silvam*. Clun. *Octobrio in Cotiam silvam.*

(d) Ibi S. Balthildis Chlodovei II. uxor parthenonem celeberrimum exstruxit, ubi cùm aliquamdiu sanctimonialis vixisset, piè obiit. Locus priscum nomen retinet, vulgò *Chelles,* quatuor leucis ab urbe distans, ad Matronam fluvium. De hoc Beda lib. 3. Hist. cap. 8.

(e) [Clun. *ut orbata modò esses de filiis.*]

(f) Sic Bad. at Corb. et Chesn. *abscissam sudi.* Colb. *abscisso sude.* Bec. *scissa sudi.* [Clun. *scisso sudi.*]

(g) Regm. *firmaret Regi. Tunc Rex*, ceteris omissis. [Clun. *veros firmaret Regi existere. Tunc Rex.*]

(h) Is est qui, referente Gregorio lib. 9. cap. 33. Tetradiam, marito ejus Eulalio adhuc superstite, uxorem duxit : de quo non semel alibi, potissimùm lib. 10. cap. 8. Bobo autem filius erat Mummoleni Ducis, de quo lib. 6. cap. 45.

(i) In Corb. deest *vinctus*.

(k) Sic scribendum censet Valesius in Notitia Galliarum, consentit Corb. At Colb. habet *Nocito*, [ita Dub.] alii verò *Noceto*, [ita Clun.] vulgò *Noisi,* haud procul à Cala, sed ad alteram Matronæ ripam.

(l) Inde corpus ejus cum sollemni pompa translatum est Parisios in basilicam sancti Vincentii, infrà lib. 8. cap. 10.

inlusus,

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 580.

A inlusus, nec flevit, quem ipse, ut ita dicam, morti tradiderat, instigante Regina. Servientes quoque illius per diversa dispersi sunt. Mater autem ejus crudeli morte necata (a) : soror illius in monasterium, delusa (b) à pueris Reginæ, transmittitur, in quo nunc veste mutata consistit : opesque eorum omnes Reginæ delatæ sunt. Mulier quæ super Chlodovechum locuta fuerat, dijudicatur incendio concremari. Quæ cùm duceretur, reclamare cœpit misera, se mendacia protulisse : sed nihil proficientibus verbis, ligata ad stipitem, vivens exuritur flammis. Thesaurarius Chlodovechi à Cuppane (c) stabuli Comite de Biturico retractus, vinctus Reginæ transmissus est, diversis cruciatibus exponendus : sed eum Regina et a suppliciis et vinculis jussit absolvi ; liberumque nobis obtinentibus abire permisit.

B XLI. Post (d) hæc Elafius Catalaunensis Episcopus, propter causas Brunichildis Reginæ, in Hispanias in legationem directus, correptus à febre nimia, spiritum exhalavit : et exinde delatus mortuus, ad civitatem suam sepultus est. Eonius quoque Episcopus, quem legatum Britannorum suprà meminimus (e), ad civitatem suam regredi non permissus, ut Andegavis pasceretur de publico à Rege præceptum est. Qui Parisius adveniens, dum die Dominica sacrosancta solemnia celebraret, emissa cum hinnitu voce terræ conruit. Erumpente verò ab ore ejus et naribus sanguine, inter manus deportatus est : sed convaluit. Nimiùm enim vino deditus erat, et plerumqne ita deformiter inebriabatur, ut gressum facere non valeret.

XLII. Mirus Rex Galliciensis legatos ad Guntchramnum Regem direxit. Cùmque per
C Pictavum terminum præterirent, quem tunc Chilpericus Rex tenebat, nuntiata sunt ei. At ille sub custodia sibi eos exhiberi præcepit, et Parisius custodiri. Eo tempore apud Pictavensem civitatem lupus ex silvis veniens, per portam ingressus est : clausisque portis infra muros ipsius urbis oppressus, occisus est. Adserebant enim quidam et cœlum ardens se vidisse. Liger fluvius major ab anno superiore fuit, postquàm ei Caris (f) torrens se adjunxit. Ventus auster nimiùm violenter cucurrit, ita ut silvas prosterneret, domos erueret, sæpes efferret, ipsosque homines ad internecionem usque volutaret. Erat enim spatium ejus in latitudinem quasi jugera septem : longitudo autem non potuit æstimari. Nam et galli plausum cantûs in initio noctis sæpe dederunt. Luna contenebricata (g) est, et cometes stella apparuit. Gravis autem lues in populo subsecuta est. Legati autem Suevorum (h) post annum dimissi, ad
D propria redierunt.

XLIII. Maurilio (i) Cadurcensis urbis Episcopus graviter ægrotabat ab humore podagrico, sed super hos dolores, quos ipse humor commovit, magnos sibi cruciatus addebat : nam sæpe candens ferrum tibiis ac pedibus defigebat, quò faciliùs cruciatum sibi ampliùs adderet. Sed cùm episcopatum ejus multi expeterent, ipse Ursicinum, (k) qui quondam referendarius Ultrogotthæ Reginæ fuerat, elegit. Quem dum adhuc viveret, benedici deprecans, migravit à sæculo. Fuit (l) autem valde eleemosynarius, in Scripturis ecclesiasticis valde instructus, ita ut seriem diversarum generationum, quæ in libris veteris Testamenti describitur, quod à multis difficilè retinetur, hic plerumque memoria recenseret. Fuit etiam et in judiciis justus, ac defendens pauperes Ecclesiæ suæ de manu malorum judicum, juxta illud Job : *Conservavi egenum de manu potentis ; et inopi cui non* *Job.* 29. 12.

(a) Audovera scilicet, quam Chilpericus dimiserat, quòd suam ipsius filiam è fonte sacro suscepisset, si credamus Anonymo, qui Gesta Francorum scripsit. Id quippe fabulosum esse existimat Cointius ad an. 565. num. 4. soror verò ejus, scilicet Chlodovei, Basina, quæ in monasterio sanctæ Crucis Pictaviensi turbas posteà excitavit.

(b) Sic Corb. et Colb. Editi verò *reclusa in monasterio.* Mss. lectionem habet Aimoinus lib. 3. cap. 43.

(c) Hujus facinora narrat Gregorius lib. 10. c. 5. [Clun. *à Chupane.*]

(d) Hoc caput deest in Vatic. Corb. Colb. [et Dub.] Leginus instrumentum beati Elafii Episcopi de villis quas sancto Stephano dedit cum fratre suo Leudomiro Diacono, *actum in Catalauni civitate, in Ecclesia præfati martyris, publicè sub die V. Id. Junii anno quarto Sigeberto Rege Francorum.* Elafius, Badio *Elaphius,* plerisque ed. *Elasius,* colitur Catalauni die XIV. Kal. Sept. Sacrum verò illius corpus asservatur in monasterio S. Petri in eadem urbe, Ord. S. Bened. sub Cong. S. Vitoni.

(e) Suprà cap. 30. ubi dicitur Eunius Venetensis Episcopus.

(f) Corb. *estoreus.* Colb. *ei Duricarus torrens.* Editi cum Bec. *Caris* aut *Cares.* [Clun. *Cares.*] Cod. Regm. *major ab amne..... Cares.* Hîc, ut puto, designatur fluvius *Caris*, vulgò *le Cher*, qui in Ligerim delabitur.

(g) [Clun. *contenebrata est.*]

(h) Qui suprà scilicet à Mirone directi dicuntur : hic nempe Suevis in Gallicia degentibus imperabat. Hinc in indice capitum cod. Regm. dicuntur *legati Callicienses.*

(i) Hoc caput deest in Vatic. Colb. Corb. [et Dub.] Bad. verò *Maurilius*, et in indice capit. *De Maurilio.* Bec. *Marilius.*

(k) De hoc infrà : subscripsit Concil. Matisc. II.

(l) [Hæc verba, *Fuit autem* usque ad *recenseret*, desunt in cod. Clun.]

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. — *erat adjutor, auxiliatus sum. Os viduæ benedixit me, cùm essem oculus cæcorum, pes claudorum, et invalidorum pater.* A

XLIV. Leuvichildus verò Rex Agilanem legatum ad Chilpericum mittit, virum nullius ingenii aut dispositionis (a) ratione peritum, sed tantùm voluntate in Catholica lege perversum : quem cùm via Turonis detulisset, lacessire nos de fide, et impugnare ecclesiastica dogmata cœpit. « Iniqua enim, inquit, fuit anti- » quorum Episcoporum lata sententia, quæ æqualem adseruit Filium Patri. Nam *Joh.* 14. 28. » qualiter, inquit, poterit esse Patri æqualis in potestate, qui ait : *Pater major me* » *est ?* Non est ergo æquum ut ei similis æstimetur quo se minorem dicit, cui tristi- » tiam mortis ingemit, cui postremò moriens spiritum, quasi nulla præditus potes- » tate, commendat. Unde patet eum et ætate et potestate paterna minorem. » Ad hæc ego interrogo, si crederet Jesum Christum Filium Dei esse, si eumdem- B que esse Dei sapientiam, si lumen, si veritatem, si vitam, si justitiam fateretur. Qui ait : « Credo hæc omnia esse Filium Dei. Et ego : Dic ergo mihi, quando » Pater sine sapientia? quando sine lumine? quando sine vita? quando sine veri- » tate? quando sine justitia fuerit? Sicut enim Pater sine istis esse non potuit, » ita et sine Filio esse non potuit. Quæ maximè ad Dominici nominis (b) mysterium » coaptantur. Sed nec Pater esset utique, si Filium non haberet. Quod au- » tem eum dixisse ais, *Pater major me est*, scias eum hoc ex adsumtæ carnis humi- » litate dixisse, ut cognoscas non potestate, sed humilitate te fuisse redemtum. » Nam tu qui dicis, *Pater major me est*, oportet te meminisse quod alibi ait : *Ego* *Joh.* 10. 30. » *et Pater unum sumus.* Nam et mortis timor, et commendatio spiritûs ad infir- » mitatem corporis est referenda ; ut sicut verus Deus, ita et verus homo cre- C » datur. Et ille : Cujus quis implet voluntatem, eo et minor (c) est : semper Filius » minor est Patre, quia ille facit voluntatem Patris, nec Pater illius voluntatem » facere comprobatur. Ad hæc ego : Intellige quia Pater in Filio, et Filius in » Patre, in una semper deitate subsistit. Nam ut cognoscas Patrem Filii facere » voluntatem, si in te fides evangelica manet, audi quid ipse Jesus Deus noster, *Joh.* 11. 41. » cùm ad resuscitandum venit Lazarum, ait : *Pater gratias ago tibi, quoniam au-* 42. » *disti me : et ego sciebam quia semper me audis. Sed propter turbam quæ circumstat,* » *dixi, ut credant quia tu me misisti.* Sed et cùm ad passionem venit, ait : *Pater* *Joh.* 17. 5. » *clarifica me claritate quam habui apud temetipsum, priusquàm mundus fieret.* Cui *Joh.* 12. 28. » Pater de cœlo respondit : *Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Æqualis est ergo » Filius in deitate, non minor ; sed neque aliquid minus habens. Nam si Deum D » confiteris, necesse est integrum fatearis, et nihil egentem : si verò integrum esse » negas, Deum esse non credis. Et ille : Ex adsumto homine cœpit Dei Filius » vocitari. Nam erat quando non erat. Et ego : Audi David dicentem ex persona *Psal.* 109. 3. » Patris : *Ex utero ante luciferum genui te.* Et Johannes Evangelista ait : *In prin-* *Joh.* 1. 1. » *cipio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Hoc ergo *Ibid.* 14. 3. » *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, per quem facta sunt omnia.* Nam » vos cæcati veneno persuasionis, nihil dignum de Deo sentitis. Et ille : Numquid » Spiritum sanctum Deum dicitis, aut æqualem Patri Filioque decernitis? Cui ego : » Una in tribus est voluntas, potestas, operatio : unus Deus in trinitate, et trinus » in unitate. Tres personæ, sed unum regnum, una majestas, una potentia om- » nipotentiaque. Et ille : Spiritus sanctus, inquit, quem æqualem Patri profertis E » ac Filio, utrisque minor accipitur : quia et à Filio promissus, et à Patre legitur » missus. Nemo enim promittit, nisi quod suæ dominationi subsistit : et nemo *Joh.* 16. 7. » mittit, nisi inferiorem se, sicut ipse ait in Evangelio : *Nisi ego abiero, Paracletus* » *ille non* (d) *veniet : si autem abiero, mittam illum ad vos.* Ad hæc ego respondi : » Bene Filius ante passionem ait, quia nisi ille ad Patrem victor remeaverit, ac » proprio sanguine redemto mundo, dignum Deo ex homine præpararet habita- » culum, non potest sanctus Spiritus, idem Deus, in pectore fanatico, et origi- *Sap.* 1. 5. » nalis criminis labe infecto descendere. *Spiritus* enim *sanctus*, ait Salomon, *effu-* » *giet* (e) *fictum.* Tu autem si spem aliquam resurrectionis habes, noli loqui adver- *Matth.* 12. 32. » sùs Spiritum sanctum, quia juxta sententiam Domini : *In Spiritu sancto* (f) » *blasphemanti non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Et ille : Deus

(a) [Clun. *dispositione rationis.*]
(b) Regm. *Dominicis verbis.*
(c) Corb. Bec. Colb. c. [et Clun.] *ejus et junior est.*
(d) Regm. *Paraclitus non.*
(e) Sic Corb. et Regm. Editi cum Bec. et Colb. c. *fugiet.* [Dub. *disciplinæ effugiet fictum.*]
(f) Sic Corb. Regm. Bec. et Colb. c. pro *in Spiritum-Sanctum.* Editi, *Spiritum-Sanctum blasphemanti.*

A » est qui mittit, non est Deus qui mittitur ». Ad hæc ego interrogo, si crederet doctrinam Petri Paulique Apostolorum. Respondente autem eo, Credo, adjeci : « Cùm argueret Petrus Apostolus Ananiam pro fraude fundi, vide quid dicat, » *Quid tibi visum est mentiri Spiritui sancto? Non es enim mentitus hominibus, sed Deo.* » Et Paulus, cùm gratiarum spiritualium distingueret gradus, *Hæc omnia*, inquit, » *operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult.* Qui enim quod » voluerit facit, in nullius redigitur potestatem. Nam vos, ut superiùs dixi, nihil » rectè de Trinitate sancta sentitis, et quàm iniqua sit hujus sectæ perversitas, » ipsius auctoris vestri, id est Arii, expressit interitus. Ad hæc ille respondit : » Legem quam non colis, blasphemare noli : nos verò quæ creditis, etsi non cre- » dimus, non tamen blasphemamus : quia non deputatur crimini, si et illa et illa colan- B » tur. Sic enim vulgato sermone dicimus, non esse noxium si inter gentilium aras, » et Dei Ecclesiam quis transiens, utraque veneretur (a). » Cujus ego stultitiam cer- nens, aio : « Ut video, et gentilium defensorem, et hæreticorum adsertorem te » esse manifestas; cùm et ecclesiastica dogmata maculas, et paganorum spur- » citias prædicas adorari. Satiùs, inquio, faceres, si ea te armaret fides, quam » Abraham ad ilicem, Isaac in ariete, Jacob in lapide, Moyses vidit in sente : quam » Aaron portavit in logio (b), David exsultavit in tympano, Salomon prædi- » cavit in intellectu : quam omnes Patriarchæ, Prophetæ, sive Lex ipsa vel ora- » culis cecinit, vel sacrificiis figuravit : quam et nunc præsens suffragator Martinus » noster, vel possedit in pectore, vel ostendit in opere, ut et tu conversus crederes » inseperabilem Trinitatem, et accepta à nobis benedictione, purgatoque à malæ C » credulitatis veneno pectore, delerentur iniquitates tuæ ». At ille furore commotus, et nescio quid quasi insanus frendens, ait : « Antè anima ab hujus corporis vinculis » emicet (c), quàm ab ullo religionis vestræ Sacerdote benedictionem accipiam. Et » ego : Nec nostram Dominus religionem sive fidem ita tepescere (d) faciat, ut » distribuamus Sanctum ejus canibus, ac pretiosarum margaritarum sacra porcis » squalentibus exponamus ». Ad hæc ille relicta altercatione surrexit, et abiit. Sed post hæc cùm in Hispanias reversus fuisset, infirmitate debilitatus, ad nostram religionem necessitate cogente conversus est.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 580. *Act.* 5. 3. 4. 1. *Cor.* 12. 11.

XLV. Per idem tempus Chilpericus Rex scripsit indiculum, ut sancta Trinitas non in personarum distinctione, sed tantùm Deus nominaretur : adserens indignum esse, ut Deus persona, sicut homo carneus nominaretur; adfirmans etiam ipsum D esse Patrem qui est Filius, idemque ipsum esse Spiritum sanctum, qui Pater et Filius. *Sic*, inquit, *Prophetis ac Patriarchis apparuit, sic eum ipsa Lex nuntiavit.* Cùmque hæc mihi recitari jussisset, ait : *Sic*, inquit, *volo ut tu, et reliqui Doctores Ecclesiarum credatis.* Cui ego respondi : *Hac credulitate relicta, pie Rex, hoc te oportet sequi quod nobis post Apostolos alii Doctores Ecclesiæ reliquerunt, quod Hilarius Eusebiusque* (e) *docuerunt, quod et in baptismo es confessus.* Tunc iratus Rex ait : *Manifestum est mihi in hac causa Hilarium Eusebiumque validos inimicos haberi.* Cui ego respondi : *Observare te convenit, neque Deum, neque Sanctos ejus habere* (f) *offensos. Nam scias, quia in persona aliter Pater, aliter Filius, aliter* (g) *Spiritus sanctus. Non Pater adsumsit carnem, neque Spiritus sanctus, sed Filius : ut qui erat Dei Filius, ipse ad redemtionem hominis filius haberetur et virginis. Non* E *Pater passus, neque Spiritus sanctus, sed Filius : ut qui carnem adsumserat in mundo, ipse offerretur pro mundo. De personis verò quod ais, non corporaliter, sed spiritaliter sentiendum est. In his ergo tribus personis una gloria, una æternitas, una potestas.* At ille commotus ait : *Sapientioribus te hæc pandam* (h), *qui mihi consentiant.* Et ego : *Numquam erit sapiens, sed stultus, qui hæc quæ proponis sequi voluerit.* Ad hæc ille frendens, siluit. Non post multos verò dies adveniente Salvio Albigensi Episcopo, hæc ei præcepit recenseri, deprecans ut sibi consentaneus fieret. Quod ille audiens, ita respuit, ut si chartam, in qua hæc scripta tenebantur, potuisset adtingere, in

(a) Observandum ex hoc loco nullam haberi veram religionem, dimissa Ecclesiæ Catholicæ fide, ut hic Arianus, qui omnes bonas agnoscens, nullam se habuisse manifestabat.

(b) Id est in rationali Pontificali, ubi λόγος, seu Dei nomen legebatur.

(c) Regm. *separetur.*

(d) Idem, Colb. [et Clun.] *tabescere.*

(e) Scilicet Vercellensis Episcopus, qui cum Hilario Pictavensi egregiè contra hæreticos sanctæ Trinitatis impugnatores decertavit. Porrò hic Chilpericus Sabellii falsa dogmata renovabat.

(f) [Clun. *neque sanctum cuique ejus haberi offensos.*]

(g) Sic Corb. Bec. Colb. c. et vet. ed. Ita et Colb. a. habebat, sed aliquis subtus litteram *i*, apicem apposuit, ut conficeret, *alter Pater, alter Filius, alter Spiritus-Sanctus*, quæ lectio est Regm. et Chesn. [Cod. Dub. *alius Pater, alius Filius, alius Spiritus-Sanctus.*]

(h) Regm. [et Clun.] *hæc pandere decrevi.*

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 580.

frusta discerperet. Et sic Rex ab hac intentione quievit. Scripsit alios libros idem Rex versibus, quasi Sedulium secutus : sed versiculi illi nulli penitus metricæ conveniunt rationi (a). Addidit autem et litteras litteris nostris, id est ω, sicut Græci habent, ae, the, uui, quarum characteres subscripsimus. Hi sunt ω ψ Z Δ (b). Et misit epistolas in universas civitates regni sui, ut sic pueri docerentur, ac libri antiquitus scripti, planati pumice rescriberentur. A

XLVI. Agrœcula (c) autem Cabillonensis Episcopus hoc obiit tempore : fuitque homo valde elegans ac prudens, genere senatorio. Multa in civitate illa ædificia fecit. domos composuit, Ecclesiam fabricavit, quam (d) columnis fulcivit, variavit marmore, musivo depinxit. Magnæ autem abstinentiæ fuit : nam numquam prandio usus est, nisi tantùm cœna : ad quam sic temporivè residebat, ut sole stante consurgeret. Humanitatis * exiguæ, facundiæ verò magnæ erat. Obiit autem episcopatûs anno quadragesimo-octavo, ævi autem octogesimo-tertio (e) : cui Flavius referendarius Guntchramni Regis successit. B

* Staturæ.

XLVII. Eo (f) tempore et Dalmatius Ruthenæ civitatis Episcopus, migravit à sæculo, vir in omni sanctitate præcelsus, abstinens vel * à cibis, vel à concupiscentiis carnis : valde eleemosynarius, et cunctis humanus, in oratione et vigiliis satis stabilis. Ecclesiam construxit ; sed dum eam ad emendationem sæpiùs destruxit, incompositam dereliquit. Post cujus obitum multi, ut fit, episcopatum expetunt. Transobadus (g) verò Presbyter, qui quondam Archidiaconus ejus fuerat, maximè in hoc intendebat, fidus quòd filium suum cum Gogone, qui tunc Regis erat nutritius, commendaverat. Condiderat autem Episcopus testamentum, in quo Regis exenium (h), qui post ejus obitum acciperet, indicabat, adjurans terribilibus sacramentis, ut in Ecclesia illa non ordinaretur extraneus, non cupidus, non conjugali vinculo nexus, sed ab his omnibus expeditus, qui in solis tantùm Dominicis laudibus degebat, substitueretur. Transobadus autem Presbyter epulum in ipsa urbe Clericis præparat. Residentibus autem illis, unus Presbyterorum cœpit Antistitem memoratum impudicis blasphemare (i) sermonibus : et usque ad hoc erupit, ut eum delirum et fatuum nominaret. Hæc eo dicente, pincerna poculum oblaturus advenit. At ille acceptum dum ori proximat, tremere cœpit, laxatoque de manu calice, super illum (k), qui sibi erat proximus, caput reclinans, reddidit spiritum. Ablatusque ab epulo ad sepulcrum, humo contectus est. Post hæc relecto testamento Antistitis in præsentia Childebertis Regis ac procerum ejus, Theodosius (l), qui tunc archidiaconatu urbis illius potiebatur, Episcopus ordinatus est. C

* *i.* etc.

XLVIII. Audiens (m) autem Chilpericus omnia mala, quæ faciebat Leudastes

(a) Corb. *nulla penitùs metricæ conveniunt ratione.* Chilperici eloquentiam et in litteras propensionem laudat Fortunatus lib. 9. carm. 1. Nihil de ejus operibus superest, præter aliquot versus in honorem sancti Germani Parisiensis Episcopi, quos Aimoinus refert. Eos tamen à Fortunato compositos putat Brouverus, nec alii tantæ antiquitatis esse putant. Sedulius sub Theodosio Romæ claruit, quem poëtæ Christiani imitari studuerunt. Vide Bedam l. 5. Hist. c. 19.

(b) Hos characteres, prout in cod. Corb. omnium antiquissimo habentur, repræsentavimus. In Colb. ω *o*, Ψ *ae*, y, quæ per medium lineola transversa secatur, z. Δ *uui.* Regm. o *u.* y *the*, z *y uui.* Bec. Θ *ccc.* Ψ ae. z *the*, et pòst litteras incognitas *vui.* Idem Gregorii caput in veteri canonum et professionum fidei collectione, ex cod. Colbertino ab annis circiter 800. scripto habetur, ubi eædem litteræ eodem ferè modo ac in cod. Corb. exaratæ sunt, nisi quòd ultima littera sit a, *uiui.* Hos characteres plerique editi per litteras græcas expresserunt ω seu *O* Ψ Z Π. In Aimoini edit. in lib. 3. cap. 41. χ ch. θ th. φ ph. ubi codex S. Germani à Patris ab ann. circiter 400. scriptus habet Ψ *ae.* T *the.* am *u.* Ceterùm hæ litteræ eamdem fortunam expertæ sunt, atque illæ, quæ olim à Claudio Imp. adinventæ fuerant, id est simul cum suo auctore perierunt

(c) Hoc caput deest in Vatic. Corb. et Colb. [Deest etiam in Dub. sicut et quatuor capita sequentia. Clun. *Agricola.*]

(d) Regm. *quam vario ornatu decoravit. Hic magnæ fuit abstinentiæ, ita ut numquam in die ederet, nisi semel, et hoc cœna vocabatur, in qua sic tempore veris sedebat, etc.* Fortè pro *temporivè*, legendum est, *temporiùs*, ut habent codd. scripti in Regula S. Benedicti cap. 11. Musivum autem, de quo hîc et passim Gregorius, est opus tessellis ita contextum, ut varias figuras repræsentet, quod apud veteres in magno fuit pretio, nostris dicitur *ouvrage à la mosaïque.* De his egregium volumen Romæ edidit vir illust. Johannes Ciampinus. Vide et Bergerium l. 2. de viis pub. Imp.

(e) Ejus festum celebrat Martyrolog. Rom. die 17. Martii. Interfuit Concil. Aurelian. III. IV. et V. Arvernensi II. Paris. II. et Lugdun. III. Vide lib. de Glor. Conf. cap. 85. et 86. et Bolland. ad. 17. Mart. Agricolam laudat Fortunat. l. 3. car. 22. quod tamen de Agricola Nivernensi Episcopo intelligit Cointus.

(f) Hoc caput deest in Vatic. Corb. et Colb. Dalmatius subscripsit Concil. Arvern. an. 535. et Aurelian. IV. an. 541. memoratur in Martyrolog. Gallicano 13. Novembris.

(g) [Clun. *Trasobaldus.*] Regm. et Bec. *Transobaldus..... fisus..... cum Gorgone.* De Gogone vide lib. 6. cap. 1.

(h) Sic iidem codd. cum Bad. et quidem rectè : ceteri verò *Regi Sexenium.* Non enim Episcopus Sexenium sibi successorem delegerat, sed indicavit conditiones, quibus ille episcopatus, quem *exenium*, seu *xenium Regis* appellat, conferri deberet. [Clun. *exenium quod.*]

(i) Hinc nata vox nostra gallica *blasmer*, quæ hîc est, et sæpè aliàs apud Gregorium, hujus vocis significatio.

(k) Aliàs *super alium.* [Ita Clun.]

(l) Regm. *Theodus.* [Clun. *Theodous.*] De hoc et aliis hîc memoratis lib. 6. cap. 38.

(m) Deest hoc caput in Corb.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 580.

A Ecclesiis Turonicis, et omni populo, Ansovaldum (a) illuc dirigit : qui veniens ad festivitatem sancti Martini, data nobis et populo optione, Eunomius in Comitatum erigitur (b). Denique Leudastes cernens se remotum, ad Chilpericum dirigit, dicens : *Usque nunc, ô piissime Rex, custodivi civitatem Turonicam : nunc autem me ab actione remoto, vide qualiter custodiatur. Nam noveris quia Gregorius Episcopus eam ad filium Sigiberti tradere destinat.* Quod audiens Rex, ait : *Nequaquam, sed quia remotus es, ideò hæc adponis.* Et ille : *Majora*, inquit, *de te ait Episcopus : dicit enim Reginam tuam in adulterio cum Episcopo Bertchramno misceri.* Tunc iratus Rex, cæsum pugnis et calcibus, oneratum ferro recludi præcepit in carcere.

XLIX. Sed (c) quia liber finem postulat, narrare aliqua de ejus actionibus libet : sed priùs videtur genus ac patriam moresque ordiri. Cracina (d) Pictavensis
B insula vocitatur, in qua à fiscalis vinitoris (e) servo, Leocadio nomine, nascitur. Exinde ad servitium arcessitus, culinæ regiæ deputatur. Sed quia lippis erat in adolescentia oculis, quibus fumi acerbitas non congruebat; amotus à pistillo promovetur ad cophinum (f). Sed dum inter fermentatas massas se delectari consimulat, servitium fugam iniens dereliquit. Cùmque bis aut tertiò reductus à fugæ (g) lapsu teneri non posset, auris unius incisione multatur. Dehinc cùm notam inflictam corpori occulere nulla auctoritate valeret, ad Marcovefam Reginam, quam Charibertus Rex nimiùm diligens, in loco sororis thoro adsciverat, fugit. Quæ libenter eum colligens, provocat (h), equorumque meliorum deputat esse custodem. Hinc jam obsessus vanitate, ac superbiæ deditus, Comitatum ambit stabulorum (i) : quo accepto, cunctos despicit ac postponit : inflatur vanitate,
C luxuria dissolvitur, cupiditate succenditur, et in causis patronæ alumnus proprius huc illucque defertur. Cujus post obitum refertus prædis, locum ipsum cum Rege Chariberto oblatis muneribus tenere cœpit. Post hæc, peccatis populi ingruentibus, Comes Turonis destinatur : ibique se ampliùs honoris gloriosi supercilio jactat; ibi se exhibet rapacem prædis, turgidum rixis, adulteriis lutulentum : ubi seminando discordias, et inferendo calumnias, non modicos thesauros adgregavit. Post obitum verò Chariberti, cùm in Sigiberti sortem civitas illa venisset, transeunte eo ad Chilpericum, omnia quæ iniquè adgregaverat, à fidelibus nominati Regis direpta sunt. Pervadente igitur Chilperico Rege per Theodobertum filium urbem Turonicam, cùm jam ego Turonis advenissem, mihi à Theodoberto strenuè commendatur, ut scilicet Comitatu quem priùs habuerat potiretur. Multùm
D se nobis humilem subditumque reddebat, jurans sæpiùs super sepulcrum sancti Antistitis, numquam se contra rationis ordinem esse venturum, seque mihi, tam in causis propriis, quàm in Ecclesiæ necessitatibus, in omnibus esse fidelem. Timebat enim, quod posteà evenit, ne urbem illam iterum Rex Sigibertus in suum dominium revocaret. Quo defuncto, succedente iterum Chilperico in regnum, iste in Comitatum accedit. Adveniente autem Turonis Merovecho, omnes res ejus usquequaque diripuit. Sed dum Sigibertus duos annos Turonis tenuit, hic in Britanniis latuit : qui adsumto, ut diximus, Comitatu, in tali levitate elatus est, ut in domo Ecclesiæ cum thoracibus atque loricis, præcinctus pharetra, et contum manu gerens, capite galeato ingrederetur : de nullo securus, quia omnibus erat
E adversus (k). Jam si in judicio cum senioribus, vel laicis, vel clericis resedisset; et vidisset hominem justitiam prosequentem, protinus agebatur in furias, ructabat convicia in cives : Presbyteros manicis jubebat extrahi, milites fustibus verberari : tantaque utebatur crudelitate, ut vix referri (l) possit. Discedente autem Merovecho, qui res ejus diripuerat, nobis calumniator exsistit, adserens fallaciter Merovechum nostro usum consilio, ut res ejus auferret. Sed post inlata (m) damna

(a) Regm. *Ansoaldum.*
(b) [Clun. *eligitur.*]
(c) Hoc caput, quod in plerisque codd. à præcedente non distinguitur, deest in Vatic. Corb. et Colb.
(d) Regm. et Bad. *Gracina.* Alteserra legendum esse censet *Eracina*, quo nomine designaretur Radina insula, *l'Isle de Ré*, ut scripsit Papirius Massonus in descriptione fluviorum. Hinc Valesius mallet legi *Cratina* aut *Ratina.* Olim dicebatur *Herus* seu *Herio* insula, quæ oræ Pictavensi adjacet.
(e) Bad. *à fiscalis multoris.* Regm. [et Clun.] *fiscalis veneto servo.*
(f) Id est, è coquo fit pistor.
(g) [Clun. *fuga elapsus.*]
(h) Id est, promovet, ut ex aliis Gregorii locis patet.
(i) Comes-stabuli equorum Principis curam habebat, quæ dignitas posteà militaris facta, multùm accrevit. Ejus munia et incrementa fusè exponit Cangius in Glossario, quod consulere neminem umquam pœnitebit.
(k) Regm. *contrarius. Nam.*
(l) Idem codex, *vix ferre possit.*
(m) [Clun. *post inlata dona.*]

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II.

iterat iterum sacramenta, pallamque (a) sepulcri beati Martini fidejussorem donat, A se nobis numquam adversaturum.

L. Sed (b) quoniam longum est per ordinem prosequi perjuria vel reliqua mala ejus, veniamus ad illud, qualiter me voluit iniquis ac nefariis calumniis sub-

Jerem. 9. 4. *Provv.* 26. 27. plantare, vel qualiter in eum ultio divina descendit, ut illud adimpleretur : *Omnis subplantans subplantabitur* : et iterum, *Qui fodit foveam, incidet in eam.* Igitur post multa mala quæ in me meosque intulit, post multas direptiones rerum ecclesiasticarum, adjuncto sibi Riculfo Presbytero, simili malitia perverso, ad hoc erupit, ut diceret me crimen in Fredegundem Reginam dixisse : adserens si Archidiaconus meus Plato, aut Gallienus (c) amicus noster subderentur pœnæ, convince-

* *Cap.* 48. rent me utique hæc locutum. Tunc Rex iratus, ut suprà diximus *, jussit eum pugnis calcibusque cæsum, oneratum catenis recludi in carcerem. Nam Riculfum B Clericum (d) se habere dicebat, per quem hæc locutus fuisset. Hic verò Riculfus Subdiaconus, simili levitate perfacilis, ante hunc annum (e) consilio cum Leudaste de hac causa habito, causas offensionis requirit, quibus scilicet me offenso, ad Leudastem transiret : nactusque (f) tandem ipsum adivit, ac per menses quatuor dolis omnibus ac muscipulis præparatis, ad me cum ipso Leudaste revertitur, deprecans ut eum debeam recipere excusatum. Feci, fateor, et occultum hostem publicè in domum (g) suscepi. Discedente verò Leudaste, ipse se pedibus meis sternit, dicens : *Nisi succuras velociter, periturus sum. Ecce, instigante Leudaste, locutus sum quod loqui non debui. Nunc verò aliis me regnis emitte : quod nisi feceris, à Regalibus comprehensus, mortales pœnas sum luiturus.* Cui ego aio : *Si quid incongruum rationi effatus es, sermo tuus in caput tuum erit : nam ego alteri te regno non mittam, ne suspectus habear coram Rege.* Post ista Leudastes ex- C stitit accusator ejus, dicens se sermones jam dictos à Riculfo audisse Subdiacono. At ille iterùm vinctus, relaxato Leudaste, custodiæ deputatur, dicens Gallienum eadem die et Platonem Archidiaconem (h) fuisse præsentes, cùm hæc est Episcopus elocutus. Sed Riculfus Presbyter, qui jam promissionem de episcopatu à Leudaste habebat, in tantum elatus fuerat, ut Magi Simonis superbiæ æquaretur. Qui tertiò aut eo ampliùs mihi sacramentum super sepulcrum sancti Martini dederat, in die sexta Paschæ in tantum me conviciis et sputis egit, ut vix manibus temperaret, fidus scilicet doli quem præparaverat. In crastina autem die, id est sabbati in ipso Pascha, venit Leudastes in urbem Turonicam, adsimulansque aliud negotium agere, adprehensos Platonem Archidiaconem et Gallienum in vincula connectit : catenatosque ac exutos veste jubet eos ad Reginam deduci. Hæc ego D audiens, dum in domo Ecclesiæ residerem mœstus, turbatusque ingressus oratorium, Davidici carminis sumo librum, ut scilicet apertus aliquem consolationis

Psal. 77. 53. versiculum daret. In quo ita repertum est : *Eduxit eos in spe, et non timuerunt : et inimicos eorum operuit mare.* Intereà ingressi in fluvium super pontem qui duabus lintribus tenebatur, navis illa, quæ Leudastem vehebat, demergitur (i) ; et nisi nandi fuisset adminiculo liberatus, cum sociis forsitan interisset. Navis verò alia, quæ huic innexa erat, quæ et vinctos vehebat, super aquas, Dei auxilio, elevatur. Igitur deducti ad Regem qui vincti fuerant, incusantur instanter, ut capitali sententia finirentur. Sed Rex recogitans, absolutos à vinculo in libera custodia (k) reservat inlæsos. Ad civitatem verò Turonicam Berulfus Dux (l) cùm Eunomio Comite fabulam fingit, quòd Guntchramnus Rex capere vellet Turonicam civitatem : et idcircò ne aliqua negligentia accederet, *oportet* (m), ait, *urbem custodia consignari.* Ponunt portis dolosè custodes, qui civitatem tueri adsimulantes, me E

(a) Id est tapetem, quo beati Antistitis sepulcrum tegebatur, quæ vox frequenter apud Gregorium occurrit.

(b) Hoc caput deest in Corb. et Colb.

(c) Cod. Regm. *Ioislenus*, infrà tamen in eod. codice dicitur *Gallienus*.

(d) Regm. [et Clun.] *Presbyterum*.

(e) Bad. *ante hoc anno*, mutatione casuum Gregorio familiari.

(f) [Clun. *Nannetisque tandem.*]

(g) [Clun. *in domo.*]

(h) Sic Regm. Bad. *Archidiaconum*, ceteri cum Bec. *Archidiaconos*. Gallienus tamen suprà non dicitur Archidiaconus. Unde ex hoc loco inferre non licet plures in Ecclesia Turonensi Archidiaconos tunc exstitisse. Archidiaconos memorat S. Remigius in epist. ad Falconem. Plato posteà fuit Episcopus Pictavensis, de quo ad lib. 4. de Mirac. S. Martini cap. 32.

(i) [Clun. *demergitur. Navis verò.* media desunt.]

(k) Libera custodia dici solebat, cùm reus non in carcere, sed magistratui custodiendus committebatur, aut certè quando mitiùs agebatur cum eo.

(l) De Berulfo adhuc Comite Fortunatus lib. 7. carm. 15.

(m) [Clun. *oportere ait urbem.*]

A utique custodirent. Mittunt etiam qui mihi consilium ministrarent, ut occultè adsumtis melioribus rebus Ecclesiæ, Arvernum fuga secederem : sed non adquievi. Igitur Rex arcessitis regni sui Episcopis, causam diligenter jussit exquiri. Cùmque Riculfus Clericus sæpiùs discuteretur occultè, et contra me vel meos multas fallacias promulgaret, Modestus quidam faber lignarius ait ad eum : *O infelix, qui contra Episcopum tuum tam contumaciter ista meditaris! Satiùs tibi erat silere, et petita venia Episcopi gratiam impetrares.* Ad hæc ille clamare cœpit voce magna, ac dicere : *En ipsum, qui mihi silentium indicit, ne prosequar veritatem : en Reginæ inimicum, qui causam criminis ejus non sinit inquiri.* Nuntiantur protinus hæc Reginæ. Adprehenditur Modestus, torquetur, flagellatur : et in vincula compactus custodiæ deputatur. Cùmque inter duos custodes catenis et in cippo teneretur
B vinctus, media nocte dormientibus custodibus, orationem fudit ad Dominum, ut dignaretur ejus potentia miserum visitare : et qui innocens conligatus fuerat, visitatione Martini præsulis ac Medardi absolveretur. Mox disruptis vinculis, confracto cippo, reserato ostio, sancti Medardi basilicam nocte nobis vigilantibus introivit (a). Congregati igitur apud Brennacum villam Episcopi, in unam domum residere jussi sunt. Dehinc adveniente Rege, data omnibus salutatione, ac benedictione accepta, resedit. Tunc Bertchramnus Burdegalensis civitatis Episcopus, cui hoc cum Regina crimen impactum fuerat, causam proponit, meque interpellat, dicens à me sibi ac Reginæ crimen objectum. Negavi ego in veritate me hæc locutum : et audisse quidem hæc alios, me non excogitasse. Nam extra domum rumor (b) in populo magnus erat, dicentium : *Cur hæc super Sacerdotem*
C *Dei objiciuntur? cur talia Rex prosequitur? numquid potuit Episcopus talia dicere vel de servo? Heu, heu, Domine Deus, largire auxilium servo tuo?* Rex autem dicebat : *Crimen uxoris meæ meum habetur opprobrium. Si ergo censetis, ut super Episcopum testes adhibeantur, ecce adsunt. Certè si videtur ut hæc non fiant, et in fidem Episcopi committantur, dicite; libenter audiam quæ jubetis.* Mirati sunt omnes Regis prudentiam vel * patientiam simul. Tunc cunctis dicentibus . *Non potest persona inferior super Sacerdotem credi*, restitit ad hoc causa, ut dictis Missis in tribus altaribus, me de his verbis exuerem sacramento (c). Et licèt canonibus essent contraria, pro causa tamen Regis impleta sunt. Sed nec hoc (d) sileo, quòd Riguntis (e) Regina condolens doloribus meis, jejunium cum omni domo sua celebravit, quousque puer nuntiaret me omnia sic implesse, ut fuerant instituta. Igitur
D regressi Sacerdotes ad Regem, aiunt : *Impleta sunt omnia ab Episcopo quæ imperata sunt, ô Rex. Quid nunc ad te, nisi ut cum Bertchramno accusatore fratris communione priveris?* Et ille : *Non*, inquit, *ego nisi audita narravi.* Quærentibus illis, quis hæc dixerit? respondit se hæc à Leudaste audisse. Ille autem secundùm infirmitatem vel consilii, vel propositionis suæ, jam fugam inierat. Tunc placuit omnibus Sacerdotibus, ut sator scandali, infitiator Reginæ, accusator Episcopi, ab omnibus arceretur Ecclesiis, eò quòd se ab audientia subtraxisset. Unde et epistolam subscriptam aliis Episcopis qui non adfuerant transmiserunt. Et sic unusquisque in locum suum regressus est. Leudastes verò hæc audiens, basilicam sancti Petri Parisius expetiit. Sed cùm audisset edictum Regis, ut in suo regno à nullo colligeretur : et præsertim quòd filius ejus, quem domi reliquerat, obiisset; Turonis
E occultè veniens, quæ (f) optima habuit in Biturico transposuit. Prosequentibus verò regalibus pueris, ipse per fugam labitur. Capta quoque uxor ejus in pagum Tornacensem exsilio retruditur. At Riculfus Clericus ad interficiendum deputatur, pro cujus vita vix obtinui : tamen de tormentis excusare non potui. Nam nulla res, nullum metallum tanta verbera potuit sustinere, sicut hic miserrimus. Ab hora tertia diei, revinctis post tergum manibus, suspensus ad arborem dependebat; ad horam verò nonam depositus, extensus ad trocleas cædebatur fustibus, virgis,

* *i.* etc.

(a) Id itaque apud Suessionas contigit, à qua urbe Brennacum tribus circiter leucis distat. Fortunatus carmen 1. libri 9. cecinit in Chilperici laudem, eo ipso tempore quo habita fuit hæc Synodus Brennacensis.

(b) [Clun. *foris domum rumor populi.*]

(c) Ex hoc loco nonnulli colligunt, Gregorium ter missam una die celebrasse, quem tamen alii ita interpretantur, ut Gregorius sese post celebratam missam, sacramento ad tria altaria de sua innocentia præstito, à crimine impacto exuerit. Id autem fecit Gregorius, quòd non deceret Subdiaconum, seu minorem Clericum adversus Episcopum in testem recipi. Laici verò ad accusandos Episcopos nequaquam admittebantur ex Canonum præscripto.

(d) [Clun. *sed ne hoc sileam.*]

(e) Hæc erat Rigunthis Chilperici et Fredegundis filia, de qua Gregorius passim agit. Dicitur *Regina* pro illorum temporum more, quibus filiæ Regum Reginæ appellabantur. Quin et vetus Poëta sub Alcuini nomine notus, Caroli M. venationem describens, ejusdem Regis filias coronas in capite gestasse scribit.

(f) [Clun. *quæ melius habuit.*]

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 580.

ac loris duplicibus, et non ab uno vel duobus, sed quot accedere circa miseros potuissent artus, tot cæsores erant. Cùm autem jam in discrimine esset, tunc aperuit veritatem, et arcana doli publicè patefecit. Dicebat enim ob hoc Reginæ crimen objectum, ut ejecta de regno, interfectis fratribus, à patre (a) Chlodovechus regnum acciperet, Leudastes ducatum; Riculfus verò Presbyter, qui jam à tempore beati Eufronii Episcopi amicus erat Chlodovechi, episcopatum Turonicum ambiret, huic Riculfo Clerico archidiaconatu promisso. Nos verò cum Dei gratia Turonis reversi, invenimus Ecclesiam conturbatam per Riculfum (b) Presbyterum : nam hic sub Eufronio Episcopo de pauperibus provocatus, Archidiaconus ordinatus est. Exinde ad presbyterium admotus, recessit ad propria. Semper elatus, inflatus, præsumptuosus (c) : nam me adhuc commorante cum Rege, hic, quasi jam esset Episcopus, in domum Ecclesiæ ingreditur impudenter, argentum describit Ecclesiæ, reliquasque res sub suam redigit potestatem. Majores Clericos muneribus ditat, largitur vineas, prata distribuit : minores verò fustibus plagisque multis, etiam manu propria adfecit, dicens : *Recognoscite dominum vestrum, qui victoriam de inimicis obtinuit, cujus ingenium Turonicam urbem ab Arvernis populis emundavit* (d) : ignorans miser, quòd præter quinque Episcopos, reliqui omnes qui Sacerdotium Turonicum susceperunt, parentum nostrorum prosapiæ sunt conjuncti. Illud sæpe suis familiaribus dicere erat solitus, quòd hominem prudentem non aliter, nisi in perjuriis, quis decipere possit. Sed cùm me reversum adhuc despiceret, nec ad salutationem meam, sicut reliqui cives fecerant, adveniret; sed magis me interficere minitaretur : cum consilio comprovincialium eum in monasterium removeri præcipio. Cùmque ibidem artiùs distringeretur, intercedentibus Felicis Episcopi missis, qui memoratæ causæ fautor exstiterat, circumvento perjuriis Abbate, fuga elabitur, et usque ad Felicem accedit Episcopum : eumque ille ambienter colligit, quem exsecrari debuerat. Leudastes verò in Bituricum pergens, omnes thesauros quos de spoliis pauperum detraxerat secum tulit. Nec multò pòst inruentibus Bituricis cum judice loci super eum, omne aurum argentumque, vel quod secum detulerat, abstulerunt, nihil ei nisi quod super se habuit relinquentes, ipsamque abstulissent vitam, nisi fuga fuisse elapsus. Resumtis dehinc viribus, cum aliquibus Turonicis iterum inruit super prædones suos : interfectoque uno, aliqua de rebus ipsis recepit, et in Turonicum revertitur. Audiens hæc Berulfus Dux, misit pueros suos cum armorum adparatu ad comprehendendum eum. Ille verò cernens se jam jamque capi, relictis rebus, basilicam sancti Hilarii Pictavensis expetiit. Berulfus verò Dux res captas Regi transmisit. Leudastes enim egrediebatur de basilica, et inruens in domos diversorum, prædas publicas exercebat. Sed et in adulteriis sæpe infra ipsam sanctam porticum (e) deprehensus est. Commota autem Regina, quòd scilicet locus Deo sacratus taliter polluueretur, jussit eum à basilica Sancti ejici. Qui ejectus, ad hospites suos iterùm in Bituricum expetit, deprecans se occuli ab eis (f).

A B C D

* *cap.* 45.

LI. Et licèt de beati Salvii Episcopi conlocutione superiùs * memorare debueram, sed quia mente excessit, esse sacrilegium non arbitror, si in posterum scribatur. Igitur cùm vale post Synodum memoratam Regi jam dicto, ad propria redire vellemus, non antè discedere placuit, nisi hunc virum libatis osculis linqueremus. Quem quæsitum in atrio Brinnacensis domùs reperi. Cui dixi, quia jam eram ad propria rediturus. Tunc remoti paullulùm, dum hinc inde sermocinaremur, ait mihi : *Videsne super hoc tectum quæ ego suspicio?* Cui ego : *Video enim supertegulum, quod nuper Rex poni præcepit.* Et ille : *Aliud*, inquit, *non adspicis?* Cui ego : *Nihil aliud*, inquam, *video.* Suspicabar enim quòd aliquid joculariter loqueretur. Et adjeci : *Si tu aliquid magis cernis, enarra.* At ille alta trahens suspiria ait : *Video ego evaginatum iræ divinæ gladium super domum hanc dependentem.*

E

(a) Sic Regm. Nec aliud volebat Chlodoveus, quàm Fredegundem novercam è regno pellere : sicque jam interfectis fratribus suis Theodeberto et Meroveo, regnum fuisset adeptus. Editi verò cum Becc. habent *interfectis fratribus et patre.* Quasi patrem suum interficere cogitasset, quod parum veri simile est. Si enim Chilpericus fuisset interemtus, Chlodoveus frustrà de Fredegunde pellenda deliberasset, cùm jam ipse fuisset omnium dominus, eamque pro libitu pepulisset. [Clun. *interfectis fratribus Chlodovechus et patre.*]

(b) [Clun. *à Riculfo Presbytero.*]

(c) Regm. *semper idem in superbia, plenus omni nequitia. Nam*

(d) Ed. Chesn. *emendavit.* Gregorius quippe erat Arvernus.

(e) Regm. [et Clun.] *in ipsa basilica ante porticum.*

(f) Qua tandem ratione miserè perierit, vide libro seq. cap. 32.

Verumtamen

A Verumtamen non fefellit dictio Sacerdotum : nam post dies viginti, duo filii Regis, quos superiùs * mortuos scripsimus, obierunt.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II.

* *cap.* 33.

Explicitus est (a) *liber quintus, finitus in anno quinto Childeberti Regis.*

(a) [Clun. *explicit liber.*]

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEXTI.

Incipit liber sextus, inchoatus ab anno sexto ejusdem Childeberti.

I. Quòd Childebertus ad Chilpericum transiit; et de fuga Mummoli.
II. De Legatis Chilperici ab Oriente reversis.
III. De Legatis Childeberti ad Chilpericum.
IV. Qualiter Lupus à regno Childeberti fugatus est.
V. Altercatio cum Judæo.
VI. De sancto Hospitio reclauso, et abstinentia vel miraculis ejus.
VII. De transitu Ferreoli Ucecensis Episcopi.
VIII. De Eparchio reclauso Egolismensis urbis.
IX. De Domnolo Cenomannorum Episcopo.
X. De basilica sancti Martini effracta.
XI. De Theodoro Episcopo, et Dynamio.
XII. De exercitu contra Bituricas commoto.
XIII. De Lupo et Ambrosio Turonicis civibus interfectis.
XIV. De portentis quæ apparuerunt.
XV. De obitu Felicis Episcopi.
XVI. Quòd Pappolenus uxorem suam recepit.
XVII. De Judæis per Chilpericum Regem conversis.
XVIII. De Legatis Chilperici ab Hispania reversis.
XIX. De hominibus Chilperici apud Urbiam fluvium.
XX. De obitu Chrodini Ducis.
XXI. De signis ostensis.
XXII. De Cartherio Episcopo.
XXIII. Quòd Chilperico Regi filius natus est.
XXIV. De insidiis Theodori Episcopi, et de Gundovaldo.
XXV. De signis et prodigiis circa ea tempora visis.
XXVI. De Guntchramno Duce, et Mummolo.
XXVII. Quòd Chilpericus Rex est Parisius ingressus.
XXVIII. De Marco referendario.
XXIX. De puellis monasterii Pictavensis, seu, *De virtutibus quæ in monasterio domnæ Radegundis factæ sunt.*
XXX. De obitu Tiberii Imperatoris.
XXXI. De multis malis, quæ Chilpericus Rex in civitatibus fratris sui fieri jussit, vel ipse fecit.
XXXII. De interitu Leudastis.
XXXIII. De locustis, morbis, prodigiisque.
XXXIV. De obitu filii Chilperici, quem Theodoricum vocavit.
XXXV. De interitu Mummoli præfecti, et mulieribus interfectis.
XXXVI. De Ætherio Episcopo, et de Clerici cujusdam libidine.
XXXVII. De nece Lupentii Abbatis Gaballitani.
XXXVIII. De obitu Theodosii Episcopi, et successore ejus.
XXXIX. De obitu Remigii Biturigum Episcopi; et de incendio urbis, et successione Sulpicii.
XL. De altercatione nostra cum hæretico.
XLI. Quòd Chilpericus Rex cum thesauris suis in Camaracensem abiit.
XLII. Quòd Childebertus in Italiam abiit.
XLIII. De Galliciensibus Regibus.
XLIV. De diversis signis.
XLV. De nuptiis Rigunthæ filiæ Chilperici.
XLVI. De interitu Chilperici Regis.

LIBER SEXTUS.

PROLOGUS.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 581.

I. ANNO igitur sexto regni sui Childebertus Rex, rejecta pace Guntchramni Regis, cum Chilperico conjunctus est. Non post multum tempus Gogo moritur (a), in cujus locum Wandelinus subrogatur. Mummolus à regno Guntchramni fuga dilabitur, et se infra murorum Avennicorum munitionem concludit. Apud Lugdunum synodus Episcoporum conjungitur (b), diversarum causarum altercationes incidens, negligentioresque judicio damnans. Synodus ad Regem revertitur, multa de fuga Mummoli Ducis, nonnulla de discordiis tractans. A

II. Intereà legati Chilperici Regis, qui ante triennium ad Tiberium Imperatorem abierant, regressi sunt non sine gravi damno atque labore. Nam cùm Massiliensem portum propter Regum discordias adire ausi non essent, Agathæ (c) urbem, quæ in Gothorum regno sita est, advenerunt. Sed priusquàm litus adtingerent, navis acta vento, impulsa terris in frusta minuitur. Legati verò cum pueris se in periculo cernentes, arreptis tabulis vix ripæ relati sunt, multis puerorum amissis : sed plurimi evaserunt. Res autem quas unde litori invexerant, incolæ rapuerant : ex quibus quod melius fuit recipientes, ad Chilpericum Regem retulerunt. Multa tamen ex his Agathenses secum retinuerunt. Tunc ego Novigentum villam (d) ad occursum Regis abieram : ibique nobis Rex missorium (e) magnum, quod ex auro gemmisque fabricaverat in quinquaginta librarum pondere, ostendit, dicens : *Ego hæc ad exornandam atque nobilitandam Francorum gentem feci. Sed et plurima adhuc, si vita comes fuerit, faciam.* Aureos etiam singularum librarum pondere, quos Imperator misit, ostendit, habentes ab una parte iconem Imperatoris pictam, et scriptum in circulo, TIBERII. CONSTANTINI. PERPETUI. AUGUSTI : ab alia verò parte habentes quadrigam et ascensorem, continentesque scriptum, GLORIA. ROMANORUM. Multa autem et alia ornamenta, quæ à legatis sunt exhibita, ostendit (f). B C

III. Denique cùm apud eamdem villam commoraretur, Egidius Remensis Episcopus cum primis Childeberti proceribus in legationem ad Chilpericum Regem venit, ibique conlocutione facta, ut ablato Guntchramni Regis regno, hi se conjungere debeant in pace; ait Chilpericus Rex : *Filii mihi, peccatis increscentibus, non remanserunt, nec mihi nunc alius superest heres, nisi fratris mei* (g) *Sigiberti filius, id est Childebertus Rex : ideòque in omnibus quæ laborare potuero, hic heres exsistat : tantùm dum advixero liceat mihi sine scrupulo aut disceptatione cuncta tenere.* At illi gratias agentes, pactionibus subscriptis, ea quæ locuti fuerant firmaverunt, et ad Childebertum cum magnis muneribus sunt regressi. Quibus discedentibus, Chilpericus Rex Leudovaldum (h) Episcopum cum primis regni sui direxit. Qui dato susceptoque sacramento (i), pactionibusque firmatis, munerati regressi sunt. D

IV. Lupus verò Dux Campanensis (k), cùm jam diu ab adversis fatigaretur

(a) Is est qui lib. 5. cap. 47. dicitur Nutritius Regis. Et quidem lib. 8. cap. 22. *Vandelinus Nutritor Regis* obiisse memoratur. Vide et epistolam Chamingi Ducis ad eumdem Gogonem à Frehero editam. Litterarum studiis fuisse deditum patet ex ipsiusmet epistola ad Trasericum, qui et alias scripsit ab eodem Frehero et Chesnio editas. Brunechildem in Gallias adduxit, ut ex Fortunato patet, qui de ejusdem laudibus quatuor priora libri 7. carmina edidit.

(b) Ea est Lugdunensis III. ut videtur, licèt anno Guntramni 22. congregata dicatur in inscriptione, id est anno 583. Childeberti octavo. In ea conditi sunt Canones sex, qui in collectionibus Concil. habentur. Mummoli fugam hoc ipso anno 581. memorat Marius.

(c) Sic Corb. et Colb. Alii verò *Agathen.* urbs est episcopalis notissima, vulgò *Agde,* sub Narbone metropoli, in Septimania.

(d) Complures sunt hujus nominis villæ regiæ, quæ vulgò *Nogent* appellantur. Ex cap. 5. patet hîc Gregorium loqui de una quæ in agro Parisiensi erat; proindeque, aut de illa quæ ad Sequanam sita est infra Parisios, hodie *S. Cloud*, aut de ea quæ supra eamdem urbem prope Confluentes Matronæ in Sequanam, Vicennis vicina, hodieque *Nogent* dicta.

(e) Missorium vocabant pelvim seu discum; aliqui eo nomine concham designatam volunt, nonnulli abacum cum omni supellectile.

(f) Vide Paul. Diac. lib. 3. Hist. Lang. cap. 13.

(g) Dub. *Sigoberthi.*

(h) Corb. *Leodoaldum*, Bajocensem, ut videtur, de quo infrà lib. 9. cap. 13. aut Abrincensem, qui tunc quoque vivebat.

(i) Alii codd. excepto Corb. habent *susceptoque de pace sacramento.* [Clun. *data susceptaque de pace sacramenta.*]

(k) Regm. [et Clun.] *Campaniensis.* Bad. *Campaniæ :* quæ voces eamdem provinciam designant notissimam. Et infrà pro *adversis*, quæ lectio est Corb. et Colb. alii habent, *diversis :* [ita Clun.]

A et spoliaretur assiduè, et præsertim ab Ursione et Bertefredo (a), ad extremum conventione facta ut occideretur, commoverunt exercitum contra eum. Quod cernens Brunichildis regina, condolens fidelis sui insecutiones injustas, præcingens se viriliter, inrupit medios hostium cuneos, dicens : *Nolite, ô viri, nolite malum hoc facere, nolite persequi innocentem : nolite pro uno homine committere prœliùm, quo solatium regionis intereat.* Hæc illa loquente, respondit Ursio : *Recede à nobis, ô mulier. Sufficiat tibi sub viro tenuisse regnum. Nunc autem filius tuus regnat, regnumque ejus non tua, sed nostra tuitione salvatur. Tu verò recede à nobis, ne te ungulæ equorum nostrorm cum terra confodiant.* Hæc et alia cùm diutissimè inter se protulissent, obtinuit Reginæ industria ne pugnarent. Tamen ab illo loco discedentes, inruerunt in domos Lupi : et direpto omni præsidio (b), fingentes se illud in thesauro Regis recondere, suis eum domibus intulerunt, intenB dentes Lupo minas, atque dicentes : *Vivus virtutem nostram non evadet.* At ille cernens se in discrimine, tutata infra urbis Lugduni-Clavati (c) muros conjuge sua, ad Guntchramnum regem confugit. A quo benignè susceptus cum eo latuit, exspectans ut Childebertus ad legitimam perveniret ætatem.

GUNTRAM, CHILPER, CHILDEB. II. An. Chr. 584.

V. Igitur Chilpericus rex, cùm adhuc apud supradictam villam moraretur, impedimenta moveri præcipiens, Parisius venire disponit. Ad quem cùm jam valedicturus accederem, Judæus quidam, Priscus nomine, qui ei ad species coëmendas familiaris erat, advenit. Cujus cæsarie Rex blandè adprehensa manu, ait ad me, dicens : « Veni, Sacerdos Dei, et impone manum super eum. Illo au» tem renitente, ait Rex : O mens dura et generatio semper incredula, quæ non » intelligit Dei Filium (d) sibi Prophetarum vocibus repromissum ; non intelligit C » ecclesiastica mysteria in suis sacrificiis figurata. Hæc eo dicente, Judæus ait : Deus » non eget conjugio, neque prole ditatur, neque ullum consortem regni habere pa» titur, qui per Moysen ait : *Videte, videte quia ego sum Dominus, et absque me non* *Deut.* 32. » *est Deus* (e). *Ego occidam, et ego vivere faciam ; percutiam, et ego sanabo.* Ad hæc 39. » Rex ait : Deus ab spiritali utero Filium genuit sempiternum, non ætate juniorem, » non potestate minorem, de quo ipse ait : *Ex utero ante luciferum genui te.* Hunc *Psal.* 109. 3. » ergo ante sæcula natum, in novissimis sæculis mundo misit sanatorem, sicut ait » Propheta tuus : *Misit Verbum suum, et sanavit eos.* Quod autem ais, quia ipse non *Psal.* 106. » generet, audi Prophetam tuum dicentem ex voce Dominica : *Numquid ego, qui* 20. » *alios parere facio, ipse non pariam?* hæc enim de populo, qui in eum per fidem *Isai.* 66. 9. » renascitur, ait. Ad hæc Judæus respondit : Numquid Deus homo fieri potuit, aut D » de muliere nasci, verberibus subdi, morte damnari? Ad hæc Rege tacente, in » medium me ingerens dixi : Ut Deus Dei Filius homo fieret, non suæ, sed nostræ » necessitatis exstitit causa. Nam captivum peccato hominem, et diaboli servituti » subjectum redimere non potuerat, nisi hominem adsumsisset. Ego verò non de » Evangeliis et Apostolo, quæ non credis, sed de tuis libris testimonia præbens, » proprio te mucrone confodiam, sicut quondam David Goliam legitur trucidasse. » Igitur quòd Deus homo futurus esset, audi Prophetam tuum : *Et Deus*, inquit, *et* *Baruch.* 3. » *homo, et quis cognovit eum?* et alibi : *Hic est Deus noster, et non reputabitur alius* 36. 37. 38. » *prætèr eum ; qui invenit omnem viam scientiæ, et dedit illam Jacob puero suo, et Israël* » *dilecto suo. Post hæc in terris visus est et cum hominibus conversatus est.* Quòd autem » de Virgine nascitur, audi similiter Prophetam tuum dicentem : *Ecce Virgo in utero* *Isai.* 7. 14. E » *concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum,* *Matth.* 1. » *Nobiscum Deus* (f). Quòd verberibus subdi, quòd clavis adfigi deberet, et aliis 23. » quoque injuriis subjacere, vel adfici, alius Propheta ait : *Foderunt manus meas et* *Psal.* 21. 17. » *pedes meos : diviserunt sibi vestimenta mea, etc.* et iterùm, *Dederunt in escam meam* *Psal.* 68. 22. » *fel, et in siti mea* (g) *potaverunt me aceto.* Et quòd per ipsum crucis patibulum laben» tem mundum, et diaboli ditioni subjectum restitueret in regno suo, idem David » ait, *Dominus regnavit à ligno* (h). Non quòd anteà non regnaverit apud Patrem, *Psal.* 95. 10.

(a) Corb. *Berathfrido.*

(b) Præsidium est pecunia, quæ auxilii causa seponitur ; vel locus secretior, ubi ejusmodi pecunia servatur, ex *L. si chorus* § 1. *de legat.* 3. Præsidium non semel Plautus usurpat pro pecunia.

(c) Hodie Laudunum appellatur, vulgò *Laon*, quæ urbs in supercilio montis editissimi posita, diu inexpugnabilis fuit, illustrata est episcopali sede à sancto Remigio. [Dub. *tutatam urbis Lugdonæ-Clavatæ muris conjugem suam.*]

(d) In Corb. desunt hæc verba *Dei filium.* et infrà deest vox *conjugio.* Bec. pro *Ecclesiastica mysteria*, habet *divina mysteria.*

(e) Casin. *non est alius.*

(f) Corb. *quod interpretatum, Nobiscum est Deus.* Regm. *accipiet*, pro *concipiet.*

(g) In eodem cod. deest *et in siti mea.*

(h) Has voculas *à ligno* à Rabinis abrasas nonnulli conquesti sunt, et quidem non habentur in Vulgata. Eas tamen LXX. Interpretum auctoritas, et plerique antiqui Patres retinent. Certè in Gallicanis ecclesiis antiquitùs receptas fuisse probatur non solùm ex hoc

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 581.

» sed super populum quem à diaboli servitute liberaverat, rude regnum (a) accepit. A
» Judæus ad hæc respondit : Quæ Deo fuit necessitas, ut ista`pateretur? Cui ego :
» Jam dixi tibi, Deus hominem creavit innoxium, sed astu serpentis circumventus,
» prævaricator præcepti factus est : et ideò à sede Paradisi ejectus, mundanis labo-
» ribus deputatus est, qui per mortem Unigeniti Dei Christi Deo reconciliatus est
» Patri. Judæus dixit : Non poterat Deus mittere Prophetas aut Apostolos, qui
» eum ad viam revocarent salutis, nisi ipse humiliatus fuisset in carne? Ad hæc
» ego : A principio genus semper deliquit humanum, quem numquam terruit
» nec submersio diluvii, nec incendium Sodomæ, nec plagæ Ægypti, nec miracu-
» lum maris, Jordanisque divisio : qui semper Legi Dei restitit, Prophetis non cre-
» didit ; et non solùm non credidit, verùm etiam ipsos prædicatores pœnitentiæ in-
» teremit. Ideò nisi ipse ad eum descendisset redimere, hæc explere non poterat alter. B
» Cujus nos nativitate renati, baptismo abluti, vulnere curati, resurrectione erecti,
» ascensione glorificati sumus. Quòd autem morbis nostris mederi venturus erat,
Isai. 53. 5. » Propheta tuus ait : *Livore ejus sanati sumus* : et alibi, *Ipse peccata nostra portabit, et*
Ibid. 12. » *orabit pro transgressoribus* : et iterùm, *Sicut ovis ad occisionem ductus est : et quasi agnus*
Ibid. 7. *et* 8. » *coram tondente se* (b) *sine voce, sic non aperuit eos suum. In humiliatione judicium ejus sub-*
Isai. 54. 5. » *latum est. Generationem ejus quis enarrabit? Dominus exercituum nomen ejus.* De hoc et Jacob
» ille, de cujus te jactas venisse generatione, in illa filii sui Judæ benedictione, quasi
Gen. 49. 8. » ad ipsum Christum Filium Dei loquens, ait : *Adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis*
et 9. » *Juda. De germine, fili mi, ascendisti, recubans dormisti quasi leo, quasi catulus leonis. Quis*
Ibid. 12. » *suscitabit eum? Pulcriores oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Quis*, inquit,
Joan. 10. » *suscitabit eum?* Et licèt ipse dixerit : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem* C
18. » *habeo iterùm sumendi eam ;* tamen Paulus apostolus ait : *Qui non crediderit quòd Deus*
Rom. 10. 9. » *illum suscitavit à mortuis, salvus esse non poterit.* » Hæc et alia nobis dicentibus, num-
quam compunctus est miser ad credendum. Tunc Rex silente illo, cùm videret eum
his sermonibus non compungi, ad me conversus, postulat ut accepta benedictione (c)
discederet. Ait enim : *Dicam*, inquit, *tibi, ô Sacerdos, quod Jacob dixit ad Angelum qui*
Gen. 32. 26. *ei loquebatur : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Et hæc dicens, aquam manibus
porrigi jubet, quibus ablutis, facta oratione (d), accepto pane gratias Deo agentes,
et ipsi accepimus, et Regi porreximus, haustoque mero, vale dicentes discessi-
* *i.* equo. mus. Rex (e) verò ascenso equite * Parisius est regressus, cum conjuge et filia, et omni
familia sua.

VI. Fuit autem apud urbem Nicensem eo tempore Hospitius reclausus magnæ D
abstinentiæ, qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, induto (f) desuper cilicio, nihil aliud quàm purum panem cum paucis dactylis comedebat. In diebus autem Quadragesimæ de radicibus herbarum Egyptiarum (g), quibus Eremitæ utuntur, exhibentibus sibi negotiatoribus alebatur. Et primùm quidem jus in quo coxerant hauriens, ipsas sumebat in posterum. Magnas enim per eum Dominus virtutes dignatus est operari. Nam quodam * tempore, revelante sibi Spiritu sancto adventum
* circa an. 576. Langobardorum in Gallias, hoc modo prædixit : *Venient*, inquit, *Langobardi in Gallias, et devastabunt civitates septem, eò quòd increverit malitia eorum in conspectu Domini, quia nullus est intelligens, nullus est requirens Deum, nullus est qui faciat bonum, quo ira Dei placetur. Est enim omnis populus infidelis, perjuriis deditus, furtis obnoxius, in homicidiis promptus, à quibus nullus justitiæ fructus ullatenus crescit* (h) *: non*

Gregorii textu, et ex hymno Fortunati de sancta Cruce, sed etiam ex Psalterio in purpureis membranis, litteris argenteis aureisque exarato, quod olim usui fuit beato Germano Parisiensi episcopo, ac in nostro monasterio S. Germani à Pratis inter pretiosa antiquitatis cemelia asservatur, in quo hæc eadem verba leguntur.

(a) Regm. *liberaverat rudem, ligno.*

(b) [Clun. *coram tondente se obmutescit, sic..... in humilitate.*]

(c) Reges ab Episcopis benedicebantur, ut passim Gregorius memorat. Hinc S. Hilarius contra Constantium scribens, ei exprobrat, *Osculo sacerdotes excipis, caput benedictioni submittis, ut fidem calces.*

(d) Hieronymus ad Eustochium, *Nec cibi sumantur nisi oratione præmissa; nec recedatur à mensa, nisi referatur Creatori gratia.* Singula fercula signabantur, ex lib. 1. de Glor. Mart. cap. 80. Et quædam Dei famula apud Gregorium M. lib. 1. Dialog. cap. 4. ut lactucam *oblita signo crucis benedicere* momordit, à dæmone correpta est.

(e) [*Rex verò,* usque ad finem capitis, desunt in cod. Clun.

(f) [Clun. *indutus desuper cilicio.*]

(g) Ex hoc loco negotiatores Ægyptios Gallias frequentasse colligitur, qui non solùm herbas, sed et chartam illam papyraceam adeo celebrem adferebant. Unde Gregorius suprà lib. 5. cap. 5. Felici Namnetensi, qui eum conviciis impetierat, rescribens, eum felicem futurum fuisse dicit, si ipsum Massilia habuisset episcopum, quòd eo pacto satis chartæ habuisset pro describendis conviciis ; cùm scilicet eò frequenter advenirent Ægyptii mercatores, qui ejusmodi chartas in Gallias advehebant. Vide Mabillon. lib. 1. de re Diplomat. cap. 8. et Alteserram in c. 5. lib. 5. hujus Historiæ.

(h) Sic Corb. alii verò [cum Clun.] *gliscit..... pauper alitur* et cetera in singulari numero ; et sic habentur apud Paulum Diaconum, l. 3. Hist. Langob. c. 1. ubi Hospitii laudes ex Gregorio describit. De decimis

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 581.

A *decimæ dantur, non pauperes aluntur, non teguntur nudi, non peregrini hospitio recipiuntur, aut cibo sufficienter satiantur : ideò hæc plaga supervenit. Nunc autem dico vobis : Congerite omnem substantiam vestram infra murorum septa, ne à Langobardis diripiatur ; et vos ipsos in locis firmissimis communite.* Hæc eo loquente, omnes obstupefacti, et valedicentes, cum magna admiratione ad propria sunt regressi. Monachis quoque dixit : *Abscedite et vos à loco, auferentes vobiscum quæ habetis : ecce enim appropinquat gens quam prædixi.* Dicentibus autem illis : *Non relinquimus te, sanctissime pater,* ait : *Nolite timere pro me : futurum est enim ut inferant mihi injurias, sed non nocebunt usque ad mortem.* Discedentibus autem monachis, venit gens illa ; et dum cuncta quæ reperit vastat, pervenit ad locum, ubi sanctus Dei reclausus erat. At ille per fenestram turris ostendit se eis. Illi verò circumeuntes turrem, aditum per quem ingre-
B derentur ad eum, invenire non poterant. Tunc duo ascendentes detexerunt tectum, et videntes eum cinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt : *Hic malefactor est, et homicidium fecit : ideò in his ligaminibus vinctus tenetur :* vocatoque interprete, sciscitantur ab eo quid mali fecerit, ut tali supplicio artaretur. At ille fatetur se homicidam esse, omnisque criminis reum. Tunc unus extracto gladio, ut in caput ejus libraret, dextera in ipso ictu suspensa diriguit, nec eam ad se potuit revocare. Tunc gladium laxans, terræ dejecit. Hæc videntes socii ejus, clamorem in cœlum dederunt, flagitantes à Sancto, ut quid agi oporteret, clementer insinuaret. Ipse verò imposito salutis signo, brachium sanitati restituit. Ille autem in eodem loco conversus, tonsurato capite fidelissimus monachus nunc habetur. Duo verò Duces (a) qui eum audierunt, incolumes patriæ redditi sunt : qui verò contemserunt præceptum
C ejus, miserabiliter in ipsa Provincia sunt defuncti. Multi autem ex ipsis à dæmoniis correpti, clamabant : *Cur nos, sancte et beatissime, sic crucias, et incendis?* sed imposita eis manu, mundabat eos. Post hæc homo erat Andegavensis incola, qui per nimiam febrem eloquium pariter auditumque perdiderat ; et cùm de febre convaluisset, surdus permanebat ac mutus. Igitur (b) Diaconus ex provincia illa Romam directus est, ut beatorum Apostolorum pignera, vel reliquorum Sanctorum qui urbem illam muniunt, exhiberet. Qui cùm ad parentes infirmi illius pervenisset, rogant ut eum sibi comitem itineris sumere dignaretur, confisi quòd si beatissimorum Apostolorum adiret sepulcra, protinùs posset adsequi medicinam. Euntibus autem illis, venerunt ad locum, ubi beatus Hospitius habitabat. Quo salutato ac deosculato, causas itineris Diaconus pandit, ac proficisci se Romam indicat, seseque his
D qui sancto viro de naucleris amici essent, commendari deposcit. Cùmque ibi adhuc moraretur, sensit vir beatus per Spiritum Domini adesse virtutem ; et ait Diacono : *Infirmum qui comes tui nunc est itineris, rogo ut meis conspectibus repræsentes.* At ille nihil moratus, velociter ad metatum vadit, invenitque infirmum febre plenum, qui per nutum aures suas dare tinnitum indicabat : adprehensumque ducit ad Sanctum Dei. At ille adprehensa manu cæsarie, adtraxit caput illius in fenestram, adsumtoque oleo benedictione sanctificato, tenens manu sinistra linguam ejus, ori verticique capitis infudit, dicens : *In nomine Domini mei Jesu Christi aperiantur aures tuæ, reseretque os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine surdo et muto noxium ejecit dæmonium.* Et hæc dicens, interrogat nomen. Ille vero clara voce ait : *Sic dicor* (c). Cùm hæc vidisset Diaconus, ait : *Gratias tibi immensas refero, Jesu Christe, qui talia per servum*
E *tuum dignaris* (d) *ostendere. Quærebam Petrum, quærebam Paulum, Laurentiumque, vel reliquos, qui Romam proprio cruore inlustrant : hîc omnes reperi, hîc cunctos inveni.* Hæc eo cum maximo fletu et admiratione dicente, vir Dei omni intentione vanam vitans gloriam, ait : *Sile, sile, dilectissime frater, non hæc ego facio, sed ille qui mundum ex nihilo condidit, qui pro nobis hominem suscipiens, cæcis visum, surdis auditum, mutis præstat eloquium, qui leprosis cutem pristinam* (e), *mortuis vitam, et omnibus infirmis adfluentem medicinam indulget.* Tunc Diaconus gaudens et valedicens, abscessit cum comitibus suis. Quibus discedentibus, homo quidam, Dominicus, sic enim erat viro nomen, à nativitate cæcus advenit ad istius miraculi virtutem probandam. Qui dum in monasterio duobus aut tribus mensibus resideret, orationi ac jejuniis vacans, tandem vocat eum ad se vir Dei, et ait : *Vis recipere visum?* Cui ille ait :

solvendis, Conc. Matisc. II. an. 585. can. 5. Fideles ad decimarum solutionem hortantur patres Conc. Turon. II. an. 567. ad cladem avertendam, quæ imminebat.

(a) In Regm. *Duo verò qui eum adierunt.* Paulus tamen libro laudato cap. 2. habet *duo duces.*

(b) [Clun. *Igitur Magnebodus Diaconus... . directus est à S. Licinio Episcopo, ut beatorum.*]

(c) Colb. et Chesn. *Pir dicor.*

(d) [Clun. *dignatus es operare.*]

(e) [Clun. *cutem pristinam restituit, mortuis vitam.*]

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 581.

Voluntas, inquit, *mea erat ignota cognoscere* (a). *Nam quæ sit lux ignoro. Unum tantùm* A *scio, quòd ab omnibus conlaudatur* (b) : *ego autem ab initio ætatis meæ usque nunc videre non* (c) *merui*. Tunc cum oleo benedicto super oculos ejus crucem sanctam faciens, ait : *In nomine Jesu Christi redemtoris nostri aperiantur oculi tui*. Et statim aperti sunt oculi ejus : et erat admirans, cernensque magnalia Dei, quæ in hoc mundo videbat. Dehinc mulier quædam, quæ, ut ipsa declamabat, tria habens dæmonia, ab eum adducta est : quam cùm tactu sacro benedixisset, atque ex oleo sancto crucem fronti ejus imposuisset, ejectis dæmonibus purgata discessit. Sed et aliam puellam, ab spiritu immundo vexatam, benedictione sanavit. Cùm autem jam dies obitûs ejus adpropinquaret, vocavit ad se Præpositum monasterii, dicens : *Exhibe ferramentum* (d), *et inrumpe parietem, et mitte nuntios ad Episcopum civitatis, ut veniat ad me sepeliendum. Die enim tertia ab hoc egredior mundo, et vado in requiem destinatam, quam mihi* B *Dominus repromisit*. Hæc eo dicente, misit Præpositus monasterii ad Episcopum civitatis Nicensis, qui ei hæc nuntiarent. Post hæc Crescens quidam venit ad fenestram, et videns eum catenis vinctum, vermibus plenum, ait : *O domine mi, qualiter tam valida tormenta tolerare tam fortiter potes?* Cui ille ait : *Confortat me ille pro cujus nomine hæc patior. Dico autem tibi, quia jam absolvor ab his vinculis, et vado in requiem meam*. Adveniente autem die tertia, deposuit catenas quibus vinctus erat, prostravitque se in orationem : et cùm diutissimè cum lacrymis orasset, conlocans se super scamnum, extensis pedibus (e), elevatisque ad cœlum manibus gratias agens Deo, tradidit spiritum. Et statim omnes vermes illi, qui sanctos artus perforabant, evanuerunt. Adveniens autem Austadius (f) Episcopus beatum corpus studiosissimè sepulturæ mandavit (g). Hæc omnia ab ipsius ore cognovi, quem superiùs mutum et C surdum ab eo sanatum exposui, qui multa mihi et alia de ejus virtutibus narravit : sed prohibuit me res illa loqui, quia audivi Vitam ipsius à multis fuisse conscriptam.

VII. Eo (h) tempore Ferreolus Ucecensis Episcopus, magnæ vir sanctitatis, obiit, plenus sapientia et intellectu. Qui libros aliquos epistolarum, quasi Sidonium secutus, composuit. Post cujus obitum Albinus ex præfecto per Dynamium (i) rectorem Provinciæ extra Regis consilium suscepit episcopatum : quo non ampliùs quàm tribus utens mensibus, cùm ad hoc causa restitisset ut removeretur, defunctus est. Jovinus iterùm qui quondam Provinciæ rector fuerat, regium de episcopatu præceptum accipit. Sed prævenit eum Marcellus diaconus, Felicis senatoris filius. Qui convocatis comprovincialibus, per consilium Dynamii episcopus ordinatus est. Sed et ipse vi pulsatus deinceps à Jovino, ut removeretur, conclusus in civitate, virtute se defen- D sare nitebatur ; sed cùm non valeret, muneribus vicit.

VIII. Obiit (k) et Eparchius reclausus Egolismensis, vir magnificæ sanctitatis, per quem Deus multa miracula ostendit : de quibus, relictis plurimis, pauca perstringam. Petrogoricæ urbis incola fuit, sed post conversionem clericus factus, Egolismam veniens, cellulam sibi ædificavit. In qua collectis paucis monachis, in oratione morabatur assiduè : et si ei aliquid auri argentique offerebatur, aut in necessitatibus pauperum, aut in redemtione captivorum distribuebat. Panis in cellula (l) illa eo vivente coctus numquam fuit, sed à devotis, cùm necessitas exegisset, inferebatur. Magnam enim catervam populorum de oblationibus devotorum redemit :

(a) Regm. *ignota conspicere*.
(b) Corb. *ab hominibus laudatur*.
(c) [Clun. *videre non potui*.]
(d) [Clun. *ferramenta..... et vadam*.
(e) Regm. *pedibus ac manibus, elevatisque ad cœlum oculis*.

(f) Mirum est Austadium in episcoporum Nicensium catalogo omitti. Locus ubi vixit Hospitius prope Villam-liberam visitur. Peninsula est, ut scribit Petrus Joffredi, tribus circiter passuum millibus à Nicea urbe dissita, prope Herculei seu Villæ-liberæ portûs fauces versus Orientem, ex corrupto S. Hospitii nomine dicitur vulgò, *San-Sospir*, ubi exstabant adhuc ejus auctoris tempore monasterii rudera : turris verò et templi ipsius nomine dicati reliquiæ destructæ sunt ab annis circ. 60. cùm arx ibidem, jubente Victore Amedeo Sabaudiæ Duce, constructa fuit. Ecclesia S. Johannis ibidem structa, monachis deficientibus, Ebrardo Abbati et monachis S. Pontii subjecta fuit ab Archinbaldo episc. Niciensi sæculo XI. labente.

(g) Corpus ejus in ipsa ecclesia Cathedrali Niciensi etiam nunc asservari dicitur, ubi colitur die 15. Octob. memoratur autem in Martyrologio Romano die 21. Maii. De hoc iterùm Gregorius lib. de Gloria Confess. cap. 97.

(h) Hoc caput deest in Corb. et Colb. [deest et in Dub. sicut et quatuor sequentia.] Ferreolum uti martyrem plerique colunt. Ejus Vitam ex mss. Tolosano edidit Marc. Anton. Dominici, ubi festum ipsius II. Nonas Januarii celebrari dicitur. Monasterium condidit, Regulamque scripsit, non semel editam, quæ habetur in Codice Regularum et in Concordia Benedicti Anianæ abbatis.

(i) De Dynamio non semel infrà Gregorius. Is ipse est qui scripsit Vitam S. Marii abbatis Bodanensis in diœcesi Sistaricensi, Vitam sancti Maximi Reïorum episcopi, etc. litteras verò à Gregorio magno cum aliquot munusculis recepit. Ejusdem laudes cecinit Fortunatus lib. 6. carm. 11. et 12. ubi etiam de Albino, Jovino, et Theodoro, de quibus hîc Gregorius et infrà cap. 11.

(k) Deest hoc caput in Corb. et Colb. Hoccaput laudatur in libro de miraculis S. Eparchii. [Clun. *Ecolesinensis*; paulò post *Ecolesinam*.

(l) [Clun. *in loco illo*.]

A pusularum (a) malarum venenum crucis signo sæpe compressit, dæmonas de obsessis corporibus oratione abegit; et judicibus plerumque, ut culpabilibus ignoscerent, dulcedine profusa imperavit potiùs quàm rogavit. Nam ita erat dulcis adloquio, ut ei negare non possent, cùm fuisset indulgentiam deprecatus. Quodam verò tempore, dum pro furto quis ad pendendum deduceretur, qui et in aliis multis sceleribus, tam in furtis, quàm in homicidiis accusabatur ab incolis criminosiùs, et hæc ei nuntiata fuissent, misit monachum suum ad deprecandum judicem (b), ut scilicet culpabilis ille vitæ concederetur. Sed insultante vulgo atque vociferante, quòd si hic dimitteretur, neque regioni, neque judici possit esse consultum, dimitti non potuit. Intereà (c) extenditur ad trocleas, virgis ac fustibus cæditur, et patibulo condemnatur. Cùm-
B que mœstus monachus Abbati renuntiasset : *Vade*, inquit, *adtende à longè, quia scito quòd quem homo reddere noluit, Dominus suo munere donabit. Tu verò cùm eum cadere videris, protinùs adprehensum adducito in monasterium.* Monacho verò jussa complente, ille prosternitur in oratione; et tamdiu in lacrymis ad Dominum fudit preces, quoadusque disrupto obice cum catenis terræ restitueretur adpensus. Tunc Monachus adprehensum eum, Abbatis conspectibus incolumem repræsentat. At ille gratias Deo agens, Comitem arcessiri jubet, dicens : *Semper me benigno animo solitus eras audire, fili dilectissime : et cur hodie induratus hominem, pro cujus vita rogaveram, non laxasti?* At ille : *Libenter te,* inquit, *audio, sancte Sacerdos : sed insurgente vulgo aliud facere non potui, timens super me seditionem moveri.* Et ille : *Tu,* inquit, *me non audisti, Deus autem audire dignatus est : et quem tu tradidisti morti, ille vitæ restituit. En,* inquit, *coram te adstat sanus.* Hæc eo dicente,
C prosternitur ad pedes ejus Comes stupens (d) quòd videbat vivere quem in mortis interitu reliquisset. Hæc ego ab ipsius Comitis ore cognovi : sed et alia multa fecit, quæ insequi longum putavi. Post quadraginta quatuor verò annos reclusionis suæ parumper febre pulsatus, tradidit spiritum, protractusque à cellula, sepulturæ mandatus est. Magnus autem conventus, ut diximus, de redemtis in ejus processit exsequiis (e).

IX. Domnolus (f) verò Cenomannorum Episcopus ægrotare cœpit : tempore enim Chlothacharii regis apud Parisius ab basilicam sancti Laurentii (g) gregi monasteriali præfuerat : sed quoniam, Childeberto seniore vivente, semper Chlothachario

(a) Regm. *pustularum.*

(b) Eum infrà Comitem appellat. Et re vera Comites ad dicendum jus in civitatibus erant instituti. [* In Vita sancti Eparchii ab auctore æquali scripta Comes ille *Chramnulfus* appellatur.]

(c) Sic Casin. et Bec. alii *In terra extenditur, ad.*

(d) Sic cod. Regm. alii *ad pedes comitis stupentis.*

(e) Obiit anno 581. die 1. Julii, quo ejus festivitas recolitur. Ejus Vitam habes inter Acta SS Ord. S. Benedicti Sæc. 1. p. 267. item apud Gononum, et simul cum libro de ejus virtutibus in tomo 1. Bibliothecæ novæ Labbei; ex qua patet Eparchium triginta solummodò et novem annos reclusum vixisse. Sed fortasse Gregorius totum tempus designare voluit, ex quo Eparchius monasticam vestem susceperat à Martino Sedaciani monasterii abbate. De eo iterùm Gregorius, lib. de Glor. Confess. c. 101. vulgò dicitur *S. Cybar*, sub cujus nomine exstat monasterium Ordinis nostri prope urbem Inculismam. Sed ejus reliquiæ à Calvinistis combustæ sunt anno 1558.

(f) Hoc caput deest in Colb. et Corb. At Regm. habet hîc *Mummolus*, sed infrà, ut ceteri. *Domnolus* subscripsit Conc. Turon. II. an. 567.

(g) Hæc basilica etiam nunc perstat, parochiali titulo insignita, ubi paucis ab hinc annis reperta sunt antiqua sarcophaga gypsea, quæ nongentos circiter annos præferebant, quibus apertis nigræ vestes, et monachorum effigies visæ sunt, sed quæ ut primùm puriori aëre afflatæ fuerunt, in pulverem sunt redactæ, quod sæpè nobis testatus est V. Cl. Nicolaus Gobillon Doctor Sorbonicus, ejusdem ecclesiæ pastor, et Illustriss. Archiepiscopi Paris. Vicarius-Generalis. Basilica sancti Martini, hîc quoque memorata, haud procul à Laurentiana dissita est, hodie sub sancti Martini à Campis nomine celebris, de qua lib. 1. de Mirac. S. Martini cap. 19. Porro Cointius ad annum DXLV. infitiatur Domnolum umquam abbatem S. Laurentii fuisse, totumque hoc Gregorianæ historiæ caput rejicit, tamquam ab imperito interpolatore additum; idque ob duas potissimùm rationes. 1. quòd à codd. Corb. et Colb. absit. 2. quòd multa in eo habeantur Vitæ sancti Domnoli, ab auctore gravi et æquali scriptæ, omnino contraria. Verùm quòd caput istud in aliquot scriptis desideretur, non imus infitias : sed cùm in aliis, et quidem vetustis et optimæ notæ codd. scilicet Beccensi, Casin. etc. habeatur, nihilque in eo occurrat quod à Gregorii genio aut stylo abhorreat; ipsum Gregorio abjudicari non debere ob hanc rationem contendimus. Quod verò ad Vitæ S. Domnoli scriptorem attinet, animus non est hic de ejus auctoritate disceptare, an tanta censeri debeat, quæ Gregorii textum, qualis nunc exstat, possit elevare. Id unum dicimus, diversa ab his auctoribus de Domnolo enarrari, sed non contraria. Et quidem quæ de Domnolo jam Episcopo, aut de ejus morte narrat noster Gregorius, à vero non abhorrent, nec sunt Vitæ auctori opposita, ut ipse Cointius fatetur. Equidem duos solummodò supra viginti annos episcopatûs Domnolo tribuit Gregorius, quod Cointii calculo non quadrat; at id Vitæ auctori, quod unum inquirimus, non adversatur, qui nec tempus initæ sedis, nec Domnoli obitûs annum designavit. Non etiam refragantur vetera instrumenta; immò Papebrochius qui ad diem 16. Maii Bollandiani eamdem Vitam refert, et Gregorium interpolatum fuisse suspicatur ob mss. cod. attamen Domnolum post 22. annos episcopatûs successorem impetrare potuisse fatetur, eo quòd nulla mentio Domnoli episcopi Cenomannensis in actis publicis occurrat ante Concil. Turon. II. anno 567. et certum sit Cenomannensem ecclesiam post Innocentii obitum vacasse diu, immò et aliquot annis ab Scienfredo pseudoepiscopo fuisse occupatam. Jam verò noster Gregorius scripsit Domnolum, antequàm esset Episcopus, abbatem S. Laurentii Parisiis fuisse, Chlotario regi acceptissimum, ab eoque Avenionensi sedi destinatum, quam ille respuens, posteà Cenomannensis episcopus factus sit. De his nihil omnino Vitæ auctor, sed contraria apud eum non invenias : immò verò ipse testatur se Vitam beati viti scripturum ab eo solummodò tempore, quo sedi Cenomannensi præfuisse cœpit : *Ab illo*, inquit, *tem-*

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 581.

regi fidelis exstitit, et nuntios illius ad speculandum missos crebriùs occulebat, præ- A
stolabatur Rex locum, in quo pontificatûs honorem acciperet. Migrante autem Aven-
niensis (a) civitatis Pontifice, istum illuc dare deliberaverat. Sed beatus Domnolus hæc
audiens, ad basilicam sancti Martini Antistitis, quò tunc Chlothacharius Rex ad ora-
tionem venerat, accessit, et nocte tota in vigiliis excubans, per priores qui aderant,
Regi suggestionem intulit, ut non quasi captivus ab ejus elongaretur adspectu : nec
permitteret simplicitatem illius inter Senatores sophisticos, ac Judices philosophicos
(b) fatigari, adserens hunc locum humilitatis sibi esse potiùs quàm honoris. Ad hæc
Rex annuens, migrante Innocentio Cenomannorum Episcopo, ipsum Ecclesiæ illi
Antistitem destinavit. Jam adsumto episcopatu, talem se tantumque præbuit, ut in
summæ sanctitatis culmen evectus, debili usum gressuum, cæco (c) restitueret visum.
Qui post viginti duos episcopatûs annos, dum se cerneret morbo regio calculoque B
gravissimè fatigari; Theodulfum Abbatem in locum suum præelegit : cujus
adsensui Rex præbuit voluntatem : sed non multum post tempus mutata sen-
tentia, in Badechisilum (d) domûs regiæ Majorem transfertur electio. Qui tonsu-
ratus gradus, quos Clerici sortiuntur, ascendens, post quadraginta dies, migrante
Sacerdote, successit.

X. His (e) diebus basilica sancti Martini à furibus effracta fuit. Qui ponentes ad
fenestram absidæ cancellum, qui super tumulum cujusdam defuncti erat, ascendentes
per eum, effracta vitrea sunt ingressi : auferentesque multum auri argentique, et
palliorum holosericorum, abierunt, non metuentes super sanctum sepulcrum pedem
ponere, ubi vix vel os adplicare præsumimus. Sed virtus Sancti voluit hanc teme-
ritatem etiam cum judicio manifestare terribili. Nam hi perpetrato scelere ad Bur- C
degalensem civitatem venientes, orto scandalo, unus alterum interemit : sicque pate-
facto opere, furtum repertum est, ac de hospitali eorum argentum comminutum (f),
et pallia sunt extracta. Quod cùm Regi Chilperico (g) nuntiatum fuisset, jussit eos
alligari vinculis, et suo conspectui præsentari. Tunc ego metuens ne ob illius causam
homines morerentur, qui vivens in corpore pro perditorum vita sæpiùs deprecatus est;
epistolam Regi precationis transmisi, ne nostris (h) non accusantibus, ad quos pro-
secutio pertinebat, hi interficerentur. Quod ille benignè suscipiens, vitæ restitu-
tuit. Species verò quæ dissipatæ fuerant, studiosissimè componens, loco sancto
reddi præcepit.

XI. Apud (i) Massiliensem verò urbem Dynamius rector Provinciæ graviter
insidiari Theodoro Episcopo cœpit. At ille ad Regem properare disponens, D
comprehensus ab eo in medio civitatis tenetur : et graviter injuriatus, tandem
laxatus est. Clerici autem Massilienses dolum cum Dynamio moliebantur, ut ab
episcopatu ejiceretur. Sed dum ad Regem Childebertum ambularet, cum Jovino
ex-præfecto à Guntchramno Rege detineri jubetur. Quod audientes Massilienses
Clerici, gaudio magno repleti, quòd jam teneretur, jam deputaretur exsilio :
quòd jam in hoc res perstitisset, ut numquam Massiliam reverteretur, domos
Ecclesiæ adprehendunt, ministeria (k) describunt, regestoria reserant, promtuaria
exspoliant, omnesque res Ecclesiæ tamquam si jam mortuus esset Episcopus, per-

pore auspicabimur, quo nos glorioso suo adventu illustrare, nobiscumque manere ex Dei providentia jussus est. Eum itaque post multas peregrinationes, et quidem jam Episcopum consecratum, Cenomannos advenisse narrat, statimque à Clero et populo electum fuisse. Sed nihil prorsus habet de anterioribus gestis, quæ ex Gregorii textu repetere nihil vetat. Immò maxima inter sanctum Germanum Parisiensem, et ipsum Domnolum familiaritas, quæ semper, ipso etiam auctore Vitæ attestante, viguit, Gregorio nostro favet, qui Domnolum in ipsa Parisiensi civitate Abbatem fuisse scripsit, eo sanè tempore quo beatus Germanus eidem urbi Episcopus præerat. Hæc paullò fusiùs necessitate cogente tractavimus ad vindicandum Gregorii textum. Sanctus Domnolus celebre monasterium in suburbio Cenomannensi condidit in honorem sancti Vincentii, ubi sepultus est; quod etiamnunc perseverat sub Ordine sancti Benedicti et Cong. sancti Mauri, Abbatis regularis privilegio gaudens. Corpus sancti Antistitis è terra levatum fuit anno 1124. ab Hildeberto Episc. Cenomannensi, præsente Fulcone juniore Andecavorum Comite, ut ex charta ejusdem monasterii didicimus. Hodie servatur in theca argentea auro linita, operis exquisitissimi, quam Cardinalis Luxemburgius fieri curavit.

(a) [Cluniac. *Cenomaniensis civitatis*, mendosè.]

(b) [Cod. Clun. deest *philosophicos*.]

(c) Claudus appellabatur Rainarius, et hic cæcus Siagrius, ex Vitæ auctore.

(d) Regm. [et Clun.] *Baldechilum*. Is est Badegisilus, ut habet Chesn. de quo non semel infrà Gregorius. Subscripsit Conc. Matisc. II. anno 585. Mirum est autem de eo nihil prorsùs haberi in actis Episcoporum Cenomann. quæ tomo 3. Analect. Mabillon. edita sunt. Vide lib. 3. Mirac. S. Martini cap. 35. Hæc prima est, ni fallor, mentio Majoris-domûs apud Gregorium.

(e) Hoc cap. deest in Corb. et Colb.

(f) Sic Regm. [Clun.] et Bad. alii *communitum*.

(g) Regm. [et Clun.] *Chlotario*.

(h) Sic Casin. et Regm. Editi verò cum Bec. *ne nobis*.

(i) Deest in Corb. et Colb. non tamen ab interpolatore additum est. Vide notas in cap. seq. et in cap. 24. hujus libri.

(k) Id est vasa sacra, ubi observandum jam consuetudinem tunc invaluisse, ut defuncto Episcopo, Clerici quæcumque poterant diriperent.

vadunt,

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 581.

A vadunt, diversa crimina de Pontifice proloquentes, quæ falsa, Christo auspice, deprehenduntur (a). Childebertus verò postquàm cum Chilperico pacificatus est, legatos ad Guntchramnum Regem mittit, ut medietatem Massiliæ, quam ei post obitum patris sui dederat, reddere deberet. Quòd si nollet, noverit se multa perditurum pro partis istius retentione (b). Sed ille cùm hæc reddere nollet, vias claudi præcepit, ut nulli per regnum ejus transeundi aditus panderetur. Hæc cernens Childebertus, Gundulfum ex domestico (c) Ducem factum, de genere senatorio, Massiliam dirigit. Qui cùm non auderet ambulare jam per Guntchramni regnum, Turonis venit. Quem benignè susceptum, recognosco matris meæ avunculum (d), retentumque mecum quinque diebus, impositisque necessariis, abire
B permisi. Ille verò progressus, Massiliam ingredi, obsistente Dynamio, non valebat. Sed nec Episcopus, qui jam tunc cum Gundulfo venerat, in Ecclesia sua recipiebatur. Dynamius autem unà cum Clericis portas obserat urbis, insultans pariter ac utrumque despiciens, Episcopum scilicet et Gundulfum. Tandem ad colloquium Ducis adscitus, in basilicam beati Stephani, quæ urbi est proxima, venit. Ostiarii enim custodiebant ædis ingressum, ut introeunte Dynamio valvæ protinùs clauderentur. Quo facto exclusæ armatorum turbæ post Dynamium ingredi nequiverunt. Quo non intelligente, dum diversa inter se super altarium conferunt, recedentes ab altario, salutatorium ingrediuntur. Introeuntem cum his Dynamium, nudatumque jam à suorum solatio *, terribiliter increpant. Fugatisque satellitibus, qui cum armis eo abducto (e) circumstrepebant, seniores civium ad
C se Dux una cum Episcopo collegit, ut civitatem ingrederetur. Tunc Dynamius hæc omnia cernens, veniam petens, Datis Duci multis muneribus, reddito etiam sacramento se fidelem Episcopo deinceps Regique futurum, suis induitur indumentis (f). Tunc reseratis tam portarum quàm sacrarum ædium valvis, ingrediuntur utrique civitatem, Dux scilicet et Episcopus, cum signis et laudibus, diversisque honorum vexillis. Clerici autem qui sceleri huic mixti fuerant, quorum caput Anastasius Abbas, et Proculus Presbyter (g) erant, intra Dynamii tecta confugiunt, petentes ab eo opem refugii, à quo fuerant incitati (h). Multi tamen eorum per idoneos fidejussores dimissi, ad Regem jussi sunt ambulare. Intereà Gundulfus subjugata civitate in Childeberti Regis ditionem, restitutoque in locum suum Antistite, ad Regem Childebertum regressus est. Sed Dynamius immemor
D fidei quam Childeberto Regi promiserat, ad Guntchramnum Regem nuntios dirigit, dicens, quòd partem sibi debitam civitatis per Episcopum perderet, nec umquam Massiliensem urbem suo potiretur dominio, nisi hic evellatur ab ea. At ille ira commotus, jubet contra fas religionis, ut Pontifex summi Dei artatus vinculis sibi exhiberetur, dicens : *Trudatur exsilio inimicus regni nostri, ne nobis nocere ampliùs valeat.* Sed cùm Episcopus de his suspectus esset, nec facilè posset ab urbe erui, advenit festivitas dedicationis oratorii ruris suburbani. Cùmque ad hæc festa, egressus civitatem, properaret, subitò armati cum magno fremitu, ab occultis insidiis scatentes, sanctum vallant Antistitem; dejectumque ab equo, fugant omnes comites ejus, servientes alligant, Clericos cædunt, ipsumque super miserabilem imponentes (i) caballum, nullum de suis sequi permittentes, ad Regis deducunt præsentiam. Cùmque per Aquensem præterirent urbem, Pientius (k) Episcopus loci, condolens fratri, datis Clericis ad solatium, impositis-

* *i.* auxilio.

(a) Aliàs, *deprehendit.*

(b) [Clun. *retentatione.*]

(c) Domestici erant, qui excubabant in palatio Principis, eorumque præpositus appellabatur Comes domesticorum. Sub Regibus nostris præfecti fuerunt villis regiis, ut patet ex lib. 2. Marculfi formula 52. quæ domesticis, qui supra Regis villas erant, directa est, ut occasione filii Regis recens nati servos aliquot libertate donarent. Eosdem Regi ad placita properanti expensas parasse innuit noster Gregorius lib. 10. cap. 28. Domestici inter regni Optimates recensentur in præf. legum Burgund. et leg. Ribuariorum cap. 90. Regi adsidebant ex Marculfi formulis. Videsis placitum Chlodovei III. lib. 6. de re Diplomat. num. 19. et Childeberti III. num. 24. Generis autem Senatorii nomine, de quo hîc et passim Gregorius, familiæ designantur, quæ tempore Romanorum in Senatum admissæ fuerant. Multi enim provinciales, maximè è Gallia, civitate donati fuerant, aliquot etiam in Senatum allecti. Ejusmodi dicebantur Senatores peregrini, qui ut plurimùm ne facie quidem Romam noverant. Nolim tamen infitiari Gregorium quandoque *Senatores* nonnullos appellare, quòd illi ex suæ urbis primoribus essent. Vide Cangii Glossarium.

(d) Fratrem scilicet S. Nicetii Episc. Lugdun. ut observat Cointius.

(e) Sic Regm. et Bec. alii *adducto.*

(f) [Clun. *vestimentis.*]

(g) Regm. [Clun.] *Proculus Abba.* Bad. *Proculi Presbyteri.* Porrò Anastasius Abbas erat sancti Victoris, monasterii etiam nunc apud Massiliam celeberrimi, Ord. sancti Benedicti, quod à Joanne Cassiano sæculo quinto conditum fuit.

(h) [Clun. *fuerant invitati.*]

(i) [Clun. *equum imponentes.*]

(k) Sic Bec. et Regm. cum Bad. Alii *Piencus.* Pientii Episc. Aquensis, id est Aquarum-sextiarum, *Aix en Provence,* missus subscripsit Concilio Matiscon. II. anno 585.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 581.

que necessariis, abire permisit. Dum hæc agerentur, Clerici iterum Massilienses A domos Ecclesiæ reserant, arcana rimantur, et alia describunt, alia suis domibus inferunt. Episcopus verò ad Regem deductus, nec culpabilis inventus, ad civitatem suam redire permissus, cum grandi est à civibus laude susceptus. Ex hoc autem gravis inimicitia inter Guntchramnum Regem et Childebertum nepotem suum exoritur, disruptoque fœdere sibi invicem insidiabantur.

XII. Igitur Chilpericus Rex cernens has discordias (a) inter fratrem ac nepotem suum pullulare, Desiderium Ducem evocat, jubetque ut aliquid nequitiæ inferat fratri. At ille, commoto exercitu, Ragnovaldo (b) Duce fugato, Petrogoricum pervadit; exactoque sacramento, Aginnum pergit. Hæc audiens uxor Ragnovaldi, quòd scilicet fugato viro suo, hæc et civitas in potestatem Regis Chilperici redigeretur (c), basilicam sancti martyris Caprasii expetiit. Sed extracta exinde, et spoliata facultate B ac solatio famulorum, datis fidejussoribus Tholosam dirigitur : ibique iterum in basilica Sancti Saturnini ingressa residebat. Desiderius verò cunctas civitates, quæ in parte illa ad Regem Guntchramnum adspiciebant, abstulit, et ditionibus Regis Chilperici subegit. Berulfus verò Dux, cùm Bituriges (d) mussitare, quòd Turonicum terminum ingrederentur, audisset, exercitum commovet et se in ipsos fines statuit. Graviter tunc pagi Isiodorensis (e) ac Berravensis urbis Turonicæ devastati sunt. Sed et posteà crudeliter qui in hac obsidione adesse non poterant, sunt damnati. Bladastem (f) verò Dux in Vasconiam abiit, maximamque partem exercitûs sui amisit.

XIII. Lupus (g) verò urbis Turonicæ civis, cùm, uxore perdita ac liberis, clericatum expeteret, à fratre Ambrosio prohibitus est, timens ne heredem insti- C tueret Dei Ecclesiam, si ei conjungeretur : rursumque illi uxorem providit, et diem in quo ad sponsalia donanda conjungerentur, malè suasus frater incidit. Dehinc ad Cainonense castrum, ubi hospitium habebant, pariter advenerunt. Sed uxor Ambrosii cùm esset adultera, et aliam amore lupanario, exoso marito, diligeret, insidias viro tetendit. Cùmque hi germani pariter epularentur, et nocte usque ad ebrietatem vino maduissent, in uno strato pariter quieverunt. Tunc mœchus uxoris Ambrosii, nocte veniens, quiescentibus cunctis et vino depressis, accensis igne paleis, ut videret quid agerent *, extracto gladio, Ambrosium in capite librat, ita ut descendens per oculos gladius cervical capitis amputaret : in quo ictu expergefactus Lupus, et se in sanguinem (h) volutari decernens, exclamat vòce magna, dicens : *Heu, heu! succurrite, frater meus interfectus est.* Mœchus verò, qui jam perpetrato scelere discedebat, hæc D audiens, regressus ad lectum, Lupum (i) adit. Quo repugnante, multis plagis laceratum oppressit, et mortali ictu sauciatum, semivivum reliquit : sed nullus de familia sensit. Mane autem facto, stupebant omnes de tanto scelere. Lupus tamen adhuc vivens (k) inventus, sicut actum fuerat referens, spiritum exhalavit. Sed nec longum meretrix lugendi sumsit spatium : sed paucis diebus interpositis (l) conjuncta mœcho discessit (m).

* *al.* ageret.

An. 582. XIV. Anno (n) igitur septimo Childeberti Regis, qui erat Chilperici et Gunt-

(a) Quæ scilicet capite præcedenti memorantur, ut fatetur Cointius. Et tamen caput istud 12. rejicere non potest, quòd in omnibus codd. habeatur; admittat itaque et præcedens necesse est, licèt in duobus scriptis desideretur ; nec inferat eo ipso aliquod caput esse interpolatum, quòd in codd. Corb. et Colb. desint. Et quidem utriusque capitis epitomen fecit Fredegarius cap. 87.

(b) Sic Corb. Bec. et Regm. cum aliquot editis. Colb. verò et Ches. *Regnovaldo*, et *Reginovaldo*.

(c) Sic Corb. alii verò, *hæ civitates in..... redigerentur :* [ita Clun.] Corb. lectionem prætulimus. Nam tunc capto Aginno, uxor Ragnovaldi, quæ ad basilicam sancti Caprasii, in hac urbe sitam, confugerat, in hostium manus devenit. Sanctus Caprasius Aginni Episcopus cum Fide virgine martyrium pertulit sub Maximiano. Caprasium diximus Episcopum ex hodierna, et quidem recentiori Aginnensium traditione, cui neque Acta neque alia monumenta antiqua favent. Superest hodieque basilica sub ejusdem Sancti nomine, quæ Canonicorum collegio nobilitatur, ibique sacrum ipsius caput asservatur. Ejus verò festivitas in tota diœcesi celebratur die 20. Octobris. Basilica sancti Saturnini apud Tolosam, quò posteà confugit hæc mulier, insigne est hodie Canonicorum sæcularium collegium.

(d) Colb. Regm. [et Clun.] *Bituricos*, Bad. *Biturigos*; et quidem hîc designantur homines regionis Bituricensis. [Dub. *Bitoricos mussitare, quòd Toronicum..... in ipso fine.*]

(e) Corb. *pagus Siodunensis*. Regm. mendosè *Autisiodorensis aut*. Sed retinenda vulgata lectio. Nam Iciodorum seu Isidiorum est vicus ad Crosam fluvium, vulgò *Iserre* aut *Isure* dictus, qui confinis est Biturigibus-Cubis. Berravensis verò vicus est *Barou* prope eumdem fluvium, haud procul ab Iciodoro, ut observat Valesius in Notitia Galliarum. In utroque loco Ecclesiam fuisse ædificatam notat Gregorius lib. 10. cap. ultimo.

(f) Alii *Blandastes*, aut *Bladastis*. Corb. [et Dub.] *Baudastis*. Vasconiam hîc intellige veterum Vasconum sedem in Pyrenæis jugis, qua dimissa posteà Novempopulaniam occupaverunt.

(g) Deest hoc caput in Corb. Colb. [et Dub.]

(h) [Clun. *in sanguine.*]

(i) [Clun. *ad lectum Lupi adiit.*]

(k) [Clun. *vivens nanctus.*]

(l) [Clun. *diebus peractis.*]

(m) Ipse mœchus, nomine Vedastes-Avo, malè periit ex libro 7. cap. 3.

(n) Hoc caput integrum refert Fulbertus in epist. 97. quæ est ad Robertum Regem, ubi habet, *An. sexto, etc.*

A chramni vicesimus et primus, mense Januario, pluviæ, coruscationes atque tonitrua gravia fuerunt : flores in arboribus ostensi sunt : stella, quam cometem superiùs nominavi, adparuit, ita ut in circuitu ejus magna nigredo esset. Et illa tamquam in foramine (a) aliquo posita, ita inter tenebras relucebat, scintillans, spargensque comas. Prodibat autem ex ea radius miræ magnitudinis, qui tamquam fumus magnus incendii adparebat à longe. Visa est autem ad partem Occidentis in hora noctis prima. In die autem sancto Paschæ apud Suessionas civitatem cœlum ardere visum est, ita ut duo adparerent incendia : et unum erat majus, aliud verò minus. Post duarum verò horarum spatium conjuncta sunt simul : factaque pharo magna, evanuerunt. In Parisiaco verò termino verus sanguis ex nube defluxit, et super vestimenta multorum hominum cecidit, et ita tabe maculavit, ut ipsi propria indumenta horrentes abnue-
B rent. Tribus enim locis in termino civitatis illius hoc prodigium adparuit. In Silvanectensi verò territorio hominis cujusdam domus, cùm ille mane surgeret, sanguine respersa ab intus adparuit. Magna igitur eo anno lues in populo fuit : valitudines variæ, malignæ (b), cum pusulis et vesicis, quæ multum populum adfecerunt morte. Multi tamen adhibentes studium, evaserunt. Audivimus enim eo anno in Narbonensem urbem inguinarium morbum graviter desævire, ita ut nullum esset spatium, cùm homo correptus fuisset ab eo.

XV. Felix (c) verò Episcopus Namneticæ civitatis in hanc valetudinem conruens, graviter ægrotare cœpit. Tunc vocatis ad se Episcopis, qui propinqui erant, supplicat ut consensum quem in Burgundionem (d) nepotem suum fecerat, suis subscriptionibus roborarent. Quod cùm factum fuisset, eum ad me dirigunt. Erat tunc tempo-
C ris Burgundio quasi annorum viginti-quinque. Qui veniens, rogat ut accedens usque Namnetas, Episcopum eum in locum avunculi, qui adhuc superstes erat, tonsoratum consecrare deberem. Quod ego abnui, quia Canonibus non convenire cognovi (e). Consilium tamen præbui, dicens : *Habemus scriptum in Canonibus, fili, non posse quemquam ad episcopatum accedere, nisi priùs Ecclesiasticos gradus regulariter sortiatur* (f). *Tu ergo, dilectissime, revertere illuc, et pete ut ipse te qui elegit debeat tonsorare. Cùmque presbyterii honorem acceperis, ad Ecclesiam assiduus esto : et cùm eum Deus migrare voluerit, tunc facilè spiscopalem gradum ascendes.* At ille regressus, consilium acceptum adimplere dissimulavit, eò quòd Felix Episcopus ab incommodo leviùs agere videretur. Sed postquàm febris discessit, tibiæ ejus ab humore pusulas emiserunt. Tunc (g) cantharedarum cataplasmam nimium validam
D ponens, computrescentibus tibiis, anno episcopatûs sui tricesimo-tertio, ætate septuagenaria, vitam finivit (h). Cui Nonnichius consobrinus ejus, Rege ordinante, successit.

XVI. Audiens (i) autem Pappolenus ejus obitum, neptem illius de qua separatus fuerat, recepit. Ante hoc autem tempus desponsatam eam habuerat : sed dissimulante de nuptiis Felice Episcopo, hic cum magna cohorte veniens, ab oratorio puellam abstraxit, et in basilicam beati Albini confugit. Tunc Felix Episcopus ira commotus, circumventam puellam dolis à marito separavit. Mutataque veste apud Vasatensem urbem (k) in monasterio posuit : sed illa occultos pueros (l) nuntios dirigit, ut scilicet eam ereptam à loco in quo posita erat, acciperet. Quod ille non abnuens, adsumtam de monasterio puellam suo conjugio copulavit, regalibusque munitus præceptionibus, timere parentum distulit minas.

XVII. Rex verò Chilpericus multos Judæorum eo anno baptizari præcepit, ex quibus plures excepit è sancto lavacro. Nonnulli tamen eorum corpore tantùm,

(a) [Clun. *tanquam si in foramen aliquod.*]

(b) Bad. *variæ, morbive.* alii ed. cum Fulberto *milinæ.* [Ita Clun.]

(c) Hoc caput deest in Corb. Colb. [et Dub.]

(d) [Clun. *Burgundione nepote suo.*]

(e) Hoc vetitum can. 8. Conc. Nicæni. Quod posteà aliis compluribus confirmatum fuit.

(f) Sic statuit Concil. Sardicense can. 13. in Græco 10. quod summi Pontifices deinceps et alii Patres variis in Synodis confirmarunt. Vide Gratian. dist. 52. et 59.

(g) Id est, cataplasma ex cantharide animali venenoso confectum, quemadmodum ex viperis aliisque similibus remedia adhiberi solent ad morborum curationem.

(h) Obiit VIII. Id. Januarii. Colitur uti Sanctus apud Namnetenses. De eo suprà lib. 5. cap. 5.

(i) Hoc caput, quod cum præcedenti necessariò conjungitur, exstat totidem verbis in mss. Corb. et Colb. unde inferendum utrumque esse Gregorii fetum. Et tamen Cointius utrumque insititium dixit ; sed cùm cod. Corbeiensis paullò post Gregorii ætatem sit scriptus, fateri igitur debet interpolatorem Gregorio fere æqualem fuisse.

(k) Civitas Novempopulaniæ sive hodiernæ Vasconiæ, vulgò *Bazas.* Patria fuit Ausonii nobilis poëtæ, qui post adeptas complures Imperii dignitates, factus est Consul à Gratiano Imp. suo ipsius discipulo.

(l) Sic Corb. et Colb. Editi cum Bec. *puero.* In Regm. hæc vox deest. Utraque lectio bona. Rarò tamen *puer* pro viro usurpatur, sæpiùs pro servo, etiam provectæ ætatis, *non ætatem*, ut loquitur Hieronymus, *sed conditionem* exprimendo.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 582.

non corde abluti (a), ad ipsam quam priùs perfidiam habuerant, Deo mentiti regressi sunt, ita ut et sabbatum observare, et diem Dominicum honorare viderentur. Priscus * verò ad cognoscendam veritatem nulla penitùs potuit ratione deflecti. Tunc iratus Rex, jussit eum custodiæ mancipari, scilicet ut quem credere voluntariè non poterat, saltem credere faceret vel invitum. Sed ille datis quibusdam muneribus, spatium postulat, donec filius ejus Massiliensem Hebræam accipiat: pollicetur dolosè se deinceps quæ Rex jusserat impleturum. Intereà oritur intentio inter illum et Phatirem (b) ex Judæo conversum, qui jam Regis filius erat ex lavacro. Cùmque die sabbati Priscus præcinctus orario, nullum in manus ferens ferramentum, Mosaicas leges quasi impleturus, secretiora competeret, subitò Phatir adveniens, ipsum gladio cum sociis qui aderant jugulavit. Quibus interfectis, ad basilicam sancti Juliani (c) cum pueris suis, qui ad propinquam plateam erant, confugit. Cùmque ibidem residerent, audiunt quòd Rex, dominum (d) vita excessum, famulos tamquam malefactores à basilica tractos, juberet interfici. Tunc unus ex his evaginato gladio, domino suo (e) jam fugato, socios suos interficit, ipse postmodùm cum gladio de basilica egressus: sed inruente super se populo crudeliter interfectus est. Phatir (f) autem accepta licentia, ad regnum Guntchramni, unde venerat, est regressus: sed non post multos dies à parentibus Prisci interfectus est.

* *sup. cap.* 5.

A B

XVIII. Igitur legati Chilperici Regis, id est Ansovaldus et Domegiselus (g), qui ad conspiciendam dotem in Hispanias fuerant missi, regressi sunt. His diebus Leuvichildus Rex in exercitu contra Hermenegildum filium suum residebat, cui et Emeritam civitatem abstulit. Nam hic qualiter cum Ducibus Imperatoris Tiberii fuerit conjunctus, jam superiùs exposuimus *. Nam et legatis hæc causa innexuit moras, ut tardiùs regrederentur. Quibus visis, ego sollicitus eram, qualiter in ipsis Christianis, qui pauci in eo loco remanserant, fides Christi serveret. Tunc mihi hæc Ansovaldus respondit: « Christiani qui nunc apud Hispanias commorantur, Catholi-
» cam fidem integrè (h) servant. Sed Rex novo nunc ingenio eam nititur extur-
» bare, dum dolosè et ad sepulcra Martyrum, et in Ecclesiis religionis nostræ
» orare confingit. Dicit enim: Manifestè cognovi esse Christum Filium Dei æqualem
» Patri; sed Spiritum sanctum Deum penitus esse non credo, eò quòd in nullis
» legatur codicibus Deus esse. Heu, heu, quàm iniquam sententiam (i), quàm
» venenosum sensum, quàm pravam mentem! Et ubi est illud quod Domi-
» nus ait, *Spiritus Deus est*: et illud Petri, quod ad Ananiam ait: *Quid tibi visum est ten-*
» *tare Spiritum sanctum? Non es hominibus mentitus, sed Deo.* Ubi est et illud, quod
» Paulus mystica dona commemorans, ait: *Hæc enim operatur unus atque idem Spiritus,*
» *dividens unicuique prout vult.* Qui enim operatur quod vult, nulli cognoscitur esse sub-
» jectus. » Accedente autem Ansovaldo ad Chilpericum Regem, legatio (k) Hispanorum est subsecuta: quæ de Chilperico ad Childebertum accedens, in Hispanias est regressa.

* *Lib.* 5. *cap.* 39.

C D

Joh. 4. 24. *Act.* 5. 9. *Ibid.* 5. 4. 1. *Cor.* 12. 11.

(a) Mos fuisse videtur tunc in Galliis Judæos ad fidem cogendi, quod improbat Gregor. Magn. lib. 1. epist. 45. Adi Cointium ea de re disserentem ad annum 591. num. 12. et seqq. et Launoïum in lib. hac de re singulari.

(b) Sic. Corb. et Colb. cum Chesn. Bec. verò *Pathiren*, aliquot ed. *Pathirem*: [ita Clun.] Regm. Colb. alter et Bad. *Patrem*, et infrà *Pater*. Porrò alter cod. Colbertinus qui caret initio, incipit ab his verbis, *Priscus præcinctus orario etc.* quem codicem sub sancti Michaëlis nomine laudat Cointius: nos verò ut duos hosce codd. Colbertinos à sese invicem distinguamus, priorem qui fuit sancti Arnulfi Mettensis, Colb. a. hunc verò Colb. m. appellabimus.

(c) Ea est quæ nunc dicitur Ecclesia sancti Juliani pauperis seu veteris, de qua infrà lib. 9. cap. 6. quod cùm in dubium revocasset Launoius, dicens Gregorium fortè locutum de altera sancti Juliani Ecclesia, quæ dicitur Mimorum seu Fidicinum, via Martiniana sita; à Valesio inscitiæ redargutus est, quòd nescisset hanc postremam Ecclesiam à duobus cantoribus anno 1330. fuisse exædificatam. Vide Brolii nostri Antiquitates Paris. libro 3.

(d) Sic Corb. et Bec. pro *domino vita excesso*, Colb. habet *dominum vitæ cæsum*. et altera manu, *dominum illorum præcipiebat cædi, famulos verò, etc.* alii *domino vitæ cæso*. [Dub. *domino vita excesso*.] Cointius, qui hoc caput refert, *dominum interfectum*, pro, inquit, *domino interfecto*. At ex ipsa narratione certum est Phatirem, qui hîc dominus appellatur, incolumem evasisse.

(e) Corb. Bec. et aliquot editi non habent *suo*. [Nec habet Dub.]

(f) Quæ sequuntur ad finem capitis desunt in Colb. m. [et Clun.]

(g) Alii *Ansoaldus et Domichisilus*. [Clun. *Domichisilus*; Dub. *Ansoaldus et Domigiselus*. Paulò pòst ambo, *Herminichildum*.] Hîc porrò veterem Francorum in Gallia et Gotthorum in Hispania morem, qui est antiquorum Germanorum, cum Valesio et aliis observa, ut non uxor viro, sed vir uxori dotem offerat. Hunc morem laudat Cornelius Tacitus in libro de moribus Germanorum cap. 6. ubi exponit quo id ritu fieret, quasve res ab uxore maritus recipere soleret.

(h) [Clun. *integram servant*.]

(i) [Clun. *quàm iniqua sententia, quàm venenosus sensus, quàm prava mens!*

(k) Hac legatione, ut Cointio videtur, functi sunt Florentius et Exsuperius, de quibus in lib. 3. Mirac. sancti Martini cap. 8.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 582.

A XIX. Apud Pontem verò Urbiensem (a) civitatis Parisiacæ Chilpericus Rex custodes posuerat, ut insidiatores de regno fratris sui ne nocerent aliquid, arcerentur. Quo (b) Asclepius ex Duce præcognito, nocte inruens, interfecit omnes, pagumque ponti proximum graviter depopulatus est. Cùmque hæc Regi Chilperico nuntiata fuissent, mittit nuntios Comitibus, Ducibusque, et reliquis Agentibus (c), ut collecto exercitu in regnum germani sui inruerent. Sed prohibitus est consilio bonorum hominum, ne faceret, dicentium sibi : *Illi perversè egerunt, tu verò sapienter age. Mitte fratri nuntios, et si injuriam tuam emendare voluerit, nihil mali quæras* (d) : *si verò noluerit, tractabis deinceps quid sequaris.* Et sic ratione accepta, prohibito exercitu legationem fratri dirigit. Sed ille cuncta emendans, fratris quæsivit (e) integrè caritatem.

B XX. Eo anno Chrodinus obiit, vir magnificæ (f) bonitatis et pietatis, eleemosynarius valde, pauperumque refector, profluus ditator Ecclesiarum, Clericorumque nutritor. Nam sæpe à novo fundans villas, ponens vineas, ædificans domos, culturas erigens, vocatis Episcopis quorum erat parva facultas, dato epulo ipsas domos cum cultoribus et culturis, cum argento, peristromatibus, utensilibus, ministris et famulis benignè distribuebat, dicens : *Sint hæc Ecclesiæ data, ut dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum.* Multa autem et alia bona de hoc viro audivimus, quæ insequi longum est. Transiit autem ætate septuagenaria (g).

XXI. Hæc in hoc anno iteratò (h) signa adparuerunt. Luna eclipsim passa est : infra Turonicum territorium verus de effracto pane sanguis effluxit : muri urbis Suessionicæ
C conruerunt : apud Andegavam urbem terra tremuit : infra muros verò Burdegalensis oppidi ingressi lupi canes devoraverunt, nequaqam homines metuentes : per cœlum ignis discurrere visus est. Sed et Vasatensis civitas incendio concremata est, ita ut Ecclesiæ vel domus ecclesiasticæ vastarentur. Ministerium tamen omne ereptum fuisse cognovimus.

XXII. Rex (i) igitur Chilpericus pervasis civitatibus fratris sui, novos Comites ordinat, et cuncta jubet sibi urbium tributa deferri. Quod ita impletum fuisse cognovimus. His diebus adprehensi sunt duo homines à Nonnichio (k) Lemovicinæ urbis Comite, deferentes ex nomine Charterii Petrogoricæ urbis Episcopi litteras, quæ multa improperia loquebantur in Regem : in quibus inter reliqua erat insertum, quasi quereretur Sacerdos se à paradiso ad inferos descen-
D disse ; scilicet quòd à regno Guntchramni in Chilperici fuerit ditiones commutatus. Has litteras cum his hominibus jam dictus Comes sub ardua custodia Regi direxit. Rex verò patienter propter Episcopum mittit, qui eum suo conspectui præsentarent, discussurus utique si vera essent quæ ei opponebantur, an non. Adveniente verò Episcopo, Rex homines illos cum litteris repræsentat, interrogat Sacerdotem, si ab eo directæ fuerint. Negat ille à se directas. Interrogantur verò homines à quo eas acceperint. Frontunium (l) Diaconum proferunt. Interrogatur Sacerdos de Diacono. Respondit sibi eum esse præcipuum inimicum, nec dubitari debere ipsius esse nequitias, qui contra eum sæpiùs causas commovisset iniquas. Adducitur Diaconus sine mora ; interrogatur à Rege : confitetur super Episcopum, dicens : *Ego hanc epistolam Episcopo jubente dictavi* (m). Proclamante verò Episcopo, et dicente quòd sæpiùs hic ingenia (n) quæreret, qualiter eum ab episcopatu dejiceret ; Rex misericordia motus, commendans Deo causam suam, cessit utrisque, deprecans clementer Episcopum pro Diacono, et supplicans ut pro se Sacerdos oraret : et sic cum honore urbi remissus est. Post duos verò

(a) Id est qui Urbiæ fluvio positus erat. Hinc in Indice sic caput istud exprimitur. *De hominibus..... apud Urbiam fluvium* : qui nimirum separabat regnum Chilperici à regno Guntramni. Urbiam verò hunc esse amnem, qui hodie Ordea seu Orgia, vulgò *l'Orge* dicitur, censet Valesius. Hic complures pagi Parisiensis vicos alluit, et prope Gevisiacum mergitur in Sequanam.

(b) Corb. et Bec. *Quod Asclepius*. Bad. *quo..... ex Duce cognito*.

(c) Id est officialibus regiis. Apud Romanos Frumentariis successerant. Vide Gothofred. in codice Theodos.

(d) Corb. *nihil malè geris*. [Dub. *nihil malè egeris*. Clun. *emendaverit, nihil malè egeras*.]

(e) [Clun. *requisivit*.]

(f) [Clun. *magnificæ sanctitatis*.]

(g) Colb. a. et Chesn. al. *octuagenaria*. Chrodini Ducis laudes celebravit Fortunatus lib. 9. carm. 16.

(h) [Clun. *iteratis signis*.]

(i) Hoc caput deest in Corb. Colb. a. [et Dub.]

(k) Colb. m. *Nunnichiolemo* : infrà tamen habet *Nonnichius*. Carterius autem subscripsit Conc. Matisc. II. ann. 585.

(l) Editi Bec. [et Clun.] *Frontonium*.

(m) Id est *scripsi*. Vide Mabillon. notas in epist. 304. sancti Bernardi.

(n) Ea voce dolus seu quælibet ars ad alterum circumveniendum designatur apud Gregorium et veteres gentis nostræ auctores. Vide Bignon. in lib. 1. Marculfi ad cap. 36. et Alteserram in cap. 28. lib. 4. hujus Historiæ.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 582.

menses Nonnichius Comes, qui hoc scandalum seminaverat, sanguine percussus * interiit; resque ejus, quia absque liberis erat, diversis à Rege concessæ sunt. A

* *i.* apoplexia.

XXIII. Dehinc Chilperico Regi, post multa funera filiorum, filius nascitur. Ex hoc jubet Rex omnes custodias relaxari, vinctos absolvi, compositionesque negligentum fisco debitas præcepit omninò non exigi. Sed magnum deinceps dolum (a) hic intulit infans.

XXIV. Nova (b) iterum contra Theodorum Episcopum bella consurgunt. Nam Gundovaldus, qui se filium Chlothacharii Regis esse dicebat, de Constantinopoli veniens, Massiliam est advectus : de cujus origine quædam strictim libuit memorare. Hic cùm natus esset in Galliis, et diligenti cura nutritus, ut Regum istorum mos est, (c) crinium flagellis per terga demissis, litteris eruditus, Childeberto Regi (d) à matre repræsentatur, dicente ea : *Ecce*, inquit, *nepotem tuum, Chlothacharii Regis filium. Et quia invisus habetur patri, suscipe eum, quia caro tua est.* Quem ille, eò quòd ei filii non essent, accipiens, retinebat secum. Nuntiantur hæc Regi Chlothachario : misitque fratri nuntios, dicens : *Dimitte puerum ut veniat ad me.* Nec moratus ille juvenem fratri direxit. Quo viso, Chlothacharius jussit tonderi comam capitis ejus, dicens : *Hunc ego non generavi.* Igitur post Chlothacharii Regis obitum, à Chariberto Rege susceptus est : quem Sigibertus arcessitum, iterùm amputavit comam capitis ejus, et misit eum in Agrippinensem civitatem, quæ nunc Colonia (e) dicitur. Ille quoque ab eo loco delapsus, dimissis iterùm capillis, ad Narsetem abiit, qui tunc Italiæ præerat : ibique uxore accepta, filios procreavit, et ad Constantinopolim accessit. Inde, ut ferunt, post multa tempora à quodam invitatus ut veniret in Gallias, Massiliam adpulsus, à Theodoro Episcopo susceptus est. Et (f) ab eodem etiam acceptis equitibus *, Mummolo Duci conjunctus est. Erat autem tunc Mummolus in civitate Avennica, sicut suprà jam diximus *. Guntchramnus verò Dux adprehensum Theodorum Episcopum in custodiam pro hac causa detrusit, reputans cur hominem extraneum intromisisset in Gallias, voluissetque Francorum regnum Imperialibus per hæc subdere ditionibus (g). At ille epistolam, ut aiunt, manu majorum Childeberti Regis subscriptam, protulit, dicens : *Nihil per me feci, nisi quæ mihi à dominis nostris et senioribus imperata sunt.* Custodiebatur igitur Sacerdos in cellula, nec permittebatur Ecclesiæ propinquare. Quadam verò nocte, dum adtentiùs oraret ad Dominum, refulsit cellula nimio splendore, ita ut Comes qui erat, custos ejus, ingenti pavore terreretur : visusque est super eum lucis immensæ globus per duarum horarum spatium. Mane autem facto, narrabat hæc Comes ille ceteris qui cum eo erant. Post hæc autem ductus est ad Guntchramnum Regem cum Epiphanio Episcopo (h), qui tunc Langobardos (i) fugiens, Massiliæ morabatur, scilicet quòd et ipse conscius hujus causæ fuisset. Discussi igitur à Rege, in nullo inventi sunt crimine. Rex tamen jussit eos sub custodia degere, in qua post multa supplicia Epiphanius Episcopus obiit (k). Gundovaldus verò in insulam maris secessit, exspectans eventum rei. Guntchramnus verò Dux cum Duce Guntchramni Regis res Gundovaldi divisit, et secum in Arvernum detulit immensum, ut ferunt, argenti pondus, et auri, et reliquarum rerum.

* *i.* equis.

* *cap.* 1.

B

C

D

(a) Legendum puto *dolorem*. Vide infrà cap. 34. et 35. *dolum* tamen hunc exponit Valesius de morte Mummoli, quam hujus filii obitûs occasione Fredegundis ipsi infensa procuravit, infrà cap. 35. Ceterùm exstat in Marculfi lib. 1. formula, quæ est 39. *Ut pro nativitate Regis*, sic in ipso ortu Regum nostrorum filii Reges appellabantur, *ingenui relaxentur*. De ejus baptismo infrà cap. 27.

(b) Quòd plura de his quæ pertulerat à Dynamio in cap. 11. suprà retulerit. Unde licèt in codd. Corb. et Colb. undecimum non habeatur, ex hoc tamen et 12. capite, quod in utroque codice exstat, patet ab interpolatore non fuisse additum. Porrò *Gondovaldum* semper scripsimus, quæ lectio est codd. mss. licèt in editis *Gundobaldus* dicatur.

(c) Vide infrà lib. 8. cap. 10. et passim.

(d) Seniori scilicet, Childeberti tunc regnantis patruo.

(e) Coloniam à Francis sic appellatam volunt Rorico, Hincmarus, aliique etiam vetustiores scriptores, quòd fortè eam simpliciter Coloniam primi appellaverint, omisso Agrippinæ vocabulo, proprio ejus, ut videtur, nomine; cùm solummodò quasi per modum adjuncti anteà Colonia diceretur, ut Colonia-Trajana, Colonia-Augusta, aliæque urbes, in quas Romani Colonias deduxerant. Ea autem fuit urbs Ubiorum, in qua nata est Julia Agrippina Neronis mater, quæ cùm Claudio Imp. nupsisset, Coloniam Romanorum illuc deduci imperavit, indeque ab ejus nomine Colonia Agrippina dicta est, ut narrat Tacitus lib. 12. Annalium.

(f) *Et ab etc.* usque ad *conjunctus est*, desunt in Corb.

(g) Et tamen is ipse Gundobaldum accersiverat, infrà cap. 26. sed homo erat nullius fidei.

(h) Hunc Forojuliensem Ecclesiam rexisse conjicit Cointius, qui Exspectati decessoris sui nomine adhuc Presbyter subscripsit Concilio Aurelianensi V. Epiphanium Gradensem Patriarcham, à Paulo Diac. lib. 4. cap. 34. memoratum, interpretatur Alteserra. Sed repugnat temporum ratio.

(i) [Clun. *à Longobardis fugiens.*]

(k) Quid vero Theodoro contigerit, disces ex lib. 8. cap. 12.

A XXV. Anno octavo Childeberti Regis, pridie Calendas Februarias, cùm die Dominico apud urbem Turonicam ad (a) matutinas signum commotum fuisset, et populus surgens ad Ecclesiam conveniret (b), cœlo nubilo, cum pluvia globus magnus ignis * de cœlo dilapsus, in spatio multo cucurrit in aëra : qui tantam lucem dedit, ut tamquam media die omnia cernerentur : quo iterùm in nubem suscepto, nox successit. Aquæ verò extra solitum invaluerunt : nam tantam inundationem Sequana (c) Matronaque circa Parisius intulerunt, ut inter civitatem et basilicam sancti Laurentii (d) naufragia sæpe contingerent.

* *al.* igneus.

XXVI. Guntchramnus quoque Dux Arvernum cum supradictis thesauris reversus, ad Childebertum Regem abiit. Cùmque exinde regrederetur cum uxore et filiis, à Guntchramno Rege comprehensus retinebatur, dicente sibi Rege :
B *Tua invitatio Gundovaldum adduxit in Gallias, et ob hoc ante hos annos abisti Constantinopolim.* Cui ille : *Mummolus,* inquit, *Dux tuus ipse suscepit eum, et in* (e) *Avenione secum retinuit. Nunc autem permitte me, et adducam ipsum tibi, et tunc immunis ero ab his quæ imputantur mihi.* Cui Rex ait : *Non permittam te abire, nisi dignas luas pœnas pro his quæ commisisti.* At ille cernens se morti propinquum, ait : *Ecce filium meum, suscipe illum, et sit obses pro his quæ promitto domino meo Regi : et nisi Mummolum adducam tibi, perdam* (f) *parvulum meum.* Tunc Rex permisit eum abire, retento secum ejus infantulo. At ille, adsumtis secum Arvernis atque Vellavis, Avenionem abiit. Sed astu Mummoli naves in Rhodano infirmæ præparatæ sunt; ascendentesque simpliciter, ut in medio amnis venerunt, impletis navibus mergebantur. Tunc in periculo positi, alii nando evaserunt,
C nonnulli verò arreptis ipsarum navium tabulis adtigerunt litus. Plerique autem, quorum minor fuit astutia, in amne demersi sunt. Guntchramnus verò Dux advenit Avenionem. Providerat enim Mummolus, postquàm infra * muros urbis illius est ingressus, ut quia pars parva residebat, quæ non vallabatur à Rhodano, educta ex eo parte, locus ille totus hoc alluvio (g) muniretur : in quo loco fossas magnæ profunditudinis fodit, præparatosque dolos aqua decurrens operuit. Tunc adveniente Guntchramno, ait ex muro Mummolus : *Si fides est integra, veniat ille ab una parte ripæ, et ego ex alia, et quod voluerit eloquatur.* Quò cùm convenissent, ait Guntchramnus econtrà, hoc enim brachium fluminis inter utrumque erat positum : *Si licet,* inquit, *vadam : quia sunt aliqua quæ inter nos secretiùs conferantur.* Cui ille : *Veni,* ait, *ne timeas.* Ingressus cum uno amicorum suo-
D rum, ut erat loricæ pondere adgravatus : ilicò amicus ille, ut foveam amnis adtigit, sub aquis demersus nusquam comparuit. Guntchramnus verò cùm demergeretur atque portaretur ab unda veloci, unus de adstantibus, porrecta manui ejus hasta, eum litori reddidit (h). Et tunc inlatis sibi conviciis, ipse et Mummolus discesserunt. Obsidente quoque Guntchramno ipsam urbem cum exercitu Guntchramni (i) Regis, nuntiata sunt hæc Childeberto. At ille ira commotus, cur hæc non jussus ageret, Gundulfum superiùs * dictum illuc direxit. Qui amota obsidione, Mummolum Arvernis adduxit : sed post paucos dies Avenionem regressus est.

* Clun. *intra.*

* *cap.* 11.

XXVII. Chilpericus Rex pridie quàm Pascha celebraretur, Parisius abiit. Et
E ut maledicto, quod in pactione sua et fratrum suorum conscriptum erat, ut nullus eorum Parisius sine alterius voluntate ingrederetur *, carere posset, reliquiis Sanctorum multorum præcedentibus, urbem ingressus est : diesque Paschæ cum multa jocunditate tenuit, filiumque suum baptismo tradidit, quem Ragnemodus

* *V. lib.* 7. *c.* 6.

(a) [Clun. *ad Matutinos.*]

(b) Ex hoc aliisque compluribus Gregorii nostri locis, cui et alii auctores consentiunt, discimus olim omnem populum simul cum Clero diebus saltem Dominicis et festivis in Ecclesiam ad Matutinas persolvendas convenire solitum fuisse.

(c) Corb. [et Dub.] *Sigona,* quo nomine Sequanam in vet. scriptis quandoque exprimi ex aliis etiam locis constat.

(d) De hac basilica jam diximus ad cap. 9. hujus libri, quam quidem recentiores ab hodierna parochiali Ecclesia sancti Laurentii gratis distinguere voluerunt, ut invictè probatur lib. 4. de re Diplomatica num. 110. adversùs eos, qui basilicam sancti Laurentii à Gregorio memoratam exstitisse putant prope minorem pontem haud procul à Sequana. Certè etsi nulla alia nobis suppeterent argumenta præter placitum Childeberti III. editum lib. 6. de re Diplomat. num. 28. nulla superesset hac in re difficultas; siquidem ibi situs basilicarum sancti Laurentii et sancti Martini evidenter declaratur. Quin et cùm ex eodem diplomate constet basilicam sancti Dionysii, ubi sacrum ejus corpus quiescebat, tunc temporis in vico extra urbem Parisiensem exstitisse, hoc ipso in loco ubi etiam nunc perstat, quod aliqui recentiores infitiantur, ipsum integrum ex autographo Dionysiano [referemus tomo sequenti.]

(e) [In Cod. Clun. deest, *in Avenione.* Paulò pèst, *adducam eum ad te.*]

(f) [Clun. *parvulum meum interfice.*]

(g) Cod. Corb. [et Dub.] *ex hoc alveo.*

(h) [Clun. *littori restituit.*]

(i) Valesius legendum censet *Childeberti.* Et quidem Arverni et Vellavi Childeberto parebant.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 583.

ipsius urbis Sacerdos de lavacro sancto suscepit, ipsumque Theodoricum vocitari præcepit. A

XXVIII. Marcus quoque referendarius, cujus suprà meminìmus *, post congregatos de iniquis descriptionibus thesauros, subito lateris dolore detentus, caput totondit, atque pœnitentiam accipiens (a), spiritum exhalavit, resque ejus fisco conlatæ sunt. Nam magni ibidem thesauri ex auro argentoque, et multarum specierum reperti sunt, nihil exinde secum aliud portans, nisi animæ detrimentum.

* *lib.5.cap.* 29.

XXIX. Legati de Hispaniis reversi nihil certi renuntiaverunt, eò quòd Leuvichildus contra filium suum seniorem in exercitu resideret. In monasterio (b) autem beatæ Radegundis puella quædam, nomine Disciola (c), quæ beati Salvii Albigensis Episcopi neptis erat, obiit hoc modo. Cùm ægrotare cœpisset, et ei assiduè sorores aliæ deservirent, venit dies ille quo migraret à corpore : et circa B horam nonam ait sororibus : *Ecce jam leviorem me sentio : ecce nihil doleo : nunc autem non est necesse sollicitudini vestræ, ut mihi curæ aliquid impendatis : sed potiùs discedite à mè, quò faciliùs sopori relaxer.* Hæc audientes sorores ejus, recesserunt parumper à cellula; et post paullulum advenerunt. Denique stantibus illis coram ea, exspectabant quid ab illa elocutionis audirent. Ipsa autem expansis manibus benedictionem à nescio quo efflagitans, ait : *Benedic*, inquit *mihi, Sancte ac famule Dei excelsi : ecce enim jam tertiò fatigaris hodie mei causa. Et cur, Sancte, pro infirma muliercula crebras injurias sustines?* Interrogantibus verò illis, ad quem hæc verba proferret, penitus non est affata. Tunc facto modico intervallo, emisit vocem magnam cum risu : et sic tradidit spiritum. Et ecce quidam energumenus, qui tunc ad beatæ Crucis gloriam mundandus advenerat, arrepta manibus cæsarie, conlisit se in terram, dicens : *Heu, heu, heu nobis, qui tale damnum perpessi sumus ! vel licuisset priùs causas inquirere, et sic de potestate nostra fuisset ablata hæc anima !* Inquirentibus verò his qui aderant, quod esset hoc verbum quod loquebatur, respondit : *Ecce animam puellæ Michaël Angelus suscepit, et ipse eam ad cœlos evehit. Princeps verò noster, quem vos diabolum nominatis, nihil in ea participatur.* Post hæc corpus aquis ablutum ita (d) candore niveo refulgebat, ut nullum linteum reperire Abbatissa potuisset in promtu, quod corpore candidius cerneretur : induta tamen linteis mundis, sepulturæ mandata est. Nam et alia puella hujus monasterii visum vidit, quod sororibus retulit. Putabat, inquit, se iter aliquod conficere, et erat ei votum ut ad fontem vivum gradiens perveniret. Cùmque viam nesciret, vir quidam se obviàm obtulit, dicens : *Si*, inquit, *vis ad fontem vivum accedere, ero ego prævius itineris tui.* At illa gratias agens, sequebatur præce- C D dentem. Quibus ambulantibus, pervenerunt ad fontem magnum, cujus aquæ tamquam aurum splendebant (e), herbæ verò in modum diversarum gemmarum vernante luce radiabant. Et ait vir ad eam : *Ecce fontem vivum, quem multo labore quæsisti. Satiare nunc ab ejus* (f) *fluentis, ut fiat tibi fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam.* Cùmque illa avidè ex his aquis hauriret, ecce ab alia parte veniebat Abbatissa : et denudatam puellam induit eam veste regia : quæ tanta luce, auroque, et monilibus refulgebat, ut vix posset intendi, dicente sibi Abbatissa : *Sponsus enim tuus mittit tibi hæc munera.* Hæc cùm puella vidisset, compuncta est corde, et post dies paucos rogavit Abbatissam, ut sibi in qua includeretur cellulam præpararet. At (g) illa velociter perfecta, ait : *Ecce*, inquit, *cellulam, quid nunc desideras?* E Puella verò petiit, ut recludi permitteretur. Quod cùm ei præstitum fuisset, congregatis virginibus cum magno psallentio, accensis lampadibus, tenente sibi beata Radegunde manum, ad locum usque perducitur. Et sic vale faciens omnibus, et osculans singulas quasque, reclusa est. Obstructoque aditu per quem ingressa fuerat, ibi nunc orationi ac lectioni vacat.

XXX. Hoc (h) anno Tiberius Imperator migravit à sæculo, magnum luctum relinquens populis de obitu suo. Erat enim summæ bonitatis, in eleemosynis

(a) Hi monastica veste donati in extremis appellabantur Monachi ad succurrendum. Pœnitentes olim in Gallia tonsos fuisse patet ex can. 12. Concil. Agathensis, etc. Vide Sirmond. in l. 4. Apollinaris ep. 24.

(b) Apud Pictavos sanctæ Cruci sacratum, quod nunc etiam perstat sub Regula sancti Benedicti de quo inferiùs plura.

(c) Corb. *Discila.* uti sancta colitur cum Agnete Abbatissa III. Idus Maïas. Habetur in Litaniis Pictonicis, quæ ab Henrico Ludovico Castaneo Episc. Pictavensi sunt vulgatæ.

(d) Corb. *corpus à quibus ablutum est, aiebant, ita candore, etc.*

(e) Idem. *aqua... splendebat.*

(f) [Clun. *satiare nunc ab eo, ut.*]

(g) Regm. *At illa ut rogaverat, cellulam præparavit, eique tunc dixit : Ecce etc.*

(h) * Anno tamen 582. mortuum esse Tiberium pluribus probat Pagius ad hunc annum NN. 6. 7. 8. et 9.

promtus,

A promtus, in judiciis justus, in judicando cautissimus : nullum despiciens sed omnes in bona voluntate complectens : omnes diligens, ipse quoque diligebatur ab omnibus. Hic cùm ægrotare cœpisset, et se jam vivere desperaret, vocavit Sophiam Augustam, dicens : *Ecce jam impletum sentio tempus vitæ meæ : nunc cum consilio tuo eligam, qui reipublicæ præesse debeat. Oportet enim strenuum eligi, qui pro me sit huic potestati* (a). At illa Mauricium quemdam elegit, dicens : *Valde strenuus et sagax est vir iste : nam et sæpiùs contra inimicos reipublicæ dimicans, victorias obtinuit.* Hæc enim dicebat, ut isto transeunte, hujus conjugio necteretur. Sed Tiberius postquàm consensum cognovit Augustæ de hujus electione, jussit ornari filiam suam ornamentis imperialibus, et vocato Mauricio, ait : *Ecce cum consensu Sophiæ Augustæ ad Imperium eligeris : in quo ut firmior sis, filiam meam tradam tibi.* Et accedente
B puella, tradidit eam pater Mauricio, dicens : *Sit tibi Imperium meum cum hac puella concessum. Utere eo * felix, memorque semper esto, ut æquitate et justitia delecteris.* At ille accepta puella, duxit eam ad domum suam, et transacta solemnitate nuptiarum, Tiberius obiit. Igitur celebrato justitio (b), Mauricius indutus diademate et purpura, ad Circum processit : acclamatisque sibi laudibus, largitis populo (c) muneribus, in Imperio confirmatur.

* *al.* ea.

XXXI. Denique Chilpericus rex legatos nepotis sui Childeberti suscepit, inter quos primus erat Egidius Remensis episcopus : quibus intromissis ad Regem, data suggestione dixerunt : *Pacem quam cum domino nostro nepote tuo fecisti, petit à te omnimodis conservari : cum fratre verò tuo pacem habere non potest, quia partem Massiliæ ei post mortem abstulit patris, fugacesque suos retinet, nec eos vult ei remittere; ideò Childe-*
C *bertus nepos tuus caritatem, quam nunc tecum retinet, integrè vult servare.* Et ille : *In multis,* inquit, *frater meus accessit culpabilis. Nam si ordinem rationis filius meus Childebertus inquirat, cognoscet protinùs quòd hujus conludio pater ejus est interfectus.* Hæc eo dicente, Egidius episcopus ait : *Si cum nepote tuo conjungeris, et ipse conjungitur tibi; commoto exercitu, ultio quæ debetur super eum velociùs inferetur.* Quod cum juramento firmassent, obsidesque inter se dedissent, discesserunt. Igitur fidens in promissis eorum Chilpericus, commoto regni sui exercitu, Parisius venit : ubi cùm resedisset, magnum dispendium rerum incolis intulit. Berulfus verò Dux cum Turonicis, Pictavis, Andegavisque, atque Namneticis, ad terminum Bituricum venit. Desiderius verò et Bladastes, cum omni exercitu Provinciæ sibi commissæ (d), ab alia parte Bituricum vallant, multùm vastantes per quas venerunt regiones. Chilpericus verò
D jussit exercitum, qui ad eum accessit, per Parisius transire. Quo transeunte et ipse transiit, atque ad Miglidunense (e) castrum abiit, cuncta incendio tradens atque devastans. Et licèt exercitus nepotis sui ad eum non venisset, tamen Duces et legati ejus cum ipso erant. Tunc misit nuntios ad supradictos Duces, dicens : *Ingredimini Bituricum* (f), *et accedentes usque ad civitatem, sacramenta fidelitatis exigite de nomine nostro.* Biturici verò cum quindecim millibus ad Mediolanense (g) castrum confluunt, ibique contra Desiderium Ducem confligunt : factaque est ibi strages magna, ita ut de utroque exercitu ampliùs quàm septem millia cecidissent. Duces quoque cum reliqua parte populi, ad civitatem pervenerunt, cuncta diripientes vel deva-

(a) Sic Corb. et Colb. m. at Regm. *Nos enim oportet providere, qui tantæ sublimitati adjungi dignus sit.* Ceteri omittunt hunc versum. [Dub. *Qui præsit huic potestati.* Clun. *Non oportet enim eligi sine tuo consilio huic potestati.*]

(b) Justitium ad luctum designandum adhibent alii quoque auctores, quòd in publicis luctibus justitium, id est juris dicendi intermissio, quasi juris-statio indiceretur. Addit Paulus Diac. l. 3. Hist. Lang. cap. 17. Mauricium primum ex Græcorum genere in Imperio confirmatum fuisse.

(c) [Clun. *largito populo munera.*]

(d) Cod. Colb. m. *commissum* pro *commisso.* Corb. verò, *Communi exercitu Provinciæ sibi commisso.* [Ita Dub.]

(e) Sic Corb. hîc et cap. sequenti. Variant etiam alii codices scripti. Aliquot enim habent *Mecledonense* cum plerisque editis [Ita Dub. et Clun.] pro quo in Colb. a. et quidem antiqua manu, positum est, *Medolonense.* Bec. et Regm. *Mededonense.* Sed iis omnibus designatur Melodunum Senonum oppidum, in insula Sequanæ positum, vulgò *Melun,* quod tempore Julii Cæsaris jam celebre erat; ibique Childebertus rex, Chlodovei Magni filius episcopalem sedem instituisset, ni obstitisset Leo Senonensis metropolitanus, ad cujus urbis diœcesim locus ille etiam hodie pertinet. Habemus ea de re Leonis epistolam, ubi istud oppidum *Medeclonense,* et *Medeclone* in sexto casu dicitur.

(f) [Clun. *Biturigam.*]

(g) Ita codd. Corb. Bec. Colb. m. [Dub. et Clun.] quamvis in editis *Mecledonense* habeatur. Hîc enim designatur Mediolanum, quod hodie Magdunum ad Averam fluvium in finibus Biturigum, vulgò *Mehun-sur-Yeure* appellatur, ut observarunt viri eruditi Valesius et Cointius. Jam utrumque nomen habebat tempore Aimoini, ut ipse monet lib. 3. cap. 50. * Doctissimus Abbas le Beuf in peculiari de Castro Mediolanensi dissertatione, tum ex ipsis Gregorii verbis, tum ex ipsa copiarum dispositione, invictè demonstrat *Castrum Mediolanense* non esse *Magdunum ad Averam*, sed vicum nunc dictum *Château-Meillan* in Bituricensi pago. Prætereà in Martyrologio Autissiodor. à Domnis Martenne et Durand publicato Ampliss. Collect. Tom. 6. legitur ad diem 24. Septemb. *In territorio Biturico, Castro Mediolano, Natale S. Genesii Martyris.* In alio quoque Usuardi Martyrologio ante annos 400. scripto, quod in Flo-

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 583.

stantes : talisque depopulatio inibi acta est, qualis nec antiquitus est audita fuisse, ut nec domus remaneret, nec vinea, nec arbores; sed cuncta succiderent, incenderent, debellarent. Nam et ab ecclesiis auferentes sacra ministeria, ipsas incendio concremabant. Guntchramnus verò rex cum exercitu contra fratrem suum advenit (a), totam spem in Dei judicio collocans. Qui die una jam vespere, misso exercitu, maximam partem de germani sui exercitu interfecit. Mane autem concurrentibus legatis, pacem fecerunt, pollicentes alter alterutro, ut quicquid Sacerdotes vel seniores populi judicarent, pars parti componeret, quæ terminum legis excesserat : et sic pacifici discesserunt. Chilpericus verò rex cùm exercitum suum à prædis arcere non posset, Rhotomagensem (b) Comitem gladio trucidavit : et sic Parisius rediit, omnem relinquens prædam, captivosque relaxans. At isti qui Biturigas obsidebant, accepto mandato ut reverterentur ad propria, tantas prædas secum sustulerunt, ut omnis regio illa, unde egressi sunt, valde putaretur evacuata, vel * de hominibus, vel de ipsis pecoribus. Ingressus quoque exercitus Desiderii atque Bladastis per Turonicum, incendia, prædas et homicidia tanta fecerunt, sicut solet contra inimicos fieri : nam et captivos abduxerunt, de quibus spoliatos plurimos posteà dimiserunt. Subsecutus est morbus pecorum hanc cladem, ita ut vix unicum remaneret : novumque esset, si aliquis aut jumentum (c) videret, aut cerneret buculam. Sed dum hæc agerentur, Childebertus rex cum exercitu suo uno in loco residebat (d). Nocte autem quadam commoto exercitu, magnum murmur contra Egidium episcopum et Duces Regis minor populus elevavit, ac vociferari cœpit, et publicè proclamare : *Tollantur à facie Regis qui regnum ejus venumdant, civitates illius dominationi alterius subdunt, populum ipsius Principis alterius ditionibus tradunt.* Dum hæc et his similia vociferando proferrent, facto mane, adprehenso armorum adparatu, ad tentorium Regis properant, scilicet ut adprehensis Episcopo et senioribus, vi opprimerent, verberibus adficerent, gladiis lacerarent. Quo comperto, Sacerdos fugam iniit, ascensoque equite * ad urbem propriam tendit. At populus ille cum clamore sequebatur, projiciens post eum lapides, evomensque convicia. Fuit tunc ei hæc causa præsidium, quòd hi paratos equites * non habebant. Attamen lassatis sociorum equis, solus pertendit Episcopus, tanto timore perterritus, ut unam caligam de pede elapsam colligere non curaret : et sic usque civitatem veniens, se infra murorum Remensium sæpta conclusit.

A

B

C

* *i.* et.

* *i.* equo.

* *al.* equos.

XXXII. Ante paucos autem menses Leudastes (e) in Turonicum cum præcepto Regis advenit, ut uxorem reciperet, ibique commoraretur. Sed et nobis epistolam Sacerdotum manu subscriptam detulit, ut in communionem reciperetur. Sed quoniam litteras Reginæ non vidimus, cujus causa maximè à communione remotus fuerat, ipsum recipere distuli, dicens : *Cùm Reginæ mandatum suscepero, tunc eum recipere non morabor.* Intereà ad eam dirigo : quæ mihi scripta remisit, dicens : *Compressa à multis aliud facere non potui, nisi ut eum abire permitterem; nunc autem rogo, ut pacem tuam non mereatur, neque eulogias de manu tua suscipiat, donec à nobis quid agi debeat, pleniùs pertractetur.* At ego hæc scripta relegens, timui ne interficeretur : accersitoque socero ejus hæc ei innotui, obsecrans ut se cautum redderet, donec Reginæ animus leniretur. Sed ille consilium meum, quod pro Dei intuitu simpliciter insinuavi, dolosè suscipiens, cùm adhuc nobis esset inimicus, noluit agere quæ mandavi : impletumque est illud proverbium, quod quemdam senem narrantem audivi : *Amico inimicoque bonum semper præbe consilium, quia amicus accipit, inimicus spernit.* Spreto ergo hoc consilio, ad Regem dirigit, qui tunc cum exercitu in pago Miglidunensi (f) degebat : deprecatusque est populum, ut Regi preces funderet, ut ejus præsentiam mereretur. Deprecante igitur omni populo, Rex se videndum ei præbuit. Prostratusque pedibus ejus veniam flagitavit : cui Rex : *Cautum*, inquit, *te redde paullisper, donec visa Regina conveniat qualiter ad ejus gratiam revertaris, cui*

D

E

riacensi Cœnobio asservatur : *In territorio Biturico, Castro Mediolano, passio S. Genesii Martyris.* Porrò, ut observat idem Abbas, Ecclesia parochialis vici dicti *Chateau-Meillan* sub invocatione S. Genesii dedicata est : Magduni verò nullus huic Sancto cultus exhibetur.

(a) Scilicet prope Melodunum, ubi Guntramnus Chilperici exercitum profligavit. Duces verò eorum apud Bituriges decertabant, prope Mediolanum, seu Magdunum, quod à Magduno ad Angerem, et à Magduno ad Ligerim distinguendum est.

(b) Editi aliquot *Rhotongensem.*

(c) Colb. a. [et Dub.] *juvencum.*

(d) Haud procul, uti videtur, à suis patruis, ut Chilperico juxta pactum suppetias ferret, aut certè ut belli eventum specularetur.

(e) Qui suprà lib. 5. cap. 49. et 50. multa adversùs Gregorium machinatus fuerat, eum accusans quòd Reginam adulterio pollutam esse dixisset.

(f) Colb. a. *Melodonnense.* Bec. *Megledunense.* [Dub. *Methedonense.* Clun. *Megledonensi.*] Vide cap. præced.

A *multùm* (a) *inveniris esse culpabilis*. At ille, ut erat incautus ac levis, in hoc fidens, quòd Regis præsentiam meruisset ; Rege Parisius revertente, die Dominico in ecclesia sancta Reginæ pedibus provolvitur, veniam deprecans. At illa frendens et exsecrans adspectum ejus, à se repulit, fusisque lacrymis, ait : *Et quia non exstat de filiis, qui criminis mei causas inquirat, tibi eas, Jesu Domine, inquirendas committo.* Prostrataque pedibus Regis, adjecit : *Væ mihi, quæ video inimicum meum, et nihil ei prævaleo.* Tunc repulso eo à loco sancto, Missarum sollemnia celebrata sunt. Igitur egresso Rege cum Regina de ecclesia sancta, Leudastes usque ad plateam est prosecutus, inopinans quid ei accideret : domosque negotiantum circumiens, species rimatur, argentum pensat, atque diversa ornamenta prospicit, dicens : *Hæc et hæc comparabo, quia multum mihi aurum* (b) *argentumque resedit.* Ista illo dicente, subitò B advenientes Reginæ pueri, voluerunt eum vincire catenis. Ille verò evaginato gladio, unum verberat : reliqui exinde succensi felle, adprehensis parmis (c) et gladiis super eum inruerunt. Ex quibus unus librans ictum, maximam partem capitis ejus à capillis et cute detexit. Cùmque per pontem urbis fugeret, elapso inter duos axes, qui pontem faciunt, pede, effracta (d) oppressus est tibia : ligatisque post tergum manibus, custodiæ mancipatur : jussitque Rex ut sustentaretur (e) à medicis, quoadusque ab his ictibus sanatus, diuturno supplicio cruciaretur. Sed cùm ad villam fiscalem ductus fuisset, et computrescentibus plagis extremam ageret vitam ; jussu Reginæ in terram projicitur resupinus, positoque ad cervicem ejus vecte immenso, ab alio ei gulam verberant (f) : sicque semper perfidam agens vitam, justa morte finivit.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 583.

XXXIII. Anno nono Childeberti regis partem Massiliæ Guntchramnus rex ipsi An. 584.
C nepoti suo refudit. Legati principis Chilperici de Hispaniis regressi, nuntiaverunt provinciam Carpitaniam (g) graviter à locustis fuisse vastatam, ita ut non arbor, non vinea, non silva, non fructus aliquis, aut quicquam viride remaneret, quod non à locustis everteretur. Aiebant enim inimicitias illas, quæ inter Leuvichildum et filium suum pullulaverant, vehementer augeri. Lues quoque magis in illis partibus sæviens multa loca devastabat (h) ; sed maximè apud urbem Narbonensem (i) validiùs desæviebat, et jam tertio anno, quod ibidem adprehenderat (k), et requieverat, populique revertentes à fuga, iterùm morbo consumti sunt. Nam et Albigensis civitas maximè ab hoc incommodo laborabat. His diebus adparuerunt à parte Aquilonis nocte media radii multi, fulgore nimio relucentes, qui ad se venientes, iterùm separabantur, usquequò evanuerunt. Sed et cœlum ab ipsa septentrionali plaga ita
D resplenduit, ut putaretur auroram producere.

XXXIV. Legati iterùm (l) ab Hispania venerunt, deferentes munera, et placitum accipientes cum Chilperico rege, ut filiam suam, secundùm conniventiam anteriorem, filio (m) regis Leuvichildi tradere deberet in matrimonium : denique dato placito, et omnibus pertractatis, legatus ille reversus est. Sed Chilperico regi egresso de Parisius, ut in pagum Suessionicum accederet, novus luctus advenit. Filius (n) enim ejus, quem anno superiore sacro baptismate abluerat, à dysenteria correptus, spiritum exhalavit : hoc enim fulgor ille, quem superiùs ex nube dilapsum memoravimus, figuravit. Tunc cum immenso fletu regressi Parisius, sepelierunt puerum, mittentes post legatum, ut reverteretur : scilicet, ut placitum quod posuerat, prolongaret, dicente Rege : *Ecce planctum in domo sustineo, et qualiter nuptias filiæ celebrabo ?* Voluit enim tunc aliam filiam (o) illuc dirigere, quam de Au-

(a) [Clun. *Multùm videris.*]
(b) [Clun. *Multùm mihi auri argentique.*]
(c) [Clun. *Armis et gladiis super eum ruunt.*]
(d) [Clun. *pede effracto.*]
(e) Sic Corb. Colb. *sanaretur*, plerique editi cum Bec. *studeretur*, id est curaretur. [Clun. *studiretur.*]
(f) Regm. *immenso, gladio ejus gulam transverberant..... perfidam ducens quoad vixit vitam, eam sic finivit.*
(g) Carpitania pars erat veteris provinciæ Tarraconensis, in eo tractu Castellæ-novæ, ubi nunc pars est Algarriæ et regionis *la Mancha*, versus Tagum et Anam, cujus caput erat Toletum, urbs vel suo nomine celebris.
(h) Sic Regm. Alii *per loca enim ejus lues vastabat ; sed.* [Ita Clun. nisi quòd deest, *ejus.*]
(i) Narbo, aliæque urbes Septimaniæ tunc temporis Hispaniæ tribuebantur, quòd Wisigothis parerent.
(k) Colb. a. *desævierat.* Regm. *advenerat.*
(l) Deest hoc caput in Vat. Corb. Colb. a. [et Dub.] licèt habeant sequens quod isti necessariò conjunctum est. Porrò placitum, de quo hîc, dies erat indicta ad audiendos legatos. Et quidem placita generaliter dicebantur conventus, in quibus publicè negotia, sive regni, sive etiam privatorum, discutiebantur : sicut enim erant Placita regis, sic erant placita Comitum, Judicum, etc. Parlamenta postmodùm dicta fuerunt. Instrumenta publica, quæ finitis in ejusmodi conventibus negotiis reddebantur, appellata etiam fuerunt Placita seu Judicia. Vide Bignon. in lib. 1. Marculfi formula 37. et Mabillon. de re Diplomatica.
(m) Reccaredo scilicet, Hermenegildi fratri, cui ipsa, nempe Rigunthis, jamdudum promissa fuerat. [Clun. *convenientiam.*]
(n) Theodericus, de quo suprà cap. 23. et 27. et infrà cap. seq.
(o) Basinam, quæ posteà in illo monasterio cum Chrodielde multas turbas excitavit, de quibus fusè Gregorius infrà.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 584.

dovera habebat, et eam in monasterio Pictavensi posuerat. Sed illa distulit, resistente præcipuè beata Radegunde, et dicente : *Non est enim dignum, ut puella Christo dicata iterùm ad sæculi voluptates revertatur.* A

XXXV. Dum autem hæc agerentur, nuntiatur Reginæ puerum qui mortuus fuerat, maleficiis et incantationibus fuisse subductum, ibique Mummolum Præfectum (a), quem jam diu Regina invisum habebat, conscium esse. Unde factum est, ut epulante eo in domo sua, quidam de aulicis Regis puerum dilectum sibi, qui à dysenteria correptus fuerat, lamentaretur. Cui Præfectus respondit : *Habetur mihi herba in promtu, de qua si dysentericus hauriat, quamlibet desperatus sit, mox sanatur.* Nuntiatis his Reginæ, majore furore succenditur. Intereà adprehensas mulieres urbis Parisiacæ tormentis applicat, ac verberibus cogit fateri quæ noverant. At illæ confitentur se maleficas esse, et multos occumbere leto se fecisse testatæ sunt, ad- B dentes illud, quod nulla ratione credi patior : *Filium*, aiunt, *tuum, ô Regina, pro Mummoli Præfecti vita donavimus.* Tunc Regina tormentis gravioribus mulieribus adfectis, alias enecat, alias incendio tradit, alias rotis ossibus confractis innectit : et sic Compendium villam unà cum Rege secessit, ibique universa Regi quæ de Præfecto audierat revelavit. Rex verò missis pueris jussit eum arcessiri, discussumque catenis onerant, et suppliciis subdunt. Trabi post tergum revinctis manibus adpenditur, et ibi quid maleficii noverit, interrogatur. Sed nihil de his quæ superiùs memoravimus, confitetur. Hoc tamen protulit, sæpiùs se inunctiones et potiones, quæ ei Regis Reginæque gratiam præberent, ab his mulieribus suscepisse. Depositus igitur de pœna, vocat ad se lictorem, dicens : *Nuntia domino meo Regi, quia nihil mali sentio de his quæ inlata sunt.* His auditis Rex : *Verum* (b) *ne est*, inquit, *hunc esse maleficum, si de his nihil est læsus pœnis ?* Tunc extensus ad trochleas, tamdiu loris C triplicibus cæsus est, quoadusque ipsi lassarentur tortores : posthæc sudes ungulis manuum pedumque defigunt. Cùmque in hoc causa ageretur, ut ad decidendam cervicem ejus gladius immineret, à Regina vitam obtinuit ; sed non fuit minor morte humilitas subsecuta. Nam impositus plaustro, ad Burdegalensem urbem, in qua ortus fuerat, ablata omni facultate, transmittitur : in via verò ictuatus (c) sanguine, vix accedere quò jussus est valuit. Sed non post multum tempus spiritum exhalavit. Post hæc Regina adprehenso pueruli thesauro, tam vestimenta quàm reliquas species, vel ex serico, aut quocumque vellere invenire potuit, igne consumsit ; quod ferunt quatuor plaustra levasse : aurum verò et argentum fornace conflatum reposuit, ne aliquid integrum remaneret, quod ei planctum filii in memoriam revocaret. D

XXXVI. Ætherius verò (d) Luxoensis episcopus, cujus suprà meminimus, hoc ordine à civitate sua vel expulsus est, vel receptus. Clericus quidam exstitit ex Cenomannica urbe, luxuriosus nimis, amatorque mulierum, et gulæ ac fornicationis, omnique immunditiæ valde deditus. Hic mulieri * cujusdam sæpius scorto commixtus, comam capitis totondit, mutatoque virili habitu (e), secum in aliam civitatem deduxit, ut suspicio adulterii auferretur, cùm inter incognitos devenisset. Erat enim mulier ingenua genere, et de bonis orta (f) parentibus. Comperto autem post dies multos propinqui ejus quæ acta fuerant, ad ulciscendam humilitatem generis sui velociùs properant, repertumque clericum vinctum custodiæ mancipant : E mulierem verò igni consumunt. Et, sicut cogit auri sacra fames, clericum sub pretio venumdari procurant, ea videlicet ratione, ut aut esset qui redimeret, aut certè morti addiceretur obnoxius. Cùmque hæc Ætherio episcopo delata fuissent, misericordia motus, datis viginti aureis (g), eum ab imminenti exemit interitu. Igitur

* mulieris.

(a) Inquirit Valesius, cur hîc Mummolus *Præfectus* appelletur. Nam etsi certum sit Provinciæ Massiliensis rectores tunc temporis *Præfecti* nomine fuisse donatos ; inde tamen Præfecti titulum Mummolo tributum dici non posse observat, quòd Chilpericus, in cujus ditione vivebat Mummolus, nihil umquam ea in provincia possederit. Tum rejecta Falceti opinione, qui sui ævi mores antiquis temporibus incautè applicando, scripsit Mummolum sic fuisse appellatum, quòd Parisiorum urbis Præfectus esset ; concludit tandem Mummolum à Gregorio Præfectum dictum fuisse, quòd reipsa Aulæ Præfectus, seu Regiæ domûs Major exstiterit.

(b) Regm. *ait, Putasne verum est quia hic maleficus est, et istis non læsus est pœnis ? Extendatur igitur ad trochleas et tamdiu loris triplicibus cædatur, quoadusque ipsi lassentur tortores.*

(c) Bad. *ictus.* Colb. m. *ictu actus.*

(d) Hoc caput deest in Vat. Colb. a. et Corb. [deest quoque in Dub. sicut et tria sequentia.] Regm. habet, *Æthericus verò Luxoviensis.* Editi *Lyxoensis*, seu *Lixoensis*, vulgò *Lisieux* in Nortmannia. Porrò locus in quo suprà Gregorius Ætherii meminerit, non exstat : unde Cointius infert hoc caput ex alio auctore Gregorii historiæ adsutum fuisse. Sed ipse Gregorius lib. 4. cap. 16. quod in mss. Corb. Bellov. et ceteris omnibus habetur, dicit pariter de S. Tetrico Episc. Lingonensi, *cujus..... memoriam fecimus.* de quo tamen apud eum nihil invenitur.

(e) Regm. *mutatoque femineo habitu in virilem.*

(f) [Clun. *et bonis ornata natalibus.*]

(g) Regm. *argenteis.*

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 584.

A postquàm vitæ donatus est, profert se litterarum esse doctorem, promittens Sacerdoti, quòd si ei pueros delegaret, perfectos eos in litteris redderet. Gavisus auditu Sacerdos, pueros civitatis collegit, ipsique delegat ad docendum. Denique cùm jam honoraretur à civibus, et Pontifex ei aliquid terræ vinearumque largitus fuisset; ac per domos parentum eorum quos erudiebat, invitaretur : reversus ad vomitum, unius pueruli matrem, immemor anterioris injuriæ, concupiscit. Quod cùm pudica viro mulier declarasset, conjuncti parentes ejus gravissimis clericum tormentis subdentes, interimere voluerunt. Quem Sacerdos iterùm misericordia motus, castigatum verbis lenibus liberavit, honorique restituit. Sed mens læva numquam ad bonitatem potuit inclinari, sed potiùs factus est ejus inimicus, à quo sæpiùs fuerat de morte redemptus. Conjunctus est enim Archidiacono civitatis : et se episcopatu
B dignum proferens, Episcopum molitur occidere. Locatoque clerico, qui eum bipenne percuteret, ipsi ubique discurrunt, mussitant, amicitias clam inligant, proferunt præmia, ut si Sacerdos obiret, ipse succederet. Sed misericordia Domini anticipavit eorum (a) perfidiam, crudelitatemque iniquorum hominum veloci pietate repressit. Die verò quo Sacerdos operarios in agro adgregaverat ad sulcandum, clericus antè dictus cum securi prosequitur Sacerdotem nihil de his penitùs scientem. Tandem igitur hæc advertens : *Quid tu*, inquit, *me attentiùs cum hac bipenne prosequeris?* At ille timore perterritus, ad genua viri provolvitur, dicens : *Fortis esto, Sacerdos Dei. Nam scias me emissum ab Archidiacono ac Præceptore, ut te securi percuterem. Quod cùm sæpius facere voluissem, et ictum dextra suspensa librarem, tegebantur tenebris oculi mei, et aures obserabantur, totumque corpus tremore quatiebatur : sed et manus absque virtute erant, et quæ optabam implere non poteram : cùm verò manus deposuissem,*
C *nihil mali sentiebam omninò. Cognovi enim quoniam tecum est Dominus, eò quòd non potui aliquid tibi nocere.* Hæc eo dicente, flevit Sacerdos, imponens silentium clerico : reversusque domum cœnæ discubuit. Qua exacta, in strato suo quievit, habens circa lectum suum multos lectulos clericorum (b). Denique diffisi hi de clerico, per se nefas perficere cogitantes, nova argumenta machinantur, per quæ aut eum vi exstinguerent, aut certè crimen, quo à sacerdotio divelleretur, imponerent. Intereà quiescentibus cunctis, media fere nocte cubiculum Sacerdotis inrumpunt, exclamantes voce magna, atque dicentes, vidisse se mulierem à cubiculo egredi, ipsamque ob hoc dimisisse, dum ad Episcopum festinassent. Et sanè pars hæc (c) et consilium diaboli fuit, ut in tali ætate crimen imponerent Sacerdoti, qui erat fere septuaginta (d) annorum. Nec mora, conjuncto secum iterùm antedicto clerico, adli-
D gatur Sacerdos catenis ab ejus manibus, de cujus collo sæpius vincula discusserat; et arduæ custodiæ mancipatur ab eo, quem de cœnosis carceribus plerumque liberaverat. At ille cognoscens inimicos sibi vehementer invaluisse, Domini misericordiam cum lacrymis in vincula compactus exorat. Mox opprimuntur somno custodes, solutisque divinitus vinclis, de custodia procedit innoxius, noxiorum frequentissimus liberator : deinde dilapsus, ad regnum (e) Guntchramni Regis transiit. Quo discedente, liberiùs jam conjuncti satellites ad Regem Chilpericum properant pro episcopatu petendo, multa crimina de Episcopo proloquentes, addentes ista : *In hoc cognosce, Rex gloriosissime, vera esse hæc quæ dicimus, quia mortem pro sceleribus timens ad fratris tui transiit regnum.* Quod ille non credens, hos ad civitatem redire jubet. Dum hæc agerentur, mœsti cives de Pastoris absentia, cognoscentes omnia quæ de eo acta fuerant per invidiam et avaritiam perpetrata, adprehensum cum satellite Archidiaconum injuriæ subdentes, ad Regem petierunt, ut reciperent Sacerdotem
E suum. At Rex legatos fratri suo dirigit, adserens nihil se criminis in Episcopo reperisse. Tunc Guntchramnus Rex, ut erat benignus et profluus ad miserandum, multa ei munera contulit, dans etiam epistolas per omnes Episcopos regni sui, ut peregrinum aliquo (f) pro Dei intuitu consolarentur. Tunc circumiens civitates, tanta ei à Sacerdotibus Dei collata sunt, tam in vestibus quàm in auro, ut vix civitati quæ meruerat posset inferri : impletumque est illud quod ait Apostolus : *Quia diligentibus Deum omnia concurrunt in bonum.* Nam huic peregrinatio divitias attulit, et exsilium opes multas invexit. Post hæc regrediens à civibus cum tali honore sus- *Rom.* 8. 28.

(a) [Clun. *eorum miseriam.*]
(b) Juxta Canonum præscriptum, qui volunt Episcopos semper habere secum testes privatæ suæ conversationis, can. *Cum pastoris.* 2. qu. 7 Adi Gregor. M. lib. 4. epist. 44. Concellaneos appellat synod. Rom. in causa Symmachi, Græci Syncellos.
(c) Casin. *Et insaniæ pars hæc.*
(d) [Clun. *annorum octoginta.*]
(e) [Clun. *ad Regem Gunthrannum transiit.*]
(f) Bec. [et Clun.] *aliquid.*

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 584.

ceptus est, ut præ gaudio flerent, et benedicerent Deum, qui tandem Ecclesiæ tantum restituit Sacerdotem. A

XXXVII. Lupentius (a) verò Abbas basilicæ sancti Privati martyris urbis Gabalitanæ, à Brunichilde Regina arcessitus, advenit. Incusatus enim, ut ferunt, fuerat ab Innocentio supradictæ urbis Comite, quòd profanum aliquid effatus de Regina fuisset. Sed discussis causis, cùm nihil de crimine majestatis conscius esset inventus, discedere jussus est. Verùm ubi viam carpere cœpit, iterùm ab antedicto Comite captus, et ad Ponticonem villam deductus, multis suppliciis est adfectus : dimissusque iterùm ut rediret, cùm super Axonam fluvium tentorium tetendisset, iterùm inruit super eum inimicus ejus. Cujus vi (b) oppressi amputatum caput in culeum oneratum lapidibus posuit, et flumini dedit : reliquum verò corpus vinctum cum saxo immersit gurgiti. Post dies verò paucos adparuit quibusdam pastoribus, et B sic extractum à flumine sepulturæ mandatum est. Sed dum necessitates funeris pararentur, et ignoraretur quis esset è populo, præsertim cùm caput truncati non inveniretur, subitò adveniens aquila levavit culeum à fundo fluminis, et ripæ deposuit : admirantesque qui aderant, adprehenso culeo, dum sollicitè quid contineret inquirunt, caput truncati reperiunt, et sic cum reliquis artubus est sepultum. Nam ferunt nunc et lumen ibi divinitus adparere : et si infirmus ad hunc tumulum fideliter deprecatus fuerit, accepta sospitate recedit.

XXXVIII. Theodosius (c) Rutenorum Episcopus, qui sancto Dalmatio successerat, diem obiit : in qua Ecclesia in tantum pro Episcopatu intentiones et scandala orta convaluerunt, ut pænè sacris ministeriorum vasis et omni facultate meliori nudaretur : verumtamen Transobadus presbyter rejicitur, et Innocentius (d) Gabalitanorum Comes eligitur ad Episcopatum, opitulante Brunichilde Regina. Sed C adsumto Episcopatu, confestim Ursicinum Cadurcinæ (e) urbis Episcopum lacessere cœpit, dicens, quia diœceses Rutenæ Ecclesiæ debitas retineret. Unde factum est, ut diuturna intentione gliscente, post aliquot annos conjunctus Metropolis (f) cum suis provincialibus apud urbem Arvernam residens, judicium emanaret, scilicet ut parochias, quas numquam Rutena Ecclesia tenuisse recolebatur, reciperet : quod ita factum est.

XXXIX. Remigius (g) Biturigum Episcopus obiit : cujus post transitum gravi incendio pars maxima civitatis cremata est : ibique (h) illa quæ hostilitati resederant, perierunt. Post hæc Sulpicius in ipsa urbe ad sacerdotium, Guntchramno Rege favente, præeligitur. Nam cùm multi munera offerrent, hæc Rex Episcopatum quærentibus respondisse fertur : *Non est principatûs nostri consuetudo sacerdotium venumdare sub pretio ; sed nec vestrûm eum præmiis comparare : ne et nos turpis lucri infamia notemur, et vos Mago Simoni comparemini. Sed juxta Dei præscientiam Sulpicius vobis erit Episcopus.* Et sic ad clericatum deductus, Episcopatum Ecclesiæ supradictæ suscepit. Est enim (i) vir valde nobilis, et de primis Senatoribus Galliarum, in litteris bene eruditus rhetoricis, in metricis verò artibus nulli secundus. Hic (k) synodum illam, cujus suprà meminimus, pro parochiis Cadurcinis fieri commonuit. D

XL. Legatus verò, Oppila nomine, de Hispaniis advenit, multa munera Chilperico Regi deferens. Timebat enim Rex Hispanorum, ne Childebertus exercitum ad ulciscendam sororis suæ injuriam commoveret : quia Leuvichildus adprehensum

(a) Hoc caput deest in Vat. Corb. et Colb. a. S. Lupentii corpus Catalaunum allatum, in Ecclesia cathedrali servatum est usque ad annum 1667. quo Ecclesia fulmine die 19. Januarii icta conflagravit, simulque sacræ Reliquiæ, quæ ibi servabantur, consumtæ sunt. Quæ verò superfuerunt, ossa scilicet semiusta, et cineres, simul congesta in theca asservantur retro majus altare. Festum beati Lupentii ibidem die XI. Kal. Novembris colitur, diciturque vulgò *saint Louvent*.

(b) [Clun. *quem vi oppressum.*]

(c) Neque hoc caput exstat in Corb. Vat. et Colb. a. de S. Dalmatio, Theodosii electione, et Transobado vide suprà lib. 5. cap. 47. Transobadus dicitur in Colb. m. *Trusobaldus*, in Regm. *Teusobaldus*, in aliis *Trasobadus*.

(d) Is ipse, de quo cap. præced. et lib. 10. cap. 8.

(e) [Clun. *Cadorcinæ.*]

(f) Sic Colb. m. Regm. [et Clun.] quæ est sincera lectio : ita enim Gregorius et alii auctores ejus ævi habent pro *metropolitanus*. Vide Conc. Paris. III. can. 8. et Marculfi formulas : unde male apud Chesn. et aliquot alios editos *metropolitanis* : meliùs nonnulli *metropolitanus*. Is erat Sulpicius Severus, ex cap. sequenti, de quo lib. 10. cap. 26. Parochiæ verò, de quibus lis movebatur, illæ erant, ut suspicatur Valesius, quæ Arisitensi episcopatui attributæ fuerant, de quibus suprà lib. 5. cap. 5.

(g) Deest etiam hoc caput in Corb. Vat. et Colb. a. Idem antistes sub *Remedii* nomine subscripsit Concilio Matisc. 1. anno 581. Ejus et successoris sui Vita habetur in Patriarchio Bituricensi cap. 26. et 27. tom. 2. Biblioth. novæ Labbei.

(h) *Ibique*, *etc.* usque ad *perierunt*, desunt in Colb. m. [et Clun.] At Cas. habet *hostilitati restiterant*.

(i) [Clun. *erat enim vir.*]

(k) [*Hic synodum etc.* usque ad *commonuit*, desunt in Clun.]

A filium suum Hermenegildum, qui sororem (a) Childeberti acceperat, retruserat in custodiam, ipsa muliere cum Græcis relicta. Igitur cùm die sancto Paschæ hic legatus Turonis advenisset, sciscitati sumus utrùm nostræ religionis esset: respondit ipse se hoc credere quod Catholici credunt. Exinde procedens nobiscum ad Ecclesiam, Missarum solemnia tenuit : sed neque pacem cum nostris fecit, neque de sacrificiis communicavit (b). Cognitumque est mendacium esse quod dixerat, se esse Catholicum. Nihilominùs ad convivium invitatus adfuit. Cùmque ego sollicitus requirerem quid crederet, respondit : « Credo Patrem et Filium et Spiritum-
» Sanctum unius esse virtutis. Cui ego respondi : Si hæc, ut adseris, credis, quæ
» obstitit causa ut de sacrificiis, quæ Deo offerimus, communicare differes? et
» ille : Quia, inquit, Gloriam non rectè respondetis : nam juxta Paulum Apostolum nos dicimus, Gloria Deo Patri per Filium : vos autem dicitis, Gloria Patri
B » et Filio et Spiritui-Sancto : cum Doctores Ecclesiarum doceant, Patrem per Filium nuntiatum fuisse in mundo, sicut ipse Paulus ait : *Regi autem sæculorum im-* 1. *Tim.* 1. 12.
» *mortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum, per Jesum Chris-*
» *tum Dominum nostrum.* Et ego respondi : Patrem per Filium adnuntiatum nulli
» Catholico esse incognitum reor : sed sic prædicavit Patrem in (c) sæculo, ut et se
» virtutibus ostenderet Deum. Deo autem Patri hæc necessitas fuit Filium mittendi
» ad terras, ut ostenderet Deum : ut quia mundus Patriarchis, et Prophetis, at-
» que ipsi Latori legis non crediderat, saltem vel Filio crederet. Ideòque necesse
» est ut sub significatione personarum gloria detur Deo. Dicimus ergo, Gloria Deo
» Patri, qui misit Filium : gloria Deo Filio, qui sanguine suo redemit mundum : glo-
» ria Deo Spiritui sancto, qui sanctificat hominem jam redemtum. Nam tu qui
C » dicis, Gloria Patri per Filium, adimis gloriam Filio ; quasi ipse non sit gloriosus
» cum Patre, propterea quòd eum adnuntiavit in mundo. Nuntiavit, ut diximus,
» Filius Patrem in mundo, sed multi non crediderunt, dicente Johanne Evange-
» lista : *In sua* (d) *propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem eum rece-* *Joh.* 1. 12.
» *perunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Nam tu
» qui Paulo Apostolo derogas, et sensum ejus non intelligis, percipe quàm cautè
» loquitur, et juxta * ut recipere quis potest, adverte qualiter prædicat inter gentes * *al.* juste.
» incredulas, ut nulli onus grave videatur imponere, sicut quibusdam dicit : *Lac* (e) 1. *Cor.* 3. 2.
» *vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis.* *Heb.* 5. 14.
» *Perfectorum est enim solidus cibus.* Sed et aliis dicit : *Nihil vobis prædicavi, nisi* 1. *Cor.* 2. 2.
» *Christum, et hunc crucifixum.* Nunc autem quid vis, ô tu hæretice, quia Paulus
D » Christum tantùm crucifixum prædicavit, resurrexisse tu dubitas? Adverte potiùs
» cautelam ejus, et vide astutiam, quid aliis dicit, quos robustiores videbat in fide :
» *Et si*, inquit, *novimus Christum* (f) *crucifixum, nunc autem jam non novimus.* Nega 2. *Cor.* 5. 16.
» ergo tu accusator Pauli, si tanta mentem dementia cepit, quia nec crucifixus est.
» Sed, quæso, relinque ista, et audi consilium melius : adhibe collyria oculis lippis,
» et lucem prædicationis Apostolicæ percipe. Secundùm homines enim loquebatur
» Paulus humiliùs, ut eos ad celsioris fidei fastigia sublevaret, sicut alibi ait : *Omnibus* 1. *Cor.* 9. 22.
» *omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem.* Numquid homo mortalis non est daturus
» gloriam Filio, quem ipse Pater non semel, sed bis et tertiò glorificavit è cœlo?
» Ausculta quid de cœlis loquitur, cùm idem Filius, descendente Spiritu sancto,
E » sub Johannis manu baptizaretur : *Hic est*, ait, *Filius meus dilectus, in quo bene com-* *Matth.* 17. 5.
» *placui.* Certè si oppilatas habes aures, ut ista non audias, crede Apostolis quid in
» monte audierint, cùm transfiguratus Jesus in gloria loqueretur cum Moyse et
» Helia : nempe de nube splendida Pater ait : *Hic est Filius meus carissimus, ipsum audite.* 2. *Pet.* 1. 17.
» Ad hæc hæreticus respondit : Nihil in his testimoniis Pater de gloria loquitur Filii,
» nisi tantùm ipsum Filium monstrat. Et ego : Si enim ista sic recipis, proferam
» tibi aliud testimonium, in quo Pater reddidit Filium gloriosum. Veniente autem
» Domino ad Passionem, cùm ille diceret : *Pater glorifica Filium tuum, ut Filius* *Joh.* 17. 1.
» *tuus glorificet* (g) *te ;* quid ei Pater respondit de cœlo? Nonne ait : *Et glorificavi,* *Joh.* 12. 28.

(a) Ingundem Sigiberti filiam.

(b) Observa notatum hominem, qui cùm sacris interfuisset, iis non participaverat, nec pacem ab aliis fidelibus acceperat. Missas autem tenere, idem est ac ipsis interesse, ex can. 47. Concil. Agathensis, aut certè, si de sacerdote habeatur sermo, eas celebrare, ut in Regula S. P. Benedicti cap. 60. Vide Card. Bona lib. 1. rer. Liturgic. cap. 2. n. 6.

(c) [Clun. *in mundo.*]

(d) Sic Corb. Bec. Colb. a. Colb. c. et Regm. alii non habent *sua*. Et infrà Corb. et Regm. *quotquot eum, etc.*

(e) Hæc verba usque ad *nihil vobis*, desunt in Corb. quæ est scriptoris omissio.

(f) Editi *Jesum-Christum.*

(g) Regm. *Clarificet.* Et infrà *Clarificavi.....*

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 584. *Philipp.* 2. 11.

» *et iterùm glorificabo?* Ecce enim Pater glorificat eum propria voce, et tu ei gloriam A
» conaris adimere? Voluntatem quidem ostendis, sed potestas nulla suppetit. Nam
» qui Pauli Apostoli accusator exsistis, audi ipsum, immò Christum in ipso loquen-
» tem : *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus-Christus in gloria est Dei Patris.* Quòd
» si nunc communis est cum Patre gloria, et in ipsa qua nunc Pater est gloria com-
» moratur, qualiter eum tu quasi inglorium exhonoras? Aut cur non erit ei reddenda
» gloria inter homines, qui pari gloria cum Patre regnat in cœlis? Confitemur ergo
» Christum Filium Dei Deum verum : ideòque quia Deitas una, una erit et gloria. »
Post hæc dato silentio, ab altercatione cessatum est. Ille quoque ad Chilpericum Regem accedens, oblatis muneribus quæ Rex Hispanorum miserat, in Hispaniam est regressus.

XLI. Comperto autem Chilpericus Rex quòd Guntchramnus frater ejus cum Chil- B
deberto nepote suo pacem fecerat, et civitates, quas violenter invaserat, ei simul vellent auferre; cum omnibus thesauris suis in Cameracensem urbem discessit, et omnia quæ meliùs habere potuerat, secum tulit. Misitque ad Duces et Comites civitatum nuntios, ut muros componerent urbium, resque suas cum uxoribus et filiis infra murorum (a) munimenta concluderent : atque ipsi, si necessitas exigeret, repugnarent viriliter, ne eis pars adversa noceret, illud addens : *Et si aliquid perdideritis, cùm de inimicis* (b) *ulciscemur, majora conquiretis :* nesciens patrationem victoriarum in manu Dei consistere. Deinde sæpiùs exercitum commovet, et iterùm infra terminum requiescere jubet. His diebus ei filius natus est, quem in villa Victoriacensi (c) nutrire præcepit, dicens : *Ne forte dum publicè videtur, aliquid mali incurrat et moriatur.* C

XLII. Childebertus verò Rex in Italiam abiit. Quod cùm audissent Langobardi (d), timentes ne ab ejus exercitu cæderentur, subdiderunt se ditioni ejus, multa ei dantes munera, ac promittentes se parti ejus esse fideles atque subjectos : patratisque cum his omnibus quæ voluit Rex, in Gallias est regressus : atque exercitum commoveri præcepit, quem in Hispaniam dirigi jussit; sed quievit (e). Ab Imperatore autem Mauricio ante hos annos quinquaginta millia solidorum acceperat, ut Langobardos de Italia extruderet. Audito autem Imperator, quòd cum his in pace conjunctus est, pecuniam repetebat : sed hic fidus à solatiis, ne responsum quidem pro hac re voluit reddere.

XLIII. In Gallicia (f) quoque novæ res actæ sunt, quæ desuperiùs (g) memorabuntur. Igitur cùm Hermenegildus, sicut suprà diximus (h), patri infensus D
esset, et in civitate quadam Hispaniæ cum conjuge resideret, solatio fretus Imperatoris, atque Mironis (i) Galliciensis Regis, patrem ad se cum exercitu venire cognovit, consiliumque iniit qualiter venientem aut repelleret, aut necaret; nesciens miser judicium sibi imminere divinum, qui contra genitorem, quamlibet hæreticum, talia cogitaret. Habito ergo tractatu, de multis virorum millibus trecentos viros elegit armatos, et infra castrum Osser (k), in cujus Ecclesia fontes divinitus complentur, includit : ut scilicet primo impetu ab his pater territus ac lassatus, faciliùs ab inferiore manu, quæ erat plurima, vinceretur. Denique his dolis Leuvichildus Rex cognitis, cogitatione maxima fatigatur. *Si*, inquit, *illuc cum omni exercitu abiero, conglobatus in unum exercitus adversariorum jaculis crudelissimè sauciatur. Si verò cum paucis vadam, virorum fortium manum nequeo superare : tamen cum omnibus ibo* (l). Et accedens ad locum viros protrivit, castrumque combussit,

clarificabo. [Clun. *clarificet te.*]

(a) [Clun. *murorum tecta.*]

(b) [Dub. *ulciscimini.*]

(c) In Belgio, ubi occisus fuerat Sigibertus ex lib. 4. cap. ult. Filius autem Chilperici hîc memoratus, postmodùm Chlotarius dictus est, et patri in regno successit. [Dub. *nutrire jubet ne.*]

(d) De variis Childeberti in Italiam expeditionibus Paulus Diac. lib. 3. cap. 17. et seqq. Exstant ea de re aliquot epistolæ, quæ editæ sunt à Chesnio et Frehero, in quibus Mauricius et ejus præfecti de Francis, quasi de violatæ fidei reis conqueruntur. Autharius Clepi filius tunc apud Langobardos regnabat, qui *Flavius ob dignitatem* appellatus est; istudque *prænomen* subsequentibus Regibus gentis suæ transmisit, ut refert Paulus Diac. lib. 3. cap. 16.

(e) Regm. *sed nescio qua de causa remansit. Nam ab.*

(f) Corb. Colb. et Freh. *Gallia.* [Ita Dub.] Bad. meliùs *Callecia.*

(g) Gallicè *dessous :* unde Colb. a. habet, *inferiùs.*

(h) Lib. 5. cap. 39. quod vide. Urbs hîc memorata est Hispalis, cui tunc præerat Episcopus sanctus Leander, ad Tiberium Imp. legatus, ut opem adversùs Leuvigildum imploraret.

(i) Is erat Catholicus, patre ipsius cum tota Suevorum gente, cui imperabat, per Martinum Dumiensem ad fidem rectam adducto. Johannes Biclarensis, et Isidorus vulgatus in chronico scribunt Mironem in Leuvigildi auxilium accessisse, vitamque finiisse apud Hispalim.

(k) Alii *Osset*, seu *Oser.* [Dub. *Esser.*] castrum erat ex adverso Hispalis, olim à Romanis *Julia-Constantia* dictum.

(l) Corb. *ibit* pro *ivit*

sicut

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 584.

A sicut jam superiùs memoratum est. Patrata quoque victoria, cognovit Mironem Regem contra se cum exercitu residere. Quo circumdato, sacramenta exigit sibi in posterum fore fidelem. Et sic datis sibi invicem muneribus, unusquisque ad propria est regressus. Sed Miro postquàm in patriam rediit, non multos post dies conversus ad lectulum, obiit : infirmatus enim ab aquis Hispaniæ fuerat malis, aëribusque incommodis. Quo defuncto, filius ejus Eurichus Leuvichildi Regis amicitias expetit (a) : datoque, ut pater fecerat, sacramento, regnum Galliciense suscepit. Hoc verò anno cognatus ejus Audica (b), qui sororem illius desponsatam habebat, cum exercitu venit : adprehensumque clericum (c) facit, ac diaconatûs sive presbyterii ei imponi honorem jubet : ipse verò accepta soceri sui uxore (d), Galliciense regnum obtinuit. Leuvichildus verò filium suum Hermenegildum cepit, et secum
B usque Toletum adduxit, condemnans eum exsilio : uxorem tamen ejus à Græcis eripere non potuit.

XLIV. Locustæ quoque de Carpitania provincia, quam per quinque vastaverant annos, hoc anno progressæ, aggeremque publicum tenentes, ad aliam se provinciam, quæ huic vicina erat provinciæ, contulerunt. Quarum spatium in centum (e) quinquaginta extenditur millia longitudo, latitudo verò in centum millibus terminatur. Hoc anno multa prodigia adparuerunt in Galliis, vastationesque multæ fuerunt in populo. Nam mense Januario rosæ visæ sunt : circa solem quoque circulus magnus adparuit, diversis coloribus mixtus, ut solet in illo cœlestis iris ambitu pluvia discedente (f) monstrari. Pruina graviter vineas exussit : tempestas etiam subsecuta vineas segetesque per plurima loca vastavit, residuum
C quoque grandinis siccitas immensa consumsit. Exiguusque fructus in aliquibus vineis visus, in aliis verò nullus, ita ut irati contra Deum homines, patefactis aditibus vinearum, pecora vel jumenta intromitterent, noxias sibi immiscentes miseri preces, atque dicentes : *Numquam in his vineis palmes nascatur in sempiternum.* Arbores verò, quæ mense Julio poma protulerant, mense Septembri fructus alios ediderunt. Morbus pecorum iteratus invaluit, ita ut vix quicquam remaneret.

XLV. Interim advenientibus Calendis Septembribus, Gotthorum magna legatio ad Regem Chilpericum accedit. Ipse verò jam regressus Parisius, familias multas de domibus fiscalibus (g) auferri præcipit, et in plaustris componi : multos quoque flentes et nolentes abire, in custodiam retrudi jussit, ut eos faciliùs
D cum filia transmittere posset. Nam ferunt multos sibi ob hanc amaritudinem vitam laqueo extorsisse, dum de parentibus propriis auferri metuebant. Separabatur autem filius à patre, mater à filia, et cum gravi gemitu ac maledictionibus discedebant : tantusque (h) planctus in urbe Parisiaca erat, ut planctui compararetur Ægyptio. Multi verò meliores natu (i), qui vi compellebantur abire, testamenta condiderunt, resque suas ecclesiis deputantes, atque petentes, ut cùm in Hispanias puella introisset, statim testamenta illa, tamquam si jam essent sepulti, reserarentur. Intereà legati Regis Childeberti Parisius advenerunt, contestantes Chilperico Regi, ut nihil de civitatibus, quas de regno patris sui tenebat, auferret, aut de thesauris ejus in aliquo filiam muneraret, ac non mancipia, non equites *, non juga boum, neque aliquid hujuscemodi de his auderet adtingere. De qui-

* *al.* equos.

(a) [Clun. *expetüt. Hoc anno.* Media desunt.]

(b) Edit. *Auduca.* Regm. nomen non exprimit, [nec Clun.]

(c) Isidorus in Chronico, Euboricum Monachum factum in monasterio damnatum ab Audica fuisse scribit. Idem refert Leuvigildum Suevis bellum intulisse, in quo victus Audica, Presbyterii officio mancipatus est, quo pacto Suevorum Imperium in Hispaniis deletum fuit. Vide Joh. Biclar. Chronic.

(d) Siseguntia nimirum Mironis uxore, ex Johan. Biclar. Chronico.

(e) In Cod. Corb. [et Dub.] deest *centum.*

(f) Cod. Colb. [et Clun.] *descendente.*

(g) Hujus loci occasione de domibus fiscalibus agit Valesius lib. XI. Rerum Francic. aitque veteres Germanos non urbes, sed villas et vicos habitare consuevisse, in quibus suam quisque familiam, et pecus quamplurimum poterat, alebat. Nostri autem Reges, more hoc retento, complures ejusmodi villas habuerunt, per totum regnum sparsas, ita ut numquam ferè extra suas domos, etiam in itineribus, commanerent; ex quibus sibi suisque omnia fermè suppeditabantur. Ibi enim erant agricultores, vinitores, pastores, coqui, pistores, etc. qui suum quique opus exercebant, illique servi fiscales sive regales dicebantur; quos alii familiam dominicam, alii ministeriales regios appellabant. Iis tam villis, quàm hominibus præerant Domestici Regis, nonnumquam etiam Majores-domûs dicti, qui eò potentiores erant, quò pluribus villis præficiebantur; unicuique autem villæ suus erat procurator, actor-dominicus dictus, qui Domestico subjectus, ipsi rationem reddere tenebatur. Tales erant Regum nostrorum familiæ, ex quibus Chilpericus jure suo utens, multos etiam invitos in Hispaniam abire coëgit.

(h) [Clun. *tantus metus atque planctus.*]

(i) Sic dicebantur, qui dignitate aliqua aut opibus pollebant; nonnumquam etiam *majores-natu*, aut *seniores* appellabantur; et è contrario *minores-natu* qui nihil supra plebeïos habebant. Vide Glossar. Cangii.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 584.

bus legatis unum ferunt clam interemtum ; sed nescitur à quo : suspicio tamen ver- A
tebatur ad Regem. Promittens verò Chilpericus Rex nihil de his contingere, convocatis melioribus Francis, reliquisque fidelibus, nuptias celebravit filiæ suæ (a). Traditaque legatis Gotthorum, magnos ei thesauros dedit : sed et mater ejus immensum pondus auri argentique, sive vestimentorum protulit, ita ut videns hæc Rex, nihil sibi remansisse putaret. Quem cernens Regina commotum, conversa ad Francos, ita ait : *Ne putetis, ô viri, quicquam hîc de thesauris anteriorum Regum haberi : omnia enim quæ cernitis, de mea proprietate oblata sunt, quia mihi gloriosissimus Rex multa largitus est. Et ego nonnulla de proprio congregavi labore* (b), *et de domibus mihi concessis, tam de fructibus quàm de tributis, plurima reparavi. Sed et vos plerumque me muneribus vestris ditastis, de quibus sunt ista quæ nunc coram videtis : nam hîc de thesauris publicis nihil habetur.* Et sic animus Regis delusus est. B
Nam tanta fuit multitudo rerum, ut aurum argentumque, et reliqua ornamenta, quinquaginta plaustra levarent. Franci verò multa munera obtulerunt : alii aurum, alii argentum, nonnulli equites *, plerique vestimenta, et unusquisque ut potuit, donativum dedit. Jam verò valefaciens puella, post lacrymas et oscula, cùm de porta egrederetur, uno carrucæ effracto axe, omnes *Mala-hora* dixerunt : quod à quibusdam pro auspicio susceptum est. Denique hæc de Parisius progressa, octavo ab urbe milliario tentoria figi præcepit. Surgentes enim quinquaginta viri de nocte, adprehensis centum equitibus * optimis, totidemque frenis aureis, ac duabus catenis magnis, ad Childebertum Regem fuga dilapsi abierunt. Sed et per totum iter cùm labi quis potuisset, effugiebat, ferens secum quæ arripere potuisset. Adparatus quoque magnus expensæ (c) de diversis civitatibus in itinere congregatus est : in quo nihil de fisco suo Rex dari præcepit, nisi omnia de pauperum conjecturis (d). Sed quoniam suspicio erat Regi, ne frater aut nepos aliquas insidias puellæ in via pararent, vallatam ab exercitu pergere jussit. Erant autem cum ea viri magnifici, Bobo Dux filius Mummoleni cum uxore, quasi paranymphus, Domegiselus, et Ansovaldus ; major-domûs autem Waddo (e), qui olim Santonicum rexerat comitatum : reliquum verò vulgus super quatuor millia erat. Ceteri autem Duces et Camerarii (f), qui cum ea properaverant, de Pictavo regressi sunt : isti verò iter conficientes (g), pergebant ut poterant. Per quam viam tanta spolia, tantæque prædæ factæ sunt, ut vix valeant enarrari. Nam hospitiola pauperum exspoliabant, vineas devastabant : ita ut incisis caudicibus cum uvis (h) auferrent, levantes pecora, vel quicquid invenire potuissent ; nihilque per viam qua gradiebantur relinquentes ; impletumque est quod dictum est per Johel prophetam : *Residuum locustæ comedit eruca* (i), *et residuum erucæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.* Ita et hoc actum est tempore, ut residuum pruinæ protereret tempestas, et residuum tempestatis exureret siccitas, et residuum siccitatis auferret hostilitas.

* *i.* equos. *ita Dub.*

* *al.* equis. *ita Dub.*

Joel. 1. 4.

C

D

XLVI. His itaque cum hac præda pergentibus, Chilpericus, Nero nostri temporis et Herodes, ad villam Calensem, quæ distat ab urbe Parisiaca quasi centum stadiis, accedit, ibique venationes exercet. Quadam verò die regressus de venatione, jam subobscura nocte, dum de equo susciperetur, et unam manum super scapulam pueri retineret, adveniens (k) quidam eum cultro percutit sub ascellam, iteratoque ictu ventrem ejus perforat : statimque profluente copia sanguinis tam per os quàm per aditum vulneris, iniquum fudit spiritum. Quam verò malitiam gesserit, superior lectio docet. Nam regiones plurimas sæpiùs devastavit atque succendit : de quibus nihil doloris, sed lætitiam magis habebat, sicut quondam Nero, cùm inter incendia palatii tragœdias decantaret (l). Persæpe homines pro facultatibus eorum injustè punivit : in cujus tempore pauci quodammodo

(a) Vide cap. 9. libri sequentis.
(b) In Corb. [et Dub.] deest *labore*.
(c) Regm. et Chesn. *et expensæ... congregatæ sunt.*
(d) Id est contributionibus aut collectis, potissimùm quæ extra ordinem fiebant : alias *conjecta* dicebantur, ut observat Bignonius ad lib. 1. Marculfi cap. 3.
(e) Colb. in. [Clun.] et Chesn. al. *Watdo*, Regm. *Wardo*, Bec. *Waldo*. In indice capitum Colb. a. *Walado*.
(f) Camerarios eosdem aĉ cubicularios fuisse censet Bignonius in formul. 25. lib. 1. Marculfi. Eorum officia Hincmarus exponit his verbis : *De honestate verò palatii, seu specialiter ornamento regali, nec non et de donis annuis militum, absque cibo et potu vel equis, ad Reginam præcipuè, et sub ipsa ad camerarium pertinebat, etc.* Vide Tilium, Falcetum Orig. lib. 1. cap. 11. et Cangium in Glossario.
(g) [Clun. *conficiebant pergentes.*]
(h) Corb. *Coticibus cunctis.*
(i) Corb. *erugo.*
(k) [Clun. *sustentaret, adveniens.*] * In Chronico sancti Benigni eadem verba describuntur ; sed additur : *adveniens quidam, nomine Falco, qui missus à Brunichilde fuerat, eum cultro, etc.*
(l) Apud Sueton. lib. 6. cap. 38.

GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. An. Chr. 584.

A episcopatum Clerici meruerunt. Erat enim gulæ deditus, cujus deus venter fuit; nullumque se asserebat esse prudentiorem : confecitque duos libros, quasi Sedulium meditatus, quorum versiculi debiles nullis pedibus subsistere possunt, in quibus, dum non intelligebat, pro longis syllabas breves posuit, et pro brevibus longas statuebat : et alia opuscula, vel hymnos, sive missas (a), quæ nulla ratione suscipi possunt. Causas pauperum exosas habebat, Sacerdotes Domini assiduè blasphemabat : nec aliunde magis dum secretus esset, exercebat ridicula vel jocos, quàm de Ecclesiarum Episcopis. Illum ferebat levem, alium superbum : illum abundantem, istum luxuriosum : illum asserebat elatum, hunc tumidum. Nullum plus (b) odio habens quàm Ecclesias. Aiebat enim plerumque : *Ecce pauper remansit fiscus noster, ecce divitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ : nulli penitus, nisi*
B *soli Episcopi regnant : periit honor noster, et translatus est ad Episcopos civitatum.* Hæc aiens (c) assiduè testamenta quæ in Ecclesias conscripta erant, plerumque disrupit, ipsasque patris sui præceptiones, putans quòd non remaneret qui voluntatem ejus servaret, sæpe calcavit. Jam de libidine atque luxuria non potest reperiri in cogitatione, quòd non perpetrasset in opere; novaque semper ad lædendum populum ingenia perquirebat; nam si quos hoc tempore culpabiles reperisset, oculos eis jubebat erui. Et in præceptionibus, quas ad judices pro suis utilitatibus dirigebat, hæc addebat : *Si quis præcepta nostra contemserit, oculorum avulsione multetur.* Nullum umquam purè dilexit, à nullo dilectus est : ideòque cùm spiritum exhalasset, omnes eum reliquerunt sui (d). Mallulfus autem Silvanectensis Episcopus, qui jam tertia die in tentorio residebat, et ipsum videre non
C poterat, ut eum interemtum audivit, advenit; ablutumque vestimentis melioribus induit, noctem in hymnis deductam, in navim levavit, et in basilica sancti Vincentii, quæ est Parisius, sepelivit (e), Fredegunde Regina in Ecclesia derelicta (f).

Explicit liber sextus Georgii Florentis, sive Gregorii Turonensis Episcopi. Deo gratias.

(a) Id est collectas seu orationes, uti viri docti interpretantur. Quàm varias autem significationes patiatur vox *Missa*, nemo nescit.

(b) Sic Corb. et Bec. alii *nullam rem plus.*

(c) Aliàs, *agens.* [ita Clun. paulò pòst, *in Ecclesiis.*]

(d) Corb. non habet *sui.* Porrò Mallulfus, aliis *Malulfus*, in Colb. m. Regm. [et Clun.] *Madulfus*, Aimoino *Madalulfus*, colitur uti Sanctus apud Silvanectenses IV. Nonas Maii, qui dies est Translationis ejus.

(e) Visitur etiam nunc in sancti Germani à Pratis basilica monumentum Chilperici Regis, sed quod non videtur esse tantæ antiquitatis. Quæ autem inscriptiones à Valesio circa finem libri 11. rer. Franc. referuntur, ad alium quempiam Hilpericum, regiæ, uti ex nomine conjicere licet, prosapiæ principem, revocandæ sunt. Certum est enim vel ex ipso Gregorio, non solùm Reges, sed etiam alios Francorum Principes in ea basilica sepeliri solitos fuisse, quam de novo Chilpericus ædificasse dicitur in Testamento Bertranni Episc. Cenomann. ubi idem Rex *inclytus* appellatur et *bonæ recordationis.* De ejus nece vide notas in cap. ult. Fredegarii, qui reliquos Gregorii libros non adtigit in Epitome.

(f) Hîc desinit cod. Corbeiensis, nisi quòd sub lib. 4. finem, tam in illo cod. quàm in Bellovacensi, refertur fragmentum ex capp. 7. et 8. libri 7. Hæc verba *explicit etc.* ex Corb. descripsimus. [Cod. Clun. habet tantùm, *Explicit liber VI.*]

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEPTIMI.

I. De obitu sancti Salvii Episcopi.
II. De conlisione Carnotenorum et Aurelianensium.
III. De interitu Vedasti cognomento Avi.
IV. Quòd Fredegundis in Ecclesiam confugit; et de thesauris ad Childebertum ductis.
V. Quòd Guntchramnus Rex Parisius venit.
VI. Quòd idem Rex ea, quæ de regno Chariberti erant, sibi subegit.
VII. Quòd Legati Childeberti Fredegundem requirunt.
VIII. Quòd Rex populum petiit ne, ut fratres ejus, interimatur.
IX. Quòd Rigunthis à Desiderio thesauris ablatis retenta est.
X. Quòd Gundovaldus in regno elevatus est; et de Rigunthe filia Regis Chilperici.
XI. De signis quæ adparuerunt.
XII. De incendio regionis Turonicæ, et virtute sancti Martini.
XIII. De incendio et prædis Pictavæ urbis.
XIV. De Legatis Childeberti Regis ad Guntchramnum Regem missis.
XV. De malitia Fredegundis.

XVI. De regressu Prætextati Episcopi.
XVII. De Promoto Episcopo.
XVIII. De eo quod Regi dictum est, ut se cautum redderet, ne occideretur.
XIX. Quòd Regina in villam abire jussa est.
XX. Quòd eadem emisit qui Brunichildem necaret.
* *mss.* al. Berulfi. *XXI. De fuga et custodia Eberulfi* *.
XXII. De malitia ejus.
XXIII. De Judæo interfecto cum suis.
XXIV. De præda urbis Pictavæ.
XXV. De spoliis Marileifi.
XXVI. Quòd Gundovaldus civitates circumit.
* *mss.* al. Aginulfi. *XXVII. De injuria Magnulfi* * *Episcopi.*
XXVIII. Quòd exercitus inante accessit.
XXIX. De interitu Eberulfi.
XXX. De Legatis Gundovaldi.
XXXI. De reliquiis sancti Sergii martyris.
XXXII. De aliis Gundovaldi Legatis.
XXXIII. Quòd Childebertus ad Guntchramnum patruum suum venit.
XXXIV. Quòd Gundovaldus Convenas abiit.
XXXV. De basilica sancti Vincentii martyris Agennensis vastata.
XXXVI. De conlocutione Gundovaldi cum exercitu.
XXXVII. De bello contra urbem.
XXXVIII. De interitu Gundovaldi.
XXXIX. De interitu Sagittarii Episcopi et Mummoli.
XL. De thesauris Mummoli.
XLI. De gigante.
XLII. De virtute sancti Martini.
XLIII. De Desiderio et de Wadone.
XLIV. De muliere Pythonissa.
XLV. De fame anni præsentis.
XLVI. De interitu Christophori.
XLVII. De bello civili inter cives Turonicos.

LIBER SEPTIMUS.

GUNTRAM. CHILDEB. II. An. Chr. 584.

I. LICET (a) sit studium historiam prosequi, quam priorum librorum ordo reliquit, tamen priùs aliqua de beati Salvii Episcopi obitu exposcit loqui devotio, qui hoc anno obiisse probatur (b). Hic enim, ut ipse referre erat solitus, diu in habitu sæculari commoratus, cum judicibus sæculi mundiales causas est exsecutus : numquam tamen se in his concupiscentiis obligans, quibus adolescentum animus solitus est (c) implicari. Jam cùm divini spiramenti odor interna viscerum adtigisset, relicta sæculari militia monasterium expetivit, intellexitque vir jam tunc divinitati deditus, melius esse uti paupertate cum Dei timore, quàm sæculi pereuntis lucra sectari : in quo monasterio diu sub Regula à Patribus instituta versatus est. Jam verò cùm in robore majori tam intellectùs quàm ætatis evectus esset, defuncto Abbate, qui huic monasterio præerat, alendi gregis suscipit officium ; et qui se magis fratribus publicum pro correctione reddere debuerat, fit adsumto honore remotior. Illicò sibi secretiorem cellulam quærit : nam in priore, ut ipse adserebat, ampliùs quàm novem vicibus nimia exesus abstinentia, pellem corporis demutavit. Denique accepto honore, cùm in hac contentiùs parsimonia orationi et lectioni vacaret, illud plerumque revolvebat, melius sibi fieri, si esset inter Monachos occultus, quàm nomen acceperit Abbatis in populos. Quid plura? includitur valedicens fratribus, sibique ipsis valedicentibus. In qua

(a) Deest hoc caput in Colb. a. et Vat.

(b) Colitur die 10. Septembris. Gregorius infrà lib. 8. cap. 22. habet : *Post obitum sancti Salvii, hoc anno* (scilicet DLXXXV.) *Desideratus Albigensibus Episcopus datus est.* Hinc aliquot saltem mensibus sedes vacasse dicenda est. Inter utrumque nonnulli scribunt Theofridum sedisse.

(c) [Clun. *solet implicari.*]

A inclusione in omni abstinentia, magis quàm priùs egerat, commoratur : studens pro caritatis obsequio, ut cùm quisque venisset extraneus, et orationem tribueret, et eulogias (a) gratia plenissima ministraret : quæ multis infirmis plerumque salutem integram detulerunt. Quodam autem tempore, febre nimia exhaustus, anhelus jacebat in lectulo : et ecce subitò magno lumine cellula clarificata contremuit. At ille extensis ad cœlum manibus cum gratiarum actione, spiritum exhalavit. Mixto quoque ululatu Monachi cum ipsius genitrice corpus defuncti extrahunt, aqua diluunt, vestimentis induunt, et feretro superponunt, atque in psallentio fletuque labentem exigunt noctem. Mane autem facto, funeris officio præparato, corpus moveri cœpit in feretro. Et ecce malis rubescentibus, vir quasi de gravi
B somno suscitatus, excutitur, apertisque oculis, et manibus elevatis, ait : *O Domine misericors, quid fecisti mihi, ut me in hunc tenebrosum mundanæ habitationis locum redire permitteres, cùm mihi melior esset in cœlo tua misericordia, quàm istius mundi vita nequissima?* Stupentibus autem suis, et interrogantibus quid fuerit tale prodigium, nihil interrogantibus ille respondit. Surgens autem de feretro, nihil mali sentiens de incommodo quo laboraverat (b), triduo absque cibi ac poculi perstitit alimento. Die autem tertio, convocatis Monachis et matre ait : *Audite, ô dilectissimi, et intelligite, quia nihil est quod cernitis in hoc mundo : sed sunt, juxta id quod Salomon propheta cecinit, omnia vanitas. Felix est enim, qui ea agere potest in sæculo, ut gloriam Dei cernere mereatur in cœlo.* Et cùm hæc diceret, dubitare cœpit utrùm loqueretur ampliùs, an sileret. Quo tacente, implicitus fratrum precibus ut quid vidisset exponeret, ait : « Cùm me ante hos quatuor dies contre- *Eccl.* 1. 2.
C » miscente cellula exanimem vidistis, adprehensus à duobus Angelis in cœlo- » rum excelsa sublatus sum, ita ut non solùm hoc squalidum sæculum, verùm » etiam solem ac lunam, nubes et sidera sub pedibus habere putarem : deinde » per portam luce ista clariorem introductus sum in illud habitaculum, in quo » omne pavimentum erat quasi aurum argentumque renitens, lux ineffabilis, am- » plitudo inenarrabilis ; quam ita multitudo promiscui sexûs obtexerat, ut longitudo » ac latitudo catervæ prorsùs pervideri non possit. Cùmque nobis via inter com- » primentes, ab his qui præcedebant Angelis, pararetur, pervenimus ad locum, » quem jam de longinquo contemplabamur : in quo superpendebat nubes omni » luce lucidior, in quo non sol, non luna, non astrum cerni poterat, sed super » his omnibus naturali luce splendidius (c) effulgebat, et vox procedebat de
D » nube tamquam vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem humiliter saluta- » bant viri in veste sacerdotali ac sæculari, quos mihi qui præcedebant, enarra- » verunt esse Martyres ac Confessores, quos hîc summo excolimus famulatu. » Stans igitur in loco in quo jussus sum, operuit me odor nimiæ suavitatis ; ita » ut ab hac suavitate refectus, nullum adhuc cibum potumque desiderem. Et au- » divi vocem dicentem : Revertatur hic in sæculum, quoniam necessarius est Ec- » clesiis nostris. Vox enim audiebatur : nam qui loqueretur penitus cerni non pote- » rat. Et ego prostratus super pavimentum, cum fletu dicebam : Heu ! heu ! » Domine ! cur mihi hæc ostendisti, si ab his frustrandus eram ! Ecce hodie eji- » cis me à facie tua, ut revertar ad sæculum fragile, et huc ultrà redire non va- » leam. Ne, quæso, Domine, auferas misericordiam tuam à me, sed deprecor » ut permittas me hîc habitare, ne illuc decidens peream. Et ait vox quæ loque- » batur mihi : Vade in pace. Ego enim sum custos tuus, donec reducam te in » hunc locum. Tunc relictus à comitibus meis, descendens cum fletu, per por-
E » tam qua ingressus fueram, huc sum regressus. » Hæc eo loquente, stupentibus cunctis qui aderant, cœpit iterùm Sanctus Dei cum lacrymis dicere : « Væ mihi » qui tale mysterium ausus sum revelare. Ecce enim odor suavitatis, quem de » loco sancto hauseram, et in quo per hoc triduum sine ullo cibo potuque » sustentatus sum, recessit à me. Sed et lingua mea gravibus est operta vulneribus, » et ita tumefacta, ut omne eos meum videatur implere. Et scio quia non fuit » beneplacitum Domino Deo meo, ut hæc arcana vulgarentur. Sed tu nosti, » Domine, quia in simplicitate cordis hæc feci, non in jactantia mentis. Sed » quæso ut indulgeas, et non me derelinquas, juxta pollicitationem tuam. » Et hæc dicens siluit, et accepit cibum potumque. Ego verò hæc scribens, vereor

(a) [Hæc verba, *et eulogias gratia plenissima ministraret,* desunt in cod. Clun.]

(b) [Clun. *incommodo quod habuerat.*]

(c) Maj. m. Colb. m. et Regm. *splendidus.*

GUNTRAM. CHILDEB. II. An. Chr. 584.

ne alicui legenti sit incredibile, juxta id quod Salustius historiam scribens ait (a) : *Ubi de virtute atque gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit : supra ea, veluti ficta pro falsis ducit.* Nam testor Deum omnipotentem, quia ab ipsius ore omnia quæ retuli, audita cognovi. Post multum verò tempus ipse vir beatus cellula sua extractus, ad episcopatum electus, invitus est ordinatus : in quo, ut opinor, decimum annum cùm ageret, invalescente apud Albigensem urbem inguinario morbo, et maxima jam parte de populo illo defuncta, cùm jam pauci de civibus remanerent, vir beatus, tamquam bonus pastor, numquam ab illo loco recedere voluit, sed semper hortabatur eos qui relicti erant, orationi incumbere, ac vigiliis instanter insistere : et bona semper tam in operibus quàm in cogitatione versare, dicens : *Hæc agite, ut, si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in judicium, sed in requiem introire possitis.* Cùm autem, ut credo, jam revelante Domino, tempus suæ vocationis agnosceret, ipse sibi sarcofagum composuit, corpus abluit, vestem induit : et sic intentum semper cœlo beatum spiritum exhalavit. Fuit autem magnæ sanctitatis, minimæque cupiditatis, aurum numquam habere volens. Nam si coactus accepisset, protinùs pauperibus erogabat. Cujus tempore cùm Mummolus patricius multos captivos ab ea urbe duxisset, prosecutus ille omnes redemit. Tantamque ei Dominus gratiam cum populo illo tribuit, ut ipsi etiam qui captivos duxerant, et de pretio ei concederent, et in reliquo munerarent (b) : et sic patriæ suæ captivos libertati pristinæ restauravit. Multaque de hoc viro bona audivi : sed dum ad historiæ cœptum reverti cupio, plurima prætermitto.

II. Defuncto igitur Chilperico, inventaque (c) quam diu quæsierat morte, Aurelianenses cum Blesensibus (d) juncti super Dunenses inruunt, eosque inopinantes proterunt : domos annonasque, vel quæ movere facilè (e) non poterant, incendio tradunt ; pecora diripiunt, atque res quas levare poterant, sustulerunt : quibus discedentibus conjuncti Dunenses cum reliquis Carnotenis, de vestigio subsequuntur, simili sorte eos adficientes qua ipsi adfecti fuerant, nihil in domibus, vel extra domos, vel de domibus relinquentes. Cùmque adhuc inter se jurgia commoventes desævirent, et Aurelianenses contra hos arma concuterent, intercedentibus Comitibus, pax usque in audientiam data est, scilicet ut in die quo judicium erat futurum, pars quæ contra partem injustè exarserat, justitia mediante componeret. Et sic à bello cessatum est.

III. Vedastes (f) cognomento Avo, qui ante hos annos Lupum Ambrosiumque pro amore uxoris Ambrosii interfecerat, et ipsam sibi, quæ consobrina sua esse dicebatur, in matrimonium acceperat, dum multa scelera infra Pictavum terminum perpetraret, quodam loco cum Childerico Saxone conjunctus, dum se invicem conviciis lacessirent, unus ex pueris Childerici (g) Avonem hasta transfixit. Qui ad terram ruens, plerisque adhuc ictibus sauciatus, iniquam animam sanguine defluente refudit : fuitque ultrix divina majestas sanguinis innocentis, quem propria effuderat manu. Multa enim furta, homicidia, adulteriaque miserrimus sæpe commiserat, quæ silere melius puto. Composuit tamen filiis Saxo ille mortem ejus.

IV. Intereà Fredegundis Regina jam viduata Parisius advenit, et cum thesauris, quos infra murorum sæpta concluserat, ad Ecclesiam confugit (h), atque à Ragnemodo fovetur Episcopo : reliquos verò thesauros, qui apud villam Calam remanserant, in quibus erat missorium illud aureum, quod nuper fecerat *, the-

* *lib.* 6. *c.* 2.

(a) Initio libri de bello Catilinario.

(b) Maj. m. *et honore condigno munerarent.*

(c) Hæc verba *inventaque etc. morte.* desunt in Regm.

(d) Hæc est prima Blesensium apud veteres auctores mentio, ut monet Valesius in Notitia. Erant sicut et Dunenses sub Carnotena diœcesi, à qua Dunenses sub Sigiberto Rege sese subtrahere frustrà tentaverunt. Nam Promotus, qui Dunensis Episcopus ab Ægidio Remorum Episcopo institutus fuerat, loco suo excidit, ut infrà dicetur cap. 17. sed feliciores fuere hoc sæculo Blesenses, quibus, agente Ludovico Magno, episcopalem cathedram concessit Innocentius XII. Pontifex Roman. Carnotena diœcesi in duas divisa ; indeque primus hujus sedis Episcopus hoc anno 1697. quo scribimus, die 15. Septembris illustriss. dominus David Nicolaus de Bertier consecratus est.

(e) Bec. et Colb. duo, *movere habile non.* [Clun. *moveri habile non.*]

(f) Hoc caput deest in Colb. a. et Vat. Alii *Vedastus*, Bec. Colb. m. et Regm. *cognomento Avus.* [Dub. *Vidastis cognomento Avius;* infrà, *Avionem.* Clun. *Vedastus cognomento Avus ;* infrà, *Avonem.*] Confer caput 13. libri præcedentis.

(g) Colb. m. *Chilperici.*

(h) Ex hoc loco Valesius in lib. de basilicis Parisiacis cap. 1. probat adv. Launoium, majorem seu cathedralem Parisiorum Ecclesiam intra urbem sub 1. Regum nostrorum stirpe exstitisse. Et quidem certum est *Ecclesiæ* nomine passim apud Gregorium cathedralem Ecclesiam designari.

A saurarii levaverunt, et ad Childebertum Regem, qui tunc apud Meldensem (a) commorabatur urbem, velociter transierunt. GUNTRAM. CHILDEB. II. An. Chr. 584.

V. Fredegundis igitur Regina accepto consilio, legatos ad Guntchramnum Regem mittit, dicens : *Veniat dominus meus, et suscipiat regnum fratris sui. Est*, inquit, *mihi infans parvulus, quem in ejus ulnis ponere desiderans* (b), *me autem ipsam ejus humilio ditioni.* Comperto autem Guntchramnus Rex de fratris excessu, amarissimè flevit. Moderato quoque planctu, commoto exercitu Parisius dirigit. Cùmque ille infra muros susceptus fuisset, Childebertus Rex nepos ejus ab alia advenit parte.

VI. Sed cùm eum Parisiaci recipere nollent, legatos ad Guntchramnum Re-
B gem dirigit, dicens : « Scio, piissime pater, non latere pietatem tuam (c), qua-
» liter utrumque usque præsens tempus pars oppresserit inimica, ut nullus de rebus
» sibi debitis possit invenire justitiam : idcircò supplex nunc deprecor, ut placita,
» quæ inter nos post patris mei obitum sunt innexa, custodiantur. Tunc Gunt-
» chramnus Rex legatis illius ait : O miseri et semper perfidi, nihil in vobis ve-
» rum habentes, neque in promissis permanentes, ecce omnibus quæ mihi polli-
» citi estis relictis, cum Chilperico Rege novam pactionem scripsistis, ut me à
» regno depulso, civitates meas inter se dividerent. Ecce pactiones ipsas (d),
» ecce manûs vestræ subscriptiones, quibus hanc conniventiam confirmastis (e) :
» et qua nunc fronte quæritis, ut nepotem meum Childebertum suscipere de-
» beam, quem mihi vestra perversitate voluistis facere inimicum? Cui legati dixe-
» runt : Si tantùm mentem iracundia cepit, ut nihil nepoti tuo de his quæ polli-
C » citus es indulgeas, vel illa, quæ de regno Chariberti debentur, auferre desiste.
» Quibus ille ait : Ecce pactiones quæ inter nos factæ sunt, ut quisquis sine fratris
» voluntate Parisius urbem ingrederetur, amitteret partem suam, essetque Polioctus
» martyr (f), cum Hilario atque Martino confessoribus, judex ac retributor ejus.
» Post hæc ingressus est in eam germanus meus Sigibertus, qui judicio Dei in-
» teriens, amisit partem suam. Similiter et Chilpericus gessit. Per has ergo trans-
» gressiones amiserunt partes suas : ideòque quia illi juxta Dei judicium et maledic-
» tiones pactionum defecerunt, omne regnum Chariberti cum thesauris ejus, meis
» ditionibus, lege opitulante, subjiciam : nec exinde alicui quicquam nisi spontanea
» voluntate indulgeam. Absistite igitur vos semper mendaces ac perfidi, et hæc Regi
» vestro referte ».

D VII. Quibus discedentibus, legati iterùm Childeberti ad antedictum Regem veniunt, Fredegundem Reginam requirentes, atque dicentes : *Redde homicidam, quæ amitam meam suggillavit, quæ patrem interfecit, et patruum : quæ ipsos quoque consobrinos meos gladio interemit* (g). At ille : *In placito*, inquit, *quod habemus, cuncta decernimus, tractantes quid oporteat fieri.* Nam Fredegundem patrocinio suo fovebat, ipsamque sæpiùs ad convivium evocans, promittens (h) se ei fieri maximum defensorem. Quadam verò die dum pariter ad mensam epularentur, Regina consurgens, et valedicens à Rege detinebatur, dicente sibi : *Adhuc aliquid cibi sume.* Cui illa : *Indulge*, inquit, *deprecor domine mi, quia juxta consuetudinem mulierum contigit mihi, ut pro conceptu consurgam.* Hæc ille audiens, obstupuit, sciens quartum esse mensem, ex quo alium ediderat filium : tamen permisit eam consurgere. Priores quoque de regno Chilperici, ut erat Ansovaldus (i) et reliqui, ad filium ejus qui erat, ut superiùs diximus, quatuor mensium, se collegerunt, quem Chlotharium (k) vocitaverunt, exigentes sacramenta per civitates, quæ ad Chilpericum (l) priùs adspexerant, ut scilicet fideles esse debeant Guntchramno Regi, ac nepoti suo Chlothario. Guntchramnus verò Rex omnia, quæ fideles Regis Chilperici non rectè diversis abstulerant, justitia intercedente, resti- CHLOTARIUS II.

(a) Bec. *apud Maldesim.*
(b) [Clun. *desidero.*]
(c) [Clun. *pietati tuæ.*]
(d) [Clun. *pactiones meas..... convenientiam firmastis.*]
(e) Confer cap. 3. lib. 6. ubi de Guntramno pellendo actum fuerat, qui conventiones illas ex Chilperici scriniis tunc in sua potestate habebat.
(f) Hic præ ceteris electus fuerat, quòd in perjuris puniendis celebris esset, ut testatur ipse Gregorius lib. 1. de Gloria Mart. cap. 103.
(g) Fredegundis accusabatur quòd Gailesvintham, Childeberti materteram strangulari fecisset, ac Sigibertum ejusdem patrem, Chilpericum patruum, et Chlodoveum ac Meroveum fratres ejus patrueles, interimi procurasset.
(h) Chesn. et Colb. a. alia manu, *promittebat.* Regm. *se fieri illius maximum, etc.*
(i) [Dub. *Ansoaldus.*]
(k) Idem ac patruus nomen habebat; priorem Chlothacharium ex vetustissimis codd. scripsimus : istum verò *Chlotarium*, seu *Clotharium*, aut *Hlotharium* scripti nostri vulgò appellant, quos sequimur.
(l) [Clun. *quæ erant priùs Childeberti, et ad eum aspexerant.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 584.

tuit. Multa et ipse Ecclesiis conferens : testamenta quoque defunctorum, qui Ecclesias heredes instituerant, et ab Chilperico compressa fuerant, restauravit : multisque (a) se benignum exhibens, ac multa pauperibus tribuens. A

VIII. Sed quia non erat fidus ab hominibus (b) inter quos venerat, armis se munivit, nec umquam ad Ecclesiam aut reliqua loca quò ire delectabat, sine grandi pergebat custodia. Unde factum est, ut quadam die Dominica, postquàm Diaconus silentium (c) populis ut Missæ auscultarentur, indixit, Rex conversus ad populum diceret : *Adjuro vos, ô viri cum mulieribus qui adestis, ut mihi fidem inviolatam servare dignemini, nec me, ut fratres meos nuper fecistis, interimatis : liceatque mihi vel tribus annis* (d) *nepotes meos, qui mihi adoptivi facti sunt filii, enutrire : ne fortè contingat, quod Divinitas æterna non patiatur, ut cum illis parvulis, me defuncto, simul pereatis ; cùm de genere nostro robustus non fuerit qui defenset.* Hæc eo dicente, omnis populus oratio- B nem pro Rege fudit ad Dominum.

IX. Dum hæc agerentur, Rigunthis Chilperici Regis filia, cum thesauris suprà scriptis, usque Tholosam accessit : et cernens se jam ad terminum Gotthorum esse propinquam, moras innectere cœpit, dicentibus sibi tum prætereà suis, oportere eam ibidem commorari, cùm ipsi fatigati de itinere, vestimenta (e) haberent inculta, calciamenta scissa, ipsosque equorum atque carrucarum adparatus adhuc, sicut plaustris evecti erant, seorsum esse disjunctos. Oportere potiùs omnia hæc priùs diligenter stabiliri, et sic in itinere proficisci, ac suscipi cum omni elegantia ab sponso : ne fortè si inculti inter Gotthos adparerent, inriderentur ab ipsis. Dum ergo his retardarentur ex causis, mors Chilperici Regis in aures Desiderii Ducis inlabitur. Ipse quoque collectis secum viris fortissimis, Tholosam urbem ingreditur, repertosque C
Rigunthis. thesauros abstulit de potestate Reginæ *, et in domum quamdam sub sigillorum munitione ac virorum fortium custodia mancipat, deputans Reginæ victum artum, donec ad urbem regrederetur.

X. Ipse verò ad Mummolum, cum quo fœdus ante duos annos inierat, properavit. Morabatur tunc Mummolus infra muros Avennicæ urbis cum Gundo-
* *cap.* 24. valdo (f), cujus in libro superiore meminimus *. Qui conjunctus cum supradictis Ducibus Lemovicinum accedens, Brivam-Curretiam (g) vicum, in quo sanctus Martinus nostri, ut aiunt, Martini discipulus, requiescit, advenit : ibique parmæ superpositus, Rex est levatus. Sed cùm tertiò cum eodem gyrarent, cecidisse fertur, ita ut vix manibus circumstantium sustentari potuisset. Deinde ibat per civitates in circuitu positas. Rigunthis verò in basilica sanctæ Mariæ Tholosæ, in D quam Ragnovaldi uxor, cujus suprà meminimus (h), Chilpericum metuens confugerat, residebat. Ragnovaldus verò de Hispaniis rediens, uxori facultatique restituitur. Legationis enim causa Hispaniam petierat à Rege Guntchramno directus. Magno ea tempestate incendio basilica antè dicti Martini beati apud Brivam vicum ab imminenti hoste cremata est, ita ut tam altarium quàm columnæ, quæ de diversis marmorum generibus aptatæ erant, ab igne dissolverentur. Sed ita hæc ædes in posterum à Ferreolo Episcopo (i) reparata est, tamquam si nihil

(a) Colb. alia manu *cunctisque*. Regm. *atque in multis*.

(b) Sic Corb. Bell. Bec. et Colb. a. ceteri *ab omnibus*.

(c) Silentium indicebatur à Diacono ante Evangelii lectionem ex libro 1. Beati Abbatis. In Muzarabum Missa, quæ nostræ conformis erat, silentium quoque imperabatur ante Epistolam. Vide Mabillon. Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 5. Silentium autem quod hîc Diaconus indixisse dicitur, fiebat post Evangelii lectionem, quando celebrans populo paucis verbis exponebat quo de mysterio, aut de cujus Sancti memoria celebranda esset solemnitas. Quam præfatiunculam oratio seu collecta sequebatur.

(d) Post tres annos Childebertus attigisset annum ætatis 18. proindeque se ipsum, et parvulum Chlotharium tunc tueri potuisset. [Clun. *adoptativi.*]

(e) [Clun. *de itinere, calciamenta haberent inculta atque scissa.*]

(f) [Dub. *Gundoaldo*, et sic deinceps.]

(g) Sic dictus est vicus ille à ponte supra Curretiam fluvium imposito. Briva enim antiqua lingua Gallica pontem significat. Nunc oppidum est satis elegans in Lemovicibus, Briva-Hilaris dictum, vulgò *Brive la Gaillarde*, prope Curretiæ, *la Courreze*, et Viseræ, *la Vezere*, confluentes, in hodierno episcopatu Tutelensi. * Tutelæ propinquior est quàm Lemovicum urbi ; est tamen diœceseos Lemovicensis. Martinus, quem hîc Gregorius laudat, colitur apud Lemovices die XIV. Kalend. Octobris.

(h) Dicitur in libro præced. cap. 12. in basilica sancti Saturnini resedisse. Fortè post aliquam moram in basilica sancti Saturnini ad sanctam Mariam transierat. Basilica sanctæ Mariæ hîc laudata, hodieque celebris est sub titulo beatæ Mariæ Deauratæ, vulgò *Nostre-Dame de la Dorade*, Ordini Benedictino, et Congregationi sancti Mauri subjecta, ubi reliquiæ supersunt vetustissimæ imaginis beatæ Mariæ ex opere musivo, quæ loco nomen tribuit. Nonnulli existimant *Deauratæ* titulum non ita pridem basilicæ sanctæ Mariæ fuisse inditum ; sed ab eo solummodò tempore, quo altera apud Tolosam Ecclesia in honorem beatæ Mariæ ædificata fuit, quæ Dealbata, *Nostre-Dame de la Dalbade*, cognominata est : ad cujus distinctionem vetus beatæ Mariæ basilica Deauratæ nomen ferre cœperit, occasione operis musivi sive tesselati diversas Sanctorum imagines repræsentantis, quo obducti sunt hujus Ecclesiæ parietes.

(i) Is Episcopus fuit Lemovicensis, de quo

mali

A mali pertulerit. Vehementer enim admirantur veneranturque hunc Sanctum incolæ, eò quòd plerumque virtutes ejus experiantur.

XI. Erat enim cùm hæc agebantur, mensis decimus. Tunc apparuerunt in caudicibus vinearum palmites novi cum uvis deformatis, in arboribus flores : pharus magna per cœlum discurrens, quæ priusquàm lux in die fieret, latè mundum inluminavit. Apparuerunt etiam in cœlo et radii : à parte septemtrionali columna ignea, quasi de cœlo pendens, per duarum horarum spatium visa est, cui stella magna superposita erat. In Andegavo autem terra tremuit : et multa alia signa apparuerunt, quæ, ut opinor, ipsius Gundovaldi interitum nuntiaverunt.

XII. Igitur Guntchramnus Rex Comites suos ad comprehendendas civitates quas
B quondam Sigibertus de regno Chariberti fratris sui acceperat, direxit; ut exigentes sacramenta, suis eas ditionibus subjugarent. Turonici verò atque Pictavi ad Childebertum, Sigiberti filium, transire voluerunt : sed commoti Biturici contra eos venire disponunt, atque infra terminum Turonicum incendia facere cœperunt. Tunc Maroialensem (a) Ecclesiam termini Turonici, in qua sancti Martini reliquiæ habebantur, incendio concremarunt : sed virtus Beati adfuit, ut in tam valido incendio pallulæ, quæ super altarium fuerant positæ, non consumerentur ab igne. Et non solùm ipsæ, sed etiam herbulæ olim collectæ, altarioque locatæ, nequaquam exustæ sunt (b). Quæ incendia videntes Turonici legationem mittunt, dicentes, melius sibi esse ad tempus Guntchrammo Regi subdi, quàm cuncta incendio aut ferro vastari.

C XIII. Confestim autem post mortem Chilperici Gararicus Dux Lemovicas accesserat, et sacramenta ex nomine Childeberti susceperat, exinde Pictavis veniens, ab ipsis receptus est, et ibi morabatur. Audiens autem quæ Turonici patiebantur, mittit legationem, obtestans ne nos ad partem Guntchramni Regis tradere deberemus, si nobis vellemus esse consultum : sed meminerimus potiùs Sigiberti, qui quondam genitor Childeberti fuit. Nos verò hæc rursùm Episcopo et civibus mandata remisimus, quòd, nisi se ad tempus Guntchramno Regi subderent, similia paterentur, adserentes hunc esse nunc patrem super duos filios, Sigiberti scilicet et Chilperici, qui ei fuerant adoptati : et sic tenere regni principatum, ut quondam Chlothacharius Rex fecerat pater ejus. His quoque non
D adquiescentibus, Gararicus de civitate egreditur, quasi exercitum adducturus, in urbe verò Eberonem cubicularium Childeberti Regis relinquens. Sicharius verò cum Willachario (c) Aurelianensi Comite, qui tunc Turonis acceperat (d), exercitum contra Pictavos commovit, ut scilicet ab una parte Turonici, ab alia Biturici commoti cuncta vastarent. Qui cùm ad terminum propinquassent, ac domos cremare cœpissent, miserunt ad eos Pictavi legatos, dicentes : *Petimus ut usque in placito, quod inter se Guntchramnus et Childebertus Reges habent, sustineatis. Quòd si convenit ut pagos hos bonus* (e) *Rex Guntchramnus accipiat, non resistimus : sin aliud, dominum nostrum recognoscimus, cui servire pleniùs debeamus.* Ad hæc illi responderunt : *Nihil ad nos* (f) *de hac causa pertinet, nisi tantùm jussa Principis adimplere.*
E *Nam si nolueritis, cuncta ut cœpimus devastamus.* Cùmque in hoc res ageretur, ut universa incendio, prædæ atque captivitati traderentur : ejectis de civitate hominibus Childeberti, sacramenta Guntchramno Regi dederunt, non longo tempore ea custodientes.

XIV. Igitur adveniente placito, directi sunt à Childeberto Rege Egidius Episcopus, Guntchramnus-Boso, Sigivaldus (g), et alii multi ad Guntchramnum Regem, ingressisque ad eum, ait Episcopus : « Gratias agimus Deo omnipotenti, » ô piissime Rex, quòd te post multos labores regionibus tuis regnoque resti- » tuit. Cui Rex ait : Illi enim dignæ sunt gratiæ referendæ, qui est Rex Regum, » et Dominus dominorum (h), qui hæc sua miseratione operari dignatus est.

suprà lib. 5. cap. 29. Interfuit concilio Matisc. II. anno 585. Sanctum Aridium sepelivit ex ejus Vita.

(a) Maroialum vicus est ripæ Cari adjacens in Turonum, Biturigum et Blesensium confinio, hodie *Mareuil sur Cher* vulgò dictus. Ecclesia hujus vici hodieque S. Martino sacra est, ac præter parochiæ titulum Prioratu decoratur Ordinis Benedictini à Villalupensi Abbatia pendente, ut monet Marollius.

(b) Ejusmodi herbulas altaribus aut Sanctorum tumulis aliquamdiu impositas colligebant posteà fideles, ad medelam morborum.

(c) Cod Regm. *Willichario*, Colb. a. *Willario*.

(d) Colb. a. altera manu *Turonis residebat*.

(e) Variant ferè omnes codices. Colb. a. Regm. Chesn. et Freh. habent *ut pagos hos Rex*. Colb. m. Bec. et Illyr. *ut pacis bonus Rex*. [Ita Dub. et Clun.] Colb. et Bign. *ut pacis symbolum Rex*. Bad. *ut pacificè nos Rex*.

(f) Alii habent, *Nihil vobis*, Bec. *Nihil nobis*. [Clun. *illa respondit, Nihil nobis*.]

(g) [Dub. *Sigoaldus*.]

(h) [Clun. *dominus dominantium*.]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 584.

» Nam non tibi, cujus consilio doloso ac perjuriis regiones meæ anno superiore A
» incensæ sunt, qui numquam fidem integram cum ullo homine habuisti, cujus
» dolositas ubique dispergitur, qui non Sacerdotem, sed inimicum regni nostri
» te esse declaras. » Ad hæc verba Episcopus iracundia commotus (a) siluit. Unus autem ex legatis dixit : « Supplicat nepos tuus Childebertus, ut civitates quas pater
» ejus tenuit, reddi jubeas. Ad hæc ille respondit : Jam dixi vobis priùs, quia
» pactiones nostræ mihi hæc conferunt : ideòque eas reddere nolo. Alius quoque
» legatorum ait : Rogat nepos tuus, ut Fredegundem maleficam, per quam multi
» Reges interfecti sunt, reddi jubeas ad ulciscendam mortem patris, patrui, et
» consobrinorum suorum. At ille : Tradi ei, inquit, in potestatem non poterit,
» quia filium Regem habet. Sed et ea quæ contra illam adseritis, vera esse non B
» credo. » Post hos Guntchramnus-Boso, quasi aliquid suggesturus, ad Regem accedit. Et quia sonuerat Gundovaldum manifestè Regem levatum, anticipans Rex verba ejus, ait : « O inimice regionis regnique nostri, qui propiereà ante
» hos annos Orientem adgressus es, ut Ballomerem (b) quemdam, (sic enim
» vocabat Rex Gundovaldum), super regnum nostrum adduceres, semper per-
» fidè, et numquam custodiens quæ promittis. Cui ille : Tu, inquit, dominus et
» Rex regali in solio resides, et nullus tibi ad ea quæ loqueris ausus est respon-
» dere : insontem enim me de hac causa profiteor. At si aliquis est similis mihi,
» qui hoc crimen impingat occultè, veniat nunc palam, et loquatur. Tu, ô Rex
» piissime, ponens hoc in Dei judicio (c), ut ille discernat cùm nos in unius C
» campi planitie viderit dimicare. Ad hæc, cunctis silentibus, addidit Rex : Om-
» nibus autem hæc causa animos accendere debet, ut repellatur à finibus nostris
» advena, cujus pater molendina (d) gubernavit : et, ut verè dicam, pater ejus
» pectinibus insedit, lanasque composuit ». Et quamquam possit fieri, ut unus homo utriusque artificii magisterio subderetur, ad (e) increpationem tamen Regis quidam ex ipsis respondit. « Ergo duos, ut adseris, patres hic homo habuit, lana-
» rium simul molendinariumque. Absit à te, ô Rex, ut tam incultè loquaris.
» Non enim auditum est unum hominem, præter spiritalem causam, duos habere
» posse pariter genitores (f). Dehinc cùm multi solverentur in risu, respondit
» alius legatorum, dicens : Valedicimus tibi, ô Rex : nam quia reddere noluisti civi-
» tates nepotis tui, scimus salvam esse securim, quæ fratrum tuorum capitibus est D
» defixa : celeriùs tuum librabit defixa cerebrum ». Et sic cum scandalo discesserunt. Tunc Rex his verbis succensus, jussit super capita euntium projici equorum stercora, putrefactas hastulas, paleas, ac fœnum putredine dissolutum, ipsumque fœtidum urbis lutum. Quibus de rebus maculati graviter, non sine immensa injuria atque contumelia abierunt.

XV. Residente verò Fredegunde regina in Ecclesia Parisiaca, Leonardus ex domestico, qui tunc ab urbe Tholosa advenerat, ingressus ad eam, causas contumeliæ injuriasque filiæ ejus narrare cœpit, dicens : *Quia juxta imperium tuum accessi cum Regina Rigunthe, ac vidi humilitatem ejus, et qualiter exspoliata est à thesauris et omnibus rebus : ego verò per fugam dilapsus, veni nuntiare dominæ meæ quæ gesta sunt.* Hæc illa audiens, furore commota, jussit eum in ipsa Ecclesia spoliari, nudatumque E vestimentis, ac baltheo, quod ex munere Chilperici Regis habebat, discedere à sua jubet præsentia. Coquos quoque sive pistores, vel quoscumque de hoc itinere regressos esse cognovit, cæsos spoliatosque ac demanicatos reliquit. Nectarium autem, Baudegisili (g) Episcopi fratrem, nefandis accusationibus cum * Rege tentavit obruere, adserens eum de thesauro Regis mortui multa portasse. Sed et de promtuariis tam tergora quàm vina multa eum abstulisse dicebat, petens ut vinctus carceralibus tenebris truderetur : sed patientia Regis, fratrisque auxilium fieri non permisit. Multa quidem ibi vana exercens, non metuebat Deum, in cujus Ecclesia petebat

* i. *apud Regem.*

(a) [Clun. *iracundia repletus.*]

(b) Id est falsum dominum seu pseudo-principem.

(c) [Dub. *in Dei judicium.*] Bec. *Tunc ô Rex..... judicium.* Colb. a. altera manu, *Ego, ô Rex..... ponam hoc etc.* Et infrà eadem manu pro *animos*, appositum est *fideles hujus regni.* Diu perseveravit pessima illa consuetudo lites dubias duello dirimendi, quæ etiam in controversiis circa res Ecclesiarum frequenter locum habebat. Vide Ansegisi Collectionem lib. 4. cap. 23. Numquam tamen ejusmodi pugnas approbavit Ecclesia, licèt auctoritate publica sæpiùs factæ fuerint. Ceterùm omne genus duelli Ludovici Magni edictis compressum, et penitus nunc in Galliis abrogatum est.

(d) [Dub. *molina*, Clun. *molinas.*]

(e) Clun. *ab increpatione... molinarium.*]

(f) Unum scilicet naturalem, et alterum spiritualem in baptismo.

(g) Is fuit Episcopus Cenomannensis, de quo suprà lib. 6. cap. 9. Nectarii viri magnifici mentio habetur in Miraculis sancti Aridii.

A auxilium. Habebat tunc temporis secum Audonem judicem, qui ei tempore Regis in multis consenserat malis. Ipse enim cum Mummolo præfecto multos de Francis, qui tempore Childeberti Regis senioris Ingenui (a) fuerant, publico tributo subegit. Qui post mortem Regis ab ipsis spoliatus ac denudatus est, ut nihil ei præter quod super se auferre potuit, remaneret. Domos enim ejus incendio subdiderunt: abstulissent utique et ipsam vitam, ni cum Regina Ecclesiam expetisset.

XVI. Prætextatum verò Episcopum ægrè suscipit, quem cives Rothomagenses (b) post excessum Regis de exsilio expetentes, cum grandi lætitia et laude civitati suæ restituerunt. Post reditum verò suum ad urbem Parisiacam advenit, ac se Guntchramno Regi repræsentavit, exorans ut causam suam diligenter exquireret. Adserebat enim Regina eum non debere recipi, qui fuisset per judicium quadraginta quinque
B Episcoporum à sacerdotali officio segregatus (c). Cùmque Rex pro hac causa Synodum excitare vellet, Ragnemodus hujus urbis Episcopus, pro omnibus responsum reddidit, dicens : *Scitote ei pœnitentiam indictam à Sacerdotibus, non tamen eum prorsùs ab episcopatu remotum.* Et sic à Rege susceptus, atque convivio ejus adscitus, ad urbem suam regressus est.

XVII. Promotus (d) verò qui in Dunensi castro, ordinante Sigiberto Rege, Episcopus fuerat institutus, et post mortem Regis amotus fuerat, eò quòd castrum illud esset diœcesis Carnotenæ, contra quem ita judicium latum fuerat (e), ut presbyterii tantùm officio fungeretur; accessit ad Regem, deprecans ut ordinationem episcopatûs in antedicto castro reciperet. Sed obsistente Pappolo Carnotenæ urbis Episcopo, ac dicente quia diœcesis meæ est, ostendente præsertim judicio Episcoporum, nihil aliud potuit
C obtinere cum Rege, nisi ea quæ sub ipsius castri termino propria habebat, reciperet, in quo cum genitrice adhuc superstite moraretur (f).

XVIII. Commorante verò Rege apud urbem Parisiacam, venit quidam pauper, dicens : *Audi Rex, verba oris mei. Noveris enim quia Faraulfus, cubicularius quondam fratris tui, quærit te interficere. Audivi enim consilium ejus, ut eunte te matutina oratione ad Ecclesiam, aut cultro adpeteret, aut hasta transfoderet.* Obstupefactus autem Rex, misit vocari eum. Quo negante, de his Rex metuens armis se valdè munivit. Nec penitùs ad loca sancta, vel aliò, nisi vallatus armatis atque custodibus, procedebat. Faraulfus autem non post multum tempus mortuus est.

XIX. Cùm autem clamor fieret magnus adversùs eos, qui potentes cum Rege fuerant Chilperico, scilicet quòd abstulissent vel villas, vel res reliquas de rebus alienis, omnia
D quæ injustè ablata fuerant Rex reddi præcepit, sicut jam superiùs indicatum est *. Fredegundem quoque Reginam ad villam Rhotoialensem (g), quæ in Rothomagensi termino sita est, abire præcepit. Secutique sunt eam omnes (h) meliores natu regni Chilperici regis : ibique relinquentes eam cum Melanito Episcopo (i), qui de Rothomago submotus fuerat, ad filium ejus se transtulerunt, promittentes quòd ab eis studiosissimè nutriretur.

* *cap.* 7.

XX. Postquàm autem Fredegundis Regina ad supradictam villam abiit, cùm esset valdè mœsta, quòd ei potestas ex parte fuisset ablata, meliorem (k) se existimans Brunichildem, misit occultè clericum sibi familiarem, qui eam circumventam dolis interimere posset, videlicet ut cùm se subtiliter in ejus subderet famulatum,
E ab ea credi posset, et sic clam percelleretur (l). Veniens igitur clericus, cum diversis ingeniis se eidem commendavit, dicens : *A facie Fredegundis Reginæ fugio, deposcens auxilium tuum.* Cœpit se etiam omnibus reddere humilem, carum, obe-

(a) * *Ingenui,* id est, tributo immunes.

(b) [Dub. *Rotomenses.* Infrà, *Rotomense termino.*]

(c) Vide suprà lib. 5. cap. 19. ubi de Conc. Parisiensi hac de causa congregato. Ibi Prætextatus sacerdotio quidem summotus non fuerat, resistente Gregorio nostro Turonensi : at cùm nonnullorum factione Melanius in ejus locum fuisset subrogatus, eum sacerdotio privatum dixit Fredegundis. Et quidem Canonibus vetitum semper fuit duos Episcopos simul eidem Ecclesiæ præesse.

(d) Hoc caput deest in Regm. Dunense castrum, vulgò *Château-Dun*, oppidum est ad flumen Lidericum, *le Loir*, ubi ante Promotum aliquamdiu sedisse dicitur Aventinus S. Sollemnis frater, uterque Carnotensium Episcopus. Vide Bolland. ad diem 4. Februarii.

(e) In Concilio Paris. anno 573. habito, cujus litteræ ea de re ad Sigibertum Regem, tum ad Ægidium Remensem Metropolitanum, qui manus Promoto imposuerat, habentur.

(f) Subscripsit tamen anno sequenti, cum Episcopis qui sedem non habebant, Concilio Matisc. II.

(g) Vicus haud procul à confluentibus Auturæ et Sequanæ, vulgò *Rueil* seu *Rueuil* dicitur. Ejus nomen non exprimunt Colb. m. et Regm. Bec. verò *Rethoialensim.* [Clun. mendosè, *ad villam Rotomagensim abire.*]

(h) Regm. *secutæ sunt..... omnes mulieres meliores natu, etc.*

(i) Is Prætextato in exsilium detruso fuerat subrogatus.

(k) Sic Colb. duo cum Bec. Id est, existimans Brunichildi meliorem quam sibi sortem obtigisse, ut animadvertit Valesius, quamvis in Colb. m. lectionem altera manus vitiaverit, reponendo ut in editis, *meliorem se existimans Brunichilde.*

(l) [Clun. *percoliretur.* Infrà cap. 22 sub finem

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 584.

dientem, ac Reginæ privatum. Sed non longo tempore interposito, intellexerunt A eum dolosè transmissum : vinctusque ac cæsus, cùm rem patefecisset occultam (a) redire permissus est ad patronam : reseransque quæ acta fuerant, effatus quòd jussa patrare non potuisset, manuum ac pedum abscissione multatur.

XXI. His ita gestis, cùm Rex Guntchramnus Cabillonum (b) regressus mortem fratris conaretur inquirere, et Regina crimen super Eberulfum (c) cubicularium imposuisset, (rogatus enim fuerat ab ea, ut post mortem Regis cum ipsa resideret ; sed obtinere non potuit :) hac ergo inimicitia pullulante, adseruit Regina ab eodem Principem fuisse interfectum, ipsumque multa de thesauris abstulisse, et sic in Turonicum * abscessisse : ideòque si Rex mortem fratris desideraret ulcisci, noverit hujus causæ hunc esse signiferum. Tunc Rex juravit omnibus optimatibus, quòd non modò ipsum, verùm etiam progeniem ejus in nonam generationem deleret, ut per horum necem B consuetudo auferretur iniqua, ne Reges ampliùs interficerentur. Quod cùm Eberulfus comperisset, basilicam sancti Martini, cujus res sæpe pervaserat, expetivit. Tunc data occasione ut custodiretur, Aurelianenses atque Blesenses vicissim ad has excubias veniebant, impletisque quindecim diebus, cum multa præda revertebantur, abducentes jumenta, pecora, vel quodcumque diripere potuissent. Illi verò qui beati Martini jumenta abduxerant, commota altercatione, se invicem lanceis transfixerunt. Duo qui mulas diripiebant, in domum vicini cujusdam accedentes, potum rogare cœperunt. Cùmque ille se habere negaret, elevatis lanceis ut eum transfoderent, hic extracto gladio utrumque perfodit, ceciderunt que ambo, et mortui sunt : jumenta tamen sancti Martini reddita sunt. Tantaque ibi tunc mala per hos Aurelianenses gesta sunt, ut nequeant explicari. C

* *al.* transisse.

XXII. Dum autem hæc agerentur, res ipsius Eberulfi diversis conceduntur, aurum, argentumque, vel alias meliores species, quas secum retinebat, in medio expositæ sunt (d). Quod verò commendatum habuit, publicatum est : greges etiam equorum, porcorum, jumentorumque diripiuntur. Domus verò infra-muranea, quam de dominatione Ecclesiæ abstulerat, referta annonis, vino atque tergoribus rebusque aliis multis, adplenè spoliata est ; nec ibi aliud quàm parietes vacui remanserunt. Ex hoc nos maximè suspectos habebat, qui in causis ejus fideliter currebamus, promittens plerumque, quòd si umquam ad Regis gratiam perveniret, in nobis hæc quæ perferebat ulcisceretur. Deus enim novit, cui arcana pectoris revelantur, quia de puro corde, in quantum potuimus, solatium ministravimus : et quamquam multas nobis insidias priùs de rebus sancti Martini fecisset, exstabat tamen D causa ut easdem obliviscerer, eò quòd filium ejus de sacro lavacro suscepissem. Sed, credo, infelici illi ea res maximum fuit impedimentum, quòd nullam reverentiam sancto præstabat Antistiti. Nam sæpè cædes infra ipsum atrium, quod ad pedes beati exstat (e), exegit, exercens assiduè ebrietates ac vanitates. Presbyterum quoque unum, pro eo quòd ei vinum dare differret, cùm jam crapulatus adspiceret, elisum super scamnum pugnis ac diversis ictibus verberavit, ut pænè animam reddere videretur ; et fecisset forsitan, si ei medicorum ventosæ (f) non subvenissent. Habebat enim pro timore Regis in ipso salutatorio (g) beatæ basilicæ mansionem. Cùm autem Presbyter, qui claves ostii retinebat, clausis reliquis recessisset, per illud salutatorii ostium introeuntes puellæ, cum reliquis pueris ejus suspiciebant picturas parietum, rimabanturque ornamenta beati sepulcri : quod valdè facinorosum religionis E erat. Quod cùm Presbyter cognovisset, defixis clavis super ostium, intrinsecus seras aptavit. Hæc ille cùm post cœnam vino madidus advertisset, et nos in basilica in initio noctis orationis gratia psalleremus, furibundus ingreditur, meque conviciis ac maledictionibus urgere cœpit, illud inter jurgia exprobrans, quòd ego eum velim à sancti Antistitis fimbriis separare. Sed ego stupens quæ virum cepisset insania, blandis eum sermonibus mulcere conatus sum. Sed cùm ejus furias verbis lenibus superare non possem, silere decrevi. Ille verò me tacitum intendens, ad

pro *percellebantur*, habet quoque, *percolebantur* : fortè mendum utrobique in cod. Clun.]

(a) [Clun. *patefecisset, occultè redire.*]

(b) [Dub. *Cabillono ;* Clun. *Cavillonum*, et sic deinceps.]

(c) Mss. excepto Bec. in capitum indice habent, *Berulfus*. Cubicularii cum aliis Palatii proceribus Regi in placitis adsidebant, ut patet ex lib. 1. Marculfi formula 25. Alii domesticos appellant.

(d) Sic Colb. a. altera manu. Ceteri habent, *exposvit*. [Ita Dub. et Clun.] Infrà *commendatum*, id est, apud alios depositum.

(e) [Clun. *beati erat*. Infrà *crapulatus adspiceretur*.]

(f) Colb. duo *solatia*.

(g) Colb. m. [et Clun.] *salutario*, et infrà *salutarii*. Casin. *sacrario*..... *sacrarii*. Sed retinenda vox salutatorii, de qua vide suprà ad cap. 21. lib. 2.

A Presbyterum (a) convertitur, evomitque in eum multa convicia : nam et illum verbis procacibus, et me diversis obprobriis impugnabat. Nos verò cùm vidissemus eum, ut ita dicam, agi à dæmone, egressi à Basilica sancta scandalum vigiliasque finivimus, illud maximè indignum ferentes, quòd hoc (b) jurgium absque reverentia Sancti ante ipsum sepulcrum Antistitis excitaverat. His diebus vidi somnium, quod ipsi in sancta Basilica retuli, dicens : « Putabam me quasi in hac Basilica sacro-
» sancta Missarum sollemnia celebrare : cùmque jam altarium cum oblationibus
» pallio (c) serico coopertum esset, subitò ingredientem Guntchramnum regem
» conspicio, qui voce magna clamabat : Extrahite inimicum generationis nostræ,
» evellite homicidam à sacro Dei altario. At ego cùm hæc audirem, ad te con-
» versus dixi : Adprehende pallium altaris, infelix, quo sacra munera (d) conte-
B » guntur, ne hinc abjiciaris. Cùmque adprehenderes, laxabas eum manu, et non
» viriliter detinebas. Ego verò expansis manibus, contra pectus Regis meum pectus
» aptabam, dicens : Noli ejicere hunc hominem de basilica sancta, ne vitæ peri-
» culum patiaris, ne te sanctus Antistes sua virtute confodiat. Noli te proprio jaculo
» interimere : quia hoc si feceris, præsenti vita æternaque carebis. Sed cùm Rex
» mihi resisteret, tu laxabas pallium, et post me veniebas. Ego verò valde tibi mo-
» lestus eram. Cùmque reverteres ad altarium, adprehendebas pallium, sed rursùm
» relinquebas. Dum hoc tu tepidè retineres, et ego viriliter Regi resisterem, evi-
» gilavi pavore conterritus, ignarus quid somnium indicaret. « Igitur cùm ei ista narrassem, ait : *Verum est somnium quod vidisti, quod valde cogitationi meæ concordat.* Cui ego : *Ecquid providit cogitatio tua ?* Et ille : *Deliberatum*, inquit, *habui, ut si*
C *me Rex ab hoc loco juberet extrahi, ab una manu pallas altaris tenerem, ab alia verò, evaginato gladio, te priùs interfecto, quantoscumque deinceps clericos reperissem, in mortem prosternerem. Nec mihi post hæc erat injuria leto succumbere, si de hujus Sancti clericis acciperem ultionem.* Hæc ego audiens et stupens, admirabar quod erat, quia per os ejus diabolus loquebatur : numquam enim in Deum ullum timorem habuit. Nam dum esset in libertate, equi ejus ac pecora per segetes pauperum vineasque dimittebantur. Quòd si expellebantur ab his quorum evertebant labores, statim à suis percellebantur. Nam in hac angustia quæ erat, sæpe commemorabat, quòd res beati Antistitis abstulisset injustè. Denique anno superiore commotum (e) quemdam levem è civibus Ecclesiæ actores fecit interpellare. Tunc postposita justitia, res, quas olim Ecclesia possidebat, sub specie emtionis abstraxit, data ipsi homini parte
D aurea balthei sui. Sed * et talia multa perversè egit usque ad finem vitæ suæ, quem (f) in posterum explanabimus. * *al.* hæc.

XXIII. Præsenti (g) quoque anno Armentarius Judæus cum uno sectæ suæ satellite et duobus Christianis, ad exigendas cautiones, quas ei propter tributa publica Injuriosus ex Vicario, ex Comite verò Eunomius deposuerant, Turonis advenit : interpellatisque viris, promissionem accepit de reddendo pecuniæ fœnore cum usuris, dicentibus sibi prætereà ipsis : *Si ad domum nostram veneris, et quæ debentur exsolvimus, et aliis te muneribus, sicut dignum est, honoramus.* Eo quoque eunte, ab Injurioso suscipitur, et convivio conlocatur ; expletoque epulo, adpropinquante nocte commoti ab eodem loco ad alium transeunt. Tunc, ut ferunt, Judæi cum duobus Christianis ab Injuriosi hominibus interfecti, in puteum, qui propinquus erat domui ejus, projecti sunt. Auditis his parentes eorum quæ gesta fuerant, Turonis advenerunt, datoque quibusdam hominibus indicio puteum repe-
E riunt, virosque extrahunt, multùm negante Injurioso, quòd in hac causa non fuerat inquinatus. Post hæc in judicium venit : sed cùm fortiter (h), ut diximus, denegaret, et hi non haberent qualiter eum convincere possent, judicatum est, ut se insontem redderet sacramento. Sed nec hoc his adquiescentibus, placitum in Regis Childeberti præsentia posuerunt. Verumtamen neque pecunia, neque cautiones Judæi defuncti repertæ sunt. Loquebantur tunc multi hominum Medardum tribu-

(a) Bec. *presbyterium* : qua voce omnes Presbyteri qui aderant designarentur : sed nostra lectio melior est.

(b) Sic Bad. Colb. m. *quod ab hoc*, Chesn. *ad hoc*, ceteri cum Bec. *quo ad nos*.

(c) Facta oblatione in Missa Presbyter ex oblatis, quantum satis erat ad sacrificium, fideliumque communionem, assumebat, quod contegebat palla seu pallio altaris. Vide lib. 1. de Liturg. Gallic. cap. 3. num. 10.

(d) [Clun. *sacramenta..... cùmque adprehendisses eum.*]

(e) Commotum, viri nomen proprium fuisse putat Alteserra.

(f) Editi ut plurimùm, *quæ in.* [Ita Dub.] Vide cap. 29.

(g) Deest hoc caput in Colb. a. et Vat.

(h) Vide Marculfum libri 1. formula 38.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

num (a) in hoc scelere mixtum fuisse, eò (b) quòd et ipse à Judæo pecuniam mu- A
tuasset. Injuriosus tamen ad placitum in conspectu Regis Childeberti advenit, et per
triduum usque ad occasum solis (c) observavit. Sed cùm hi non venissent, neque de
causa hæc ab ullo interpellatus fuisset, ad propria rediit.

XXIV. Anno igitur decimo Childeberti Regis Rex Guntchramnus commotis gentibus regni sui magnum junxit exercitum. Sed pars major cum Aurelianensibus atque Bituricis Pictavum petiit : excesserant enim de fide quam Regi promiserant. Miseruntque priùs legationem, ut scirent utrùm susciperentur ab his, an non. Sed Episcopus loci Maroveus (d) durè suscepit hos nuntios. At illi infra terminum ingressi, prædas, incendia atque homicidia faciebant. Hi verò qui cum præda revertebantur, per Turonicam transeuntes, similiter illis qui jam sacramenta dederant, faciebant : ita ut ipsæ quoque Ecclesiæ incenderentur, et quæcumque invenire potuissent, diriperentur : quod sæpius actum est, dum illi ad Regem ægrè converterentur. Sed cùm exercitus B
propiùs ad urbem accederet, et jam pars maxima regionis devastata cerneretur, tunc miserunt nuntios, fideles se Regi Guntchramno fatentes. At illi infra muros urbis recepti, super Episcopum inruerunt, dicentes eum infidelem esse. Ille verò cùm se ab his cerneret coartatum, effracto uno de sacris ministeriis calice aureo, et in numismata redacto, se populumque redemit (e).

XXV. Marileifum (f) verò, qui primus medicorum in domo Chilperici Regis habitus fuerat, ardentissimè vallant; et qui jam à Gararico Duce valde spoliatus fuerat, ab his iterùm denudatur, ita ut nulla ei substantia remaneret. Equos quoque ejus, aurum argentumque, sive species quas meliores habebat, pariter auferentes, ipsum ditioni Ecclesiasticæ subdiderunt. Servitium enim patris ejus tale fuerat, ut molendina Ecclesiastica studeret, fratresque ac consobrini, vel reliqui parentes culinis (g) dominicis C
atque pistrino subjecti erant.

XXVI. Gundovaldus verò Pictavum accedere voluit, sed timuit : audierat enim jam contra se exercitum commoveri. In civitatibus enim quæ Sigiberti (h) Regis fuerant, ex nomine Regis Childeberti sacramenta suscipiebat : in reliquis verò quæ aut Guntchramni, aut Chilperici fuerant, nomine suo, quòd fidem servarent, jurabant. Post hæc Engolismam accessit, susceptisque sacramentis, muneratisque prioribus, Petrogoricum adgreditur, graviter Episcopum (i) tunc injuriatum reliquit, pro eo quòd susceptus ab eodem non fuisset (k).

XXVII. Exinde Tholosam digressus, emisit nuntios ad Magnulfum (l) Episcopum civitatis, ut ab eo susciperetur. Sed ille non immemor prioris injuriæ, quam per Sigulfum (m) quondam, qui se in regnum elevare voluit, pertulerat, dixit ci- D
vibus suis : *Scimus enim Regem* (n) *esse Guntchramnum ac nepotem ejus Childebertum : hunc autem nescimus unde sit. Estote ergo parati : et si voluerit Desiderius dux hanc calamitatem inducere super nos, simili ut Sigulfus sorte depereat : sitque omnibus exemplum, ne quis extraneorum, Francorum regnum audeat violare.* His ita resistentibus et bellum parantibus, adveniente Gundovaldo cum magno exercitu, cùm vidissent quòd sustinere non possent, susceperunt eum. Post hæc cùm ad convivium in domo Ecclesiæ Episcopus unà cum Gundovaldo resideret, ait : *Filium te Chlothacharii Regis adseris, sed utrùm sit verum an non, ignoramus. Et si possis vindicare cœpta, incredibile habetur apud animos nostros.* At ille ait : *Ego Regis Chlothacharii sum filius, et partem regni de præsenti sum percepturus, et usque Parisius velociter accedam, et ibi sedem* E
regni statuam. Cui Episcopus ait : *Verumne est ergo, quòd nullus de stirpe Francorum remansit, si tu quæ dicis impleveris ?* Inter has altercationes, cùm hæc Mummolus

(a) Id est tributorum exactorem, ut interpretatur Alteserra.

(b) [*Eò quòd* usque ad *mutuasset*, desunt in cod. Cl.]

(c) Mos erat ut sole occidente placita finirentur, quod etiam aliis nationibus sollemne fuisse observat Bignonius in lib. 1. Marculfi form. 37. De Placito, *les plaids*, *ou assises*, vide Cangii Glossarium, et suprà not. ad cap. 34. lib. 6.

(d) Regm. *Meroveus.*

(e) Ejus rei exempla laudantur lib. 1. Liturg. Gallic. cap. 7.

(f) Deest hoc caput in Vat. et Colb. a. Confer illud cum lib. 5. cap. 14. Colb. m. et Alex. habent, *Maleficum verò..... jam à Garico etc.* [Clun. *Maleficum verò.*]

(g) Casin. et Regm. *colonis.* Colb. m. *colinis.*

(h) [Clun. *Sigiberti erant, sacramenta suscipiebat :* media desunt.]

(i) Is erat Carterius, de quo suprà lib. 6. cap. 22. Hoc ipso anno subscripsit Conc. Matisc. II. sicut et Nicasius Inculismensis.

(k) [Clun. *non fuisset. Sed ille non immemor :* media desunt.]

(l) Colb. a. *Maginulfum.* Colb. m. et Regm. *Manulfum.* In capitum indice in mss. dicitur *Aginulfus.* Magnulfus dicitur in Conc. Matisc. cui per legatum subscripsit.

(m) An is Sigulfus, qui stans pro Sigiberto paullò antequàm occideretur, Chlodoveum Chilperici filium Burdegala ejecit, ac fugientem insecutus est, ut narrat Gregorius lib. 4. cap. 48. aliàs 42. Sigulfus Dux infrà memoratur lib. 8. cap. 18. sed alius ab isto, si res suo tempore narrantur.

(n) [Clun. *Reges esse.*]

A exaudisset, elevata manu alapis cecidit Episcopum, dicens : *Non pudet ut tam degener et stultus ita magno Regi respondeas?* Verùm ubi et Desiderius de consilio Episcopi comperit quæ fuerant dicta, ira commotus manus in eum injecit : cæsumque communiter hastis, pugnis et calcibus, ac fune revinctum, exsilio damnaverunt, res ejus, tam proprias quàm Ecclesiæ, integrè auferentes. Waddo autem, qui erat Major-domûs Reginæ Rigunthis, se eisdem copulavit ; reliqui verò qui cum eo abierant, per fugam dilapsi sunt.

XXVIII. Post hæc exercitus ab urbe Pictava remotus, inantea (a) post Gundovaldum proficiscitur. Secutique sunt eum de Turonicis multi lucri causa : sed Pictavis super eum inruentibus, nonnulli interemti, plurimi verò spoliati redierunt. Hi
B autem qui de his ad exercitum priùs junxerant (b), pariter abierunt. Itaque exercitus ad Dorononiam (c) fluvium accedens, præstolari cœpit, quid de Gundovaldo cognosceret. Cui jam, ut suprà dictum est, adhæserant Dux Desiderius et Bladastes cum Waddone Majore-domûs Rigunthis Reginæ. Erant enim primi cum eo Sagittarius Episcopus et Mummolus. Sagittarius enim jam promissionem de Episcopatu Tholosano acceperat.

XXIX. Dum autem hæc agerentur, misit Rex Guntchramnus Claudium quemdam, dicens : *Si abieris*, inquit, *et ejectum de Basilica* (d) *Eberulfum aut gladio interemeris, aut catenis vinxeris, magnis te muneribus locupletabo : verumtamen ne sanctæ Basilicæ injuriam inferas omnino commoneo.* Ille verò, ut erat vanitati atque avaritiæ deditus, velociter Parisius advolavit : uxor enim ei ex Meldensi territorio erat.
C Volvere animo cœpit utrùm Fredegundem Reginam (e) videret, dicens : *Si eam videro, elicere ab ea aliquid muneris possum : scio enim eam esse homini, ad quem directus sum, inimicam.* Tunc accedens ad eam, de præsenti munera magna capiens, promissiones multas elicuit, aut extractum à Basilica Eberulfum occideret, aut circumventum dolis catenis vinciret, aut certè in ipso eum atrio trucidaret. Regressus autem ad Dunense castrum, Comitem commonet, ut ei trecentos viros, quasi ad custodiendas Turonicæ urbis portas, adjungeret : scilicet ut cùm venisset, per eorum solatium Eberulfum posset opprimere. Cùmque Comes loci viros istos commoveret, Claudius Turonis accessit. Et cùm iter ageret, ut consuetudo est barbarorum, auspicia intendere cœpit, ac dicere sibi esse contraria : simulque interro-
D gare multos, si virtus beati Martini de præsenti manifestaretur in perfidis; aut certè, si aliquis injuriam in eum sperantibus intulisset, si protinùs ultio sequeretur. Igitur postpositis, ut diximus, viris qui ad solatium ejus venire debuerant, ipse ad Basilicam sanctam accessit. Statimque infelici Eberulfo conjunctus, sacramenta dare cœpit, ac jurare per omnia sacrosancta, vel virtutem præsentis Antistitis, nullum in causis ejus fore fideliorem, qui ita cum Rege causas ejus possit exserere (f). Hoc enim apud se consilium habuerat miserrimus : *Nisi eum pejerando decepero, non vincam.* Verùm ubi vidit Eberulfus, quòd ei talia cum sacramento in ipsa Basilica ac per porticus, et singula loca atrii veneranda promitteret, credidit miser homini pejeranti. Die autem altero cùm nos in villa quasi millia triginta ab urbe commoraremur, ad convivium Basilicæ sanctæ cum eodem et reliquis civibus est adscitus ; ibi-
E que eum Claudius gladio ferire voluit, si pueri ejus longiùs adstitissent. Verumtamen numquam hæc Eberulfus, ut erat vanus, advertit. Postquàm autem convivium est finitum, ipse simul ac Claudius per atrium domûs Basilicæ deambulare cœperunt, sibi invicem fidem ac caritatem sacramentis intercurrentibus promittentes. His ita loquentibus, ait Claudius Eberulfo : *Delectat* (g) *animum ad metatum tuum haurire potum, si vina odoramentis essent immixta, aut certè potentioris vini libationem strenuitas tua requireret.* Hæc eo dicente, gavisus Eberulfus, respondit habere se, dicens : *Et omnia quæ volueris ad metatum meum reperies : tantùm ut dignetur dominus meus tugurium ingredi mansionis meæ.* Misitque pueros, unum post alium, ad requirenda potentiora vina, Laticina (h) videlicet, atque Gazitina. Cùmque illum à

(a) Id est ulteriùs, Regm. habet *à Pictavo remotus inantea etc.*

(b) Bad. *se junxerant*, et Colb. a. altera manu *juncti erant*. Sed Gregorius et alii ejus ævi auctores sæpiùs verbo *jungò* utuntur passivè seu neutraliter.

(c) Seu Duranium, vulgò *la Dordogne*, nobilem fluvium, qui in Arvernis ortus, lustratis multis urbibus, Garumnæ jungitur paullò antequàm sese in mare exoneret. Colb. m. Regm. [et Clun.] habent, *Dononiam.*

(d) Sancti Martini scilicet. Confer capp. 21. et 22.

(e) [Clun. *Reginam expeteret.*]

(f) Regm. et Ches. al. *exercere.* [Ita Dub.]

(g) [Clun. *delectatus animo.* Dub. *delectat animo... occurrere potum.*]

(h) Legendum fortè *Latina*, id est Falerna, ut suprà lib. 3. cap. 19. sic dicta à Falerno monte in Campania Felice. Laticina tamen Alteserra putat dicta fuisse vina alba, quòd aquæ colorem repræ-

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

pueris relictum solum Claudius conspexisset, elevata contra Basilicam manu, ait: *Martine beatissime, fac me uxorem cum parentibus citò videre.* Infelix enim in discrimine positus, et hunc interficere in atrio cogitabat, et virtutem sancti Antistitis metuebat. Tunc unus è pueris Claudii qui erat robustior, adprehensum Eberulfum à tergo validioribus lacertis adstringit, resupinatumque pectus ejus ad jugulandum parat. At Claudius, extracto à baltheo gladio, ad eum dirigit. Sed et ille prolatum à cingulo ferrum se ad percutiendum dum teneretur adaptat. Cùmque Claudius elevata dextera cultrum ejus pectori injecisset, et ille non segniter sub ascella illius pugionem defixisset, retractoque ad se, librato (a) ictu pollicem Claudii intercidit. Ex hoc convenientes pueri ejus cum gladiis, Eberulfum diversis ictibus sauciant. Quorum de manu dilapsus, dum fugere jam exanimis niteretur, extracto gladio caput ejus gravissimè verberant, effusoque cerebro cecidit, et mortuus est: (b) nec promeruit ab eo salvari, quem fideliter numquam intellexit exposcere. Igitur Claudius timore perterritus, cellulam Abbatis expetiit, ab eo tutari se cupiens, in cujus Patronum (c) reverentiam habere non sapuit. Illo quoque residente, ait: *Perpetratum est scelus immensum, et nisi tu subveneris, peribimus.* Hæc eo loquente, inruerunt pueri Eberulfi cum gladiis ac lanceis: obseratumque reperientes ostium, effractis cellulæ vitreis, hastas per parietis fenestras injiciunt, Claudiumque jam semivivum ictu transfigunt. Satellites autem ejus post ostia et sub lectis abduntur. Abbas adprehensus à duobus Clericis, inter gladiorum acies vix vivus eripitur: reseratisque ostiis turba gladiatorum ingreditur. Nonnulli etiam matricularium (d) et reliquorum pauperum, pro scelere commisso tectum cellulæ conantur evertere. Sed et energumeni ac diversi egeni cum petris et fustibus ad ulciscendam basilicæ violentiam proficiscuntur, indignè ferentes, cur talia, quæ numquam facta fuerant, essent ibidem perpetrata. Quid plura? extrahuntur fugaces ex abditis, et crudeliter trucidantur, pavimentum cellulæ tabo maculatur. Postquàm verò interempti sunt, extrahuntur foras, et nudi super humum frigidam relinquuntur. Percussores verò nocte sequenti adprehensis spoliis fuga dilabuntur. Adfuit autem Dei ultio de præsenti super eos, qui beatum atrium humano sanguine polluerunt. Sed nec ejus facinus parvum esse censetur, quem talia beatus Antistes perferre permisit. Magnam ex hoc Rex iracundiam habuit, sed cognita ratione quievit. Res tamen ipsius infelicis, tam mobiles quàm immobiles, quæ ei de propriis rebus relictæ fuerant (e), suis fidelibus condonavit: qui uxorem ejus valde spoliatam in sancta basilica reliquerunt. Corpus verò Claudii et reliquorum, parentes proximi auferentes in suam regionem, sepelierunt.

XXX. Igitur Gundovaldus duos ad amicos suos legatos direxit, Clericos utique: ex quibus unus Abbas Cadurcinæ urbis, litteras quas acceperat, cavata codicis tabula, sub cera recondidit. Sed adprehensus ab hominibus Regis Guntchramni, repertis litteris, in Regis præsentiam est deductus: qui cæsus gravissimè, in custodiam est retrusus.

XXXI. Erat tunc temporis Gundovaldus in urbe Burdegalensi à Bertchramno Episcopo valde dilectus. Inquirens autem quæ ei causæ solatium præbere possent, narravit quidam, quòd aliquis in partibus Orientis Rex, ablato sancti Sergii (f)

sentarent: hinc Virgilius Æneid. lib. 1. *Laticeum Lyæum* regalibus ferculis adjungit. Gazitina autem vina tunc temporis celebria erant, ut ex hoc aliisque Gregorii locis patet. Eadem laudat Sidonius carm. 17. Cassiodor. lib. 12. epist. 12 et alii. Sic dicta fuisse docet Isidorus lib. 23. quòd è Gaza Palestinæ urbe adveherentur. Vide lib. de Gloria Conf. cap. 65.

(a) [Clun. *librat, et ictu.*]

(b) [Clun. *mortuus est. Igitur.* Media desunt.]

(c) Colb. a. altera manu, *in cujus Patris atrio.* Abbas verò monasterio sancti Martini tunc præerat Eustachius, seu Eustochius, ut observat Cointius, de quo infrà in Vitis Patrum cap. 20. Malè hunc locum de Majori-monasterio intelligit Alteserra, quod à sancti Martini, hodie insigni collegiata, monasterio non distinguit.

(d) Matricularii dicebantur pauperes qui Ecclesiæ facultatibus alebantur, quòd in catalogo seu matricula eorum nomina descripta essent, ut videre est apud Frodoardum lib. 2. Hist. Remensis cap. 5. Hincmarum, etc. Eo etiam nomine donati sunt qui ejusmodi pauperum, et domûs in qua hospitabantur, quæ *matricula* etiam dicebatur, curam habebant, ut patet ex formula XI. ex lege Romana apud Bignonium, cujus etiam V. C. notæ in hunc locum legendæ sunt. Ex hoc translatum est etiam istud nomen ad eos, qui cujuslibet Ecclesiæ curam habebant, qui custodes seu matricularii Ecclesiarum dicti fuerunt; quod nomen retinent etiam nunc, qui Ecclesiarum parochialium bona administrant, vulgò *les Marguilliers* dicti. Immò etiam Alcuinus se beati Martini matricularium, id est alumnum, passim dicit. Vide Cangii Glossarium.

(e) Sic Colb. a. alt. manu. Ceteri verò, *quod à prioribus relictum fuerat.* [Ita Dub. et Clun.] Bad. *et quidquid à prioribus, etc.* Freh. al. *quod à proprio rebus relictum, etc.* Idem Colb. alt. manu infrà, *uxorem ejus omnibus rebus spoliatam.*

(f) Celebris fuit in Oriente S. Sergius, qui sub Maximiano Imperatore martyrio consummatus dicitur cum Baccho, apud Rosapham Comagenis, seu Euphratesiæ Augustæ urbem, quæ ex ejus nomine postea Sergiopolis dicta est. Hanc urbem frustra expu-

martyris

A martyris pollice, in dextro brachio corporis sui seruisset (a). Cùmque ei necessitas ad depellendum inimicos obvenisset, in hoc confisus auxilio, ubi dextri lacerti erexisset ulnam, protinùs multitudo hostium, quasi Martyris oppressa virtute, labebatur in fugam. Hæc audiens Gundovaldus, inquirere diligentiùs cœpit, quisnam esset in eo loco, qui reliquias sancti Sergii martyris meruisset accipere. Intereà proditus ab Episcopo Bertchramno Eufronius (b) negotiator per inimicitiam, quia invitum aliquando eum totonderat, inhians facultati ejus (c). Quod ille dispiciens, ad aliam urbem transiens, cæsarie crescente regreditur. Ait ergo Episcopus : *Est hic quidam Syrus, Eufronius nomine, qui de domo sua Ecclesiam faciens, hujus Sancti reliquias collocavit : et plurima ex his signa, virtute Martyris opitulante, conspexit. Nam cùm tempore quodam Burdegalensis civitas maximo flagra-*
B *ret iucendio, hæc domus circumdata flammis, nullatenus est adusta.* Ista eo dicente, statim Mummolus cursu rapido cum Episcopo Bertchramno ad domum Syri accedit : vallatoque homine, pignera sibi sancta præcepit ostendi. Negat ille. Tamen cogitans quòd pro malitia aliqua ei hæ pararentur insidiæ, ait : *Noli fatigare senem, nec Sancto inferre injuriam : sed acceptis à me centum aureis abscede.* Illo quoque insistente, ut sanctas videret reliquias, ducentos aureos obtulit : et nec sic obtinuit eum recedere, nisi ipsa pignera viderentur. Tunc Mummolus elevari ad parietem scalam jubet, (erant enim in sublimi parietis contra altarium in capsula reconditæ), Diaconum suum scandere præcepit. Qui per gradus scandens scalæ, adprehendens capsam, ita tremore concussus est, ut nec vivens putaretur ad terram reverti. Attamen accepta, ut diximus, capsula, quæ de pariete pendebat, detulit. Qua perscrutata, Mummolus os de Sancti digito reperit, quod cul-
C tro ferire non metuit. Posito enim desuper cultro, et sic de alio percutiebat. Cùmque post multos ictus vix frangi potuisset, divisum in tres partes ossiculum diversas in partes dilabitur. Credo non erat acceptum Martyri, ut hæc ille contingeret. Tunc flente vehementiùs Eufronio, prosternuntur omnes in orationem, deprecantes ut Deus dignaretur ostendere, quæ ab oculis fuerant humanis ablata. Post orationem autem repertæ sunt particulæ, ex quibus una Mummolus adsumta, abscessit : sed non, ut credo, cum gratia Martyris, sicut in sequenti declaratum est. Dum autem in hac urbe morarentur, Faustianum (d) Presbyterum Aquensi urbi Episcopum ordinari præcipiunt. Nuper enim in Aquensi urbe Episcopus obierat, et Nicetius Comes loci illius, germanus Rustici Vici-Juliensis Episcopi, præceptionem ab Chilperico elicuerat, ut tonsoratus civitati illi Sacerdos daretur. Sed Gundovaldus des-
D truere nitens ejus decreta, convocatis Episcopis jussit eum benedici. Bertchramnus autem Episcopus, qui erat metropolis, cavens futura, Palladium Santonicum injungit qui eum benediceret. Nam et oculi (e) ei eo tempore à lippitudine gravabantur. Fuit autem ad hanc ordinationem et Orestes Vasatensis Episcopus : sed negavit hoc coram Rege.

XXXII. Post hæc misit iterùm Gundovaldus duos legatos, Zotanum, necnon et Zabulfum, ad Regem cum virgis consecratis (f), juxta ritum Francorum, ut scilicet non contingerentur ab ullo, sed exposita legatione cum responso reverterentur. Sed hi incauti, priusquàm Regis præsentiam cernerent, multis quæ petebant explanaverunt. Extemplò sermo cucurrit ad Regem : itaque vincti catenis in Regis præsentiam deducuntur. Tunc illi quid quærerent, ad quem directi, vel à quo fuerint missi negare non ausi, aiunt : *Gundovaldus, qui nuper ab Oriente*

gnare tentavit Chosroës Persarum Rex, Justiniano imperante. Eumdem Martyrem veluti specialem patronum habuit Chosroës alter, sub Mauricii principatu, cujus Basilicam cruce aurea, variisque donis locupletavit, ut narrant Evagrius lib. 4. cap. 28. et lib. 6. cap. 21. Theophylactus Simocatta lib. 5. c. 13. Nicephorus, etc. Vide Baronium ad an. 593. Hinc Sergii nomen apud Christianos pariter et Barbaros celebre fuisse patet. Justinianus unam ei Basilicam dicavit CP. alteram Ptolemaïde ex Procopio. Peregrinationes ad S. Sergium in Araphas seu Saraphas laudantur in synodo Nicæna II. ex Johanne Moscho in Prato spirit. cap. 180. Vide nostrum Gregorium de Glor. Mart. lib. 1. cap. 97.

(a) [Clun. *servasset.*]

(b) Aliàs, *Eufron.* [Ita Dub. et Clun. qui habet, *Bertranno.*]

(c) Fortè quòd tunc Episcopi clericorum, saltem defunctorum, bona sibi arrogarent : quod vetitum posteà fuit an. 615. in Concil. Paris. V. can. 8. [Dub. *facultatem.*]

(d) Colb. a. et Regm. *Faustinianum.* [Dub. *Faustinianum.*] Civitas autem Aquensis hîc memorata, aliàs Aquæ Tarbellicæ, vulgò *Acqs*, seu *Dax*, et Vicus-Julii seu Adura, vulgò *Aire*, Novempopulaniæ urbes, fuere semper sub Metropoli Elusana sive Ausciensi, sicut et Vasates. Earum tamen Episcopi, perturbatis tunc rebus, Burdigalensi Episcopo, qui vicinæ provinciæ, id est Aquitaniæ II. Metropolitanus erat, parere cogebantur.

(e) [Clun. *oculi ejus..... ab hac ordinatione et Orestis.*]

(f) Græci legati caduceum deferebant ex *L. Sanctum ff. de rerum divisione.* Hinc Mercurius deorum nuntius manu gestabat caduceum, quem Virgilius lib. 4. Æneid. virgam appellat. Ceterùm solus cod. Colb. a. legatorum nomina exprimit. [desunt etiam in Dub. e Clun.]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

veniens, dicit se filium esse patris vestri Regis Chlothacharii, misit nos ut debitam portionem A
regni sui recipiat : sin autem à vobis non redditur, noveritis eum in has partes cum exercitu esse venturum. Omnes enim viri fortissimi regionis illius, quæ ultra Dorononiam sita ad Gallias pertinet, ei conjuncti sunt : et ita infit : Judicabit tunc Deus, cùm in unius campi planitie junxerimus, utrùm sim Chlothacharii filius, an non. Tunc Rex furore succensus jussit eos ad trochleas extendi, et fortissimè cædi, ut si vera essent quæ dicerent, evidentiùs adprobarent : et si aliquid doli adhuc intra pectorum arcana retinerent, vis tormentorum extorqueret invitis. Deinde increscentibus suppliciis, aiunt neptem illius, id est Regis Chilperici filiam (a), cum Magnulfo Tholosanorum Episcopo exsilio deputatam, thesauros omnes ab ipso Gundovaldo sublatos (b) : ipsum quoque Regem ab omnibus majoribus natu Childeberti Regis expetitum esse : sed B
præsertim cùm Guntchramnus-Boso ante hos annos Constantinopolim abiisset, ipsumque in Gallias invitasset.

XXXIII. Quibus cæsis, et in carcerem retrusis, Rex arcessiri nepotem suum Childebertum jubet, ut scilicet conjuncti pariter homines istos audire deberent. Denique cùm simul conjuncti viros interrogarent, iteraverunt ea Regibus simul adstantibus, quæ priùs solus Rex Guntchramnus audivit. Adserebant etiam constanter hanc causam, sicut jam suprà diximus, omnibus senioribus in regno Childeberti Regis esse cognitam. Et ob hoc nonnulli (c) de prioribus Regis Childeberti in hoc placitum abire timuerunt, qui in hac causa putabantur esse participes. Post hæc Rex Guntchramnus data in manu Regis Childeberti hasta, ait : *Hoc est indicium quod tibi omne regnum meum tradidi* (d). *Ex hoc nunc vade, et omnes civitates meas tamquam* C
tuas proprias, sub tui juris dominationem subjice. Nihil enim, facientibus peccatis, de stirpe mea remansit, nisi tantùm (e), *qui mei fratris es filius. Tu enim heres in omni regno meo succede, ceteris exheredibus factis.* Tunc relictis omnibus, adsumto seorsum puero, clam locutus est, priùs obtestans diligentissimè, ne secreta conlocutio ulli hominum panderetur. Tunc indicavit ei quos in consilio haberet, aut sperneret à conloquio : quibus se crederet, quos vitaret, quos honoraret muneribus, quos ab honore depelleret. Intereà interdicens, ut Egidium Episcopum (f) Remensem, qui ei semper inimicus exstiterat, nullo modo aut crederet, aut secum haberet (g), quia et ipsi et patri suo sæpiùs pejerasset. Deinde cùm ad convivium convenissent, cohortabatur Guntchramnus Rex omnem exercitum, dicens : *Videte, ò viri, quia filius meus Childebertus jam vir magnus effectus est. Videte,* D
et cavete ne eum pro parvulo habeatis (h). *Relinquite nunc perversitates atque præsumtiones quas exercetis : quia Rex est, cui vos nunc deservire debetis.* Hæc et his similia locutus, per triduum epulantes atque jocundantes, multisque muneribus (i) locupletantes, cum pace discesserent. Tunc ei reddidit Rex Guntchramnus omnia, quæ pater ejus Sigibertus habuerat, obtestans ne ad matrem accederet, ne fortè aliquis daretur aditus, qualiter ad Gundovaldum scriberet, aut ab eo scripta susciperet.

XXXIV. Igitur Gundovaldus cùm audisset sibi exercitum propinquare, relictus à Desiderio Duce, Garonnam cum Sagittario Episcopo, Mummolo et Bladaste Ducibus, atque Waddone transivit, Convenas (k) petentes. Est enim urbs in

(a) Rigunthem Reccaredo desponsatam.

(b) Editi *sublatos reddidisse.* [Dub. *ab ipso Gundoaldo obligatos.* Infrà, *in Galliis.*]

(c) [Clun. *Nonnulli tunc de prioribus..... timuerunt. Posthæc* Media desunt.]

(d) Hastam regium insigne apud Francos exstitisse patet ex annulo Childerici I. regis, qui in ejus sepulcro cum aliis cimeliis inventus est. Ibi enim Rex repræsentatur, promissis in humeros capillis, hastam in sceptri modum manu gestans. Vide Chiffletium pag. 96. in libro ea de re edito sub Anastasis Childerici nomine.

(e) Erat tamen insuper Chlotarius parvulus Chilperici filius, qui apud Victoriacum nutriebatur : sed cùm nondum à Guntramno visus fuisset, ut ipse conqueritur lib. 8. cap. 9. vix ipsum habebat pro filio Regis.

(f) [In Dub. et Clun. deest *Remensem.*]

(g) Sic Colb. a. alt. manu : alii *aut haberet.* [Dub. *aut haberet, quia ei et patri suo sæpius perjurasset.*] Regm. *consiliarium haberet.*

(h) Childebertus annum ætatis XIV. egressus, et major, uti nunc loquimur, declaratus, regnum suum ipse administrare cœpit. Sic et posteà Balthildis Chlotario filio suo pubertatem ingresso regni curam dimisit. Videsis Valesium lib. 12. rer. Francic.

(i) [Clun. *muneribus se locupletantes.*]

(k) Lugdunum-Convenarum apud veteres dicitur, tum à situ, Dunum quippe apud veteres Gallos mons est, tum ab occasione qua conditum fuit, quòd scilicet multi in eum locum convenerint. Rem explicat Hieronymus adversùs Vigilantium in ea urbe natum : *Respondet*, inquit, *generi suo, ut qui de latronum et convenarum natus est semine, quos Cn. Pompeius edomita Hispania in Pyrenæi jugis deposuit, et in unum oppidum congregavit, unde et Convenarum urbs.* Ii erant Wascones, qui tunc Pyrenæorum juga incolebant. Lege Valesium in Notitia Galliarum. Ceterùm hæc urbs anno DLXXXV. à Guntramno diruta, ut inferiùs narrat Gregorius, diu jacuit, sede Episcopali aliò translata ; sed à Bertrando, qui anno MCXX. vivere desiit, utcumque reparata, coli ac inhabitari cœpit. Unde nomen restitutoris accipiens, nunc vulgò sancti Bertrandi Convenensis urbs, *Saint-Bertrand de Comminges* dicitur, sub Metropoli Ausciensi in Wasconia.

A cacumine montis sita, nullique monti contigua. Fons magnus, ad radicem montis erumpens, circumdatus turre tutissima : ad quem per cuniculum descendentes ex urbe, latenter latices hauriunt. Hanc enim ingressus urbem in initio Quadragesimæ, locutus est civibus, dicens : *Noveritis me cum omnibus, qui in regno* (a) *Childeberti habentur, electum esse Regem, atque haberi mecum non modicum solatium. Sed quoniam frater meus Guntchramnus Rex immensum adversùs me movet exercitum, oportet vos alimenta atque cunctam supellectilem infra murorum munitionem concludere, ut scilicet dum nobis illa pietas divina auget solatium, non pereatis inopia.* Hæc illis credentibus, quæcumque habere potuerunt conlocantes in urbe, præparabant se ad resistendum. Eo tempore Guntchramnus Rex misit litteras ad Gundovaldum, ex nomine Brunichildis Reginæ, in quibus erat scriptum, ut relicto exercitu et in loca sua abire jusso, ipse
B remotior apud Burdegalensem urbem hiberna deduceret. Scripserat enim hæc dolosè, ut de eo pleniùs quid ageret, posset agnoscere. Igitur commorante eo apud urbem Convenas, locutus est incolis, dicens : *Ecce jam exercitus adpropinquat, egredimini ad resistendum.* Quibus egredientibus, hi occupantes portas atque claudentes, excluso foris populo, cum Episcopo loci (b), cuncta quæ in urbe invenire potuerant, suis ditionibus subdiderunt. Tantaque ibi multitudo annonæ atque vini reperta est, ut si viriliter stetissent, per multorum annorum spatia victûs alimentis non egerent.

XXXV. Audierant enim eo tempore Duces Guntchramni Regis, Gundovaldum ultra Garonnam in litore residere cum ingenti hostium multitudine : ipsosque thesauros, quos Rigunthis tulerat, secum retinere. Tunc impetu facto cum equi-
C tibus * Garonnam natando transiere, nonnullis de exercitu in amne demersis. Reliqui in litus egressi, requirentes Gundovaldum, invenerunt camelos cum ingenti pondere auri atque argenti, sive equites * quos fessos per vias reliquerat. Audientes deinceps eos infra muros urbis Convenicæ commorari, relictis plaustris ac diversis impedimentis cum populo minore, robustiores viri ipsum, sicut jam Garonnam transierant (c), insequi destinant. Quibus properantibus, venerunt ad basilicam sancti Vincentii, quæ est juxta terminum Agennensis urbis, ubi ipse Martyr pro Christi nomine agonem dicitur consummasse : inveneruntque eam refertam diversis thesauris incolarum. Erat enim spes incolis non esse à Christianis tanti Martyris basilicam violandam : cujus ostia summo studio obserata erant. Nec
D mora adpropinquans exercitus cùm reserare templi valvas non valeret, ignem accendit : consumtisque ostiis, omnem substantiam, cunctamque supellectilem, quam in ea invenire potuerunt, cum sacris ministeriis abstulerunt. Sed multos ibi ultio divina conterruit (d). Nam plerisque manus divinitus urebantur, emittentes fumum magnum, sicut ex incendio surgere solet. Nonnulli arrepti à dæmone, per energiam debacchantes Martyrem declamabant. Plurimi verò semoti à sociis (e), propriis se jaculis sauciabant. Reliquum verò vulgus inantè non sine grandi metu progressum est. Quid plura? Convenitur ad Convenas (sic enim diximus nomen urbis) omnisque phalanga in suburbana urbis campania castra metata est : ibique extensis tentoriis residebat. Vastabatur in circuitu tota regio : nonnulli autem ab exercitu, quos fortior avaritiæ aculeus terebrabat, longiùs à suis evagantes, perimebantur ab incolis.

XXXVI. Ascendebant enim (f) multi per collem, et cum Gundovaldo sæpiùs loquebantur, inferentes ei convicia, ac dicentes : Tune es pictor ille, qui

* *ed.* equis.

* *i.* equos.

(a) [Clun. *Qui in domo.*]

(b) Is erat Rufinus, qui hoc ipso anno Concilio Matiscon II. subscripsit.

(c) [Clun. *transierat.* Paulò pòst, *infra terminum Agennensis urbis.*]

(d) Hanc Basilicam in valle Capraria prope Lugdunum-Convenarum sitam fuisse contendit Joseph Scaliger lib. 6. de emendatione temp. unde allucinatum fuisse putat Gregorium, qui ipsam prope Aginnum stetisse scripserit, confundens locum, in quo beatus Martyr passus est, cum Basilica ipsius memoriæ consecrata. At fallitur ipsemet Scaliger. Hanc quippe Basilicam, quam Guntramni milites violarunt, prope Aginnum erat, et quidem in loco Pompeïaco, ubi S. Vincentius passus est. Nec repugnat rei gestæ series. Gundobaldo quippe Burdigalæ existente, Guntramni exercitus ex Pictavo ad Dordoniam flumen accessit : quo nuntio territus Gundobaldus, apud Convenas se recepit, quò cùm pergeret, Guntramni exercitus ut hostem insequeretur, per Aginnensem terminum transiit, idque itineris ratio postulabat, atque ea occasione milites Ecclesiam S. Vincentii diripuerunt : tum prosequentes cœptum iter ad montis, cui impositum erat Lugdunum Convenarum, radices pervenere, ut narrat Gregorius. Vide lib. de Gloria Mart. cap. 105. De hac Basilica, et altera eidem Sancto dicata, quas exstruxerat aut adornarat Leontius Episc. Burdigalæ, Fortunatus lib. 1. carm. 8. et 9. Festum hujus Sancti colitur die 9. Junii.

(e) Sic Colb. a. alt. manu. Ceteri *semoti à seditione.* [Ita Clun. Dub. *se mutua seditione.*]

(f) Sic Colb. a. Regm. *sed et plurimi eorum agebant occultè, et loquebantur cum Gundobaldo.* Ceteri cum Bec. *Abscondebant enim se multi, etc.* [Clun. *Abscondebant enim multi.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

» tempore Chlothacharii Regis per oratoria parietes atque cameras caraxabas (a)? A
» Tune es ille, quem Ballomerem nomine sæpiùs Galliarum incolæ vocitabant?
» Tune es ille, qui plerumque à Regibus Francorum propter has præsumtiones
» quas profers, tonsoratus, et exilio datus es? Vel quis te, infelicissime homi-
» num, in hæc loca adduxit, edicito. Quis tibi tantam audaciam præstitit; ut do-
» minorum ac Regum nostrorum fines auderes adtingere? Certè si à quoquam es
» evocatus, clara voce testare. En tibi ante oculos mortem expositam : en ipsam
» quam diu quæsisti exitii foveam, in quam præceps dejiciaris. Dic satellites viri-
» tim, vel à quibus inviteris enuntia. » At ille cùm hæc audiret, propiùs super portam adstans dicebat : « Quòd me Chlothacharius pater meus exosum habue-
» rit, habetur incognitum nulli : quòd autem ab eo, vel deinceps à fratribus sim
» tonsoratus, manifestum est omnibus. Et hæc me causa Narseti præfecto Italiæ
» junxit : ibique uxorem accipiens, duos filios generavi. Qua mortua, adsumtis B
» mecum liberis, Constantinopolim abii. Ab Imperatoribus verò susceptus beni-
» gnissimè, usque ad hoc tempus vixi. Ante hos enim annos cùm Guntchram-
» nus-Boso Constantinopolim abiisset, et ego sollicitus causas fratrum meorum di-
» ligenter rimarer, cognovi generationem nostram valde adtenuatam, nec super-
» esse de stirpe nostra, nisi Childebertum et Guntchramnum, fratrem scilicet, et
» fratris mei filium. Filii enim Chilperici Regis cum ipso interierant, uno tantùm
» parvulo derelicto (b). Guntchramnus frater meus filios non habebat : Childe-
» bertus nepos noster minimè fortis erat. Tunc Guntchramnus-Boso his mihi di-
» ligenter expositis, invitavit me, dicens : Veni, quia ab omnibus regni Regis
» Childeberti Principibus invitaris, nec quisquam contra te mutire ausus est. Sci-
» mus enim omnes te filium esse Chlothacharii : nec remansit in Galliis qui re-
» gnum illud regere possit, nisi tu advenias. At ego datis ei multis muneribus, C
» per duodecim loca sancta ab eo suscipio sacramenta, ut securus in hoc regnum
» accederem (c). Veni enim Massiliam, ibique me Episcopus summa benigni-
» tate suscepit : habebat enim scripta Seniorum regni nepotis mei. Ex hoc enim
» Avinionem accessi juxta placita patricii Mummoli. Guntchramnus verò imme-
» mor sacramenti ac promissionis suæ, thesauros meos abstulit, et in suam ditio-
» nem subegit. Nunc autem recognoscite quia ego sum Rex, sicut et frater meus
» Guntchramnus. Tamen si tanto odio mens vestra grassatur, vel ad Regem vestrum
» deducar : et si me cognoscit fratrem, quod voluerit faciat. Certè si nec hoc vo-
» lueritis, vel liceat mihi regredi, unde priùs egressus sum. Abibo enim, et nulli
» quicquam injuriæ inferam. Tamen ut sciatis vera esse quæ dico, Radegundem Pic-
» tavam, et Ingetrudem (d) Turonicam interrogate : ipsæ enim vobis adfirmabunt
» certa esse quæ loquor. » Hæc eo dicente, multi cum conviciis et improperiis hæc D
verba prosequebantur.

XXXVII. Quintus et decimus in hac obsidione effulserat dies, et Leudegisilus novas ad destruendam (e) urbem machinas præparabat : plaustra enim cum arietibus, clitellis (f) et axibus erant texta (g), sub quibus exercitus properaret ad destruendos muros. Sed cùm adpropinquassent, ita lapidibus obruebantur, ut omnes adpropinquantes muros conruerent. Cuppas cum pice et adipe accensas supra eos projicientes, alias verò lapidibus plenas super eos dejiciebant. Sed cùm nox certamina prohiberet, hostes ad castra regressi sunt. Erat autem cum Gundovaldo et Chariulfus (h), valde dives ac præpotens, cujus apothecis ac promtuariis urbs valde referta erat : de cujus substantia hi maximè alebantur. Bladastes autem hæc cernens quæ gerebantur, metuens ne Leudegisilus obtenta victoria eos morti traderet, imposito igne in Ecclesiæ domo, concurrentibus ad incendium mitigandum inclusis (i), ille fuga dilapsus abscessit. Mane autem facto, exerci-

(a) Hinc caraxaturæ dictæ sunt deletiones seu cancellationes scripturæ, et maculæ ab atramento. Vide Testamentum sancti Remigii, et Marculfum lib. 2. formula 17.

(b) Et tamen ex lib. 6. cap. 24. Gundobaldus in Gallias accesserat ante Chilperici interitum. Vide suprà cap. 32.

(c) [Clun. *possim accedere.* Infrà, *juxta placitum.*]

(d) Colb. a. et Bec. *Ingotrudem.* Colb. m. *Introgundam.* [Clun. *Introgundem.*] Regm. *Intragundam.* Hæc est Ingeltrudis, quæ monasterium in atrio Basilicæ sancti Martini condiderat : de qua sæpius loquitur Gregorius.

(e) [Clun. *ad destruendos muros.* Paulò pòst, *erant tecta.*]

(f) * *Clitellæ* sunt Crates, quas Annalista Bertinianus *Clidas*, Ado Viennensis *Cletas* vocant. In lege Ripuariorum *Clida* quoque est pro *Crate.*

(g) Sic Bec. cum editis, alii, *tecta.* [Ita Dub.] Colb. a. alt. manu, *tecta erant.*

(h) Colb. m. et Chesn. al. *Ariulfus :* infrà *Hariulfus.* Bec. *Mariulfus,* sed infrà, *Cariulfus.*

(i) Colb. a. *inclusus ille,* et post *concurrentibus,* alt. manu additum est *omnibus.*

A tus iterùm ad bella consurgit, ac ex virgis fasces faciunt, quasi ad complendam vallem profundam, quæ à parte Orientis sita erat : sed nocere hæc machina nihil potuit. Sagittarius verò Episcopus frequentiùs muros cum armis circumibat, et sæpiùs lapides contra hostem manu propria jecit è muro.

XXXVIII. Denique ei qui urbem impugnabant, cùm viderent quòd nihil proficere possent, nuntios occultos ad Mummolum dirigunt, dicentes : *Recognosce dominum tuum, et à perversitate ista tandem aliquando desiste. Quæ enim te amentia vallat, ut ignoto homini subjungaris? Uxor enim tua jam cum filiis captivata est : filii tui utpote* (a) *jam interfecti sunt. Quò ruis? quidve præstolaris, nisi ut conruas?* Hæc ille mandata accipiens, dixit : *Jam ut video regnum nostrum finem accipit, et*
B *potentia cadit. Unum superest, si securitatem vitæ me habere cognoscerem, de multo vos labore poteram removere.* Discedentibus nuntiis, Sagittarius Episcopus cum Mummolo, Chariulfo atque Waddone ad Ecclesiam pergit : ibique sibi invicem sacramenta dederunt, ut si de vitæ promissione certiores fierent, relicta amicitia Gundovaldi, ipsum hostibus traderent. Reversi iterùm nuntii, promiserunt eis vitæ securitatem. Mummolus verò dixit : *Hoc tantùm fiat, ego hunc in manu vestra tradam; et ego recognoscens dominum meum Regem, ad ejus præsentiam properabo.* Tunc illi promittunt, quòd si hæc impleret, ipsum in caritate susciperent; et si eum Regi excusare non possent, in Ecclesiam ponerent, ne vitæ amissione multaretur. Hæc cum sacramenti interpositione polliciti, discesserunt. Mummolus verò cum Sagittario Episcopo et Waddone ad Gundovaldum pergentes, dixerunt : *Sacramenta fidelitatis qualia tibi dedimus, ipse qui præsens est nosti. Nunc autem accipe salubre consilium : discede ab hac urbe, et repræsentare fratri tuo, sicut sæpe quæsisti. Jam enim cum his hominibus conlocuti sumus, et ipsi dixerunt, quia non vult Rex perdere solatium tuum; eò quòd parum de generatione vestra remanserit.* At ille intelligens dolum eorum, lacrymis perfusus, ait : *Invitatione vestra in has Gallias sum delatus; thesaurum verò meorum, in quibus immensum pondus argenti continetur et auri, ac diversarum specierum, aliquid in Avennica urbe retinetur, aliquid Guntchramnus-Boso diripuit. Ego verò juxta Dei auxilium, spe omni in vobis posita, vobis consilium meum credidi, per vos regnare semper optavi. Nunc cum Deo vobis sit actio, si quid mihi mendacii dixeritis : ipse enim judicet causam meam.* Hæc eo dicente, respondit Mummolus : *Nihil tibi fallaciter loquimur : sed ecce viros fortissimos stantes ad portam tuum opperientes adventum. Nunc autem depone baltheum*
D *meum aureum quo cingeris, ne videaris in jactantia procedere : et tuum accinge gladium, meumque restitue.* Et ille : *Non simpliciter*, inquit, *hæc verba suscipio, ut ea quæ de tuis usque nunc in caritate* (b) *usus sum, à me auferantur.* Mummolus verò adserebat cum juramento, nihil ei molestè fieri. Egressi igitur portam, ab Ollone Biturigum Comite et Bosone susceptus est. Mummolus autem cum satellitibus in urbem regressus, portam firmissimè obseravit. Hic autem cùm se in manibus inimicorum cerneret traditum, elevatis ad cœlum manibus et oculis, ait : *Judex æterne, et ultio vera innocentium, Deus, à quo omnis justitia procedit, cui mendacium non placet, in quo nullus dolus neque versutia malitiæ continetur, tibi commendo causam meam, deprecans, ut sis velociter ultor* (c) *super eos, qui me insontem manibus tradiderunt inimicorum.* Hæc cùm dixisset, consignans se cruce Dominica, abire cœpit cum hominibus supradictis. Cùmque à porta se elongassent, sicut est circa urbem vallis tota in præcipitium, impulsus ab Ollone cecidit, illo
E quoque clamante : *En vobis Ballomerem vestrum, qui se Regis et fratrem dicit et filium.* Et immissa lancea, voluit eum transfigere, sed repulsa à circulis loricæ nihil nocuit. Denique cùm elevatus ad montem regredi niteretur, Boso emisso lapide caput ejus libravit : qui cecidit, et mortuus est. Venitque omne vulgus, et defixis in eum lanceis, pedes ejus fune ligantes, per omnia exercituum castra traxerunt (d) : evellentesque cæsariem ac barbam ejus, insepultum ipso in loco quo interfectus fuerat, reliquerunt. Nocte verò sequenti, ii qui primi (e) erant, omnes thesauros quos in urbe reperire potuerunt, cum ministeriis Ecclesiæ clam abstulerunt. Mane verò reseratis portarum valvis, immisso exercitu omne vulgus inclusum in ore gladii tradiderunt, Sacerdotes quoque Domini cum ministris ad ipsa Ecclesiarum altaria trucidantes. Postquàm autem cunctos interfecerunt, ut

(a) Colb. a. *ut puto.* Regm. *Et, ut credo, filii tui jam, etc.*
(b) Cod. Casin. *in civitate.*
(c) [Clun. *ultor meus ex illis qui me in manibus.*]
(d) [Clun. *traxerunt. Nocte verò.* Media desunt.]
(e) [Casin. *ii qui missi erant.*

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

non remaneret mingens ad parietem, omnem urbem cum Ecclesiis reliquisque ædificiis succenderunt, nihil ibi præter humum vacuam relinquentes (a). A

XXXIX. Igitur Leudegisilus rediens ad castra cum Mummolo et Sagittario, Chariulfo et Waddone, nuntios occultè ad Regem dirigit, quid de his fieri velit. At ille capitali eos jussit finire sententia. Waddo tunc cum Chariulfo, relictis filiis (b) obsidibus, discesserunt ab eis. Delato quoque nuntio de horum interitu, cùm hoc Mummolus advertisset, accinctus armis tugurium Leudegisili petit. At ille videns eum, ait: *Quid sic*, inquit, *quasi fugiens venis?* Cui ille : *Nihil, ut video, de fide promissa servatur : nam cerno me in mortis exitio positum.* Cui ille : *Ego egrediar foras, et omnia mitigabo.* Quo egrediente, confestim ex jussu ejus vallata est domus, ut hic interficeretur. Sed et ille cùm diutissimè contra bellantes restitisset (c), venit ad ostium. Cùmque egrederetur, duo cum lanceis utraque ei latera feriunt, sicque cecidit, et mortuus est. Quo viso Episcopus *, dum timore consternatus paveret, ait ad eum quidam de adstantibus : *Inspice propriis oculis, Episcope, quæ geruntur : et tecto capite ne agnoscaris, silvam pete, ut abscondaris paullulùm, atque ira labente possis evadere.* At ille accepto consilio, dum obtecto capite fugere niteretur, extracto quidam gladio caput ejus cum cucullo decidit. Deinde unusquisque ad propria rediens, magnas per viam prædas et homicidia fecit. Fredegundis autem his diebus Cuppanem in Tholosanum direxit, ut scilicet filiam suam exinde quocumque modo posset, erueret. Ferebant enim plerique ob hoc eum transmissum, ut si Gundovaldum reperisset vivum, multis inlectum promissionibus ad eam transduceret. Sed cùm hoc facere nequivisset, acceptam Rigunthem à loco illo reduxit, non sine grandi humilitate atque contumelia (d). * Sagittarius. B

XL. Igitur Leudegisilus Dux cum thesauris omnibus, quos superiùs nominavimus, ad Regem venit : quos posteà Rex pauperibus et Ecclesiis erogavit. Adprehensa verò uxore Mummoli, inquirere Rex cœpit, quid thesauri quos ii congregaverant, devenissent. Sed illa cognoscens virum suum interfectum fuisse, et omnem jactantiam eorum prorsus in terram conruisse, omnia pandit, dixitque multùm adhuc apud urbem Avennicam (e) auri atque argenti esse, quæ ad Regis notitiam non venissent. Statimque misit Rex viros qui hæc deferre deberent cum uno puero, quem valde creditum Mummolus habens, hæc ei commendaverat. Abeuntes autem acceperunt omnia, quæ in urbe relicta fuerant. Ferunt autem ducenta et quinquaginta talenta argenti fuisse, auri verò ampliùs quàm triginta. Sed hæc, ut ferunt, de reperto antiquo thesauro abstulit. Quod Rex divisum cum Childeberto Rege nepote suo, partem suam maximè pauperibus est largitus : mulieri autem nihil ampliùs, quàm ea quæ de parentibus habuerat, relinquens. C

XLI. Tunc et homo ille immensi corporis ad Regem de Mummoli familiaribus adductus est, ita magno corpore elatus, ut duos aut tres pedes super longissimos homines putaretur magnus, lignarius faber, qui non multò pòst obiit. D

XLII. Post hæc edictum à Judicibus datum est, ut qui in hac expeditione tardi fuerant, damnarentur. Biturigum quoque Comes misit pueros suos, ut in domo beati (f) Martini, quæ in hoc termino sita est, hujusmodi homines spoliare deberent. Sed Agens domûs illius resistere fortiter cœpit, dicens : *Sancti Martini homines ii sunt : nihil eis quicquam inferatis injuriæ, quia non habuerunt consuetudinem in talibus causis abire.* At illi dixerunt : *Nihil nobis et Martino tuo, quem semper in causis inaniter profers : sed et tu, et ipsi pretia dissolvetis, pro eo quòd Regis imperium neglexistis* (g). Et hæc dicens ingressus est atrium domûs. Protinùs dolore percussus cecidit, et graviter agere cœpit. Conversusque ad Agentem voce flebili ait : *Rogo ut facias super me crucem Domini, et invoces nomen beati Martini. Nunc autem cognovi quòd magna est virtus ejus : nam ingre-*

(a) * S. Bertrandus filius Attonis Insulani Dynastæ et filiæ Willelmi Comitis Tolosani, cognomine Sectoris-ferri, Episcopus Convenarum, anno 1085. Convenas urbem restauravit. Vitalis Protonotarius in ejus Vita : *Claustrum fecit, Canonicos instituit sub Regula S. Augustini : in monte quippe domus non erat. Et ecce temporibus hujus Sancti, meritis exigentibus suis, homines accesserunt, et in monte civitatem reædificarunt : et locus, qui multis temporibus desertus fuerat, habitatores recepit.*

(b) [Clun. *relictis suis obsidibus.*]

(c) [Clun. *sed et ille diutissimè..... restitit, venitque.*]

(d) Numquam enim Reccaredo nupsit, sicuti, ut videtur, nec Chlodosvinda Sigiberti filia. Vide infrà notas ad. cap. 25. lib. 9. Unde tot morarum procul dubio pertæsus Reccaredus, Baddonem popularem suam sibi tandem conjugio copulavit.

(e) [Clun. *urbem Avennionensem.* Paulò pòst, *puero Mummoli, quem ipse valde creditum habuerat, et hæc ei.*]

(f) Hìc designari volunt Ecclesiam sancti Martini de Leriaco, hodieque collegio Canonicorum insignitam apud Bituriges, sub jurisdictione sancti Martini Turonensis.

(g) [Clun. *imperium non explestis.*]

A *diente me atrium domûs, vidi virum senem exhibentem arborem in manu sua, quæ mox extensis ramis omne atrium texit. Ex ea enim unus me adtigit ramus, de cujus ictu turbatus conrui.* Et innuens suis rogabat ut ejiceretur de atrio (a). Egressus autem invocare nomen beati Martini adtentiùs cœpit. Ex hoc enim commodiùs agens, sanatus est. GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

XLIII. Desiderius verò infra castrorum munitionem se resque suas tutavit : Waddo major-domûs Rigunthis ad Brunichildem Reginam transiit ; et ab ea susceptus, cum muneribus et gratia est dimissus : Chariulfus basilicam sancti Martini expetiit.

XLIV. Fuit (b) tunc temporis mulier, quæ spiritum pythonis habens, multum præstabat dominis divinando quæstum ; eòque in gratia profecit, ut ab his libera facta, suis voluntatibus laxaretur. Si quis enim aut furtum, aut aliquid mali
B perferret, statim hæc quò fur abiit, cui tradidit, vel quid ex hoc fecerit, edicebat. Congregabat quotidie aurum argentumque, procedens in ornamentis, ita ut putaretur aliquid esse divinum in populis. Sed cùm Agerico Viridunensi Episcopo hæc nuntiata fuissent, misit ad comprehendendum eam. Qua adprehensa et ad se adducta, juxta id quod in Actibus legimus apostolicis, cognovit in ea immundum *Act.* 16. 16. spiritum esse pythonis. Denique cùm exorcismum super eam diceret, ac frontem illius oleo sancto perungeret, exclamavit dæmonium, et quid esset prodidit Sacerdoti. Sed cùm per eum à puella non extruderetur, abire permissa est. Cernens verò puella, quòd in loco illo habitare non posset, ad Fredegundem Reginam abiit, ibique et latuit.

XLV. Magna hoc anno fames pænè Gallias totas oppressit. Nam plurimi uvarum
C semina, flores avellanarum, nonnulli radices herbæ filicis arefactas, redactasque in pulverem, admiscentes parum farinæ, panem conficiebant. Multi etiam herbam segetum decidentes, similiter faciebant. Fuerunt etiam multi, quibus non erat aliquid farinæ, qui diversas colligentes herbas, et comedentes tumefacti deficiebant. Plurimi enim tunc ex inedia tabescentes, mortui sunt. Graviter tunc negotiatores populum spoliaverunt, ita ut vix vel modium (c) annonæ, aut semimodium vini uno triante venumdarent. Subdebant se pauperes servitio, ut quantulumcumque de alimento porrigerent (d).

XLVI. His diebus Christophorus negotiator ad Aurelianensem urbem abiit. Audierat enim, quòd eò multum vini delatum fuisset. Abiens ergo, comparato vino, et lintribus invecto, accepta à socero pecunia multa, cum duobus pueris
D Saxonibus viam equitando terebat. Pueri verò diu dominum exosum (e) habebant, et plerumque fugerant illum, eò quòd crebriùs gravissimè verberarentur. Cùm venissent in quamdam silvam, præcedente domino, puer unus jaculata validè lancea, dominum suum transfixit. Quo ruente, alius cum framea caput ejus dilaceravit : et sic ab utroque in frusta decisus, exanimis est relictus. Hi verò accipientes pecuniam, fuga dilapsi sunt. Frater verò Christophori, sepulto corpusculo, homines suos post pueros dirigit : qui juniorem comprehensum ligant, seniore cum pecunia fugiente. Quibus redeuntibus, cùm vinctum laxiùs reliquissent, accepta lancea unum ex his à quibus adducebatur, interemit. Sed deductus ab aliis usque Turonis, diversis suppliciis adfectus, detruncatusque, patibulo valde exanimis (f) est adpensus.

E XLVII. Gravia tunc inter Turonicos cives bella civilia surrexerunt. Nam Sicharius, Johannis quondam filius, dum natalis Dominici sollemnia apud Montalomagensem (g) vicum cum Austregisilo reliquisque pagensibus celebraret, Presbyter loci misit puerum ad aliquorum hominum invitationem, ut ad domum ejus bibendi gratiâ venire deberent. Veniente verò puero, unus ex his qui invitabantur, extracto gladio eum ferire non metuit : qui statim cecidit et mortuus est. Quòd cùm Sicharius audisset, qui amicitias cum Presbytero retinebat, quòd scilicet puer ejus fuerit interfectus, arreptis armis Ecclesiam petiit, Austregisilum opperiens. Ille autem hæc audiens, adprehenso armorum adparatu, contra eum dirigit : mixtisque omnibus cùm se pars utraque conlideret, Sicharius inter Clericos ereptus, ad villam suam effugit, relictis in domo Presbyteri, cum argento et

(a) [Clun. *ejiceretur foras.*]
(b) Hoc caput deest in Colb. a. et Vat.
(c) Colb. a. [et Clun.] *vel modicum.*
(d) Hîc desinit liber VII. in Vat. et Colb. a. et in iis desunt duo capita sequentia.
(e) [Dub. et Clun. *exosum habentes, et plerumque fuga labentes, eò quòd.*]
(f) Regm. *patibulo est adpensus.*
(g) Locus apud Turones satis celebris, vulgò dictus *Mantelan.* Ibi Perpetuus Turon. Episcopus Ecclesiam ædificavit, ut dicitur infrà lib. 19. capite ultimo.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. AN. CHR. 585.

vestimentis, quatuor pueris sauciatis. Quo fugiente, Austregisilus iterùm inruens, A interfectis pueris, aurum argentumque cum reliquis rebus abstulit. Dehinc cùm in judicio civium convenissent, et præceptum esset ut Austregisilus, qui homicida erat, et interfectis pueris res sine audientia (a) diripuerat, censura legali condemnaretur. Inito placito paucis infrà diebus, Sicharius audiens, quòd res quas Austregisilus diripuerat, cum Aunone et filio, atque ejus fratre Eberulfo, retinerentur; postposito placito, conjunctus Audino, mota seditione, cum armatis viris inruit super eos nocte; elisoque hospitio in quo dormiebant, patrem cum fratre et filio interemit : resque eorum cum pecoribus, interfectisque servis, abduxit. Quod nos audientes, vehementer ex hoc molesti, adjuncto judice, mittimus ad eos legationem, ut in nostri præsentiam venientes, accepta ratione cum pace discederent, ne jurgium in amplius pullularet. Quibus venientibus, conjunctisque civibus, B ego aio : *Nolite, ô viri, in sceleribus proficere, ne malum in longius extendatur. Perdidimus enim Ecclesiæ filios : metuimus nunc ne et aliis in hac intentione careamus. Estote quæso pacifici, et qui malum gessit, stante caritate componat, ut sitis filii pacifici,* Matt. 5. 9. *qui digni sitis regnum Dei, ipso Domino tribuente, percipere. Sic enim ipse ait : Beati pacifici, quoniam* (b) *ipsorum est regnum cœlorum. Ecce enim, etsi illi qui noxæ subditur, minor est facultas, argento Ecclesiæ redimetur : interim anima viri non pereat.* Et hæc dicens obtuli argentum Ecclesiæ : sed pars Chramnisindi, quæ mortem patris fratrisque et patrui requirebat, accipere noluit (c). His discedentibus, Sicharius iter ut ad Regem ambularet præparat, et ob hoc Pictavum ad uxorem cernendam proficiscitur. Cùmque servum ut exerceret operam commoneret, elevataque virga ictibus verberaret, ille extracto balthei gladio dominum sauciare non C metuit. Quo in terram ruente, currentes amici adprehensum servum crudeliter cæsum, truncatis manibus et pedibus, patibulo damnaverunt. Interim sonus in Turonicum exiit Sicharium fuisse defunctum. Cùm autem hæc Chramnisindus audisset, commonitis parentibus et amicis, ad domum ejus properat. Quibus spoliatis, interemtis nonnullis servorum, domos omnes, tam Sicharii quàm reliquorum, qui participes hujus villæ erant, incendio concremavit, abducens secum pecora, et quæcumque movere potuit. Tunc partes à judice ad civitatem deductæ causas proprias proloquuntur : inventumque est à judicibus, ut qui nolens accipere priùs compositionem, domos incendiis tradidit, medietatem pretii, quod ei fuerat judicatum, amitteret. Et hoc contra leges actum, ut tantùm pacifici redderentur, aliam verò medietatem compositionis Sicharius redderet. Tunc dato ab Ecclesia argento, quæ judicaverant accepta securitate (d) componunt, datis sibi partes invicem sacramentis, ut nullo umquam tempore contra alteram pars altera mussitaret : et sic altercatio terminum fecit.

(a) Apud Marculf. lib. 1. cap. 28. exstat *Formula audientialis*, qua quis ad Principis præsentiam accedere cogebatur, ad quodvis factum discutiendum.

(b) [Dub. *quoniam filii Dei vocabuntur.*]

(c) In hoc capite et in aliis variis Gregorii locis exempla habentur pessimæ consuetudinis inimicitias privatas armis persequendi, quæ Principis imperio, aut legum auctoritate omninò non prohibebatur apud Francos, quamvis certis finibus coërcita esset. Si itaque quivis aut vulneratus, aut certè occisus fuisset, tunc propinqui illius, et affines, seu et amici in unum conveniebant, injuriam vi et armis ulturi. Vide formulam 18. lib. 1. Marculfi et Bignonii notas. Hæc prava consuetudo, dicta *Faida*, sæpiùs in Capitularibus Regum postmodùm vetita fuit.

(d) Ejusmodi securitatis formula exstat apud Marculfum lib. 2. cap. 18. [Dub. et Clun. *datum ab Ecclesia argentum..... composuit.*]

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI OCTAVI.

I. De eo quòd Rex Aurelianis venit.
II. Qualiter ei Episcopi præsentati ; et qualiter ipse convivium præparavit.
III. De Cantoribus, et argento Mummoli.
IV. Laus Childeberti Regis.
V. De visionibus quas Rex, vel nos de Chilperico vidimus.
VI. De iis quos præsentavimus.
VII. De Palladio Episcopo, qualiter Missas dixit.
VIII. De signis ostensis.
IX. De sacramento pro filio Chilperici dato.

X. De

X. De corporibus Merovechi et Chlodovechi.
XI. De Ostiariis, et interitu Boanti.
XII. De Theodoro Episcopo, et plaga super Ratharium.
XIII. De legatione Guntchramni ad Childebertum directa.
XIV. De periculo in flumine.
XV. De conversione Vulfilaici diaconi.
XVI. Quæ de virtutibus sancti Martini retulit.
XVII. De signis quæ apparuerunt.
XVIII. Quòd Childebertus in Italiam direxit exercitum, et qui Duces vel Comites aut instituti sunt, aut remoti.
XIX. De interitu Dagulfi Abbatis.
XX. Quæ in Synodo Matiscensi acta sunt.
XXI. De placito in Belsonnaco; et de sepulcro violato.
XXII. De obitu Episcoporum, et Wandelini.
XXIII. De diluviis.
XXIV. De insulis maris.
XXV. De insula in qua sanguis apparuit.
XXVI. De Eberulfo qui Dux fuit.
XXVII. Quòd Desiderius ad Regem abiit.
XXVIII. De Hermenigildo et de Ingunde, vel de legatis Hispanorum clam ad Fredegundem missis.
XXIX. Quòd Fredegundis misit, qui Childebertum interficeret.
XXX. Quòd exercitus in Septimaniam abiit.
XXXI. De interfectione Prætextati Episcopi.
XXXII. De interitu Domnolæ uxoris Nectarii.
XXXIII. De incendio urbis Parisiacæ.
XXXIV. De reclausis tentatis.
XXXV. De legatis Hispanorum.
XXXVI. De interitu Magnovaldi.
XXXVII. Quòd Childeberto filius natus est.
XXXVIII. Quòd Hispani in Gallias proruperunt.
XXXIX. De obitu Episcoporum.
XL. De Pelagio Turonico.
XLI. De iis qui Prætextatum Episcopum interfecerunt.
XLII. Quòd Bippolenus Dux datus est.
XLIII. Quòd Nicetius rector Provinciæ ordinatur, et de iis quæ Antistius gessit.
XLIV. De eo qui Regem Guntchramnum interficere voluit.
XLV. De interitu Desiderii Ducis.
XLVI. De obitu Leuvichildi Regis.

LIBER OCTAVUS.

I. IGITUR Guntchramnus Rex anno vigesimo-quarto regni sui de Cabillono (a) progressus, Nivernensem urbem adgreditur. Invitatus enim Parisius veniebat, ut Chilperici filium, quem jam (b) Chlotarium vocitabat, à sacro regenerationis fonte deberet excipere. Digressus verò à Niverno ad Aurelianensem urbem venit, magnum se tunc civibus suis præbens. Nam per domos eorum invitatus adibat, et prandia data libabat : multùm ab his muneratus, muneraque ipsis profluа benignitate largitus est. Sed cùm ad urbem Aurelianensem venisset, erat ea die sollemnitas beati Martini, id est quarto Nonas mensis quinti (c). Processitque in obviam ejus immensa populi turba cum signis atque vexillis, canentes laudes. Et hinc lingua Syrorum, hinc Latinorum, hinc etiam ipsorum Judæorum, in diversis laudibus variè concrepabat, dicens : *Vivat Rex; regnumque ejus in diversis populis annis innumeris dilatetur.* Judæi verò, qui in his laudibus videbantur esse participes,

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

(a) [Clun. *Cavillono progressus, Nevernensem.* Infrà, *Neverno.*]

(b) [Clun. *Chlotarium vocitabant.* Dub. *Chlothacharium vocitabant.* Ejus avus in eodem codice ferè semper *Chlotharius* vocatur, semel tantùm *Flotharius.*]

(c) Festum Translationis ejus, quæ etiam nunc celebratur hac ipsa die quarta Julii.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

dicebant : *Omnes gentes te adorent, tibique genu flectant, atque tibi sint subditæ.* Unde A factum est, ut celebratis Missis, cùm Rex ad convivium resideret, diceret : *Væ genti Judaïcæ, malæ et perfidæ, ac subdolo semper sensu viventi. Ob hoc enim mihi*, inquit, *hodie laudes adulatorias adclamabat, ut me cunctæ gentes quasi dominum adorarent, ut synagogam eorum, quæ dudum à Christianis diruta est, juberem ope publica sublevari : quod inhibente Domino numquam ero facturus.* O Regem admirabili prudentia clarum! Sic intellexit dolositatem hæreticorum, ut ei penitùs non valerent subripere, quæ erant postmodùm suggesturi. Jam enim mediante epulo Rex locutus est Sacerdotibus qui aderant, dicens : *Rogo ut in domo mea crastina die vestram promerear benedictionem, fiatque mihi salus in ingressu vestro, ut ex hoc salvus fiam, cùm super me humilem vestrarum benedictionum verba defluxerint.* Hæc eo dicente, omnes gratias agentes epulo expleto surreximus. B

II. Mane autem facto, dum Rex loca Sanctorum orationis gratia visitaret, ad metatum nostrum advenit. Erat enim ibi Basilica sancti Aviti Abbatis, cujus in libro Miraculorum meminimus (a). Surrexi gavisus, fateor, ad occursum ejus, et data oratione deprecor, ut in mansione mea eulogias beati Martini dignaretur accipere. Quod ille non respuens, benigno animo ingressus, hausto poculo, admonitis nobis ad convivium, lætus abscessit. Tunc Bertchramnus Burdegalensis Episcopus cum Palladio Santonico valde Regi infensus erat pro susceptione Gundovaldi, cujus suprà meminimus * : sed et Palladius Episcopus ob hoc maximè Regis iram incurrerat, quòd ei sæpiùs fallacias intulisset. Discussi enim ante paullulum fuerant ab reliquis Episcopis et optimatibus Regis, cur Gundovaldum suscepissent, cur Faustianum (b) Aquis Episcopum ad præceptionem ejus levissimam ordinassent. Sed hanc causam ordinationis Palladius Episcopus à Bertchramno Metropole suo auferens, super se devolvit, dicens : *Oculi Metropolis mei valde doloribus artabantur, et ego spoliatus et contemtus, invitus ab eo in eo loco adductus sum. Non potui aliud facere, nisi quæ ille, qui omnem principatum Galliarum se testabatur accipere, imperabat.* Cùm hæc Regi nuntiata fuissent, valde commotus est, ita ut vix obtineri posset, ut eos ad convivium advocaret, quos anteà non viderat. Introeunte itaque Bertchramno, interrogat Rex : *Quis*, ait, *est iste?* diu enim erat quòd ab eo visus non fuerat. Dixeruntque : *Hic est Bertchramnus Burdegalensis urbis Episcopus.* Cui ille : *Gratias*, inquit, *agimus, quòd sic custodisti fidem generationi tuæ. Scire enim te oportuerat, dilectissime pater, quòd parens eras nobis ex matre nostra, et super gentem tuam non debueras inducere pestem extraneam* *. Cùmque talia, et D his similia Bertchramnus audisset, conversus ad Palladium Rex, ait : *Nec tibi, ô Palladi Episcope, nimiùm sunt gratiæ referendæ. Tertiò enim mihi, quod de Episcopo dici iniquum est, pejerasti, mittens indiculos dolositate plenos : à me excusabaris* (c) *per epistolas, et germanum meum cum scriptis aliis invitabas. Judicavit enim Deus causam meam, cùm ego provocare vos semper tamquam Ecclesiæ patres studui, et vos circa me semper egistis dolosè.* Nicasio autem et Antidio Episcopis (d) dixit : *Quid vos, ô sanctissimi patres, pro regionis utilitate, vel regni nostri sospitate tractastis, edicite?* Illis quoque tacentibus, ablutis Rex manibus, accepta à Sacerdotibus benedictione, ad mensam resedit læto vultu et hilari facie, quasi nihil de contemtu suo fuisset effatus.

* *Lib.* 7. *c.* 31.

* I. Gundovaldum.

III. Intereà jam medio prandii peracto, jubet Rex ut diaconum nostrum, qui ante diem ad Missas psalmum-responsorium (e) dixerat, canere juberem. Quo canente, jubet iterùm mihi, ut omnes Sacerdotes, qui aderant, per meam commonitionem, datis ex officio suo singulis clericis, coram Rege juberentur cantare. Per me enim secundùm Regis imperium admoniti, quisque ut potuit in Regis præsentia psalmum-responsorium decantavit (f). Cùm autem fercula proferrentur, dixit Rex : « Argentum omne quod cernitis, Mummoli illius perjuri fuit. * » Sed nunc, gratia Domini tribuente, in nostram dominationem translatum est : » nam quindecim ex eo catinos, ut istum majorem cernitis, jam concidi, et non

* *V. lib.* 7. *cap.* 40.

(a) In libro de Gloria Confessorum cap. 99. Basilica S. Aviti hodieque perstat cum collegio Canonicorum, cui adjunctum est Seminarium ad juniorum clericorum institutionem nuper erectum.

(b) Colb. a. et Regm. *Faustinianum*. Confer cum lib. 7. cap. 31.

(c) Colb. a. *et te excusabas per litteras.*

(d) Nicasius Inculismensis, de quo lib. 9. cap. 41. Antistius verò Aginnensis erat Episcopus : uterque subscripsit Conc. Matisc. II.

(e) Hodierno Graduali seu Gradali respondet. Psalmi, qui post Epistolam cantabatur, meminit passim Augustinus. Vide Menardum in Sacrament. Gregorianum, pag. 368.

(f) Colb. m. prima manu *cantavit*. Clericus post dictum ab Episcopo versum Psalmi, antiphonam seu respons. subjungebat, eo modo quo in Missis IV. temporum hodieque cantic. trium Puerorum concinimus.

A » exinde ampliùs quàm hunc et alium de centum septuaginta libris reservavi. Et » quid ampliùs quàm ad opus quotidianum necesse est me retinere ? Non ego, » quod pejus est, alium filium præter Childebertum habeo, cui satis sit de thesauris » quos ei pater reliquit : et quæ jam de hujus miserrimi rebus, quæ Avinione (a) » inventæ sunt, transmittere curavi. Reliqua verò pauperum et Ecclesiarum erunt » necessitatibus tribuenda.

IV. » Unum vos tantummodò, Sacerdotes Domini, deprecor, ut pro filio meo » Childeberto Domini misericordiam exoretis. Est enim vir sapiens atque utilis, ut » de multorum annorum ævo vix ita cautus homo reperiri possit ac strenuus. Quia » si hunc Deus his Galliis concedere dignabitur, fortassis spes erit de eodem B » gentem nostram, quæ valde exinanita est, posse consurgere. Quod fieri juxta » ejus misericordiam non diffido, eò quòd tale fuerit pueri nativitatis præsagium. » Nam in die sancto Paschæ, stante fratre meo Sigiberto in Ecclesia, procedente » Diacono cum sancto Evangeliorum libro, nuntius Regi advenit; unaque vox » fuit pronuntiatis lectionem evangelicam, ac nuntii dicentis : Filius natus est tibi. » Unde factum est, ut omnis populus in utraque annuntiatione proclamaret pa- » riter : Gloria Deo omnipotenti. Sed baptismum in die sancto Pentecostes acce- » pit, et Rex nihilominùs in die sancto Dominicæ nativitatis est elevatus. Unde » si oratio (b) vestra prosequitur, poterit hic, Domino annuente, regnare ». Hæc Rege dicente, omnes orationem fuderunt ad Dominum, ut utrumque Regem ejus misericordia conservaret. Adjecitque Rex : « Verùm quia mater ejus Bruni- » childis me minatur interimere : sed nihil mihi ex hoc formidinis est. Dominus C » enim qui me eripuit de manibus inimicorum meorum, et de hujus insidiis libe- » rabit me ».

V. Multa tunc et in Theodorum (c) adversa locutus est, protestans, quòd si ad Synodum veniret, iterùm exsilio truderetur, dicens : « Scio enim quòd horum » causa germanum meum Chilpericum interfici fecit. Denique nec nos pro viris » haberi debemus, si ejus necem ulcisci non valemus hoc anno. Cui ego res- » pondi : Et quis Chilpericum interemit, nisi malitia sua, tuaque oratio? Multas » enim tibi contra justitiam tetendit insidias, quæ ei mortis exitium intulerunt. » Quod, ut dicam, valde hoc per visionem somnii inspexi, cùm viderem eum » à te (d) tonsorato capite quasi Episcopum ordinari ; deinde super cathedram » puram sola fuligine (e) tectam impositum ferri, prælucentibus coram eo lychnis » ac cereis. Me hæc narrante, Rex ait : Vidi et ego aliam visionem, quæ hujus D » interitum nuntiavit. Adducebatur enim in conspectu meo à tribus Episcopis » vinctus catenis, quorum unus Tetricus, alius Agricola (f), tertius verò Ni- » cetius Lugdunensis erat, è quibus dicebant duo : Solvite quæsumus eum, et » castigatum abire permittite. Quibus è contrario cum amaritudine Tetricus Epis- » copus respondebat : Non fiet ita, sed igni concremabitur pro sceleribus suis. Et » cùm diu multùmque quasi altercantes hæc inter se verba proferrent, conspicio » eminus æneum super ignem positum fervere vehementer. Tunc me flente, ad- » prehensum infelicem Chilpericum confractis membris projiciunt in æneum (g). » Nec mora, inter undarum vapores ita dissolutus ac liquefactus est, ut nullum » ex eo penitus indicium remaneret ». Hæc Rege dicente, admirantibus nobis, epulo expleto surreximus.

E VI. Rex igitur in crastinum in venationem progressus est. Quo redeunte, Garacharius Comes Burdegalensis atque Bladastes à nobis repræsentati sunt : qui, ut superiùs diximus, in basilica sancti Martini confugium fecerant, pro eo quòd Gundovaldo conjuncti fuissent. Nam cùm priùs pro his deprecatus, nihil obtinere potuissem, hæc in sequenti locutus sum : *Audiat, ô Rex, potestas tua : ecce à Domino meo in legatione ad te directus sum : sed quid renuntiabo ei qui me misit, cùm nihil mihi responsi reddere velis?* At ille obstupefactus ait : *Et quis est dominus tuus, qui te misit ?* Cui ego subridens : *Beatus Martinus,* inquio, *misit me.* Tunc ille jussit sibi repræsentari viros. Sed cùm in ejus conspectu venissent, multas eis perfidias ac perjuria (h) exprobravit, vocans eos sæpiùs vulpes ingeniosas : sed

(a) [Clun. *Avennione.*]
(b) [Clun. *orationem vestram.*]
(c) Is erat Massiliensis Episcopus, de quo plura in libro superiori.
(d) [Dub. *eum antè tonsorato.*]
(e) [Freh. al. *nullis palleis tectam.*
(f) Tetricus Lingonensis, Agricola verò Cabillonensis. [Clun. *Agræcola.*] Pro *Tetricus* Colb. a. alt. manu habet *Theodericus*, et sic infrà.
(g) [Clun. *in clibanum.*]
(h) [Clun. *ac blasfemias exprobravit, vocans eos sæpiùs ingeniosos.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

restituit eos gratiæ suæ, reddens quæ illis ablata fuerant. A

VII. Adveniente quoque die Dominico, Rex Ecclesiam ad spectanda (a) Missarum sollemnia petit : fratres (b) verò consacerdotesque qui aderant, locum Palladio Episcopo ad agenda festa præbuerunt. Quo incipiente Prophetiam, Rex interrogat, quis esset. Cùmque Palladium Episcopum initiasse pronuntiassent, statim commotus Rex ait : *Qui mihi semper infidelis et perfidus fuit, ille nunc sacrata verba prædicabit ? Egrediar prorsùs ab hac Ecclesia, ne inimicum meum audiam prædicantem.* Et hæc dicens, egredi cœpit Ecclesiam (c). Tunc conturbati Sacerdotes de fratris humilitate, dixerunt Regi : *Vidimus enim cum convivio tuo adesse, ac de ejus manu te benedictionem accipere ; et cur eum nunc Rex aspernatur ? Si enim scissemus tibi exosum, declinassemus utique ad alium, qui hæc agere debuisset. Nunc, si permittis, celebret quæ cœpit : in posterum autem si aliquid opposueris, canonicæ sanctionis censura finiatur.* Jam enim Palladius Episcopus in sacrarium cum grandi humilitate discesserat. Tunc Rex jussit eum revocari, et sic quæ agere cœperat, expedivit. Nam cùm iteratò ad convivium Regis Palladius atque Bertchramnus adsciti fuissent, commoti invicem multa sibi de adulteriis ac fornicatione exprobrarunt, nonnulla etiam de perjuriis. Quibus de rebus multi ridebant, nonnulli verò, qui alacrioris erant scientiæ, lamentabantur, cur inter Sacerdotes Domini taliter zizania diaboli pullularent. Discedentes itaque à Regis præsentia, cautiones et fidejussores dederunt, ut decimo Calendas mensis noni ad Synodum convenirent. B C

VIII. Tunc adparuerunt signa, id est, radii à parte Aquilonis, sicut sæpiùs adparere solent. Fulgor per cœlum occurrisse visus (d) est, floresque in arboribus ostensi sunt. Erat enim mensis quintus.

IX. Post hæc Rex Parisius venit, et coram omnibus loqui cœpit, dicens : *Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquisse, cujus nutritores, matre deprecante, petierunt ut eum de sancto lavacro in Dominici Natalis sollemnitate deberem excipere : et non venerunt. Rogaverunt deinceps ut ad sanctum Pascha baptizaretur : sed nec tunc allatus est infans. Deprecati sunt autem tertiò, ut ad festivitatem sancti Johannis* (e) *exhiberetur : sed nec tunc venit. Moverunt itaque me per tempus sterile de loco ubi habitabam : veni igitur, et ecce absconditur, nec ostenditur mihi puer. Unde, quantùm intelligo, nihil est quod promittitur : sed, ut credo, alicujus ex leudibus nostris sit filius : nam si de stirpe nostra fuisset, ad me utique fuisset deportatus. Ideòque noveritis quia à me non suscipitur, nisi certa de eo cognoscam indicia.* Hæc audiens Fredegundis Regina, conjunctis prioribus regni sui, id est tribus Episcopis, et trecentis viris optimis, sacramenta dederunt. hunc à Chilperico Rege generatum fuisse : et sic suspicio ab animo Regis (f) ablata est. D

X. Denique cùm interitum Merovechi atque Chlodovechi sæpiùs lamentaretur, nesciretque ubi eos postquàm interfecerant, projecissent, venit ad Regem homo qui diceret : *Si mihi contrarium in posterum non habetur, indicabo in quo loco Chlodovechi cadaver sit positum.* Juravit Rex nihil ei molestum fieri, sed potiùs muneribus ampliari. Tunc ille : *Veritatem*, inquit, *me loqui, ô Rex, ipsa ratio quæ acta est comprobabit. Nam quando Chlodovechus interfectus est, ac sub stillicidio oratorii cujusdam sepultus, metuens Regina ne aliquando inventus cum honore sepeliretur, jussit eum in alveum Matronæ fluminis projici. Tunc intra lapsum* (g), *quod opere meo ad capiendorum piscium necessitatem præparaveram, reperi. Sed cùm ignorarem quisnam esset, à cæsarie prolixa cognovi Chlodovechum esse : adprehensumque in humeris ad litus detuli ; ibique eum cespite superposito tumulavi. Ecce salvatis artubus quod volueris effice.* Quod cùm Rex comperisset, confingens se ad venationem procedere, detectoque tumulo, reperit corpusculum integrum et inlæsum : una tantum pars capillorum, quæ subter fuerat, jam defluxerat ; alia verò cum ipsis E

(a) Missas spectare dicebantur, qui sacris quidem mysteriis intererant, sed non communicabant, uti colligit noster Mabillon. in Liturg. Gallic. ex cap. 8. lib. 10. hujus historiæ. Can. 29. Conc. III. Aurelian. an. 538. vetitum est, ne quis cum armis bellicis *sacrificia matutina Missarum sive vespertina spectet.*

(b) Id est, *Episcopi.*

(c) [Clun. *ab Ecclesia.*]

(d) [Clun. *fulgur per cælum cucurrisse visum est.*]

(e) Non solùm in natali Domini et S. Johannis, sed et in natalitiis Martyrum baptismus conferebatur in aliquibus Ecclesiis. Quem morem veteribus Canonibus insistentes abrogare conati sunt Patres Concilii II. Matisc. hoc anno DLXXXV. habiti. [Clun. *baptizaretur.*]

(f) Omnes præter Bad. *ab animis Regis.*

(g) Sic Colb. m. cum Bec. et rectè, ea enim voce designatur rete. Et in Colb. a. ubi *lampsum*, altera manu appositum est *rete.* Regm. verò habet *lacum*, Editi *capsum.* De Chlodovei morte vide suprà lib. 5. cap. 40. De Merovei autem nece cap. 19. ejusdem libri. Uterque relatus Parisios, in basilica sancti Vincentii, quæ hodie sancti Germani à Pratis dicitur, sepultus est.

A crinium flagellis intacta durabat. Cognitumque est, hunc esse quem Rex intento animo requirebat. Convocato igitur Episcopo civitatis, cum clero et populo, ac cereorum innumerabilium ornatu, ad basilicam sancti Vincentii detulit tumulandum, non minùs plangens nepotes mortuos, quàm cùm vidit filios proprios jam sepultos. Post hæc misit Pappolum Carnotenæ urbis Episcopum, qui Merovechi cadaver requirens, juxta Chlodovechi tumulum sepelivit.

XI. Ostiarius (a) verò quidam de alio ostiario dixit : *Domine Rex, hic accepto prœmio consensit ut tu interficiaris.* Adprehensusque ostiarius, de quo dixerat, cæsus, supplicìisque multis adfectus, nihil de causa qua interrogabatur aperuit. Loquebantur enim tunc multi hoc insidiis et invidia factum, quòd ostiarius ille, cui hoc crimen
B impactum fuerat, plurimùm à Rege diligeretur. Ansovaldus (b) autem nescio qua suspicione tactus, nec valedicens, à Rege discessit. Rex verò Cabillonum regressus, jussit Boantum, qui sibi semper fuerat infidelis, gladio percuti. Qui vallatus in domo sua, ab hominibus Regis peremtus interiit : resque suæ fisci ditionibus subjugatæ sunt.

XII. Denique cùm Rex maxima intentione Theodorum Episcopum iterùm persequi conaretur, et Massilia jam in Childeberti Regis dominationem revocata fuisset ; ad discutiendas causas Ratharius illuc quasi Dux (c) à parte Regis Childeberti dirigitur. Sed postposita actione, quæ ei à Rege injuncta fuerat, Episcopum vallat, fidejussores requirit, et ad præsentiam Regis Guntchramni direxit, ut scilicet ad Synodum (d), quæ Matiscone futura erat, quasi ab Episcopis dam-
C nandus adesset. Nec defuit ultio divina, quæ servos suos ab ore canum rabidorum defensare consuevit. Nam egrediente Episcopo à civitate, statim res Ecclesiæ diripit, et alia quidem sibi vindicat, alia sub sigillorum munitione concludit. Cùmque hoc fecisset, protinùs famulos ejus sævissimus invadit morbus, exhaustosque febre peremit ; filius ejus ab hoc incommodo defecit, quem in suburbano Massiliæ ipsius cum gravi gemitu sepelivit : fuitque talis domui ejus plaga ut cùm ab urbe illa est digressus, vix ad patriam suam regredi putaretur. Theodorus verò Episcopus à Guntchramno Rege detentus est. Sed nihil ei Rex nocuit. Est enim vir egregiæ sanctitatis (e), et in oratione assiduus, de quo mihi Magnericus Treverensis Episcopus hæc retulit : « Ante hos annos cùm ad præsentiam Childeberti
» Regis ita sub ardua custodia duceretur, ut quandocumque ad urbem aliquam
D » venisset, neque Episcopum, neque quemquam de civibus videre permitteretur,
» adveniente (f) Treveros, nuntiatum est Episcopo, hunc jam in navi positum
» clam abduci : surrexitque Sacerdos tristis, ac velociter prosecutus, reperit eum
» ad litus : causatusque cum custodibus, cur tanta esset impietas, ut non liceret
» fratri fratrem adspicere : visoque tandem, osculatus eum, indulgens aliquid ves-
» timenti, discessit. Veniens itaque ad basilicam sancti Maximini (g), prosterni-
» tur sepulcro, illud Apostoli Jacobi retinens : *Orate pro invicem ut salvemini.* *Jac.* 5. 16.
» Fusaque diu oratione cum lacrymis, ut fratrem dignaretur Dominus adjuvare,
» egressus est foras. Et ecce mulier quam spiritus (h) erroris agitabat, clamare
» Sacerdoti cœpit, ac dicere : O sceleste et inveterate dierum, qui pro inimico
E » nostro Theodoro orationem fundis ad Dominum. Ecce nos quotidie quærimus,
» qualiter ab his Galliis extrudatur, qui nos quotidianis incendiis conflat ; et tu
» pro eo rogare non desinis? Satius enim tibi erat res Ecclesiæ tuæ diligenter inquirere,
» ne pauperibus aliquid deperiret, quàm pro hoc tam intentè deposcere. Et aiebat :
» Væ nobis qui eum non possumus expugnare ». Et licèt dæmoniis credi non debeat, tamen qualis esset Sacerdos, de quo hæc dæmon condolens declamabat, adparuit. Sed ad cœpta redeamus.

XIII. Igitur legatos ad nepotem suum Childebertum Rex dirigit, qui morabatur tunc ad castrum Confluentis (i), quod ob hoc nomen accepit, pro eo

(a) Hoc caput deest in Vat. et Colb. a. Bad. *Postarius..... de alio hostario.*

(b) [Dub. *Ansoaldus autem..... Rex verò Cavilonium.* Clun. *Cavillonum*]

(c) Regm. *Dux quasi à parte.* Colb. m. *duxit quasi,* fortè pro *Dux.*

(d) [Dub. et Clun. *Synodum quod Matiscone futurum erat.* Sic infrà.]

(e) Colitur uti sanctus in Martyrol. Gallicano die 2. Januarii. Vide suprà lib. 6. cap. 24.

(f) [Dub. *adveniens Treveros.* Clun. *adveniens Treveris.*]

(g) Colb. m. Regm. [et Clun.] *Martini.* At licèt Treviris sit quoque basilica sancti Martini, ab ipso Magnerico condita, numquam tamen ibi sancti Martini sepulcrum exstitit. Sanctus Maximinus verò in Ecclesia suburbana sepultus est, quæ hodieque ipsius nomen retinet, estque, sicut etiam basilica sancti Martini, celebris Abbatia Ordinis Benedictini.

(h) [Clun. *spiritus malignus agitabat.*]

(i) Celebre etiam nunc et munitione validissimum sub diœcesi et ditione Archiepiscopi Trevirensis, vulgò *Coblentz* dictum.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

quòd Mosella Rhenusque amnes pariter confluentes in eodem loco jungantur. Et quia A placitum fuerat, ut Trecas Campaniæ urbem de utroque regno conjungerent, Sacerdotibusque de regno Childeberti congruum non fuit; Felix legatus, salutatione præmissa, ostensis litteris, ait : *Patruus tuus, ô Rex, diligenter interrogat, quis te ab hac promissione retraxit, ut Sacerdotes regni vestri ad Concilium quod simul decreveratis, venire differrent. An forsitan mali homines aliquam inter vos discordiæ radicem faciant pullulare?* Tunc ego, Rege tacente, respondi : *Nihil mirum, si zizania seratur inter populos : nam inter hos quo radicem obliget* (a), *protinùs non potest reperire. Nullum enim latet* (b) *quòd Childebertus Rex alium patrem nisi patruum non habet : neque ille alium filium nisi hunc habere disponit, juxta id quod eum anno præsenti audivimus loqui* (c). *Absit ergo ut inter eos radix discordiæ germinet, cùm se pariter et tueri debeant et amare.* Tunc B vocato secretiùs Felice legato, Childebertus Rex rogavit, dicens : *Deprecor dominum et patrem meum, ut Theodoro Episcopo nihil injuriæ inferat : quod si fecerit, confestim inter nos scandalum germinabit, erimusque discordia impediente disjuncti, qui debemus amorem tuendo esse pacifici.* Acceptoque et de aliis causis responso, legatus discessit (d).

XIV. Nobis itaque in antedicto castro cum Rege commorantibus, dum ad convivium Principis usque obscura nocte retineremur, epulo expleto surreximus : venientesque ad fluvium, offendimus navem in litore, quæ nobis fuerat præparata : ascendentibusque nobis inruit turba hominum diversorum, impletaque est navis tam hominibus quàm aquis : sed virtus Domini adfuit, non sine grandi miraculo, ut cùm usque labium impleta fuisset, mergi non posset. Habebamus enim nobiscum beati C Martini reliquias cum aliorum Sanctorum, quorum virtute nos credimus fuisse salvatos. At verò nave ad litus unde egressi fuimus redeunte, evacuata ab hominibus et à lymphis, repulsisque extraneis, sine impedimento transivimus. In crastino autem vale Regi dicentes, abscessimus.

XV. Profecti igitur in itinere, ad Eposium (e) castrum accessimus, ibique à Vulfilaico (f) Diacono nacti, et ad monasterium ejus deducti, benignissimè suscepti sumus. Est enim hoc monasterium quasi millibus octo ab antedicto castro, in montis cacumine locatum : in quo monte magnam basilicam ædificavit, quam beati Martini vel reliquorum Sanctorum reliquiis inlustravit. Commorantes autem ibi, petere ab eo cœpimus, ut nobis aliqua de conversionis suæ (g) bono narra- D ret, vel qualiter ad clericatùs officium advenisset, quia erat genere Langobardus. Sed nequibat exponere, vanam tota intentione cupiens gloriam evitare. Quem ego terribilibus sacramentis conjurans, pollicitus primò ut nulli quæ referebat expanderem, rogare cœpi ut nihil mihi de his quæ interrogabam occuleret. Cùmque diutissimè reluctatus fuisset, victus tandem tam precibus quàm obsecrationibus meis, hæc effatus est. « Dum essem, inquit, puer parvulus, audito beati » Martini nomine, nesciens adhuc utrùm martyr an confessor esset, vel quid » boni in mundo gessisset, vel quæ regio beatos artus tumulo meruisset accipere ; » jam in ejus honorem vigilias celebrabam, ac, si aliquid inter manus numis- » matis advenisset, eleemosynas faciebam. Jamque in majori ætate proficiens, E » litteras discere studui : ex quibus priùs scribere potui, quàm ordinem scriptarum » litterarum scirem. Deinde Aredio Abbati conjunctus, ab eoque edoctus, beati » Martini basilicam adii. Revertensque cum eo, ille parumper pulveris beati sepul- » cri pro benedictione sustulit. Quem in capsula positum (h), ad collum meum » dependit : devectique ad monasterium (i) ejus Lemovicino in termino, accepta » capsula ut eam in oratorio suo locaret, in tantum pulvis adcrevit, ut non so-

(a) Col. et Bign. *qui radicem.* Colb. m. altera manu *quo duos.* Regm. *quos radix obligat..... reperiri.*

(b) [Clun. *Nulli enim latet quòd Gunthrannus Rex alium filium nisi hunc etc.* Media desunt.]

(c) Vide suprà cap. 4. et lib. 7. cap. 33.

(d) Post hæc Vat. et Colb. a. omissis capitibus quatuordecim, transeunt ad caput 28. quod est de Hermenegildo et Ingunde.

(e) Alii *Epusum*, Antonino *Epoisum*, nunc vulgò *Ivodium*, oppidum ditionis Luxemburgicæ in finibus Trevirorum, ad Charem seu Cherreum fluviolum, nostris *Ivois*, Germanis *Ipsch* : quòd ab aliquot annis Carinianum etiam, *Carignan*, appellari voluerunt. Monasterium autem S. Martini, quod hîc Gregorius laudat, in monte vicino olim situm, planè dirutum est, è quo, uti narrat Browerus in Annalibus Trevir. lib. 10. anno circ. 979. Egbertus Archiepiscopus Trevir. B. Vulfilaici ossa in oppidum transtulit. Idem Sanctus in Fastis Benedictinis sub *S. Vulphi conversi* nomine colitur XII. Kal. Novembris, diviso perperam in duas partes Vulphilaici nomine, ut laicus dicatur, cùm vel ex hoc Gregorii lòco certum sit ipsum diaconum fuisse.

(f) [Dub. *Vulfolaico.*]

(g) [Clun. *de conversatione sua bona.*]

(h) Colb. m. et Bec. *quod in capsula depositum..... dependi.*

(i) Monasterium Athanense, quod hodie conditoris sui sancti Aridii nomine insignitur.

A » lùm totam capsam repleret, verùm etiam foris inter juncturas, ubi aditum re-
» perire potuit, scateret. Ex hoc mihi miraculi lumine animus magis accendit
» totam spem meam in ejus virtute defigere. Deinde territorium Trevericæ urbis
» expetii, et in quo nunc estis monte, habitaculum quod cernitis, proprio la-
» bore construxi. Reperi tamen hîc Dianæ simulacrum, quod populus hic incre-
» dulus quasi deum adorabat. Columnam etiam statui, in qua cum grandi cru-
» ciatu sine ullo pedum stabam tegmine. Itaque cùm hyemis tempus solitè (a)
» advenisset, ita rigore glaciali urebar, ut ungues pedum meorum sæpiùs vis rigo-
» ris excuteret, et in barbis meis aqua gelu connexa candelarum more depen-
» deret. Magnam enim hyemem regio illa persæpe dicitur sustinere. » Sed cùm
nos sollicitè interrogaremus, quis ei cibus aut potus esset, vel qualiter simulacra
B montis illius subvertisset, ait : « Potus, cibusque meus erat parum panis et oleris,
» ac modicum aquæ. Verùm ubi ad me multitudo vicinarum villarum confluere
» cœpit, prædicabam jugiter nihil esse Dianam, nihil simulacra, nihilque quæ
» eis videbatur exerceri cultura : indigna etiam esse ipsa, quæ inter pocula luxu-
» riasque profluas cantica proferebant : sed potiùs Deo omnipotenti, qui cœlum
» fecit ac terram, dignum sit sacrificium laudis impendere. Orabam etiam sæpiùs,
» ut simulacro Dominus * diruto dignaretur populum ab hoc errore discutere.
» Flexit Domini misericordia mentem rusticam, ut inclinaret aurem suam in verba
» oris mei, ut scilicet relictis idolis Dominum sequeretur. Tunc convocatis qui-
» busdam ex eis, simulacrum hoc immensum, quod elidere (b) propria virtute
C » non poteram, cum eorum adjutorio posteà merui (c) eruere : jam enim reliqua
» sigillorum (d) quæ faciliora fuerant, ipse confregeram. Convenientibus autem
» multis ad hanc Dianæ statuam, missis funibus trahere cœperunt : sed nihil labor
» eorum proficere poterat. Tunc ego ad basilicam propero, prostratusque solo,
» divinam misericordiam cum lacrymis flagitabam, ut quia id humana industria
» evertere non valebat, virtus illud divina destrueret. Egressusque post oratio-
» nem, ad operarios veni, adprehensumque funem, ut primo ictu trahere cœ-
» pimus, protinùs simulacrum ruit in terram, confractumque cum malleis ferreis
» in pulverem redegi. Ipsa quoque hora, cùm ad cibum capiendum venissem,
» ita omne corpus meum à vertice usque ad plantam pedis pusulis malis repletum
» est, ut locus quem unus digitus tegeret, vacuus inveniri non posset : ingressus-
D » que basilicam solus, denudavi me coram sancto altario. Habebam enim ibi
» ampullam cum oleo plenam, quam de sancti Martini basilica detuleram : ex
» qua propriis manibus omnes artus perunxi, moxque sopori locatus sum. Exper-
» gefactus verò circa medium noctis, cùm ad cursum reddendum (e) surgerem,
» ita corpus totum incolume reperi, ac si nullum super me ulcus apparuisset.
» Quæ vulnera non aliter nisi per invidiam inimici emissa cognovi. Et quia sem-
» per ipse invidus Deum quærentibus nocere conatur ; advenientibus Episcopis,
» qui me magis ad hoc cohortari debuerant, ut cœptum opus sagaciter explicare
» deberem, dixerunt mihi : Non est æqua hæc via quam sequeris, nec tu igno-
» bilis Simeoni (f) Antiocheno, qui columnæ insedit, poteris comparari. Sed

*, *Al.* dirupto.

(a) Sic Colb. m. Bec. [Dub. et Clun.] id est *solitò*, ut habet Bad. ceteri *solitæ*, referentes ad vocem *hyemis*.

(b) [Clun. *quod delere.*]

(c) Sic Bad. ceteri *possem eruere.* [Dub. *possim.*]

(d) Id est alia signa, seu simulacra. Jam tempore Domitiani Imp. celebris erat Dianæ cultus in his partibus, ita ut *Diana Arduinna*, ex silvæ celebris nomine diceretur, ut patet ex veteri inscriptione apud Browerum in antiquit. Trevirensibus. Inscriptionem ipsam, quæ probat Dianæ cultum in Arduenna silva fuisse celebrem, huc proferre visum est.

D. M.
Q. CAESIUS. Q. FILIUS. CLAUD.
ATILIANUS. SACERDOS
DIANAE. ARDVINNAE
FECIT. SIBI. ET. SUIS. HERED.
IN. FR. P. XII. IN. AGR. P. XV.
IIII. IDVS. OCTOB.
IMP. CAES. FL. DOMITIANO. VIII.
ET. C. VALERIO. MESSALINO. COS.

Ex eodem Browero discimus infra nemus, quod in eadem regione habetur prope Epternacum, oppidum ob monasterium Ord. Benedictini insigne, haberi vetus Dianæ monumentum, vario cultu in rupe solida sculptum, sed pænè adtritum, cum hac inscriptione :

DEAE. DIANAE
Q. POSTHVMVS. POTENS
V. S.

An inde Diana Ardoinnæ nomen habuerit ? certè apud Gruterum cap. 49. vetus habetur inscriptio quinque diis sacra, Ardoinnæ, Camulo, Jovi, Mercurio, Herculi. Quæ verò inscribitur *Ardoinna*, sub Dianæ specie repræsentatur.

(e) Id est ad recitandum officium divinum.

(f) Celebris sanctus Symeon Stylites, de quo ipse Gregorius in libro de gloria Confessorum cap. 26.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

» nec cruciatum hunc te sustinere patitur loci positio : descende potiùs, et cum A
» fratribus, quos adgregasti tecum, inhabita. Ad quorum verba, quia Sacerdotes non
» obaudire adscribitur crimini, descendebam fateor, et ambulabam cum eisdem, ac
» cibum pariter capiebam. Quadam verò die provocans me Episcopus, longiùs ad
» villam (a) emisit operarios cum scutis et malleis ac securibus, et eliserunt columnam
» in qua stare solitus eram. In crastino autem veniens, inveni omnia dissipata, flevi-
» que vehementer : sed erigere nequivi quæ destruxerant, ne dicerer contrarius jus-
» sionibus Sacerdotum : et ex hoc, sicut nunc habito, cum fratribus habitare conten-
» tus sum. (b) »

XVI. Cui cùm de virtutibus beati Martini quas in eo loco operatus est, aliqua ut declararet exposcerem, hæc retulit : « Franci cujusdam, et nobilissimi B
» in gente sua viri, filius mutus surdusque erat : adductusque à parentibus ad hanc
» basilicam, jussi eum cum diacono meo et alio ministro, intra ipsum templum
» sanctum in lectulo requiescere : et per diem quidem orationi vacabat; nocte au-
» tem in ipsa, ut diximus, æde dormiebat. Quandoque miserante Deo apparuit
» mihi in visione beatus Martinus, dicens : Ejice agnum de basilica, quia jam
» sanus factus est. Mane autem facto, cogitante (c) me quod esset hoc som-
» nium, venit ad me puer, et emittens vocem, gratias agere Deo cœpit, con-
» versusque ad me, ait : Gratias ago Deo omnipotenti, qui mihi et eloquium
» reddidit, et auditum. Ex hoc sanus redditus, ad domum rediit. Alius verò
» qui plerumque in furtis diversisque sceleribus commixtus pejerare consueverat, C
» cum aliquando à quibusdam pro furto argueretur, ait : Ibo ad basilicam beati
» Martini, et sacramentis me exuens, innocens reddar. Quo ingrediente, elapsa
» securi de manu ejus, ad ostium ruit, gravi cordis dolore perculsus : confessus-
» que est miser verbis propriis, quæ venerat excusare perjuriis. Alius simili modo
» cùm de incendiis domûs vicini sui argueretur, ait : Vadam ad templum sancti
» Martini, et fide data insons redditurus (d) ero ab hoc crimine : manifestum erat
» enim hunc domum illam incendio concremasse. Abiens autem ad sacramenta
» danda, conversus ad eum, dixi ei : Quantùm vicinorum tuorum dictat adsertio,
» non eris innocens ab hoc scelere : sed tamen Deus ubique est, et virtus ejus ipsa
» est forinsecus, quæ habetur intrinsecus. Tamen si ita te vana fiducia cepit, quòd
» Deus vel Sancti ejus in perjuriis non ulciscantur, ecce templum sanctum è D
» contra, jura ut libet : nam calcare limen sacrum non permittêris. At ille elevatis
» manibus, ait : Per omnipotentem Deum et virtutem beati Martini Antistitis ejus,
» quia hoc incendium non admisi. Datis itaque sacramentis, dum recederet, visum
» est ei quasi ab igne circumdari : et statim ruens in terram, clamare cœpit se à beato
» Antistite vehementer exuri. Aiebat enim miser : Testor Deum, quia ego vidi ignem
» de cœlo cadere, qui me circumdans validis vaporibus conflat. Et dum hæc diceret,
» spiritum exhalavit. Multis hæc causa documentum fuit, ne in hoc loco auderent ulte-
» riùs pejerare. » Plurima quidem de his virtutibus hic Diaconus retulit, quæ sequi longum putavi.

XVII. Cùm autem in loco illo commoraremur, vidimus per duas noctes signa in cœlo, id est radios à parte Aquilonis tam clarè splendidos, ut priùs sic adpa- E
ruisse non fuerint visi : et ab utraque quidem parte, id est ab Euro, et Zephyro, nubes sanguineæ : tertia verò nocte quasi hora secunda adparuerunt hi radii. Et ecce dum hos miraremur adtoniti, surrexerunt à quatuor plagis mundi alii horum similes ; vidimusque totum cœlum ab his operiri. Et erat nubes in medio cœli splendida, ad quam se hi radii colligebant in modum tentorii, quod ab imo ex amplioribus incœptum fasciis angustatis in altum, in unum (e) cuculli caput sæpe colligitur. Erantque in medio radiorum et aliæ nubes ceu coruscum validè fulgurantes. Quod signum magnum nobis ingessit metum *. Opperiebamus enim super nos aliquam plagam de cœlo transmitti.

* *V. infrà cap.* 24.

XVIII. Childebertus verò Rex, compellentibus missis Imperialibus, qui aurum, quod anno superiore datum fuerat, requirebat, exercitum in Italiam dirigit. Sonus enim erat sororem suam Ingundem jam Constantinopolim fuisse translatam. Sed cùm Duces inter se altercarentur, regressi sunt sine ullius lucri conquisi-

(a) [Clun. *Episcopus ut longiùs ad villam pergerem, emisit.*
(b) [Clun. *conatus sum.*]
(c) [Clun. *cogitanti mihi.*]
(d) Sic Colb. m. [Dub. Clun.] et Bad. alii verò *rediturus.*
(e) [Dub. *in uno cuculli capite.* Clun. *in ullo cuculli capite.*]

tione

A tione (a) : nam Wintrio Dux à pagensibus suis depulsus, Ducatu caruit : finissetque vitam, nisi fuga auxilium præbuisset : sed posteà pacato populo, Ducatum recepit. Itaque Nicetius per emissionem Eulalii à comitatu Arverno submotus, Ducatum à Rege expetiit, datis pro eo immensis muneribus. Et sic in urbe Arverna, Ruthena atque Ucetica Dux (b) ordinatus est, vir valde ætate juvenis, sed acutus in sensu : fecitque pacem in regione Arverna, et in reliquis ordinationis suæ locis. Childericus verò Saxo in offensam Regis Guntchramni incidens, pro causa ob quam superiùs diximus alios confugisse, beati Martini basilicam expetiit, uxorem in regno Regis antedicti relinquens. Cui obtestatus fuerat Rex, ne virum videre præsumeret, nisi priùs ille regali gratiæ reconciliaretur, ad quem cùm pro eo sæpiùs legationem misissemus, tandem obtinuimus, ut uxorem reciperet, et citra (c) Ligerim
B fluvium commoraretur; non tamen ad Regem Childebertum transire præsumeret. Sed ille accepta libertate recipiendæ uxoris, clam ad eum transiit; adeptaque ordinatione Ducatûs in civitatibus ultra Garonnam, quæ in potestate supradicti Regis habebantur, accessit. Guntchramnus verò Rex volens regnum nepotis sui Chlotharii, filii scilicet Chilperici, regere, Theodulfum Andegavis Comitem esse decrevit : introductusque in urbem, à civibus, et præsertim à Domigiselo cum humilitate repulsus est. Recurrensque ad Regem, iterùm præceptum accipiens, à Sigulfo Duce intromissus, Comitatum urbis illius rexit. Gundobaldus autem Comitatum Meldensem super Guerpinum accipiens (d), ingressusque urbem, causarum actionem agere cœpit. Exinde dum pagum urbis in hoc officio circumiret, in
C quadam villa ab Guerpino interficitur. Cujus parentes congregati super hunc inruunt, inclusumque in pessilem domûs (e) interimunt : sicque uterque à Comitatu morte imminente discessit.

XIX. Cùm autem sæpiùs Dagulfus Abbas (f) pro sceleribus suis argueretur, quia furta et homicidia plerumque faciebat, sed et in adulteriis nimiùm dissolutus erat; quodam tempore cùm uxorem vicini sui concupiscens, misceretur cum ea, requirens occasiones diversas, qualiter virum adulteræ intra monasterii hujus sæpta deberet obprimere (g), ad extremum contestatus est ei dicens, quòd si ad uxorem suam accederet, puniretur. Illo quoque discedente ab hospitiolo suo, hic Dagulfus nocte cum uno clerico veniens, domum meretricis ingreditur. Postquàm autem diutissimè bibentes inebriati sunt, in uno strato locantur. Quibus dormientibus, adveniens vir ille, accenso stramine, elevata bipenne utrumque peremit.
D Ideòque documentum sit hæc causa clericis, ne contra Canonum statuta extranearum mulierum consortio potiantur, cùm hæc et ipsa lex Canonica et omnes Scripturæ sanctæ prohibeant : præter has feminas, de quibus crimen non potest æstimari.

XX. Interim dies placiti advenit, et Episcopi ex jussu Regis Guntchramni apud Matiscensem urbem collecti sunt (h). Faustianus (i) autem, qui ex jussu Gundovaldi Aquensis urbis Episcopus ordinatus fuerat, ea conditione removetur, ut eum Bertchramnus, Orestesque, sive Palladius, qui eum benedixerant, vicibus pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent. Nicetius tamen (k) ex laico, qui priùs ab Chilperico Rege præceptum elicuerat, in ipsa urbe episcopatum adeptus est. Ursicinus Cadurcensis Episcopus excommunicatur, pro eo quòd Gundovaldum excepisse publicè est confessus : accepto hujusmodi placito, ut pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum, neque barbam tonde-

(a) Vide Paul. Diac. lib. 3. Hist. Langob. cap. 22. et Chronicum Joh. Biclar. De Wintrione infrà lib. 10. cap. 3. [Clun. *Windrio.*] In Fredegarii Chronico cap. 14. dicitur *Quintrio Dux Campaniæ.* Is ex Gudila filiam habuit S. Glodesindem Abbatissam; quæ Parthenonem hodieque sub ipsius nomine Mettis celebrem condidit. Cujus habes Vitam Sæc. 2. Benedictino pag. 1087.

(b) Ex hoc aliisque similibus locis probat Bignonius Duces Comitibus potestate superiores fuisse, nec requisitum fuisse ut duodecim Comitatus Duci subjicerentur. Vide infrà lib. 9. cap. 7. et lege ipsius Cl. viri notas in lib. 1. Marculfi form. 8. ubi plura et scitu digna, pro more suo, habet de Ducibus et Comitibus. Videsis et Alteserræ librum ea de re singularem, et Cangii Glossarium.

(c) Colb. m. Regm. [et Clun.] *circa.*

(d) Sic Bec. alii *Guerpinum*, (aut *Werpinum*,) *ingressusque etc.* Unde Bignonius ex conjectura addiderat *invasit*, Chesn. *competiit.* [Clun. *Werpinum competiit.*]

(e) Editi *pensilem domum*, Bec. *pensilem domûs.* At lectionem nostram, quæ est Colb. m. ceteris meliorem putat Valesius; quamvis ejus sensum se non assequi fateatur, nisi pessile sit aliqua domi pars, cujus vocis significatio nobis hodie ignota est.

(f) In Bec. deest vox *Abbas.* In indice tamen capp. habet, *De Daulfo Abbate.*

(g) Idem cod. *virum adulterum, qui in terra hujus monasterii deberet opprimere.*

(h) Hujus Synodi Canones, et eorum nomina, qui ipsi interfuerunt, vide apud Sirmondum tom. 1. p. 381.

(i) Aliis *Faustinianus*, ut suprà lib. 7. cap. 31. ubi ejus ordinatio describitur, et de Nicetio agitur.

(k) [Clun. *Nicetius autem.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

ret, vino et carnibus abstineret, Missas celebrare, Clericos ordinare, Ecclesiasque et chrisma benedicere, eulogias dare penitùs non auderet : utilitas tamen Ecclesiæ (a) per ejus ordinationem, sicut solita erat, omninò exerceretur. Exstitit enim in hac Synodo quidam ex Episcopis, qui dicebat mulierem, hominem non posse vocitari. Sed tamen ab Episcopis ratione accepta quievit : eò quòd sacer veteris Testamenti liber edoceat, quòd in principio Deo hominem creante, ait : *Masculum et feminam creavit eos : vocavitque nomen eorum, Adam,* quod * est, homo terrenus : sic utique vocans mulierem, ceu virum : utrumque enim hominem dixit. Sed et Dominus Jesus-Christus ob hoc vocitatur filius hominis, quòd sit filius Virginis, id est mulieris. Ad quam cùm aquas in vina transferre pararet, ait : *Quid mihi et tibi est, mulier?* et reliqua. Multisque et aliis testimoniis hæc causa convicta quievit. Prætextatus verò Rothomagensis Episcopus, orationes quas in exsilio positus scalpsit, coram Episcopis recitavit. Quæ quibusdam quidem placuerant, à quibusdam verò, quia artem secutus minimè fuerat, reprehendebantur. Stilus tamen per loca Ecclesiasticus et rationabilis erat. Cædes autem magna tunc inter famulos Prisci (b) Episcopi et Leudegisili Ducis fuit. Priscus tamen Episcopus ad coëmendam pacem multum pecuniæ obtulit. His etiam diebus Guntchramnus Rex graviter ægrotavit, ita ut putaretur à quibusdam non posse prorsùs evadere. Quod credo providentia Dei fuisset *. Cogitabat enim multos Episcoporum exsilio detrudere. Theodorus itaque Episcopus ad urbem suam regressus, favente omni populo cum laude susceptus est.

Gen. 5. 2.

* *i.* exponitur.

Joh. 2. 4.

* *i.* fuit.

A

B

XXI. Itaque cùm hæc Synodus ageretur, Childebertus Rex apud Belsonancum villam (c), quæ in medio Ardoënnensis silvæ sita est, cum suis conjungitur. Ibique Brunichildis Regina pro Ingunde filia, quæ adhuc in Africa tenebatur, omnibus prioribus questa est : sed parum consolationis emeruit. Tunc contra Bosonem-Guntchramnum causa exoritur. Ante paucos autem dies mortua propinqua uxoris ejus sine filiis, in basilica urbis Mettensis sepulta est cum grandibus ornamentis et multo auro. Factum est autem, ut post dies paucos adesset festivitas beati Remigii (d), quæ in initio mensis Octobris celebratur. Discedentibus (e) autem multis è civitate cum Episcopo, et præsertim senioribus urbis cum Duce, venerunt pueri Bosonis-Guntchramni ad basilicam, in qua mulier erat sepulta. Ingressi, conclusis super eos ostiis, detexerunt sepulcrum, tollentes et auferentes omnia ornamenta corporis defuncti, quæ reperire potuerunt. Sentientes autem hæc Monachi basilicæ illius, venerunt ad ostium : sed ingredi non sunt permissi. Quod videntes, nuntiaverunt hæc Episcopo suo ac Duci. Intereà pueri, acceptis rebus, ascensisque equis, fugere cœperunt : sed timentes ne adprehensi in via diversis subigerentur pœnis, regressi sunt ad basilicam. Posueruntque quidem res super altarium, sed foras egredi non sunt ausi, clamantes atque dicentes, quia à Guntchramno-Bosone transmissi sumus. Sed cùm ad placitum in villam quam diximus, Childebertus cum proceribus suis convenisset, et Guntchramnus de his interpellatus nullum responsum dedisset, clam aufugit : ablatæque sunt ei deinceps omnes res, quas in Arverno de fisci munere promeruerat. Sed et diversorum res quas malè pervaserat, cum confusione reliquit.

C

D

XXII. Laban Helosensis Episcopus (f) hoc anno obiit. Cui Desiderius ex laico successit. Cum jurejando enim Rex pollicitus fuerat, se numquam ex laicis Episcopum ordinaturum. Sed quid pectora humana non cogat auri sacra fames? Bertchramnus verò regressus ex Synodo, à febre corripitur : arcessitoque Waldone Diacono, qui et ipse in baptismo Bertchramnus vocitatus est, summam ei sacer-

(a) Id est rerum temporalium ac possessionum Ecclesiæ suæ curam haberet. Ipse tamen inter alios Antistites Concilio subscripsit, immò et ipse Faustianus, sed qui ibi dicitur sedem non habere. At Nicetius nec subscripsit, nec inter alios patres recensitus est, quòd fortè nondum ordinatus esset, factus ex Comite Episcopus.

(b) Is erat Episcopus Lugdunensis, qui primum locum in Synodo obtinebat. De hoc suprà lib. 4. cap. 36. et in Vitis Patrum cap. 8.

(c) Suspicatur Ortelius hìc designari oppidum Bastonacum, quod incolæ vulgò *Bastoigne* appellant. Et quidem Gesta Episcoporum Autisiodorensium, ipso Valesio testante, *Bastoniam villam sitam in saltu Arduennæ* memorant, quæ hodie haud procul ab Urta fluvio et Arduenna silva posita est, in ducatu Luxemburgensi. [Clun. *Belsonnacum..... Ardennensis.*]

(d) Colb. m. et Regm. *Remedii.* [Dub. *Remedii, quæ in initio mensis octavi.* Clun, quoque habet, *mensis octavi.*]

(e) Editi et Bec. *Descendentibus.* Et quidem fortasse descendendum erat adeundo basilicam extramuranam, in qua sancti Remigii festivitas celebrabatur. Nam et Ecclesia cathedralis etiam nunc supra montem sita est.

(f) Id est Elusanus. Elusa, vulgò *Eause,* olim Novempopulaniæ metropolis erat, qua excisa hæc dignitas in Ausciensem urbem translata est. Laban subscripsit Concil. Paris. IV. an. 573. et Matisc. II. per suum missum an. 585.

A dotii deputat, omnesque conditiones, tam testamenti quàm benemeritorum suorum, ipsi committit. Quo discedente, hic spiritum exhalavit (a). Regressus Diaconus cum muneribus et consensu civium ad Regem properat, sed nihil obtinuit. Tunc Rex data præceptione, jussit Gundegisilum Santonicum (b) Comitem, cognomento Dodonem, Episcopum ordinari : gestumque est ita. Et quia multi Clericorum Santonicorum ante Synodum consentientes Bertchramno Episcopo, in Palladium Sacerdotem suum aliqua adversa conscripserant, quæ ei humilitatem ingererent; post ejus obitum adprehensi à Sacerdote, graviter cæsi atque exspoliati sunt. Hoc tempore et Wandelinus, nutritor Childeberti Regis, obiit : sed in locum ejus nullus est subrogatus: eò quòd Regina mater curam velit propriam habere de filio. Quæcumque de fisco meruit, fisci juribus sunt relata. Obiit his
B diebus Bodegisilus (c) Dux plenus dierum, sed nihil de facultate ejus filiis minutum est. In locum Fausti Auscensis Episcopi, Fabius (d) Episcopus est subrogatus. Post obitum sancti Salvii hoc anno Desideratus Albigensibus Episcopus datus est (e).

XXIII. Magnæ hoc anno pluviæ fuerunt, amnesque in tantum convaluerunt, ut plerumque naufragia evenirent. Ipsique litora excedentes, propinquas segetes ac prata operientes, graviter eliserunt : fueruntque vernales æstivique menses tam inrigui, ut hyems magis putaretur esse quàm æstas.

XXIV. Duæ hoc anno insulæ in mari divinitus incendio concrematæ sunt : quæ per dies septem cum hominibus pecoribusque consumtæ subvertebantur. Nam qui in mare confugerant, et se in profundum præcipitabant, in ipsa qua mergebantur aqua con-
C sumebantur : graviorique supplicio, qui non confestim emittebant spiritum, urebantur. Redactisque omnibus in favillam, cuncta mare operuit. Ferebant etiam multi signa, quæ superiùs nos vidisse octavo mense narravimus * quasi arderet cœlum, ex hujus incendii splendore fuisse.

* *cap.* 8. *et* 17.

XXV. In alia verò insula, quæ est proxima civitati Veneticæ, erat stagnum validum, piscibusque refertum, quod in unius ulnæ altitudinem conversum est in cruorem : ita per dies multos congregata canum atque avium inæstimabilis multitudo, sanguinem hunc lambens, satiata redibat in vesperum.

XXVI. Turonicis verò atque Pictavis Ennodius Dux datus est. Berulfus (f) autem qui his civitatibus antè præfuerat, pro thesauris Sigiberti Regis quos clam abstulerat, cum Arnegisilo socio suspectus habebatur. Qui cùm hunc Ducatum in supradictis urbibus expeteret, à Rauchingo (g) Duce facto ingenio cum satellite alligatur. Nec
D mora, missi ad domos eorum pueri expilant omnia, multa ibi de proprio, nonnulla de antedictis thesauris sunt reperta : quæ omnia ad Childebertum Regem delata sunt. Cùmque in hoc res ageretur, ut gladius cervicem decideret, interventu Episcoporum obtenta vita laxati sunt : nihil tamen de his quæ eis ablata fuerant recipientes.

XXVII. Desiderius verò Dux cum aliquibus Episcopis, et (h) Aredio Abbate vel Antestio, ad Regem Guntchramnum properavit. Sed cùm eum Rex ægrè vellet accipere, victus precibus Sacerdotum in gratiam suam recepit. Tunc ibi Eulalius adfuit quasi pro conjuge, quæ eum spreverat, et ad Desiderium transierat, causaturus (i) : sed in ridiculum et humilitatem redactus, siluit. Desiderius verò remuneratus à Rege, cum gratia est reversus.

XXVIII. Igitur, ut superiùs diximus, Ingundis à viro cum Imperatoris exercitu derelicta, dum ad ipsum Principem cum filio parvulo duceretur, in Africa defuncta est et sepulta. Leuvichildus verò Hermenegildum (k) filium suum, quem antè dicta mulier habuit, morti tradidit. Quibus de causis commotus Gunt-

(a) Bertramni hujus Burdegalensis Episcopi, poëtarum more, laudes prosequitur Fortunatus lib. 3. capp. 20. et 21.

(b) [Clun. *Sanctonicum*. Paulò pòst, *Sanctonicorum*.]

(c) Hujus encomium scripsit Fortunatus lib. 7. carm. 5.

(d) In Colb. m. et Regm. *Sabius*. Bec. *Saius bñ subrogatur*. [Dub. *Saius Presbyter est subrogatus*.] Faustus interfuit Concil. Matisc. II. anno 585.

(e) Inter utrumque aliqui locant Theofridum, qui fortè aliquamdiu sedem occupaverit. Hinc Gregorius Salvii mortem anno præcedenti consignat lib. 7. cap. 1.

(f) Suprà dicitur *Eberulfus*, sicut et Chesn. al. hîc, et alii in titulo hujus capitis. [Dub. *Berulius*.]

(g) Aliqui editi *Rochingo*, et pro *ingenio* habent *instrumento*, quasi nescio qua machina arte fabricata fuisset cum alio alligatus. Sed lectio nostra, quæ est ms. Colb. melior est. Ingenium enim appellabant technam, qua aliquem incautè agentem decipiebant.

(h) [Dub. *et Aridio vel Antestio*. Paulò pòst, *gratias suas*.]

(i) Vide de ea infrà cap. 45. et lib. 10. cap. 8.

(k) Die 13. Aprilis, quo festum ejus uti Martyris in Ecclesia celebratur. De eo vide suprà lib. 5. cap. 39. et notas. [Clun. *Herminichildum*.]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

chramnus Rex, exercitum in Hispanias destinat, scilicet, ut priùs Septimaniam, A quæ adhuc infra Galliarum terminum habetur, ejus dominationi subderent; et sic inanteà proficiscerentur. Dum autem hic exercitus moveretur, indiculum cum nescio (a) quibusdam hominibus rusticis est repertum : quod et Guntchramno Regi legendum miserunt, hoc modo, quasi Leuvichildus ad Fredegundem scriberet; ut quocumque ingenio exercitum illuc prohiberet ire, dicens : *Inimicos nostros, id est Childebertum* (b) *et matrem ejus, velociter interimite, et cum Rege Guntchramno pacem inite, quam præmiis multis coëmite. Et si vobis minus est fortassis pecuniæ, nos clam mittimus : tantùm ut quod petimus impleatis. Cùm autem de inimicis nostris ulti fuerimus, tunc Amelio Episcopo, ac Leubæ matronæ bona tribuite* (c), *per* B *quos missis nostris ad vos accedendi aditus reseratur.* Leuba enim est socrus Bladastis Ducis.

XXIX. Et licèt hæc ad Guntchramnum Regem perlata, et nepoti ejus Childeberto in notitiam data fuissent, tamen Fredegundis duos cultros ferreos fieri præcepit : quos etiam caraxari profundiùs, et veneno infici jusserat (d), scilicet si mortalis adsultus vitales non dissolveret fibras, vel ipsa veneni infectio vitam posset velociùs extorquere. Quos cultros duobus clericis cum his mandatis tradidit, dicens : *Accipite hos gladios, et quantociùs pergite ad Childebertum Regem, adsimulantes vos esse mendicos : cùmque pedibus ejus fueritis strati, quasi stipem postulantes,* C *latera ejus utraque* (e) *perfodite, ut tandem Brunichildis, quæ ab illo adrogantiam sumit, eo cadente conruat, mihique subdatur. Quòd si tanta est custodia circa puerum, ut accedere nequeatis; vel ipsam interimite inimicam. Merces quoque operis vestri hæc erit, ut si mortui in hoc opere fueritis, parentibus vestris bona tribuam, ipsosque muneribus ditans, primos in regno meo constituam. Interim vos timorem omnem omittite, nec sit trepidatio mortis in pectore. Noveritis enim quòd cunctos homines hæc causa continet. Armate virilitate animos, et considerate sæpiùs fortes viros in bello conruere. Unde nunc parentes eorum nobiles effecti, opibus immensis cunctis supereminent, cunctosque præcellunt.* Cùmque hæc mulier loqueretur, clerici tremere cœperunt, difficile putantes hæc jussa posse complere. At illa dubios cernens, medificatos D potione direxit quò ire præcepit, statimque robur animorum adcrevit, promiseruntque se omnia quæ præceperat impleturos. Nihilominùs vasculum hac potione repletum, ipsos levare jubet, dicens : *In die illa cùm hæc quæ præcipio facitis, mane priusquàm opus incipiatis, hunc* (f) *potum sumite : erit vobis magna constantia ad hæc peragenda.* His ita instructis, dimisit eos : qui pergentes (g) et ad urbem Suessionas accedentes, à Rauchinco Duce capti, discussique omnia reserant, et sic in carcerem (h) religati sunt. Post dies verò paucos Fredegundis, incerta (i) jam quòd fuissent impleta quæ fuerant imperata, misit puerum inquirere, quid aut rumor populi ferret, aut si aliquem inveniret indicantem, qui diceret, Childebertum jam interemtum fuisse. Egressus igitur puer ab ea, Suessionas urbem venit. E Audiens denique hos in carcerem retineri, ad ostium adpropinquat : sed cùm loqui satellitibus cœpisset, et ipse captus custodiæ mancipatur. Tunc omnes simul ad Childebertum Regem directi sunt : discussique veritatem aperiunt, indicantes se à Fredegunde missos ad eum interimendum, dicentes : *Jussa Reginæ suscepimus, ut nos egenos adsimularemus : cùmque pedibus tuis provoluti aliquid stipendii quæreremus, ab his te gladiis transfodere voluimus. Quòd si adsultu segniore gladius defixus esset, ipsum venenum, quo ferrum erat infectum, animam velociter penetraret.* Hæc his dicentibus, diversis suppliciis adfecti, truncatis manibus auribusque et naribus, variis sunt mortibus interemti.

An. Chr. 586.

XXX. Igitur Guntchramnus Rex commoveri exercitum in Hispanias præcepit (k), dicens : *Priùs Septimaniam provinciam ditioni nostræ subdite, quæ Galliis*

(a) Editi, *à nescio quibusdam.* Bec. *cum nescio quibus hominibus.* [Ita Dub.] Regm. *Breviculum à etc.* [Clun. *indiculum..... quem.*]

(b) Bellum tamen indixerat Guntramnus : sed fortè existimabat Leuvigildus, id instigante Childeberto Ingundis fratre, aut eorum matre Brunichilde, ab eo susceptum fuisse; aut certè etiam ipse Childebertus in Hispaniam moverat, ut testatur Paulus Diac. lib. 3. Hist. Lang. cap. 21. ubi habet Hispanos ea occasione à Childeberto superatos fuisse. Quæ autem hîc Gregorius variis capitibus narrat, Johan. Biclarensis in unum congerit ad ann. 586.

(c) Colb. m. alt. manu *retribuite.* Amelius erat Episcopus Bigorritanus, qui Synodo Matisc. II. interfuit.

(d) [Dub. *jussit, ut scilicet.* Clun. *jussit, ita ut scilicet.*]

(e) [Clun. *utroque.*]

(f) Editi *incipiatur, hinc potum sumite.*

(g) [Dub. et Clun. *quibus pergentibus, et..... accedentibus.*]

(h) [Dub. *relegati sunt.*]

(i) Aliàs *certa.* [Ita Dub. et Clun.]

(k) Hanc expeditionem anno 585. ante Synodum Matisc. habitam confectam fuisse putat Valesius lib. 13. rer. Franc. sed cùm occasione necis Hermenegildi

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 585.

A *est propinqua : indignum* (a) *est ut horrendorum Gotthorum terminus usque in Gallias sit extensus.* Tunc commoto omni exercitu regni sui, illuc dirigit. Gentes verò quæ ultra Ararim, Rhodanumque et Sequanam (b) commanebant, cum Burgundionibus junctæ, Ararica Rhodaniticaque litora tam de fructibus, quam de pecoribus valde depopulatæ sunt. Multa homicidia, incendia, prædasque in regione propria facientes, sed et Ecclesias denudantes, Clericos ipsos cum Sacerdotibus ac reliquo populo ad ipsas sacratas Deo aras interimentes, usque ad urbem Nemausum processerunt. Similiter et Biturici, Santonici cum Petragoricis, Egolismensibus, et reliquarum urbium populo, qui tunc ad antedicti Regis imperium pertinebant, usque ad Carcassonam urbem devecti, similia mala gesserunt. Sed
B cùm ad urbem accessissent, reseratis sponte ab habitatoribus portis, nullo resistente ingressi, nescio quo cum Carcassonensibus scandalo (c) commoti, urbem egressi sunt. Tunc Terentiolus Comes quondam urbis Lemovicinæ, lapide de muro projecto percussus, occubuit : cujus caput truncatum est ad vindictam adversariorum, et urbi delatum est. Ex hoc omnis populus timore perterritus, ad propria regredi destinans, universa reliquit, quæ vel per viam ceperat, vel quæ secum adduxerat. Sed et Gotthi per occultas insidias multos de his spoliatos interemerunt : exinde in Tholosanorum manus incidentes, quibus dum pergerent, multa intulerant mala, spoliati ac cæsi vix propria contingere potuerunt. Hi verò qui Nemausum adgressi fuerant, devastantes universa regionis, succensis domibus, incensis
C segetibus, discissis olivetis, vinetisque succisis, nihil inclusis nocere potentes, ad alias urbes progressi sunt. Erant enim valde munitæ, et de cibis ac reliquis necessariis adplenè refertæ, et horum urbana depopulantes, urbes minùs inrumpere valuerunt. Tunc et Nicetius Dux cum Arvernis in hac expeditione commotus, cum reliquis urbes adsedit. Sed cùm minùs valeret, ad castrum quoddam pervenit : dataque fide, sponte inclusi reserantes portas, eos creduli tamquam pacificos susceperunt. Illi verò ingressi, postposito sacramento, præsidia cuncta diripiunt, animas in captivitatem subdentes. Tunc accepto consilio unusquisque ad propria est regressus. Tantaque per viam scelera, homicidia, prædas, direptiones per regionem propriam gesserunt, ut ea usquequaque memorari perlongum sit.
D Verumtamen quia segetes Provinciæ igni ab hisdem succensas dicimus, fame atque inedia pereuntes (d), per viam relinquebantur exanimes : nonnulli in fluminibus demersi, plerique in seditionibus interemti sunt. Ferebant enim ampliùs quàm quinque millia in his stragibus fuisse peremtos. Sed non eos qui remanserant, coërcebat aliorum interitus. Tunc et Arvernæ regionis Ecclesiæ, quæ viæ publicæ propinquæ erant, à ministeriis denudatæ sunt. Nec fuit terminus malè faciendi, nisi cùm propria singuli pervenerunt. Quibus reversis, magna Guntchramnum Regem amaritudo cordis obsedit. Duces verò supradicti exercitùs ad basilicam sancti Symphoriani martyris expetierunt. Veniente itaque Rege ad ejus sollemnitatem, repræsentati sunt sub conditione audientiæ in-postmodum futuræ. Posteà
E verò quatuor convocatis Episcopis (e), necnon et Majoribus natu laicorum, Duces discutere cœpit, dicens : « Qualiter nos hoc tempore victoriam obtinere » possumus, qui ea quæ patres nostri consecuti sunt, non custodimus? Illi verò » Ecclesias ædificantes, in Deum spem omnem ponentes, Martyres honorantes, » Sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt, gentesque adversas, divino opitu- » lante adjutorio, in ense et parma sæpiùs subdiderunt. Nos verò non solùm Deum » non metuimus, verùm etiam sacra ejus vastamus, ministros interficimus, ipsa » quoque Sanctorum pignera in ridiculo discerpimus ac vastamus. Non enim po- » test obtineri victoria, ubi talia perpetrantur : ideò manus nostræ sunt invalidæ, » ensis tepescit, nec clypeus nos, ut erat solitus, defendit ac protegit. Ergo si » hoc meæ culpæ adscribitur, jam id Deus capiti meo restituat. Certè si vos re- » galia jussa contemnitis, et ea quæ præcipio implere differtis, jam debet securis

suscepta dicatur suprà cap. 28. consentiatque Johan. Biclar. in Chronico, potiùs, ut quidem existimo, anno seq. id est 586. consignanda est, quo S. Hermenegildus patris jussu occisus fuit. Valesii error inde profluxit, quòd Leuvigildi annum XVII. quem Johannes Biclar. Mauricii tertium appellat, an. 583. illigaverit, cùm tamen is ipse sit annus 586. ex Biclar. calculo. * Gregorius cap. 31. de his verba facere incipit, quæ anno Childeberti Regis undecimo contigere, licèt ante caput 38. annum illum undecimum non exprimat.

(a) [Dub. et Clun. *quia indignum est.*]

(b) Colb. a. *Segonam.* [Clun. paulò pòst, *Rodanica.*]

(c) [Dub. et Clun. *scandalo commoto.*]

(d) [Clun. *inedia consumpti.*]

(e) Sic Bec. cum editis plerisque. Colb. a. *Post dies verò quatuor conjunctis.* Colb. m. *post tres verò quatuor etc.* Regm. *post tres verò dies quatuor conjuncti.* Bad. *post verò tres vel quatuor dies conjunctis.* [Clun. *post tres verò quatuor conjunctis.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 586.

» capiti vestro submergi. Erit enim documentum omni exercitui, cùm unus de A
» prioribus fuerit interfectus : verumtamen jam experiri debemus quid agi oporteat.
» Si quis justitiam sequi destinat, jam sequatur; si quis contemnit, jam ultio pu-
» blica cervici ejus immineat. Satius est enim ut pauci contumaces pereant, quàm
» ira Dei super omnem regionem dependat innoxiam. Hæc Rege dicente, responde-
» runt Duces : Bonitatis tuæ magnanimitas, Rex optime, enarrari facile non potest;
» qui timor tibi in Deum sit, qui amor in Ecclesias, quæ reverentia in Sacerdo-
» tes, quæ pietas in pauperes, quæve dispensatio in egenos. Sed quia omnia quæ
» gloria vestra profert, recta veraque esse censentur ; quid faciemus quòd populus
» omnis in vitium est dilapsus, omnemque hominem agere quæ sunt iniqua delec-
» tat? Nullus Regem metuit, nullus Ducem, nullus Comitem reveretur ; et si
» fortassis alicui ista displicent, et ea pro longævitate vitæ vestræ emendare cona- B
» tur ; statim seditio in populo, statim tumultus exoritur, et in tantum unusquis-
» que contra Seniorem sæva intentione grassatur, ut vix se credat evadere, si
» tandem (a) silere nequiverit. Ad hæc Rex ait : Si quis sequitur justitiam, vivat ;
» si quis legem mandatumque nostrum respuit, jam pereat, ne nos diutiùs hoc
* *Gallicè* blasme. » blasphemium * prosequatur. Hæc eo dicente, advenit nuntius, dicens : Richa-
» redus filius Leuvichildi de Hispaniis egressus, Caput-arietis (b) castra obtinuit,
» et ex pago Tholosano maximam partem depopulatus est, hominesque captivos ab-
» duxit. Ugernum (c) Arelatense castrum inrupit, resque cunctas cum hominibus
» abstulit : et sic se infra muros Nemausensis urbis inclusit. » Hæc audiens, Rex
Leudegisilum in locum Calumniosi, cognomento Ægilanis (d), Ducem deligens, omnem
ei Provinciam Arelatensem commisit, custodesque per terminos super quatuor viro- C
rum millia conlocavit. Sed et Nicetius Arvernorum Dux similiter cum custodibus per-
rexit, et fines regionis ambivit.

XXXI. Dum hæc agerentur, et Fredegundis apud Rothomagensem urbem commoraretur, verba amaritudinis cum Prætextato Pontifice habuit, dicens venturum esse tempus, quando exsilia in quibus detentus fuerat, reviseret. Et ille : *Ego semper et in exsilio, et extra exsilium Episcopus fui, sum, et ero : nam tu non semper regali potentia perfrueris. Nos ab exsilio provehimur, tribuente Deo, in regnum : tu verò ab hoc regno demergeris in abyssum. Rectius enim erat tibi, ut relicta stultitia atque malitia, jam te ad meliora converteres, et ab hac jactantia, qua semper ferves, abstrahereris* (e) *: ut et tu vitam adipiscereris æternam, et parvulum quem genuisti, adducere ad legitimam posses ætatem.* Hæc effatus, cùm verba illius D mulier graviter acciperet, se à conspectu ejus felle fervens abstraxit. Adveniente autem Dominicæ Resurrectionis die (f), cùm Sacerdos ad implenda Ecclesiastica officia ad Ecclesiam maturiùs properasset, antiphonas juxta consuetudinem incipere per ordinem cœpit : cùmque inter psallendum formulæ decumberet, crudelis adfuit homicida, qui Episcopum super formulam quiescentem, extracto balthei cultro, sub ascella percutit. Ille verò vocem emittens, ut clerici qui aderant adjuvarent, nullius auxilio de tantis adstantibus est adjutus. At ille plenas sanguine manus super altarium extendens (g), orationem fundens, et Deo gratias agens,

(a) [Dub. et Clun. *si tardiùs silere.*]

(b) Vulgò dicitur *Cabarat.* Alteserræ est *Castelnaudarry*, quod ait à Petro Vallis-Cernaii in Historia Albigensium appellari Castrum-novum-Arii, in agro Lauracensi, *le Lauraguais.* [Dub. et Clun. *Arietis castrum obtinuit.*]* Notat Petrus de Marca nunc vocari *Castrum-novum de Ari*, et sic scribi in chartis ante Albigensium hæreticorum tempora scriptis. Novæ Historiæ Occitaniæ auctores *Caput Arietis* locum esse existimant, qui nunc vocatur *Cabaret* in diœcesi Carcassonensi, sic dictum ob similitudinem cum capite Arietis ; nam *Cab* indigenis est caput, *Aret* Aries. Castra memorat *Gregorius ;* hodieque supersunt duo castra, quæ vocantur *les Tours de Cabaret.*

(c) Celebre est apud veteres auctores hujus castri nomen, ubi, testante Sidonio, Avitus salutatus est Imperator. Hodie tamen mutato nomine, haud certò constat an sit Bellum-Quadrum, vulgò *Beaucaire*, an insula Guernica, vulgò *la Vergne*, quæ vox satis Ugerno competit. Uterque verò locus, interposito tamen Rhodano, propinquus est Tarasconi, à quo vetus Ugernum parum distitisse certum est, sicut et ab Arelate ex Vita S. Cæsarii. *Hodiernum* appellat Biclar. in Chronico.

(d) Colb. m. Regm. et Chesn. al. *Agilanis.* [Dub. *Leodeghiselum in loco Calomniosi cogn. Egelanis, Ducem dirigens.* Clun. *Agilanis, Ducem constituit, custodesque per terminos super quatuor millia collocavit.*]

(e) [Dub. *abstraheres..... perducere ad.*]

(f) Id est, die Dominica (quæ in sequioris ævi auctoribus passim dies resurrectionis Dominicæ dicitur.) si verum sit Prætextatum VI. Kal. Martias an. 586. obiisse. Quo die in Martyrol. Romano memoratur, die verò sequenti in apographo Usuardi Ecclesiæ Rotomagensis recenter scripto. Hunc tamen locum de Paschali festivitate intelligit Henschenius ad diem 24. Febr. Bolland. cui favet Anonymus infrà laudatus. Ideòque Prætextati mortem 14. Aprilis contigisse scribit, quo die an. 586. Pascha celebratum est. Subscripsit Prætextatus Concil. Paris. III. Turon. II. et demùm Matisc. II. an. 585. unde patet ejus necem ad an. 586. sicut et ea quæ his capitibus narrat Gregorius, esse referendam.

(g) Anonymus qui sæculo undecimo Acta Archiepiscoporum Rotomagensium scripsit, edita tom. 2. Analect. Mabillon. sic habet : *Qui mox ut vulnera sensit, ad altare cucurrit, et illud amplexatus, via-*

A in cubiculum suum inter manus fidelium deportatus, et in (a) suum lectulum conlocatus est. Statimque Fredegundis cum Beppoleno Duce et Ansovaldo adfuit, dicens : *Non oportuerat hæc nobis ac reliquæ plebi tuæ, ô sancte Sacerdos, ut ista tuo cultui evenirent. Sed utinam indicaretur qui talia ausus est perpetrare, ut digna pro hoc scelere supplicia sustineret.* Sciens autem eam Sacerdos hæc dolosè proferre, ait : *Et quis hæc fecit, nisi is qui Reges interemit, qui sæpiùs sanguinem innocentem effudit, qui diversa in hoc regno mala commisit ?* Respondit mulier : *Sunt apud nos peritissimi medici, qui huic vulneri mederi possunt. Permitte ut accedant ad te.* Et ille : *Jam*, inquit, *me Deus præcipit de hoc mundo vocari. Nam tu quæ his sceleribus princeps inventa es, eris maledicta in sæculo, et erit Deus ultor sanguinis mei de capite*
B *tuo.* Cùmque illa discederet, Pontifex, ordinata domo sua, spiritum exhalavit. Ad quem sepeliendum Romacharius Constantinæ urbis Episcopus advenit. Magnus tunc omnes Rothomagenses cives, et præsertim Seniores loci illius Francos, mœror obsedit. Ex quibus unus Senior ad Fredegundem veniens, ait : *Multa enim mala in hoc sæculo perpetrasti, sed adhuc pejus non feceras, quàm ut Sacerdotem Dei juberes interfici. Sit Deus ultor sanguinis innocentis velociter. Nam et omnes erimus inquisitores mali hujus, ut tibi diutiùs non liceat tam crudelia exercere.* Cùm autem hæc dicens discederet à conspectu Reginæ (b), misit illa qui eum ad convivium provocaret. Quo renuente, rogat ut si convivio ejus uti non velit, saltem vel poculum hauriat, ne jejunus à regali domo discedat. Quo exspectante, accepto poculo, bibit absynthium cum vino et melle mixtum, ut mos barbarorum (c) habet : sed hic potus veneno imbutus (d) erat. Statim autem ut bibit, sensit pec-
C tori suo dolorem validum imminere : et quasi si incideretur intrinsecus, exclamat suis, dicens : *Fugite, ô miseri, fugite malum hoc, ne mecum pariter perimamini.* Illis quoque non bibentibus, sed festinantibus abire, ille protinùs excæcatus, ascensoque equo, in tertio ab hoc loco stadio cecidit, et mortuus est. Posthæc Leudovaldus Episcopus (e) epistolas per omnes Sacerdotes direxit, et accepto consilio Ecclesias Rothomagenses clausit, ut in his populus sollemnia divina non spectaret, donec indagatione communi reperiretur hujus auctor sceleris. Sed et aliquos adprehendit, quibus supplicio subditis, veritatem extorsit, qualiter per consilium Fredegundis hæc acta fuerant : sed ea defensante, ulcisci non potuit. Ferebant etiam ad ipsum percussores venisse, pro eo quòd hæc inquirere sagaciter destina-
D ret : sed custodia vallato suorum, nihil ei nocere potuerunt. Itaque cùm hæc ad Guntchramnum Regem perlata fuissent, et crimen super mulierem jaceretur, misit tres Episcopos ad filium, qui esse dicitur Chilperici, quem superiùs Clotharium scripsimus * vocitatum, id est Arthemium Senonicum, Veranum Cavellionensem (f), et Agrecium Tricassinum, ut scilicet cum his qui parvulum nutriebant, perquirerent hujus sceleris personam, et in conspectu ejus exhiberent. Quod cùm Sacerdotes locuti fuissent, responderunt Seniores : *Nobis prorsùs hæc facta displicent, et magis, ac magis ea cupimus ulcisci. Nam non potest fieri, ut si quis inter nos culpabilis invenitur, in conspectum Regis vestri deducatur, cùm non possimus nostrorum facinora regali sanctione comprimere* (g). Tunc Sacerdotes dixerunt : *Noveritis enim, quia si persona quæ hæc perpetravit, in medio posita non fuerit, Rex noster cum exercitu huc veniens, omnem hanc regionem gladio incendioque vastabit ; quia ma-*

* *lib.* 7. *c.* 6.

tico Dominici corporis et sanguinis se muniens, animam Deo reddidit.

(a) [Dub. *in suo lectulo. ... Ansoaldo.*]

(b) [Clun. *Reginæ, statim illa ad convivium provocat.*]

(c) Sic Francos passim appellat Gregorius. Vino autem absynthiaco, non barbari solùm, sed et Romani utebantur in conviviis, ut ex Capitolino in Gordiano, et Lampridio in Heliogabalo, S. Ambrosio libro de Tobia, et aliis auctoribus patet. De hoc et Jonas in Vita S. Columbani.

(d) [Clun. *hoc potum veneno imbutum erat.* Paulò pòst; *ne mecum pereamini.*]

(e) Is erat Episc. Bajocassinus ex lib. 9. cap. 13. cujus sedes est prima in Lugdun. II. post metropolim. Unde viduatæ Rotomagensis Ecclesiæ curam tunc suscepit. [Dub. *Post hoc Leoaldus.*]

(f) Sic mss. et rectè : nam Cabillonensem Ecclesiam tunc Flavius, Cavellionensem verò, seu Cavellicensem, *Cavaillon*, Veranus, regebant : uterque Conc. Matisc. an. 585. subscripsit. Editi malè *Cabillonensem.* [Clun. *Cavillonensim.*] Hujus Verani Vita exstat tomo 2. Biblioth. novæ Labbei pag. 690. obiit III. Idus Novembris, sed ipso die Iduum ejus festum celebratur in sua urbe. Artemius autem Senonensis subscripsit Conc. Matisc. I. et II. Colitur apud Senones die 23. Aprilis. Agrœcius denique Tricassinus Concil. Matisc. II. subscripsit per missum suum. Quod hìc observare visum est, eò quòd hujus Antistitis, et Felicis Bellicensis nomina, nescio quo casu in subscriptionibus Concilii Matiscon. suo loco desiderentur, ut monet Sirmondus in erratis.

(g) Quòd nempe alium, præter Chlotarium juniorem, Regem non agnoscerent, cujus regni ipsi optimates erant et consiliarii, penes quos, ob Regis infantiam, rerum administratio erat ; proindeque nullum jus in eos ipsos Guntramnus haberet. Unde Melantius sedem Rotomagensem, favente Fredegunde, rursùs obtinuit, cui Gregorius M. Augustinum aliosque Monachos in Angliam proficiscentes commendavit lib. 9. epist. 52.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 586.

nifestum est hanc interfecisse gladio Episcopum, quæ maleficiis Francum jussit interfici. Et his dictis discesserunt, nullum rationabile responsum accipientes; obtestantes omnino, ut numquam in Ecclesia illa Melantius, qui priùs in loco Prætextati subrogatus fuerat, Sacerdotis fungeretur officio. A

XXXII. Multa enim hoc tempore mala gesta sunt : nam Domnola relicta quondam Burgoleni, quæ fuit filia Victorii Redonensis Episcopi (a), quam Nectarius matrimonio copulaverat, intentionem de vineis cum Boboleno (b) referendario Fredegundis habebat. Audiens eam in has vineas advenisse, misit nuntios obtestantes, ne ingredi penitùs in hanc possessionem præsumeret : quod illa despiciens, et res patris sui fuisse proclamans, ingressa est. Tunc ille commota seditione, super eam cum armatis viris inruit : qua interfecta, vineas (c) vindemiavit, resque diripuit : et tam viros quàm mulieres, qui cum ea (d) erant, interfecit gladio, nec remansit ex his, nisi qui fuga labi potuit. B

XXXIII. Exstitit autem in his diebus apud urbem Parisiacam mulier, quæ diceret (e) incolis : *Fugite ab urbe, et scitote eam incendio concremandam.* Quæ cùm à multis inrideretur, quòd hæc aut sortium præsagio diceret, aut vana aliqua somniasset, aut certè dæmonii meridiani * hæc instinctu proferret, respondit : *Nequaquam est ita ut dicitis : nam in veritate loquor, quia vidi per somnium à basilica* (f) *sancti Vincentii venientem virum inluminatum, tenentem manu cereum, et domos negotiantum ex ordine succendentem.* Denique post tertiam noctem, quòd hæc mulier est effata, inchoante crepusculo, quidam è civibus accenso lumine, in promtuarium est ingressus : adsumtoque (g) oleo ac ceteris quæ necessaria erant, abscessit, lumine secus cupellam olei derelicto. Erat enim domus hæc prima secus portam, quæ ad meridiem pandit egressum. Ex quo lumine adprehensa domus incendio concrematur, de qua et aliæ adprehendi cœperunt. Tunc diruente igne super vinctos carceris, adparuit eis beatus Germanus, et comminuens trabem atque catenas, quibus vincti tenebantur, reserato carceris ostio, vinctos abire permisit incolumes. Illi verò egressi se ad basilicam sancti Vincentii, in qua sepulcrum habetur beati Antistitis, contulerunt. Igitur cùm per totam civitatem huc atque illuc flante vento flamma ferretur, totisque viribus regnaret incendium, adpropinquare ad aliam portam cœpit, in qua beati Martini oratorium habebatur : quod ob hoc aliquando factum fuerat, eò quòd ibi lepram maculosi hominis osculo depulisset (h). Vir autem qui eum intextis virgultis in sublime construxerat, confisus in Domino, nec de beati Martini virtute diffusus, se resque suas intra ejus parietes ambivit, dicens : *Credo enim, et fides mea est, quòd repellat ab hoc loco incendium, qui sæpiùs incendiis imperavit, et in hoc loco leprosi hominis cutem osculo medente purgavit.* Adpropinquante enim illuc incendio, ferebantur validi globi flammarum, qui percutientes parietem (i) oratorii, protinùs tepescebant. Clamabat autem populus viro ac mulieri : *Fugite, ô miseri, ut evadere possitis : ecce jam ignium pondus super vos deruit : ecce favillæ incendii cum carbonibus, tamquam validus imber, ad vos usque distenditur : egredimini ab oratorio, ne cum eodem incendio concrememini.* At illi orationem fundentes, numquam ab his vocibus movebantur. Sed nec mulier se umquam à fenestra, per quam interdum flammæ ingrediebantur, amovit ; quæ erat spe firmissima de virtute beati Antistitis præmunita. Tantaque fuit virtus beati Pontificis, ut non solùm hoc oratorium cum alumni proprii domo salvaret ; verùm etiam nec aliis domibus quæ in circuitu erant, nocere flammis dominantibus permisisset : ibique cecidit incendium, quod ab una parte pontis cœperat desævire. Ab alia verò parte tam validè cuncta conflagravit, ut C D

* *V. l. 4. de Mir. S. Martini. c.* 36.

(a) Subscripsit Conc. Turon. II. an. 567. et laudatur à Fortunato lib. 3. carm. 4.

(b) Regm. *Bodoleno.* Cap. præc. et infrà cap. 42. dicitur *Beppolenus.* V. cap. 43. Intentio hîc, sicut et passim apud Gregorium, contentionem seu litem designat.

(c) [Dub. *vineas vindicavit.*]

(d) [Clun. *cum ea venerant.*]

(e) [Clun. *dicebat incolis : Fugite, ô miseri, ab urbe.*]

(f) [Clun. *ad basilicam.*]

(g) Sic Casin. ceteri *assumtoque eo*, aut *ab eo.*

(h) Hoc miraculum refert Sulpicius Sever. in Vita S. Martini. Oratorium verò, quod hîc memoratur, in ipsa Sequanæ insula ad Septemtrionalem urbis portam positum fuisse existimat Valesius in disceptatione de basilicis cap. 2. procul ab eo loco, in quo nunc visitur Ecclesia S. Martini à Campis vulgò dicta, quam à patre suo Henrico Rege constructam Philippus I. Francorum Rex Cluniacensibus Benedictinis monachis sæculo XI. labente attribuit. Persuasum tamen habebat Henricus, se ibi Ecclesiam construere, ubi vetus illud oratorium steterat : sed fallebatur, inquit Valesius, nec mirum esse dicit, cùm nullum tunc superesset prioris illius ædificii vestigium. Certum est tamen ex Childeberti III. charta, quam [Tomo sequenti] proferemus, sub prima Regum nostrorum stirpe basilicam S. Martini eo loco exstitisse, quo nunc Ecclesia S. Martini à Campis perstat : an verò ea ipsa sit quam hîc Gregorius laudat, aliis inquirendum relinquimus.

(i) [Clun. *faciem parietis oratorii.*]

amnis

A amnis finem imponeret. Verumtamen Ecclesiæ non sunt adustæ cum domibus suis. Aiebant enim hanc urbem quasi consecratam fuisse antiquitus, ut non ibi incendium prævaleret, non serpens, non (a) glis adparuisset. Nuper autem cùm cuniculus pontis emundaretur, et cœnum de quo repletum fuerat, auferretur, serpentem gliremque æreum repererunt. Quibus ablatis, et glires ibi deinceps extra numerum, et serpentes adparuerunt; et posteà incendia perferre cœpit.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 586.

XXXIV. Et quia princeps tenebrarum mille habet artes nocendi; quid de reclausis ac Deo devotis nuper gestum fuerit, pandam. Vennocus Britto, presbyterii honore prædítus, cujus in alio libro meminimus (b), tantæ se abstinentiæ dedicavit, ut indumento de pellibus tantùm uteretur, cibum de herbis agrestibus incoctis
B sumeret : vini verò tantùm vas ad os poneret, quod magis putaretur libare osculo quàm haurire. Sed cùm eidem devotorum largitas frequenter exhiberet vasa hoc plena liquore, didicit, quod pejus est, extra modum haurire, et in tantum dissolvi potione, ut plerumque ebrius cerneretur : unde factum est ut, invalescente temulentia, tempore procedente, à dæmonio correptus, per energiam vexaretur, in tantum ut accepto cultro, vel quodcumque genus teli, vel lapidem, aut fustem potuisset adripere, post homines insano furore discurreret : unde necessitas exegit, ut catenis vinctus custodiretur in cellula. In hac quoque damnatione per duorum annorum spatia debachans, spiritum exhalavit. Alius quoque Anatolius Burdegalensis, puer, ut ferunt, annorum duodecim, cùm esset famulus cujusdam negotiatoris, petiit sibi ad reclusionem licentiam tribui. Sed resistente diu domino, putans eum in hoc tepescere,
C atque implere non posse in hac ætate, quod nitebatur appetere; tandem victus precibus famuli facultatem tribuit, ut id quod flagitabat impleret. Erat autem ibi crypta ab antiquis (c) transvoluto * elegantique opere exposita, in cujus angulo erat cellula parva de quadratis lapidibus clausa, in quam vix unus stans homo recipi posset. In hanc cellulam puer ingreditur : in hac per octo aut eo ampliùs annos commoratus, tenui cibo potuque contentus, vigiliis orationibusque vacabat. Post hæc pavorem validum perpessus, clamare cœpit intrinsecus se torqueri. Unde factum est ut, adjuvante eum, ut credo, diabolicæ partis militia (d), amotis quadris quibus conclusus tenebatur, elideret parietem in terram, conlidens palmas, et clamans se à Sanctis Dei peruri. Cùmque diutissimè in hac insania teneretur, et sancti Martini crebriùs confiteretur nomen, ac disceret se potiùs ab eo quàm à Sanctis aliis cruciari,
D Turonis adducitur. Sed malus spiritus, credo, ob virtutem atque magnitudinem Sancti compressus, nequaquam hominem mutilavit. Nam in loco ipso per anni curriculum degens, cùm nihil mali pateretur, regressus est : sed rursus quibus caruerat, incurrit.

* *Gallicè* vouté.

XXXV. Legati de Hispaniis ad Regem Guntchramnum venerunt cum multis muneribus, pacem petentes, sed nihil certi accipiunt in responsis. Nam anno præterito, cùm exercitus Septimaniam (e) debellasset, naves quæ de Galliis in Galliciam abierant (f), ex jussu Leuvichildi Regis vastatæ sunt, res ablatæ, homines cæsi atque interfecti, nonnulli captivi abducti sunt. Ex quibus pauci quodammodo scaphis erepti, patriæ quæ acta fuerant nuntiaverunt.

XXXVI. Igitur apud Childebertum Regem Magnovaldus causis occultis ex jussu
E Regis interficitur hoc modo. Stante infra Mettensis urbis palatium Rege, et ludum spectante, qualiter animal caterva canum circumdatum fatigabatur, Magnovaldus arcessitur. Qui veniens (g), et nesciens quæ agenda erant, cum reliquis dissolutus risu, prospicere pecudem cœpit. At is cui jussum fuerat, cùm videret eum spectaculo intentum, librata securi, caput ejus inlisit : qui cecidit et mortuus est, ac per fenestram domûs projectus, à suis sepultus est : resque ejus protinùs direptæ, et ærario publico, quantum repertum est, sunt inlatæ. Autumabant tamen quidam, eò quòd post mortem fratris diversis plagis conjugem adfectam interfecisset, et uxorem fratris adscisset thoro, exstitisse causam qua interimeretur.

XXXVII. Post hæc Childeberto Regi filius natus est, qui à Magnerico Tre-

(a) [Dub. *non glerus*. Clun. *non glirus*.]
(b) Suprà lib. 5. cap. 22. ubi dicitur *Winnochus* seu *Vinnochus*.
(c) [Clun. *transvoluta*.]
(d) [Clun. *malitie*.]
(e) [Hîc *debellare* est *bellum inferre*. Vide Glossarium Cangii ad verbum, *debellare*.]
(f) Id ipsum designare voluit Johan. Biclar. in Chronico, ubi ad Leuvigildi annum 17. refert *provinciam Gallatiæ* (legendum est ex hoc Gregorii loco, *Galleciæ*, seu *Gallæciæ*) *à Francorum infestatione* fuisse *liberatam*.
(g) [Dub. *quo veniente, et nesciente quæ orta erant*. Clun. *quo veniente, et nesciente quæ actura erant*.]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 586.

verorum Episcopo (a) de sacro fonte susceptus, Theodobertus est vocitatus : de quo tantum gaudium Guntchramnus Rex habuit, ut statim legatos dirigens, multa ei munera transmitteret, dicens : *Per hunc enim Deus erigere Francorum regnum propria Majestatis suæ pietate dignabitur, si huic* (b) *pater, aut ipse vixerit patri.* A

XXXVIII. Anno denique undecimo regni Childeberti Regis, legati iterùm de Hispaniis venerunt, pacem petentes : sed nihil certi obtinentes, regressi sunt. Richaredus autem, filius Leuvichildi, usque Narbonam venit, et intra terminum Galliarum prædas egit, et clam regressus est.

XXXIX. Eo (c) anno multi Episcoporum obierunt. Badegisilus verò Cenomannorum Episcopus, vir valde sævus in populo, auferens sive diripiens injustè res diversorum : ad cujus animum acerbum atque immitem conjunx accesserat sævior, quæ illum in committendis sceleribus, nequissimis consilii stimulis perurgebat. B Nec præteribat dies, aut momentum ullum, in quo non aut in spoliis civium, aut in diversis altercationibus grassaretur. Quotidie autem cum judicibus causas discutere, militias sæculares exercere, sævire in alios, alios cædibus agere non cessabat, manibus etiam propriis verberare progrediebatur (d) multos, ac dicere : *Num ideò quia clericus factus sum, ultor injuriarum mearum non ero?* Sed quid dicam de ceteris, cùm nec ipsis quoque germanis parceret, sed ipsos magis exspoliaret? Cum quo numquam justitiam de rebus paternis maternisve adsequi potuerunt. Quinto autem anno episcopatûs sui expleto, cùm jam sextum ingrediens, epulum civibus cum immensa lætitia præparasset; à febre correptus, annum quem cœperat protinùs morte imminente finivit. In cujus locum Bertchramnus Parisiacus (e) Archidiaconus subrogatus est. Qui multas altercationes cum relicta illius defuncti habuisse C probatur, eò quòd res quæ tempore Badegisili Episcopi Ecclesiæ datæ fuerant, tamquam proprias retinebat, dicens : *Militia hæc fuit viri mei :* et licet invita, tamen cuncta restituit. Erat enim ineffabili malitia : nam sæpiùs viris omnia pudenda cum ipsis ventris pellibus incidit; feminis secretiora corporis loca laminis candentibus perussit : sed et multa alia iniquè gessit, quæ tacere meliùs putavi. Obiit et Sabaudus (f) Arelatensis Episcopus, in cujus locum Licerius Regis Guntchramni referendarius est adscitus. Gravis tunc Provinciam ipsam lues depopulata est. Obiit et Evantius Viennensis Episcopus (g), in cujus sedem Virus Presbyter de Senatoribus Rege eligente substituitur. Multique eo anno Sacerdotum ex hoc mundo migraverunt : quod præterire volui (h), eò quòd unusquisque in urbe sua sui reliquerit monimenta.

XL. Fuit autem et in urbe Turonica Pelagius quidam, in omni malitia exer- D citatus, nullum judicem metuens, pro eo quòd jumentorum fiscalium custodes sub ejus potestate consisterent. Ob hoc furta, superventa (i), pervasiones, cædes, diversaque scelera, tam in fluminibus quàm in terris, agere non cessabat. Nam plerumque arcessitum, et minacibus lenibusque verbis, ut ab hac malitia desisteret, prohibere volui : sed magis odia quàm aliquem fructum justitiæ ab eo recepi, juxta illud Salomoniacæ Sapientiæ proverbium : *Argue stultum, adjiciet odire te.* Nam tantum in me odium miser habebat, ut sæpiùs spoliatis cæsisque hominibus sanctæ Ecclesiæ, exanimes reliquerit, causas qualiter Ecclesiæ vel basilicæ S. Martini damna intenderet, inquirens. Unde factum est ut quadam vice venientes (k)

Prov. 9. 8.

(a) Colitur die 25. Julii. Sepultus est in monasterio sancti Martini, à se ipso condito, quod etiam nunc exstat sub ordine Benedictino. Ejus Vitam scripsit Ebervinus Abbas, laudatur à Fortunato lib. 3. carm. 11. et passim à nostro Gregorio.

(b) * Cùm hæc dicebat Guntramnus, se ipsum ostendebat : vox igitur *huic* hîc est δεικτική, ut loquuntur Grammatici. Idem est ac si diceret Guntramnus : *si mihi pater, et filius supervixerit patri.*

(c) Hoc caput cum quatuor sequentibus deest in Colb. a. et Vat. De Badegesilo suprà lib. 6. cap. 9. subscripsit Concilio Matisconensi II. anno 585. Conjux ejus Magnatrudis appellatur infrà lib. 10. cap. 5. Distinguendus est à Bertegesilo, qui eamdem sedem bis invasit, ut in Testamento suo conqueritur sanctus Bertramnus.

(d) [Dub. *verberare, proterere multos.* Clun. *verberare, pejerare multos.*]

(e) Ejus Acta habentur tomo 3. Analect. Mabillon. ubi ipsius Testamentum, quo inter alia multa quæ variis Ecclesiis donavit, basilicæ B. Vincentii, ubi corpus B. Germani à quo enutritus fuerat, requiescit, villam Bobane in territorio Stampensi super fluvio Cala dimisit, rogans Abbatem *illustris loci illius*, ut nomen ejus in libro Vitæ recitetur. Variis Conciliis interfuit. Festum ejus celebratur in Martyrol. Gallicano die III. Non. Februarii. De eo Papebrochius ad diem 6. Junii Bollandiani.

(f) De hoc suprà lib. 4. cap. 30. dicitur vulgò *Sapaudus.* Variis Conciliis interfuit, et Vicariatum in Galliis à Pelagio Papa obtinuit. De Licerio infrà lib. 9. cap. 23.

(g) Evantius subscripsit Conc. Matisc. I. an. 581. Lugd. III. an. 583. Valent. II. an. 584. et Matisc. II. an. 585. Festum ejus nonnulli die 13. Januarii, alii 3. Febr. recolunt.

(h) Regm. *nolui.*

(i) Id est, rapinas, seu violentias repentinas et imprævisas.

(k) [Clun. *venientibus hominibus nostris..... deferentibus..... vasa repperit.*]

A homines nostros, atque echinum in vasis deferentes cæderet, protereret, ipsaque vasa caperet. Quod factum cùm comperissem, eum à communione suspendi, non quasi ultor injuriæ meæ, sed ut faciliùs eum ab hac insania redderem emendatum. At ille electis duodecim viris, ut hoc scelus pejeraret (a), advenit. Sed cùm ego nullum vellem sacramentum suscipere; compulsus ab eo, vel à civibus nostris, amotis reliquis, ipsius tantum juramentum suscepi, jussique eum recipi in communionem. Erat autem eo tempore mensis primus. Adveniente autem mense quinto, quo prata secari solent, pratum Sanctimonialium, quod termino prati sui adhærebat, pervadit. In quo statim ut falcem misit, febre correptus, die tertia spiritum exhalavit. Deposuerat (b) enim sibi sepulcrum in basilica sancti Martini vici Condatensis, quod detectum sui et (c) effrac-
B tum in frusta reperiunt. Sic posteà in porticu ipsius basilicæ est sepultus : vasa quoque echini, quæ pejeraverat, post obitum illius ab ejus promtuario sunt delata. Manifestata est autem virtus beatæ Mariæ (d), in cujus basilica miser sacramentum protulit mendax.

XLI. Cùm autem per totam terram sonus ille percurreret Prætextatum Episcopum à Fredegunde fuisse interfectum, illa quoque quò faciliùs detergeretur à crimine adprehensum puerum cædi jussit vehementer, dicens : *Tu hoc blasphemium super me intulisti, ut Prætextatum urbis Rothomagensis Episcopum gladio adpeteres.* Et tradidit eum nepoti ipsius Sacerdotis. Qui cùm eum in supplicio posuisset, omnem rem evidenter aperuit, dixitque : *A Regina enim Fredegunde centum solidos*
C *accepi, ut hoc facerem; à Melantio verò Episcopo quinquaginta; et ab Archidiacono civitatis alios quinquaginta; insuper et promissum habui, ut ingenuus* (e) *fierem, sicut et uxor mea.* In hac voce illius, evaginato homo ille gladio prædictum reum in frusta concidit. Fredegundis verò Melantium, quem priùs Episcopum posuerat, Ecclesiæ instituit (f).

XLII. Dum à Fredegunde Beppolenus Dux valde fatigaretur, nec juxta personam suam ei honor debitus impenderetur, cernens se despici, ad Guntchramnum Regem abiit. A quo accepta potestate Ducatûs super civitates illas quæ ad Chlotharium Chilperici Regis filium pertinebant, cum magna potentia pergit; sed à Rhedonicis non est receptus. Andegavis verò veniens, multa mala ibidem gessit, ita ut annonas, fœnum, vinum et quicquid reperire potuisset in domibus civium ad quas accesserat,
D nec exspectatis clavibus, disruptis ostiis devastaret : multosque de habitatoribus loci cædibus adfecit, protrivitque; Domigisilo quoque metum intulit, sed pacificatus est cum eo. Accedens autem ad urbem, dum epularetur cum diversis in tristega (g), subitò effracto pulpito domûs, vix semivivus evasit, multis debilitatis : in eisdem tamen malis perdurans quæ priùs gesserat. Multa tunc et Fredegundis in regno filii sui de rebus ejus evertit. Ipse quoque ad Rhedonicos rediens, et eos Regi Guntchramno subdere cupiens, filium suum in hoc loco reliquit. Qui non multo intercedente tempore, inruentibus Rhedonicis interemtus est cum multis honoratis viris. Hoc anno multa signa adparuerunt : nam mense septimo arbores visæ sunt floruisse : sed et multæ quæ priùs poma habuerant, nova dederunt, quæ usque ad Natalis Dominici tempora in ipsis arboribus habita sunt. Fulgor per cœlum in modum (h) serpentis
E cucurrisse visus est.

XLIII. Anno quoque duodecimo Childeberti Regis, Nicetius Arvernus Rector Massiliensis Provinciæ (i) et reliquarum urbium, quæ in illis partibus ad regnum Regis ipsius pertinebant, est ordinatus. Antestius verò in Andegavo à Rege Guntchramno dirigitur, multis ibidem damnis adfligens eos, qui in morte Domnolæ uxoris Nectarii mixti fuerunt : resque Beppoleni (k), eò quòd fuerit hujus caput sceleris, in fiscum redigens, Namnetas accessit : ac lacessere Nonnichium Episcopum cœpit, dicens : *Quia filius tuus in hoc facinore est admixtus, ut dignas pro*

An. 587.

(a) [Dub. *scelus perjuraret.* Clun. *viris, pejerare advenit.*]
(b) [Clun. *disposuerat.*]
(c) Regm. *detectum, sive effractum.*
(d) Bad. *sancti Martini.*
(e) * *Ingenuus fierem*, id est, *manumitterer.*
(f) [Dub. *instituit. Per quam cùm Beppolenus.* Clun. *instituit. Factum est ut Bipolenus Dux fatigaretur.*]
(g) Colb. m. Regm. [Dub. et Clun.] *tristico.* Bec. nihil habet. Tristega sunt ædificia in tres contignationes distincta, pulpitum verò est culmen tecti.
(h) [Hæc verba, *in modum serpentis*, desunt in cod. Clun.]
(i) Sub Chlotarii I. filiis Provincia in duas partes divisa est. Una Arelatensis Provincia dicta, sub qua Arelatum, Reii, etc. Guntramno cessit; alteram, quæ Massiliensis Provincia dicebatur, Massiliam, Avenionem, Aquas-Sextias et alia oppida sub se habentem, Sigibertus obtinuit. Prioris rectores sæpiùs apud veteres historicos Patricii appellantur, aliquando etiam Duces. Posterioris verò Præfecti, nonnumquam Patricii dicti sunt; hìc Nicetius *rector* appellatur.
(k) Ed. aliquot, ut suprà cap. 32. *Boboleni.* [Ita Dub. et Clun.] Regm. *Bobelleni.* [Paulò pòst Dub. *Nonnitium Episc.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 587.

commissus suis pœnas luat meritum exigit. Sed puer conscientia accusante territus, ad Chlotharium filium Chilperici aufugit : Antestius verò acceptis fidejussoribus ab Episcopo, ut in præsentia Regis adesset, Santonas venit. Sonus autem his diebus exierat, quòd Fredegundis occultos in Hispanias nuntios dirigeret, eosdem à Palladio Santonicæ urbis Episcopo clam susceptos, et inanteà transmissos fuisse. Erant autem eo tempore dies Quadragesimæ sanctæ, et Episcopus in insulam maris orationis causa secesserat (a). Secundùm consuetudinem autem dum ad Dominicæ Cœnæ festa ad Ecclesiam suam populo exspectante rediret, ab Antestio in via vallatur. Qui * nec discussa rei veritate dicebat : *Non ingredieris urbem, sed exsilio condemnaberis, quia suscepisti nuntios inimicæ domini nostri Regis.* At ille : *Nescio*, ait, *quid loquaris. Tamen quia dies sancti imminent, accedamus ad urbem, decursisque sollemnitatum sanctarum festis posteà quæcumque volueris oppone, rationem à me accipies : quia quod reputas nihil est.* At ille : *Nequaquam*, inquit, *sed non adtinges limina Ecclesiæ tuæ, quia infidelis adparuisti domino nostro Regi.* Quid plurà? tenetur in via Episcopus, domus Ecclesiæ describitur, resque diripiuntur. Cives cum homine (b) obtinere non queunt, ut saltem vel celebrata sollemnitate paschali discutiatur. Hisque supplicantibus, et illo (c) renitente, tandem patefacit vulnus quod latebat in pectore. *Si*, inquit, *domum quam intra territorii Biturici terminum habere dignoscitur, meæ ditioni facta venditione subdiderit, quæ flagitatis facio : alioquin non effugiet manus meas, nisi trudatur* (d) *in exsilium.* Metuit negare Episcopus : scripsit, subscripsitque, ac tradidit agrum : et sic datis fidejussoribus de præsentia sua ante Regem, in civitatem ingredi permissus est. Transactis igitur diebus sanctis, ad Regem pergit : adfuit et Antestius, sed nihil de his quæ opponebat Episcopo, potuit adprobare. Episcopus autem ad urbem redire jubetur, et usque ad Synodum futuram dilatatur, si fortè aliqua de his quæ opponebantur, evidentiùs possint agnosci (e). Adfuit et Nonnichius Episcopus, qui datis multis muneribus abscessit (f).

* *f.* cui.

A B C

XLIV. Fredegundis verò quasi ex nomine filii sui, legatos ad Guntchramnum Regem dirigit : qui reserata petitione, accepto responso, valedicentes abscedunt : sed nescio quibus causis paullulùm apud metatum suum remorati sunt. Mane autem facto, procedente Rege ad (g) matutinas, ac præeunte cereo, visus est homo quasi ebrius in angulo oratorii dormitare, accinctus gladio, cujus hasta pariete sustentabatur. Hoc viso Rex exclamavit, dicens non esse simpliciter, hominem sub hoc horrore noctis tali in loco quiescere. Oppressus autem, et loris revinctus, interrogabatur quid sibi hæc vellent quæ ageret. Nec mora supplicio subditus, dicit se à legatis qui advenerant, emissum fuisse, ut Rex deberet interfici. Denique adprehensi legati Fredegundis, nihil de his quæ interrogati sunt confitentur, dicentes : *Nos nihil ad aliud missi, nisi ut legationem quam suggessimus deferremus.* Tunc hominem illum diversis (h) plagis adfectum, et carceri mancipatum, legatos per diversa loca exsilia condemnari præcipit. Manifestissimè enim patuit sub hoc dolo à Fredegunde fuisse directos, ut Regem interficere deberent : quod misericordia Domini non permisit : inter quos Baddo (i) senior habebatur.

D E F

XLV. Cùm autem legati de Hispaniis crebrò ad Regem Guntchramnum venirent, et nullius pacis gratiam obtinere potuissent, sed magis inimicitia pullularet; Rex Guntchramnus Albigensem urbem nepoti suo Childeberto reddidit. Quod cernens Desiderius Dux, qui maximè in ejusdem urbis territorio meliora facultatis suæ condiderat; timens ne ultio expeteretur ab eo propter antiquam inimicitiam, quòd aliquando in eadem civitate exercitum gloriosæ memoriæ Sigiberti Regis graviter adfecisset; cum Tetradia uxore sua, quam Eulalio tunc Arverno Comiti

(a) Hæc erat sanctorum virorum consuetudo, ut diebus Quadragesimæ in eremum secederent. Vide Præf. sæculi 1. Benedictini num. CXI.

(b) Id est *ab homine*, scilicet Antestio.

(c) [Dub. *illo renuente.*]

(d) [Dub. *nisi tradatur exilio.*]

(e) Laudatur à Fortunato lib. 1. carm. 3. ob ædificatam S. Stephano Ecclesiam. Alteram in honorem SS. Petri, Pauli, Laurentii et Pancratii ædificarat, in qua tredecim erant altaria, sed quatuor ex his consecrata non fuerant, quòd reliquias in eis reponendas nullas haberet, ut patet ex S. Gregorii M. epist. 50. lib. 5. ubi reliquias quas ab eo Palladius efflagitarat, se ipsi transmittere testatur B. Pontifex, qui et epist. 52. ejusdem libri eidem Palladio Augustinum aliosque monachos in Angliam euntes commendavit. Nomen ejus in fastis Ecclesiæ legitur, ac uti sanctus in propria Ecclesia honoratur. Subscripsit Conc. Paris. IV. an. 573. et Matiscon. II. an. 585.

(f) Hic erat Episcopus Namnetensis Felicis successor, ut suprà dicitur l. 6. c. 15. laudatur item lib. 4. de Mirac. S. Martini cap. 26. Alius fuit ejusdem sedis Episc. Nonnichius seu Nunichius, qui sæculo superiori Conc. Venetensi subscripsit; cuique Apollinaris Sidonius scripsit epist. 13. lib. 8.

(g) [Clun. *ad Matutinos.*]

(h) [Clun. *diversis pœnis.*]

(i) Cod. Colb. a. *Batto.*

A abstulerat, in termino Tholosano cum rebus omnibus transiens, exercitum commovet, et contra Gotthos abire disponit, divisis priùs, ut ferunt, rebus inter filios et conjugem : adsumtoque secum Austrovaldo Comite, Carcassonam petiit. Præparaverant enim se hoc audito urbis illius cives, quasi resistere volentes : audierant autem de his priùs. Denique inito bello fugere Gotthi cœperunt, et Desiderius cum Austrovaldo à tergo cædere hostem. Illis quoque fugientibus, hic cum paucis ad urbem accessit : lassati enim fuerant equites * sociorum. Tunc ad portam urbis accedens, vallatus à civibus qui intra muros erant, interfectus est cum his omnibus, qui eum fuerant prosecuti : ita ut vix pauci exinde quodammodo evaderent, qui
B rem, ut gesta fuerat, nuntiarent. Austrovaldus verò audiens Desiderium mortuum, de via regressus ad Regem perrexit : qui mox in ejus locum Dux statuitur.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 587.

* *al.* equi.

XLVI. Post (a) hæc Leuvichildus Rex Hispanorum ægrotare cœpit : sed, ut quidam adserunt, pœnitentiam pro errore hæretico agens, et obtestans ne huic hæresi quisquam reperiretur consentaneus, in legem Catholicam transiit : ac per septem dies in fletu perdurans pro his quæ contra Deum iniquè molitus est (b), spiritum exhalavit : regnavitque Richaredus filius ejus pro eo.

(a) Hoc caput deest in Colb. a. et Vat.

(b) Agnovit quidem veritatem ex Gregorio M. lib. 3. Dialog. cap. 31. *sed gentis suæ timore perterritus ad fidem Catholicam pervenire non meruit.* De Leuvigildi conversione nihil scribunt Johannes Biclarensis Abbas, aut Isidorus ad æram 606. licèt plura habeant de illo. Eum ad pœnas perpetuas ex hac vita demigrasse ait Paulus Emeritensis cap. 16. de Vitis patrum Emerit. * Leuvigildus obiit an. 586. non igitur anno Childeberti XII. sed XI.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI NONI.

I. De Richaredo et legatis ejus.
II. De obitu beatæ Radegundis.
III. De eo qui cum cultro ad Guntchramnum Regem venit.
IV. Quòd Childeberto alius natus est filius.
V. De prodigiis.
VI. De seductoribus et ariolis,
VII. De remotione Ennodii Ducis ; et de Wasconibus.
VIII. De præsentia Guntchramni-Bosonis.
IX. De interitu Rauchingi.
X. De interitu Guntchramni-Bosonis.
XI. Quòd se Reges viderunt.
XII. De interitu Ursionis ac Berthefredi.
*XIII. De Baddone, qui in legationem abiens, detentus, et postmodum * dimissus est ; et de morbo dysenterico.*
XIV. De pace Egidii Episcopi et Lupi Ducis.
XV. De conversione Richaredi.
XVI. De legatione ipsius ad Reges nostros.
XVII. De exiguitate anni hujus ; seu, *De sterilitate anni et caritate annonæ.*
XVIII. De Britannis, et obitu Namasii Episcopi.
XIX. De interitu Sicharii civis Turonici.
XX. De eo quòd ad Guntchramnum Regem in legationem pro custodienda pace directi sumus. — Exemplar Pactionis apud Andelaum.
XXI. De eleemosynis et bonitate ipsius Regis.
XXII. De lue Massiliensis urbis.
XXIII. De obitu Agerici Episcopi, et de successore ejus.
XXIV. De episcopatu Fronimi.
XXV. Quòd exercitus Childeberti in Italiam abiit.
XXVI. De obitu Ingobergæ Reginæ.
XXVII. De obitu Amalonis.
XXVIII. De speciebus quas Brunichildis Regina transmisit.
XXIX. Quòd Langobardi pacem ad Childebertum Regem petierunt.
XXX. De descriptoribus urbis Pictavæ atque Turonicæ.
XXXI. Quòd Guntchramnus Rex exercitum in Septimaniam direxit.
XXXII. De inimicitiis inter Childebertum et Guntchramnum.

* Ed. *post diu.*

XXXIII. Quòd Ingeltrudis religiosa ad Childebertum abiit, contra filiam suggestura.
XXXIV. De inimicitiis Fredegundis cum filia sua.
XXXV. De interitu Waddonis.
XXXVI. Quòd Childebertus Rex Theodebertum filium suum Suessionas direxit.
XXXVII. De Droctigisilo Episcopo.
XXXVIII. De eo quòd aliqui contra Brunichildem Reginam agere voluerunt.
XXXIX. De scandalo in monasterio Pictavensi orto per Chrodieldem et Basinam. —— Epistola Episcoporum ad S. Radegundem.
XL. De fomite primo scandali.
XLI. De cæde in basilica sancti Hilarii. —— Rescriptum Episcoporum.
XLII. Exemplaria Epistolæ, quam sancta Radegundis Episcopis direxit.
XLIII. Quòd Theutarius Presbyter ad hoc scandalum mitigandum advenit.
XLIV. De intemperie anni.

LIBER NONUS.

Guntram. Childeb. II. Chlotar. II. An. Chr. 587.

I. IGITUR (a) post mortem Leuvichildi Hispanorum Regis, Richaredus filius ejus fœdus iniit cum Goisvintha relicta patris sui, eamque ut matrem suscepit (b). Hæc enim erat mater Brunichildis Reginæ, matris Childeberti junioris. Richaredus verò de alia uxore erat filius Leuvichildi. Denique cum noverca habito consilio, legatos ad Guntchramnum Regem atque Childebertum dirigit, dicens : *Pacem habete nobiscum, et ineamus fœdus, ut adjuti præsidio vestro, cùm necessitas poposcerit, simili nos* (c) *conditione, intercedente caritate, muniamus.* Venientes verò legati, qui ad Guntchramnum Regem directi erant, apud Matascense (d) oppidum jussi sunt residere : ibique transmissis viris Rex causas cognovit, sed recipere noluit verba eorum. Unde talis postmodùm inter eos inimicitia pullulavit, ut ad civitates Septimaniæ nullum de regno ejus transire permitterent. Hi verò qui ad Childebertum Regem venerunt, cum caritate recepti sunt : datisque muneribus, accepta pace, cum muneribus sunt regressi. A B

II. Eo anno beatissima Radegundis ab hoc mundo migravit. Quæ magnum planctum in monasterio quod constituerat dereliquit : fuique et ego præsens ad eam sepeliendam. Obiit autem mense sexto, tertia-decima die mensis, sepulta post triduum. Quæ autem ibi ipsa die virtutes adparuerunt, et qualiter fuerit funerata, in libro Miraculorum (e) pleniùs scribere studui.

III. Intereà (f) advenit festivitas sancti Marcelli, quæ apud urbem Cabillonensem (g) mense septimo celebratur, et Guntchramnus Rex adfuit. Verùm ubi peractis sollemnibus (h), ad sacrosanctum altarium communicandi gratia accessisset, venit quidam quasi aliquid suggesturus. Qui dum properat contra Regem, culter ei de manu dilabitur; adprehensoque repente, alium cultrum evaginatum in manu ejus reperiunt. Nec mora, eductus à basilica sancta, vinctus, et tormentis addictus, confitetur se emissum ad interficiendum Regem, dicens : *Sic enim tractavit qui me misit.* Quia cognovit Rex multorum in se odia adgregata, et suspectus ne percutiatur, omninò se à suis vallari præcipit : nec reperitur aditus qualiter ad eum cum gladiis (i) possit accedere, nisi in Ecclesia, in qua securus et nihil metuens stare dignoscitur, transverberetur. Sed et his de quibus locutus fuit adprehensis, multis interemtis (k), hunc verberatum plagis dimisit vivum, C

(a) Deest hoc caput in Colb. a. et cum seq. in Vat.

(b) Hæc tamen posteà cum Uldila Episcopo Ariano juncta, Reccaredo insidias paravit, ut narrat Johan. Biclar. ad annum III. Reccaredi.

(c) Sic omnes omninò editi et scripti. Tamen legendum est, nisi fallor, *simili vos conditione*, aut sanè, *simili nos conditione..... vos muniamus.*

(d) Sic omnes mss. et ed. plerique. Colb. et Bign. *Matescense.* Utrobique Matisco intelligi debet : certè Fortunat. in Vita S. Germani *Matasconem* habet pro *Matisconem.* [Clun. *Matiscense.*]

(e) Lib. de Gloria Confess. cap. 106. Agit item de ea lib. 1. de Gloria Mart. cap. 5. Obiit porrò die 13. Augusti, et quidem anno DLXXXVII. ex hoc Gregorii loco. Sepulta est in basilica S. Mariæ, ubi tunc erat sanctimonialium cœmeterium, hodie à Canonicis sæcularibus occupata. Ejus sacræ reliquiæ magna ex parte cum beati Hilarii exuviis à Calvinistis combustæ sunt anno 1562. V. notas in l. 3. c. 7.

(f) Deest hoc caput in Colb. a.

(g) [Dub. *Cavellonensem.* Clun. *Cavillonensem.*]

(h) Observanda hîc vetus Gallicanæ Ecclesiæ consuetudo, sacram Communionem non nisi post peractam missam administrandi. V. Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 5.

(i) [Dub. *possemus*; Clun. *possimus accedere.*]

(k) [Clun. *multi interempti sunt.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. AN. CHR. 587.

A quia nefas putavit (a), si is qui ab Ecclesia eductus fuerat, truncaretur.

IV. (b) Eo anno Childeberto Regi alius filius natus est, quem Veranus Cavillonensis (c) Episcopus suscipiens à lavacro, Theodorici nomen posuit. Erat enim eo tempore ipse Pontifex magnis virtutibus præditus, ita ut plerumque infirmis signum crucis imponens, statim sanitati, tribuente Domino, restauraret.

V. Prodigia (d) quoque multa dehinc adparuerunt. Nam vasa per domos diversorum, signis nescio quibus caraxata sunt, quæ res nullo umquam modo, aut eradi potuit, aut deleri. Incœptum est autem hoc prodigium ab urbis Carnotenæ (e) territorio; et veniens per Aurelianensem, usque Burdegalensem terminum peraccessit, non prætermittens ullam urbem quæ fuit in medio. In vineis verò mense octavo transacta vindemia, palmites novos cum uvis deformatis adspeximus. In aliis arbo-
B ribus frondes novæ, et nova visa sunt poma. Radii à parte Aquilonis adparuerunt. Adserebant nonnulli vidisse se serpentes ex nube delapsos. Alii adfirmabant villam cum casis et hominibus subitanea internecione evanuisse : et multa alia signa adparuerunt (f), quæ aut Regis obitum adnuntiare solent, aut regionis excidium. Vindemia eo anno tenuis, aquæ validæ, pluviæ immensæ, flumina quoque granditer adaucta fuerunt.

VI. Fuit eo anno in urbe (g) Turonica Desiderius nomine, qui se magnum quemdam esse dicebat, adserens se multa posse facere signa. Nam et nuntios inter se, atque Petrum Paulumque Apostolos discurrere jactitabat : ad quem, quia præsens non eram, rusticitas populi multa confluxerat, deferentes secum cæcos et debiles, quos non sanctitate sanare, sed errore necromantici ingenii quærebat ludere. Nam hos qui erant paralytici, aut alia impediti debilitate, jubebat validè
C extendi, ut quos virtutis divinæ largitione dirigere non poterat, quasi per industriam restauraret. Denique adprehendebant pueri ejus manus hominum, alii verò pedes, tractosque diversas in partes, ita ut nervi putarentur abrumpi : cùm non sanarentur, dimittebantur exanimes. Unde factum est ut in hoc supplicio multi spiritum exhalarent : tantùmque miser elatus erat, ut minorem (h) se beatum Martinum esse diceret, se verò Apostolis coæquaret. Nec mirum, si hic similem se dicat Apostolis, cùm ille auctor nequitiæ, à quo ista procedunt, Christum se in fine sæculi fassurus sit. Nam de hoc animadversum est, ut superiùs diximus, errore necromanticæ artis fuisse imbutum. Quia, ut adserunt qui eum (i) viderunt, cùm quisque de eo procul et abditè quicquam locutus fuisset mali, coram populo adstante improperabat, dicens : *Quia hoc et illud de me effatus est, quæ sanctitate mea erant indigna.* Et quo alio nisi nuntiantibus dæmoniis id cognoscebat? Habe-
D bat autem cucullum ac tunicam de pilis caprarum : et in præsenti quidem abstinens erat à cibis et potu : clam autem cùm in diversorium venisset, ita infarcibat (k) in ore, ut minister non occurreret tantum poscenti porrigere. Sed detecta dolositate ejus, et à nostris deprehensa, ejectus est extra urbis terminum. Nec cognovimus deinceps quò abisset; dicebat tamen civem se esse Burdegalensem. Nam et ante hos septem annos fuit et alius magnus (l) valdè seductor, qui multos decepit dolositate sua. Hic enim colobio (m) indutus erat, amictus desuper sindone, crucem ferens, de qua dependebant ampullulæ, quas dicebat oleum sanctum habere. Aiebat enim se de Hispaniis adventare, ac reliquias beatissimorum Martyrum Vincentii levitæ Felicisque martyris (n) exhibere. Sed cùm jam vespere ad basilicam sancti Martini Turonis advenisset, et nos in convivio resideremus, mandatum misit, dicens : *Occurrant Reliquiis sanctis.* Cui nos, quia hora jam præterierat, diximus : *Requiescant beatæ Reliquiæ super altarium, donec mane*

(a) Jus asyli à primis Ecclesiæ sæculis, ex quo principes Christiani fuere, concessum Ecclesiis asseruere Patres Conc. Aurelian. I. sub Chlodoveo Magno an. 511. quod posteà tum variis Conciliorum Canonibus, tum Regum nostrorum edictis sæpiùs confirmatum fuit.

(b) Hoc caput deest in codd. Colb. m. Regm. [et Clun.] quamvis in iis recenseatur in hujus libri capitum indiculo.

(c) Sic pro *Cavellionensis* cum Chesn. al. habent Bec. et Colb. a. et quidem rectè, ut jam suprà observavimus ad cap. 31. lib. 8 Editi *Cabillonensis.* [Dub *Cavellonensis.*] Theodorici nativitatem Fredegarius anno sequenti consignat.

(d) Deest istud caput cum tribus sequentibus in Colb. a. et Vat.

(e) [Dub. et Clun. *Carnotinæ.*]

(f) [Clun. *apparuisse.*]

(g) [Hæc verba, *in urbe Turonica,* desunt in Clun. Paulò pòst, *se magum.*]

(h) Bec. et Casin. *juniorem.* [Clun. *juniorem sibi.*]

(i) [Clun. *qui ea viderunt.* Paulò pòst, *cucullam.*]

(k) [Clun. *infercibat potum in ore.*]

(l) [In Clun. deest, *magnus.*]

(m) Colobium vestis erat absque manicis, quibus uti solebant Ægyptii Monachi apud Cassian. lib. 1. Instit. cap. 3.

(n) Qui Gerundæ passus est, de quo lib. 1. de Gloria Mart. cap. 92.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 587.

procedamus ad occursum earum. Sed hic primo diluculo consurgens, nec exspectatis nobis, advenit cum cruce sua, et in cellula nostra adfuit. Stupefactus ego, et admirans levitatem, interrogo quid hæc sibi velint. Respondit quasi superbus et inflata (a) voce : *Meliorem*, inquit, *occursum nobis exhibere debueras. Sed hæc ego in aures Chilperici* (b) *Regis ingeram : ille autem ulciscetur despectionem meam.* Et ingressus in oratorium, me postposito, ipse capitellum unum, atque alterum, ac tertium dicit : ipse orationem profert, et ipse consummat : elevataque iterùm cruce (c) abiit. Erat enim ei et sermo rusticus, et ipsius linguæ latitudo turpis atque obscœna : sed nec de eo sermo rationabilis procedebat : qui usque Parisius accessit. His enim diebus Rogationes publicæ celebrabantur, quæ ante sanctum Dominicæ Ascensionis diem agi solent. Factum est autem ut, procedente Ragnemodo Pontifice cum populo suo, et loca sancta circumeunte, ut et hic cum cruce sua adveniens, inusitatum populis (d) exhibens indumentum, adjunctisque publicanis ac rusticis mulieribus, et iste chorum suum faceret : et quasi cum sua multitudine loca sancta circumire tentat. Hæc cernens Episcopus, misit Archidiaconum suum, dicens : *Si Reliquias Sanctorum* (e) *exhibes, pone eas paullulùm in basilica, et nobiscum celebra dies sanctos ; decursa autem solemnitate, proficisceris in viam tuam.* At ille parvi pendens quæ ab Archidiacono dicebantur, cœpit Episcopum conviciis ac maledictionibus prosequi. Sacerdos verò intelligens eum esse seductorem, jussit eum recludi in cellulam. Perscrutatisque cunctis quæ habebat, invenit cum eo sacculum magnum plenum de radicibus diversarum herbarum : ibique et dentes talpæ, et ossa murium, et ungues atque adipes ursinos : videnque hæc maleficia esse, cuncta jussit in flumen projici; ablataque ei cruce, jussit eum à termino Parisiacæ urbis excludi. Sed hic iterùm facta altera (f) cruce, cœpit quæ gesserat exercere : captusque ab Archidiacono, et catenis vinctus, jussus est custodiri. His diebus Parisius adveneram, et ad basilicam beati Juliani martyris (g) metatum habebam. Nocte igitur insequenti erumpens miser iste de custodia, cum ipsis quibus erat nexus catenis ad antedictam basilicam sancti Juliani properat : atque in pavimento in loco quo ego stare eram solitus, ruit, ac sopore vinoque oppressus obdormivit. Nos verò ignari facti, media surgentes nocte ad reddendas Domino gratias, invenimus eum dormientem : de quo tantus fœtor (h) egrediebatur, ut omnium cloacarum atque secessuum fœtores fœtor ille devicerit (i). Sed nec nos præ hoc fœtore in basilicam sanctam ingredi poteramus. Accedens verò unus Clericorum, clausis naribus eum excitare nititur, nec potuit : ita enim erat miser madefactus vino. Tunc quatuor accedentes Clerici, levantes eum inter manus, in unum angulum basilicæ projecerunt : et exhibentes aquas, ablito pavimento, resperso etiam herbulis odoratis, sic ingressi sumus explere cursum (k) : numquam tamen nobis psallentibus potuit excitari, donec dato terris die altiùs solis lampas ascenderet : dehinc excusatum reddidi Sacerdoti. Convenientibus autem Episcopis apud urbem Parisiacam, dum hæc in convivio narraremus, ipsum pro castigationis gratia adesse præcipimus. Quo adstante, elevatis Amelius Beorretanæ urbis (l) Episcopus oculis, cognoscit eum suum esse famulum, sibique per fugam dilapsum ; et sic excusatum receptum reduxit in patriam. Multi enim sunt qui has seductiones exercentes populum rusticum in errorem (m) ponere non desistunt : de quibus, ut opinor, et Dominus in Evangelio ait, *Consurgere* (n) *in novissimis temporibus pseudochristos et pseudoprophetas, qui dantes signa et prodigia, etiam Electos in errorem inducant.* De his ista sufficiant : nos potiùs ad propositum redeamus.

Matth. 24. 24.

VII. Ennodius cùm Ducatum urbium Turonicæ atque Pictavæ administraret,

(a) [Clun. *aspera voce.*]
(b) Regm. *Childeberti.* Uterque Rex tunc erat.
(c) [Dub. *cruce ibat.*]
(d) [Clun. *inusitato populis indumento, adjunctis publicanis.*]
(e) [Clun. *Reliquias sanctas.*]
(f) [Dub. *facta sibi altera cruce, cæpit quæ priùs gesserat.*]
(g) De hac basilica vide suprà lib. 6. cap. 17.
(h) Aliàs *pædor.*
(i) [Dub. *devinceret.* Clun. *secessorum fœtores vinceret : fœtor ille de vino erat : sed nec.*]
(k) Observanda Majorum nostrorum religio in reddendis Deo laudibus debitis, statis horis, ut etiam Episcopi noctu ad persolvendum solitum pensum surgerent. S. Germanus Paris. Episc. in itineribus capite nudo, etsi nix aut imber urgeret, *cursum dicebat*, ex Fortunato. Plura de hac re Mabillonius habet in Disquisit. de Cursu Gallicano §. 6. [Dub. *egressi sumus.*]
(l) Variè apud varios scribitur hujus castri nomen. Bigerrones appellat Cæsar libro 3. Belli Gallici. Urbs gentis caput Turba, seu Travia olim dicebatur, hodie *Tarbes.* In veteribus Notitiis *Civitas Turba*, *castrum Bigorra*, decimum obtinet locum in Novempopulania. Amelius subscripsit Conc. Matisc. II. an. 585.
(m) [Clun. *in errorem inducere.*]
(n) Regm. *Consurgent pseudochristi etc. inducent.*

adhuc

A adhuc et Vici-Juliensis atque Benarnæ (a) urbium principatum accipit. Sed euntibus Comitibus Turonicæ atque Pictavæ urbis ad Regem Childebertum, obtinuerunt eum à se removeri (b). Ille verò ubi se remotum de his sensit, ad civitates superiùs memoratas properat : sed dum in illis commoraretur, mandatum accepit ut se ab eisdem removeret : et sic accepto otio, ad domum suam reversus, privati operis curam gerit. Vascones verò de montibus prorumpentes (c) in plana descendunt vineas, agrosque depopulantes, domos tradentes incendio, nonnullos abducentes captivos cum pecoribus, contra quos sæpiùs Austrovaldus Dux processit (d), sed parvam ultionem exegit * ab eis. Gotthi verò propter superioris anni devastationem, quam in Septimania Regis Guntchramni exercitus fecit,
B in Arelatensem Provinciam proruperunt, egeruntque prædas, et captivos abduxerunt usque ad decimum ab urbe milliarium. Unum etiam castrum, Ugernum (e) nomine, cum rebus atque habitatoribus desolantes, nullo resistente regressi sunt.

* *al.* exercuit.

VIII. Guntchramnus verò Boso cùm exosus Reginæ haberetur, cœpit per Episcopos ac proceres discurrere, et veniam misero (f) precari, quam antè despexerat. Nam cùm Rex Childebertus esset junior, Brunichildem Reginam sæpe conviciis atque improperiis lacessibat : sed et injuriis quæ ei ab adversis inferebantur, fautor exstiterat. Sed et Rex ad ulciscendam injuriam genitricis, jussit eum persequi, atque interfici : ille verò cùm se cerneret positum in discrimine, Viridunensem Ecclesiam petiit, per Agericum prorsùs Episcopum, qui erat Regis pater
C ex lavacro, veniam impetrare confidens. Tunc Pontifex ad Regem properat, deprecaturque pro eo : cui Rex cùm negare nequiret quæ petebat, ait : *Veniat coram nobis, et datis fidejussoribus in præsentia patrui* (g) *mei, quicquid illius judicium decreverit, exsequamur*. Tunc adductus ad locum ubi Rex morabatur, nudatus armis, ac per manicas tentus, ab Episcopo repræsentatur Regi. Ad cujus provolutus pedes, ait : *Peccavi tibi ac genitrici tuæ, non obediendo præceptionibus vestris, sed agendo contra voluntatem vestram atque utilitatem publicam : nunc autem rogo ut indulgeatis malis meis quæ contra vos gessi*. Rex autem jussit eum elevari à terra, et posuit in manu Episcopi, dicens : *Sit penes te, sancte Sacerdos, donec in præsentiam Guntchramni Regis adveniat*. Et jussit eum discedere.

D IX. Post hæc Rauchingus conjunctus cum prioribus regni Chlotharii filii Chilperici, confingens se quasi tractaturum de pace, ut inter terminum utriusque regni nulla intentio aut direptio gereretur, consilium habuerunt, ut scilicet interfecto Childeberto Rege, Rauchingus cum Theodoberto seniore ejus filio regnum Campaniæ teneret : Ursio verò ac Berthefredus (h), juniore filio nuper genito, qui Theodoricus cognominabatur, ad se suscepto, et excluso Guntchramno Rege, reliquum regni tenerent. Multa etiam contra Brunichildem Reginam frementes, ut eam in contumeliam redigerent, sicut priùs fecerant in viduitate sua. Rauchingus ergo summa elatus potentia, et ut ita dicam, ad ipsius regalis sceptri se jactans gloriam pervenire, iter præparat ad Childebertum Regem accedendi, ut consilium quod inierat posset explere. Sed pietas Domini hæc verba in aures (i) Gunt-
E chramni Regis priùs imposuit. Qui missis nuntiis clam ad Childebertum Regem, omnes ei molitiones has in notitiam posuit, dicens : *Accelera velociter ut videamur à nobis : sunt enim causæ quæ agi debeant*. At ille diligenter inquirens quæ ei nuntiata fuerant, veraque esse cognoscens, arcessiri Rauchingum jussit. Qui cùm adfuisset, priusquàm eum Rex suo jussisset adstare conspectui, datis litteris, et pueris destinatis cum evectione publica (k), qui res ejus per loca singula deberent capere, jussit eum in cubiculum intromitti : locutusque cum eo alia ex aliis, egredi iterùm de cubiculo jubet. Cùmque egrederetur, à duobus ostiariis pedibus

(a) Regm. *Bernanæ*. Colb. m. et Bec. *Bernarnæ*. In veteribus notitiis locum septimum occupat inter civitates Novempopulaniæ. Hodie Benearni nomine regioni relicto, vocatur *Lascura*, vulgò *Lescar*.

(b) Comites in singulis erant civitatibus, Duces verò pluribus præerant. Vide suprà notas ad lib. 8. cap. 18.

(c) Vascones in Pyrenæis Alpibus habitantes post varias incursiones, inclinato Francorum regno, Novempopulaniam tandem obtinuere, à quibus et Vasconia dicta est. Vide Alteserram lib. 1. rerum Aquitan. cap. 16.

(d) Suprà lib. 8. cap. 45. dicitur Comes.

(e) Regm. *Rigernum*. Vide suprà lib. 8. cap. 30.

(f) Sic habent scripti et editi. Legendum tamen esse videtur, *veniam miser ab ea precari*; seu, *veniam pro misero precari ab ea quam*; aut saltem, *veniam miser precari quam*. [Cod. Dub. meliùs, *veniam serò precari*.]

(g) Freh. al. *patrini*. Sed nusquam hac voce utitur Gregorius ad designandum susceptorem ex baptismo.

(h) Colb. a. *Bertfredus*. et sic infrà.

(i) [Clun. *in auribus*.]

(k) De his Bignon. ad form. XI. lib. 1. Marculfi, et Alteserra in hunc locum; sed fusiùs Cujacius ad leg. 3. de cursu publico lib. 12. Cod.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 587.

adprehensus ruit in gradibus ostii, ita ut pars corporis ejus esset intrinsecùs, pars verò extrinsecùs extenderetur. Tunc ii qui jussi ad hæc explenda parati erant, cum gladiis super eum ruunt : atque ita minutatim caput ejus conliserunt, ut simile totum cerebro putaretur : statimque mortuus est. Tunc denudatus, et per fenestram ejectus, sepulturæ mandatus est. Erat autem levis in moribus, ultra humanum genus cupiditati ac facultatibus inhians alienis, et ex ipsis divitiis valde superbus, in tantum ut jam in ipso interitûs sui tempore Chlothacharii Regis filium se fateretur. Multum tamen cum eo auri repertum est. Quo interfecto, protinùs unus puerorum ejus cursu veloci evolans, nuntiavit conjugi ejus quæ acta erant. Hæc verò per plateam Suessionicæ civitatis comta, grandibus ornamentis ac gemmarum pretiositatibus, et auri fulgore obtecta, ascenso equo, præcedentibus pueris aliisque sequentibus ferebatur : atque ad basilicam sancti Crispini Crispinianique properabat, quasi spectatura Missas : erat enim eo die passio Martyrum beatorum (a). Sed videns nuntium, per aliam plateam gressum retorquens, projectis in terram ornamentis, in basilicam sancti Medardi Antistitis confugit, ibi se tutari Confessoris præsidio putans. Pueri verò qui missi à Rege fuerant ad requirendas res ejus, tanta in thesauris illius reperiunt, quanta nec in ipso ærarii publici regesto poterant (b) inveniri : quod totum Regis conspectibus præsentarunt. Nam eo die, quo hic interfectus est, erant cum Rege multi Turonorum atque Pictavorum, de quibus tale fuit consilium, ut si malum hoc perficere potuissent, his subditis supplicio, dicerent, quia ex vobis fuit qui Regem nostrum interemit : eisque diversis suppliciis trucidatis, ultores se mortis regiæ esse jactarent. Sed Deus omnipotens consilia eorum, quia iniqua erant, dissipavit, implevitque illud quod scriptum est : *Quia foveam quam fratri parabis, incides in eam.* In locum tamen Rauchingi Magnovaldus dirigitur Dux. Jam enim Ursio atque Berthefredus, certi quòd Rauchingus quæ conlocuti fuerant, posset explere, collecto exercitu veniebant. Sed audientes quòd scilicet tali fuisset adfectus interitu, adaucta adhuc secum multitudine hominum, quæ ad eos pertinere videbatur, infra castrum Vabrense (c), quod villæ Ursionis propinquum erat, cum rebus omnibus se muniunt conscii consilii sui, tractantes ut si Rex Childebertus aliquid contra eos agere voluisset, virtute se ab ejus exercitu defensarent. Caput enim horum et causa malorum Ursio erat. Sed Brunichildis Regina mandata misit Berthefredo, dicens : *Disjunge te ab homine inimico* (d), *et habebis vitam : alioquin cum eodem interibis.* Filiam enim ejus ex lavacro Regina susceperat, et ob hoc misericordiam de eo habere voluit : qui ait : *Nisi morte divellar ab eo, numquam à me relinquetur* (e).

Eccli. 27. 29.

X. Dum hæc agerentur, iterùm misit Guntchramnus Rex ad nepotem suum Childebertum, dicens : *Moræ omnes abscedant, et veni ut te videam. Est enim certæ necessitatis causa, tam pro vitæ nostræ commodo, quàm pro utilitatibus publicis, ut videamur à nobis.* Hæc ille audiens, adsumta matre cum sorore et conjuge, ad occursum patrui destinat (f). Adfuit autem et Magnericus Episcopus Trevericæ urbis. Venit etiam Guntchramnus-Boso, quem Agericus Viridunensis Episcopus sua in fide susceperat : sed Pontifex ille, qui pro eo fidem fecerat, non adfuit, quia convenerat ut absque ullius defensione Regi præsentaretur, scilicet, ut si ipse decerneret eum mori debere, non excusaretur à Sacerdote ; sin autem ille vitam concederet, liber abiret. Sed conjunctis Regibus, pro diversis facilitatibus (g) culpabilis judicatus, jussum est ut interficeretur. Quod cùm ille comperisset, ad mansionem Magnerici Episcopi convolavit, et clausis ostiis, segregatis ab eo Clericis ac famulis, ait : *Scio te, beatissime Sacerdos, magnum cum Regibus honorem habere : et nunc ad te confugio ut evadam : ecce percussores ad ostium : unde manifestè scias, quòd si à te non eruor, interfecto te, egrediar foras, et moriar. Manifestissimè enim noveris, quia aut mors una nos occupat, aut par vita defensat. O sancte*

(a) Celebratur VIII. Kal. Novemb. Horum Martyrum *memoria insigni ornamento decorata* fuit à B. Eligio, ut tradit S. Audoënus lib. 2. Vitæ ejus cap. 7. Rauchingi uxor priùs Godino nupta fuerat, ex lib. 5. cap. 3.

(b) Ed. *potuerant*. Casin. *ipso ærario publico Regis tanta poterint inveniri.*

(c) Castrum istud pago nomen dederat Mosam inter et Mosellam sito, ad ripas Alisontiæ, Ornæ et Cari fluminum, qui pagus duos aut tres Comitatus complectebatur, Scarponensem scilicet, Virdunensem et Castereiensem. Vocatur etiam nunc *le pays de Vaivre*. Vide lib. 4. de re Diplomatica num. 128. Cave etiam ne confundas hunc locum simul cum Vabrensi castro, vulgò *Vabres en Rouergue*, ubi monasterium sede episcopali auxit Joannes XXII. distractis ex Rutenensi diœcesi aliquot parochiis.

(d) Regm. *ab homine iniquo.* [Dub. et Clun. *disjungere ab.*]

(e) Colb. a. *numquam ab eo recedam.*

(f) Apud Andelaum. Vide infrà caput vicesimum.

(g) Sic Bec. [Dub. Clun.] et Mor. s. editi *falsitatibus.* [Clun. *judicatur.*]

A *Sacerdos, scio enim te patrem communem cum Rege esse filio ejus, et novi quoniam quæcumque petieris ab eo, obtinebis; nec negare omninò poterit sanctitati tuæ quæcumque poposceris : ideòque aut impetra* (a) *veniam, aut moriamur simul.* Hæc autem evaginato aiebat gladio. Turbatus hoc Episcopus audito, ait : *Et quid faciam, si hîc à te teneor? dimitte me, ut eam et deprecer misericordiam Regis; et fortassis miserebitur tui.* Et ille : *Nequaquam, sed transmitte Abbates et creditos* (b) *tuos, ut hæc quæ loquor exponant.* Verumtamen non hæc Regi, ut erant, nuntiata sunt : sed dixerunt quòd hic ab Episcopo defensaretur. Unde factum est ut commotus Rex diceret : *Si Episcopus exinde egredi noluerit, pariter cum illo auctore perfidiæ pereat.* Hæc audiens Episcopus, direxit nuntios ad Regem. Qui cùm ista narrassent, ait Rex Guntchramnus : *Injicite ignem in domum, et si exire nequiverit*
B *Episcopus, pariter concrementur.* Hæc audientes Clerici, effracto vi ostio Sacerdotem ejiciunt foras. Tunc miserrimus cùm videret se flammis validis ab utraque parte vallari, accinctus gladio accedit ad ostium. Verùm ubi primum limen domûs egrediens gressum foris fixit, statim unus è populo ejecta lancea, frontem ejus inlisit. At ille hoc ictu turbatus, quasi amens, gladium ejicere tentans ab adstantibus ita lancearum multitudine sauciatur, ut defixis in lateribus ejus spiculis, et sustentantibus hastilibus, ad terram ruere non posset. Interfecti sunt et pauci qui cum eo erant, expositique in campo simul. Pro quibus vix obtentum fuit cum Principibus, ut terræ reconderentur. Fuit autem hic in actu levis, avaritiæ inhians, rerum alienarum ultra modum cupidus, omnibus jurans, et nulli promissa adimplens. Uxor autem ejus cum filiis exsilio data est, resque illius fisco conlatæ
C sunt. Multitudo autem auri argentique ac diversarum specierum in ejus regestis reperta est. Sed et quæ sub terra absconderat, stimulante conscientia iniquitatis suæ, non latuerunt. Ariolis ac sortibus sæpiùs utebatur, ex quibus futura cognoscere cupiens, remansit inlusus.

XI. Rex verò Guntchramnus cum nepote suo ac Reginis pacem firmavit, datis sibi invicem muneribus, ac stabilitis causis publicis, epulati sunt pariter. Laudabat enim Dominum * Guntchramnus Rex, dicens : *Refero tibi maximas gratias, omnipotens Deus, qui mihi præstitisti ut videre merear filios de filio meo Childeberto : unde non me puto usquequaque à tua Majestate relictum, qui mihi hæc præstitisti, ut videam filios filii mei.* Tunc Dynamium et Lupum Ducem redditos Rex Childebertus recepit, Cadurcum Brunichildi Reginæ refudit. Et sic cum pace et gaudio iterùm atque iterùm Deo gratias agentes, cons-
D criptis pactionibus (c), se remunerantes et osculantes, regressus est unusquisque ad civitatem suam.

* *al.* Deum.

XII. Childebertus (d) verò Rex, collecto exercitu, ad locum dirigi jubet in quo Ursio ac Berthefredus inclusi morabantur. Erat enim villa in pago Vabrensi, cui imminebat mons arduus. In hujus cacumine basilicam in honore sancti ac beatissimi Martini construxit (e). Ferebant enim ibi castrum antiquitus fuisse : sed * nunc non cura (f), sed natura tantùm munitum erat. In hac ergo basilica cum rebus atque uxoribus et familia se antedicti concluserant. Commoto ergo exercitu, sicut diximus, Childebertus Rex illuc dirigi jubet. Verumtamen commoti homines, antequàm ad eos accederent, ubicumque aut villas, aut res eorum re-
E perire potuerunt, omnia incendio ac prædæ tradiderunt. Accedentes autem ad hunc locum, ad montem se proripiunt, et basilicam cum armis vallant. Habebant autem quasi (g) Ducem tunc Godegisilum, Lupi Ducis generum. Cùmque eos extrahere de basilica non valerent, ignem adplicare nituntur. Quod cernens Ursio, accinctus gladio, foras egressus est : tantaque cæde hos qui obsidebant mactavit, ut (h) quotcumque in ejus contemplationem advenissent, nullus vivens remanere possit. Ibi et Trudulfus (i) palatii regalis Comes cecidit, et multi de hoc exercitu prostrati sunt. Cùmque jam nullus de cæde Ursionis erueretur (k), subitò percussus à quodam in femore, debilitatusque ad terram ruit, et sic super eum

* *f.* tunc.

(a) [Dub. et Clun. *impertire veniam.*]
(b) Id est fidos Clericos, seu alios familiares quibus fideret.
(c) Referuntur infrà cap. 20.
(d) Hoc caput et duo seqq. desunt in Vat. et Colb. a.
(e) Regm. *basilica..... constructa habetur.* Hanc basilicam putat eam esse Valesius, quam Vulfilaicus suprà lib. 8. cap. 15. memoratus construxisse dicitur prope Eposium, quod oppidum erat in Comitatu Vabrensi.
(f) Idem cod. Regm. *sed non structura, sed natura.*
(g) Chesn. non habet *quasi.* Godegisilum Ducem laudat Fortunatus l. 1. carm. 6. sed is Gallimagni filiam duxerat. Duas fortè, si idem sit, uxores habuit.
(h) [Dub. et Clun. *ut quanti.*]
(i) Regm. *Tridulphus.* Bec. *Tridulfus.*
(k) Sic Bad. alii *cerneretur :* [ita Clun.] Regm. autem, *cùmque Ursio à nullo cæsus cerneretur.*

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 587.

ruentibus aliis, vitam finivit. Quod cernens Godegisilus, clamare cœpit ac dicere : *Fiat nunc pax, ecce maximus inimicus dominorum nostrorum ruit : hic verò Berthefredus vitam habeat.* Hæc eo dicente, cùm omnis populus ad direptionem rerum, quæ in basilica adunatæ fuerant, inhiaret, Berthefredus ascenso equite ad Viridunensem urbem dirigit : ibique in oratorio quod in domo ecclesiastica erat, se tutari putans, præsertim cùm et ipse Pontifex Agericus in hac domo resideret. Sed cùm Childeberto Regi nuntiatum fuisset, effugisse scilicet Berthefredum, perculsus cordis dolore, ait : *Si hic mortem evaserit, non evadet Godegisilus* (a) *manus meas.* Nesciebat tamen Rex eum in domum Ecclesiæ ingressum fuisse, sed quasi in regionem aliam confugisse. Tunc timens Godegisilus, commoto iterùm exercitu, domum Ecclesiæ armatis vallat. Sed cùm eum Pontifex reddere nequiret, sed defensare conaretur ; ascendentes supra tectum, eum ab ipsis tegulis ac maceriis *, quibus oratorium opertum erat, inlidentes, interfecerunt : ibique cum tribus famulis mortuus est. Multùm ex hoc Episcopus dolens, quòd eum non solùm defensare non potuit, verùm etiam locum, in quo orare consueverat, et in quo Sanctorum pignera adgregata fuerant, sanguine humano pollui vidit. Misit autem Childebertus Rex cum muneribus, ut à mœrore revocaretur : sed noluit consolari. Multi autem his diebus pertimescentes Regem, in alias regiones abscesserunt. Nonnulli etiam à primatu Ducatûs remoti sunt, in quorum ordinem alii successerunt.

A

B

* *al.* materiis.

XIII. Guntchramnus verò Baddonem, quem pro crimine Majestatis superiùs vinctum diximus *, in præsentiam suam venire jussit, et transmittens usque Parisius, ait : *Si eum cum idoneis hominibus Fredegundis ab hac actione qua impetitur, immunem fecerit, abscedat liber, et quò voluerit eat.* Sed veniens Parisius, nullus de parte memoratæ mulieris adfuit, qui eum idoneum reddere posset. Tunc vinctus et catenis oneratus, sub ardua custodia ad urbem Cabillonensem reductus est. Sed posteà intercurrentibus nuntiis, et præsertim Leudovaldo Bajocassino Pontifice, dimissus ad propria rediit. Graviter tunc morbus dysentericus apud Mettensem sæviebat urbem. His diebus nos dum ad occursum Regis properaremus, Wiliulfum civem Pictavum, plenum febre, hoc morbo laborantem in via offendimus, id est ad Remensem urbem : de qua profectus valde exinanitus, cùm ad urbem Parisiacam cum filio uxoris suæ venisset, apud villam Rigoialensem (b) facto testamento defunctus est : puer verò, qui et ipse ab hoc languore tenebatur, obiit : et sic pariter in urbis Pictavæ delati terminum, tumulati sunt. Uxor quoque ipsius Wiliulfi tertiò (c) copulatur viro, filio scilicet Beppoleni Ducis : qui et ipse duas jam, ut celebre fertur, uxores vivas reliquerat. Erat enim levis atque luxuriosus, et dum nimio ardore fornicationis artaretur, ac relicta conjuge cum famulabus accubaret, exhorrens legitimum connubium, aliud expetebat : sic et secundæ fecit, et huic, cui tertiò copulatus est, ignorans, quòd *Corruptio incorruptionem non possidebit.*

C

D

* *Lib.* 8. *c.* 44.

1. *Cor.* 15. 50.

XIV. Post hæc cùm Egidius Remensis urbis Episcopus de illo crimine Majestatis, quo superiùs * memorati peremti sunt, suspectus haberetur, cùm magnis muneribus ad Childebertum accedens, veniam deprecatur : priùs tamen sacramenta suscipiens in basilica sancti Remigii (d), ne aliquid mali in itinere pateretur : susceptusque à Rege cum pace discessit. Pacem etiam cum Lupo Duce obtinuit, quem instinctu ejus de Campaniæ Ducatu suprà memoravimus * fuisse depulsum. Unde Rex Guntchramnus valde in amaritudinem excitatus est, eò quòd ei promiserit Lupus, numquam se cum eodem pacem facturum, quia fuisset Regis cognitus inimicus.

* *Cap.* 12.

* *Lib.* 6. *c.* 4.

XV. Igitur eo tempore in Hispania Richaredus Rex, compunctus miseratione

(a) In Colb. m. Regm. [et Clun.] deest *Godegisilus.*

(b) Aliàs Rotoïalum, aut Ruolium, vulgò *Rüel*, villa regia, quam Carolus Calvus monasterio sancti Dionysii contulit. Ibi hodieque villa Richeliana visitur, præclarissimis fontibus insignis, distinguenda à villa cognomine in Normannia, *Ruel*, de qua suprà lib. 7. cap. 19.

(c) [Deest, *tertiò*, in cod. Clun.]

(d) Regm. et Colb. m. *sancti Remedii.* [Ita Dub. et Clun.] Hæc basilica, quæ anteà S. Christophori dicebatur, ex Frodoardo, tumulo et crebris miraculis beatissimi Remigii Francorum Apostoli illustrata et celebris facta est. Ibi sacrum Chrisma asservatur ad Regum nostrorum consecrationem : et quidem ex iis nonnulli, sicut et aliquot Reginæ, ibidem inaugurati sollemniter fuerunt. In ea verò basilica non solùm plerique Remorum Archiepiscopi, aut alii viri nobiles et Principes, sed etiam Carolomannus Caroli M. frater, nonnullique alii Francorum Reges et Reginæ sepulti sunt. Ob cujus celebritatem et prærogativas, ab annis circ. 600. archimonasterii titulo gaudet ; hodieque perseverat sub Ordine sancti Benedicti et Congreg. sancti Mauri. Plura si cupis, adi Frodoardum, aut Marlot. tomo 1. Metropolis Remensis lib. 3. cap. 2. et seqq.

A divina, convocatis Episcopis religionis suæ, ait : *Cur inter vos et Sacerdotes illos, qui se Catholicos dicunt, jugiter scandalum propagatur : et cùm illi per fidem suam signa multa ostendant, vos nihil tale agere potestis* (a)*? Qua de re convenite, quæso, simul,* * *et discussis utriusque partis credulitatibus, quæ vera sunt cognoscamus : et tunc aut accepta illi à vobis ratione ea credant quæ dicitis, aut certè vos ab illis veritatem agnoscentes, quæ prædicaverint vos credatis.* Quod cùm factum fuisset, congregatis utriusque partis Episcopis, proposuerunt hæretici illa quæ sæpiùs ab ipsis dicta jam scripsimus. Similiter responderunt Episcopi nostræ religionis ea, de quibus hæreticorum partem plerumque victam libris superioribus demonstravimus : et præsertim cùm Rex diceret, quòd nullum signum sanitatis super infirmos ab hæreticorum ostenderetur Episcopis, ac in memoria replicaret, qualiter tempore geni-
B toris sui Episcopus qui se jactabat per fidem non rectam cæcis restituere lumen, tacto cæco et cæcitati perpetuæ damnato discessisset confusus, quod nos in libro Miraculorum pleniùs declaravimus (b) : vocavit ad se seorsùm Sacerdotes Dei. Quibus perscrutatis, cognovit unum Deum sub distinctione coli personarum trium, id est Patris et Filii et Spiritûs-sancti : nec minorem Filium Patre Spirituque sancto, neque Spiritum-sanctum minorem Patre vel Filio, sed in una æqualitate atque omnipotentia hanc Trinitatem verum Deum fateri. Tunc intelligens veritatem Richaredus, postposita altercatione, se Catholicæ legi subdidit, et accepto signaculo beatæ Crucis cum Chrismatis unctione, credidit Dominum Jesum-Christum Filium Dei æqualem Patri cum Spiritu-sancto, regnantem in sæcula sæculorum. Amen. Deinde nuntios mittit ad Provinciam Narbonensem, quibus narrantibus ea quæ ille gesserat, simili
C credulitate populus ille connecteretur (c). Erat enim tunc temporis Arianæ sectæ Episcopus Athalocus, qui ita per propositiones vanas ac interpretationes falsas Scripturarum Ecclesias Dei conturbabat, ut putaretur quòd ipse esset Arius, quem projecisse in secessum exta historiographus narravit Eusebius (d). Sed cùm hæc populo sectæ suæ credere non sineret (e), et ad consentiendum ei paucorum faveret adulatio, commotus felle, ingressus in cellulam suam, inclinato super lectulum capite, nequam spiritum exhalavit. Sicque hæreticorum populus, in ipsa consistens Provincia, inseparabilem Trinitatem confessus, ab errore discessit.

XVI. Post hæc Richaredus legationem ad Guntchramnum atque ad Childebertum direxit pacis gratiâ, ut scilicet, sicut in fide se adserebat unum, ita et caritate se præstaret unitum. Sed à Guntchramno Rege repulsi sunt, dicente :
D *Qualem mihi fidem promittere possunt, aut quemadmodum à me credi debent, qui neptem meam Ingundem in captivitatem tradiderunt, et per eorum insidias, et vir ejus interfectus est, et ipsa in peregrinatione defuncta? Non recipio ergo legationem Richaredi, donec me Deus ulcisci jubeat de his inimicis.* Hæc legati audientes, ad Childebertum proficiscuntur, à quo et in pace excepti sunt, dicentes : *Vult se dominus noster, frater tuus, Richaredus de hoc crimine exuere quod ei imponitur, quasi in mortem sororis vestræ fuisset conscius; de quo sacramento, si vultis, aut qualibet alia conditione idoneus reddi potest. Deinde datis gratiæ vestræ decem millibus solidorum, caritatem vestram habere desiderat; et ut ille vestro utatur solatio, et vos ejus, ubi necesse fuerit, beneficiis potiamini.* Hæc illis dicentibus, promiserunt Childebertus Rex et mater ejus pacem et caritatem cum ipso se integrè custodituros. Acceptisque ac datis muneribus, addiderunt legati : *Jussit etiam dominus noster ponere verbum in auribus vestris de filia sive sorore vestra Chlodosinda* (f), *ut ei tradatur in*

(a) Hæc fuit omni tempore Catholicos inter et hæreticos distinctio, ut primi miraculis fidem suam approbarent, quod alii præstare non poterant, ut ex Irenæo, Tertulliano, Eusebio, Cypriano, aliisque observavimus in notis ad Acta Martyrum pag. 131. quo argumento utebatur Nicetius Trevirensis in epistola ad Chlodoswindam contra Arianos.

(b) Videlicet in libro de Gloria Confess. cap. 13. Vide et suprà lib. 2. cap. 3. De hoc colloquio Johan. Biclar. ad an. 588.

(c) Colb. a. *Qui narrantes ea..... connectitur.* [Clun. *qui narrantes ea quæ ipse.*]

(d) Rufinus Eusebii libris Historiæ Ecclesiast. duos adjecit, sed cùm Gregorius aliique similes auctores Eusebii Historiam aliunde non noverant quàm ex Rufini versione, totum ejus opus sub Eusebii nomine laudabant. Arii autem interitus describitur lib. 10. cap. 14.

(e) [Dub. et Clun. *cùm hæc populus.*] Regm. *sed cùm hic populus sectam illius sequi nollet, etc.* Tradit Paulus Diac. Emeritensis in Vitis PP. Emerit. cap. 19. Athalocum Episc. Arianum cum duobus Comitibus apud Narbonam seditionem adversùs Reccaredum commovisse, eorumque conatus fuisse irritos, quamquam in sui subsidium Francos advocassent. Johan. Biclar. anno 1. Reccaredi meminit victoriæ adversùs Francos ab ipsius Ducibus relatæ, in qua Desiderium Ducem cum multis Francis interiisse memorat. Alia est, ni fallor, conjuratio Sunæ Episc. Ariani et aliorum adversùs Reccaredum, quam idem Biclar. ad an. sequentem refert. Item anno Reccaredi tertio deprehensi sunt Uldila Episcopus cum Gosuinta, qui eidem Regi insidias tendebant, ut diximus ad cap. 1. hujus libri.

(f) Infrà cap. 20. dicitur *Chlodosuinda*. Vide notas in cap. 25.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 587.

matrimonium, quò faciliùs pax quæ inter vos promittitur, confirmetur. Qui dixerunt : *Promissio nostra ex hoc habilis dabitur, sed sine patrui nostri Guntchramni Regis consilio hæc facere non audemus : promissum enim habemus de majoribus causis nihil sine ejus consilio agere.* Accepto itaque responso redierunt. A

XVII. Eo (a) anno verno tempore pluviæ validæ fuerunt, et cùm jam vel arbores vel vineæ fronduissent, nix decidua cuncta operuit. Subsequenti quoque gelu, tam palmites vinearum, quàm reliqui ostensi fructus incensi sunt. Tantusque rigor fuisse visus est, ut etiam hirundines et alites, quæ de externis regionibus venerant, vi algoris exstinguerentur. Illud etiam admirabile fuit, quòd ubi numquam gelu nocuit, tunc omnia abstulit : et eò ubi consueverat lædere non accessit.

XVIII. Britanni (b) quoque inruentes in terminum Namneticum, prædas egerunt, pervadentes villas, et captivos abducentes. Quod cùm Guntchramno Regi perlatum fuisset, jussit commoveri exercitum, dirigens illuc nuntium qui eis loqueretur, ut componerent cuncta quæ malè gesserant, aut certè noverint se gladio casuros ab exercitu ejus. At illi timentes, promittunt se omnia quæ malè gesserant emendare. His auditis, Rex dirigit illuc legationem, id est Namatium Aurelianensem (c), et Bertchramnum Cenomannensem Episcopum, cum Comitibus et aliis viris magnificis. Adfuerunt etiam et de regno Chlotarii Chilperici Regis filii, viri magnifici : qui euntes in terminum Namneticum locuti sunt cum Warocho et Vidimaclo (d) omnia quæ Rex præceperat. At illi dixerunt : *Scimus et nos civitates istas Chlothacharii Regis filiis redhiberi* (e), *et nos ipsis debere esse subjectos : tamen quæ contra rationem gessimus, cuncta componere non moramur.* Et datis fidejussoribus, atque subscriptis cautionibus, promiserunt se singula millia solidorum Guntchramno Regi et Chlotario in compositionem daturos : promittentes numquam terminum civitatum illarum ultrà se adgressuros. His ita compositis, regressi sunt reliqui, et narraverunt Regi quæ gesserant. Namatius verò Episcopus, dum receptis villis infra terminum Namneticæ urbis, quas olim parentes ejus perdiderant, ibidem moraretur, pusulæ malæ ei tres oriuntur in capite. Ex hoc valde confectus tædio (f), dum ad civitatem suam reverti cuperet, infra Andegavensis territorii terminum, spiritum exhalavit. Corpusculum ejus ad urbem suam delatum, in basilica (g) sancti Aniani Confessoris sepultum est : in cujus cathedram Austrinus, Pastoris (h) quondam filius, subrogatur. Warochus verò oblitus sacramenti et cautionis suæ, omnia postposuit quæ promisit : vineas Namneticorum abstulit, et vindemiam colligens, vinum in Veneticum transtulit. Et ex hoc iterùm Rex Guntchramnus valde furens, exercitum commoveri jussit, sed quievit. B C D

* *Lib.* 7. *c.* 47.

XIX. Bellum verò illud quod inter cives Turonicos superiùs diximus * terminatum, in (i) redivivam rursum insaniam surgit. Nam Sicharius, cùm post interfectionem parentum Chramnisindi (k) magnam cum eo amicitiam patravisset, et in tantum se caritate mutua diligerent, ut plerumque simul cibum caperent, ac in uno pariter strato recumberent : quadam die cœnam sub nocturno tempore præparat Chramnisindus, invitans Sicharium ad epulum suum. Quo veniente, residente pariter ad convivium. Cùmque Sicharius crapulatus à vino, multa jactaret in Chramnisindum, ad extremum dixisse fertur : *Magnas mihi debes referre grates, ô dulcissime frater, eò quòd interfecerim parentes tuos, de quibus accepta compositione, aurum argentumque superabundant in domo tua : et nudus nunc esses et egens, nisi hæc te causa paullulùm roborasset.* Hæc ille audiens, amaro suscepit animo dicta Sicharii dixitque in corde suo : *Nisi ulciscar interitum parentum meorum, amittere nomen viri debeo, et mulier infirma vocari.* Et statim exstinctis luminaribus, caput Sicharii sica dividit. Qui parvulam in ipso vitæ termino vocem emittens, cecidit, et mortuus est. Pueri verò qui cum eo venerant, dilabuntur. Chramnisindus exanimum corpus nudatum vestimentis, adpendit in sæpis stipite, ascensisque equitibus ejus ad Regem pergit, ingressusque Ecclesiam ad pedes prosternitur Regis, dicens : *Vitam peto, ô gloriose Rex, eò quòd occiderim homines, qui paren-* E

(a) Caput istud cum seq. deest in Colb.
(b) Hoc cap. ut et duo seqq. desunt in Vat.
(c) Interfuit Conc. Matisc. I. an. 581. et II. an. 585.
(d) Regm. *Indimacle.* Colb. m. [et Clun.] *Vidimacle.* Cod. Bec. *Vidinacle.*
(e) [Clun. *redeberi.*]
(f) [Clun. *confectus dolore.*]
(g) Exstat hodieque Canonicorum collegio nobilitata, de cujus antiquitate et prærogativis V. Cl. Hubertus ejusdem Eccles. Cantor tractatum singularem edidit.
(h) Pastor etiam Aunacharii Episc. Autisiodorensis, et Austregildis matris sancti Lupi Episc. Senonum, pater fuit, ut ex ejusdem Lupi Vita discimus.
(i) [Dub. *in recidivam.*]
(k) Alii *Chramisindi.* [Ita Clun.] et sic infrà. [Dub. *Chramsindi.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 587. * *i.* fide data.

A *tibus meis clam interfectis, res omnes diripuerunt.* Cùmque expositis per ordinem causis, et Regina Brunichildis graviter accepisset, eò quòd in ejus verbo * Sicharius positus, taliter fuerit interfectus, frendere in eum cœpit. At ille cùm vidisset eam adversam sibi, Vosagensem territorii Biturici pagum (a) expetiit, in quo ejus parentes degebant, eò quòd in regno Guntchramni Regis invisus haberetur. Tranquilla quoque conjunx Sicharii, relictis filiis et rebus viri sui in Turonico sive in Pictavo, ad parentes suos Mauriopes (b) vicum expetiit : ibique et matrimonio copulata est. Obiit autem Sicharius quasi annorum quadraginta (c). Fuit autem in vita sua levis, ebriosus, homicida, qui nonnullis per ebrietatem injuriam intulit. Chramnisindus verò iterùm ad Regem abiit, judicatumque est ei ut convinceret super se eum interfecisse : quod ita fecit. Sed quoniam, ut diximus,
B Regina Brunichildis in verbo suo posuerat Sicharium, ideò res hujus confiscari præcepit : sed in posterum à Flaviano domestico redditæ sunt. Sed et ad Aginnum properans, epistolam ejus elicuit, ut à nullo contingeretur. Ipsi enim res ejus à Regina concessæ fuerant (d).

An. Ch. 588.

XX. Eo anno quoque decimo-tertio Regis Childeberti, cùm ad occursum ejus usque Mettensem urbem properassemus, jussi sumus ad Guntchramnum Regem in legationem accedere. Quem apud urbem Cabillonensem reperimus, dicentes : *Salutem uberrimam mittit tibi gloriosissimus nepos tuus Childebertus, ô inclite Rex, immensas referens gratias pietati tuæ, quòd à te jugiter commonetur, ut ea agat quæ et Deo placeant, et tibi sint accepta, et populo congrua. De his verò quæ locuti simul fuistis, omnia implere promittit, nec quicquam se de pactionibus quæ inter vos con-*
C *scriptæ sunt, inrumpere pollicetur.* Et Rex ad hæc ait : *Non similiter ego gratias ago quòd taliter inrumpitur quod mihi promissum est. Pars mea de urbe Silvanectensi non redditur* (e)*; homines quos pro utilitate mea, quia mihi infensi erant, migrare volui, non permiserunt. Et quomodo dicitis quòd nihil de pactionibus scriptis transscendere vult dulcissimus nepos meus ?* Et nos ad hæc : *Nihil vult contra pactiones agere illas, sed omnia implere promittit, ita ut de præsenti, si ad divisionem Silvanectensem vis mittere, nec tardetur : statim enim recipies tuum. De hominibus verò quos dicis, nomina scripta tradentur, et omnia quæ promissa sunt implebuntur.* Hæc nobis loquentibus, pactionem ipsam relegi Rex coram adstantibus jubet.

EXEMPLAR PACTIONIS.

D « Cum in Christi nomine præcellentissimi domni Guntchramnus et Childebertus Reges et gloriosissima domna Brunichildis Regina, Andelaum (f) caritatis » studio convenissent, ut omnia quæ undecumque inter ipsos scandalum poterant generare, pleniori consilio definirent : id inter eos, mediantibus Sacerdotibus atque » Proceribus, Deo medio caritatis studio sedit, complacuit, atque convenit. Ut » quamdiu eos Deus omnipotens in præsenti sæculo superesse voluerit, fidem et » caritatem puram et simplicem sibi debeant conservare. Similiter quia domnus » Guntchramnus juxta pactionem, quam cum bonæ memoriæ domno Sigiberto » inierat, integram portionem, quæ est de regno Chariberti, illis fuerat consecutus, sibi diceret in integrum redhiberi ; et pars domni Childeberti (g), ea quæ » pater suus possederat, ad se vellet ex omnibus revocare : id inter ipsos constat » fixa deliberatione finitum, ut in illam tertiam portionem de Parisiensi (h) civitate cum terminis et populo suo, quæ ad domnum Sigibertum de regno Cha» riberti conscripta pactione pervenerat, cum castellis Duno, et Vindocino, et

(a) Regm. *Vosagensis territorii pagum.* Colb. m. *territorii Bituri pagum.* Vosagum hunc esse locum qui gallicè *Besage* dicitur putat Marollius apud Valesium. Exstat in finibus Biturigum. Si sincera sit codicis Regiomontensis lectio, Vosagi nomine poterit hîc intelligi silva Vosagi notissima inter Alsatiam et Lotharingiam, vulgò *la Vosge*, cujus saltem maxima pars ad Childeberti regnum pertinebat. Sed ex consequentibus colligi posse videtur hîc de Bituricensi aliquo pago agi.

(b) Est pagus Mauripensis, vulgò *le Hurepois*, qui inter Sequanam, Icaunam et Lupam, *le Loin*, jacet; haud procul à Parisiis incipiens, sed ad quem, uti videtur, vicus hîc memoratus non potest revocari.

(c) Colb. m. et Regm. *viginti.* [Ita Dub. et Clun.]

(d) Colb. m. et Bad. *concessæ sunt.*

(e) Aut certè pars Rossontensis in compensationem, ut infrà in Pactione habetur.

(f) Castrum Lingonensis diœcesis, vulgò *Andelot* dictum, inter ipsam urbem Lingonas et Nasium Leucorum castrum. Distinguendum ab alio ejusdem nominis castro et monasterio Vosagi saltûs versus Alsatiam, vulgò *Andelaw*; item et ab Andelao, seu Andeleis et Andilegio, vulgò *Andely*, diœcesis Rotomagensis oppido, parthenone antiquo Ord. sancti Benedicti, et collegiata insignito.

(g) Id est, qui pro Childeberto loquebantur. Qui loquendi modus hodieque in foro usurpatur.

(h) [Dub. et Clun. *de Parisius civitate.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 588.

» quicquid de pago Stampensi (a), vel Carnoteno in pervio illo antefatus Rex A
» cum terminis et populo suo perceperat, in jure et dominatione domni Gunt-
» chramni, cum (b) eo quod superstite domno Sigiberto de regno Chariberti an-
» teà tenuit, debeant perpetualiter permanere. Pari conditione civitates Mel-
» dis (c), et duas portiones de Silvanectis, Turonis, Pictavis, Abrincatas, Vi-
» co-Julii, Consoranis, Lapurdo et Albige, domnus Childebertus Rex cum ter-
» minis à præsenti die suæ vindicet potestati. Ea igitur conditione servata, ut quem
» Deus de ipsis Regibus superstitem esse præceperit (d), regnum illius, qui absque
» filiis de præsentis sæculis luce migraverit, ad se in integritatem jure perpe-
» tuo debeat revocare et posteris suis, Domino auxiliante, relinquere. Illud spe-
» cialiter placuit per omnia inviolabiliter conservari, ut quicquid domnus Gunt- B
» chramnus Rex filiæ suæ Chlothieldi (e) contulit, aut adhuc Deo propitiante
» contulerit, in omnibus rebus atque corporibus, tam in civitatibus, quàm agris
» vel reditibus; in jure et dominatione ipsius debeant permanere : et si quid de
» agris fiscalibus, vel speciebus atque præsidio (f) pro arbitrii sui voluntate face-
* *al.* cui- » re, aut quicquam * conferre voluerit, in perpetuo, auxiliante Domino, conser-
quam. » vetur, neque à quocumque ullo unquam tempore convellatur, et sub tuitione
» ac defensione, domni Childeberti, cum his omnibus quæ ipsam transitus genito-
» ris sui invenerit possidentem, sub omni honore et dignitate secura debeat possi-
» dere. Pari conditione repromittit domnus Guntchramnus Rex, ut si, ut habet
» humana fragilitas, quod divina pietas non permittat, nec ille videre desiderat,
» contigerit domnum Childebertum, eo superstite de hac luce migrare, filios suos C
» Theodobertum (g) et Theodoricum Reges, vel si adhuc alios ipsi Deus dare
» voluerit, ut pius pater sub sua tuitione et defensione recipiat, ita ut regnum
» patris eorum sub omni soliditate possideant : et genitricem domni Childeberti,
» domnam Brunichildem Reginam, vel filiam ejus Chlodosuindam (h), germa-
» nam domni Childeberti Regis, quamdiu infra regionem Francorum fuerit, vel
» ejus Reginam Faileubam (i), tamquam sororem bonam, et filias in sua tuitione
» et defensione, spiritali dilectione, recipiat, et sub omni honore et dignitate
» cum omnibus rebus earum, cum civitatibus, agris, reditibus vel cunctis titulis,
» et omni corpore facultatis, tam quod præsenti videntur tempore possidere,
» quàm quod adhuc, Christo præsule, justè potuerint augmentare, sub omni D
» securitate et quiete possideant : ut si quid de agris fiscalibus, vel speciebus, atque
» præsidio, pro arbitrii sui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerint, fixa
» stabilitate in perpetuo conservetur, nec à quibuscumque voluntas illarum ullo
» tempore convellatur. De civitatibus verò, hoc est Burdegala, Lemovica, Ca-
» durco, Benarno et Begorra, quas Gailesuindam (k) germanam domnæ Bruni-
» childis, tam in dote, quàm in morganegiba (l), hoc est, matutinali dono, in
» Franciam venientem certum est adquisisse. Quas etiam per judicium gloriosissimi
» domni Guntchramni Regis, vel Francorum, superstitibus Chilperico et Sigiberto

(a) Nota sunt hæc loca; Dunum, de quo suprà ad cap. 17. lib. 7. vulgò *Chasteau-Dun*, ad Lidericum fluvium, sicut et Vindocinum, *Vendosme*, ubi celebris Abbatia Ord. sancti Benedicti. pagus Stampensis sic dictus est à Stampis, *Etampes*, Senonum oppido ad Junnam amnem, quod ferè medium est inter Parisios, Aurelianos, Senonas et Carnutas. Vide lib. 4. de re Diplomatica.

(b) [Clun. *vel id quod.*]

(c) Ed. quidam *Meldonenses*. Chesn. al. *Meldus, Turonus, Pictavus*. [Dub. *Meldus..... Abrincatis, Vico-Julio, Consorannis, Laburdo.*] Urbes hîc enumeratæ notæ sunt, quæ hodieque cathedrâ episcopali pollent : Meldæ, *Meaux*, in Briegio seu Bria hodierna, Silvanectum, *Senlis;* Abrincatæ, *Avranches* in Normannia; Vicus-Julii, hodie Adura, *Aire* in Vasconia; Consorannorum pagus urbem habet ad Salatam fluvium, *la Sale*, à sancto Licerio, *Saint Lizier*, dictam. Is est Glicerius Episc. Consoranensis, qui Concilio Agathensi subscripsit. Lapurdum seu civitas Boatium, hodie Baïona, vulgò *Baïonne*, appellatur, ut probat Valesius in Notitia Galliarum; Albige, *Alby*, quæ, detractis à Bituricensi provincia sex civitatibus, in Metropolim ab Innocentio XI. erecta est. Pontificium Diploma ea de re datum est an. 1678. die 5. Nonas Octobris.

(d) Casin. *permiserit*. Bec. *voluerit*.

(e) [Dub. *Clodechildæ*, Clun. *Clotichildæ.*] Simul cum sorore sua Chlodeberge, quæ jam defuncta erat, memoratur in Concilio Valentino II. anno 584. ubi *puellæ Deo sacratæ* appellantur.

(f) Præsidium, ut jam diximus, appellabant hujus ævi auctores pecuniam pro necessariis ex industria reservatam. Vide Conc. Paris. V. can. 8. Præsidium interpretatur Hugo Menardus in Notis ad Sacrament. sancti Gregorii bona mobilia.

(g) [Clun. *Theodebertum et Theodericum.*]

(h) [Dub. *Chlodosindam..... intra regionem.*]

(i) Colb. *Fagileibam*.

(k) Uxor Chilperici, quæ strangulata fuit suprà lib. 4. cap. 28. ubi dicitur *Galsuintha*. [Clun. *Galesiunda.*]

(l) Cùm ignota esset hæc vox exscriptoribus, eam varii variè scripsere. Regm. et Colb. m. *Morganeliba*, Colb. a. *Morgungeba*, Freh. al. et Chesn. al. *Morgangeba*. [Clun. *Morganeciba, hoc est matutinale donum.*] Donum erat quod die nuptiarum sponsus mane sponsæ conferebat. Ejus etymon et varias significationes ex compluribus auctoribus fusiùs exponit Cangius in Glossario. * Vide Hikesium in Præfatione Thesauri antiquarum litterarum Septentrionalium pag. 9. et 10.

» Regibus,

A » Regibus, domna Brunichildis noscitur adquisisse : ita convenit, scilicet ut Ca-
» durcum (a) civitatem cum terminis et cuncto populo suo, domna Brunichildis
» de præsenti in sua proprietate percipiat. Reliquas verò civitates, ex hac condi-
» tione superiùs nominatas, domnus Guntchramnus dum advivit possideat, ita ut
» quandoque post ejus transitum in dominationem domnæ Brunichildis heredum-
» que suorum cum omni soliditate, Deo propitio, revertantur ; nec superstite
» domno Guntchramno, neque à domna Brunichilde, neque à filio suo Childe-
» berto Rege, filiisque suis, quolibet ingenio, vel tempore repetantur. Simili
» modo convenit, ut Silvanectis domnus Childebertus in integritate teneat ; et
» quantum tertia domni Guntchramni exinde debita competit, de tertia domni
» Childeberti, quæ est in Rossontensi (b), domni Guntchramni partibus com-
» pensetur. Similiter convenit, ut secundùm pactiones inter domnum Guntchram-
» num et bonæ memoriæ domnum Sigibertum initas, leudes illi, qui domno
» Guntchramno post transitum domni Chlothacharii sacramenta primitus præbue-
B » runt : et si posteà convincuntur in parte (c) alia tradidisse, de locis ubi com-
» manere videntur, convenit ut debeant removeri. Similiter et qui post transitum
» domni Chlothacharii convincuntur domno Sigiberto sacramenta primitus præ-
» buisse, et se in aliam partem transtulerunt, modo simili removeantur. Similiter
» quicquid antefati Reges Ecclesiis aut fidelibus suis contulerunt (d), aut adhuc
» conferre cum justitia, Deo propitiante, voluerint, stabiliter conservetur : et
» quicquid unicuique fidelium in utriusque regno per legem et justitiam redhibe-
» tur, nullum ei præjudicium (e) pariatur, sed liceat res debitas possidere atque
» recipere. Et si aliquid cuicumque per interregna sine culpa sublatum (f) est,
» audientia habita restauretur. Et de eo quod per munificentias præcedentium Re-
» gum unusquisque usque ad transitum gloriosæ memoriæ domni Chlothacharii
» Regis possedit, cum securitate possideat : et quod exinde fidelibus personis
» ablatum est, de præsenti recipiat. Et quia inter præfatos Reges pura et simplex
C » est in Dei nomine concordia inligata, convenit ut in utroque regno utriusque
» fidelibus, tam pro causis publicis quàm privatis, quicumque voluerit ambulare,
» pervium nullis temporibus denegetur. Similiter convenit, ut nullus alterius leu-
» des nec sollicitet, nec venientes excipiat. Quòd si forsitan pro aliqua amissione
» partem alteram crediderit expetendam, juxta qualitatem culpæ excusati reddan-
» tur. Hoc etiam huic addi placuit pactioni, ut si qua pars præsentia statuta sub qua-
» cumque calliditate, tempore quocumque transcenderit ; omnia beneficia, tam
» repromissa quàm in præsenti conlata, amittat ; et illi proficiat qui inviolabiliter
» omnia supradicta servaverit : et sit de sacramentorum obligatione in omnibus ab-
» soluta. His itaque omnibus definitis, jurant partes per Dei omnipotentis nomen
» et inseparabilem Trinitatem, vel divina omnia, ac tremendum diem Judicii, se
» omnia, quæ superiùs scripta sunt, absque ullo dolo malo, vel fraudis ingenio invio-
» labiliter servaturos. Facta pactio sub die quarto (g) Calendis Decembris, anno
D » vicesimo-sexto * regni domni Guntchramni Regis (h), domni Childeberti verò * *i.* An. 587.
» duodecimo anno. »

Lectis igitur pactionibus ait Rex : « Judicio Dei feriar, si de his quicquam An. 588.
» transcendero quæ hîc continentur. Et conversus ad Felicem, qui tunc nobis-
» cum legatus advenerat, ait : Dic, ô Felix, jam enim plenissimè connexuisti ami-
» citias inter sororem meam Brunichildem, et inimicam Dei et hominum Frede-
» gundem. Quo negante, ego dixi : Non dubitet Rex, quia illæ amicitiæ inter
» easdem custodiuntur, quæ ante hos annos plurimos sunt ligatæ. Nam certè scias
» quia odium, quod inter illas olim statutum est, adhuc pullulat, non arescit.
» Utinam tu, ô Rex gloriosissime, minùs cum ea caritatem haberes. Nam, ut sæpe
» cognovimus, digniùs ejus legationem quàm nostram excipis. Et ille : Scias, in-
» quit, Sacerdos Dei, quia sic ejus legationem suscipio, ut caritatem nepotis mei
» Childeberti Regis non omittam. Nam ibi * amicitias ligare non possum, de qua * *al.* illi.

(a) [Dub. *Caturcus*, Clun. *Cadurcis* : sic quoque habet suprà.]

(b) Colb. m. et Chesn. al. *Rosontisse*, Bec. *Rossontisse*. Fortè hîc designatur Rossontum-longum, *Rosson le Long*, vicus inter Suessionas et Vicum ad Axonam, *Vic sur Aisne*. Alii tamen censent hîc memorari *Rossontum* in pago Bellovacensi situm, vulgò *Resson*, quod uni è novem Ecclesiæ Bellovacensis Archidiaconis nomen tribuit. [Clun. *Vissontisse*.]

(c) [Clun. *se in parte*.]

(d) Sic mss. omnes, editi verò *contulerint*.

(e) [Clun. *nullum præjudicium patiatur..... percipere*.]

(f) [Clun. *tultum est*.]

(g) Colb. m. Regm. [et Clun.] cum Bad. *die tertio*.

(h) Quæ sequuntur usque ad finem capitis non habentur in Colb. a. et Vat.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 588.

» sæpiùs processerunt, qui mihi vitam præsentem auferrent. Hæc eo dicente, A
» Felix ait : Pervenisse ad gloriam vestram credo, quòd Richaredus legationem ad
» nepotem vestrum direxit *, quæ neptem vestram Chlodosuindam, filiam fratris
» vestri, ei in matrimonium postularet. Sed ille absque vestro consilio nihil exinde
» promittere voluit. Rex ait (a) : Non est optimum enim, ut illuc neptis mea
» ambulet, ubi soror sua est interfecta : sed nec illud rationabiliter complacet, ut
» non ulciscatur mors neptis meæ Ingundis. Felix respondet : Multùm se exinde
» excusare volunt, sacramentis, aut quibuslibet aliis conditionibus jusseritis : tantùm
» vos consensum præbete, ut ei Chlodosuinda, sicut postulat, desponsetur. Rex
» ait : Si enim nepos meus implet quæ in pactionibus conscribi voluit, et ego de
» his facio voluntatem ejus. Promittentibus nobis eum omnia impleturum, adjecit
» Felix : Deprecatur etiam pietatem vestram, ut ei solatium contra Langobardos B
» tribuatis, qualiter (b) expulsi de Italia, pars illa quam genitor suus vindicavit
» vivens, ad eum revertatur; reliqua verò pars per vestrum suumque solatium Im-
» peratoris ditionibus restituatur. Respondit Rex : Non, inquit, possum in Italiam
» exercitum meum dirigere, ut ultrò eos morti tradam. Gravissima enim lues Ita-
» liam nunc devastat. Et ego : Indicastis enim nepoti vestro, ut omnes regni sui
» Episcopi in unum convenirent, quia multa sunt quæ debeant indagari : sed juxta
» consuetudinem Canonum placebat gloriosissimo nepoti vestro, ut unusquisque

* V. sup. c. 16.

» Metropolis cum provincialibus * suis conjungeretur : et tunc quæ inrationabili-

* Ch. comprovincialibus.

» ter in regione propria fiebant, sanctione sacerdotali emendarentur. Quæ enim
» causa exstat, ut in unum tanta multitudo conveniat? Ecclesiæ fides periculo ullo
» non quatitur : hæresis nova non surgit. Quæ erit ista necessitas, ut tanti debeant C
» in unum conjungi Domini Sacerdotes? Et ille : Sunt multa, inquit, quæ de-
» beant discerni, quæ injustè gesta sunt, tam de incestis, quàm de ipsis quæ inter
» nos aguntur causis. Sed præcipuè illa Dei causa exstat omnibus major, ut inqui-
» rere debeatis, cur Prætextatus Episcopus gladio in Ecclesia fuerit interemtus.
» Sed et de iis qui pro luxuria accusantur debet esse discussio, ut aut victi sanc-
» tione sacerdotali debeant emendari, aut certè, si innocentes inveniuntur, publicè
» error criminis auferatur. » Tunc jussit ut in Calendis mensis quarti hæc Syno-
dus prolongaretur (c). Et iis dictis, ad Ecclesiam processimus : erat enim dies
illa Dominicæ Resurrectionis sollemnitas (d). Dictis igitur Missis, convivio nos
adscivit, quod fuit non minùs oneratum in ferculis, quàm lætitia opulentum. Sem-
per enim Rex de Deo, de ædificatione Ecclesiarum, de defensione pauperum ser- D
monem habens : ridebat interdum spiritali joco delectans : addens etiam unde et
nos aliquid lætitiæ frueremur. Dicebat enim et hæc verba : « Utinam mihi nepos
» meus promissa custodiat : omnia enim quæ habeo, ejus sunt. Tamen si eum scan-
» dalizat illud, quòd legatos Chlotharii nepotis mei suscipio : numquid demens sum,
» ut non possim temperare inter eos, ne scandalum propagetur? Novi enim id magis
» incidere, quàm in longius promulgare. Dabo enim Chlothario, si eum nepotem
» meum esse cognovero, aut duas, aut tres in parte aliqua civitates, ut nec hic vi-
» deatur exheredari de regno meo, nec huic inquietudinem præparent quæ isti reli-
» quero. » Hæc et alia locutus, dulci nos adfectu fovens, ac muneribus onerans,
discedere jubet : mandans ut ea semper Childeberto Regi insinuentur, quæ vitæ ejus
commoda fient.

(a) Editio Badii sic habet. *Ad quod Rex cognoscens et animo repetens quæ de perfidia illius audierat, maturo consilio respondit : Non est visum prudenter à me fieri si consentirem, ut illuc neptis mea, quam singulariter diligere debeo, mittatur, ubi soror ejus innocentula turpissima fraude vulgò prædicatur interfecta. Sed nec illud regiam decet majestatem, aut nostro generi honestum duco, ut de morte nefanda neptis meæ carissimæ Ingundis nullam sumam vindictam aut ultionem. Felix autem legatus ad hoc respondit : Multa, Rex æquissime, malivolorum hominum linguæ asserere solent, quæ procul sunt à veritate. Ideoque illis priùs quàm justa facta sit inquisitio, nullam decet adhibere fidem. Richaredus autem se omni via, qua decet, purgare paratus est, sive sacramentis, sive quibuscumque aliis conditionibus jusseritis, se immunem esse ab iis quæ objiciuntur à perditis hominibus, quibus doleret, si veram ac sinceram, ut decet, inter vos viderent caritatem. Quapropter placeat purgationem ejus legitimam admittere, et si talis comperta fuerit, id tandem permitte, ut ei Chlodosuinda, sicut postulat, desponsetur. Rex itaque audiens tam constantem oblationem de purgatione Richaredi facienda, consideransque si innocens esset eorum, quæ ipsi tunc objiciebantur, ea quæ à Richaredo postulabantur, essent regno utilia, nepti honorifica, et ita nequaquam respuenda, cœpit animum flectere, ac dixit : Si modo vera sunt quæ dicis, et Richaredus* (legendum puto, *Childebertus*) *nepos meus implet quæ in pactionibus conscribi voluit, etc.*

(b) [Clun. *quatinus expulsi.*]

(c) Nulla usquam Synodi hujus mentio occurrit : hinc dubitare licet an fuerit umquam coacta.

(d) In Bad. omissis intermediis, hæc cum media parte capitis sequentis sic junguntur. *Sollemnitas; ob quam omnia devotiùs, et cum majore caritate transacta sunt; et quasi religione fieret quidquid à Rege fiebat, eodem tempore ita gestum est. Per triduum etc.*

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 588.

A XXI. Ipse autem Rex, ut sæpe diximus, in eleemosynis magnus, in vigiliis atque jejuniis promtus erat. Nam tunc ferebatur Massiliam à lue inguinaria valde vastari, et hunc morbum usque ad Lugdunensem vicum, Octavum nomine, fuisse celeriter propalatum. Sed Rex, ac si bonus Sacerdos, providens remedia, quibus cicatrices peccatoris (a) vulgi mederentur, jussit omnem populum ad Ecclesiam convenire, et Rogationes summa cum devotione celebrari : et nihil aliud in usu vescendi, nisi panem hordeaceum cum aqua munda adsumi, vigiliisque adesse instanter omnes jubet. Quod eo tempore ita gestum est. Per triduum enim, ipsius eleemosynis largiùs solito præcurrentibus, ita de cuncto populo formidabat, ut jam tunc non Rex tantùm, sed etiam Sacerdos Domini putaretur, totam spem suam in Domini miserationem transfundens, et in ipso jactans cogitationes, quæ ei superveniebant, à quo eas effec-
B tui tradi tota fidei integritate putabat. Nam celebre tunc à fidelibus ferebatur, quòd mulier quædam, cujus filius quartano typo gravabatur, et in strato anxius decubabat, accessit inter turbas populi usque ad tergum Regis, abruptisque clam regalis indumenti fimbriis in aquam posuit, filioque bibendum dedit : statimque restincta febre sanatus est. Quòd non habetur à me dubium, cùm ego ipse sæpiùs larvas (b) energia famulante nomen ejus invocantes audierim, ac criminum propriorum gesta, virtute ipsius discernente, fateri.

XXII. Nam (c), sicut superiùs diximus, Massiliensis urbs contagio pessimo ægrota, quanta sustinuerit, altiùs replicare (d) placuit. His enim diebus Theodorus Episcopus (e) ad Regem abierat, quasi aliquid contra Nicetium patricium suggesturus. Sed cùm à Rege Childeberto minimè de hac causa fuisset auditus, ad propria redire disposuit. Intereà navis ab Hispania unà cum negotio solito ad
C portum ejus adpulsa est, quæ hujus morbi fomitem secum nequiter deferebat : de qua cùm multi civium diversa mercarentur, una confestim domus, in qua octo animæ erant, hoc contagio interfectis habitatoribus, relicta est vacua. Nec statim hoc incendium luis per domos spargitur totas : sed interrupto certi temporis spatio, ac velut in segetem flamma accensa, urbem totam morbi incendio conflagravit. Episcopus tamen urbis accessit ad locum, et se infra basilicæ sancti Victoris (f) sæpta continuit cum paucis qui tunc cum ipso remanserant, ibique per totam urbis stragem orationibus ac vigiliis vacans Domini misericordiam exorabat, ut tandem cessante interitu, populo liceret in pace quiescere. Cessante verò hac plaga mensibus duobus, cùm jam populus securus redisset ad urbem, iterùm succedente morbo, qui redierant sunt defuncti : sed et multis vicibus deinceps ab hoc interitu gravata est.

D XXIII. Agericus verò Viridunensis Episcopus, cùm ex illo diuturnæ amaritudinis felle graviter ægrotaret, pro eo quòd Guntchramnus-Boso, pro quo fidejussor exstiterat, interfectus esset : vel etiam abdita amaritudine, quòd Berthefredus infra oratorium domûs Ecclesiasticæ fuerat interfectus : et præsertim cùm ipsos Guntchramni filios secum retinens quotidie fleret, dicens : *In meo vos odio orphani relicti estis.* His accensus, ut diximus, causis, fellis (g) amaritudine adgravatus, et maximè forti inedia consumtus, diem obiit (h), adpositusque est in sepulcro. Buciovaldus quoque Abbas ejus pro episcopatu cucurrit (i), sed nihil obtinuit. Charimerem enim referendarium cum consensu civium regalis decrevit auctoritas fieri Sacerdotem, Buciovaldo Abbate postposito. Ferebant enim hunc esse superbum, et ob hoc à nonnullis Buccus-validus vocitabatur. Obiit autem et Licerius Arelatensis Episcopus, in cujus Ecclesiam (k) Virgilius Abbas Augustodunensis, opitulante Syagrio Episcopo, substitutus est (l).

(a) [Dub. *pectoris vulgi.*]

(b) Id est energumenos sive dæmoniacos. Narrat Paulus Diac. lib. 4. Hist. Langob. cap. 35. ejusdem Regis visionem, qua thesaurum invenit, quo posteà ad exornandum S. Marcelli sepulcrum usus est. Vide et Aimoin. lib. 3. cap. 3.

(c) Hoc caput et quatuor subsequentia desunt in Colb. a. In Vat. autem cum 3. seqq.

(d) [Clun. *replicare studui.*]

(e) Mss. duo *Theodorus ad Regem*, omissa hac voce *Episcopus*. [Ita Clun.]

(f) De S. Victore Massiliensi mart. agit item Gregorius lib. 1. de Glor. Mart. cap. 77.

(g) [Clun. *felle amaritudinis.*]

(h) Sancti Agerici festum celebratur die 1. Decembris. Laudatur à Fortunato lib. 3. carm. 27. et 28. sepultus est Veroduni in oratorio S. Martini à se exstructo, quod nunc ab ipso S. Ageric[illegible]ppellatur, cum monasterio ei adjuncto, ordinis S. Bened. quod Abbate regulari gaudet, ex Congreg. S. Vitoni.

(i) [Dub. et Clun. *concurrit.*]

(k) [Clun. *in cujus loco Virgilius Abba Augustod.*]

(l) Inter utrumque Saxius Paschasium locat, qui brevissimo temporis intervallo sedit ; et quidem in veteribus Diptychis Arelatensis Ecclesiæ à nostro Mabillonio editis tomo 3. Analect. Paschasius eodem ordine recensetur. Virgilium autem ex Abbate Lirinensi Episcopum fuisse creatum idem auctor contendit, ex ipsiusmet Virgilii Vita. Sed potior videtur Gregorii auctoritas, qui Virgilio synchronus fuit. Unde Barralis, qui ejus Vitam edidit in Chronologia

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 588.

XXIV. Obiit autem et Deutherius (a) Vinciensis Episcopus, in cujus locum (b) Fronimius subrogatus est. Hic autem Fronimius Bituricæ urbis incola fuit : sed causa nescio qua in Septimaniam abiit : ac post mortem Athanagildi Regis à Leuvane successore ejus magnificè est receptus, atque in urbe Agathensi Episcopus ordinatus est. Sed post mortem Leuvanis cùm Leuvichildus in illa hæreticæ pravitatis perfidia grassaretur, et Ingundis filia Sigiberti Regis, cujus suprà meminimus *, in Hispaniam ad matrimonium duceretur, audivit Leuvichildus, quasi hic Episcopus ei consilium dedisset, ut numquam se veneno hæreticæ credulitatis deberet admiscere : et ob hoc semper ei molestus injuriarum laqueos intendebat, quousque eum ab episcopatu dejiceret (c). Cùmque non inveniret quibus eum muscipulis posset innectere, ad extremum emisit qui eum gladio deberet adpetere. Quod ille per internuntios cognoscens, relicta urbe Agathensi in Gallias advenit, ibique à multis Episcopis receptus ac muneratus, ad Childebertum Regem pertransiit. Sicque patefacto loco, apud supradictam urbem potestatem pontificalem nono dejectionis suæ anno, Rege largiente, suscepit. A B

* *Lib.* 5. *c.* 39. *etc.*

Britanni eo anno graviter territorium Namneticum Redonicumque prædæ subjecerunt, vindemiantes vineas, culturas devastantes, ac populum villarum abducentes captivum : nihilque de promissis superioribus custodientes ; et non solùm non custodientes promissa, verùm etiam detrahentes Regibus nostris.

XXV. Igitur Childebertus Rex cùm petentibus Langobardis sororem suam Regi (d) eorum esse conjugem, acceptis muneribus, promisisset ; advenientibus Gothorum legatis ipsam, eò quòd gentem illam ad fidem Catholicam conversam fuisse cognosceret, repromisit (e) : ac legationem ad Imperatorem direxit, ut quod priùs non fecerat (f), nunc contra Langobardorum gentem debellans cum ejus consilio eos ab Italia removeret : nihilominùs et exercitum suum ad regionem ipsam capessendam direxit. Commotis Ducibus cum exercitu illuc abeuntibus, confligunt pariter : sed nostris valde cæsis, multi prostrati, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam lapsi vix in patriam redierunt. Tantaque ibi fuit strages de Francorum exercitu, ut olim similis non recolatur. C

An. 589. XXVI. Anno quoque quarto-decimo Childeberti Regis Ingoberga Regina, Chariberti quondam relicta, migravit à sæculo, mulier valde cauta (g), ac vita religiosa prædita, vigiliis et orationibus atque eleemosynis non ignava : quæ credo per providentiam Dei commonita, ad me usque nuntios dirigens (h), ut in his quæ de voluntate sua, id est pro animæ remedio cogitabat, adjutor exsisterem : sic tamen ut ad ipsam accedens, quæ consilio habito fieri decernebat, scriptura connecteret. Accessi, fateor, vidi hominem timentem Deum : quæ cùm me benignè excepisset, notarium vocat, et habito, ut dixi, mecum consilio, quædam Ecclesiæ Turonicæ, et basilicæ sancti Martini, quædam Cenomannicæ Ecclesiæ delegavit : ac post paucos menses (i) subitanea ægritudine fatigata, migravit à sæculo, multos per chartulas (k) liberos derelinquens, septuagesimo, ut arbitror, vitæ anno, relinquens filiam unicam, quam in Cantia Regis cujusdam filius (l) matrimonio copulavit. D

Lirinensi, ipsum ex Monacho Lirinensi Abbatem Augustodunensem, ex Abbate verò Arelatensem Episcopum fuisse memorat. Virgilio complures epistolas scripsit Gregorius Magnus. De eo Bollandiani die 5. Martii, quo apud Lirinenses festum ejus celebratur, Arelate verò die 7. Octobris.

(a) Bec. *Deotharius*. Colb. m. et Regm. *Deotherius*. [Dub. *Diotherius*. Clun. *Deoterius*.] Interfuit Concilio Aurelian. IV. ann. 541. aliisque intermediis, ad ann. 585. quo ipsius missus Matisc. II. interfuit cum Fronimio ipsius successore, qui subscripsit inter Episcopos, qui sedem non habebant.

(b) [Dub. *Pronimius..... Adthanaëldi..... Leuvieldus*.]

(c) [Dub. *dejecerit*.]

(d) Is erat Autharis, Gregorio nostro infrà l. 10. cap. 3. *Aptacharius*, qui postea duxit uxorem Theodelindam, Garibaldi Bajoariorum ducis seu regis filiam, ut pluribus prosequitur Paulus Diac. lib. 3. de Gestis Langob. cap. 31. Ad eam complures exstant Gregorii M. epistolæ.

(e) Hæc fuit Chlodosuinda, quæ neutri regi nupsit, uti videtur ; aut saltem paullò pòst nuptias cum Reccaredo contractas obiisse dicenda est. Etenim Reccaredus cum Baddone Regina uxore sua æra 627. anno regni sui 4. subscripsit professioni fidei Catholicæ. Hinc conjicere licet Reccaredum pertæsum, quòd toties à Francis repulsam passus fuisset, aliquam è suis popularibus uxorem accepisse. Et quidem Liuba ejus filius et successor *ignobili matre* genitus dicitur in Isidori Chronico æra 639.

(f) Huc revocandum quod Gregorius ea de re scripsit suprà lib. 6. cap. 42. De hac verò legatione agetur fusiùs lib. 10. cap. 2. et seqq. Confer et cap. 30. lib. 3 Hist. Langob. Pauli Diac. ubi Francorum stragem iisdem pæne verbis ac Gregorius noster exprimit, ejus verba laudans sub nomine *Historiæ Francorum*.

(g) Regm. cum. ed. *cordata*.

(h) [Clun. *nuntios direxit*.]

(i) Colb. m. [et Clun.] *paucos dies*. Ingobergam aliquid Ecclesiæ S. Mariæ Cenomannensi dimisisse testis est Bertramnus ejusdem urbis Episc. in suo testamento, tom. 3. Analect. pag. 114.

(k) Ejus rei formulam habes apud Marculf. lib. 2. cap. 33.

(l) Ethelbertus scilicet, vide suprà lib. 4. cap. 26.

A XXVII. Amalo quoque Dux dum conjugem in aliam villam pro exercenda utilitate dirigit, in amorem puellulæ cujusdam ingenuæ ruit. Et facta nocte crapulatus à vino misit pueros, ut detrahentes puellulam, eam thoro ejus adscirent. Illa quoque repugnante; et violenter in ejus mansionem deducta, dum eam alapis cædunt, sanguinis unda ex narium (a) meatibus decurrente perfunditur. Unde factum est, ut ipse quoque stratus Ducis antedicti hoc rivo cruentaretur, quam et ipse pugnis, colaphis, aliisque ictibus verberatam in ulnam suscepit, et statim oppressus somno dormire cœpit. At illa extensa manu trans caput viri gladium reperit: quo evaginato, caput Ducis, velut Judith Holofernis, ictu virili libravit. Illo quoque voces emittente,
B concurrunt famuli. Quam cùm interficere vellent, exclamavit ille, dicens: *Ne faciatis, quæso. Ego enim peccavi, qui vim castitati inferre conatus sum. Nam hæc quæ pudicitiam studuit conservare, omninò non pereat.* Hæc dicens, spiritum exhalavit. Cùmque super eum familia conjuncta lamentaretur, adjutorio Dei eruta puella domum egreditur, et per noctem Cabillonensem urbem adiit, quæ est sita ab eo loco quasi millia (b) triginta-quinque: ibique basilicam sancti Marcelli ingressa, Regis prostrata pedibus, cuncta quæ pertulerat pandit. Tunc Rex misericordissimus non solùm ei vitam donavit, verùm etiam præceptionem tribui jussit, ut in verbo suo posita, à nullo umquam parentum defuncti illius in aliquo molestiam pateretur. Verumtamen hoc Deo præstante cognovimus, quòd puellæ castitas non est ab ereptore sævo (c) ullatenus violata.

C XXVIII. Brunichildis (d) quoque Regina jussit fabricari ex auro ac gemmis miræ magnitudinis clypeum, ipsumque cum duabus pateris ligneis, quas vulgò bacchinon (e) vocant, eisdemque similiter ex gemmis fabricatis et auro, in Hispaniam Regi mittit: in qua (f) Ebregisilum, qui sæpe ad ipsam regionem legationis gratia accesserat, direxit. Quo abeunte, nuntiatum est Regi Guntchramno, dicente quodam, quia Brunichildis Regina ad filios Gundovaldi (g) munera dirigit. Quod Rex audiens, jussit custodias arduas per vias regni sui fieri, ita ut nullus penitus præterire possit, qui non discuteretur. Inquirebant etiam in hominum vel vestimentis, vel calciamentis, aut in reliquis rebus, si occultè litteræ portarentur. Ebregisilus verò Parisius accedens cum his speciebus, ab Ebrachario Duce com-
D prehensus, ad Guntchramnum deducitur: dixitque ei Rex: *Non sufficit, ô infelicissime hominum, quòd impudico consilio Ballomerem illum, quem Gundovaldum vocitatis, ad conjugium arcessistis, quem manus mea subegit, qui voluit ditioni suæ regni nostri superare* (h) *potentiam: et nunc filiis ejus munera mittitis, ut ipsos iterùm in Gallias provocetis ad me jugulandum* (i)*? Ideòque non accedes quò volueris, sed morte morieris: quia contraria est legatio tua genti nostræ.* Illo quoque recusante, non se his verbis esse communem, sed potiùs ad Richaredum, qui Chlodosuindam sororem Childeberti Regis sponsare debuerat, hæc munera mitti; credidit Rex loquenti, et dimisit eum; abiitque in itinere quo directus fuit cum ipsis muneribus.

XXIX. Igitur Childebertus Rex, invitante Sigiberto (k) Momociacensis oppidi
E Sacerdote, dies Paschæ ad supradictam celebrari statuit urbem. Graviter tunc Theodobertus filius ejus senior, gulæ adflictus tumore laboravit, sed convaluit. Intereà Childebertus Rex exercitum commovet, et in Italiam ad debellandam Langobardorum gentem, cum eisdem pergere parat. Sed Langobardi his auditis, legatos cum muneribus mittunt, dicentes: *Sit amicitia inter nos, et non pereamus, ac dissolvamus certum ditioni tuæ tributum. Ac ubicumque necessarium contra inimicos fuerit, ferre auxilium non pigebit.* Hæc Childebertus Rex audiens, ad Guntchramnum Regem legatos dirigit, qui ea quæ ab his offerebantur, in ejus auribus intimarent. Sed ille non obvius de hac conniventia (l), consilium

(a) [Clun. *ex genarum meatibus discurrente peragitur.*

(b) Colb. a. *millia quindecim.*

(c) Aliàs, *suo:* [ita Clun.]

(d) In Vat. et Colb. a. caput istud et seq. desunt.

(e) Colb. m. *baecchinon*, Regm. *baethinon.* Teutonicè *becken*, Gallicè verò dicimus *bassin.*

(f) [Clun. *in qua re Ebregisilum.*]

(g) Ejus scilicet, qui sese filium Clotharii dicens, occisus est, suprà lib. 7. cap. 38.

(h) Regm. *subjugare potentiam.*

(i) [In Clun. deest, *jugulandum.*]

(k) Sic mss. præter Bec. qui cum editis ante Chesn. habet *Sigimundo.* Chesnius utramque lectionem exhibet. Non minor est de sedis ejus nomine difficultas. Bad. habet *Noviociacensis*, Regm. *Noviomensis:* quæ lectio si sincera sit, nulla superest difficultas. Valesius et Cointius legendum esse existimant *Moguntiacensis.* Nihil lucis huic difficultati affulget ex vulgatis Episcoporum Moguntinorum seu Noviomensium catalogis. Sidonius circa illa tempora Ecclesiam Moguntinam regebat ex Fortunato lib. 9. carm. 9. sed jam tunc fortè obierat, ut censet Cointius, qui ipsi Gregorii nostri Sigimundum, seu Sigibertum, sive etiam, uti eum appellat Serarius, Wilibertum successisse scribit. Thaumastus seu Theomastus *Momociacensis* item Episcopus laudatur in libro de Glor. Confess. cap. 53. [Cod. Clun. habet *Monociacensis.*]

(l) Casin. [et Dub.] *convenientia.* [Clun. *non ob hujus coniventia.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 589.

ad confirmandam pacem præbuit. Childebertus verò Rex jussit exercitum in loco resi- A
dere : misitque legatos ad Langobardos, ut si hæc quæ (a) promiserant confirmarent, exercitus reverteretur ad propria : sed minimè est impletum.

XXX. Childebertus verò Rex descriptores in Pictavos, invitante Maroveo Episcopo, jussit abire, id est Florentianum majorem domûs regiæ (b), et Romulfum palatii sui Comitem, ut scilicet populus censum, quem tempore patris reddiderat, facta ratione innovaturæ (c), reddere deberet. Multi enim ex his defuncti fuerant : et ob hoc viduis orphanisque ac debilibus tributi pondus insederat. Quod hi discutientes per ordinem, relaxantes pauperes ac infirmos illos, quos justitiæ conditio tributarios dabat, censu publico subdiderunt : et sic Turonis sunt delati. Sed cùm populis tributariam functionem infligere vellent, dicentes quia librum præ manibus haberent, qualiter sub anteriorum Regum tempore dissol- B
vissent, respondimus nos, dicentes : « Descriptam urbem Turonicam Chlothacharii » Regis tempore manifestum est, librique illi ad Regis præsentiam abierunt : sed » compuncto per timorem sancti Martini Antistitis Rege, incensi sunt. Post mor- » tem verò Chlothacharii Regis, Chariberto Regi populus hic sacramentum dedit : » similiter etiam et ille cum juramento promisit, ut leges consuetudinesque » novas populo non infligeret, sed in illo quo quondam sub patris dominatione » statu vixerant, in ipso hîc eos deinceps retineret : neque ullam novam ordina- » tionem se inflicturum super eos, quod pertineret ad spolium, spopondit. Gaiso » verò Comes ejusdem temporis accepto capitulario, quod anteriores scriptores » fecisse commemoravimus, tributa cœpit exigere : sed ab Eufronio Episcopo pro- » hibitus, cum exacta pravitate ad Regis direxit præsentiam, ostendens capitularium C
» in quo tributa continebantur. Sed Rex ingemiscens, ac metuens virtutem sancti » Martini, ipsum incendio tradidit : aureos exactos basilicæ sancti Martini remisit, » obtestans ut nullus de populo Turonico ullum tributum publico redderet. Post » cujus obitum Sigibertus Rex hanc urbem tenuit, nec ullius tributi pondus inve- » xit. Sic et nunc quarto-decimo anno Childebertus post patris obitum regnans, » nihil exegit, nec ullo tributi onere hæc urbs adgravata congemuit. Nunc au- » tem potestatis vestræ est, utrùm censeatis tributum, an non : sed videte ne ali- » quid noceatis, si contra ejus sacramentum ambulare disponitis. Hæc me dicente » responderunt : Ecce librum præ manibus habemus, in quo census huic populo » est inflictus. Et ego aio : Liber hic à Regis thesauro delatus non est, nec umquam » per tot convaluit annos. Non est mirum enim si pro inimicitiis horum civium in D
» cujuscumque domo reservatus est. Judicabit enim Deus super eos, qui pro » spoliis civium nostrorum hunc post tanti temporis transactum spatium protulerunt. »
Dum autem hæc agerentur, Audini filius, qui librum ipsum protulerat, ipsa die à febre correptus, die tertia expiravit. Post hæc nos transmisimus nuntios ad Regem, ut quid de hac causa juberet, mandata remitteret. Sed protinùs epistolam cum auctoritate (d) miserunt, ne populus Turonicus pro reverentia sancti Martini describeretur. Quibus relectis, statim viri qui ad hæc missi fuerant, ad patriam sunt regressi.

XXXI. Guntchramnus (e) verò Rex exercitum commovit in Septimaniam (f) : Austrovaldus autem Dux priùs Carcassonam accedens sacramenta susceperat, ipsos- E
que populos ditioni subegerat regiæ. Rex autem ad reliquas civitates capiendas Bosonem cum Antestio destinavit. Qui accedens cum superbia, despecto Austrovaldo Duce atque condemnato, cur absque eo Carcassonam ingredi præsumsisset, ipse cum Santonicis, Petragoricis Burdegalensibusque, Agennensibus etiam ac Tholosanis illuc direxit (g). Cùmque in hac jactantia ferretur, et Gotthis hæc nuntiata fuissent, paraverunt se in insidiis. Hic verò super fluvium parvulum propinquum urbi castra ponit, epulis insedit, ebrietatibus incumbit, conviciis et blasphemiis Gotthos exaggerans. Illique inruentes super ipsos, reperiunt epulantes inopi-

(a) [Dub. *quæ audiebant confirmabant.*]

(b) Colb. a. *Domus Reginæ.* [Ita Dub.] Regm. verò [et Clun.] Romulfum *palatii vicecomitem* appellant. De his vide lib. 4. Mirac. sancti Martini c. 6. et Fortunat. lib. 10. carm. 16. et 18.

(c) Editi aliquot cum Bec. *innovata re.* [Dub. et Clun. *innovata reddere.*]

(d) Auctoritas diploma, seu præceptum regium erat, quod ceteris præstabat ; ideòque, uti videtur, manu Regis subscriptum, ac ipsius annulo sigillatum, uti colligitur ex epist. S. Radegundis infrà cap. 42. Vide Bignonii notas in lib. 1. Marculfi form. 4.

(e) In Vat. et Colb. a. desideratur hoc caput simul cum duobus sequentibus.

(f) Regm. *Hispaniam.* At cùm Septimania Wisigotthorum Regibus in Hispania pareret ; non semel aliàs à Gregorio dicitur *Hispania.*

(g) Aliàs *perrexit.*

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 589.

A nantesque. Tunc hi dantes voces, exsurgunt contra eos. At illi paullulùm resistentes, fugam simulant : prosequentibusque istis consurgunt qui præparati erant de insidiis, concludentesque eos in medio, usque ad internecionem ceciderunt. Qui autem evadere potuerunt, vix equite * ascenso (a) per fugam dilapsi sunt, omnem supellectilem relinquentes in campi planitie, nihilque secum de rebus propriis auferentes, hoc pro magno ducentes si vel vita donarentur. Insequentes autem Gotthi res eorum omnes reperiunt, diripiuntque, pedestres omnes captivos abducentes : cecideruntque ibi quasi quinque millia virorum : captivi autem ampliùs quàm duo millia abierunt, multi tamen ab his laxati, redierunt (b) in patriam.

* *al.* equo.

XXXII. Commotus autem Rex vias claudi per regnum suum præcepit, ne ullus de Childeberti regno per ejus regni territorium pervium posset habere, dicens : *Quia per nequitiam ejus, qui cum Rege Hispaniæ fœdus iniit, exercitus conruit*
B *meus, et ut se non subdant urbes illæ ditioni meæ, ejus hoc immissio facit.* Additum est etiam huic causæ aliud amaritudinis incendium, quòd Childebertus Rex filium suum seniorem, Theodobertum nomine, Suessionas dirigere (c) cogitabat : quæ res suspicionem fecerat Guntchramno Regi, dicente eo : *Quia in hoc filium suum nepos meus Suessionas dirigit, ut Parisius ingredi faciat, regnumque meum auferre* (d) *cupiat.* Quod numquam Childebertus vel in cogitatione, si dici fas est, habere potuit. Multa autem et in Brunichildem Reginam opprobria jactabat, dicens ejus consilio hæc à filio (e) fieri : addens etiam quòd Gundovaldi quondam filium invitatum conjugio copulare vellet. Unde etiam Synodum Episcoporum in Calendis Novembribus congregari præcepit. Multique de extremis partibus Galliarum ad hunc conventum properantes, de via regressi sunt, pro eo quòd Brunichildis Regina se ab hoc crimine exuit sacramentis : et sic viis iterùm reseratis, pervium patefecit volentibus ad Regem Childebertum acce-
C dere.

XXXIII. His diebus Ingeltrudis, quæ monasterium in atrio sancti Martini statuerat (f), ad Regem quasi filiam accusatura processit : in quo monasterio Berthefledis, filia quondam Chariberti Regis, residebat. Sed ista egrediente, hæc in Cenomannicum (g) est ingressa. Erat enim gulæ et somno dedita, et nullam de officio Dei curam habens. Negotium verò Ingeltrudis et filiæ ejus altiùs repetendum puto. Igitur ante hos annos cùm Ingeltrudis monasterium puellarum infra atrium sancti Martini, ut diximus, collocare cœpisset, filiæ suæ mandata mittit, dicens : *Relinque virum tuum, et veni ut faciam te Abbatissam gregi huic quem congregavi.* At illa, audito levitatis consilio, cum viro Turonis advenit : ingressaque monasterium matris, dicebat viro : *Regredere hinc, et guberna res liberosque nostros : nam ego non revertar tecum. Non enim videbit regnum Dei conjugio copulatus.* Ille verò
D ad me veniens, nuntiavit mihi omnia quæ à conjuge audierat. Tunc ego accedens ad monasterium, Canonum Nicænorum decreta relegi : in quibus continetur : *Quia si quæ* (h) *reliquerit virum, et thorum in quo bene vixit spreverit, dicens : Quia non sit ei portio in illa cœlestis regni gloria qui fuerit conjugio copulatus, anathema sit.* Quibus auditis, Berthegundis metuens ne à Sacerdotibus Dei communione (i) privaretur, egressa monasterium, rediit cum viro suo. Interpositis autem tribus vel quatuor annis, iterùm mandata mittit ad eam mater, deprecans eam ad se accedere. At illa oneratis navibus tam de rebus propriis quàm viri sui, adsumto secum uno filio, viro absente, Turonis est adpulsa. Sed cùm à matre propter improbitatem viri retineri non posset, scilicet ne calumniam, quæ ejus dolo fabricata fuerat, exciperet, ad Bertchramnum germanum ejus, filium videlicet suum, Burdegalensis urbis Episcopum, eam direxit. Prosequente igitur eam viro ejus dicebat :

(a) Regm. *equitibus ascensis*, Ed. *equo ascenso.* Hoc in prælio Francos ad sexaginta millia profligatos fuisse affirmat Isidorus in Chronico æra 624. ubi ait nullam umquam istâ majorem victoriam à Gotthis reportatam fuisse. Idem habet Johannes Biclarensis in Chronico. Reccaredi exercitûs ductor erat Claudius Dux Lusitaniæ, cui S. Gregorius M. Cyriacum Monachum commendavit. Eumdem, ejusque in Septimaniam primùm, et exinde in Franciam expeditionem laudat Paulus Diaconus in lib. de Vitis Patrum Emeritensium.

(b) [Clun. *ab his laxati, interfecti sunt.*]

(c) [Clun. *dirigere cœpit.*]

(d) [Clun. *auferre cupit.*]

(e) [In Clun. deest, *à filio.*]

(f) Hoc monasterium intra S. Martini sæpta diu stetit, S. Mariæ de Scriniolo dictum ; at circa sæculi undecimi initium ab Herveo Thesaurario translatum est in vicinum collem, qui ob situs amœnitatem gratumque prospectum Bellusmons appellatur, ubi hodieque visitur, S. Benedicti Regulæ addictum. [In Dub. et Clun. deest, *filiam.*]

(g) Regm. *Cenomannicum monasterium :* aliquot editi cum Bec. [et Dub.] *regressa.*

(h) Regm. *Si quæ mulier uxorata reliquerit.* Videtur esse Canon 14. Conc. Gangrensis quod Concilium veteres Nicæno subjungere solebant; idque indicat titulus in veteribus scriptis.

(i) [Clun. *excommunicaretur.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 589.

Quia sine consilio parentum eam conjugio copulasti, non erit uxor tua. Erant enim jam A ferè triginta anni, ex quo conjuncti pariter fuerant. Adiit enim vir ejus plerumque urbem Burdegalensem; sed noluit eam Episcopus restituere. Cùm autem Rex Guntchramnus ad Aurelianensem urbem, sicut in superiore libro memoravimus (a), advenisset, ibi eum acriùs hic vir impugnare verbis cœpit, dicens : *Abstulisti uxorem meam cum famulis ejus. Et ecce, quod Sacerdotem non decet, tu cum ancillis meis, et illa cum famulis tuis dedecus adulterii perpetratis.* Tunc furore commotus Rex, adstrinxit Episcopum ut polliceretur eam reddere viro, dicens : *Quia parens mea hæc est : si quicquam mali exercuit in domo viri sui, ego ulciscar; sin aliud, cur sub omni deformitate redactus vir* (b) *conjunx et ejus aufertur?* Tunc Bertchramnus Episcopus pollicitus est, dicens : *Venit ad me, fateor, soror mea post multorum annorum curricula, quum pro caritatis ac desiderii studio tenui mecum ut libuit. Nunc autem recessit à me : requirat nunc eam, revocetque quò voluerit, me obvium non habebit.* Et hæc dicens, misit clam nuntios ad eam, mandans ut veste mutata, ac B pœnitentia accepta, basilicam sancti Martini expeteret : quod facere illa non distulit. Venitque vir ejus cum multis insequentibus viris, ut eam ex ipso loco sancto ejiceret. Erat enim in veste religiosa, adserens se accepisse pœnitentiam (c) : sed virum sequi despexit. Intereà defuncto apud Burdegalensem urbem Bertchramno Episcopo, hæc ad se reversa ait, *Væ mihi quæ audivi consilium matris iniquæ. Ecce frater meus obiit; ecce à viro derelicta sum, à filiis separata : et quò ibo infelix, vel quid faciam?* Tunc habito consilio Pictavum pergit : voluitque eam mater retinere secum, sed penitùs non potuit. Ex hoc inimicitia orta, dum sæpiùs Regis præsentiam adeunt, et hæc res patris defensare cupiens, hæc viri; Berthegundis donationem Bertchramni germani sui ostendit, dicens : *Quia hæc et hæc mihi germanus meus contulit.* Sed mater ejus non admittens donationem, omnia sibi vindicare cupiens, misit qui effracta domo ejus, omnes res illius cum hac donatione diriperet : unde seipsam genitrix reddidit comprobatam, cùm de rebus ipsis in sequenti C filiæ quædam repetenti districta restituit. Sed cùm sæpiùs ego, vel frater noster Maroveus Episcopus, acceptis regalibus epistolis, ut eas pacificare deberemus, Berthegundis advenit Turonis : in judicium quoque accedentem coëgimus eam, in quantum potuimus, rationem sequi : mater verò ejus flecti non potuit. Tunc accensa felle, ad Regem abiit, quasi filiam exheredem (d) datura de facultate paterna. Ac in præsentia Regis exponens causas, filia absente, judicatum est ei ut quarta (e) parte filiæ restituta, tres cum nepotibus suis, quos de filio uno habebat, reciperet : in qua causa Theutharius Presbyter, qui nuper ex referendario Sigiberti Regis conversus, presbyterii honorem accepit, accessit, ut hanc divisionem juxta Regis imperium celebraret. Sed resistente filia, nec divisio facta, nec scandalum resedatum est (f).

XXXIV. Rigunthis autem filia Chilperici, cùm sæpiùs matri calumnias inferret, diceretque se esse dominam, genitricemque suam servitio redhiberi, et multis eam et crebrò conviciis lacessiret, ac interdum pugnis se alapisque cæderent, D ait ad eam mater : *Quid mihi molesta es, filia? Ecce res patris tui, quæ penes me habentur, accipe, et utere eis ut libet.* Et ingressa in regestum, reseravit arcam monilibus ornamentisque pretiosis refertam : de qua cum diutissimè res diversas extrahens filiæ adstanti porrigeret, ait ad eam : *Jam enim lassata sum : immitte tu*, inquit, *manum, et ejice quod inveneris.* Cùmque illa immisso brachio res de arca abstraheret, adprehenso mater opertorio arcæ super cervicem ejus inlisit. Quòd cum in fortitudine premeret, atque gulam ejus axis inferior ita adtereret, ut etiam oculi ad crepandum parati essent; exclamavit una puellarum quæ erat intrinsecus, voce magna, dicens : *Currite, quæso, currite : ecce domina mea à genitrice sua graviter suggillatur.* Et inrumpentes cellulam, qui coram foribus eorum præstolabantur adventum, erutam (g) ab imminenti interitu puellam eduxerunt foras. Post ista

(a) Lib. 8. cap. 1. et 2. ubi Guntramnus Bertramnum sibi ex *matre parentem* agnoscit, quòd Ingeltrudis, ut censet Valesius, quæ Bertramni mater erat, soror fuerit Ingundis et Aregundis Chlotarii I. uxorum, proindeque Guntramni matertera.

(b) Sic Colb. m. et Bec. Editi *redacta viro*. Regm. *redactus vir conjux ei auferatur?*

(c) Post susceptam quippe pœnitentiam ad sæculi illecebras, ut loquuntur patres Conc. Turon. 1. can. 8. redire non licebat. Hinc in Conc. Aurelian. III. vetitum est can. 24. ne quis conjugatis, nisi ex consensu partium, pœnitentiam dare præsumat.

(d) [Clun. *exheredatura de..... Tunc in præsentia.*]

(e) [Clun. *tertiam partem filiæ restitutam.*]

(f) Vide librum seq. cap. 12.

(g) Cod. Regm. *Irrumpentes autem cum festinatione, hi qui foris erant, cellulam, erutam etc.*

verò

A verò inter easdem inimicitiæ vehementiùs pullulantes, et non de alia causa maximè (a), nisi quia Rigunthis adulteria sequebatur, semper cum eisdem rixæ et cædes erant.

XXXV. Beretrudis (b) verò moriens filiam suam heredem instituit, relinquens quæpiam vel monasteriis puellarum quæ ipsa instituerat, vel Ecclesiis sive basilicis Confessorum sanctorum. Sed Waddo, cujus in superiore libro meminimus (c), querebatur à genero ejus equos suos fuisse direptos : cogitavitque accedere ad villam ejus unam, quam reliquerat filiæ, quæ infra Pictavum terminum erat, dicens : *Hic à regno alterius veniens diripuit equos meos, et ego auferam villam ejus.* Intereà mandatum mittit agenti (d), ut se adveniente omnia quæ erant ad expensam ejus necessaria, præpararet. Quod ille audiens, conjunctis secum hominibus ex domo illa se ad bellum præparat, dicens : *Nisi moriar, non ingredietur Waddo in domum*
B *domini mei.* Audiens autem uxor Waddonis adparatum scilicet belli instaurari contra virum suum, ait ad eum : *Ne accesseris illuc, care conjunx : morieris enim si abieris, et ego cum filiis misera ero.* Et injecta manu, voluit eum retinere, dicente prætereà tum filio : *Si abieris, pariter moriemur, et relinques genitricem meam viduam, orphanosque germanos meos.* Sed cùm eum hæc verba penitùs retinere non possent, furore accensus contra filium, et timidum eum mollemque exclamans, projecta secure pæne cerebrum ejus inlisit. Sed ille in parte excussus, ictum ferientis evasit. Ascensis denique equitibus abierunt, mandans iterùm actori, ut domo scopis mundata, stragulis scamna operiret. Sed ille parvipendens mandatum ejus, cum turbis, sicut diximus, virorum ac mulierum ante fores domini sui stetit, opperiens adventum hujus. Qui veniens, statim ingressus domum, ait : *Cur non sunt scamna hæc operta stragulis, aut domus scopis mundata?* Et elevans manum
C cum sica, caput hominis libravit, ceciditque, et mortuus est. Quod cernens filius hominis mortui, emissa ex adverso lancea, contra Waddonem dirigit : cujus mediam alvum ictu penetravit à tergo egressa falarica (e), et ruens ad terram, adveniente multitudine quæ collecta fuerat, lapidibus obrui cœpit. Tunc quidam de his qui venerant cum eo, inter imbres saxeos accedentes, coopertum sago, ac populo mitigato, ejulante filio ejus, eumque super equum elevans, adhuc viventem domui reduxit. Sed protinùs sub lacrymis uxoris ac filiorum spiritum exhalavit. Explicita igitur tam infeliciter vita, filius ejus ad Regem abiit, resque ejus obtinuit.

XXXVI. Igitur anno quo suprà regni sui, Childebertus Rex morabatur cum conjuge et matre sua infra terminum urbis, quam Strataburgum (f) vocant. Tunc viri fortiores, qui in urbe erant Suessionica sive Meldensi (g), venerunt ad eum dicentes : *Da*
D *nobis unum de filiis tuis, ut serviamus ei, scilicet ut de progenie tua pignus retinentes nobiscum, faciliùs resistentes inimicis, terminos urbis tuæ* (h) *defensare studeamus.* At ille gavisus nuntio, Theodobertum filium suum seniorem illuc dirigendum destinat : cui Comitibus, domesticis, majoribus, atque nutritiis, et omnibus qui ad exercendum servitium regale erant necessarii delegatis, mense sexto hujus anni direxit eum juxta voluntatem virorum, qui eum à Rege flagitaverant transmittendum (i) : suscepitque eum populus gaudens ac deprecans, ut vitam ejus patrisque sui ævo prolixiore pietas Divina concederet.

XXXVII. Erat (k) autem apud urbem Suessionas his diebus Droctigisilus (l), qui propter nimiam, ut ferunt, potationem quarto instante anno sensum perdiderat. Adserebant enim multi civium, quòd hoc ei maleficiis accessisset, per emissionem Archidiaconi, quem ab honore repulerat, in tantum ut infra muros urbis hanc amentiam magis haberet : si verò de civitate fuisset egressus, agebat

(a) [Clun. *nisi maximè.*]

(b) Deest hoc caput in Vat. et Colb. a. Porrò Beretrudis uxor erat Launebodi Ducis, quem Fortunatus laudat ob constructam Tholosæ sancti Saturnini Ecclesiam, libro 2. carmin. 9. ubi Beretrudis quoque pietatem multis extollit.

(c) De Waddone jam sæpiùs egit Gregorius. De filiis autem ejus vide lib. seq. cap. 21.

(d) Agens, qui et infrà actor, dicebatur ille qui villæ ac bonorum ab ea pendentium curam gerebat.

(e) Phalarica, seu Falarica propriè est telum missile quo turrium propugnatores uti solebant, sic dictum à *phala*, quod turrim ligneam designat.

(f) [Dub. et Clun. *Strateburgum.*] Primus omnium, ut putat Valesius, Argentoratum Gregorius noster appellavit Strataburgum. Unde infrà lib. 10. cap. 19. ait *Argentoratensem urbem, quam nunc Strateburgum vocat.* Sic dictum est, quòd fortè tunc via publica sive militaris ibi esset multùm frequentata. Etenim vox Strateburgum, oppidum in strata, id est in via, positum sonat.

(g) Regm. *qui in urbe Meldensi.*

(h) Colb. a. *terminos orbis tui.*

(i) [Deest, *transmittendum,* in cod. Clun. Paulò pòst, *deprecans Regem cœlorum, ut.*]

(k) In Vat. et Colb. a. reliqua hujus libri cum capite primo sequentis libri desunt.

(l) Regm. *Doctigisilus.* [Dub. *Doctighisilus Episc.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 589.

commodiùs. Cùmque Rex supradictus ad urbem venisset, et hic meliùs ageret, A non permittebatur (a) ingredi urbem propter Regem qui advenerat. Et licèt esset vorax cibi ac potator vini extra modum, et ultrà quàm sacerdotàlem cautelam decet, tamen nullum de eo adulterium quispiam est locutus. Verumtamen in sequenti cùm apud Sauriciacum villam (b) Episcoporum Synodus adgregata fuisset, jussum est ut liceret ei ingredi urbem suam.

XXXVIII. Cùm autem Faileuba Regina Childeberti Regis, partu edito mox exstincto, ægrotaret, adtigit aures ejus sermo, quòd quidam vel contra eam, vel contra Brunechildem Reginam agere conarentur. Cùmque confortata ab incommodo, ad Regis præsentiam accessisset, omnia tam ei quàm matri ejus, quæ audierat reseravit. Verba autem hujuscemodi erant, quòd scilicet Septimina (c) nu- B trix infantum ejus, consilio suadere vellet Regi, ut ejecta matre, conjugeque relicta, aliam sortiretur uxorem : et sic cum eodem quæcumque vellent, vel actu agerent, vel precibus obtinerent. Quòd si his Rex nollet adquiescere quæ suadebat, ipso maleficiis interemto, elevatis filiis ejus in regnum, repulsa nihilominùs matre eorum et avia, ipsi regerent regnum. Hujus enim consilii socios pronuntiat esse Sunnegisilum (d) Comitem-stabuli, et Gallomagnum Referendarium, atque Droctulfum, qui ad solatium Septiminæ ad nutriendum Regis parvulos fuerat datus. Denique corripiuntur hi duo, Septimina videlicet et Droctulfus. Nec mora, extensi inter stipites cùm vehementiùs cæderentur, profitetur Septimina se virum suum Jovium maleficiis interfecisse ob amorem Droctulfi, ipsumque secum scorto misceri. De his quæ suprà diximus causis pariter confitentur, et memoratos viros in C hoc consilio habitos indicant. Nec mora, inquiruntur et ipsi : sed conscientia terrente, latebram infra Ecclesiarum sæpta petiere. Ad quos Rex ipse procedens, ait : *Egredimini in judicium, ut cognoscamus de his quæ vobis objiciuntur, si vera sint, an falsa. Nam, ego ut opinor, in hanc Ecclesiam fuga dilapsi non fuissetis, nisi vos conscientia terruisset. Verumtamen promissionem habete de vita, etiamsi culpabiles inveniamini. Christiani enim sumus : nefas est enim vel criminosos ab Ecclesia eductos punire.* Tunc educti foras, cum Rege venerunt ad judicium : discussique reclamant, dicentes : *Quia Septimina cum Droctulfo hoc nobis consilium patefecit. Sed nos exsecrantes ac fugientes, numquam consentire voluimus hoc scelus.* Et Rex : *Si*, inquit, *vos nullam conniventiam præbuissetis, nostris auribus utique intulissetis. Verumne ergo est, vos in hac causa præbuisse consensum, cùm hoc nostræ scientiæ occuli voluistis?* Et statim ejecti D foras, iterùm Ecclesiam petierunt. Septimina verò cum Droctulfo vehementer cæsa, ac cauteriis accensis in facie vulnerata, ablatis omnibus quæ habebat, in Marilegium (e) villam deducitur, ut scilicet trahens molam, his quæ in gynæcio erant positæ, per dies singulos farinas ad victus necessarias præpararet. Droctulfum autem incisis capillis et auribus, ad vineam excolendam delegaverunt, sed post dies paucos fuga dilabitur : inquisitusque ab actore (f), iterùm ad Regem deducitur ; ibique multùm cæsus, iterùm ad vineam quam reliquerat, destinatur. At verò Sunnegisilus et Gallomagnus privati à rebus quas à fisco meruerant, in exsilium retruduntur. Sed venientibus legatis, inter quos Episcopi erant, à Rege Guntchramno, et petentibus pro his, ab exsilio revocantur : quibus nihil aliud est relictum, nisi quod habere proprium videbantur.

XXXIX. In monasterio verò Pictavensi, insidiante diabolo, in corde Chro- E dieldis, quæ se Chariberti quondam Regis filiam adserebat, orto scandalo, ipsa quoque quasi de parentibus confisa Regibus, exactis sacramentis à sanctimonialibus, ut injectis in Abbatissam Leuboveram criminibus, ea monasterio dejecta, ipsam substituerent principalem. Egressaque est cum quadraginta aut eo ampliùs puellis, et consobrina sua Basina filia Chilperici, dicens : *Quia vado ad parentes meos Reges ut eis contumeliam nostram innotescere valeam : quia non ut filiæ Regum, sed ut malarum ancillarum genitæ in hoc loco humiliamur.* Infelix ac facilis (g) non

(a) Sic Bec. et Regm. ceteri verò è contrario, *permittebatur ingredi.*

(b) Vulgò *Sourci*, seu *Saurci*, vicus haud procul ab Axona fluvio positus.

(c) Regm. et Colb. m. *Septimana*, semel tamen *Septimaniam*, et *Septiminam* appellant.

(d) [Clun. *Sonnegisilum.*] Colb. m. *Sonnigisilum* et *Gallomanum*. Regm. *Domnigisilum..... Gallomagum.* et sic inferiùs. Gallomagnus pater fuit Palatinæ, quæ Godegisilo nupsit, ut refert Fortunatus lib. 7. cap. 6.

(e) Vulgò *Marleim* hodie dicitur in Alsatia, media ferè via inter Molshemium, *Molsheim*, et Tabernas, *Saverne*, ubi visuntur etiam nunc villæ regiæ rudera inter oppidum ejusdem nominis et vicum *Kirkem*, qui etiam olim suum habebat palatium regium. De utroque in lib. 4. de re Diplomatica.

(f) Id est procuratore domûs regiæ illius.

(g) Sic codd. mss. At editi *fatua* ; quod idem est apud Gregorium.

GUNTRÆM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 589.

A recordans in qua se humilitate beata Radegundis, quæ hoc instituit monasterium, exhibebat. Egressa ergo ab eo Turonis advenit, dataque nobis salutatione, ait : *Deprecor, sancte Sacerdos, ut has puellas, quæ in magnam humilitatem ab Abbatissa Pictavensi redactæ sunt, custodire digneris, ac cibum præbere, donec ego eam ad Reges parentes nostros, exponamque eis quæ patimur, et revertar.* Quibus ego aio : *Si Abbatissa deliquit, aut canonicam regulam in aliquo prætermisit, accedamus ad fratrem nostrum Maroveum Episcopum, et conjuncti arguamus eam : emendatisque negotiis restituamini in monasterium vestrum, ne dispergatur luxuria, quod sancta Radegundis jejuniis et orationibus crebris, eleemosynisque frequentibus adgregavit.* Et illa respondit : *Nequaquam, sed ad Reges ibimus.* Et ego : *Quare rationi* (a) *resistitis? ob quam rem*
B *sacerdotale monitum non auditis? Vereor ne conjuncti Sacerdotes Ecclesiarum vos à communione removeant.* Sic enim et ab antecessoribus in epistola quam ad beatam Radegundem in initio hujus congregationis scripserunt, habetur insertum : cujus exemplaria huic lectioni inserere placuit.

EXEMPLAR EPISTOLÆ.

« Dominæ beatissimæ et in Christo Ecclesiæ filiæ Radegundi, Eufronius, Præ» textatus, Germanus, Felix, Domitianus, Victorius, et Domnolus Episcopi (b). » Sollicita sunt jugiter circa genus humanum immensæ Divinitatis provisura reme» dia, nec ab assiduitate beneficiorum suorum quocumque loco vel tempore viden
C » tur aliquando sejuncta, cùm pius rerum Arbiter tales in hereditate culturæ Ec» clesiasticæ personas ubique disseminat, quibus agrum ejus intenta operatione » fidei rastro colentibus, ad felicem centeni numeri reditum divina temperie Christi » seges valeat pervenire. Tantùm igitur benignitatis ejus se passim dispensatio pro» futura diffundit, ut illud nusquam deneget quod prodesse multis agnoscit. Qua» rum personarum exemplo sanctissimo cùm judicaturus advenerit, habeat in pluri» mis quod coronet. Itaque cùm ipso Catholicæ religionis exortu cœpissent Gal» licanis in finibus venerandæ fidei primordia (c) respirare, et adhuc ad paucorum » notitiam tunc ineffabilia pervenissent Trinitatis Dominicæ sacramenta ; ne quid » hîc minùs adquireret, quàm in orbis circulo prædicantibus Apostolis obtineret, » beatum Martinum peregrina de stirpe ad inluminationem patriæ dignatus est di
D » rigere, misericordia consulente. Qui licèt Apostolorum tempore non fuerit, » tamen Apostolicam gratiam non effugit. Nam quod defuit in ordine, suppletum » est in mercede : quoniam sequens gradus illi nihil subtrahit, qui meritis antecellit. » Hujus quoque, reverentissima filia, in vobis congratulamur rediviva surgere su» pernæ dilectionis exempla, propitiatione divina : nam declinante tempore sæculi » vetustate, vestri sensùs certamine fides revirescit in flore : et * quod veterno te- * *f.* ut.
» puerat algore senectæ, tandem ferventis animi rursùs incalescat ardore. Sed cùm » pænè eadem veneris ex parte, qua beatum Martinum huc didicimus accessisse (d) ; » non est mirum si illum imitari videaris in opere, quem tibi ducem credimus iti» neris exstitisse : ut cujus es secuta vestigia, felici voto compleas et exempla ; et » beatissimum virum in tanto tibi facias esse socium, in quantum partem refugis
E » habere de mundo. Cujus opinionis radio præmicante, ita reddis audientium pec» tora cœlesti fulgore suffusa, ut passim provocati puellarum animi, divini ignis » scintilla succensi, raptim festinent avidè in caritate Christi fonte vestri pectoris » inrigari : et relictis parentibus te sibi magis eligant, quàm matrem. Facit hoc » gratia, non natura. Igitur (e) hujus studii vota videntes, gratias clementiæ supernæ » referimus, qui voluntates hominum suæ facit voluntati connecti : quoniam con» fidimus quas apud vos jubet colligi, suo vult amplexu servari. Et quia quasdam » comperimus, Divinitate propitia, de nostris territoriis ad institutionem vestræ » regulæ desiderabiliter convolasse : inspicientes etiam vestræ petitionis Epistolam, » libenter à nobis exceptam, hoc Christo auctore et remediatore firmamus : ut licèt » omnes æqualiter quæ ibi conveniunt, in Domini caritate mansuræ debeant invio-

(a) Editi *responsioni.* [Dub. *Qua ratione resistitis.*] Regm. infrà, *monitum contemnitis.*

(b) Eufronius Turonensis, Prætextatus Rotomagensis, Germanus Parisiensis, Felix Namnetensis, Domitianus Andegavensis, Victorius Redonensis, et Domnolus Cenomannensis Episcopi fuere.

(c) Mirum hîc primordia fidei Christianæ in Galliis ad tempora sancti Martini revocari.

(d) Radegundis filia erat Bertharii Thoringorum Regis, ex ipso Gregorio suprà lib. 3. cap. 4. Martinus autem natus est Sabariæ in Pannonia, ut omnes norunt.

(e) Regm. *Igitur in tali studio manens, et hoc nos comperientes.*

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 589.

» labiliter custodire, quod videntur libentissimo (a) animo suscepisse, quoniam A
» contaminari non debet Christo fides cœlo teste promissa, ubi non leve scelus est
» templum Dei, quod absit, pollui, ut ab eo possit ira succendente disperdi : tamen
» specialiter definimus, si qua, sicut dictum est, de locis sacerdotaliter nostræ guber-
» nationi, Domino providente, commissis, in Pictava (b) civitate vestro monasterio
» meruerit sociari, secundùm beatæ memoriæ domni Cæsarii Arelatensis Episcopi
» Constituta, nulli sit ulteriùs discedendi licentia, quæ, sicut continet Regula, vo-
» luntate propria (c) videtur ingressa : ne unius turpi dedecore ducatur in crimen (d),
» quod apud omnes emicat in honore. Et ideò si, quod avertat Deus, aliqua insanæ
» mentis inlicitatione succensa, ad tanti obprobrii maculam præcipitare suam vo-
» luerit disciplinam, gloriam et coronam, ut inimici consilio, sicut Eva ejecta de
» paradiso, per (e) qualemcumque de claustris ipsius monasterii, immo de cœli regno
» exire pertulerit, mergenda et conculcanda vili platearum in luto ; separata à com- B
» munione nostra, diri anathematis vulnere feriatur. Ita ut si fortassis Christo relicto
» homini voluerit nubere, diabolo captivante, non solùm ipsa quæ refugit, sed etiam
» ille qui ei conjunctus est, turpis adulter, et potiùs sacrilegus quàm maritus : vel
» quisquis ut hoc fieret, venenum magis quàm consilium ministravit, simili ultione,
» sicut de illa dictum est, cœlesti judicio, nobis optantibus, percellatur : donec sepa-
» ratione facta, per competentem exsecrandi criminis pœnitentiam, à loco quo egressa
» fuerat, recipi meruerit et adnecti. Adjicientes etiam, ut eorum qui nobis quandoque
» successuri sunt Sacerdotes, similis condemnationis teneantur adstrictæ reatu : et si,
» quod non credimus, aliquid ipsi voluerint aliter quàm nostra deliberatio continet,
» relaxare, noverint se nobiscum æterno Judice definiente causaturos : quia com-
» munis est salutis instructio, si quod Christo promittitur, inviolabiliter observetur.
» Quod nostræ determinationis decretum, pro firmitatis intuitu, propriæ manùs C
» subscriptione credimus (f) roborandum, perpetualiter à nobis Christo auspice ser-
» vaturum (g). »

Lecta igitur hac epistola, Chrodieldis dixit : *Numquam nos ulla retinebit mora, nisi ad Reges, quos parentes nostros esse novimus, accedamus.* Venerant enim pedestri itinere à Pic-
* *i.* equi. tavo, nec ullius equitis * beneficium habuerant : unde anhelæ et satis exiguæ erant. Sed nec victûs alimoniam ullam eis in via quisquam præbuerat. Accesserunt enim ad urbem nostram die prima mensis primi : erant enim pluviæ magnæ ; sed et viæ dissolutæ erant à nimia immensitate aquarum.

XL. Detrahebant autem et de Episcopo, dicentes, quia illius dolo et hæ turbatæ, et monasterium erat derelictum : sed materiam hujus scandali altiùs placuit memorari. Tempore Chlothacharii Regis, cùm beata Radegundis hoc monasterium instituisset, semper subjecta et obediens cum omni congregatione sua anterio- D
ribus fuit Episcopis. Tempore verò Sigiberti, postquàm Maroveus episcopatum urbis adeptus est, acceptis epistolis Sigiberti Regis (h) pro fide ac devotione Radegundis beatæ, in partes Orientis clericos destinat, pro Dominicæ crucis ligno, ac sanctorum Apostolorum, ceterorumque Martyrum reliquiis : qui euntes detulerunt hæc pignera. Quibus delatis, petiit Regina Episcopum ut cum honore debito, grandique psallentio in monasterio locarentur (i). Sed ille despiciens suggestionem ejus, ascensis equitibus, villæ se contulit. Tunc Regina iteratò ad Regem Sigibertum direxit, deprecans ut injunctione sua quicumque ex Episcopis hæc pignera, cum illo quo decebat honore, votumque ejus exposcebat, in monasterio conlocaret. Ad hoc enim opus beatus Eufronius urbis Turonicæ Episcopus injungitur. Qui cum clericis suis Pictavum accedens, cum grandi psallentio, et cereorum micantium (k) ac thimiamatis adparatu, sancta pignera, absente loci Episcopo, in mo-

(a) [Clun. *libenti semel animo.*]
(b) Bec. Colb. m. [Clun.] et Chesn. *Pictavina.*
(c) Sic Casin. alii *prodita :* [ita Clun.] locus verò qui hìc laudatur, habetur cap. 1. Regulæ S. Cæsarii pro monialibus.
(d) Aliàs, *in crimine :* [ita Dub. et Clun.]
(e) [Dub. et Clun. *per qualemcumque locum.*]
(f) [Clun. *credidimus.*]
(g) Editi, *duraturum.*
(h) His verbis innuitur Maroveum, acceptis à Sigeberto litteris, in Orientem misisse ad habendas reliquias, ut S. Radegundis devotioni satisfaceret. Tamen certum est illos Clericos ab ipsa Radegunde missos fuisse. Quare sic censeo restituendum : *Radegundis beata in partes Orientis Clericos destinat, etc.* De hoc videsis Vitam beatæ Radegundis à Baudonivia scriptam num. 18. et seqq. Idem versibus expressit Fortunatus in supplemento carm. 2. quod est ad Justinum Imp. et Sophiam Augustam : hymni verò et alia carmina quæ hac occasione cecinit, habentur l. 2.
(i) Reliquiæ illæ Turonos delatæ, aliquamdiu in monasterio virorum à beata Radegunde ibi instituto jacuerunt, donec tandem Pictavos delatæ sunt. Hæc fuit occasio Gregorio, nondum tunc Episcopo, condendi oratorii S. Crucis, de quo Fortunatus lib. 2. carm. 3. Vide notas Broweri in hoc carmen, et Vitam S. Radegundis à Baudonivia scriptam num. 19.
(k) [Clun. *cereorum micantia.*]

A nasterium detulit. Post hæc cùm Pontificis sui sæpius gratiam quæreret, nec posset adipisci, necessitate commota, cum Abbatissa sua quam instituerat, Arelatensem urbem expetunt : de qua Regula sancti Cæsarii atque Cæsariæ beatæ suscepta, Regis se tuitione munierunt, scilicet quia in illum, qui pastor esse debuerat, nullam curam defensionis suæ poterant reperire. Ex hoc scandalo de die in diem propagato, tempus migrationis beatæ Radegundis advenit : qua migrante, iterum petiit Abbatissa, se sub Sacerdotis sui potestate degere. Quod ille cùm primùm respuere voluisset, consilio suorum promisit se patrem earum, sicut dignum erat, fieri, et ubi necessitas fuisset, suam præbere defensionem. Unde factum est, ut abiens ad Childebertum Regem præceptionem eliceret, ut ei hoc monasterium, sicut reliquas paro-
B chias, regulariter liceat gubernare (a). Sed nescio quid, credo, adhuc in ejus animis residebat, ut hæ puellæ adserunt, quod moveret scandalum. His verò intendentibus, ut ad Regis, sicut diximus, præsentiam properarent, dedimus eis consilium, dicentes : *Intenditis contra rationem, et nullo modo vobis ea series inseri potest, quæ blasphemium arceat. Sed si, ut diximus, rationem prætermittitis, nec salubre consilium vultis accipere, vel hoc conjicite in animis* (b) *vestris, ut præterito hiberni hujus tempore, quod in hoc verno accessit, cùm auræ commodiores fuerint, quò ducit voluntas, pergere valeatis.* Quod consilium aptum suscipientes, subsequente æstate, relictis Turonis, ceteris sanctimonialibus commendatis consobrinæ suæ, Chrodieldis (c) ad Regem Guntchramnum accessit. A quo suscepta ac muneribus honorata, Turonis est regressa, Constantina filia Burgolini in monasterio Augustidunensi relicta, ex-
C spectans Episcopos, qui à Rege fuerant jussi advenire, et causam ipsarum cum Abbatissa discutere. Multæ tamen ex his à diversis circumventæ matrimonio copulatæ sunt, priusquàm hæc à Rege regrederetur. Cùmque præstolantes adventum nullum Episcopum advenire sensissent; Pictavum regressæ sunt, et se infra Basilicam sancti Hilarii tutaverunt, congregatis secum furibus, homicidis, adulteris, omniumque criminum reis, stabilientes se ad bellum, atque dicentes : *Quia Reginæ sumus, nec priùs in monasterium nostrum ingredimur, nisi Abbatissa ejiciatur foras.* Erat ibi tunc reclausa quædam, quæ ante paucos annos per murum se dijiciens, ad Basilicam sancti Hilarii confugit, multa in Abbatissam crimina evomens, quæ tamen falsa cognovimus. Sed postquàm in monasterium per eum locum unde se
D præcipitaverat, funibus est adtracta, petiit ut se in cellulam secretam reclauderet, dicens : *Quia multùm peccavi in Dominum, et domnam meam Radegundem, quæ illis diebus superstes erat; volo me,* ait, *ab hac frequentia congregationis totius amovere, et pœnitentiam pro neglectis meis agere. Scio enim quia misericors est Dominus, et remittit confitentibus se peccata.* Et ingressa est in cellulam. Cùm autem hoc scandalum commotum fuisset, et Chrodieldis à Guntchramno Rege regressa esset; hæc disrupto nocturnis horis cellulæ ostio egressa est à monasterio, et ad Chrodieldem abiit, multa, sicut priùs fecerat, crimina de Abbatissa prorumpens.

XLI. Dum autem hæc agerentur, Gundegisilus Burdegalensis, adjunctis secum Nicasio Egolismensi (d), et Saffario Petragorico, ac ipso Maroveo Pictavensi Episcopis, eò quòd hujus urbis Metropolis esset, ad Basilicam sancti Hilarii advenit,
E arguens has puellas, et in monasterium reducere cupiens. Sed cùm illæ obstinatiùs reluctarentur, et hic cum reliquis juxta Epistolam superiùs nominatam eis excommunicationem indiceret, exsurgens turba murionum (e) præfatorum, tanta eos in ipsa sancti Hilarii Basilica cæde mactavit, ut (f) conruentibus in pavimento Episcopis vix consurgere possent : sed et diaconi et reliqui clerici sanguine perfusi, cum effractis capitibus Basilicam sunt egressi. Tam immensus enim eos, et, ut credo, diabolo cooperante, pavor obsederat, ut egredientes à loco sancto, nec sibi valedicentes, unusquisque per viam quam arripere potuit, repedaret. Adfuit huic calamitati et Desiderius diaconus Syagrii Augustidunensis Episcopi, qui non inquisito Clenni (g) fluminis vado, quò primùm littus adtigit est ingressus; ac natante equo

(a) Specialem hujus insignis loci curam Reges nostri semper habuere, ut patet ex Capitulari Ludovici Pii circa annum 822. apud Baluzium, quod totum est de hoc monasterio. Locum habebat inter monasteria, quæ ab omni militia et dono libera, solas orationes Imperatori debebant, ut patet ex Notitia ea de re facta in conventu Aquisgranensi an. 817.

(b) [Dub. *in animas vestras.*]

(c) Editi *ceteris accommodatis consobrinæ suæ Chrodieldi sanctimonialibus, ad Regem, etc.*

(d) Al. *Ecolesinensi*, [ita Clun.] subscripsit Conc. Matisconensi II. ubi dicitur *Nicasius Aquilimensium.* Gundegisilus autem Burdegalensis laudatur à Fortunato l. 7. cap. 31. [Clun. *Saphirio Petragorico*, et sic infrà.]

(e) Muriones, seu, ut habet S. Augustinus Epist. 143. ad Marcellinum, moriones, id est fatui, sic dicti à Græca voce μωρός.

(f) [Dub. *corruentes..... Episcopi.*]

(g) Editi cum Bec. *Cleni*, vulgò *le Clain*, fluvius in Vigennam influens.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 589.

ripæ ulterioris campo evectus est. Ex hoc Chrodieldis ordinatores eligit, villas monasterii pervadit, et quoscumque de monasterio arripere potuisset, plagis ac cædibus adfectos suo servitio subjugabat, minans, ut si monasterium posset ingredi, Abbatissam de muro projectam terræ dejiceret. Quod cùm Childeberto Regi nuntiatum fuisset, statim directa auctoritate præcepit Macconi Comiti, ut hæc reprimere omni intentione deberet. Gundegisilus autem cùm has à communione suspensas cum ceteris, ut diximus, reliquisset Episcopis, epistolam ex suo fratrumque præsentium nomine conscripsit ad Sacerdotes illos, qui tunc cum Rege Guntchramno fuerant adgregati (a) : à quibus hæc rescripta suscepit. A

EXEMPLAR RESCRIPTI.

« Domnis semper suis (b), atque Apostolica sede dignissimis, Gundegisilo, Nicasio et Saffario (c), Ætherius, Syagrius, Aunacharius, Hesychius, Agrœcola, Urbicus, Felix, Veranus, item Felix, et Bertchramnus (d) Episcopi. Litteras vestræ beatitudinis, quantùm reserante nuntio de vestra sospitate gavisi, excepimus; tantùm de injuria quam vos pertulisse signastis, non modico mœrore adstringimur, dum et regula transcenditur, et nulla reverentia Religioni servatur. Sed quia indicastis monachas, quæ de monasterio bonæ memoriæ Radegundis, instigante diabolo, fuerunt digressæ, quòd nullam à vobis acquieverint correctionem audire, nec infra monasterii sui sæpta, de quo egressæ fuerant, voluissent reverti : insuper basilicæ domni Hilarii per cædes vestras vestrorumque, injuriam intulisse. Quapropter ipsas à communionis gratia visi fueritis suspendere, ac per hoc nostram exinde, mediocritatem elegistis consulere. Igitur quia optimè vos novimus statuta Canonum percurrisse (e), ac regulæ plenitudinem continere, ut qui in talibus excessibus videntur deprehendi, non solùm excommunicatione, verùm etiam pœnitentiæ satisfactione debeant coerceri : ea de re addentes cum venerationis cultu summæ aviditatis dilectionis instinctum, indicamus ea quæ definistis nos concordanter vestræ sententiæ consentire, quoadusque in synodali Concilio Calendis Novembribus pariter positi, debeamus consilio pari tractare, qualiter talium temeritas frenum districtionis possit accipere, ut deinceps nulli liceat sub hunc lapsum faciente jactantia similia perpetrare. Attamen quia nos sua dictione domnus Paulus
2. *Tim.* 4. Apostolus indesinenter videtur monere, ut opportunè inopportunèque debeamus
2. quoscumque excedentes sedula (f) prædicatione corrigere, et pietatem protestatur,
1. *Tim.* 4. ad omnia utilem esse : ideò suggerimus adhuc, ut oratione assidua Domini miseri-
8. cordiam deprecemini, ut ipse spiritus compunctionis ipsas inflammare dignetur, ut id quod per delictum visæ sunt contraxisse, digna satisfactione pœniteant : ut in monasterio suo vestra prædicatione animæ, quæ quodammodo perierunt, propitio Christo revertantur : ut ille qui unam humeris inlatam errantem ovem ad ovile reduxit, et de istarum transgressione, quasi adquisito gregi (g) congaudere dignetur. Hoc specialiùs postulantes, ut pro nobis intercessionum vestrarum suffragia indesinenter, ut confidimus, tribuatis. Peculiaris vester Ætherius peccator salutare præsumo. Cliens vester Hesychius reverenter audeo salutare. Amator vester Syagrius reverenter saluto. Cultor vester Urbicus peccator famulanter saluto. Venerator vester Veranus Episcopus reverenter saluto. Famulus vester Felix salutare præsumo. Humilis vester atque amator Felix audeo salutare. Humilis atque obediens vester Bertchramnus Episcopus salutare præsumo. » B C D E

XLII. Sed et Abbatissa recitavit Epistolam, quam beata Radegundis Episcopis, qui suo tempore erant, dirigi voluit. Cujus nunc iterum ipsa Abbatissa exemplaria ad vicinarum urbium Sacerdotes direxit : cujus hoc est exemplar.

EXEMPLAR EPISTOLÆ.

« Domnis sanctis, et Apostolica sede dignissimis, in Christo patribus, omnibus

(a) Augustoduni, ut existimat Valesius.

(b) Regm. *Dominis suis, atque.* Legendum fortè *Dominis sancti etc.* Hæc enim est communis formula.

(c) Lalandus in Supplem. Concil. Galliæ addit *et Maroveo.* Infrà autem in Colb. m. Regm. [et Clun.] deest *Aunacharius*; et quidem inter eos qui subscripserunt non occurrit, sicut nec Agræcula : ceteri verò non eo ordine subscripserunt, quo hîc eorum nomina recensentur. Episcopi autem illi fuerunt Ætherius Lugdunensis, Syagrius Augustodunensis, Aunacharius Autisiodorensis, Hesichius Gratianopolitanus, Agricola Nivernensis, Urbicus Regiensis, Felix Beliciensis, Veranus Cavellicensis, Felix Catalaunensis, Bertramnus Cenomannensis.

(d) [Dub. *Berthecramnus.*]

(e) Exinde patet, verbum percurrere non adsumi pro lectione præcipitanter facta. Vide Mabillon. in Defensione studiorum monasticorum art. 19.

(f) [Clun. *sine dolo prædicatione.*]

(g) [Clun. *adquisitum gregem.*]

A » Episcopis, Radegundis peccatrix (a). Congruæ provisionis tunc roborabiliter ad
» effectum tendit exordium, cùm generalibus patribus, medicis ac pastoribus,
» ovilis sibi commissi causa auribus traditur, cujus sensibus (b) commendatur : quo-
» rum participatio de caritate, consilium de potestate, suffragium de oratione mi-
» nistrare poterit interventum. Et quoniam olim vinclis laicalibus absoluta, divina
» providente et inspirante clementia, ad Religionis normam visa sum voluntariè,
» duce Christo, translata, hæc pronæ mentis studio cogitans etiam de aliarum pro-
» fectibus, ut, adnuntiante (c) Domino, mea desideria efficerentur reliquis profutura,
» instituente atque remunerante præcellentissimo domno Rege Chlothario, monas-
» terium puellarum Pictava urbe constitui, conditumque, quantùm mihi munifi-
» centia regalis est largita, facta donatione dotavi : insuper congregationi per me
» Christo præstante collectæ, Regulam sub qua sancta Cæsaria deguit (d) : quam
B » sollicitudo beati Cæsarii Antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum Patrum
» convenienter collegit, adscivi. Cui consentientibus beatissimis vel hujus civita-
» tis, vel reliquis Pontificibus, electione etiam nostræ congregationis domnam et
» sororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate loco filiæ colui et educavi (e),
» Abbatissam institui, ac me post Deum ejus ordinationi regulariter obedituram com-
» misi. Cuique, formam Apostolicam observantes, tam ego quàm sorores de sub-
» stantia terrena quæ possidere videbamur, factis chartis tradidimus, metu Ananiæ
» et Sapphiræ, in monasterio positæ nihil proprium reservantes. Sed quoniam in- *Act.* 5.
» certa sunt humanæ conditionis momenta vel tempora, quippe mundo in finem
» currente, cùm aliqui magis propriæ quàm divinæ cupiant voluntati servire : zelo
» ducta Dei hanc suggestionis meæ paginam (f), Apostolatûs vestri in Christi no-
C » mine superstes porrigo vel devota. Et quia præsens non valui, quasi vestris pro-
» voluta vestigiis, epistolæ vicarietate prosternor, conjurans per Patrem et Filium
» et Spiritum-sanctum, ac diem tremendi Judicii, sic repræsentatos vos non ty-
» rannus oppugnet, sed legitimus Rex coronet : ut si casu post meum obitum quæ-
» cumque persona, vel loci ejusdem Pontifex, seu potestas Principis, vel alius ali-
» quis, quod nec fieri credimus, congregationem, vel suasu malivolo, vel im-
» pulsu judiciario perturbare tentaverit, aut Regulam frangere, seu Abbatissam al-
» teram quàm sororem meam Agnetem, quam beatissimi Germani præsentibus
» suis fratribus benedictio consecravit : aut ipsa congregatio, quod fieri non potest,
» habita murmuratione mutare contenderit, vel quasdam dominationes in monas-
» terio, vel rebus monasterii, quæcumque persona vel Pontifex loci, præter
D » quas antecessores Episcopi, aut alii me superstite habuerunt, novo privilegio
» quicumque adfectare voluerit, aut extra Regulam exinde egredi quis tentaverit,
» seu de rebus, quas in me præcellentissimus domnus Chlotharius, vel præcellentissi-
» mi domni Reges * filii sui contulerunt : et ego ex ejus præceptionis permisso, * *al.* Regis.
» monasterio tradidi possidendum, et per auctoritates præcellentissimorum dom-
» norum Regum, Chariberti, Guntchramni, Chilperici et Sigiberti, cum sacra-
» menti interpositione, et suarum manuum subscriptionibus obtinui confirmari : aut
» ex his quæ alii pro animarum suarum remedio, vel sorores ibidem de rebus pro-
» priis contulerunt, aliquis Princeps, aut Pontifex, aut Potens, aut (g) de soro-
» ribus cujuslibet personæ ausi minuere, aut sibimet ad proprietatem revocare sacri-
» lego voto contenderit, ita vestram sanctitatem (h) successorumque vestrorum
» post Deum, pro mea supplicatione et Christi voluntate, incurrat : ut sicut præ-
E » dones et spoliatores pauperum extra gratiam vestram habeantur : numquam de
» nostra Regula, vel de rebus monasterii, obsistentibus vobis, imminuere valeat
» aliquid aut mutare. Hoc etiam deprecans ut, cùm Deus prædictam domnam so-
» rorem nostram Agnetem de sæculo migrare voluerit, illa in loco ejus Abbatissa
» de nostra congregatione debeat ordinari, quæ Deo et ipsi placuerit, custodiens
» Regulam, et nihil de proposito sanctitatis imminuat : nam (i) numquam propria
» aut cujuscumque voluntas præcipitet. Quòd si, quod absit, contra Dei manda-
» tum et auctoritatem Regum aliquis de suprascriptis conditionibus coram Domino
» et sanctis ejus precabiliter commendatis agere, aut de persona aut substantia mi-

(a) [Clun. *Radegundis Pictavis.*]
(b) [Clun. *cujus sensus.*]
(c) [Clun. *annuente Domino.*]
(d) Sic mss. Editi verò plerique *degit.*
(e) Sic Bad. alii *eduxi.* [Ita Clun.]
(f) [Clun. *paginam æreàm postulatûs vestri.*]
(g) Regm. *aut aliqua de sororibus hæc imminuere, et in sua propria traducere quavis machinatione tentaverit, anathematis jugi gladio feriantur.*
(h) Legendum, ut puto, *iram vestræ sanctitatis etc.*
(i) Regm. *nam nonnumquam propria.... præcipitat.*

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 589.

» nuenda voluerit, aut memoratæ sorori meæ Agneti Abbatissæ molestias aliquas A
» inferre tentaverit, Dei et sanctæ Crucis et beatæ Mariæ incurrat judicium, et
» beatos Confessores Hilarium et Martinum, quibus post Deum sorores meas tra-
» didi defendendas, ipsos habeat contradictores et persecutores. Te quoque, beate
» Pontifex, successoresque vestros, quos patronos in causa Dei diligenter adscisco,
» si, quod absit, exstiterit qui contra hæc aliquid moliri tentaverit, pro repellendo
» et confutando Dei hoste, non pigeat ad Regem, quem eo tempore locus iste
» respexerit, vel ad Pictavam civitatem, pro re vobis ante Dominum commendata
» percurrere, et contra aliorum injustitiam exsecutores et defensores justitiæ labo-
» rare, ut tale nefas nullo modo suis admitti temporibus Rex patiatur Catholicus,
» nec convelli permittat quod Dei et mea et Regum ipsorum voluntate firma-
» tum est. Simul etiam Principes, quos Deus pro gubernatione populi post decess-
» sum meum superesse præceperit, conjuro per Regem, cujus regni non erit finis, B
» et ad cujus nutum regna consistunt, qui eis donavit ipsum vivere vel regnare :
» ut monasterium quod ex permisso et solatio domnorum Regum, patris vel avi
» eorum construxisse visa sum, et ordinasse regulariter, vel dotasse, sub sua tui-
» tione et sermone, unà cum Agnete Abbatissa jubeant gubernare : et à nullo ne-
» que sæpe dictam Abbatissam nostram, neque aliquid ad nostrum monasterium
» pertinens molestari, aut inquietari, vel exinde imminui, aut aliquid mutari per-
» mittant : sed magis pro Dei intuitu unà cum domnis Episcopis ipsi, me suppli-
» cante coram Redemtore gentium, sicut eis commendo, defensari jubeant et
» muniri : ut in cujus honore Dei famulas protegunt, cum defensore pauperum,
» et Sponso Virginum perpetualiter æterno socientur in regno. Illud (a) quoque
» vos sanctos Pontifices, et præcellentissimos domnos Reges, et universum po-
» pulum Christianum conjuro per fidem Catholicam in qua baptizati estis, et Ec- C
» clesias quas conservatis, ut in Basilica, quam in sanctæ Mariæ Dominicæ genitri-
» cis honorem cœpimus ædificare, ubi etiam multæ sorores nostræ conditæ sunt in
» requie, sive perfecta, sive imperfecta, cùm me Deus de hac luce migrare præ-
» ceperit, corpusculum meum ibi debeat sepeliri. Quòd si quis aliud inde voluerit,
» aut fieri tentaverit, obtinente cruce Christi, et beata Maria, divinam ultionem
» incurrat : et vobis intercurrentibus, in loco ipsius Basilicæ merear cum sororum
» congregatione obtinere loculum sepulturæ. Et ut hæc supplicatio mea, quam
» manu propria subscripsi, in universalis Ecclesiæ archivo servetur, effusis cum la-
» crymis deprecor, quatinus si contra improbos aliquos necessitas exegerit, ut ves-
» tra defensione soror mea Agnes Abbatissa, vel congregatio ejus [quo] succurri
» sibi poposcerint, vestræ misericordiæ pia consolatio opem pastorali sollicitudine
» subministret, nec de me destitutas se proclament, quibus Deus præsidium vestræ D
» gratiæ præparavit. Illud vobis in omnibus ante oculos revocantes, per ipsum,
» qui de cruce gloriosa Virginem suam genitricem beato Johanni Apostolo com-
» mendavit, ut qualiter ab illo completum est Domini mandatum, sic sit apud vos
» quod indigna et humilis domnis meis Ecclesiæ Patribus et viris Apostolicis com-
» mendo : quod cùm dignanter servaveritis depositum, meritis participes cujus impletis
» mandatum Apostolicum, dignè reparetis exemplum (b). »

XLIII. Post hæc Maroveus Episcopus cùm diversa improperia ab his audiret, Porcarium Abbatem Basilicæ beati Hilarii, ad Gundegisilum Episcopum et reliquos comprovinciales ejus destinat, ut data communione puellis, ad audientiam veniendi licentiam indulgere dignarentur : sed nequaquam potuit obtinere. Childebertus autem Rex, cùm assiduas de utraque parte, monasterii scilicet, vel puellarum quæ egressæ fuerant, molestias pateretur, Theutharium presbyterum ad di- E
rimendas querimonias quæ inter easdem agebantur, destinat : qui * provocatis Chrodielde (c) cum reliquis puellis ad audientiam, dixerunt : *Non venimus, quia à communione suspensæ sumus : si reconciliari meremur* (d), *tunc ad audientiam venire non differimus.* Hæc audiens ille, ad Episcopos abiit : cùmque cum his de hac causa locutus fuisset, nullum effectum obtinere potuit de communione earum : et sic ad urbem Pictavam regressus est. Puellæ verò separatæ ab invicem, aliæ ad parentes, aliæ ad domos proprias, nonnullæ in monasteria, in quibus priùs fuerant, sunt

* *f.* cui.

(a) Quæ sequuntur ad finem capitis, contracta sunt in Regm.

(b) Ad calcem Historiæ Aquitaniæ editum est istud beatæ Radegundis testamentum cum aliquot Episcoporum subscriptionibus ; sed quæ videntur ab aliquo alio superadditæ.

(c) Sic Bec. alii *qui provocatæ Chrodieldis.*

(d) [Clun. *merebimur.*]

regressæ :

A regressæ : quia hiemem validam simul positæ propter penuriam ligni tolerare non poterant. Paucæ tamen cum Chrodielde et Basina remanserunt. Erat enim tunc et inter eas magna discordia, pro eo quòd altera alteri se præponere cupiebat.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 589.

XLIV. Eo anno post clausum Pascha (a), tam immensa cum grandine pluvia fuit, ut infra duarum aut trium horarum spatium, etiam per minores vallium meatus, ingentia currere flumina viderentur : arbores in autumno floruerunt, et poma, sicut priùs dederant, ediderunt. Mense nono rosæ adparuerunt. Flumina verò ultra modum excreverunt, ita ut excedentia litora, loca, quæ numquam contingere consueta fuerant, operirent, non minimum sationibus inferentia damnum.

(a) Dominica in Albis, seu prima post Pascha, dicitur passim in veteri lectionario et Missalibus Gallicanis à Mabil. nostro editis *Clausum pascha*. Sic etiam à popularibus nostris vulgò appellatur *Pâque close*.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI DECIMI.

I. De Gregorio Papa Romano. —— Oratio S. Gregorii ad plebem.
II. De reditu Gripponis Legati ab Imperatore Mauricio.
III. Quòd exercitus Childeberti Regis in Italiam abiit.
IV. Quòd Mauricius Imperator Legatorum interfectores in Gallias direxit.
*V. Quòd Cuppa * limitem Turonicum inrupit.*
VI. De Carcerariis Arvernis.
VII. Quòd in ipsa urbe Rex Childebertus Clericis, ne tributum redderent, præstitit.
VIII. De Eulalio et Tetradia, quæ uxor ejus fuit.
IX. De exercitu Guntchramni Regis, qui in Britanniam abiit.
X. De interitu Chundonis Cubicularii ejus.
XI. De infirmitate Chlotharii junioris.
XII. De malitia Berthegundis.
XIII. Altercatio de resurrectione.
XIV. De interitu Theodulphi (a) *Diaconi.*
XV. De scandalo monasterii Pictaviensis.
XVI. De judicio contra Chrodieldem et Basinam lato. —— Exemplar Judicii.
XVII De excommunicatione earum.
XVIII. De percussoribus ad Childebertum Regem missis.
XIX. De expulsione Egidii Remensis Episcopi.
XX. De puellis suprà memoratis in hac reconciliatis Synodo.
XXI. De interitu filiorum Waddonis.
XXII. De interitu Childerici (b) *Saxonis.*
XXIII. De signis, et dubietate Paschæ.
XXIV. De destructione urbis Antiochenæ.
XXV. De interitu ejus qui se Christum dicebat.
XXVI. De obitu Ragnemodi ac Sulpicii Episcoporum.
XXVII. De his quos Fredegundis interfici jussit.
XXVIII. De baptismo Chlotharii filii ejus.
XXIX. De conversione ac miraculis, vel obitu Aredii Abbatis Lemovicini.
XXX. De temperie anni præsentis, et de diei Dominicæ celebratione.
XXXI. Recapitulatio de Episcopis Turonicis.

* *al.* Chuppa.

(a) Colb. m. Regm. [et Clun.] *Gundonis*. Agunt tamen in ipso capite de Theodulfo, ut in editis.

(b) Colb. m. Regm. [et Clun.] *Chilperici*. et in capite ipso *Chuldericum* appellant, aut *Childericum*.

LIBER DECIMUS.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

I. ANNO igitur quinto-decimo Childeberti Regis, Diaconus noster ab urbe Roma cum Sanctorum pigneribus veniens (a), sic retulit, quòd anno superiore mense nono tanta inundatione Tiberis fluvius (b) urbem Romam obtexerit, ut ædes antiquæ diruerentur : horrea etiam Ecclesiæ subversa sint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Multitudo etiam serpentium cum magno dracone in modum trabis validæ, per hujus fluvii alveum in mare descendit : sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus, litori ejectæ sunt. Subsecuta est de vestigio clades, quam inguinariam vocant : nam medio mense undecimo adveniens, primum omnium, juxta illud quod in Ezechiele Propheta legitur, *A sanctuario meo incipite,* Pelagium Papam perculit, et sine mora exstinxit : quo defuncto, magna strages populi de hoc morbo facta est. Sed quia Ecclesia Dei absque Rectore esse non poterat, Gregorium Diaconum plebs omnis elegit. Hic enim de Senatoribus primis, ab adolescentia devotus Deo, in rebus propriis sex in Sicilia monasteria congregavit : septimum infra urbis Romæ muros instituit : quibus tantam delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, reliqua vendidit cum omni præsidio domûs, ac pauperibus erogavit : et qui antè serico contectus, ac gemmis micantibus solitus erat per urbem procedere trabeatus, nunc vili contectus vestitu (c), ad altaris Dominici ministerium consecratur; septimusque Levita (d) ad adjutorium Papæ adsciscitur. Tantaque ei abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in jejuniis erat, ut infirmato stomacho vix consistere posset. Litteris grammaticis, dialecticisque ac rhetoricis ita erat institutus, ut nulli in Urbe ipsa putaretur esse secundus. Hunc (e) apicem adtentiùs fugere tentans, ne quod priùs abjecerat, rursùm ei in sæculo de adepto honore jactantia quædam subreperet : unde factum est ut epistolam ad Imperatorem Mauricium dirigeret, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, conjurans, et multa prece poscens, ne umquam consensum præberet populis, ut hunc hujus honoris gloria sublimaret. Sed Præfectus urbis Romæ Germanus, ejus (f) anticipavit nuntium, et comprehenso, disruptis epistolis, consensu (g) quem populus fecerat Imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia Diaconi, quòd reperisset locum honoris ejus (h), data præceptione ipsum jussit institui. Cùmque in hoc restaret ut benediceretur, et lues populum devastaret, verbum ad plebem pro agenda pœnitentia in hunc modum exorsus est.

A B C

ORATIO GREGORII AD PLEBEM.

« Oportet, fratres dilectissimi, ut flagella Dei quæ metuere ventura debuimus, D
» saltem præsentia et experta timeamus. Conversionis nobis aditum dolor aperiat,
» et cordis nostri duritiam ipsa quam patimur, pœna dissolvat : ut enim Propheta
» teste prædictum est, *Pervenit gladius usque ad animam.* Ecce etenim cuncta
Jerem. 4. 10. » plebs cœlestis iræ mucrone percutitur, et repentina singuli cæde vastantur : nec
» languor mortem prævenit, sed languoris moras, ut cernitis, mors præcurrit.
» Percussus quisque antè rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ convertatur. Pen-
» sate ergo, qualis ad conspectum districti Judicis pervenit, cui non vacat flere
» quod fecit. Habitatores quique non ex parte subtrahuntur, sed pariter conruunt :
» domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes adspiciunt, et sui eos ad

(a) Confer librum primum de Gloria Martyrum cap. 83.

(b) Hanc Tiberis inundationem memorat ipse Gregorius M. lib. 3. Dialog. cap. 19. et Paulus Diaconus lib. 3. de Gestis Langobard. cap. 24 et seqq. qui et in Vita S. Gregorii, edita Sæculo I. Benedictino inter acta SS. Ord. nostri, integrum ferè hoc caput Gregorii nostri descripsit.

(c) Monastico scilicet, quem omnibus abdicatis in monasterio S. Andreæ à se condito Romæ suscepit, ubi Benedictina Regula vigebat. Qua de re dissertationem edidit noster Mabillonius tomo 2. Vet. Analect. quam videsis.

(d) Diu mos ille Romæ viguit, ut nonnisi septem Diaconi, scilicet regionarii, haberentur in memoriam VII. Diaconorum ab Apostolis Jerosolymis institutorum. De his vide Mabillon. Comment. in Ordinem Rom. cap. 3.

(e) Quæ sequuntur ad finem cap. contracta sunt in Regm. in quo nec S. Gregorii oratio habetur.

(f) Aliquot ed. *germanus ejus.* quasi Præfectus S. Gregorii frater fuerit.

(g) [Clun. *consensum.* Paulò pòst, *facta præceptione.*]

(h) Paulus Diac. in Vita S. Gregorii, *eò quòd locum deferendi ei honoris reperisset.*

A » interitum heredes præcedunt. Unusquisque ergo nostrûm ad pœnitentiæ lamenta
» confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Revocemus ante oculos mentis
» quicquid errando commisimus : et quod nequiter egimus flendo puniamus. *Præ-*
» *veniamus faciem ejus in confessione*, et sicut Propheta ammonet, *Levemus corda*
» *nostra cum manibus ad Dominum*. Ad Deum quippe corda cum manibus levare
» est, orationis nostræ studium merito (a) bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat
» tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam clamat : *Nolo mortem peccatoris, sed*
» *ut convertatur et vivat*. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate despe-
» ret : veternosas namque Ninivitarum culpas triduana pœnitentia abstersit; et con-
» versus latro vitæ præmia, etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus *
» igitur corda, et præsumamus nos jam percepisse quod petimus. Citiùs ad pre-
» cem Judex flectitur, si à pravitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ
B » animadversionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. Ea namque, quæ in-
» grata esse hominibus importunitas solet, judicio Veritatis placet : quia pius ac
» misericors Deus vult à se precibus veniam exigi, qui quantùm meremur non
» vult irasci : hic etenim per Psalmistam dicit : *Invoca me in die tribulationis tuæ, et*
» *eripiam te : et magnificabis me*. Ipse ergo sibi testis est, quia invocantibus mise-
» reri desiderat, qui ammonet ut invocetur. Proinde, fratres carissimi, contrito
» corde, et correctis operibus, ab ipso feriæ quartæ primo diluculo (b), septi-
» formem Letaniam juxta distributionem inferiùs designatam, devota ad lacry-
» mas (c) mente veniamus, ut districtus Judex cùm culpas nostras nos punire con-
» siderat, ipse à sententia propositæ (d) damnationis parcat. Clerus igitur egrediatur
» ab Ecclesia sanctorum Martyrum Cosmæ et Damiani cum Presbyteris regionis
» sextæ. Omnes verò Abbates cum monachis suis ab Ecclesia sanctorum Marty-
C » rum Gervasii et Protasii cum Presbyteris regionis quartæ. Omnes Abbatissæ cum
» congregationibus suis egrediantur ab Ecclesia sanctorum Martyrum Marcellini et
» Petri cum Presbyteris regionis primæ. Omnes infantes ab Ecclesia sanctorum
» Martyrum Johannis et Pauli cum Presbyteris regionis secundæ. Omnes verò laici
» ab Ecclesia sancti protomartyris Stephani cum Presbyteris regionis septimæ.
» Omnes mulieres viduæ ab Ecclesia sanctæ Eufemiæ cum Presbyteris regionis
» quintæ. Omnes autem mulieres conjugatæ egrediantur ab Ecclesia sancti Mar-
» tyris Clementis cum Presbyteris regionis tertiæ (e). Ut de singulis Ecclesiis
» exeuntes cum precibus ac lacrymis, ad beatæ Mariæ semper virginis genitricis
» Domini Dei nostri Jesu-Christi basilicam congregemur, ut ibi diutiùs cum fletu
» ac gemitu Domino supplicantes, peccatorum nostrorum veniam promereri va-
» leamus. »

Psal. 94. 2. *Thr.* 3. 41. *Ezech.* 33. 11. *Joh.* 3. 10. *Luc.* 23. 43.

* *al.* levemus.

Psalm. 49. 15.

D Hæc eo dicente, congregatis Clericorum catervis, psallere jussit per triduum, ac deprecari Domini misericordiam. De hora quoque tertia veniebant utrique chori psallentium ad Ecclesiam, clamantes per plateas urbis, *Kyrie eleison*. Adserebat autem Diaconus noster qui aderat, in unius horæ spatio, dum voces plebs ad Dominum supplicationis emisit, octoginta homines ad terram conruisse, et spiritum exhalasse. Sed non destitit Sacerdos tantus prædicare populo, ne ab oratione cessarent. Ab hoc etiam Diaconus noster reliquias Sanctorum, ut diximus, sumsit, dum adhuc in Diaconatu degeret. Cùmque latibula fugæ præpararet, capitur, trahitur, et ad beati Apostoli Petri basilicam deducitur, ibique ad pontificalis gratiæ officium consecratus Papa Urbi datus est. Sed nec destitit Diaconus noster, nisi ad episcopatum ejus de Porto (f) rediret, et qualiter ordinatus fuerit, præsenti contemplatione suspiceret.

II. Grippo (g) autem ab Imperatore Mauricio rediens, hæc nuntiavit, quòd anno superiore cùm adepto navigio cum sociis suis Africæ portum adtigisset,

(a) [Clun. *cum merito.*]

(b) [Clun. *feriæ quartæ diluculo, septiformis Letaniæ.*]

(c) Aliàs *mente cum lacrymis.*

(d) Aliàs *proposita.*

(e) Personarum locorumque ordinem paullò aliter exprimit ipse Gregorius lib. 11. epist. 2. et Johannes Diaconus lib. 1. Vitæ S. Gregorii num. 42. quòd fortè complures ejusmodi fuerint litaniæ, uti censet Baronius. Paulus verò Diaconus lib. 3. de Gestis Langobard. nostro Gregorio conformis est.

(f) Bec. *de portu.* Ed. *de porta.* An hîc indicatur locus in quo Gregorius pontificatum fugiens latebras quæsierat ? aut de ipso Gregorii Tur. Diacono qui *ad portum* usque deductus dicitur lib. 1. de Glor. Mart. cap. 83.

(g) Colb. a. *Gripho*, et sic infrà. Hoc caput in eodem cod. immediatè subjungitur capiti 36. præcedentis libri, omissis intermediis, ita ut nulla sit in isto codice librorum IX. et X. distinctio. Quod etiam fit in Vat. in quo tamen hîc et in capitulorum indice novus habetur numerorum ordo, ita ut hoc caput, nulla licèt libri X. facta mentione, dicatur caput 1. et sic deinceps. In utroque post hunc librum habetur Fredegarii Chronicon sub titulo libri X. Historiæ Gregorii.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

Carthaginem magnam ingressi sunt. Ubi dum morarentur, jussionem opperientes A Præfecti qui aderat (a), qualiter Imperatoris præsentiam adire deberent, unus puerorum, Evantii scilicet, qui cum eodem abierat, direptam speciem de manu cujusdam negotiatoris ad metatum detulit. Quem ille prosecutus cujus res erant, reddi sibi rem propriam flagitabat : sed isto differente, cùm de die in diem hoc jurgium in majus propagaretur, quadam die negotiator puerum illum in platea reperit, adprehensoque vestimento ejus, tenere cœpit, dicens : *Quia non à me laxaberis, priusquàm res, quas violenter diripuisti, meæ ditioni restituas.* At ille excutere se de ejus manibus conatus, non dubitavit erepto gladio hominem trucidare, et statim ad metatum regressus est, nec aperuit sociis quæ gesta fuerant. Erant enim ibi tunc, ut diximus, legati, Bodegisilus filius Mummoleni (b) Suessionici, et Evantius filius Dynamii Arelatensis, et hic Grippo genere Francus, qui elevantes de epulo, sopori se dederant pro quie- B te. Quare cùm Seniori urbis nuntiata fuissent quæ puer horum gesserat, collectis militibus, vel omni populo armis circumdato, ad metatum eorum dirigit. At illi inopinantes expergefacti, obstupescunt, cernentes hæc quæ gerebantur. Tunc ille qui prior erat, exclamabat dicens : *Arma deponite, et ad nos egredimini, ut cognoscamus pacificè qualiter homicidium factum est.* Hæc illi audientes, timore perterriti, adhuc ignorantes quæ gesta fuerant, fidem expetunt, ut securi sine armis egrederentur. Juraverunt homines illi, quod custodire impatientia non permisit. Sed mox egredientem Bodegisilum gladio percutiunt, similiter et Evantium. Quibus ante ostium metatûs prostratis, Grippo arreptis armis cum pueris qui secum erant, processit ad eos, dicens : *Quæ gesta fuerunt nos ignoramus, et ecce socii itineris mei, qui ad Imperatorem directi fuerant, gladio sunt prostrati. Judi-* C *cabit* (c) *Deus injuriam nostram, et mortem illorum de interitu vestro, quia nos innocentes et in pace venientes taliter trucidatis : nec ultrà erit pax inter Reges nostros Imperatoremque vestrum. Nos enim pro pace venimus, et pro adjutorio reipublicæ impertiendo. Testem hodie invoco Deum, quia vestra excitavit noxa, ut non custodiatur inter Principes pax promissa.* Hæc et hujuscemodi Grippone verba proferente, soluto Carthaginensis (d) belli procinctu, regressus est unusquisque ad propria. Præfectus verò ad Gripponem accedens, mulcere cœpit animos ejus de iis quæ gesta fuerant, ordinans qualiter ad præsentiam Imperatoris accederet. Qui veniens narrata legatione pro qua directus fuerat, exitium sociorum exposuit. Qua de causa Imperator valde molestus, pollicitus est ulcisci mortem eorum, juxta id quod Childeberti Regis judicium promulgaret. Tunc ab Imperatore muneratus, cum pace regressus est (e).

III. His (f) à Grippone Childeberto Regi relatis, confestim exercitum in Ita- D liam commoveri jubet, ac viginti Duces ad Langobardorum gentem debellandam dirigit. Quorum nomina non putavi lectioni ex ordine necessariò inserenda. Audovaldus (g) verò Dux cum Vinthrione commoto Campaniæ populo, cùm ad Mettensem urbem, quæ ei in itinere sita erat, accessisset, tantas prædas, tantaque homicidia ac cædes perpetravit, ut hostem propriæ regioni putaretur inferre. Sed et alii quoque Duces similiter cum phalangis suis fecere ; ita ut priùs regionem propriam aut populum commanentem adficerent, quàm quiddam victoriæ de inimica gente patrarent. Adpropinquantes autem ad terminum Italiæ, Audovaldus cum sex Ducibus dexteram petiit, atque ad Mediolanensem urbem advenit : ibique eminùs in campestria castra posuerunt. Olo autem Dux ad Bilitionem hujus urbis castrum, in campis situm Caninis (h), importunè accedens, jaculo sub

(a) Sic Colb. a. ceteri *qui aderant*.

(b) Mummolenum laudat Fortunatus lib. 7. carm. 14.

(c) [Clun. *Judicet Deus.*]

(d) Bad. *Carthaginenses.*

(e) De hac legatione egit Gregorius suprà lib. 9. cap. 25. multùm verò illustratur ex variis epistolis Childeberti et Brunechildis à Frehero, et Chesnio tomo 1. editis, quas Grippo Constantinopolim detulerat. In his enim, quas non solùm Imperatori et Anastasiæ Augustæ, sed etiam Patriarchæ aliisque Imperii optimatibus Childebertus Rex, materque ejus Brunechildis seorsim scripserunt, testantur se nihil omninò omissuros, ut pax inter Romanos et Francos firma semper et inconvulsa permaneat. Actum est etiam in hac legatione de auxilio Romanis adversùs Longobardos in Italiam ferendo, quod à Childeberto præstitum esse ex Gregorio et Paulo Diac. discimus ; sed, ni fallor, hoc potissimùm agebat Childebertus, ut Athanagildum ex sorore sua Ingunde nepotem, qui post Hermenegildi necem Constantinopolim abductus fuerat, ex Imperatoris manu eriperet, quod ex laudatis litteris patet. An verò id umquam obtinuerit, incertum nobis est.

(f) Vat. *Hæc à Griphone Regi Hildeberto relata.* Confer hoc caput cum cap. 32. libri 3. Hist. Lang. Pauli Diac.

(g) Paulus *Audualdum* appellat. Et infrà Colb. m. Regm. [Clun.] et Chesn. al. *Victrione*, de quo vide suprà lib. 8. cap. 18.

(h) Campos-Caninos laudant Ammianus Marcellinus lib. 15. et Apollinaris Sidonius carm. 5. versu

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

A papilla (a) sauciatus, cecidit et mortuus est. Hi autem cùm egressi fuissent in prædam, ut aliquid victûs adquirerent, à Langobardis intuentibus passim per loca prosternebantur. Erat autem stagnum quoddam in ipso Mediolanensis urbis territorio, quod Coresium (b) vocitant, ex quo parvus quidam fluvius, sed profundus egreditur : super hujus laci litus Langobardos residere audierant. Ad quem cùm adpropinquassent, priusquàm flumen, quod diximus, transirent, à litore illo unus Langobardorum stans lorica protectus et galea, contum manu gestans, vocem dedit contra Francorum exercitum, dicens : *Hodie adparebit cui Divinitas obtinere victoriam præstet.* Unde intelligi datur, hoc signum sibi Langobardos præparavisse. Tunc pauci transeuntes, contra Langobardum hunc decertantes, prostraverunt eum : et ecce omnis exercitus Langobardorum in fugam versus præteriit. Hi quoque
B transeuntes flumen, nullum de iis reperiunt, nisi tantùm recognoscentes adparatum castrorum, ubi vel focos habuerant, vel tentoria fixerant. Cùmque nullum de iis deprehendissent, ad castra sua regressi sunt : ibique ad eos Imperatoris legati venerunt (c), nuntiantes adesse exercitum in solatium eorum, dicentesque : *Quia post triduum cum eisdem veniemus, et hoc vobis erit signum : Cùm videritis villæ hujus, quæ in monte sita est, domus * incendio concremari, et fumum incendii ad cœlos usque sustolli, noveritis nos cum exercitu quem pollicemur adesse.* Sed exspectantes juxta placitum dies sex, nullum ex iis venisse contemplati sunt. Cedinus (d) autem cum tredecim Ducibus lævam Italiæ ingressus, quinque castella cepit, à quibus etiam sacramenta exegit. Morbus etiam dysenteriæ graviter exercitum adficiebat, eò quòd aëres incongrui insuetique iis hominibus essent, ex quo plerique interierunt. Com-
C moto autem vento et data pluvia, cùm paullisper refrigescere aër cœpit, in infirmitate salubritatem contulit. Quid plura? per tres ferè menses Italiam pervagantes, cùm nihil proficerent, neque se de inimicis ulcisci possent, eò quòd se in locis communissent firmissimis ; neque Regem capere, de quo ultio fieret, qui se infra Ticinenses munierat muros, infirmatus, ut diximus, aërum intemperantia exercitus, ac fame adtritus, redire (e) ad propria destinavit, subdens etiam illud, acceptis sacramentis, Regis ditionibus quod pater ejus (f) priùs habuerat, de quibus locis et captivos et alias abduxere prædas. Et sic regredientes ita fame conficiebantur, ut priùs et arma et vestimenta ad coëmendum victum demerent (g), quàm locum genitalem contingerent. At Aptacharius (h) Langobardorum Rex, legationem ad Guntchramnum Regem cum hujuscemodi verbis direxit : *Nos, piis-*
D *sime Rex, subjecti atque fideles vobis gentique vestræ, sicut patribus vestris fuimus, et esse desideramus : nec discedimus à sacramento quod prædecessores nostri vestris prædecessoribus juraverunt. Nunc autem desistite à persecutione nostra, et sit pax nobis et concordia, ut ubi necessarium fuerit contra inimicos auxilium præbeamus, ut vestra scilicet nostraque gente salvata, ac nos pacificos cognoscentes, terreantur magis adversarii qui in circuitu obstrepunt de amicitia, quàm de nostra discordia gratulentur.* Pacificè hæc Guntchramnus Rex verba suscepit, misitque eos ad nepotem suum Childebertum Regem. Dum autem his narratis in loco commorarentur, venerunt alii qui mortuum Aptacharium Regem muntiantes, Paulumque (i) in loco ejus substitutum,

* *i.* domos.

177. sed in Rhætia, cò quòd re ipsa sint inter Rhætiam et Liguriam, ubi hodieque visitur Bilitio, ut cum Gregorio habet Paulus, seu Belinciò aut Berinzona, quod est castrum Lombardiæ Transpadanæ, vulgò *Belinzona* dictum. Colb. m. habet, *in campis situm comminus.*

(a) Alii cum Paulo, *mamilla.*

(b) Regm. Colb. m. [et Clun.] *Ceresium*, Bec. *Cerasium.*

(c) Paulus ait eos ad Audovaldum venisse cùm esset propè Mediolanum. Edidit Freherus epistolam Ducis exercitûs Romanorum ad Childebertum, in qua hujus expeditionis rationem reddit, accusatque *Chenum*, quem Cedinum infrà memoratum esse existimo, pacis initæ cum Rege Langobardorum. In alia verò Childeberto exponit quantùm profecerit adversùs Langobardos. Childebertus tamen nullam expeditionem posteà in Italiam suscepisse traditur, quod ei exprobrare videtur Mauricius in epistola ad eum scripta. Quæ ex his epistolis ad Gregorium nostrum illustrandum conducunt [Tomo seq.] proferentur.

(d) Sic Bec. cum Paulo. Colb. a *Chedinius*, Regm. *Cedinius*, Editi *Chedinus* : [ita Clun.] Ea occasione, ut narrat Paulus, Franci Veronam usque pertigerunt, qui et castrorum ab ipsis dirutorum in territorio Tridentino nomina recenset.

(e) [Clun. *redire cupiebat, subdens.*]

(f) Ex hoc etiam loco inferre licet, Sigebertum aliquam Italiæ partem possedisse, id est loca Rhætiæ proxima, ut censet Valesius lib. 15. rerum Francic. circa agrum Tridentinum, et Athesim fluvium in Venetia.

(g) [Clun. *ad coëmendum victum darent.*]

(h) Autharis dicitur à Paulo Diac. qui de hac legatione agit lib. 3. Hist. Lang. cap. 35.

(i) Pauli hujus non meminit Paulus Diac. sed ut ipse narrat lib. 3. cap. 36. Agilulfus, seu Ago Dux Taurinatium Authario substitutus est ab ipsa Theodelinda Autharii relicta, quæ ipsum in regni et thori societatem adscivit, quod anno sequenti mense Maio in generali totius gentis conventu ab omnibus Langobardis apud Mediolanum approbatum fuit. Utrique Gregorius M. varias epistolas scripsit, et Theodelindæ inscripsit libros Dialogorum. Agilulfus tandem ad Catholicam fidem conversus est, pacemque cum Francis firmavit, Athanagildo fortassè tunc temporis è vivis exemto, aut certè cùm nulla spes superesset Childeberto eum recipiendi. Nusquam posteà ejus mentio occurrit. Vide Paul. Diac. lib. 4. Hist. Langobard. cap. 1.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

ejusmodi verba, quæ suprà diximus, deferentes. Sed Childebertus Rex placitum cum eisdem ponens, ut quid ei in posterum conveniret, enuntiaret, eos abscedere jussit. A

IV. Mauricius autem Carthaginenses illos, qui legatos Childeberti Regis anno superiore * interemerant, vinctos manibus, catenisque oneratos, ad ejus direxit præsentiam, duodecim scilicet numero viros, sub ea videlicet conditione, ut si eos interficere vellet, haberet licentiam : sin autem ad redimendum laxaret, trecentis pro uno quoque acceptis aureis quiesceret : sicque ut quod vellet eligeret : quò faciliùs sopito scandalo, nulla occasio inter ipsos inimicitiæ oriretur. Sed Rex Childebertus differens homines vinctos accipere, ait : *Incertum apud nos habetur, utrùm ii sint homicidæ illi quos adducitis, an alii, vel fortassis servi cujuscumque habentur, cùm nostri bene ingenui generatione fuerint, qui apud vos fuerunt interemti.* Præsertim et Grippo adstabat, qui eo tempore legatus cum eisdem fuerat missus, qui B interfecti sunt, ac dicebat : *Quia Præfectus urbis illius cum collectis duobus aut tribus hominum millibus inruit super nos, interemitque socios meos : in quo excidio et ego ipse interissem, si me viriliter defendere nequivissem. Accedens autem ad locum, homines agnoscere potero; de quibus si Imperator vester, ut dicitis, nostro cum domino pacem custodire deliberat* (a), *ultionem exigere debet.* Et sic dato Rex placito, ut post eos ad Imperatorem dirigeret, ipsos abscedere jubet.

* *Sup. cap.* 2.

V. His (b) autem diebus Cuppa, qui quondam Comes-stabuli Chilperici Regis fuerat, inrupto Turonicæ urbis termino, pecora reliquasque res, quasi prædam exercens, diripere voluit. Sed cùm hoc incolæ præsensissent, collecta multitudine eum sequi cœperunt. Excussaque præda, duobus ex pueris ejus interfectis, hic nudus aufugit, aliis duobus pueris captis : quos vinctos ad Childebertum Regem transmiserunt : quos ille in carcerem conjici jubens, interrogare præcepit, cujus C auxilio Cuppa fuisset ereptus, ut ab iis non comprehenderetur qui sequebantur. Responderunt hoc Animodi vicarii (c) dolo, qui pagum illum judiciaria regebat potestate, factum fuisse. Protinùsque directis Rex litteris ad Comitem urbis, jubet ut eum vinctum in præsentiam Regis dirigeret : quòd si resistere conaretur, vi oppressum etiam interficeret, si Principis gratiam cupiebat adquirere. Sed ille non resistens, datis fidejussoribus, quò jussus est abiit, repertumque Flavianum Domesticum (d), causatus cum socio, nec noxialis inventus, pacificatus cum eodem, redire ad propria jussus est, datis tamen Domestico illi muneribus priùs. Ipse quoque Cuppa iterùm commotis quibusdam de suis, filiam Badegisili quondam Cenomannensis Episcopi, diripere sibi in matrimonium voluit : inruens autem nocte cum cuneo sociorum in villa Maroialensi (e), ut voluntatem suam expleret, præsensit eum, dolumque ejus Magnatrudis materfamilias, genitrix scilicet puellæ : egressa- D que cum famulis contra eum vi repulit, cæsis plerisque ex illis, unde non sine pudore discessum est.

VI. Apud Arvernos verò vincti carceris, nocte nutu Dei disruptis vinculis, reseratisque aditibus custodiæ egressi, Ecclesiam ingressi sunt. Quibus cùm Eulalius Comes onera catenarum addi jussisset, ut super eos posita, extemplò ceu vitrum fragile comminuta sunt : et sic obtinente Avito (f) Pontifice eruti, propriæ sunt redditi libertati.

VII. In supradicta verò urbe Childebertus Rex omne tributum tam Ecclesiis quàm monasteriis, vel reliquis Clericis, qui ad Ecclesiam pertinere videbantur, aut quicumque Ecclesiæ officium excolebant, larga pietate concessit. Multùm enim jam exactores hujus tributi exspoliati erant, eò quòd per longum tempus et suc-

(a) [Clun. *custodire desiderat.*]

(b) Hoc caput et sequens desunt in Vat. et Colb. m. caput tamen 7. habent, quod ibi est 5. et ab his verbis incipit : *In supradicta verò urbe Arvernica etc.* quæ supponunt caput præcedens. De Cuppane jam diximus suprà lib. 5. cap. 40. in plerisque editis dicitur *Chuppa.*

(c) Vicarii isti hodieque vulgò *Viguiers* dicuntur, qui Comitum nomine certis territoriis præficiebantur, ut jus plebi infimæ dicerent, quod Comitum in civitatibus officium erat. Alii erant majores Vicarii, qui postmodùm. Vicecomites appellati fuerunt. Vide Bignon. in notis ad vet. formulas incerti auctoris num. 1.

(d) Id est, *reperto Flaviano domestico.*

(e) Aliqui editi *Marogalensi.* De hac suprà lib. 7. cap. 12. Est et alia villa ipsi cognominis, ut observat Valesius, prope Aurelianos, vulgò *Marolle* dicta.

(f) Cùm de B. Aviti morte nihil habeat Gregorius, conjicit Cointius ipsum post an. 591. qui Gregorianæ Historiæ ultimus est, obiisse; anno scilicet 594. et quidem XII. Kal. Octob. quo die festum ejus celebratur : sepultus est in Ecclesia B. Mariæ Principalis, ut habetur in libro de Eccles. Claromont. cap. 2. quæ dicitur B. Mariæ de Portu in ejusdem S. Viri Vita, quam Ecclesiam à Cathedrali distinguendam esse monet Savaro. Alius est Avitus, qui in Ecclesia S. Venerandi quiescit, in lib. laudato cap. 10. S. Boniti frater.

A cedentium generationes, ac divisis in multas partes ipsis possessionibus, colligi vix poterat hoc tributum : quod hic, Deo inspirante, ita præcepit emendari, ut quod super hæc fisco deberetur, nec exactorem damna percuterent, nec Ecclesiæ cultorem tarditas de officio aliqua revocaret.

VIII. In (a) confinio verò termini Arverni, Gabalitani atque Rutheni, synodus Episcoporum facta est contra Tetradiam, relictam quondam Desiderii, eò quòd repeteret ab ea Eulalius Comes res (b) quas ab eo fugiens secum tulisset. Sed hanc causam, vel qualiter Eulalium reliquerit, vel quemadmodum ad Desiderium confugerit, altiùs memorandum putavi. Eulalius autem, ut juvenilis ætas habet, agebat quæpiam inrationabiliter : unde factum est, ut à matre sæpiùs in-
B crepitus, haberet in eam odium quam amare debuerat. Denique cùm in oratorio domûs suæ hæc in oratione frequenter incumberet, et nocturnas vigilias persæpè, dormientibus famulis, in oratione cum lacrymis expleret, in cilicio quo orabat suggillata repetitur. Sed nescientibus cunctis quis hæc fecisset crimen, tamen parricidii refertur ad filium. Hæc cùm Cautinus Episcopus Arvernæ urbis comperisset, eum à communione submovit. Convenientibus autem civibus cum Sacerdote ad festivitatem beati Martyris Juliani, ad pedes Episcopi Eulalius ille prosternitur, querens se inauditum à communione remotum. Tunc Episcopus permisit eum cum ceteris Missarum spectare (c) solemnia. Verùm ubi ad communicandum ventum est, et Eulalius ad altarium accessisset, ait Episcopus : *Rumor populi parricidam te, proclamat esse. Ego verò utrum perpetraveris hoc scelus, an non, ignoro : idcircò in*
C *Dei hoc et beati Martyris Juliani statuo judicio. Tu verò, si idoneus es, ut adseris, accede propiùs, et sume tibi Eucharistiæ particulam, atque impone ori tuo* (d). *Erit enim Deus respector conscientiæ tuæ.* At ille, accepta Eucharistia, communicans abscessit. Habebat enim uxorem Tetradiam nobilem ex matre, patre inferiorem. Sed cùm in domo sua vir ancillarum concubitu misceretur, conjugem negligere cœpit : et cùm ab scorto reverteretur, gravissimis eam plagis sæpiùs adficiebat. Sed et pro multis sceleribus debita nonnulla contraxerat, in quibus ornamenta et aurum uxoris sæpissimè evertebat. Denique inter has angustias mulier conlocata, cùm honorem omnem, quem in domo viri habuerat perdidisset, et ille abisset ad Regem, hæc à Viro *, sic enim erat nomen hominis, mariti sui nepote con- * *al.* Vero.
D cupiscitur, scilicet ut quia ille perdiderat conjugem, hujus matrimonio jungeretur. Virus autem timens inimicitias avunculi, mulierem Desiderio Duci transmisit, videlicet ut succedente tempore copularetur ei : quæ omnem substantiam viri sui, tam in auro quàm in argento et vestimentis, et quæ moveri poterant, cum seniore filio secum sustulit, relicto in domo alio juniore. Rediens verò Eulalius ex itinere, comperit quæ acciderant. Sed cùm mitigato dolore paullulum quievisset, super Virum nepotem suum inruit, eumque inter arcta vallium Arvernarum interemit. Audiens autem Desiderius, qui et ipse uxorem nuper perdiderat, quòd scilicet Virus interfectus fuisset, conjugio suo Tetradiam sociavit. Eulalius verò puellam de monasterio Lugdunensi diripuit, eamque accepit. Sed concubinæ ejus instigante, ut quidam asserunt, invidia, maleficiis sensum ejus oppilaverunt. Post multum verò temporis Eulalius Emerium hujus puellæ consobrinum clam adpe-
E tiit, occiditque. Similiter Socratium fratrem sororis suæ (e), quem pater ex concubina habuerat, interemit. Et alia multa mala fecit, quæ enarrare perlongum est. Johannes filius ejus, qui cum sua discesserat genitrice, à domo Desiderii dilapsus, Arvernum venit. Cùmque jam Innocentius Episcopatum Ruthenæ urbis ambisset, mandatum ei mittit Eulalius, ut res, quæ ipsi in hujus civitatis territorio debebantur, per hujus auxilium recipere posset. Sed Innocentius ait : *Si de filiis tuis unum accipio, quem clericum factum in solatio meo retineam, faciam quæ precaris.*

(a) Hoc caput deest in utroque cod. Colb. et Vat.

(b) Regm. *repeteret eam Eulalius Comes et res.*

(c) Hac voce utitur sæpius Gregorius, quæ etiam habetur in can. 29. Concilii III. Aurelian. Sed ex isto Gregorii loco suspicatur noster Mabillonius l. 1. de Liturg. Gallic. cap. 6. ubi plura habet ea de re, eos missas spectasse, qui quidem præsentes aderant, sed non communicabant.

(d) Quatuor ex hoc Gregorii loco collegit noster Mabillonius lib. 1. de Liturg. Gallic. cap. 5. primò Eucharistiæ nomine solam panis speciem designari. 2. ex particula, non ex integra formula communionem datam. 3. communionem sub sola panis specie. 4. antiquum morem usque ad Gregorii tempora perseverasse, ut viri accepta in manibus Eucharistia ipsam sibi in ore imponerent. Mulieres tamen, ut ex canone 42. Autisiod. Concilii patet; non nuda manu sed in linteo Dominicali eam recipiebant. Ex eodem textu discimus laicis ad altare permissum fuisse accessum pro sacra communione. De modo recipiendi sacram communionem primis Ecclesiæ sæculis usitato, pluribus disserit noster Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorianum pagg. 378. 379. 391.

(e) Aliquot editi cum Bec. *soceræ suæ.*

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

At ille transmisit puerum, Johannem nomine, recepitque res suas. Susceptoque Innocentius Episcopus puero, totondit comam capitis ejus, deditque eum Archidiacono Ecclesiæ suæ : qui in tanta se abstinentia subdidit, ut pro tritico hordeum sumeret, pro vino aquam hauriret, et pro equo asino uteretur, vestimenta vilissima habens. Igitur conjunctis (a), ut diximus, Sacerdotibus et viris magnificis in confinio suprà dictarum urbium, Tetradia ab Agino repræsentatur, atque Eulalius contra eam causaturus accessit. Cùmque res quas de ejus, abiens ad Desiderium, domo abstulerat, inquirere, judicatum est, Tetradia (b) ut quadrupla satisfactione ablata restitueret, filiosque, quos de Desiderio conceperat, incertos (c) haberi : illud etiam ordinantes, ut si hæc quæ Eulalio est jussa dissolveret, accedendi in Arvernum licentia præberetur, rebusque suis, quæ ei ex paterna successione obvenerant, absque calumnia frueretur : quod ita factum est. A B

IX. Cùm hæc agerentur, et Britanni circa urbes, Namneticam utique et Redonicam, valde sævirent, Guntchramnus Rex exercitum contra eos commoveri jussit : in quorum capite Beppolenum et Ebracharium Duces delegit. Sed Ebracharius suspectus, quòd si victoria cum Beppoleno patraretur, ipse Ducatum ejus adquireret, inimicitias cum eodem connectit, ac per viam totam se blasphemiis, convitiis atque maledictionibus lacessunt. Verùm per viam qua abierunt, incendia, homicidia, spolia, ac multa scelera egerunt. Intereà venerunt ad Vicinoniam amnem, quam (d) transmissi ; ad Uldam fluvium (e) pervenerunt : ibique dissipatis vicinitatis casis, pontes desuper statuunt, sicque exercitus omnis transivit. Conjunctus enim fuerat eo tempore Beppoleno Presbyter quidam, dicens : *Si secutus me fueris, ego te usque Warochum ducam, ac Britannos tibi in unum collectos ostendam.* Fredegundis enim cùm audisset, quòd in hoc procinctu Beppolenus abiret, quia ei jam ex anteriore tempore invisus erat, Bajocassinos-Saxones, juxta ritum Britannorum tonsos (f), atque cultu vestimenti compositos, in solatium Warochi abire præcepit. Adveniente autem Beppoleno cum iis qui eum sequi voluerunt (g), certamen iniit, multosque per biduum de Britannis ac Saxonibus suprà scriptis interemit. Recesserat enim ab eo Ebracharius cum majori manu : nec ad eum accedere voluit, donec interemtum audiret. Die autem tertio cùm jam qui cum eo erant interficerentur, atque ipse sauciatus lancea repugnaret, inruentibus super eum Warocho cum supradictis, interfecerunt eum : incluserat enim eos inter angustias viarum atque paludes : in quibus magis luto necti, quàm gladio trucidati sunt. Ebracharius verò usque Venetos urbem accessit : miserat enim ad eum obviàm Episcopus Regalis clericos suos cum crucibus et psallentio, qui eos usque ad urbem deduxerunt. Ferebant etiam quidam eo tempore, quòd Warochus in insulas fugere cupiens cum navibus oneratis auro argentoque et reliquis rebus ejus, cùm alta maris cepisset, commoto vento, demersis navibus, res quas imposuerat, perdidisset : tamen ad Ebracharium veniens, pacem petiit, obsidesque cum multis muneribus tradidit, promittens se numquam contra utilitatem Guntchramni Regis esse venturum. Quo recedente, et Regalis Episcopus cum clericis et pagensibus urbis suæ, similia sacramenta dedit, dicens : *Quia nihil nos dominis nostris Regibus culpabiles sumus, nec umquam contra utilitatem eorum superbi extitimus : sed in captivitate Britannorum positi, gravi jugo subditi sumus.* Pace igitur celebrata inter Warochum atque Ebracharium, dixit Warochus : *Discedite nunc et renuntiate, quia omnia quæ jusserit Rex, sponte implere curabo : quod ut pleniùs credere debeatis, nepotem meum obsidem tribuam.* Et ita fecit : cessatumque est à bello (h). Verumtamen multitudo magna, sicut de regali exercitu, ita et de Britannis cæsa est. Egrediente autem exercitu à Britannis, ac transeuntibus amnem robustioribus, inferiores et pauperes qui cum his erant, simul transire non potuerunt. Cùmque in litus illud Vicinoniæ amnis restitissent, Warochus oblitus sacramenti atque obsidum quos dederat, misit Canaonem filium suum cum exercitu, adprehensisque viris C D E

(a) [Clun. *Conjuncti, ut diximus, Sacerdotes et viri magnifici..... Tetradiam repræsentant.*

(b) Bec. [et Dub.] *judicatum est Tetradiæ.*

(c) Bec. Regm. [et Dub.] *incestos.* Colb. m. *incesti.* Incertos, id est spurios.

(d) [Clun. *quo transmissi.*]

(e) Oritur prope Rohanniam in Venetensi diœcesi, atque in Vicinoniam seu, ut hodie dicitur, Vegelaniam, haud procul à Ponte-Corbino defluit, et vulgò dicitur *l'Aoust.* Unde nonnulli recentiores antiquum nomen mutaverunt, hunc fluvium *Augustum* vocitantes.

(f) Quòd scilicet primò in Britanniam majorem, unde hunc morem mutuati fuerant, irrupissent. Quin et Saxones, ut patet ex epist. 9. lib. 8. Apollinaris Sidonii, more Brittonum tonsi erant. De Brittonum tonsura adi Mabillon. in præfat. sæc. 3. Act. SS. Ord. nostri, part. 1. ea de re fusiùs disserentem.

(g) [Clun. *qui eum secuti fuerant.*]

(h) Sic Casin. ceteri *cessatumque est ab illo.* Bec. *ab eo.*

quos

A quos in litore illo reperit, vinculis alligat, resistentes interficit, nonnullis qui cum caballis torrentem transmeare voluerunt, ab ipsius torrentis impetu in mare dejectis. Dimissi sunt posteà multi (a) à conjuge Warochi cum cereis et tabulis quasi liberi, et ad propria sunt regressi. Exercitus verò ipsius qui priùs transierat, metuens per viam illam qua venerat regredi, ne fortè mala quæ fecerat pateretur, ad Andegavam urbem dirigit, Meduanæ torrentis (b) expetens pontem : sed parva quæ priùs transiit manus, ad ipsum quem præfati sumus pontem spoliati, cæsi et ad omne dedecus sunt redacti. Per Turonicum verò transeuntes, prædas agentes multos exspoliaverunt ; inopinantes enim repererant incolas loci. Multi tamen de hoc exercitu ad Guntchramnum Regem accesserunt, dicentes quia Ebracharius Dux ac Wiliacharius Comes, accepta pecunia ab Warocho, exercitum perire fecissent. Qua de causa Ebracharius præsentatus, mul-
B tùm convitiis actus à Rege, à præsentia ejus discedere jussus est, Wiliachario Comite per fugas latitante.

X. Anno (c) igitur decimo-quinto Childeberti Regis, qui est Guntchramni nonus atque vicesimus, dum ipse Guntchramnus Rex per Vosagum silvam venationem exerceret, vestigia occisi bubali deprehendit. Cùmque custodem silvæ arctiùs distringeret, quis hæc in regali silva genere præsumsisset, Chundonem cubicularium Regis prodidit : quo hæc loquente, jussit eum adprehendi, et Cabillonum (d) compactum in vinculis duci. Cùmque uterque in præsentia Regis intenderent (e), et Chundo diceret numquam à se hæc præsumta quæ objiciebantur, Rex campum (f) dijudicat. Tunc cubicularius ille, dato nepote pro se, qui hoc certamen adiret, in campo uterque steterunt : jactaque puer ille lancea super custodem silvæ,
C pedem ejus transfigit : moxque resupinus ruit. Puer verò extracto cultro qui de cingulo dependebat, dum collum ruentis incidere tentat, cultro sauciati ventre transfoditur : ceciderunt que ambo, et mortui sunt. Quod videns Chundo, ad basilicam sancti Marcelli fugam iniit. Adclamante verò Rege ut comprehenderetur, priusquàm limen sanctum adtingeret, comprehensus est, vinctusque ad stipitem, lapidibus est obrutus. Multum se (g) ex hoc deinceps Rex pœnitens, ut sic eum ira præcipitem reddidisset, ut pro parvulæ causæ noxa, fidelem sibique necessarium virum tam celeriter interemisset.

XI. Chlotharius verò Chilperici quondam Regis filius graviter ægrotavit, et in tantum desperatus est habitus, ut Regi Guntchramno obitus ejus fuisset nuntiatus : unde factum est ut egrediens de Cabillono, quasi Parisius accedere cupiens, usque ad terminos Senonicæ urbis accederet. Sed cùm audisset convaluisse puerum, de itinere est regressus. Sed cùm eum Fredegundis mater ejus, desperatum vidisset, multùm pe-
D cuniæ ad basilicam sancti Martini vovit, et sic puer meliùs agere visus est. Sed et ad Warochum nuntios dirigit, ut qui adhuc in Britanniis de exercitu Guntchramni Regis retinebantur, pro hujus vita absolverentur : quod ita Warochus implevit : unde manifestatum est (h) hujus mulieris conludio et Beppolenum interfectum esse, et exercitum fuisse conlisum.

XII. Ingeltrudis (i) verò religiosa, quæ, ut in superioribus libris exposuimus, in atrio sancti Martini puellarum monasterium conlocavit, cùm ægrotare cœpisset, neptem suam Abbatissam instituit, unde reliqua congregatio maximè murmuravit : sed nobis increpantibus cessavit à jurgio. Hæc verò cum filia discordiam tenens, pro eo quòd res suas ei abstulerat, obsecravit (k) ut neque in monasterio quod instituit, neque super sepulcrum ejus permitteretur orare. Quæ octuagesimo, ut opinor, anno vitæ obiit, sepultaque est septimo Idus mensis primi *. Sed * *i.* Martii.
E veniens filia ejus Berthegundis Turonis, cùm non fuisset excepta, ad Childebertum Regem abiit, postulans ut ei liceret in locum matris suæ monasterium regere. Rex verò oblitus judicii quod matri ejus fecerat, huic aliam præceptionem manûs suæ roboratam subscriptione largitus est, hæc continentem, ut res omnes quas mater vel pater ejus habuerant, suo dominio subjugaret, et quicquid monasterio Ingeltrudis reliquerat, auferretur. Cum quo præcepto veniens, ita cunctam

(a) In Regm. deest, *multi.*

(b) Meduana, *la Mayenne,* fluvius est, quem ob rapiditatem Gregorius torrentem appellat. Oritur in Cenomannis, et aliquot aliis fluviis auctus infra Andegavum Ligeri miscetur.

(c) Is est an. 590. Deest hoc caput in Colb. a. et Vat.

(d) [Clun. *Cavillonum.*]

(e) Id est *contenderent,* ut habet Regm.

(f) Ejusmodi certamina in campo fiebant, hinc pugiles dicti sunt Campiones. De duellis vide suprà notas in cap. 14. lib. 7.

(g) [Clun. *multùm ex hoc :* deest *se.*]

(h) [Clun. *manifestum est.*]

(i) Hoc caput et quinque sequentia non exstant in Colb. a. et Vat. De Ingeltrude actum est suprà fusè lib. 9. cap. 33.

(k) [Clun. *obtestavit.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

supellectilem monasterii abstulit, ut nihil infrà præter vacuos relinqueret parietes, colligens secum diversorum criminum reos, atque in seditionibus præparatos, qui si quid erat de villis (a) reliquis quod devotio dederat, fructum auferrent. Tantaque ibi mala gessit, quæ vix ex ordine possent narrari. Hæc verò, acceptis his rebus quas diximus, in Pictavum rediit, multa in Abbatissam crimina vomens falsa, quæ parens ejus proxima habebatur.

XIII. His autem diebus exstitit quidam de presbyteris nostris, Saducææ malignitatis infectus veneno, dicens non esse futuram resurrectionem (b). Cùmque nos eam sacris Litteris prædictam, et Apostolicæ traditionis auctoritate monstratam adfirmaremus, respondit : « Manifestum est hoc celebre ferri, sed certi non » sumus utrùm sit, an non : præsertim cùm Dominus iratus primo homini quem
Gen. 3. 19. » manu sacra plasmaverat, dixerit : *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo, donec re-* B
» *vertaris in terram de qua sumtus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Quid » ad hæc respondebitis, qui resurrectionem futuram prædicatis; cùm in pulverem » redactum hominem resurgere ulteriùs Divinitas non promittat? Cui ego : Quid » de hac causa, vel ipsius Domini et Redemtoris nostri, vel Patrum prædecesso- » rum verba loquantur, nullum Catholicorum nescire reor. Nam in Genesi cùm
Gen. 25. 8. » patres obirent, aiebat, Dominus : *Tu autem congregaberis ad populum tuum. Sepul-*
Ibidem. » *tus in senectute bona.* Et ad Caïn dicitur : *Quia vox sanguinis fratris tui clamat ad*
Gen. 4. 10. » *me de terra.* Unde liquidò adparet vivere animas post egressum corporis, atque » resurrectionem futuram intentis vultibus præstolari. Sed et de Job scriptum est, » quia *resurrecturus est in resurrectione mortuorum.* Et propheta David, licèt ex per-
Psal. 40. 9. » sona Domini, tamen resurrectionem prævidens, ait : *Numquid qui domit non ad-* C
» *jiciet ut resurgat?* hoc est, Qui mortis somno opprimitur, non est venturus ad
Isai. 66. » resurrectionem? Et Esaias, quòd de sepulcris resurrecturi sunt mortui, docet.
Ezech. 37. » Sed et Ezechiel propheta, cùm ossa arida obtecta cute, nervis solidata, venis » infecta, flante spiritu animata, reformatum hominem enarraret, manifestissimè » resurrectionem futuram edocuit. Sed et illud manifestum fuit resurrectionis in-
4. *Reg.* 13. » dicium, quòd Helisæi ossa tangens exstinctum cadaver, virtutis effectu revixerit :
21. » quod ipsius Domini, qui est primogenitus mortuorum, resurrectio manifestavit,
Apoc. 1. 5. » qui morti mortem intulit, et de sepulcro vitam mortuis reformavit. Ad hæc » Presbyter : Quòd Dominus in absumto homine mortuus fuerit ac resurrexerit, » non ambigo : illud tamen, quòd reliqui resurgant mortui, non admitto. Et ego : » Et quæ fuit necessitas Filio Dei de cœlo descendere, carnem adsumere, mortem D » adire, inferna penetrare, nisi ut hominem quem plasmaverat, non permitteret » in morte perpetua derelinqui? Sed et Justorum animæ, quæ usque Passionem » ejus infernali ergastulo tenebantur inclusæ, eo veniente laxatæ sunt. Nam des- » cendens ad inferos, dum tenebras nova luce perfudit, animas eorum secum, » ne hoc exitu ampliùs cruciarentur, eduxit, juxta illud, *Et in sepulcro ejus re-* » *surgent mortui.* Et Presbyter ait : Numquid possunt ossa in favillam redacta, ite- » rùm animari, et hominem viventem proferre? Et ego respondi : Nos credimus » quia quamlibet in pulverem redigatur homo, et aquis ac terræ venti violenti » impetu dispergatur, non sit difficile Deo hæc ad vitam resuscitari. Presbyter res- » pondit : Hîc maximè vos errare puto, ut adserere verbis lenibus tentetis acerri- » mam seductionem, ut dicatis à bestiis raptum, aquis immersum, piscium fauci- E
» bus devoratum, in stercus redactum, et per secretum digestionis ejectum, aut
* *al.* latentibus. » aquis labentibus * dejectum, aut terra computrescente abolitum, ad resurrectio- » nem venturum. Ad hæc ego respondi : Oblivioni apud te traditum est, ut opinor, » quid Johannes Evangelista super pectus Dominicum recumbens, ac divini mys-
Apoc. 20. 13. » terii arcana rimans, in Apocalypsi dicat : *Tunc*, inquit, *reddet mare mortuos suos.* » Unde manifestum est, quia quicquid humani corporis piscis absorbuit, ales ra- » puit, bestia deglutivit, à Domino conjunctum in resurrectionem reparandum » erit : quia non erit ei difficile perdita reparare, qui ex nihilo non nata creavit : » sed ita hæc in integritatem solida (c), sicut priùs fuerant, reparabit, ut corpus » quod fuit in mundo, aut pœnam juxta meritum ferat, aut gloriam. Sic enim

(a) Colb. m. [Dub. et Clun.] *de villabus reliquis quod devoti dederant.* Bad. *Villarum reliquiis.*

(b) Resurrectionem carnis futuram in dubium revocaverat paullò anteà Eutychius Episc. CP. à S. Gregorio tunc ibi degente refutatus. Eamdem hæresim alii quoque in variis regionibus sequebantur, de qua videsis præfationem in versionem Gallicam Dialogorum S. Gregorii ab uno è nostra S. Mauri Congregatione anno 1689. editam.

(c) [Clun. *in integritate solidata.*]

A » ipse Dominus in Evangelio ait : *Quia Filius hominis veniet in gloria Patris sui cum* » *Angelis suis, ut reddat unicuique secundùm opera sua.* Sed et Martha cùm de re- » surrectione præsenti fratris Lazari dubitaret, ait : *Scio quia resurget in resurrectione* » *in novissima die.* Cui Dominus ait : *Ego sum resurrectio, veritas et vita.* Ad » hæc Presbyter : Quomodo autem in psalmo dicitur : *Quia non resurgunt impii in* » *judicio?* Et ego respondi : Non resurgunt ut judicent, sed resurgunt ut judicen- » tur. Nec enim sedere cum impiis Judex potest, causas suorum redditurus actuum. » Et ille : Dominus, inquit, in Evangelio dixit : *Qui non crediderit, jam judicatus* » *est* : utique quia peribit resurrectioni. Et ego respondi : Judicatus est enim ut ad » supplicium æternum perveniat, quia non credidit Unigenitum Filium Dei : tamen » resurrecturus in corpore, ut ipsum supplicium, in quo peccavit corpore, patia- B » tur. Nec enim potest judicium fieri, nisi priùs resurgant mortui : quia sicut illos » qui defuncti sunt sancti, cœlum, ut credimus, retinet, de quorum sepulcris sæ- » piùs virtus illa procedit, ut de his cæci illuminentur, claudi gressum recipiant, » leprosi mundentur, et alia sanitatum beneficia infirmis petentibus tribuantur : ita » credimus et peccatores in illo infernali carcere usque ad Judicium retineri. Et » Presbyter ait : In psalmo autem legimus : *Spiritus pertransiit ab homine, et non* » *erit ; et non cognoscet amplius locum suum.* Ego dixi : Hoc est quod ipse Dominus » per parabolam ad divitem, qui flammis tartareis cruciabatur, dicebat : *Recepisti tu* » *bona in vita tua, similiter et Lazarus mala.* Non autem cognovit dives ille pur- » puras suas (a) et byssum, nec delicias convivii, quas ei vel aër, vel terra, vel » mare protulerat ; sicut nec Lazarus vulnera, aut putredines quas jacens ante ejus C » januas perferebat, cùm hic in sinu Abrahæ requiesceret, ille autem cruciaretur in » flammis. Presbyter dixit : In alio psalmo legimus, *Quia exiit spiritus eorum* (b), » *et revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Ad hæc » ego : Bene ais : quia cùm egressus fuerit ab homine spiritus, et jacuerit corpus » (c) mortuum, non cogitat de his quæ in mundo reliquit, ac si verbi causa di- » cas : Non cogitat ædificare, plantare, agrum excolere : non cogitat congregare » aurum, argentum, vel reliquas divitias mundi. Periit enim hæc cogitatio à cor- » pore mortuo, quia non est spiritus in eo. Sed quid tu de resurrectione dubitas, » quam Paulus Apostolus in quo ipse, ut ait, Christus loquebatur, evidenter ex- » primit dicens : *Consepulti enim sumus Christo per baptismum in mortem : ut sicut ille* » *mortuus est, et resurrexit, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Et iterùm : » *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Canet enim tuba, et mortui* D » *resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Et iterùm : *Stella autem differt à stella in* » *claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Item illic, *Seminatur in corruptione, surget* » *in incorruptione,* et reliqua. Item illic, *Omnes nos repræsentari oportet ante tri-* » *bunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis* (d) *sui, prout gessit, sive bo-* » *num sive malum.* Ad Thessalonicenses autem, evidentissimè futuram resurrectio- » nem designat dicens : *Nolo vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut* » *et ceteri qui spem non habent. Si enim credimus, quòd Jesus mortuus est et resurrexit ;* » *ita Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in* » *verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in adventu Domini non* » *præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archan-* » *geli, et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt resurgent pri-* » *mi : deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus* E » *obviàm Domino* (e) *in aëra, et sic semper cum Domino erimus. Itaque consola-* » *mini invicem in verbis istis.* Plurima sunt enim de his testimonia quæ hanc » causam confirmant. Sed tu ignoro quid ambigas de resurrectione, quam Sancti » exspectant pro merito, quam peccatores metuunt pro reatu. Hanc enim resur- » rectionem, et illa quæ cernimus elementa demonstrant, id est dum arbores in » æstate foliis tectæ, hieme veniente nudantur : succedente verò verno tempore » quasi resurgentes, in illud quod priùs fuerant foliorum tegmine vestiuntur. Hæc » ostendunt et illa quæ jaciuntur semina terris ; quæ commendata sulcis, si fuerint » mortua, cum multiplici fructu resurgunt, sicut ait Paulus Apostolus : *Stulte tu,* » *quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.* Quæ omnia ad fidem resurrectio-

Matth. 16. 27. *Joh.* 11. 24. *Ibid.* 25. *Psal.* 1. 5. *Joh.* 3. 18. *Psal.* 102. 16. *Luc.* 16. 25. *Psal.* 145. 4. *Rom.* 6. 4. 1. *Cor.* 15. 51. *Ibid.* 41. *Ibid.* 42. 2. *Cor.* 5. 10. 1. *Thess.* 4. 12. *et seqq.* 1. *Cor.* 15. 36.

(a) [Clun. *purpuram suam.* Paulò pòst, *ante ejus januam pertulerat.*]
(b) [Clun. *spiritus ejus.*]
(c) [In Clun. desunt, *et jacuerit corpus mortuum.*]
(d) [Clun. non habet, *corporis sui.*]
(e) [Clun. *obviam Christo.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

» nis mundo manifestata sunt. Si enim resurrectio futura non est, quid proderit A
» justis bene agere, quid nocebit peccatoribus malè? Decidant ergo cuncti in
» voluntatibus suis (a), et faciat unusquisque quæ placuerit, si judicium futurum
» non erit. Vel illud, improbe, non formidas, quod ipse Dominus beatis Apos-
Matth. 25. 31. *et seqq.* » tolis ait : *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis in sede majestatis suæ, congregabun-*
» *tur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat agnos*
» *ab hœdis : et statuet oves quidem ad dexteram, hœdos autem ad sinistram. Et his*
» *dicet : Venite benedicti, percipite regnum ; illis autem : Discedite à me operarii ini-*
Ibid. 46. » *quitatis.* Atque ut ipsa Scriptura docet, *ibunt hi in supplicium æternum, justi au-*
» *tem in vitam æternam.* Putasne erit resurrectio mortuorum; aut judicium ope-
» rum, quando ista faciet Dominus? Respondeat ergo tibi Paulus Apostolus, sicut
1. *Cor.* 15. 14. » aliis incredulis dicens : *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, ina-* B
» *nis et fides vestra.* » Ad hæc contristatus Presbyter, à conspectu nostro discedens, pollicitus est credere in resurrectionem juxta seriem Scripturarum sanctarum, quam suprà memoravimus.

XIV. Erat autem tunc temporis Theodulfus Diaconus urbis Parisiacæ : qui sibi videbatur in aliquo sciolus (b), qui sæpiùs de hac causa altercationes movebat. Hic autem de Parisius urbe abscedens, Andegavis venit, et se Audoveo (c) Episcopo subdidit, propter antiquam amicitiam, quam simul Parisius commorantes habuerant : unde et à Ragnemodo Parisiacæ urbis Episcopo sæpiùs excommunicatus est, quòd ad Ecclesiam suam in qua Diaconus ordinatus fuerat, redire differret. Hic in tanta familiaritate cum præfato Andegavæ urbis Episcopo adhæserat, ut non se posset ab ejus importunitate discutere, pro eo quòd bonis mo- C
ribus et adfectu pio erat. Factum est autem ut ædificaret super muros urbis solarium, de quo cœnæ epulo perfuncto descendens, manum super Diaconum sustentabat, qui in tantum erat crapulatus à vino, ut vix vel figere gressum valeret, pueroque qui præibat cum lumine, nescio quid commotus, pugno cervicem ferit. Quo impulso (d) hic cùm se continere non potuisset, cum ipso impetu de muro præcipitatur, sudarium Episcopi quod balteo dependebat, arripiens : cum quo pænè dilapsus fuerat, nisi pedes Episcopi Abbas velociter amplexus esset. Qui ruens super lapidem, confractis ossibus, et crate pectoris, sanguinem cum felle disrupto emovens spiritum exhalavit. Erat enim et vino deditus, et in adulterio dissolutus.

XV. Cùm autem scandalum, quod, serente diabolo, in monasterio Pictavensi D
ortum, in ampliorem quotidie iniquitatem (e) consurgeret, et Chrodieldis adgregatis sibi, ut suprà diximus, homicidis, maleficis, adulteris, fugitivis, et reliquorum criminum reis, in seditione parata resideret, jussit eis ut inruentes nocte in monasterium, Abbatissam foras extraherent. At illa tumultum sentiens venientium, ad sanctæ Crucis arcam se deportari poposcit : gravabatur enim dolore humoris podagrici, scilicet ut vel ejus foveretur auxilio. Sed ubi ingressi viri, cereo accenso, cum armis huc illucque vagarentur per monasterium inquirentes eam, introeuntes in oratorium, repererunt jacentem super humum ante arcam sanctæ Crucis. Tunc unus acerbior ceteris, qui ad hoc scelus patrandum adgressus fuerat, ut Abbatissam gladio divideret, ab alio, ut credo divina providentia cooperante, E
cultro percutitur (f). Profluente verò sanguine solo decubans, votum quod levi conceperat animo, non explevit. Intereà Justina (g) Præposita cum aliis sororibus palla altaris, quod erat ante Crucem dominicam, exstincto cereo, Abbatissam operit. Sed venientes cum evaginatis gladiis ac lanceis, scissa veste, et pænè sanctimonialium manibus laniatis, adprehensam Præpositam pro Abbatissa, quia tenebræ erant, excussis linteaminibus, à capite soluta cæsarie, detrahunt, et usque basilicam sancti Hilarii inter manus deferunt custodiæ mancipandam : adpropinquan-

(a) Sic Colb. m. Regm. *voluntates suas*. Editi cum Bec. *voluptatibus suis*.

(b) Regm. *qui sic videbatur solus in altario, ut sæpiùs ad idem accedens altercationes moveret*. Bad. *qui sæpiùs in eadem Ecclesia altercationes etc.* ut Regm. sic ferè habet quoque Colb. m. nisi quod pro *in eadem Ecclesia* habet *idem accesa*, mendosè. [Clun. *qui sic videbatur in altario solus.*]

(c) Regm. Colb. m. [et Clun.] *Audoëno*, qui sic quoque appellatur in Chartario sancti Sergii Andeg. ut monent Sammarthani in Gallia Christ. [Dub. *Audioveo.*]

(d) Aliàs *impulsu*.

(e) Bec. Colb. m. [Dub.] et aliquot editi, *in ampliori quotidie iniquitate*.

(f) [Clun. *cultro perfoditur.*]

(g) Pro ea ad Gregorium scripsit Fortunatus lib. 8. carm. 15. et epistolam eidem carmini præfixam. Hanc idem Fortunatus Gregorii nostri neptem appellat libro 9. carm. 7. Unde conjicio eam filiam fuisse Justini, qui sororis Gregorii vir fuisse dicitur lib. 2. de Miraculis S. Martini cap. 2.

A tesque basilicæ, cœlo modicum albescente, ubi cognoverunt non esse Abbatissam, mox ad monasterium redire puellam præcipiunt : revertentesque, Abbatissam adprehendunt, extrahunt, et in custodiam juxta sancti Hilarii basilicam in loco, ubi Basina metatum habebat, retrudunt, positis ad ostium custodibus, ne quis ullum captivæ præberet auxilium. Exinde nocte subobscura adgressi monasterium, cùm nullo fulgore accensi luminis potirentur, extracta promtuario (a) cuppa quæ olim pice linita sicca remanserat, ignem injiciunt, factaque pharo magna de hujus incendio, cunctam monasterii supellectilem rapuerunt, hoc tantùm quod ferre non poterant, relinquentes. Hæc autem gesta sunt ante septem dies Paschæ. Cùmque Episcopus hæc omnia graviter ferret, nec valeret seditionem diabolicam mitigare, misit ad Chrodieldem, dicens : *Relinque Abbatissam, ut in his diebus in hoc carcere*
B *non retineatur : alioqui non celebrabo Pascha Domini, neque baptismum in hac urbe ullus catechumenus obtinebit, nisi Abbatissa à vinculo quo tenetur, jubeatur absolvi. Quòd si nec sic volueritis absolvi* (b), *collectis civibus auferam eam.* Hæc eo dicente, statim Chrodieldis percussores deputat, dicens : *Si eam violenter quis auferre tentaverit, statim eam gladio percutite.* Adfuit autem diebus illis Flavianus nuper domesticus ordinatus, cujus ope Abbatissa sancti Hilarii ingressa basilicam absconditur (c). Inter hæc ad sepulcrum sanctæ Radegundis homicidia perpetrantur, et ante ipsam beatæ Crucis arcam quidam per seditionem truncati sunt. Cùmque hic furor superveniente die per Chrodieldis superbiam augeretur, et assiduæ cædes, et reliquæ plagæ, quas suprà memoravimus, à seditionariis perpetrarentur, atque ita hæc jactantia tumuisset, ut consobrinam suam Basinam altiori cothurno despiceret, illa
C pœnitentiam agere cœpit, dicens : *Erravi sequendo Chrodieldis jactantiam. Et ecce despectui habeor ab eadem, et Abbatissæ meæ contumax exsisto.* Et conversa, humiliavit se coram Abbatissa, expetens pacem ejus : feruntque pariter uno animo eademque voluntate. Denique orto scandalo, pueri qui cum Abbatissa erant, dum seditioni quam Chrodieldis schola * commovit, resisterent, puerum Basinæ per- * *i.* cœtus.
cutiunt, qui cecidit et mortuus est. At illi post Abbatissam ad basilicam (d) Confessoris confugiunt, et ob hoc Basina relictâ Abbatissâ discessit : sed pueris iterùm per fugam lapsis, in pace quam priùs habuerant redierunt. Posteà verò multæ inter eas scholas inimicitiæ ortæ sunt. Quis umquam tantas plagas tantasque strages, vel tanta mala verbis poterit explicare, ubi vix præteriit dies sine homicidio, hora sine jurgio, vel momentum aliquod sine fletu? Hæc autem Childebertus Rex audiens, lega-
D tionem ad Guntchramnum Regem direxit, ut scilicet Episcopi conjuncti de utroque regno, hæc quæ gerebantur sanctione Canonica emendarent. Ob hanc causam Childebertus Rex mediocritatis nostræ personam, cum Ebregisilo (e) Agrippinensi, et ipso urbis Pictavæ Maroveo Episcopo jussit adesse : Guntchramnus verò Rex Gundegisilum Burdegalensem cum provincialibus suis, eò quòd ipse metropolis (f) huic urbi esset. Sed nos resultare cœpimus, dicentes, quòd non accederemus ad hunc locum, nisi sæva seditio, quæ per Chrodieldem surrexit, Judicis districtione prematur. Pro hac causa Macconi, tunc temporis Comiti, prolata præceptio est, in qua jubebatur ut hanc seditionem, si resisterent, vi opprimeret. Hæc audiens Chrodieldis, sicarios istos cum armis ante ostium oratorii adstare jubet, ut scilicet repugnantes contra Judicem, si vim vellet inferre, pariter resultarent (g). Unde necessarium fuit
E huic comiti illuc cum armis procedere, et quosdam cæsos vectibus, nonnullos telis transfixos, et acriùs resultantes gladiorum ictibus adfectos opprimere. Quod cùm Chrodieldis cerneret, accepta Cruce dominica, cujus priùs virtutem despexerat, in obviàm (h) egreditur dicens : *Nolite super me, quæso, vim inferre, quæ sum Regina, filia Regis, Regisque alterius consobrina : nolite facere, nequando veniat tempus, ut ulciscar ex vobis.* Sed vulgus parvipendens quæ ab ea dicebantur, inruens, ut diximus, supra hos resultantes, vinctos monasterio extraxerunt, ac ad stipites extensos, gravissimè cæsos, aliis cæsarie, aliis manibus, nonnullis auribus naribusque decisis, seditio depressa quievit. Tunc residentibus Sacerdotibus qui aderant super tribunal Ecclesiæ, adfuit Chrodieldis multa in Abbatissam jactans convitia cum criminibus, adserens eam virum habere in monasterio; qui indutus

(a) [Clun. *à promptuario.*]
(b) [In Clun. deest, *absolvi.*]
(c) Sic Bec. alii, *absolvitur.* [Ita Clun.]
(d) [Clun. *ad basilicam sancti Confessoris.*]
(e) Regm. *Eberegisilo.* Sic dicitur in lib. 1. de Gloria Mart. cap. 63. successit Charentino, ut ex Fortunato Cointius probat, licèt in catalogis vulgatis Ebregesilus Charentino præponatur.
(f) Ed. plerique et Casin. *Metropolitanus :* perinde est.
(g) [Clun. *insultarent.*]
(h) [Clun. *obviam egreditur :* deest *in.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

vestimenta muliebria, pro femina haberetur, cùm esset vir manifestissimè declaratus, atque ipsi Abbatissæ famularetur assiduè : indicans eum digito, *En ipsum*. Qui cùm in veste, ut diximus, muliebri coram omnibus abstitisset, dixit se nullum opus posse virile agere : ideòque sibi hoc indumentum aptasse. Abbatissam verò non nisi tantum nomine nosse, seque eam numquam vidisse, neque cum eadem colloquium habuisse professus est, præsertim cùm hic ampliùs quàm quadraginta ab urbe Pictava millibus degeret. Igitur Abbatissam de isto crimine non convincens, adjecit : *Quæ enim sanctitas in hac Abbatissa versatur, quæ viros eunuchos facit, et secum habitare imperiali* (a) *ordine præcipit?* Interrogata Abbatissa, se de hac ratione nihil scire respondit. Intereà cùm hæc nomen pueri eunuchi protulisset, adfuit Reovalis archiater, dicens : *Puer iste parvulus cùm esset, et infirmaretur in femore, desperatus cœpit haberi : mater quoque ejus sanctam Radegundem adivit, ut ei aliquod studium juberet impendi. At illa, me vocato, jussit ut si possim aliquid, adjuvarem. Tunc ego, sicut quondam apud urbem Constantinopolitanam medicos agere conspexeram, incisis testiculis puerum sanum genetrici mœstæ restitui : nam nihil de hac causa Abbatissam scire cognovi.* Sed cùm nec de hac re Abbatissa potuisset culpabilis reperiri, alias cœpit Chrodieldis calumnias sævas inferre : quarum adsertiones responsionesque, quia in judicio, quod contra easdem scriptum est, habentur insertæ, ipsius magis exemplaria lectioni libuit indere.

EXEMPLAR JUDICII EARUMDEM.

« XVI. Domnis gloriosissimis Regibus, Episcopi qui adfuerunt. Propitia Divinitate, piis atque Catholicis populo datis Principibus, quibus concessa est regio, rectissimè suas causas patefacit Religio : intelligens sacro-sancto participante Spiritu, eorum qui dominantur se sociari et constabiliri decreto. Et quia ex jussione Potestatis vestræ, cùm ad Pictavum civitatem pro conditionibus monasterii sanctæ recordationis Radegundis convenimus, ut altercationis inter Abbatissam ejusdem monasterii, vel Monachas, quæ de ipso grege non salubri deliberatione progressæ sunt, ipsis disceptantibus agnoscere deberemus. Evocatis partibus, interrogata Chrodieldi vel (b) Basina, quare tam audacter contra suam Regulam, foribus monasterii confractis, discesserant; et hac occasione congregatio adunata discissa sit. Quæ respondentes, professæ sunt famis, nuditatis, insuper et cædis se jam non ferre periculum : adjicientes etiam, eò quòd diversi (c) earum in balneo lavarentur incongruè, ad tabulam ipsa luserit, atque sæculares cum Abbatissa reficerent, etiam sponsalia in monasterio facta sint : de palla holoserica vestimenta nepti (d) suæ temerariè fecerit : foliola aurea, quæ fuerant in gyro pallæ, inconsultè sustulerit, et ad collum neptis suæ facinorosè suspenderit : vittam de auro exornatam eidem nepti suæ superfluè fecerit : barbatorias (e) intus eò quòd celebraverit. Interrogantes Abbatissam, quid ad hæc responderet, dixit : De fame quòd conqueruntur, secundùm quod temporis penuria permitteret, numquam ipsæ nimiam egestatem pertulerunt. De vestimento verò dixit : Si quis earum arcellulas scrutaretur, ampliùs eas habere quàm necessitas indigeret (f). De balneo verò, quod opponeretur, retulit hoc factum diebus Quadragesimæ (g), et pro calcis amaritudine, ne lavantibus noceret novitas ipsius fabricæ, jussisse domnam Radegundem, ut servientes monasterii publicè hoc visitarent, donec omnis odor nocendi discederet. Quod per Quadragesimam usque ad Pentecostem in usu famulis fuerit. Ad hæc Chrodieldis respondit : Et posteà similiter multi per tempora laverunt. Retulit Abbatissa, se nec probare quod dicerent; et se nescire an factum sit. Sed adhuc inculpans easdem, quòd si ipsæ vidissent, cur Abbatissæ non proderent. De tabula verò respondit, Et

(a) Regm. *nuptiali ordine*. Melior est nostra lectio, alludebat quippe ad morem antiquum, quo Eunuchi Imperatricibus ministrare solebant.

(b) Regm. et Colb. m. *Sabina*.

(c) Regm. et Bad. *diversæ*, et sic infrà quæ ad id revocantur, femineo genere exprimuntur. Bec. [et Clun.] *diversi eorum*.

(d) Omnes præter Bec. et Regm. *neptis*. [Ita Clun.]

(e) Mss. 2. [et Clun.] *barbaturias*. et Regm. *iniquè*, pro *intus eò quòd*. Barbatorias celebrare, id est larvas seu personas agere, barbas sibi aptando : quo in sensu, ut observat Alteserra, Petronius in Fragmento : *Hodie servus meus barbatorium facit*. Hinc ludi satyrici, quod actores barbas more Satyrorum et Faunorum, ut vulgò à Pictoribus finguntur, deferrent, quos abusus sacri Canones passim proscripsere. Cointius tamen hanc vocem exponit de arte tonsoria.

(f) [Clun. *indigeret, inveniebat.*]

(g) Quo tempore mos erat non lavandi ob pœnitentiæ luctum.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

A » si lusisset vivente domna Radegunde, se minùs culpa respiceret; tamen nec in
» Regula per scripturam prohiberi, nec in Canonibus retulit : sed ad jussionem Epis-
» coporum, repromisit cervice se inflexa per pœnitentiam quicquid juberetur, im-
» plere. De conviviis etiam ait, se nullam novam fecisse consuetudinem, nisi sicut
» actum est sub domna Radegunde : se Christianis fidelibus eulogias obtulisse, nec
» sibi comprobari cum illis ullatenus convivasse. De sponsalibus quoque ait, coram
» Pontifice, Clero, vel senioribus pro nepte sua Orphanula arrhas accepisse : et
» tamen si hæc culpa sit, veniam se coram cunctis petere professa est : tamen nec
» tunc convivium in Monasterio fecerit. De palla quod reputarent, protulit mona-
» cham nobilem quæ ei mafortem (a) holosericum, quem de parentibus detulit,
» muneris causa concesserit, et inde partem abscidisset, unde quod vellet et fa-
» ceret : de reliquo verò quantùm opportunum fuit, ad ornatum altaris pallam
B » condignè condiderit : et de illa inscissura quæ pallæ superfuit, purpuram nepti
» suæ in tunica posuerit, quam ibi dedisse dixit, quo monasterio profuit, quæ per
» omnia donatrix Didimia confirmavit. De foliolis aureis et vitta auro exornata (b),
» Macconem famulum vestrum præsentem testem adhibuit, eò quòd per manum
» ejus ab sponso puellæ prædictæ neptis suæ viginti solidos accepit, unde hoc pu-
» blicè fecerit, nec de re monasterii quicquam ibi permixtum sit. Interrogata
» Chrodieldis cum Basina, si forsitan aliquid Abbatissæ, quod absit, adulterii re-
» putarent, sive quid homicidii, vel maleficii fecerit, aut crimen capitale quo
» percuteretur, edicerent. Respondentes protulerunt, non habere se aliquid, nisi
» per hæc quæ dixerant, eam ista fecisse contra Regulam proclamarent. Ad ex-
» tremum, pro peccatis quia claustra disrupta sunt, et miseris licuit sine disciplina
» Abbatissæ suæ quod vellent committere per tot mensium spatia, quas credeba-
C » mus innocentes monachas, nobis protulerunt prægnantes. Quibus per ordinem
» discussis, nec invento crimine quod Abbatissam dejiceret, de levioribus causis
» paterna commonitione contestati sumus, ut hæc nullatenus deinceps pro repre-
» hensione repeteret (c). Tunc nobis percunctantibus causam adversæ partis, quæ
» majora crimina commiserunt, id est quæ prædicationem sui Sacerdotis infra mo-
» nasterium ne foras procederent, despexerunt, Pontifice conculcato, et in sum-
» mo contemtu in monasterio relicto, confractis seris et januis, inrito facto discess-
» serunt, et ad suum peccatum aliæ tractæ transgressæ sunt : insuper et Gundegi-
» silus Pontifex, cum suis Provincialibus pro ipsa causa commonitus, per præ-
» ceptionem Regum Pictavis accessissent, et ad audientiam eas ad monasterium
» convocarent, despecta commonitione, ipsis occurrentibus ad beati Hilarii Con-
» fessoris basilicam, ubi ipsæ commorabantur, accedentes, ut condecet pastorum
» sollicitudinem, dum commonerentur, facta seditione, fustibus tam Pontifices
D » quàm ministros (d) adfecerunt, et intra Basilicam fuderunt sanguinem Levi-
» tarum. Dehinc ex jussione domnorum Principum, cùm vir venerabilis Theutha-
» rius Presbyter in causa directus fuerit, et statutum fuisset quando judicium fie-
» ret, non exspectato tempore, monasterium seditiosissimè, accensis in corte cup-
» pis, vectibus ac securibus confractis posticis, igne accenso, intra sæpta cæsis et
» vulneratis monachabus in ipsis oratoriis, spoliato monasterio, denudata et dis-
» cissa capillis Abbatissa, graviter ad ridiculum ducta et tracta per compita, et
» in locum retrusa; etsi non ligata, nec libera : superveniente diei Paschæ festo
» per sæculum (e), offerente Pontifice pro condemnata pretium, ut spectaret vel
» baptismum, nec ulla suasione hoc impetrasset vox supplicum, atque respondente
» Chrodielde, eò quòd tale facinus nec scissent, nec jusserint, adhuc Chrodielde
E » adserente ad intersignium suum, ne à suis interficeretur, obtentum sit : unde cer-
» tum est tractari quid ex hoc datur intelligi, quod additur crudelitati, ad sepul-
» crum beatæ Radegundis fugientem servum monasterii sui occiderent, et sce-
» lere crescente nihil petendo sanaverint; sed per se pòst intrantes monasterium
» ceperint, et ad domnorum jussionem, ut seditiosos illos in publico repræsenta-
» rent, nolentes adquiescere, et contra Regum præcepta magis arma tenerent,
» et se sagittis vel lanceis contra Comitem et plebem indignanter erigerent. Hinc

(a) Mafors vestimenti amplioris genus erat mulieribus proprium, quod caput et humeros tegebat. De hoc Fortunatus in Vita S. Radegundis, tum in Vita S. Hilarii. Eadem voce, uti Cassianus lib. 1. Institut. cap. 7. testatur, veteres pallium monasticum designabant.

(b) Quæ in modum coronæ disposita deferri solebat à sponsa, qui mos hodieque in nonnullis regionibus perseverat.

(c) Alii habent, *cognosceret*. [Ita Clun.]

(d) Id est *Diaconos*.

(e) Regm. *festivo scilicet per omne sæculum*.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

» denuò egressæ ad audientiam publicam, extrahunt Crucem (a) sanctam sacra- A
» tissimamque occultè, et ad injuriam, indecenter, ad culpam, quæ posteà resti-
» tuere coactæ sunt in Ecclesia. Quibus tot capitalibus agnitis facinoribus, nec
» refrænatis, sed jugiter magis auctis criminibus, nobis eisdem dicentibus, ut Ab-
» batissæ pro culpa veniam peterent, aut quod malè directum (b) fuerat emen-
» darent : et nolentes hoc facere, sed magis de ejus interfectione tractarent, quod
» publicè sunt professæ ; reseratis à nobis et recensitis Canonibus, visum est æquis-
» simum eas, usquequò dignam agerent pœnitentiam, à communione privari, et
» Abbatissam suo loco permansuram restitui. Hæc nos pro vestra jussione, quod
» ad Ecclesiasticum pertinuit ordinem, circumspectis (c) Canonibus, absque perso-
» narum aliqua acceptione suggerimus peregisse. De cetero quod de rebus monas- B
» terii, vel instrumentis chartarum domnorum Regum parentum vestrorum de loco
» subreptum est, quæ se habere professæ sunt, sed nobis inobedientes nullatenus
» erunt voluntariè reddituræ, qualiter vestra, vel anteriorum Principum merces
» æterna permaneat, ad (d) loci instaurationem, vestræ pietatis atque potestatis
» est auctoritate regia cogere reformari ; neque ipsas ad locum, quem tam impiè
» ac profanissimè destruxerunt, ne pejora proveniant, vel redire concedite, vel
» permittatis iterùm adspirare : quatenus his in integrum, præstante Domino,
» restitutis, sub Catholicis Regibus totum adquiratur Deo, nihil perdat Religio :
» ut status conservatus tam Patrum quàm Canonum nobis proficiat ad cultum, vobis
» propagetur ad fructum. Christus vos Dominus alat regatque, regnum tribuens
» prolixius, vitamque conferat beatam. » C

XVII. Post hæc cùm emisso Judicio à communione fuissent suspensæ, Abbatissa etiam in monasterium restituta, hæ ad Childebertum Regem petierunt, adjicientes malum supra malum, denominantes scilicet Regi personas quasdam, quæ non solùm cum ipsa Abbatissa adulteria exercerent, verùm etiam ad inimicam ejus Fredegundem quotidie nuntia deportarent. Quod audiens Rex, misit qui eos vinctos adducerent : sed cùm discussi nihil criminis inventum in eis fuisset, abscedere jussi sunt.

XVIII. Ante hos verò dies cùm Rex in oratorium domûs Mariligensis ingrederetur, viderunt pueri ejus hominem ignotum eminus adstantem, dixeruntque ad eum : *Qui es tu, et unde venis, aut quod est opus tuum ? non enim à nobis agnosceris.* D Illo quoque respondente, *Quia de vobis sum ;* dicto citiùs ejectus extra oratorium, interrogatur. Nec mora confitetur, dicens à Fredegunde Regina se transmissum ad interficiendum Regem, dixitque : *Duodecim viri sumus ab ea transmissi, sex huc venimus, alii verò sex Suessionibus remanserunt ad decipiendum filium Regis. Et ego cùm locum præstolans, ut Regem Childebertum in oratorio percutere destinarem, timore perterritus, non deliberavi implere quod volui.* Hæc cùm dixisset, confestim sævis datus suppliciis, diversos nominat socios : quibus per loca singula inquisitis, alios carceribus mancipant, alios manibus incisis relinquunt, nonnullos auribus naribusque amputatis ad ridiculum laxaverunt. Plerique tamen ex vinctis, suppliciorum genera metuentes, propriis se confodêre mucronibus : nonnulli etiam inter supplicia defecerunt, ut Regis ultio patraretur. E

XIX. Sunnigisilus (e) verò iterùm tormentis addicitur, ac quotidie virgis lorisque cæditur : et computrescentibus vulneribus, cùm primùm decurrente pure cœpissent ipsa vulnera claudi, iterùm renovabantur ad pœnam. In his tormentis non solùm de morte Chilperici (f) Regis, verùm etiam diversa scelera se admisisse confessus est : inter quas confessiones, addidit etiam Egidium Remensem Episco-

(a) Eam scilicet quam sancta Radegundis tanta cum pompa ad monasterium afferri curaverat, quæ et ipsi nomen tribuit. Ceterùm cod. Regm. paullò prolixiùs habet : *Extrahunt, easdemque ad injuriam indecenter trahentes, et meritò. Violenter enim et contra pudorem suum egerant in Ecclesia sua contra ministros Ecclesiæ. Sed dum sic injuriosè, ut quidem meritæ erant traherentur, pœnitentia ductæ pro facinoribus, petebant veniam sibi dari ab Abbatissa, pollicentes se emendaturas quidquid malè egerant. Et hæc tertio simulantes, et pœnitentiam fugientes, magis de ipsius Abbatissæ interfectione tractabant, quod publicè sunt confessæ. Reseratis itaque, etc.*

(b) Editi cum Colb. m. *directum.*

(c) Sic Bec. et Regm. alii, *circumscriptis.*

(d) Regm. *Hoc autem vestræ pietatis erit confirmari stabili judicio, ne autem ipsas ad locum quem tam impiè destruxerunt sinatis redire, nec ulteriùs concedatis aspirare, quatenus.*

(e) Regm. ut libro præcedenti, cap. 38. *Domnigisilus.*

(f) Sic mss. omnes et editi, Valesius tamen legendum censet *Childeberti.* Idque, ut putat erratum, Gregorii memoriæ lapsui attribuit. Cùm haud possibile ipsi videatur, virum nobilem ex Austrasia, atque in Childeberti palatio honoratum à Fredegunde, quæ Chilperici interitus auctor esse putatur, delectum fuisse ad inferendam ipsi Chilperico necem, maximè cùm ipsa in Neustria habuerit complures sicarios, qui scelerum ipsius fidissimi erant ministri. Nondum tamen obierat Childebertus, quando hæc Gregorius scribebat. Unde si vera sit Valesii opinio,

pum

A pum socium fuisse in illo Rauchingi (a), Ursionis ac Berthefredi consilio ad interficiendum Childebertum Regem. Nec mora rapitur Episcopus, et ad Mettensem urbem, cum esset valde ab ægrotatione longinqua defessus, adducitur : ibique sub custodia degens, Rex Episcopos arcessiri ad ejus examinationem præcepit, scilicet ut in initio mensis octavi apud Viridunensem urbem adesse deberent. Tunc ab aliis Sacerdotibus increpitus, cur hominem absque audientia ab urbe rapi, et in custodiam retrudi præcepisset, permisit eum ad urbem suam redire, dirigens epistolas, ut suprà diximus, ad omnes regni sui Pontifices, ut medio mense nono ad discutiendum in urbe supradicta adesse deberent. Erant autem pluviæ validæ, aquæ immensæ, rigor intolerabilis, dissolutæ luto viæ, amnes litora excedentes : sed
B præceptioni Regiæ obsistere nequiverunt. Denique convenientes, pertracti sunt usque Mettensem urbem : ibique et præfatus Egidius adfuit. Tunc Rex inimicum eum sibi, regionisque proditorem esse pronuntians, Ennodium ex Duce ad negotium delegit prosequendum, cujus propositio prima hæc fuit : *Dic mihi, ô Episcope, quid tibi visum fuit, ut relicto Rege, in cujus urbe Episcopatûs honore fruebaris, te Chilperici Regis amicitiis subderes, qui semper inimicus domino nostro Regi fuisse probatur; qui patrem ejus interfecit, matrem exsilio* (b) *condemnavit, regnumque pervasit, et in iis urbibus quas, ut diximus, iniquo pervasionis ordine, suo dominio subjugavit, tu ab eodem possessionum fiscalium prædia meruisti?* Ad hæc ille respondit : *Quòd fuerim amicus Regis Chilperici negare non potero, non tamen contra utilitatem Regis Childeberti*
C *hæc amicitia pullulavit. Villas verò quas memoras, per istius Regis chartas emerui.* Tunc proferente easdem in publico, negat Rex se largitum fuisse : requisitusque Otto *, qui tunc Referendarius fuerat, cujus ibi subscriptio meditata tenebatur, adfuit, negat se subscripsisse : conficta enim erat manus ejus in hujus præceptionis scripto. In hac igitur causa primùm Episcopus fallax repertus est. Post hæc epistolæ prolatæ sunt, in quibus multa de improperiis Brunichildis tenebantur, quæ ad Chilpericum scriptæ fuerant, similiter et Chilperici ad Episcopum delatæ, in quibus inter reliqua habebatur insertum : *Quia si radix cujuslibet rei incisa non fuerit, culmus qui terris est editus non arescet.* Unde prorsùs manifestum est, ideò hæc scripta, ut superata Brunichilde, filius ejus opprimeretur. Negavit se Episcopus has epistolas vel misisse suo nomine, vel suscepisse à rescripto Chilperici. Sed puer ejus
D familiaris adfuit, qui hæc notarum titulis per tomos chartarum conprehensa tenebat : unde non dubium fuit residentibus, hæc ab eodem directa. Deinde prolatæ sunt pactiones quasi ex nomine Childeberti ac Chilperici Regis, in quibus tenebatur insertum, ut ejecto Guntchramno Rege, hi duo Reges inter se ejus regnum urbesque dividerent : sed negavit hæc Rex cum suo factum consilio, dicens : *Quid tu commisisti patruos meos, ut inter illos bellum civile consurgeret : unde factum est ut commotus exercitus Biturigas urbem, pagumque Stampensem, vel Mediolanense* (c) *castrum adtererent atque depopularentur : in quo bello multi interemti sunt, quorum, ut puto, animæ erunt Dei judicio de tuis manibus requirendæ?* Hæc Episcopus negare non potuit. Scripta enim ista in regesto Chilperici Regis in uno scriniorum
E pariter sunt reperta : ac tunc ad eum pervenerunt, quando interemto Chilperico, thesauri ejus de Calensi Parisiacæ urbis villa ablati ad eumdem delati sunt. Cùmque de hujuscemodi causis altercatio diutiùs traheretur, adfuit et Abbas Epiphanius basilicæ sancti Remigii, dicens, quòd duo millia aureorum, speciesque multas pro conservanda Regis Chilperici amicitia accepisset. Adstiteruntque etiam et legati, qui cum eodem ad memoratum Regem fuerant, dicentes : *Quia nobis relictis diutiùs cum eodem solus conlocutus est : de quibus verbis nihil intellexímus, nisi supradicti excidii prosecutionem imposterum cognoscentes.* Hæc eo negante, Abbas qui fuerat semper in iis consiliorum arcanis particeps, locum hominemque denominat, ubi, et qui aureos, quos diximus, detulisset; et qualiter de excidio regionis ac Regis Guntchramni conventum fuerat, ut gestum est ex ordine denarravit. Quæ et ille convictus, deinceps est confessus. Hæc audientes Episcopi qui advocati fuerant, et in tantis malis Sacerdotem Domini contuentes fuisse satellitem, suspirantes, de

* *Ed.* Otho.

hic locus intelligendus de morte quam Rauchingus et alii hîc memorati Childeberto meditati fuerant inferre.

(a) Alii *Ravingus* seu *Ravincus*. Is ipse est Rauchingus, de quo suprà lib. 8. cap. 29. et lib. 9. cap. 9. ubi conjuratio hîc memorata describitur.

(b) Regm. *equuelo*. sed altera lectio melior. Nam re ipsa Chilpericus, ut narrat ipse Gregorius lib. 5. cap. 1. post Sigiberti necem Brunichildem in exsilium deportari jussit.

(c) Sic habent Bec. et Colb. m. Colb. a. *Mediolensem* Editi *Miliodunense*. Hîc, ut puto, Mediolanum, seu Magdunum Biturigum potiùs designatur, quàm Melodunum, quod est oppidum Senonum ad Sequanam. Utrumque bello isto lacessitum est. Vide suprà lib. 6. cap. 31. * Ibi consule Notam nostram.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 590.

iis triduani temporis spatium deprecantur tractandi, scilicet ut forsitan resipiscens Egidius ullum modum reperire posset, per quem se ab iis noxis quæ ei objiciebantur, excusare valeret : sed inlucescente die tertia, convenientes in Ecclesiam, interrogant Episcopum, si aliquid excusationis haberet, ediceret. At ille confusus ait : *Ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini. Nam ego novi me ob crimen Majestatis reum esse mortis, qui semper contra utilitatem hujus Regis matrisque ejus abii : ac per meum consilium multa fuisse gesta certamina novi, quibus nonnulla Galliarum loca depopulata sunt.* Hæc Episcopi audientes, ac lamentantes fratris opprobrium, obtenta vita, ipsum ab ordine Sacerdotali, lectis Canonum sanctionibus, removerunt : qui statim ad Argentoratensem urbem, quam nunc Strateburgum vocant, deductus, exsilio condemnatus est : in cujus locum Romulfus (a) filius Lupi Ducis, jam Presbyterii honore præditus, Episcopus subrogatus est, Epiphanio [ab] Abbatis officio, qui basilicæ sancti Remigii præerat, remoto. Multa enim auri argentique in hujus Episcopi regesto pondera sunt reperta. Quæ autem de illa iniquitatis militia (b) erant, regalibus thesauris sunt inlata : quæ autem de tributis, aut reliqua ratione Ecclesiæ inventa sunt, inibi relicta.

XX. In (c) hac Synodo Basina Chilperici Regis filia, quam suprà cum Chrodielde à communione remotam diximus, coram Episcopis solo prostrata, veniam petiit, promittens se cum caritate Abbatissæ monasterium ingredi, ac de Regula nihil transcendere. Chrodieldis autem obtestata est, quòd Leobovera Abbatissa in hoc monasterio commorante, ibidem numquam ingrederetur. Sed utrisque Rex veniam impertiri deprecatus est : et sic in communionem receptæ, Pictavo regredi jussæ sunt : scilicet ut Basina in monasterium, ut præfati sumus, regrederetur : Chrodieldis verò in villa, quæ quondam Waddonis superiùs memorati fuerat, sibi à Rege concessa resideret.

XXI. Filii autem Waddonis ipsius per Pictavum vagantes, diversa committebant scelera, homicidia, furtaque nonnulla. Nam inruentes ante hoc tempus super negotiatores, sub noctis obscuritate eos gladio trucidant, abstuleruntque res eorum : sed et alium tribunitiæ potestatis virum circumventum dolis, interfecerunt, diripientes res ejus. Quòd cùm Macco Comes reprimere niteretur, ii præsentiam expetunt Regis. Eunte autem Comite, ut debitum fisco servitium solitè deberet inferre (d), adfuerunt et ii coram Rege, offerentes balteum magnum ex auro lapidibusque pretiosis ornatum, gladiumque mirabilem, cujus capulum ex gemmis Hispanicis auroque dispositum erat. Cùmque Rex hæc scelera quæ audierat, ab iis cognovisset manifestissimè perpetrata, vinciri eos catenis præcepit, ac tormentis subdi. Qui dum torquerentur, thesauros patris absconditos, quos de rebus Gundovaldi superiùs memorati pater (e) diripuerat revelare (f) cœperunt. Nec mora, directi viri ad inquirendum, immensam multitudinem auri argentique, ac diversarum specierum et auro gemmisque exornatarum repererunt, quod thesauris regalibus intulerunt. Post hæc seniore capite plexo, juniorem exsilio damnaverunt.

XXII. Childericus (g) verò Saxo post diversa scelera, homicidia, seditiones, multaque alia improba quæ gessit, ad Ausciensem urbem, in qua possessio uxoris erat, abiit. Cùmque Rex, auditis ejus improbitatibus (h), jussisset eum interfici, quadam nocte ita crapulatus est vino, ut ab eo suffocatus, mortuus in strato suo repereretur. Adserebant enim ad illud superiùs scelus nominatum, quo Sacerdotes Domini in basilica sancti Hilarii per Chrodieldem cæsi sunt (i), hunc fuisse signiferum : ultusque est Deus, si ita est, injuriam servorum suorum.

XXIII. In hoc autem anno tantus terris nocturno tempore splendor inluxit, ut mediam putares diem : sed et globi similiter ignei per noctis tempora sæpiùs per cœlum cucurrisse, mundumque inluminasse visi sunt. Dubietas Paschæ fuit ob

(a) [Clun. *Romulus.*] Hunc laudat Frodoardus lib. 2. cap. 4. ubi eum fratrem Johannis Campaniæ Ducis, qui Lupo patri successerat, fuisse tradit. Ejus pietatem testantur donationes piæ, quas ex eodem auctore Remensi Ecclesiæ aliisque fecit.

(b) Bad. Colb. m. [et Dub.] *malitia ;* sic et Colb. a. sed altera manu posteà scriptum est *militia ;* qua voce aliàs utitur Gregorius.

(c) Deest hoc caput cum tribus sequentibus in Vat. et Colb. a.

(d) Ex hoc et aliis Gregorii aliorumque auctorum locis infert Bignonius in notis ad lib. 1. Marculfi cap. 8. ad Comites curam pertinuisse tributa ærario deferendi.

(e) Waddo Major-domus Rigunthis sese Gundovaldo-Ballomeri adjunxerat, de quo suprà passim egit Gregorius.

(f) [Clun. *revelaverunt.*]

(g) Bec. Colb. m. et aliquot ed. *Chuldericus.*

(h) [Dub. *auditas ejus improbitates.* Clun. *auditas ejus crudelitates.*]

(i) Vide suprà lib. 9. cap. 41.

A hoc, quòd in cyclo Victor luna decima-quinta (a) Pascha scripsit fieri. Sed ne Christiani, ut Judæi, sub hac luna hæc sollemnia celebrarent, addidit, *Latini autem luna vigesima-secunda*. Ob hoc multi in Galliis decima-quinta luna celebraverunt : nos autem vigesima-secunda (b). Inquisivimus tamen studiosè : sed fontes Hispaniæ qui divinitùs implentur, in nostrum Pascha repleti sunt. Terræ motus factus est magnus decimo-octavo Calendas (c) mensis quinti die quarto (d) primo mane, cùm lux redire cœpisset. Sol eclypsim pertulit mense octavo mediante : et ita lumen ejus minuit, ut vix quantum quintæ lunæ cornua retinent, ad lucendum haberet. Pluviæ validæ, tonitrua in autumno gravia, aquæ autem nimiùm invaluerunt. Vivariensem (e) Avennicamque urbem graviter lues inguinaria devastavit. An. Chr. 590.

XXIV. Anno igitur decimo-sexto Childeberti, Guntchramni autem trigesimo An. 591.
B regum, quidam Episcopus de transmarinis partibus ad Turonicam urbem advenit, nomine Simon. Hic nobis eversionem Antiochiæ urbis enuntiavit, adserens se de Armenia in Perside captivatum fuisse. Rex enim Persarum inrupto Armeniorum termino prædas egit, Ecclesiasque igni succendit : et hunc Sacerdotem cum populo suo, ut diximus, captivum abduxit. Tunc etiam et basilicam sanctorum quadraginta octo Martyrum, de quibus in libro Miraculorum memini (f) qui in illa regione passi sunt, oppleta ligni congerie, pice tergoribusque suillinis immixtis, suppositis ardentibus facibus, succendere nisi sunt (g) : sed nequaquam ignis adparatum incendii comprehendit ; sicque videntes magnalia Dei, recesserunt ab ea. Audita autem quidam Episcopus istius memorati Sacerdotis abductione, direxit pretium per homines suos ad Regem Persarum. Quo ille suscepto, relaxavit à ser-
C vitutis vinculo Episcopum istum. Ex iis ergo discedens regionibus, Gallias est adgressus, ut aliquid consolationis à devotis acciperet : qui nobis, ut præfati sumus superiùs, hæc retulit. Homo erat in Antiochia, valde devotus in eleemosynis, conjugem ac liberos habens : nec umquam ei in omni vita sua dies præteriit, postquàm quiddam proprium habere cœpit, quod sine paupere epulum prælibasset. Hic una die cùm circumisset urbem usque ad vesperum, et reperire non potuisset egenum, cum quo cibum capere posset, egressus extra portam, cùm nox inrueret, reperit virum in veste alba cum duobus aliis stantem, quem adspiciens, quasi Loth ille antiqua memoratus historia (h), territus ait : *Et forsitan peregrinus est Dominus meus, dignetur accedere ad domum servi sui, et sumto epulo, quiescite in strato : manè autem proficiscemini in viam quam volueritis.* Cui ille qui erat senior
D tenens sudarium in manu sua, ait : *Non poteras, ô homo Dei, cum Simeone vestro hanc urbem salvare, ne subverteretur?* Et elevans manum excussit sudarium quod tenebat super medietatem urbis ; et statim conruerunt omnia ædificia, et quodcumque ibi structum fuit ; ibique oppressi sunt senes cum infantibus, viri cum mulieribus, atque uterque sexus interiit (i). Quod ille cernens, tam de persona viri, quàm de sonitu ruinæ (k), hebes effectus, ruit in terram, et factus est velut mortuus. Elevansque iterùm vir ille manum cum sudario, quasi super aliam medietatem urbis, adprehensus est à duobus sociis qui cum eo erant, atque obsecratus terribilibus sacramentis, ut indulgeret medietati urbis, ne rueret : mitigatoque (l) furore sustinuit manum suam, atque elevans hominem qui conruerat in terram, ait : *Vade ad domum tuam, ne timeas : filii enim tui cum uxore et omni domo tua salvi sunt ; nec quisquam ex eis periit : custodivit enim te oratio assidua, et eleemosynæ quas*
E *quotidie exerces in pauperes.* Et hæc dicens, discesserunt ab oculis ejus, nec ei apparuerunt ultrà. Ille autem regressus in urbem, reperit urbis medietatem dirutam atque subversam cum hominibus pecoribusque, ex quibus nonnulli à ruinis dein-

(a) Casin. *duodecima.*

(b) Colb. m. Regm. [Clun.] et Bad. *vigesima-prima.* Ceterùm prævaluit in Ecclesia Catholica mos celebrandi Pascha in plenilunio, seu luna XV. cùm die Dominica contingit : quod tempore Gregorii aliquibus displicebat, ne sic, ut ipsis videbatur, aliquam Paschalis festivitatis partem Christiani simul et Judæi celebrarent ; quas querelas cum tempore Gregorianæ reformationis Kalendarii sæculo proximè elapso nonnulli renovare conarentur, eos refutavit Clavius in apologia ejusdem Kalendarii ; cùm ob id solùm Pascha luna XIV. celebrari vetitum esset, ne Christiani hanc festivitatem eo die celebrarent, quo Judæi agnum immolabant.

(c) [Clun. *xviij. Kal. Maii.*]

(d) Regm. *quinta die.*

(e) Albam Helviorum hanc urbem Veteres frequentiùs appellabant, hodie Vivarium, seu Vivaria dicitur, vulgò *Viviers*, ubi sedes Episcopalis sub Metropoli Viennensi.

(f) In lib. 1. de Gloria Mart. cap. 96.

(g) Hîc desinit codex Regm. ceteris avulsis. Nihil autem deerat, ut ex capitum indice colligitur, præter fortè ultimum caput de Episcopis Turonicis, quod in indice non memoratur.

(h) In Historia sacra, scilicet Geneseos cap. 19. [Clun. *terrore suffusus ait.*]

(i) Cladem hanc Antiochenam fusè descripsit Evagrius lib. 6. cap. 8. quam anno 589. contigisse probat Henr. Valesius in Annotationibus.

(k) [Clun. *de sonitu civitatis amens effectus.*]

(l) Clun. *mitigatusque à furore.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 591.

ceps extracti sunt mortui, pauci debilitati reperti sunt vivi. Verumtamen nec illa cassata sunt, quæ viro huic ab ipso, ut ita dicam, Angelo Domini sunt effata. Nam veniens, omnem domum suam incolumem reperit, tantùm funera propinquorum, quæ in aliis domibus effecta fuerant, lamentabatur, protexitque eum in medio iniquorum dextera Domini cum domo sua, salvatusque est à periculis mortis, ac velut memoratus Loth quondam in Sodomis. *Gen.* 19. A

XXV. At in Galliis Massiliensem Provinciam morbus sæpè nominatus invasit : Andegavos, Namneticos atque Cenomannicos valida fames oppressit. Initia sunt enim hæc dolorum, juxta illud quod Dominus ait in Evangelio : *Erunt pestilentiæ et fames, et terræ motus per loca : Et exsurgent pseudochristi et pseudoprophetæ : et dabunt signa et prodigia in cœlo, ita ut Electos in errorem mittant :* sicut præsenti gestum est tempore. Quidam enim ex Biturico, ut ipse postmodùm est professus, dum saltus silvarum ingressus, ligna cæderet ad explendam operis cujusdam necessitatem, muscarum eum circumsedit examen, qua de causa per biennium amens est habitus : unde intelligi datur diabolicæ emissionis fuisse nequitiam. Post hæc transactis urbibus propinquis, Arelatensem Provinciam adiit : ibique indutus pellibus, quasi Religiosus orabat : ad quem inludendum pars adversa, divinandi ei tribuit facultatem. Ex hoc ut in majori proficeret scelere, commotus à loco, Provinciam memoratam deserens, Gabalitanæ (a) regionis terminum est ingressus, proferens se magnum, ac profiteri se non metuens Christum, adsumta secum muliere quadam pro sorore, quam Mariam vocitari fecit. Confluebat ad eum multitudo populi, exhibens infirmos, quos contingens sanitati reddebat. Conferebant enim ei aurum argentumque ac vestimenta, ii qui ad eum conveniebant. Quod ille, quò faciliùs seduceret, pauperibus erogabat, prosternens se solo, effundens orationem cum muliere memorata, et surgens, se iterùm à circumstantibus adorari jubebat. Prædicebat enim futura, et quibusdam morbos, quibusdam damno provenire denuntiabat, paucis salutem futuram. Sed hæc omnia diabolicis artibus et præstigiis nescio quibus agebat. Seducta est autem per eum multitudo immensa populi, et non solùm rusticiores, verùm etiam Sacerdotes Ecclesiastici. Sequebantur autem eum ampliùs quàm tria millia populi. Intereà cœpit quosdam spoliare ac prædari, quos in itinere reperisset : spolia tamen non habentibus largiebatur. Episcopis ac civibus minas mortis intentabat, eò quòd ab iis adorari despiceretur. Ingressus autem Vellavæ urbis terminum, ad locum quem Anicium (b) vocitant, accedit : et ad Basilicas propinquas cum omni exercitu restitit, instruens aciem, qualiter Aurelio (c) ibidem tunc consistenti Episcopo bellum inferret, mittens etiam ante se nuntios, homines nudo corpore saltantes atque ludentes, qui adventum ejus adnuntiarent. Quod stupens Episcopus, direxit ad eum viros strenuos, inquirentes quid sibi vellent istà quæ gereret. Unus autem ex iis qui erat Senior, cùm se inclinasset quasi osculaturus genua ejus, ac discussurus viam illius, jussit eum adprehensum spoliari : nec mora, ille evaginato gladio in frusta concidit, ceciditque Christus ille, qui magis Antichristus nominari debet, et mortuus est : dispersique sunt omnes qui cum eo erant. Maria autem illa suppliciis debita, omnia phantasmata ejus ac præstigias publicavit. Nam homines illi, quos ad se credendum diabolica circumventione turbaverat, numquam ad sensum integrum sunt regressi : sed hunc semper quasi Christum, Mariam autem illam partem Deitatis habere profitebantur. Sed et per totas Gallias emerserunt plerique, qui per has præstigias adjungentes sibi mulierculas quasdam, quæ debacchantes sanctos eos confiterentur, magnos se in populis præferebant : *Matth.* 24. 7. *Ibid.* 24. *Marc.* 13. 22. B C D E

(a) Hodie *le Gevaudan,* cujus urbs præcipua olim Anderitum, sed à compluribus sæculis Mimate, *Mande,* hodieque Episcopi sedes, principem locum obtinet.

(b) Hîc evidenter urbs Vellava ab Anicio distinguitur. Anicium quod hodie Episcopi sedes est, vulgò Podium, *le Puy*, appellatur à situ. Podium quippe *un puy*, seu *Peu*, aut *lo puech*, non solùm antiquitùs, sed etiam nunc in illis regionibus montem designat. Celebris est ille locus ob Ecclesiam cathedralem, sitam in edito monte, B. Mariæ sacram, cujus Antistes se Episcopum Romani Pontificis suffraganeum immediatum inscribit, ac fuit aliquando Pallii privilegio donatus. Antiquam Vellavorum urbem, ex qua hodieque regio nomen *Velay* retinet, à nonnullis *Revessionem* dictam, ibi sitam fuisse ubi hodie visitur S. Pauliani oppidum multis argumentis probat Mabillon. in Appendice ad partem 1. sæc. IV. Act. SS. Ord. Benedictini pag. 758. ubi et aliquot inscriptiones hanc in rem profert : ex his unicam huc proferre satis sit, erutam in antiqua via quæ ex illo oppido Gergobiam ducit.

CAES. PRINCEPS
IVVENT. VIAS
ET PONTES. VETUSTAT.
CONLAPSAS
RESTITUI. F.

(c) Aurelius uti sanctus colitur apud Podienses.

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 591.

A ex quibus nos plerosque vidimus, quos objurgantes revocare ab errore nisi sumus.

XXVI. Ragnemodus (a) quoque Parisiacæ urbis Episcopus obiit. Cùmque germanus ejus Faramodus Presbyter pro Episcopatu concurreret, Eusebius quidam negotiator, genere Syrus, datis multis muneribus, in locum ejus subrogatus est : isque accepto Episcopatu omnem scholam (b) decessoris sui abjiciens, Syros de genere suo Ecclesiasticæ domui ministros statuit. Obiit et Sulpicius Biturícæ urbis Pontifex, cathedramque ejus Eustasius (c) Augustidunensis Diaconus est sortitus.

XXVII. Inter Tornacenses quoque Francos non mediocris disceptatio orta est, pro eo quòd unius filius alterius filium, qui sororem ejus in matrimonium acceperat, cum ira sæpius objurgabat, cur conjuge relicta scortum adiret : quæ iracundia, cum emendatio criminis non succederet, usque adeò elata est, ut inruens puer super
B cognatum suum, eum cum suis interficeret, atque ipse ab iis cum quibus venerat ille, prosterneretur, nec remaneret quispiam ex utrisque, nisi unus tantùm, cui percussor defuit. Ex hoc parentes utriusque inter se sævientes, à Fredegunde Regina plerumque arguebantur, ut relieta inimicitia concordes fierent, ne pertinacia litis in majus subveheretur scandalum. Sed cùm eosdem verbis lenibus placare nequiret, utrumque bipenne compescuit. Invitatis enim ad epulum multis, hos tres in uno fecit sedere subsellio : cùmque in eo prandium elongatum fuisset spatio, ut nox mundum obrueret, ablata mensa (d), sicut mos Francorum est, illi in subsellia sua, sicut locati fuerant, residebant. Potatoque vino multo, in tantum crapulati sunt, ut pueri eorum madefacti per angulos domûs, ubi quisque conruerat, obdormirent. Tunc ordinati à muliere viri cum tribus securibus, à tergo horum trium ad-
C stiterunt, illisque conloquentibus, in uno, ut ita dicamus, adsultu puerorum manus libratæ, hominibus perculsis, ab epulo est discessum. Nomina quoque virorum, Charivaldus, Leodovaldus, atque Waldinus. Quod cùm parentibus perlatum fuisset, custodire artiùs Fredegundem cœperunt, dirigentes nuntios ad Childebertum Regem, ut comprehensa interficeretur. Commotus autem pro hac causa Campaniensis (e) populus, dum moras innecteret, hæc suorum erepta auxilio, ad locum alium properavit.

XXVIII. Post hæc autem legatos ad Guntchramnum Regem mittit, dicens : *Proficiscatur dominus meus Rex usque Parisius, et arcessito filio meo nepote suo, jubeat eum baptismatis gratia consecrari : ipsumque de sancto lavacro exceptum, tamquam alumnum proprium habere dignetur.* Hæc audiens Rex, commotis Episcopis, id
D est Ætherio Lugdunensi, Syagrio Augustidunensi, Flavioque Cabillonensi (f), et reliquis quos voluit, Parisius accedere jubet, indicans se postmodùm secuturum. Fuerunt etiam ad hoc placitum multi de regno ejus, tam Domestici quàm Comites, ad præparanda regalis expensæ necessaria. Rex autem deliberatione acta, ut ad hæc deberet accedere, pedum est dolore prohibitus. Postquàm autem convaluit, accessit Parisius : exinde ad Rotoialensem villam ipsius urbis properans, evocato puero jussit baptisterium præparari in vico Nemptodoro (g). Dum autem hæc agerentur, legati Childeberti Regis accesserunt ad eum, dicentes : « Non » enim ista nuper nepoti tuo Childeberto pollicitus eras, ut cum inimicis ejus ami» citias conligares! Sed in quantum cernimus, nihil de promissione tua custodis, » sed potiùs quæ promiseras prætermittis : et puerum istum in urbis Parisiacæ ca» thedra Regem statuis. Judicabit enim Deus, quia non reminisceris quæ ultrò » pollicitus es. Hæc iis dicentibus, Rex ait : Promissionem quam in nepotem meum » Childebertum Regem statutam habeo, non omitto. Nam illum non oportet scan» dalizari, si consobrinum ejus, filium fratris mei, de sancto suscipiam lavacro : » quia hanc petitionem nullus Christianorum debet abnuere. Eamque ego, ut Deus » manifestissimè novit, non calliditate aliqua, sed in simplicitate puri cordis agere

(a) Hoc cap. et seq. desunt in Vat. et Colb. a. Faramodus qui Eusebio locum cessit, post ejusdem obitum factus est ejus successor, ut ex vulgatis catalogis discimus.

(b) Id est Lectores, Cantores etc. qui sub Archidiaconi erant disciplina.

(c) Colb. m. [Clun.] Bad. et Ches. al. *Eustachius*. Sic quoque dicitur in Patriarchio Bituricensi cap. 28. ubi *sancti* titulo donatur. Porrò Sulpicius ejus decessor, hîc memoratus, *Severus* cognominatus est, ut ab altero Sulpicio Episcopo Bituricensi, qui *Pius* appellatus est, distingueretur. Severi festum die IV. Calend. Februarii colitur. Sepultus fuerat in Ecclesia S. Juliani, unde ad S. Ursinum translatus est, ubi hodie quiescit. Ipsi nuncupatus circumfertur liber de VII. Dormientibus, Gregorio nostro tributus. Vide suprà l. 6. c. 39. et diem 29. Januarii Bolland.

(d) Casin. *illata mensa*.

(e) Editi cum Bec. [et Dub.] *Campanensis*.

(f) Ætherius, qui et inferiùs laudatur, et Syagrius celebres sunt ex S. Gregorii Papæ epistolis; de Flavio Gregorius suprà lib. 5. cap. 46. qui tres variis Conciliis interfuerunt.

(g) Nemptodorum vicus Rotoïolo vicinus, vulgò *Nanterre*, beatæ Genovefæ Urbis patronæ natalibus celebris. [Clun. *Neptodoro*.]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II. An. Chr. 591.

» cupio, quia offensam Divinitatis incurrere formido. Non est enim humilitatis genti A
» nostræ, si hic à me excipiatur. Si enim Domini proprios famulos de sacro fonte
» suscipiunt, cur et mihi non liceat propinquum parentem excipere, ac filium fa-
» cere per baptismi gratiam spiritalem? Abscedite nunc, et nuntiate domino vestro :
» Pactionem quam tecum pepigi, custodire cupio inlibatam, quam si tuæ conditionis
» noxa (a) non omiserit, à me prorsùs omitti nequibit. » Et hæc dicens, legatis discedentibus, Rex accedens ad lavacrum sanctum, obtulit puerum ad baptizandum. Quem excipiens, Chlotharium vocitari voluit, dicens : *Crescat puer, et hujus sit nominis exsecutor, ac tali potentia polleat, sicut ille* (b) *quondam, cujus nomen indeptus est.* Quo mysterio celebrato, invitatum ad epulum parvulum multis muneribus oneravit. Similiter et Rex ab eodem invitatus, plerisque donis refertus abscessit, et ad Cabillonensem urbem redire B statuit (c).

XXIX. Aredius quoque hoc anno terras relinquens, vocante Domino, migravit ad cœlum. Lemovicinæ urbis incola fuit, non mediocribus regionis suæ ortus parentibus, sed valde ingenuus. Hic Theodoberto Regi traditus, aulicis palatinis adjungitur. Erat enim tunc temporis apud urbem Trevericam vir eximiæ sanctitatis Nicetius Episcopus, non solùm in prædicatione admirabilis facundiæ, verùm etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe. Qui intuens puerum in Regis palatio, nescio quid in vultu ejus cernens divinum, præcepit ei se sequi. At ille relicto Regis palatio, secutus est eum. Cùmque ingressi in cellulam, de iis quæ ad Deum pertinent confabularentur, expetiit adolescens à beato Sacerdote se corrigi, ab eo edoceri, ab eo imbui, ac in divinis voluminibus ab eodem exerceri. Cùmque in hujus studii flagrantia cum Antistite memorato degeret, tonsurato jam capite, quadam die psallentibus Clericis in Ecclesia, descendit columba è camera, quæ leviter volitans circa eum, resedit super caput ejus, illud indicans, ut opinor, eum Spiritûs-sancti gratia jam repletum. Quam cùm ille non sine pudore conaretur abigere, hæc paullulùm circumvolans, iterùm super caput ejus, aut super scapulam residebat : quæ non modò ibi, sed etiam cùm in cellulam Episcopi ingrederetur, jugiter comitabatur (d) cum eo. Quod per dies plurimos factum non sine admiratione Episcopus intendebat. Exinde vir Dei Spiritu, ut diximus, sancto repletus ad patriam, genitore ac germano defunctis, regreditur, consolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum parentem præter hanc sobolem spectabat. Deinde cùm jejuniis atque orationibus vacaret, deprecatur eam, ut omnis cura domûs, id est, sive correctio familiæ, sive exercitium agro- D
rum, sive cultus vinearum ad eam adspiceret : ne huic viro aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione cessaret; unum sibi tantùm privilegium vindicans, ut ad Ecclesias ædificandas ipse præesset. Quid plura? construxit templa Dei in honore Sanctorum, expetiitque eorum pignera, ac ex familia propria tonsuratos instituit monachos, cœnobiumque (e) fundavit, in quo non modò Cassiani, verùm etiam Basilii et reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ, beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante. Nec minùs hæc tamen impedita hoc onere in Dei laudibus perstrepebat : sed assiduè, etsi quiddam operis exerceret, semper orationem Domino, tamquam odorem incensi acceptabilis offerebat. Intereà ad sanctum Aredium cœperunt infirmi confluere, quos, manus singulis cum vexillo crucis imponens, sanitati red- E
debat : quorum si sigillatim nomina scribere velim, nec numerum percurrere valeam, nec vocabula memorare : unum tamen (f) novi, quòd quicumque ad eum æger advenit, sospes abscessit. De majoribus quoque miraculis parva proponimus. Iter quodam tempore cum genitrice dum ageret, et sancti Juliani martyris ad basilicam properaret, venerunt vespere in quodam loco. Erat autem locus ille aridus, et absque fluentis currentibus infœcundus. Dixitque ad eum mater ejus : *Fili, aquam non habemus, et qualiter hic nocte præsenti quiescere possumus?* At ille prostratus in orationem, et diutissimè preces fudit ad Dominum : et erigens se

(a) Clun. *noxâ non obmiseris*. Paulò pòst, *Chlotharium vocavit dicens.*]

(b) Chlotarius ipsius Guntramni pater, quem Chlothacharium, veteres scriptos secuti, in Gregoriano textu scripsimus. Uterque Chlotarius Francorum monarchiam obtinuit.

(c) In Vat. et Colb. a. huic capiti subjungitur Frædegarii Chronicon sub titulo libri x. Historiæ Gregorii.

(d) [Clun. *commanebat cum eo.*]

(e) Monasterium scilicet Atanense, quod postquàm diu Regulæ Benedictinæ fuisset subjectum, ad sæculares Canonicos transiit, qui sancti Martini Turonensis capitulo subjecti sunt. Oppido circumposito nomen et originem tribuit, quod hodieque sancti Aredii, vulgò *saint Yrier*, in Lemovicibus appellatur.

(f) [Clun. *unum tantùm novi.*]

A defixit virgam in terra quam manu gerebat, eamque cùm bis aut tertiò in gyrum vertisset, ad se lætus extraxit : moxque unda aquæ secuta est tam valida, ut non solùm ipsis de præsenti, sed etiam pecoribus adfatim deinceps pocula ministraret. Nuperrimo autem tempore iter carpens, nimbus ad eum pluviæ advenire cœpit : quem ille cernens, paullulùm super equum, in quo sedebat, caput inclinans, manus extendit ad Dominum. Consummata verò oratione, divisa est nubes in duabus (a) partibus, ac in circuitu eorum immanis descendit pluvia; super eos tamen nulla, si dici fas est, gutta descendit. Wistrimundo quoque, cognomento Tattonis, civi Turonico dentes gravem inferebant dolorem, ex quo etiam maxilla intumuerat : quod cùm beato viro questus fuisset, manum super locum doloris imposuit, statimque dolor fugatus, nusquam deinceps ad injuriam hominis
B excitatus est. Hæc ipse qui passus est retulit. De his verò signis, quæ per virtutem sancti Juliani Martyris Martinique Confessoris beati in ejus manibus Dominus operatus est, pleraque in libris Miraculorum, sicut ipse effatus est, scripsimus. Post has verò et multas alias virtutes, quas Christo cooperante complevit, advenit Turonis post festivitatem sancti Martini, ibique paullulùm commoratus, dixit nobis se haud longævo (b) tempore adhuc in hoc mundo retineri, aut certè velociùs dissolvi : et vale dicens, abscessit, gratias agens Deo, quòd priusquàm obiret, sepulcrum beati Antistitis osculari promeruisset. Cùmque ad cellulam suam accessisset, testamento (c) condito, ordinatis omnibus, ac sancto Martino Hilarioque Antistitibus heredibus constitutis, ægrotare cœpit, ac dysenteriæ morbo gravari. Sexta quoque ægrotationis ejus die, mulier quæ ab spiritu immundo sæpiùs vexata,
C à sancto emundari non poterat, ligatis per se à tergo manibus, clamare cœpit ac dicere : *Currite cives, exsilite populi, exite obviam Martyribus Confessoribusque, qui ad exsequium* (d) *beati Aredii conveniunt. Ecce adest Julianus à Brivate, Privatus ex Mimate, Martinus à Turonis, Martialisque ab urbe propria* (e). *Adest Saturninus à Tholosa, Dionysius ab urbe Parisiaca, nonnulli et alii, quos cœlum retinet, quos vos ut Confessores et Dei Martyres adoratis.* Hæc cùm in exordio noctis clamare cœpisset, à domino suo revincta est : sed nequaquam potuit contineri : quæ rumpens vincula, ad monasterium cum his vocibus properare cœpit; moxque beatus vir spiritum tradidit, non sine testimonio veritatis quòd sit susceptus ab Angelis. Mulierem quoque in exsequiis suis cum alia muliere nequiori spiritu vexata (f), ut est sepulcro tectus, à nequitia infesti dæmonii emundavit. Et credo, ob hoc Dei
D nutu easdem in corpore positus non potuit emundare, ut exsequiæ illius hac virtute glorificarentur. Post celebratum verò funus, mulier quædam rictu patulo, sine vocis officio, ad ejus accessit tumulum : quo osculis delibato, elocutionis meruit recipere beneficium.

XXX. Hoc anno mense secundo tam in Turonico quàm in Namnetico gravis populum lues adtrivit, ita ut modico quisquis ægrotus capitis dolore pulsatus, animam funderet. Sed factis Rogationibus cum grandi abstinentia et jejunio, sociatis etiam eleemosynis, adversus Divini furoris impetus mitigatus est (g). Apud Lemovicinam verò urbem ob Dominici diei injuriam, pro eo quòd in eo operam publicam exercerent, plerique igne cœlesti consumti sunt. Sanctus est enim hic dies, qui in principio lucem conditam primus vidit, ac Dominicæ resurrectionis testis
E factus emicuit : ideòque omni fide à Christianis observari debet, ne fiat in eo omne opus publicum. In Turonico verò nonnulli ab hoc igne, sed non die Dominico sunt adusti. Siccitas immensa fuit, quæ omne pabulum herbarum avertit : unde factum est ut gravis morbus in pecoribus ac jumentis invalescens, parum unde sumeretur origo relinqueret : sicut Abacuc Propheta vaticinatus est : *Deficient ab esca oves, et non erunt in præsepibus boves.* Non modò enim in domesticis, verùm etiam in ipsis ferarum immitium generibus hæc lues grassata est. Nam per saltus silvarum multitudo cervorum et reliquorum animantium prostrata per invia nacta est. Fœ-

Habac. 3. 17.

(a) [Clun. *in duas partes.* Paulò pòst, *Wistrimundi... civis Turonici.*]

(b) Sic Bec. Alii *se aut longævi.* Porrò festivitatem sancti Martini hîc memoratam intellige Translationem, quæ IV. Non. Julii celebratur, siquidem Aredius die VIII. Kal. Septemb. obiit.

(c) Aredii testamentum exstat in tomo 2. Vet. Analect. Mabillon. De Aredio Gregorius scripsit in libro 2. de Mirac. sancti Martini cap. 39. et lib. 2. de Gloria Mart. cap. 40. Ejus vitam [edidit Ruinartius] præter eam quæ inter Acta SS. Ordinis nostri edita est Sæculo 1. Benedictino pag. 349. Ei scripsit Fortunatus carm. 20. lib. 3.

(d) [Clun. *ad excessum.*]

(e) Lemovicibus scilicet; cujus populi Apostolus Martialis fuit.

(f) Casin. *vexata. pòst celebrato verò funere ut est etc.*

(g) [Clun. *averso divini furoris impetu mitigatum est.*]

GUNTRAM. CHILDEB. II. CHLOTAR. II.

num (a) ab infusione pluviarum et inundatione amnium periit, segetes exiguæ, vineæ verò profusæ fuerunt : quercuum fructus ostensi effectum non obtinuerunt. A

XXXI. De (b) Episcopis Turonicis licèt in superioribus libris quædam scripsisse visus sim, tamen propter ordinationem eorum et supputationem, quo tempore primùm prædicator ad Turonicam accessit urbem, reciprocare placuit.

An. 250. 1. Primus Gatianus (c) Episcopus, anno imperii Decii primo, à Romanæ sedis Papa transmissus est : in qua urbe multitudo paganorum idololatriis dedita commorabatur : de quibus nonnullos prædicatione sua converti fecit ad Dominum. Sed interdum occulebat se ob impugnationem potentum, eò quòd sæpiùs eum injuriis et contumeliis, cùm repererant (d), adfecissent : ac per cryptas et latibula cum paucis Christianis, B ut diximus, per eumdem conversis, mysterium sollemnitatis diei Dominici clanculò celebrabat. Erat autem valde religiosus et timens Deum : ut nisi fuisset talis, non utique domos, parentes et patriam ob Dominici amoris diligentiam reliquisset. In hac urbe sub tali conditione, ut ferunt, annos quinquaginta commoratus, obiit in pace, et sepultus est in ipsius vici cœmiterio, quod erat Christianorum : et cessavit episcopatus triginta-septem (e) annis.

An. 337. 2. Secundus, anno imperii Constantis primo, Litorius (f) ordinatur Episcopus : fuit autem de civibus Turonicis, et hic valde religiosus. Hic ædificavit Ecclesiam primam infra urbem Turonicam, cùm jam multi Christiani essent : primaque ab eo ex domo cujusdam senatoris basilica facta est. Hujus tempore sanctus Martinus in Galliis præ- C dicare exorsus est. Sedit autem annos triginta-tres (g), et obiit in pace, sepultusque est in suprascripta basilica, quæ hodieque ejus nomine vocitatur.

An. 371. 3. Tertius sanctus Martinus, anno octavo Valentis et Valentiniani (h), Episcopus ordinatur. Fuit autem de regione Pannoniæ, civitate Sabariæ : qui ob amorem Dei apud urbem Mediolanensem Italiæ primò monasterium constituit : sed ab hæreticis, eò quòd sanctam Trinitatem intrepidus prædicaret, virgis cæsus (i), atque expulsus de Italia in Gallias accessit : multos paganorum converti fecit, templa eorum statuasque confregit, fecitque multa signa in populos ita ut ante episcopatum duos suscitaret mortuos : post episcopatum autem unum tantummodò suscitavit. Hic transtulit corpus beati Gatiani, sepelivitque ipsum juxta sepulcrum sancti Litorii in illa nominis sui præfata basilica. Hic prohibuit Maximum ne gladium D in Hispaniam ad interficiendos destinaret hæreticos (k) : quibus sufficete statuit, quòd à Catholicorum Ecclesiis essent vel communione remoti. Consummato ergò præsentis vitæ cursu, obiit apud Condatensem vicum urbis suæ anno octogesimo primo ætatis : de quo vico navigio sublatus, Turonis est sepultus, in loco quo nunc adoratur * sepulcrum ejus : de cujus vita tres à Severo Sulpicio libros conscriptos legimus. Sed et præsenti tempore multis se virtutibus declarat. In monasterio verò quod nunc Majus (l) dicitur, basilicam in honorem sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ædificavit : in vicis quoque, id est Alingaviensi (m), So-

* *Bec. adornatur.*

(a) Bad. *ut nacta est fœnum, ab etc.*

(b) Hoc caput deest in Alex.

(c) Ed. plerique *Gratianus*, Colb. m. *Catianus.*

(d) [Clun. *cùm reperirent.*]

(e) Casin. *xxxviii.* sicut et Bec. sed hic supra *viii.* habet *tē :* unde conjicio legi debere septem, atque ultimum *i* incautè ab amanuensi fuisse additum. [Clun. *cessavit episcopatum tenens xxxvii. annis.*] S. Gatiani festum celebratur xv. Kal. Januar. Ejus verò sacrum corpus cum aliis Sanctorum reliquiis à Calvinianis hæreticis an. 1562. combustum est. S. Gatianus *in cœmeterio vici* sepultus dicitur, quod olim exstitisse eo loco putatur, ubi posteà Ecclesia in B. Mariæ honorem exstructa fuit, quæ hodieque perstat parochiali titulo illustrata sub nomine S. Mariæ Divitis. Nullum tamen ibi superest sepulturæ B. Gatiani vestigium, quòd ille fortè paullò pòst, uti infrà num. 3. dicitur, in Ecclesiam S. Lidorii fuerit à S. Martino translatus, atque ibi prope ipsum Lidorium depositus. Hinc illa Ecclesia, quæ omnium urbis antiquissima esse creditur, et cathedralis titulo gaudet, licèt alios agnoscat patronos, præcipuè S. Mauricium, hodieque tamen sub S. Gatiani nomine notior est.

(f) Colb. m. et Bad. *Littorius.* Bec. etc. *Lidorius.* Colitur die 13. Septemb. Vide not. in lib. 1. cap. ult.

(g) Casin. *triginta-octo.*

(h) Colb. m. et Regm. *anno nono Valentis Episcopus* [Clun. *anno uno Valentis Episcopus :* ubi *uno* mendosè pro *nono.*] Annus octavus Valentiniani incœpit mense Febr. anni 371. ad quem ex hoc loco revocanda est S. Martini ordinatio, siquidem ejus celebritas jam sub Perpetuo die 3. Julii recolebatur.

(i) Id ipsum narrat Severus in ejus Vita.

(k) Priscillianistas scilicet, quos Maximus instigante Ithacio Episcopo jusserat gladio animadverti : quæ res maximas in Ecclesia turbas excitavit. Vide Dialogum 3. Severi Sulpicii : qui et ejusdem hæreseos ortum et progressum fusiùs descripsit sub finem libri 2. Historiæ sacræ.

(l) De Majoris Monasterii origine, et Monachorum ibi degentium sanctissima vita, plura habet Severus Sulpicius in Vita S. Martini. Superest etiam nunc celebre ordini Benedictino addictum sub sancti Mauri Congregatione.

(m) Alingavia, vicus nunc intra urbis muros inclusus ad Ligerim, dicitur etiam Langesium, vulgò *Langey*, ubi habitum est Concilium anno 1270. sub Joanne *de Mansonau.* Solonacum est, ut putat Maanus, *Sonnay* seu *Sonné*, inter fluvios Andriam et Clasiam pariter et silvas duas, non procul ab Insula Savarici et Castellione ad Andriam. Est tamen alius huic vico cognominis inter silvam et castellum-Reginaldi situs. Marollius Villalupensis Abbas in editione Gallica putat esse *Sully*, aut *Sougé*. De Ambaciaco dictum est suprà lib. 2. cap. 35. Cisomagnum Marollio est *Charnisay* inter Silvam et Clasiam amnem, aut

lonacensi,

A lonacensi, Ambaciensi, Cisomagensi, Tornomagensi, Condatensi, destructis delubris, baptizatisque gentilibus, Ecclesias ædificavit. Sedit autem annos viginti-sex, menses quatuor (a), dies viginti-septem, et cessavit episcopatus dies viginti.

4. Quartus Briccius ordinatur Episcopus, anno Arcadii et Honorii secundo, cùm pariter regnarent. Fuit autem civis Turonicus, cui trigesimo-tertio episcopatûs anno, crimen adulterii est impactum à civibus Turonicis : expulsoque eo Justinianum Episcopum ordinaverunt : Briccius verò Episcopus (b) ad Papam Urbis dirigit. Justinianus autem post eum abiens, apud urbem Vercellensem obiit. Turonici verò iterùm malignantes, Armentium (c) statuerunt. Briccius verò septem apud Papam Urbis annis degens, idoneus inventus à crimine, ad urbem suam
B redire jussus est. Hic ædificavit basilicam parvulam super corpus beati Martini, in qua et ipse sepultus est. Cùmque portam ingrederetur, Armentius per aliam portam mortuus efferebatur : quo sepulto, cathedram suam recepit. Hunc ferunt instituisse Ecclesias per vicos, id est Calatonnum (d), Briccam, Rotomagum, Briotreidem, Cainonem; fueruntque omnes anni episcopatûs ejus quadraginta-septem. Obiitque, et sepultus est in basilica, quam super sanctum Martinum ædificavit.

5. Quintus Eustochius ordinatur Episcopus, vir sanctus et timens Deum, ex genere senatorio. Hunc ferunt instituisse Ecclesias per vicos, Brixis (e), Iciodorum, Luccas, Dolus. Ædificavit etiam Ecclesiam infra muros civitatis, in qua reliquias sanctorum
C Gervasii et Protasii martyrum condidit, quæ sancto Martino (f) de Italia sunt delatæ, sicut sanctus Paulinus in epistola sua meminit. Sedit autem annos septem-decim. Et sepultus est in basilica, quam Briccius Episcopus super sanctum Martinum struxerat (g).

6. Sextus ordinatur Perpetuus, de genere et ipse, ut aiunt, senatorio, et propinquus decessoris sui, dives valde, et per multas civitates habens possessiones. Hic submota basilica, quam priùs Briccius Episcopus ædificaverat super sanctum Martinum, ædificavit aliam ampliorem miro opere (h). In cujus absida beatum corpus ipsius venerabilis Sancti transtulit. Hic instituit jejunia, vigiliasque, qualiter per circulum anni observarentur, quod hodieque apud nos tenetur scriptum, quorum ordo
D hic est.

DE JEJUNIIS.

Post Quinquagesimam (i) quarta et sexta feria usque natale sancti Johannis.

De Calendis Septembris usque Calendas Octobris bina in septimana jejunia.

De Calendis Octobris usque depositionem domni Martini bina in septimana jejunia.

certè *Cicongné :* at meliùs, ut quidem Valesio videtur, Maanus in Historia Metrop. Turonensis, putat esse *Chisseau,* vicum ad Carem fluvium, haud procul à Monte-Tricardi. Tornomagus vulgò *Tournon* ad Crosam fluvium. De Condate lib. 1. cap. 43.

(a) Cod. Regm. *menses tres, dies septemdecim.* Bec. Colb. m. [Clun.] et Bad. *menses quatuor, dies septemdecim.*

(b) Sic cod. Regius ; alii *Briccius verò se ad Papam.* Vide notas in lib. 2. cap. 1. Festum ejus celebratur die 13. Novembris.

(c) [Clun. *Armentium in ejus loco statuerunt.*]

(d) Colb. m. et Ches. al. *Catolonnum.* Hunc locum esse Calvum-montem, vulgò *Chaumont*, in finibus Turonum et Blesensium, existimat Marollius : quod à Valesio improbatur, qui potiùs esse putat *Clion,* ad Andriam inter Paludellum, *Paluau,* et Castellionem. Bricca an *Bray* aut *Bré* ad Angerem seu Andriam fluvium ? Est quoque locus in confinio Turonum et Andegavorum, dictus vulgò *Breche.* Rotomagum Marollius putavit esse vicum, cui nomen *la Roüe,* aut *Saint Antoine du Rocher.* At Maanus mavult interpretari de *Ruam,* qui locus est haud procul à Monte-Basonis situs, vulgò dictus *le pont de Ruam,* à Ponte qui ibi Andriæ *l'Indre* fluvio impositus est. Briotreidis Marollio est *Autreche,* tribus leucis ab Ambacia distans. Maanus putat esse *Bresis*, castrum in gestis dominorum Ambaciensium memoratum, vulgò *Brisay.* At Valesius contendit esse *le Bridoré* ad Andriam. Caino, vulgò *Chinon* ad Vingennam, de quo jam diximus aliàs. [Clun. *Calatonno, Bricca, Rotomago, Briotreide, Cainone.*]

(e) Brixis Valesio est *Brisay :* de quo in nota præcedenti. Iciodorum, ut jam diximus libro 6. cap. 12. est *Iseure,* in finibus Turonum et Pictonum. [Clun. *Iciodoro.*] Luccæ, seu, ut habent Colb. m. et Bec. *Lucæ*, aut ut aliàs habet Gregorius Luciæ, vulgò *Loches*, ad Andriam seu Angerem *l'Indre,* locus celebris, ubi beatus Senoch monasterium excitavit. Dolus nomen est vici haud procul ab Andria fluvio siti.

(f) Sic Bec. Alii *à S. Martino*, [ita Clun.] sed mendosè. Confer caput 47. lib. 1. de Gloria Mart. Et quidem SS. Gervasii et Protasii reliquias invenit S. Ambrosius an. 386. quo jam erat Episcopus S. Martinus. Epistola S. Paulini hîc laudata non exstat. Hodieque visitur juxta Ecclesiam B. Mariæ Divitis oratorium, cum nosocomio, SS. Gervasio et Protasio sacrum, sed in suburbio. At Ecclesia SS. Gervasii et Protasii infra muros urbis exstitisse dicitur inferiùs num. 12.

(g) Festum Eustochii colitur in Martyrologio Romano die 19. Septembris. Is interfuit Concilio Andegav. anno 453. scripsit cum Leone et Victurio epistolam contra Clericos qui ad tribunalia sæcularia recurrebant.

(h) Hujus Ecclesiæ descriptionem accuratam habes suprà lib. 2. cap. 14. Vide et lib. 1. Mirac. sancti Martini cap. 6.

(i) Id est à Pentecoste. Quinquagesimam enim

A (a) depositione domni Martini usque Natale Domini terna in septimana je- A
junia.

De natali sancti Hilarii usque medium Februarium bina in septimana jejunia.

DE VIGILIIS.

Natali Domini, in Ecclesia (b).

Epiphania, in Ecclesia.

Natali sancti Johannis, ad basilicam domni Martini.

Natali sancti Petri episcopatûs (c), ad ipsius basilicam.

Sexto (d) Calendas Aprilis Resurrectione Domini nostri Jesu-Christi, ad basilicam
domni Martini. B

Pascha, in (e) Ecclesia.

Die Ascensionis, in basilica domni Martini.

Die Quinquagesimo (f), in Ecclesia.

Passione sancti Johannis (g), ad basilicam in baptisterio.

Natali Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ad ipsorum basilicam.

Natali sancti Martini, ad ejus basilicam.

Natali sancti Symphoriani, ad basilicam domni Martini.

Natali sancti Litorii (h), ad ejus basilicam.

Item (i) Natale Sancti Martini, ad ejus basilicam.

Natali sancti Briccii, ad domni Martini basilicam.

Natali sancti Hilarii, ad domni Martini basilicam.

Hic ædificavit basilicam sancti Petri, in qua cameram basilicæ prioris posuit, quæ C
usque ad nostra tempora perseverat. Basilicam quoque S. Laurentii in monte Laudiaco (k) ipse construxit. Hujus tempore ædificatæ sunt Ecclesiæ in vicis, id est Evena (l), Mediconno, Berrao, Balatedine, Vernado. Condiditque testamentum (m) et deputavit per singulas civitates quod possidebat, in eis ipsis scilicet Ecclesiis, non modicam et Turonicæ tribuens facultatem. Sedit autem annos triginta, et sepultus est in basilica sancti Martini.

7. Septimus verò Volusianus ordinatur Episcopus, ex genere senatorio, vir sanctus, valde dives, propinquus et ipse Perpetui Episcopi decessoris sui. Hujus tempore jam Chlodovechus regnabat in aliquibus urbibus in Galliis. Et ob hanc causam hic Pontifex suspectus habitus à Gotthis, quòd se Francorum ditionibus

appellabant Veteres tempus illud, quod inter Pascha et Pentecosten intercedit : quo tempore jejunare non licebat.

(a) Iste articulus non habetur in cod. Regio.

(b) Id est in Ecclesia cathedrali.

(c) Id est festum Cathedræ sancti Petri, ut appellatur in Conc. Turonensi II. quod adeò celebre erat in Galliis, ut exinde ad Quadragesimam Dominicæ *prima*, *secunda etc. post Cathedram sancti Petri* dicebantur. Vide Mabillonii observationes in num. 24. lib. 2. de Liturgia Gallicana. In Chesn. [et Clun.] deest *episcopatus*.

(d) Aliàs, *quinto*. [Clun. *Pridie Kal. Apr. Resurrectio.*]

(e) Festum Paschatis à festo Resurrectionis distinguitur in vetustioribus Kalendariis : ubi Resurrectionis festum die 27. Martii recolitur, Pascha autem, ut omnes norunt, variis diebus pro varietate lunæ semper celebratum in Ecclesia fuit.

(f) Id est Pentecostes : sic quoque appellatur in Concil. Aurelian. I. can. 25.

(g) In Sacramentario Gallicano, quod è vetusto cod. noster Mabillonius edidit tomo 1. Musei Italici, inter Nativitatem S. Johannis et festum SS. Petri et Pauli habetur *Missa in S. Johannis passione*.

(h) [Clun. *Natale S. Littorii ad domni Martini basilicam. Natale S. Brictii.*]

(i) Hoc festum in solo cod. Regio habetur. Et quidem certum est ex ipso Gregorio festum sancti Martini jam his temporibus duplex fuisse, unum mense Julio, alterum verò mense Novembri, hîc expressum.

(k) Suprà libro 2. cap. 2. dicitur *Laudiacum*, *sexto ab urbe milliario*. Perstat adhuc ille locus, vulgò *Mont-Loïs*, distans tribus circiter leucis supra Turonos ad sinistram Ligeris ripam impositus.

(l) [Clun. *Evina.*] Reg. *Enevoc*, hodie *Avoine*, inter Ligerim et Vingennam, ut Maanus et Valesius existimant, qui Marollio non assentiuntur, putanti esse *Eve le Montier*. De hoc in Vitis Patrum cap. 19. Mediconnum Marollio *Metray*; Maano *Monnoye*, cui non refragatur Valesius, qui et putat esse posse *Mosne*, ad Ligerim, prope Ambaciam. Berrao nomen tribuit pago Berravensi, de quo suprà lib. 6. cap. 12. ubi diximus esse *Barou*, locum inter Crosam *la Creuse*, et Clasiam fluvios. Marollius hoc loco hæsitans alios tres vicos proponit, scilicet *Bourray* ad Carim fluvium, prope Montem-Tricardi; *Berray* haud procul à Lausduno; et *Bretenay* ad Ligerim infra Turonos. Ceterùm pro *Berrao* Reg. habet *Herrardum*. Balatedine, seu, ut habet Reg. *Balacedina*, à *Balatedo*, *Balatedinis* declinari vult Valesius, qui post Maanum putat esse *Balan*, haud procul à fluvio Cari. Marollius vertit *Vaune*, qui locus aliàs *Rupes-Corbonis* appellatur. Vernadum denique, seu *Vernao*, ut habent. [Clun.] Chesn. al. Bec. et Colb. m. cum Bad. aut *Ernaldum* ex Reg. nomen hodieque servat, ut ait Valesius, nempe *Vernou*, castellum ad Archiepiscopum pertinens, titulo baroniæ clarum, ad Siceram fluvium, *la Cisse*.

(m) Perpetui Testamentum simul cum ejus Epitaphio habetur in tomo 5. Spicilegii. Duobus Conciliis præfuit, scilicet Turonico I. anno 461. et Venetico anno 465. Eidem Apollinaris Sidonius scripsit epist. 9. libri 7. ubi concionem quam apud Biturigas pro electione Simplicii Episc. habuerat, integram refert. De hoc et epist. 18. lib. 4. Vide suprà in not. ad cap. 14. lib. 2. Ipsi etiam Paulinus nuncupavit librum de Vita S. Martini. Ejus festum celebratur die 8. April. in vetustis autem Calendariis 30. Decembris.

A subdere vellet, apud urbem Tholosam exsilio condemnatus, in eo obiit (a). Hujus tempore vicus Mantolomaus (b) ædificatus est, et basilica sancti Johannis in Majori-monasterio (c). Sedit autem annos septem, menses duos.

8. Octavus ordinatur Episcopus Verus (d), et ipse pro memoratæ causæ zelo suspectus habitus à Gotthis, in exsilium deductus, vitam finivit (e) : facultates suas Ecclesiis et bene meritis dereliquit. Sedit autem annos undecim, dies octo (f).

9. Nonus Licinius, civis Andegavus, qui ob amorem Dei in Orientem abiit, sanctaque loca revisit (g) : exinde digressus, in possessione sua monasterium collocavit infra terminum Andegavum, et posteà Abbatis officio in monasterio (h), ubi sanctus Venantius Abbas sepultus est, functus, ad Episcopatum eligitur. Hujus tem-
B pore Chlodovechus Rex victor de cæde Gotthorum, Turonis rediit. Sedit autem annos duodecim, menses duos, dies viginti-quinque, et sepultus est in basilica sancti Martini.

10. Decimo loco Theodorus et Proculus (i), jubente beata Chrotechilde Regina, subrogantur, eò quòd de Burgundia jam Episcopi ordinati, ipsam secuti fuissent, et ab hostilitate de urbibus suis expulsi fuerant. Erant autem ambo senes valde : rexeruntque Ecclesiam Turonicam simul annis duobus, et sepulti sunt in basilica sancti Martini (k).

11. Undecimus Dinifius Episcopus, et ipse ex Burgundia veniens : qui per electionem præfati Regis (l) ad Episcopatum accessit : cui aliquid de fisci ditionibus est largitus, deditque ei potestatem faciendi de his rebus quæ voluisset : qui
C maximè Ecclesiæ suæ, quod fuit melius, dereliquit : largitus est etiam quiddam et bene meritis. Sedit autem menses decem, et sepultus est in basilica sancti Martini.

12. Duodecimus Ommatius (m) de Senatoribus civibusque Arvernis, valde dives in prædiis, qui condito testamento per Ecclesias urbium, in quibus possidebat, facultates suas distribuit. Ipse exaltavit Ecclesiam infra muros urbis Turonicæ, sanctorum Gervasii atque Protasii Reliquiis consecratam, quæ muro conjuncta est. Hic cœpit ædificare basilicam sanctæ Mariæ infra muros urbis, quam im-

(a) [Clun. *in ea obiit.*] Sancti Volusiani memoria apud Fuxenses potissimùm celebris est, ubi sub Martyris titulo, sicut et in Martyrologio Romano die xv. Kalend. Febr. colitur. Ferunt eum à Wisigotthis capite minutum fuisse in loco qui dicitur Petrosa, et ab incolis vulgò Corona, in comitatu Fuxensi. Sacrum ejus corpus Fuxum delatum, diu servatum est in Ecclesia sancti Nazarii, vulgò nunc sancti Volusiani dicta, donec à Calvinianis furentibus in favillas redactum est, cum ipsa Basilica, quæ utcumque postmodùm restaurata est. Hunc locum, quem Canonici Regulares Augustiniani possident, variis donis ditaverunt Comites Fuxenses, ut in eorum Historia fusiùs refertur. Volusiani precibus versus edidit Apollinaris Sidonius Ecclesiæ S. Martini insculpendos, qui habentur lib. 4. epist. 18. Eidem scripsit. epist. 17. libri 7. et Ruricius Lemovicensis epist. ult. lib. 2.

(b) Is ipse locus suprà lib. 7. cap. 47. dicitur Mantelomagus vicus, vulgò *Mantelan.* [Clun. *Mantolamaus.*]

(c) Supererant adhuc ejus rudera, quæ nova ædificia aliquot abhinc annis structa penitùs deleverunt.

(d) Plerique *Virus.* Concilio Agathensi an. 506. per Leonem Diaconum subscripsit.

(e) [Clun. *finivit; sedit autem.* Media desunt.]

(f) Sic mss. et ed. Cointius tamen et alii viri docti qui S. Martini mortem anno 397. consignant, hîc legendum putant *annos octo, menses undecim.* Nam aliàs juxta eorum computum Veri mors ultra annum 508. differenda esset, quod fieri non potest : nam Gregorius cap. seq. ait, Clodoveum victis Gotthis Turonos accessisse, cùm ibi Licinius esset Episcopus. At Clodovei reditus ex ista expeditione ultra annum 508. differri nequit. Vide Cointium ad annum 507. n. 10.

(g) [Clun. *loca visitavit.*]

(h) Monasterium S. Venantii in collegium Canonicorum conversum etiam nunc superest, Ecclesiæ S. Martini subjectum. Porrò Licinius subscripsit Concilio Aurelianensi I. anno 511.

(i) Suprà lib. 3. cap. 17. Leoni mortuo suffecti fuisse dicuntur. Canones vetabant, ne duo Episcopi simul in una Ecclesia sederent. Unde hi potiùs administratores viduatæ Ecclesiæ, quàm Episcopi Turonenses censeri debent. Langobardis sub ejusdem sæculi finem Italiam vastantibus, complures Episcopi è suis sedibus pulsi, aliis Ecclesiis, accedente etiam Imperatoris auctoritate, deputati sunt, sed solummodò, ut *alimenta susciperent,* inquit Gregorius M. si jam proprium haberent Episcopum, *non* verò *ut per communionem Episcopalis throni dignitas dividatur.* Vide ipsius lib. 1. ep. 43. etc.

(k) His suffectus dicitur Arnulfus S. Remigii discipulus, ex Remorum Comite, ut aiunt, exorcista ordinatus, qui post varias peregrinationes, Remis à famulis Scaribergæ ejus sponsæ, quam Deo consecraverat, occisus est, atque uti Martyr colitur die 15. Kal. Augusti. Ejus Vitam habes in Bibliotheca Floriacensi à Boscio edita. De eo Frodoardus et Marlotus in Hist. Remensi. Crux erecta eo loco ubi passus est, etiam nunc visitur Remis via Cæsarea. Ejus reliquiæ in Carnotensem Diœcesim delatæ, in silva Aquilina oppido nomen dederunt, ubi exstat prioratus monasterio Fossatensi subjectus. Alius est ejusdem nominis Ordin. Cluniacensis apud Crespeium oppidum celebris, ubi ejusdem habentur reliquiæ. Maanus S. Arnulfum inter Ommatium et Leonem locat ; à Gregorio omissus videtur, quòd sedem dies solummodò 17. obtinuerit.

(l) Chlodomeris scilicet. Colb. m. habet, *electione fratrum ad,* etc. [Clun. *per electionem fratrum.*] Hîc in Bec. dicitur *Dinisius*, in aliquot editis *Dionysius.* De eo lib. 3. cap. 2. et 17.

(m) Regm. *Ommarius.* Filius fuit S. Ruricii senioris Lemovic. Episcopi, ex Iberia Ommatii filia quorum epithalamium cecinit Sidonius carm. II. Ommatiorum et Ruriciorum nobilitatem passim commendat idem auctor. Ruricios ex Aniciorum gente ortos laudat Fortunatus lib. 4. carm. 5. Ejusdem Ruricii epistolas edidit Canisius.

perfectam reliquit. Sedit annos quatuor (a), menses quinque : obiitque, et sepultus est in basilica sancti Martini. A

13. Tertius-decimus Leo ex Abbate basilicæ sancti Martini ordinatur Episcopus. Fuit autem faber lignarius, faciens etiam turres holocryso tectas, ex quibus quædam apud nos retinentur : in aliis etiam operibus elegans fuit. Sedit autem menses sex, et sepultus est in basilica sancti Martini.

14. Quartus-decimus Francilio ex Senatoribus ordinatur Episcopus, civis Pictavus, habens conjugem Claram nomine, sed filios non habens : fueruntque ambo divites valde in agris, quos maximè sancti Martini basilicæ contulerunt, reliqueruntque quædam et proximis suis. Sedit autem annos duos, menses sex (b) : obiitque, et sepultus est in basilica sancti Martini.

15. Quintus-decimus Iujuriosus, civis Turonicus, de inferioribus quidem populi, ingenuus tamen. Hujus tempore Chrotechildis Regina transiit. Hic perædificavit B Ecclesiam (c) sanctæ Mariæ infra muros urbis Turonicæ. Hujus tempore et basilica S. Germani (d) ædificata est. Vici etiam Noviliacus (e) et Luciliacus fundati sunt. Hic instituit Tertiam et Sextam in Ecclesia dici, quod modò in Dei nomine perseverat. Sedit autem annos sexdecim, menses undecim, dies viginti-sex ; obiitque, et sepultus est in basilica sancti Martini.

16. Sextus-decimus Baudinus, ex Referendario Chlotharii Regis ordinatur Episcopus, habens et filium (f), multis eleemosynis præditus. Aurum etiam quod decessor ejus reliquerat, ampliùs quàm viginti millia solidorum, pauperibus erogavit. Hujus tempore alter vicus Noviliacus ædificatus est. Hic instituit mensam Canonicorum. Sedit autem annos quinque (g), menses decem; obiitque, et sepultus est in basilica sancti Martini.

17. Decimus-septimus Guntharius, ex Abbate monasterii sancti Venantii (h) C ordinatur Episcopus, vir valde prudens dum Abbatis fungeretur officio, et sæpiùs legationes inter Reges Francorum faciens : postquàm autem Episcopus ordinatus est, vino deditus, pænè stolidus apparuit : quæ res eum in tantum amentem faciebat, ut convivas quos bene noverat, nequiret agnoscere : sæpiùs tamen eos conviciis agebat et improperiis. Sedit autem annos duos, menses decem, dies viginti-duos. Obiit autem, et sepultus est in basilica sancti Martini, cessavitque Episcopatus anno uno (i).

18. Octavus decimus Eufronius Presbyter ordinatur Episcopus, ex genere illo, quod superiùs senatorium nuncupavimus, vir egregiæ sanctitatis, ab ineunte ætate clericus. Hujus tempore civitas Turonica cum omnibus Ecclesiis magno incendio concremata est : de quibus ipse posteà duas reparavit, tertiam vetustissimam (k) relinquens desertam. Posteà verò basilica sancti Martini et ipsa incendio est adusta per D Wiliacharium, cùm ibi confugium pro Chramni quondam circumventione fecisset* : quam posteà idem Pontifex texit stanno, opitulante Rege Chlothachario. Hujus tempore basilica (l) sancti Vincentii ædificata est. Tauriaco (m), Cerate et Orbigniaco vicis Ecclesiæ ædificatæ sunt. Sedit autem annos septemdecim (n), obiitque ætate septuagenaria, et sepultus est in basilica sancti Martini (o). Cessavitque Episcopatus dies novemdecim.

* *V. lib.* 4. *cap.* 20.

(a) Colb. m. [et Clun.] *annos tres.*

(b) Regm. *menses quinque.* Vide lib. 3. cap. 17.

(c) [Clun. *domum S. Mariæ.*]

(d) Vulgò dicitur *S. Germain sur Loire.*

(e) *Noviliacus*, seu *Nobiliacum*, nomen est compluribus locis commune. Ex iis apud Turones Noviliacus-Nobilis, *Neuilly le Noble*, et Noviliacus ad Ederam, *Neuilly le Lierre*, ad Braennam amnem, *la Branle*. Est etiam Noviliacus ad Pontem-Petreum, *Neuilli-Pont-Pierre*, in confinio Turonum et Andecavorum situs. Luciliacus, vulgò *Lusillé*, vicus inter Carem et Angerem fluvios, satis notus. [Clun. *Lucidiacus.*] Injuriosi zelum laudat Gregorius suprà lib. 4. cap. 2. Interfuit Concil. Aurelian. II. anno 533. et IV. an. 541. III. verò Campanus Presb. ipsius nomine subscripsit anno 538.

(f) Colb. m. [et Clun.] *Filios.*

(g) Colb. m. [et Clun.] *annos decem.* De hoc vide lib. 1. Miracul. S. Martini cap. 9. ubi dicitur sanctus. Ejus corpus, ut scribit Maanus, hodie in castro Lucacensi, *Loches*, asservatur.

(h) Colb. m. [et Clun.] cum ed. Bad. *sancti Evantii.* De Gunthario vide lib. de Gloria Confess. cap. 8.

(i) Vide suprà lib. 4. cap. 11. [Clun. *cessavitque Episcopatum :* sic infrà.]

(k) Reg. Bec. et Colb. m. *tertiam seniorem.* [Ita Clun.]

(l) S. Vincentii Basilica etiamnunc in Turonum urbe subsistit, quæ Parochiæ titulo gaudet.

(m) Hæret Marollius, an Tauriacum sit *Turé*, aut *Truye*, inter Carem et Andriam, Maanus nihil habet de hoc loco, nec plura profert Valesius. Cerate, Bec. *Cerente*, item vicus est inter Andresium, *l'Indrois*, et Carim situs, *Ceré* vulgò dictus. Eodem in tractu est Orbiniacum, vulgò *Orbigni.* Ceterùm Colb. m. et Bad. habent *Tausire, Uscerate et Orbaniaco.* [Clun. *Tausirie, Viscerate, Orbaniaco.*] Orbaniacum legitur in libro de Gloria Martyrum.

(n) [Clun. *annos sedecim.*]

(o) Ejus festum colitur die 4. Augusti : interfuit Concilio Parisiensi III. anno 557. et præfuit Turonensi II. anno 567. Laudatur à Fortunato lib. 3. carm. 4.

A 19. Nonus-decimus Gregorius ego indignus Ecclesiam urbis (a) Turonicæ, in qua beatus Martinus et ceteri Sacerdotes Domini ad pontificatûs officium consecrati sunt, ab incendio dissolutam diruptamque nactus sum, quam reædificatam in ampliori altiorique fastigio septimo-decimo ordinationis meæ anno dedicavi : in qua, sicut à longævis Presbyteris comperi, beatorum ibidem Reliquiæ Agaunensium (b) ab antiquis fuerant collocatæ. Ipsam etiam capsulam in thesauro basilicæ sancti Martini reperi, in qua valde putredine erat pignus dissolutum, quod pro eorum religionis est virtute delatum (c). Ac dum vigiliæ in eorum honore celebrarentur, libuit animo hæc iterùm prælucescente cereo visitare : quæ dum à nobis adtentè rimantur, dixit ædis ædituus : *Est hîc*, inquit, *lapis opertorio tectus, in quo quid habeatur prorsus ignoro, sed nec prædecessores ministros hujus custodiæ*
B *scire comperi. Deferam eum, et scrutamini diligenter quid contineatur infrà conclusum.* Quem delatum reseravi, fateor, et inveni in hoc capsulam argenteam, in qua non modò beatæ Legionis Testium, verùm etiam multorum sanctorum tam Martyrum quàm Confessorum Reliquiæ tenebantur. Nacti etiam sumus et alios lapides, ita ut hic erat, concavos, in quibus sanctorum Apostolorum, cum reliquorum Martyrum, pignera continebantur. Quod munus ego divinitùs indultum admirans, et gratias agens, celebratis vigiliis, dictis etiam Missis (d), hæc in Ecclesia collocavi. In cellula sancti Martini Ecclesiæ ipsi contigua sanctorum Cosmæ et Damiani Martyrum reliquias posui. Basilicas sancti Perpetui adustas incendio reperi, quas in illo nitore vel pingi, vel exornari, ut priùs fuerant, artificum nostrorum opere imperavi. Baptisterium ad ipsam Basilicam ædificari præcepi, in quo sancti Johannis, cum Sergii Martyris, Reliquias posui : et in illo priore Baptisterio sancti Benigni Martyris
C pignera collocavi. In multis verò locis infra Turonicum terminum, et Ecclesias et Oratoria dedicavi, Sanctorumque Reliquiis inlustravi, quæ memorare ex ordine prolixum censui.

Decem libros Historiarum, septem Miraculorum, unum de Vitis Patrum scripsi : in Psalterii tractatum librum unum commentatus sum : de Cursibus etiam Ecclesiasticis unum librum condidi. Quos libros licèt stilo rusticiori conscripserim, tamen conjuro omnes Sacerdotes Domini, qui post me humilem, Ecclesiam Turonicam sunt recturi, per adventum Domini nostri Jesu-Christi, ac terribilem reis omnibus Judicii diem, si numquam confusi de ipso Judicio discedentes cum diabolo condemnandi estis, ut numquam libros hos abolere faciatis, aut rescribi, quasi quædam legentes, et quasi quædam prætermittentes : sed ita omnia vobis-
D cum integra inlibataque permaneant (e), sicut à nobis relicta sunt. Quod si te, Sacerdos Dei, quicumque es, Martianus (f) noster septem disciplinis erudiit, id est, si te in grammaticis docuit legere, in dialecticis altercationem propositiones advertere, in rhetoricis genera metrorum agnoscere, in geometricis terrarum linearumque mensuras colligere, in astrologicis cursus siderum contemplari, in arithmeticis numerorum partes colligere, in harmoniis sonorum modulationes suavium accentuum carminibus concrepare : si in his omnibus ita fueris exercitatus, ut tibi stilus noster sit rusticus, nec sic quoque deprecor, ut avellas quod scripsi. Sed si tibi in his quiddam placuerit, salvo opere nostro te scribere versu non abnuo. Hos autem libros in anno vicesimo-primo ordinationis nostræ præscripsimus : et licèt * in superioribus de Episcopis Turonicis scripserimus, annotantes annos eorum : non tamen sequitur ac supputatur numerus chronicalis (g), quia inter-

* *al.* scilicet... scripsimus.

(a) Idem testatur Fortunatus lib. 10. carm. 2. quod est totum de hac Ecclesia à nostro Gregorio restaurata.

(b) Sanctorum scilicet Mauricii et sociorum, quos infrà beatæ Legionis Testes appellat. De his fusè actum est in Actis Martyrum sinceris ad annum 286. Ecclesiam hanc à Gregorio renovatam pluribus laudat Fortunatus lib. 10. carm. 2.

(c) Colb. m. [Clun.] et editio Bad. *in qua valde putredinis erat pietate virtutum pro eorum virtute delatum.*

(d) Colb. m. [Clun.] et Bad. *et Hymnis etiam missis.*

(e) Hîc desinit cod. Colb. m. nec quidquam est avulsum. Unde Cointius ea quæ sequuntur à quopiam Neoterico addita fuisse censet. * In codice Cluniacensi post hæc verba, *integra inlibataque permaneant*, continenter et in eodem versu additur Fragmentum Historicum à morte Caroli Calvi ad inaugurationem Roberti Regis : quod quidem Fragmentum exhibetur velut pars et finis libri 10. Historiæ Gregorii Turon. sic enim desinit : *In ipso quoque anno Robertus Regum piissimus Rex ordinatus est. Hîc deficit genus Caroli Magni. Explicit liber X. Finiunt Gesta Francorum.*

(f) Cod. Reg. *Martinianus.* Sed hîc alludit ad Martianum Capellam auctorem celebrem, quamvis ætatis incertæ, de quo Vossius lib. 3. de Historicis Latinis parte 2.

(g) Bec. *chronicorum.* Casin. *annotantes annos, quorum non tamen sequitur hæc supputatio numerum chronicalem.*

valla ordinationum integrè non potuimus reperire. Est ergo omnis summa annorum mundialium talis : A

A principio usque ad diluvium anni MMCCXLII.

A diluvio usque ad transitum filiorum Israel per mare Rubrum anni MCCCCIV.

Ab hoc maris transitu usque ad Resurrectionem Dominicam, anni MDXXXVIII.

A Resurrectione Dominica usque ad transitum sancti Martini, anni CCCCXII.

A transitu S. Martini usque ad memoratum superiùs annum, id est, ordinationis nostræ primum et vicesimum, qui fuit Gregorii Papæ Romani quintus, Guntchramni Regis trigesimus-primus, Childeberti Junioris decimus-nonus, anni (a) CLXVIII.

Quorum omnis summa est annorum MMMMMDCCCXIV. (b)

Explicit Historia Ecclesiastica Francorum Gregorii Episcopi Turonici.

(a) Sic Reg. et Chesn. qui al. habet CLXXVIII. editi alii CCXVIII. Bec. CXVIII. fortè pro CXCVIII. qui numerus cum fine libri 4. concordaret.

(b) Sic iidem Reg. et Chesn. At alii editi. V. M. DCCCLXIV. neuter numerus cum singulis partibus collectis concordat. Sed nostrum est sinceras mss. cod. lectiones repræsentare : quonam autem modo hæc annorum series cum antiquis auctoribus aut etiam cum ipsomet Gregorio componenda sit, fusiùs inquisiere viri docti, Scaliger, Petavius, Menander, Maanus, Valesius, etc. sed cùm non eamdem viam inierint, in varias abiere sententias. Cointius verò has supputationes, sicut et eas quæ suprà habentur, suppositicias esse contendit.

SANCTI GEORGII FLORENTII GREGORII

EPISCOPI TURONENSIS

HISTORIA FRANCORUM EPITOMATA

PER FREDEGARIUM SCHOLASTICUM.

INCIPIT PRÆFATIO GREGORII.

DECEDENTE atque immò potiùs pereunte ab urbibus Gallicanis etc. *ut suprà pag.* 137. *Sic omnino habet codex Claromontanus, at Boherianus, et Ambrasianus apud Lambecium tomo* 2. Incipit Præfatio Græca. Decedente etc. *Hunc porrò Epitomatorem Fredegarium appello, viros doctos imitatus, qui ipsum hoc nomine designarunt. Quamvis nullum umquam codicem scriptum viderim, in quo hoc nomine fuerit appellatus : quod idem de se ipsis testantur viri eruditi, qui de rebus Francicis hoc sæculo scripsere, hunc auctorem Fredegarium Scholasticum appellantes, Jos. Scaligerum et Freherum secuti, qui primi eum sic nuncupaverunt, ex aliquo codice ms. ut credere par est. Porrò sequentem titulum* Capitolares etc. *ex eodem cod. Claromontano descripsimus, qui sic in Boheriano habetur :* Incipiunt capitula libri, quod est excarpsum de Chronicis Græcû epîs Thoronacis. *Et ex simili, ut quidem conjicio, codice Canisius tomo* 2. *Lect. antiquæ* Toromachum Episcopum *censet esse hujus operis auctorem, qui* Græcè *scripserit. Dicitur autem liber quartus, quòd inter varia chronica, quæ ille auctor in unum corpus collegit, Gregorii Epitome quarto loco habeatur. De his plura in Præfatione generali ad hunc tomum diximus.*

CAPITOLARES LIBRI QUARTI,

quod est scarpsum de Chronica Gregorii Episcopi Toronaci, in Christi nomine fiat.

I. De Chunis, et Agecio Patricio.
II. De Francorum origine, et eorum Regibus.
III. De Ducibus Francorum tribus, et pugnis cum Republica.
IV. De Francis, et Valentiniano imperatore.
V. De Regibus denuò in Francis creatis.
VI. De Juviniano et Constantino, vel Honorio Imperatoribus.
VII. De eversione urbis Trevericæ, quæ à Francis facta est per Lucium.
VIII. De Castini Domesticorum Comitis pugna cum Francis.
* *Ch.* criniti. *IX. De initio Regis dinuo * Francorum.*
X. De Avito Imperatore.
XI. De Childerico Rege Francorum, et Wiomado Franco.
XII. De Basina Regina et Childerico.
XIII. De Eorico Rege Gotthorum, et basilica sancti Juliani martyris.
* *al.* Aedecio. *XIV. De Ædicio * eleemosynam tribuente.*
XV. De initio regni Chlodovei, et Syagrio Patricio.
XVI. De Chlodoveo, et sancto Remedio urbis Remensis.
XVII. De Gundiocho Rege Burgundionum, et filiis ejus.
XVIII. De Chlodoveo Rege, et Chrotechilde Regina, et Auriliano qui follem perdidit.
XIX. De Aridio sapiente, et ejus consilio.
XX. De conjunctione Chrotechildæ et Chlodovei.
XXI. De initio Christianitatis Chlodovei per beatum Remedium, qui eum baptizavit.
XXII. De Godegisilo, et Gundobado, et Chlodoveo Rege.
XXIII. De consilio Aridii sapientis.
XXIV. De Aridio, Gundobado, et Chlodoveo Rege.
XXV. De Alarico Rege Gotthorum, et Chlodoveo Rege.
XXVI. De interitu Cloderici filii Sigiberti Regis.
XXVII. De interitu Chararici Regis.
XXVIII. De interitu Ragnacharii Regis.
XXIX. De interitu Chlodovei Regis.
XXX. De divisione regni inter filios quatuor Chlodovei Regis.
XXXI. De Amalrico filio Alarici Regis.
* *Ch. al. et Boh.* Alamannis. *XXXII. De Alanis *, qualiter in regno Francorum interfecti sunt.*
XXXIII. De Regibus Toringorum; et Toringia ditioni Francorum subjicitur.
XXXIV. De Gundobado, et filio ejus Sigimundo.
XXXV. De transitu Sigimundi.
XXXVI. De obitu Chlodomeris.
XXXVII. De eo quòd regnum Burgundiæ Francorum ditioni subjicitur.
XXXVIII. De pace falsa inter Childebertum et Theudericum.
XXXIX. De Chrotechilde Regina et nepotibus suis, qui à Chlotario sunt interfecti.
XL. De obitu Theuderici.
XLI. De Childeberto et Theudeberto contra Chlotarium agentibus.
XLII. De Childeberto et Chlotario in Spania cum exercitu adgressis.
* *al.* Theudahado. *XLIII. De Theuthachado * Rege Spaniæ interfecto.*
XLIV. De uxore et filia Theuderici Regis Italiæ interfectis, et compositione.
XLV. De Theudeberto in Italiam ingresso, et Italia recepta.
XLVI. De Verdanensibus à Theudeberto recuperatis.
XLVII. De morte Chrotechilde Reginæ.
XLVIII. De Agyliane Rege Spaniæ.
XLIX. De Athanagildo Rege Spaniæ.
L. De Theudebaldo filio Theudeberti, Buceleno Duce, Belesario et Narsete Patriciis.
LI. De regno Chlotarii, et pugna cum Saxonibus.

LII. De

LII. De Childeberto, et Chramno filio Chlotarii.
LIII. De morte Childeberti.
LIV. De exsilio Walderadæ relictæ Childeberti, et interitu Chramni.
LV. De obitu Chlotarii, et divisione regni inter filios ejus quatuor.
LVI. De Guntramno et Regina Marchetrude, et ancilla Bobilane.
LVII. De Sigiberto et Brunichilde Regina.
LVIII. De Chrodino Duce, et bonitate ejus.
LIX. De Gogone effecto Majore-domûs.
*LX. De Chilperico quòd Gailessindam * sororem Brunechildis accepit.*
LXI. De Chunis, et Sigiberto Rege.
LXII. De Arvernis, et Celso Patricio.
LXIII. De Athanagildo, Leuvane, et Leuvildo Regibus Spaniæ.
LXIV. De obitu Justiniani, et Imperio Justini.
LXV. De Langobardorum gente, et eorum origine et nomine.
LXVI. De obitu Alboini Italiæ Regis.
LXVII. De Langobardis in Franciam prorumpentibus.
LXVIII. De Mummolo Patricio, et Langobardis, vel Saxonibus.
LXIX. De Chlodoveo filio Chilperici.
LXX. Quòd Chilpericus civitates de regno Sigiberti pervasit.
LXXI. De interitu Sigiberti, et pace Guntramni.
LXXII. De exsilio Brunichildæ, et Rege Childeberto.
LXXIII. De supputatione annorum ab Adam usque ad transitum Sigiberti.
LXXIV. De Meroveo filio Chilperici, et Brunichilda.
LXXV. De Chlodoveo filio Chilperici, et pugna Mummoli Patricii et Desiderii Ducis.
LXXVI. De pugna inter Suevos et Saxones.
LXXVII. De Comitibus Brittonorum.
LXXVIII. De Guntramno, et Childeberto adoptato in filium.
LXXIX. De Justini Imperatoris amentia, et uxore ejus Sophia.
LXXX. De thesauris Narsedis Patricii.
LXXXI. De largissimis eleemosynis Tiberii Imperatoris, et Sophia Augusta.
LXXXII. De regimine Childeberti; et inundatione aquarum; et igne de cœlo civitates et vicos urente.
LXXXIII. De filia Sigiberti, nomine Sidegunde, uxore Ermengildi.
LXXXIV. De morte filiorum Chilperici trium.
LXXXV. De fuga Mummoli.
LXXXVI. De pace Chilperici et Childeberti falsa.
LXXXVII. De reclauso, nomine Hospitio.
*LXXXVIII. De morte Chrodini * Ducis.*
LXXXIX. De Gundoaldo filio Chlotharii, qui regnare cœperat, et interfectione Mummoli.
XC. De eo quòd Chilpericus Parisius invadit.
*XCI. De timore Chilperici, ut cum thesauris aufugit *.*
XCII. De Childeberto, quomodo in Italiam fuerit adgressus.
XCIII. De Chilperico, quòd filiam suam in Spaniam cum thesauris direxit, te in continuo ad Calam villam mortuus est.

* *al.* Gachilisindam.

* *al.* Rodini.

* *Clar.* ut Eternoacum fugit.

SANCTI GEORGII FLORENTII

GREGORII

EPISCOPI TURONENSIS

HISTORIA FRANCORUM EPITOMATA

PER FREDEGARIUM SCHOLASTICUM.

Greg. Tur. lib. 2. *cap.* 2. 5.

I. CUMQUE Wandali præterissent à Galliis, nec multo pòst tempore Chuni Gallias ingredi disponebant. Quod cùm beatus Arvatius (a) Episcopus Tungrorum civitatis audisset, Romam pergit ad limina sancti Petri Apostoli : ibique quotidianum jejunium et vigilias assiduè faciens, in visione somni ab Apostolo responsum accipiens decretum ab Altissimo Chunos ingredi Gallias, protinùs ad civitatem suam rediit : prædicens ejus obitum, ut hoc malum non videret. Aiecium (b) Patricium hujus Chronici gesta laudant. Virilis habitu

cap. 8. formatus, animo alacer, membris vegetus, equis promtissimus, sagittarum peritus, conti impiger, bellis aptissimus, pacis captator celebris, nullus avaritiæ sectator, bonis animæ præditus, injuriarum patientissimus, laboris adpetens, impavidus periculorum, famis, sitis, vigiliarum tolerantissimus : cui ineunte ætate prædictum liquet, quantæ potentiæ fatis * destinaretur, temporibus suis futurisque celebrandus. Hæc supradictus Historiographus de Aiecio narrat. Cùm inisset certamen cum Chunis, quæ gesserit Idacius suæ historiæ hujus volumine narrat (c).

* *al.* factis.

cap. 7. Nam his diebus oratione uxoris suæ ad limina beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli jejuniis et vigiliis discurrente, intercedentibus Apostolis, Aiecius à periculis liberatur. Revelatum est cuidam pauperi, nuntianti uxoris Aiecii orationibus fuisse salvatum. Quod cùm à paupere proditum fuisset, pauper cæcitate percutitur.

II. De Francorum verò Regibus beatus Hieronymus, qui jam olim fuerant, scripsit (d). Quod priùs Virgilii Poëtæ narrat Historia, Priamum primum habuisse Regem, cùm Troja fraude Ulixis caperetur, exindeque fuisse egressos : posteà Frigam habuisse Regem, bifaria divisione partem eorum Macedoniam fuisse adgressam; alios cum Friga vocatos Frigios, Asiam pervagantes, in litore Danuvii fluminis et maris Oceani consedisse. Denuò bifaria divisione Europam media ex ipsis pars cum Francione eorum Rege ingressa fuit. Qui Europam pervagantes, cum uxoribus et liberis Rheni ripam occuparunt : nec procul à Rheno civitatem ad instar Trojæ nominis ædificare conati sunt. Cœptum quidem est, sed imperfectum opus remansit. Residua eorum pars, quæ super litore Danuvii remanserat, electum à se, Turchot (e) nomine, Regem, per quem vocati sunt Turchi, et per Francionem alii vocati sunt Franci, multis pòst temporibus cum Ducibus externas dominationes semper negantes (f).

cap. 9. III. Francos transegisse comperimus usque ad Marcomerem, Sonnonem et

(a) Sic Clar. et codex Ambracianus tomo 2. Bibliothecæ Cæsareæ Lambecii laudatus. At editi *Servatius*. Boh. *Cùmque beatus Arvacius Episc. Theucrorum*. Vide notas in lib. 2. Gregorii cap. 5.

(b) Sic Clar. Boh. et Freh. Chesn. verò *Agetium*; Can. *Aëtium*, quod est vulgatum nomen.

(c) Fredegarius, ut in præfatione dictum est, Collectionem Chronicorum in quinque aut sex libros divisam edidit. Liber tertius est ex Idatio excerptus, qui hîc laudatur, ibique Aëtius dicitur primò Attilam, tum Thorismundum, accepta ab utroque pecunia, fefellisse.

(d) Hieronymus in Vita S. Hilarionis : *Inter Saxones quippe et Alemannos gens est, non tam lata quàm valida, apud Historicos Germania, nunc verò Francia vocatur*. Procopius etiam Germanorum nomine Francos passim designat.

(e) Aimoin. lib. 2. cap. 2. cum. Boh. *Torchot..... Torchi*. Rorico lib. 1. *Torcat*.

(f) Chesn. *regentes*.

A Genebaudum Duces : cum quibus temporibus Imperatoris Theudosii in Germaniam prorumpentes, pagos depopulantes, etiam Coloniæ metum incusserunt. Quod cùm Treveris perlatum fuisset, Nanninus (a) et Quintinus Magister (b) militum collecto exercitu Francos de Germania ejecerunt. Apud Carbonariam de Francis strages fitur. Pòst Heraclio et Joviano (c) cum exercitu ultra Rhenum transeuntibus, disponentes Francos ad internecionem perducere, tantæ strages ex militibus à Francis factæ sunt, ut Heraclius et Jovianus vix de eodem prælio potuissent evadere. Nec ulteriùs adversùs Francos præsumserunt arma adripere. Post paucum temporis Arbogastes superbia elatus adversùs Francos arma commovit, cum eisdem dimicans victus effugit.

IV. Franci Treveris hiemando residere præsumunt. Valentiniano Imperatore *Ibid.*
B infra privati modum redacto, militaris rei cura Francis satellitibus tradita. Civilia quoque officia transgressi, in conjurationem Arbogastis sacramentis obstricti sunt. Arbogastes Marcomerem et Sonnonem Duces odiis insectans, exercitûs fraude Francos deceptos, urendosque cum decussis foliis, nudæ atque arentes silvæ insidiantes adgredere, transgresso Rheno pagum quem Chamavi (d) incolunt, depopulatus est.

V. Dehinc exstinctis Ducibus in Francis denuò Reges creantur ex eadem stirpe, *Ibid.*
qua priùs fuerant.

VI. Eodem tempore Jovianus ornatus regios adsumsit. Constantinus fugam vertens *Ibid.*
Italiam dirigit, missis à Joviano (e) Principe obviàm percussoribus, super Mentio (f) flumine capite truncatur. Multi nobilium jussu * Joviani apud Arvernis capti, et à * Leg. *Jovini.*
C Ducibus Honorii crudeliter interemti sunt. An. 411.

VII. Treverorum civitas factione unius ex Senatoribus, cui nomen (g) Lucius, à Francis capta et incensa est. Cùm (h) Avitus Imperator esset luxuriæ deditus, et iste Lucius haberet mulierem pulcherrimam cunctarum, fingens Avitus ob infirmitatem corporis lecto se depremere, jussit ad omnes senatrices, ut eum requirerent (i). Cùmque uxor venisset Lucii, vique ab Avito oppressa fuisset; in crastino surgens de stratu Avitus dixit ad Lucium : *Pulcras thermas habes, et frigida lavas* (k). Hæc indignante Lucio, sua factione direpta est civitas, et incensa à Francis.

VIII. Castinus domesticorum Comes expeditionem accepit contra Francos, eosque proterit, Rhenum transit, Gallias pervagatur, usque ad Pyrenæos montes per-
D venit (l).

IX. Franci electum à se Regem, sicut priùs fuerat, crinitum inquirentes dili- *Ibid. et cap.*
genter ex genere Priami, Frigi et Francionis, super se creant, nomine Theu- 10.
demerem (m) filium Richemeris, qui in hoc prælio, quod suprà memini, à Romanis interfectus est. Substituitur filius ejus Chlodeo (n) in regnum, utilissimus vir Circa an.
in gente sua, qui apud Espargem castrum (o) residebat, quod est in termino 428.
Thoringorum. Burgundiones quoque Arianorum secta utebantur, sedentes in Cisalpinis. Chlodeo, missis exploratoribus ad urbem Camaracum, perlustrans omnia, ipse sequitur, Romanos proterit, civitatem capit; et inde usque Suminam fluvium occupavit. Hæc generatio fanaticis usibus culta est. Fertur super litore maris æsta-

(a) Al. *Nannius.*

(b) Boh. et Can. *Magistri militum.*

(c) Editi *Joviniano*; et infrà Clar. in Indice capit. *Juviniano.* Boh. infrà *Eraclio et Juviniano cum paucis.* Is est Jovinus, ut habet Chesn. al. unus ex his, qui temporibus Honorii tyrannidem adsumserunt. Falsum est autem à Jovini missis Constantinum occisum fuisse. De Arbogaste, qui genere erat Francus, vide Vitam sancti Ambrosii. * Frustrà hîc obtruditur *Jovianus :* Gregorius Turon. tantùm memorat Heraclium Tribunum Jovinianorum. Joviniani milites erant Imperii, ut constat ex Notitia Imperii.

(d) Clar. *Amavi.* Boh. *Amogi.*

(e) Incautè Fredegarius hîc quæ de Honorio Frigeridus scripsit, tribuit Jovino.

(f) Boh. *Mentia :* appellatur Mincius, vulgò *Mencio,* seu *Menzo*, Italiæ fluvius, qui Mantuam urbem alluit, et in Padum labitur.

(g) * Lucius iste posteà anno 413. Consul ordinarius fuit.

(h) * Loco *Aviti*, qui diu post hæc tempora regnavit, legendum est *Jovinus,* in hoc capite.

(i) Chesn. marg. *jussa ad omnes senatrices ut eum visitarent, misit.*

(k) Clar. et Boh. *Nam frigido lavas.* Freh. *frigidè.*

(l) Hæc de Stilicone Gregorius lib. 2. cap. 9. ex Orosio commemorat, quæ incautè Castino, Chesn. *Gastino,* de quo paullò superiùs dixerat Gregorius, Fredegarius attribuit.

(m) Al. *Theodomirum.*

(n) Sic Clar. alia tamen manu, et quidem antiqua, aliquis scripsit *Clodoveus.* Sic et habet Can. At Boh. *et filius Chloveus.* Alii *Chlogio.* Gregorius cap. 9. de Theodemere et Chlodione agit, sed nusquam scripsit Chlodionem fuisse Theodemeris filium. Aimoinus et Rorico Marcomerem Priami filium fuisse aiunt, et ex Marcomere Pharamundum prodiisse, cui in Regem electo, et posteà defuncto, Chlodio ipsius filius successit.

(o) Ed. *Hespergem.* Alii cum Anonymo, Roricone et Aimoino *Dispargum.....* Omnes habent infrà *Thoringorum.*

* *Boh.* Chlodevei.

tis tempore Chlodeone * cum uxore resedente meridie, uxor ad mare lavatum vadens, A terretur à bestia (a) Neptuni, qui Minotauro similis eam adpetisset. Cùmque in continuo aut à bestia aut à viro fuisset (b), concepit, ac peperit filium, Meroveum nomine, à quo Reges Francorum posteà Merovingii vocantur.

cap. 11. An. 456.

X. Avitus Imperator luxuriosus apud Placentiam urbem Episcopus ordinatur, et pòst ad Ecclesiam (c) sancti Juliani fugiens vitam amisit.

cap. 12. An. 457.

XI. Childericus verò filius Merovei cùm successisset patri in regno, nimia luxuria dissolutus, filias Francorum stupro tradidit. Illi verò ob hoc indignantes, eum de regno ejiciunt. Wiomadus Francus fidelissimus ceteris Childerico, qui eum, cùm à Chunis cum matre captivus duceretur, fugaciter liberaverat. Hic inventum unum aureum cum Childerico dividens, dum cerneret quòd eum Franci B interficere conarentur, dixit ei : *Fuge in Thoringiam, latita aliquantulùm ibi. Si tibi potuero Francos placare, istum aureum medium tibi ad signum dirigam, et si non potuero, ubicumque adgressus fueris, mihi notam facias viam tuam. Quando quidem potuero, et istam partem tibi direxero, partesque* * *conjunctæ unum effecerint solidum, tunc securus patriam repedabis.* Childericus habitans in Thoringia apud Regem Bisinum (d), uxoremque ejus Basinam latuit. Franci tunc Ægidium (e) unanimiter Regem adsciscunt. Wiomadus amicus Childerici subregulus ab Ægidio Francis instituitur (f), ejusque consilio omnes Francos singulis aureis tributavit. Illi adquiescentes impleverunt. Dixitque iterùm ad Ægidium Wiomadus : *Gens hæc durissima, quæ mihi ad agendum jussisti, parum adtributati sunt : superbia sæviunt ; jube ut ternos solidos tributentur.* Quod cùm factum fuisset, C adquiescentes Franci dixerunt : *Melius nobis est ternos solidos tributa solvere, quàm cum Childerico gravissimam vitam ducere.* Wiomadus iterùm ad Ægidium dicit : *Rebelles existunt tibi Franci ; nisi præceperis ex eis plurimos jugulari, eorum superbiam non mitigas.* Electos à Wiomado centum inutiles et in necessitatibus incongruos (g) ad Ægidium direxit, quos Ægidius consilio Wiomadi usus interficere jussit. Wiomadus dixit secretiùs ad Francos : *Non sufficiunt tributa quæ solvitis ? Quamdiu hoc malum sustinere vultis, ut parentes vestri sicut pecora jugulentur ?* Tunc Franci unanimiter dixerunt : *Si Childericum ubicumque potuissemus reperire, libenter eum super nos reciperemus ad Regem : forsitan per ipsum de his afflictionibus eriperemur.* Tunc Wiomadus protinùs ad Ægidium vadens, dixit : *Modò est gens Francorum tuæ disciplinæ perdomita.* Dansque eidem (h) consilium legatos ad Mauricium Imperatorem dirigere, gentesque vicinas, si posset, D adtrahere, ut vel quinquaginta millia solidorum ab Imperatore (i) dirigerentur : quo potiùs gentes accepto in munere se imperio subjicerent. Addensque dixit ad eum : *Aliquantulos solidos tuæ instantiæ locum accipiens militavi, parum servus tuus argentum habeo. Volebam cum tuis Legatis puerum dirigere, ut meliùs Constantinopoli mihi argentum mercaret.* Tunc acceptis ab Ægidio quingentis in munere aureis, quos ad hoc opus emendum transmitteret, misit puerum creditarium sibi cum media parte aurei, quem cum Childerico diviserat, saccellum plenum plumbeis, quos puer pro solidis secum portaret. Comperto jam (k) Childericum Constantinopoli esse, cum legatis Ægidii puer adgreditur his verbis instructus, ut Legatos præcederet, et Childerico protinùs nuntiaret, priusquàm Legati in conspectum Imperatoris venirent, quòd Ægidius, qui tributa publicis ærariis solvere debebat, tributa Imperatori solvenda quæreret. Quòd cùm Childericus

* *Ch.* pariterque.

(a) Clar. *Lavandum vadens bestia Neptuni quinotauri similis.*

(b) Boh. *concepta, peperit.* Chesn. *continuò à bestia tacta fuisset.* Hanc porrò narrationem ab Interpolatore additam fuisse censet Cointius ad annum 426. idque sub Carolinis Principibus, ut Merovingici Principes, inquit ille, qui è regno exciderant, in viliori haberentur apud populos pretio. At falsam esse hanc viri eruditi conjecturam ex eo patet, quòd hic locus integer habeatur in cod. Claromontano, qui ab annis mille sub prima Regum nostrorum stirpe descriptus est.

(c) Boh. *Basilicam*, et sic eam inferiùs appellat.

(d) Clar. *Bysinum* ; et infrà semel *Bysinam*. Boh. *latuit Francis. Tunc.*

(e) Clar. *Ejeium* : et infrà semper *Ejegius* dicitur. Aliis *Egidius*. Boh. ut plurimùm *Eicius*.

(f) Sic Clar. at editi, *Viomadum amicum Childerici subregulum ab Ægidio iterùm Franci instituerunt.* Deest *iterùm* in Can. at Chesn. al. et Aimoin. *Winomadum*. Boh. *Widomadum..... sub regulis ab Ægidio Franci instituerunt.... singulos aureos.*

(g) Sic Clar. et Boh. Editi verò *utiles..... congruos.*

(h) Clar. et Freh. *Dans idemque.* Chesn. *Dansque eisdem.* Canisii Lectionem sequimur. Marcianus tunc, aut certè Leo ejus successor CP. regnabat ; in Occidente verò Majorianus. Alterutrum hîc Mauricium appellat Fredegarius. Nam Mauricius Imp. sub sæculi seq. finem vixit.

(i) Freh. *ad Imperatorem.*

(k) * Iter Childerici Constantinopolim ad Imperatorem Mauricium, qui nonnisi centum annis post Childerici mortem Orientis Imperator creatus est, et cetera alia quæ hîc narrantur, omninò falsa sunt.

A Mauricio Imperatori nuntiasset, repletur furore et indignatione, cùm Legati Ægidii ei præsentati fuissent, his verbis suggerentes, jubet eos retrudi in carcerem. Dixitque Childericus ad Mauricium Imperatorem : *Jube me servum tuum ire in Gallias. Ego furorem indignationis tuæ super Ægidio ulciscar.* Multis muneribus à Mauricio Childericus ditatus, evectu navali revertitur in Gallias. Quem cùm Wiomadus nuntiante puero comperisset, castro Barro (a) ad ipsum venit, et à Barrensibus receptus est. Eorum omnes reditus publicos pro initio receptionis consilio Wiomadi benignè concessit. Deinde ab omnibus Francis resublimatur in regno, multaque prælia cum (b) Ægidio egit. Plures strages ab ipso factæ sunt in Romanis. An. 464.

XII. Basina quæ Bisinum Regem in Thoringia jugalem habebat, cùm audisset *cap.* 12.
B Childericum à Francis in regno sublimatum, cursu veloci relinquens Bisinum ad Childericum transiit. Qui cùm eam sollicitè interrogasset, qua de causa ad eum de tam longè venisset, respondisse fertur : *Novi*, inquit, *utilitatem tuam, quòd sis valde strenuus ; ideòque veni ut habitem tecum. Si utiliorem sub cœlo scissem, ad eumdem expetissem.* Quam Childericus gaudens, et diligens ejusdem pulcritudinem, in conjugio copulavit. Cùm prima nocte jugiter stratu junxissent, dicit ad eum mulier : *Hac nocte à coitu virili abstinebimus. Surge secretiùs, et quod videris ante aulas palatii, dices ancillæ tuæ.* Cùmque surrexisset, vidit similitudinem bestiarium (c) leonis, unicornis et leopardi deambulantium. Reversusque dixit mulièri quæ viderat. Dicit ad eum mulier : *Domine mi, vade denuò, et quod videris narra ancillæ tuæ.* Ille verò cùm foris abisset, vidit bestias similitudine ursi et
C lupi deambulantes. Narrans et hæc mulieri, compellit eum tertiò ut iret, et quod videbat nuntiaret. Cùmque tertiò exisset, vidit bestias minores similitudine canis et minorum bestiarum ab invicem detrahentium, et volutantium. Cùmque Basinæ hæc universa narrasset, abstinentes se castè usque in crastinum : surgentes de stratu, dixit Basina ad Childericum : *Quæ visibiliter vidisti, veritate subsistunt. Hæc interpretationem habent. Nascetur nobis filius fortitudine signum et instar tenens : filii verò ejus leopardi et unicornis fortitudine signum tenent. Deinde generantur ex illis, qui ursis et lupis fortitudinem et voracitatem eorum similabunt. Et tertiò quæ vidisti ad discessum, columnæ regni hujus erunt : qui regnabunt ad instar canum, et minoribus bestiis eorum consimilis erit fortitudo. Pluritas autem minorum bestiarum, quæ ab invicem detrahentes volutabant, populos sine timore Principum ab invicem vastandos significat.*
D Concepit Basina, et peperit filium, nomine Chlodeveum. Hic fuit magnus et pugnator egregius, ad instar leonis fortissimus ceteris Regibus. Childericus cum (d) Odovacro Rege Saxonorum Aurelianis pugnans, Andegabum victor perrexit. Mortuo Ægidio, reliquit filium, Syagrium nomine. Eodem tempore Brittones de Betorica (e) à Gotthis expulsi, multi apud Dolensem (f) peremti sunt. Paulus Comes cum Romanis et Francis bellum Gotthis intulit, et prædas egit. Childericus Odovacro superato Paulum Comitem interfecit, Andegavis obtenuit. His actis, inter Saxones et Romanos bellum gestum est. Saxones terga vertentes, multis ex eis exstinctis, insulæ (g) eorum, cum multo populo interemto, à Francis captæ atque subversæ sunt. *cap.* 18. An. 464. An. 469. *cap.* 19.

XIII. Ipso anno terræ motus fuit. Eoricus Gotthorum Rex decimo-quarto regni sui anno Ecclesiam sancti Juliani Brivate columnis ornatam mirificè construxit (h). Regnans Eoricus annos viginti. *cap.* 20. An. 481.

(a) Non unum est hujus nominis castrum, vulgò *Bar*, de quo hic locus intelligi possit. Tam enim Barro ad Albam, quàm Barro ad Sequanam competere potest. Barrum-Ducis, quod nunc videtur ceteris celebrius, tunc temporis nondum constructum fuisse Valesius putat. At cùm pagi Barrensis mentio sit ab annis ferè mille in testamento Wolfaudi Comitis pro conditu monasterii sancti Michaëlis in agro Virdunensi, et in aliis ejus ævi monumentis, locum hunc jam tunc celebrem fuisse oportuit, ut pago cognomini nomen indiderit, qui proinde hîc potuerit designari, licèt seriùs Barrum-Ducis cognominatus.

(b) * Childericum post reditum suum unà cum Ægidio regnasse, nedum cum eo prælia egisse, testatur Gregorius Turon. l. 2. cap. 12. Consule doctissimum Abbatem Dubos qui in Hist. Crit. Monarchiæ Francicæ lib. 3. cap. 6. contendit Childericum fuisse in regnum restitutum, nulla strage edita, sed pace semper et amicitia cum Romanis servata.

(c) Istas visiones ab Interpolatore additas putat Cointius. At, prout jam observavimus ad caput 9. refragatur cod. Claromontani auctoritas.

(d) * Childericus non pugnavit cum Odoacrio. Mors Ægidii et Britonum clades non eodem tempore contigere.

(e) Aliàs, *Biturica.*

(f) Editi aliquot al. *Tolosam*, falsò. Est enim vicus Biturigum. Vide notas ad Gregorii lib. 2. cap. 18. * Vide etiam quæ notavimus ad hunc locum.

(g) Editio Freh. *in solo* Boh. *in solo..... capti atque subversi.*

(h) Fallitur Fredegarius : nam, ut jam observavimus, non Euricus, sed Victorius ab Eurico Arvernis præpositus basilicam sancti Juliani, non quidem Brivate, sed in ipsa urbe Arverna, quam hodie Clarummontem appellamus, columnis adornavit, non exstruxit. * Regnavit Euricus annos tantùm XVII.

cap. 24. XIV. In Burgundia nimia famis oppressio advenit. Cùmque populus à fame A
diversis regionibus dispergeretur, nec esset qui alimoniam præberet; Ædicius (a)
quidam ex Senatoribus magnam tunc rem in Deo fecisse perhibetur. Misit pueros
* *i.* equis. suos cum equitibus * et plaustris per vicinas cibi civitates; ut eos qui inopia vexabantur sibi adducerent. Cunctos pauperes quos invenire potuerunt, adduxerunt ad domum ejus, ibique eos tempore sterilitatis pascens à fame liberavit. Fueruntque plusquàm quatuor millia, quos aluit usque tempore ubertatis. Post quorum discessum vox è cœlis lapsa pervenit, dicens Ædicio : *Quia fecisti hanc rem, tibi et semini tuo panis non indigebit in sempiternum.* Ædicius miræ velocitatis fuit, plu-
cap. 25. Circa an. 467. ribus vicibus multitudinem Gotthorum cum paucis in fugam convertit. Evatrix (b) Rex Gotthorum excedens Spanum limitem, gravem in Galliis intulit persecutionem.

cap. 27. An. 481. An. 486. XV. Defuncto Childerico, Chlodoveus ejusdem filius regnavit pro eo. Anno autem B
quinto regni ejus Syagrius Romanorum Patricius apud civitatem Sexonas (c), quam quondam pater suus tenuerat, sedem habebat: super quem Chlodoveus cum Ragnachario inruens, Syagrius inlisum cernens exercitum terga vertit, et ad Alaricum Regem Tholosam cursu veloci perrexit. Chlodoveus legatos ad Alaricum mittit, ut eum redderet; alioquin noverit sibi bellum inferri. At ille metuens, ut Gotthorum pavere mos est, Syagrium vinctum legatis tradidit. Quem Chlodoveus custodiæ mancipavit, regnoque ejus accepto, eum gladio trucidare (d) præcepit. Chlodoveus, eò quòd esset fanaticus, Ecclesias deprædari permisit.

Ibid. XVI. Igitur de Ecclesia Remicianæ urbis urceum magnum hostis abstulerat cum reliquis ministeriis. Sanctus ac Apostolicus Remedius Pontifex ejusdem urbis ad Chlodoveum veniens postulans, si aliud de sacris vasis recipere non mereretur, saltem vel urceum illum reciperet. Audiens Rex dixit : *Mitte nuntium usque Suessionas, ibi quæ adquisita sunt dividenda erunt. Si mihi illud sors dederit, petitionem tuam implebo.* Cùm præda in medio dividenda poneretur, ait Rex : *Rogo ut saltem mihi vas istud extra partem concedatis.* Hæc Rege dicente, respondent Franci : *Gloriose Rex, quæ cernimus tua sunt; sed et nos tui sumus, domine, quod tibi placet, fac.* Tunc unus levis, invidus et facilis, voce magna urceum impulit, dicens : *Nihil hinc accipies, nisi quod tibi sors vera largitur.* Rex injuriam hanc patientia lenivit. Sorte posita acceptum urceum beato Remedio transmisit, servans abditum sub pectore vulnus. Kalendas Martias jussit omnes armatorum phalanges se ostensuros venire. Ubi cunctos circuibat, venit ad urcei percussorem, dicens ad eum : *Inculta est armatura tua, neque securis est utilis :* adprehensamque securem ejus terræ dejecit. Et ille cùm paullulùm inclinatus fuisset, Rex elevatis manibus secure caput ejus defixit : *Sic,* inquit, *et tu Suessionis urceo fecisti :* magnum sibi per hanc causam D
timorem statuens (e).

cap. 28. XVII. Fuit igitur Gundiochus Rex Burgundionum ex genere Athanarici Regis persecutoris. Huic fuerunt quatuor filii, Gundobadus (f), Godegiselus, Chilpericus et Godemarus. Gundobadus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio, uxorem ejus ligato ad collum lapide aquis immersit : duos filios eorum gladio trucidavit, duas filias exsilio condemnavit, quarum senior nomine Sædeleuba (g), mutata veste, se Deo devovit, junior Chrotechildis vocabatur.

Ibid. XVIII. Porrò Chlodoveus legationem in Burgundiam sæpiùs mittens ambiebat Chrotechildem. Et cùm non esset licitum eam videre, Chlodoveus Aurelianum (h) quemdam ex Romanis, ingenio quo poterat, ad Chrotechildem prævidendam direxit. At ille nisi singulus, ad instar mendici peram ad dorsum ferens veste deformi, illis perrexit partibus; annulum Chlodovei, quò ei potiùs crederetur, secum

(a) Al. *Ecdicius*, seu *Ædecius*.

(b) Ed. *Evarix*. Boh. et Ch. al. *Evagrus*.

(c) Canis. *Santonas*. Sed constat Suessionas urbem hîc designari, quæ in veteribus scriptis *Sessonas*, *Sexonas*, aut *Saxonas* vulgò scribitur. [In S. Benigni Chronico, cujus auctor Fredegarium describit : *In Suessionis civitate, quam pater ejus tenuerat, residebat.*]

(d) Boh. *truncare*.

(e) Chesn. et Freh. *timorem fecit*. Canis. *causam Franci timorem statuerunt*.

(f) Alii *Gundebadus*, *Gunthegiselus*, *Gotemarus*. Mss. Clar. et Boh. lectionem retinuimus, et sic semper infrà.

(g) Chesn. al. *Chrona*, et infrà *Chrothildis*. Boh. *Chrothechildis*. Vide notas in Gregorium. * Dunodus in Historia Sequanorum pag. 238. existimat Sædeleubam hîc perperàm confundi cum sorore Chlotildis, fuisseque uxorem Childerici : qui quidem Chilpericus frater fuit Gundiuchi, non filius.

(h) Aurelianus Patricius memoratur à Gregorio lib. 1. de Gloria Mart. cap. 77. Sed hanc de eo mendicum simulante narrationem inter fabulas computant cum Valesio viri eruditi; quam tamen habent Rorico, Anonymus, Aimoinus, Auctor Vitæ sanctæ Chlothildis, et alii passim. Gregorius verò lib. 2. Hist. cap. 28. legationem à Chlodoveo missam memorat : sed nihil de hac re habet.

A portans. Cùmque ad Januam civitatem (a), ubi Chrotechildis cum germana Sedeleuba sedebat, venisset; et illæ hospitalitate peregrinos sectantes, eum causa mercedis suscepissent, et pedes ejus Chrotechildis lavaret, Aurelianus verbo secreto inclinans ad eam, dixit : *Domina mi, grande verbum tibi nuntiaturus sum, si locum dare dignaris, ut secretiùs suggeram.* Illa annuens, inquit, *Loquere* (b). Dixitque Aurelianus : *Chlodoveus Rex Francorum me direxit ad te; si voluntas Dei fuerit, te vult ad culminis sui sociare conjugium. Ut certa fias, hunc annulum tibi direxit.* Quem illa accipiens, gavisa est gaudio magno. Dixitque ad eum : *Accipe centum solidos pro laboris tui munere, et annulum hunc meum. Festinans revertere ad dominum tuum, et dic ei : Si me vult matrimonio sociare, protinùs per legatos à patruo meo Gundobabo postuletur. Legati qui venient, obtenta ad præsens firmitate* (c), *placitum sub celeritate instituant. Nisi ad perficiendum festi-*
B *nent, Aridii* (d) *cujusdam sapientis de Constantinopoli adventum vereor, cujus consilio, si priùs venerit, hæc omnia dissipabuntur.* Aurelianus eodem habitu quo venerat, rediit ad propria. Cùm jam prope Aurelianense territorium, nec procul à domo propè accessisset, quemdam pauperem mendicum in via secum itineris socium habebat (e) : cùm jam securus Aurelianus sopore depressus esset, à collega suo pera cum solidis ejusdem furatur. Cùmque à somno expergefactus fuisset, mœrore plenus cursu veloci perrexit ad propria; dirigensque pueros ad inquirendum mendicum, qui peram ejus portabat. Quem adprehensum Aureliano præsentant, eumque fortiter triduo cæsum permisit ire mendicum. Protinùs Aurelianus Chlodoveo Regi per singula narrans successionem, suggestiones nuntiat (f). Quod cùm Chlodoveo utilitas et consilium Chrotechildis placuisset, legatos ad Gundobadum dirigit, petens ut Chrotechildem neptem suam ei in conjugium sociandam
C traderet. Quod ille denegare metuens, et sperans amicitiam cum Chlodoveo inire, eam se daturum spondit. Legati offerentes solidum et denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei sponsant (g) : placitum ad præsens petentes, ut ipsam ad conjugium traderet Chlodoveo. Nulla stante mora, inito placito Cabillono (h), nuptiæ præparantur. Venientes cum celeritate Franci Chrotechildem à Gundobado acceptam levantes in basternam (i), cum multis thesauris ad Chlodoveum dirigunt. Chrotechildis cùm jam comperisset adventum Aridii revertentis ab Imperio, dixit ad seniores Francos : *Si vultis me domino vestro præsentare, removete me de basterna, et supra equum levate, et quantùm protinùs potueritis, illis partibus accelerate. In hac basterna ad suam non possum venire præsentiam.* Franci, levata Chrotechilde super equum, festini ad Chlodoveum pergunt.

D XIX. Cùmque Aridius à Massilia velocissimo cursu hæc audiens ad Gundobadum venisset : dixitque ei Gundobadus : *Audisti quòd amicitiam cum Francis inivimus, neptemque meam Chloddoveo tradidi uxorem?* Respondens Aridius dixit : *Non est hoc amicitiæ cultus, sed initium discordiæ perpetuæ. Reminiscere debueras, domine mi, quòd genitorem Chrotechildæ germanum tuum Chilpericum gladio trucidasti, matrem ejus lapide ad collum ligato necare jussisti, duos ejusdem germanos capite truncatos in puteum fecisti projicere. Si prævaluerit, injuriam parentum vindicabit. Dirige protinùs exercitum post eam, ut revertatur. Faciliùs unius feres jurgium, quàm omni tempore tu et tui scandalizemini* (k) *à Francis.* Hæc audiens Gundobadus, exercitum post tergum Chrotechildæ retentandum (l) dirigit, qui consequentes thesauros et basternam cuncta retentent. Chrotechildis verò cùm adpropinquasset Villariaco (m), in qua Chlodoveus residebat, in territorio Trecassino, adhuc antequàm terminos Burgundiæ Chrotechildis præteriret,

(a) Sic Clar. non verò *januam civitatis*, ut Boh. Can. et Freh. est quippe *Geneva*, quam veteres *Januba* scribebant. Chesn. *Genovam*.

(b) Clar. Boh. et Can. *annuens verbo secreto audiens, dixitque*.

(c) Boh. *obtata ad præsens firment*.

(d) Editi *Aredii*. De hoc vide Gregor. lib. 2. cap. 32. etc.

(e) Can. *habuit*. Chesn. *quidam pauper mendicus quem in via..... habuerat..... collegæ suo peram furatus est*.

(f) Apud Freh. deest *successionem*. Clar. *narrans Suessionas nuntiat*. Boh. *narrans fuisse bonetas* (al. m. *honestas*) *suggestiones nuntiat*.

(g) Boh. Can. et Chesn. *desponsant*. Hic Francorum mos dicitur *secundùm legem Salicam* in formula veteri apud Bignonium post Marculfi formulas pag. 219. Vide et ejus notas in varias Formulas n. 5. pag. 364.

(h) Can. et Chesn. al. *Cavallono*. Boh. *Cavilono*.

(i) Basterna vehiculi genus erat matronis proprium, quod tectum erat, ut ex Hieronymo in cap. 66. Isaiæ colligit Altaserra, *cum umbraculis, quæ nos dormitoria interpretari possumus vel basternas*.

(k) Clar. et Boh. *scandalizeris*. Can. et Freh. et Chesn. al. *vexentur*.

(l) Can. *præsentandam*. Boh. *retentanda.... retentant*.

(m) Duo supersunt apud Tricassinos loca, quæ huc revocari possunt, *Villers* scilicet haud procul ab Ar-

rogans eos à quibus ducebatur, ut duodecim leuvas (a) in utrasque partes de Burgundia prædarent et incenderent. Quod cùm permittente Chlodoveo fuisset impletum, dixit Chrotechildis : *Gratias tibi ago, Deus omnipotens, quòd initium vindictæ de genitoribus vel fratribus meis video.* A

Ibidem. XX. Tunc ad præsens Chlodoveo (b) perducitur, ipsamque in matrimonium Chlo-
cap. 29. doveus accepit, quam cultu regali perfecto dilexit amore. Habebat jam tunc Chlodo-
An. 493. veus filium de concubina, nomine Theudericum. Chrotchildis cùm primogenitum
An. 494. filium habuisset, quem baptismo consecrare vellet, virum assiduè suadens Christianum efficere (c), nullatenùs ad consiliandum Regis animus movebatur, dicens : *Deorum nostrorum jussione cuncta creantur, Deus vester nihil posse manifestatur.* Regina filium
* *al.* Ingomerum. ad baptismum exhibet. Baptizatus autem puer, quem Ingomerem * vocitabant, in albis obiit : qua de causa permotus felle Rex, increpabat Reginam, dicens : *Si in* B *nomine deorum meorum puer fuisset baptisatus* (d), *vixisset.* Regina verò Deo omnipotenti gratias agens, ut de utero suo primogenitum in regno suo acceperit. Post hunc genuit filium, quem Chlodomerem vocitavit : qui cùm baptizatus ægrotare
An. 495. cœpisset, dicebat Rex : *Et iste, sicut frater moritur.* Orante matre, Domino adjuvante, convaluit. Regina tamen assiduè Regem verbis blanditis (e) ad Christi cultum
cap. 30. suadebat.

Ibidem. XXI. Cùmque bellum contra Alamannos Chlodoveus Rex moveret, suadente Regina, vovit, si victoriam obtineret, efficeretur Christianus. Cùmque utræque pha-
An. 496. langes certamina jungerent, et strages ingentes essent, dixit Chlodoveus : *Deum invoco, quem Chrotechildis Regina colit : si me juvaret in hoc prælio, ut vincam hos adversarios meos, ero illi fidelis.* Alamanni terga vertentes in fugam lapsi sunt. Cùmque Regem suum cernerent interemtum, novem annis (f) exsules à sedibus eorum, nec ullam C potuerunt gentem comperire, quæ eis contra Francos auxiliaret, tandem se in ditionem Chlodoveo tradunt. Nam cùm de prælio memorato superiùs Chlodoveus Remis (g) fuisset reversus, clam à sancto Remedio Remensis urbis Episcopo, adtrahente
cap. 31. etiam Chrotechilde Regina, Baptismi gratia cum (h) sex millibus Francorum in Pascha (i) Domini consecratus est. Cùm à sancto Remedio in Albis Evangelii lectio Chlodoveo adnuntiaretur, qualiter Dominus noster Jesus-Christus ad Passionem venerat, dixit Chlodoveus : *Si ego ibidem cum Francis meis fuissem, injuriam ejus vindicassem.* Jam fidem his verbis ostendens, Christianum se verum esse adfirmat.

cap. 32. XXII. Godegiselus frater Gundobadi solatium per legatos Chlodoveo postulat,
An. 500. cùm eum comperisset fortissimum in præliis; promittens (k), si ejecerit Gundobadum D cum suo solatio à regno, tributum partibus Chlodovei dissolveret. Gundobadus ignorans dolum fratris Godegiseli, ad eum misit, dicens : *Veni ut resistamus Francis unanimiter, ut quod aliæ gentes passæ sunt, non perferamus nos.* At ille : *Vadam,* inquit, *et præbeam tibi auxilium.* Clodoveus cum Francis adversùs hos duos Reges castra Divionensi campania (l) direxit ad prælium. Godegiselus Chlodoveo conjungitur, ac uterque exercitus Gundobadi populum adterit. At ille dolum fratris cognoscens terga vertit, Rhodani ripam percurrens, Avenionem urbem ingreditur. Godegiselus obtenta victoria, promissa Chlodoveo ex parte implens, Viennamque triumphans (m). Chlodoveus Rex post Gundobadum dirigit, eumque de civitate extrahi præcepit.

Ibidem. XXIII. Aridius prudentissimus vir cum Gundobado intra castra sedens, ad Gundobadum ait : *Oportet te lenire hujus hominis feritatem. Ego simulans à te fugere, ad eum transibo, ut faciam quod neque te, neque hanc noceat regionem. Quodcumque* E *tibi per meum injunget consilium, faciendum promitte, donec causam tuam Dominus prosperet.*

ciaco et ipsis Trecis, et *Villori*, vicus paullò Trecis remotior, Barro ad Albam propinquus. An *Villa Riaco ?*

(a) Can. *leucas*. Clar. altera manu exponit, *leugas*.

(b) Editi *ad præsentiam Chlodovei.*

(c) Ed. *ut Christianus efficeretur.*

(d) Freh. *nominatus.* In cod. Clar. hæc vox omittitur.

(e) Can. *blandis*. Clar. et Boh. *blandiciis.*

(f) Freh. et Ch. al. *centum quatuor annis.* Locus obscurus quem alii auctores non exponunt.

(g) Clar. *Remus*. Boh. *Remus..... ingressus.*

(h) * Fortè scriptum erat *III. millibus*, unde factum *VI. millibus ;* duobus II. in V. conversis.

(i) Hunc secuti sunt Hincmarus, Flodoardus, etc. alii tamen ex S. Aviti epistola Chlodoveum in Nativitate Domini baptizatum fuisse volunt.

(k) Boh. *promittens se, si..... dissolvere.*

(l) Sic Clar. id est, ni fallor, castra per campos Divionenses direxit etc. vel in Campania Divionensi, sic cap. 25. dicitur campania Voglavensis. Editi habent, *castro Divionense Campaniam direxit, etc.*

(m) Freh. *triumphat.* Can. et Chesn. al. *Avenionemque triumphans, Chlodoveus..... dirigit, qui eum de civitate extrahere possent.*

A XXIV. Aridius valedicens Gundobado ad Chlodoveum perrexit, dicens : *Illum perfidum Gundobadum relinquens, tuæ gloriæ me offero* (a). Benigniter à Chlodoveo recipitur. Eratque jocundus in fabulis, strenuus in consiliis, justus in judicio, et in commisso (b) fidelis. Dixit ad Chlodoveum : *Tua est hæc regio, quare eam vastare permittis? Jube Gundobadum tibi tributa solvendum, et ipsum et regionem dominabis : quod si noluerit, perfice quod cœpisti.* Hæc injuncta à Chlodoveo Gundobadus implere promittens, Chlodoveus rediit in Franciam, relictis cum Godegiselo quinque millibus Francorum. Exiens Gundobadus de Avinione, resumtis viribus, Godegiselum in Vienna circumdat, per aquæductum in civitatem ingrediens Godegiselum interfecit. Francos adgregatos in unam turrem ferro trucidavit, nihilque posteà Chlodoveo reddere disponens. *Ibidem.* *cap.* 33.

B XXV. Igitur Alaricus Rex Gothorum cùm amicitias fraudulenter cum Chlodoveo inisset, quod Chlodoveus discurrente Paterno legatario suo cernens, adversùs Alaricum arma commovet, et in campania Voglavensi, decimo ab urbe Pictava milliario, Alaricum interfecit, et plurima manu Gotthorum trucidata, regnum ejus, à mare Tyrrheno, Ligere fluvio et montibus Pyrenæis usque Oceanum mare, à Chlodoveo occupatum est. Thesauros Alarici à Tholosa auferens secum Parisius duxit, et multis muneribus Ecclesiam sancti Martini et sancti Hilarii ditavit, quorum fultus auxilio hæc cernitur implesse. Cùmque Parisius perrexisset, ibi cathedram regni sui constituit. *cap.* 35. An. 507. *cap.* 37. *cap.* 38.

XXVI. Theudericus ejusdem filius, civitatibus captis circa maritima, jussu patris filius ad eum revertitur. Filius Sigiberti Regis, nomine Chlodericus *, quem cum exercitu in ejus solatio contra Gotthos Chlodoveus habuerat, liciniis (c) C verbis, dum per Scaldem fluvium navigaret, adtractus. Ipse verò patrem suum Sigibertum in Bochonia (d) interfecit dolosè; et ipse à percussoribus Chlodovei interfectus est. Regnum Sigiberti absque ullo prælio cum thesauris Chlodoveus adsumsit. *Ibidem.* *cap.* 40. * *al.* Chlodoveus, *al.* Theodoricus. Circa an. 509.

XXVII. Chararicum Regem parentem suum Chlodoveus interfecit, et regnum suum sibi subdidit. *cap.* 41.

XXVIII. Ragnacharium Regem, atque suum parentem, Chlodoveus dolis interfecit manu propria, et fratrem suum Richarium similiter manu propria jugulavit. Regnum Ragnacharii, qui apud Camaracum sedem habebat, suæ ditioni subjecit. Regnum Chlodovei maximè per totas Gallias dilatatur. Studiosè tractavit, ut nullus de suis parentibus superesset, nisi de suo semine, qui regnaret. *cap.* 42.

D XXIX. Mortuo Chlodoveo, sepultus est in Ecclesia sancti Petri Apostoli, quam suo opere construxerat. Obiit post Voglense (e) bellum anno quinto. Regnum tenuit annis triginta. A transitu sancti Martini usque ad transitum Chlodovei fiunt anni centum duodecim. Chrotechildis Regina ad limina sancti Martini Turonis orationibus et vigiliis pervacabat. *cap.* 43. An. 511.

XXX. Quatuor filii Chlodovei, id est Theudericus, Chlodomeres, Childebertus et Chlotarius, regnum ejus æquo ordine inter se diviserunt. Sortitus est sedem Theudericus Mettis, Chlodomeres Aurelianis, Childebertus Parisius, et Chlotarius Suessionis. Theudericus habebat jam filium, nomine Theudebertum, utilem et strenuum. *lib.* 3. *cap.* 1.

XXXI. Amalricus filius Alarici sororem eorum in matrimonium accepit, per quam E Barcennona à Childerico (f) et Francis occisus est. * *Ibidem.* *cap.* 10.

XXXII. Dani evectu navali Gallias petunt, in regno Theuderici inruunt, à Theudeberto (g) filio Theuderici superantur, omnemque prædam et vitam amiserunt. *cap.* 3. * An. 531. Circa an. 515.

XXXIII. Thoringorum tres fratres regnabant, Badericus *, Ermenfridus, et Bertharius. Ermenfridus Bertharium interfecit, instigante uxore Ermenfridi ne- *cap.* 4. * *al.* Baldericus.

(a) Clar. Boh. et Freh. *expeti*, pro *gloriam tuam expetii*. Frequenter enim casus sextus pro quarto in isto auctore habetur in mss. quod semel monuisse satis sit.

(b) Ches. al. *commissionibus*.

(c) Can. *levis*. Ches. et Freh. al. *lenibus*, *levibus*. Boh. infrà, *navigaret ad tractum*.

(d) Editi *Burconia*, al. *Burgundia*, *Burgunia*, *Burchonia silva*.

(e) Boh. *Voglavense*, al. *Vogladense*.

(f) Legendum, *propter quam Barcinonæ à Childeberto*. [Chron. sancti Benigni, *Barcinona à Childeberto*.] Barcino urbs Episcopalis provinciæ Tarraconensis, hodiernæ Catalauniæ caput. Vide Gregorii locum.

(g) Sic Clar. Boh. et Can. At Freh. et Ches. hîc caput 32. sic inchoant. *Alani a Theudeberto, etc.* Certè in capitum Indice, etiam in Clar. habetur. *De Alanis qualiter in regno, etc.* Nihil verò de Danis, qui fortè iidem sunt : nam solos Danos memorat Gregorius. Boh. pro *Dani evectu*, habet *Alamanni evectu, etc.*

quissima, nomine Amalberga, et Badericum germanum suum cum solatio (a) Theuderici interfecit. Ipse verò à Theudeberto filio Theuderici interfectus est. Regnum Thoringorum Francorum ditioni subactum est. A

Post an 526. *cap.* 5.

An. 516. XXXIV. Gundobadi filius Sigimundus apud Genavensem (b) urbem, villa Quatruvio, jussu patris sublimatur in regnum, habens uxorem filiam Theuderici Regis Italiæ, unde habebat filium, nomine Sigiricum. Eadem mortua aliam duxit uxorem.

An. 522. Filium suum Sigiricum novercæ insidiis jussit interfici : unde posteà fortem pœnitentiam agens, monasterium sanctorum Agaunensium miri operis construxit (c), et alia

cap. 6. plura monasteria ædificavit. Chrotechildis assiduè filios admonebat mortem patris matrisque, vel germanorum suorum ulcisci : quam ob causam illi Burgundias adpetunt, Sigimundum et Godemarem (d) in prælio vincunt. B

Ibidem. An. 523. XXXV. Chlodomeres Sigimundum, dum ad monasterium sanctorum Agaunensium fugeret, captum cum uxore et liberis, Aurelianis adducit. Godemaris terga vertens latuit. Godemaris resumtis viribus regnum Burgundiæ tenet. Chlodomeres iterùm

An. 524. adversùs Godemarem exercitum movet, interfecto Sigimundo cum uxore et liberis.

Ibidem. XXXVI. Prædictum est Chlodomeri ab Avito Abbate, quod fecerat Sigimundo, ipso (e) itinere passurum. Cùmque Veseroncia (f) Franci cum Burgundionibus bellum

An. 524. inissent, Chlodomeres capite truncatur, deceptus ab auxiliis Theuderici, qui filiam Sigimundi habebat uxorem.

Ibidem. XXXVII. Franci verò in ipso prælio resumtis viribus, Burgundionibus Veserontiæ superatis, et ad internecionem perductis, patriam eorum ditioni subjiciunt. Chlotarius uxorem Chlodomeris, nomine (g) Guntiucham, uxorem duxit, filiosque ejus C

* *al.* Guntharium. tres, his nominibus, Theudoaldum, Gunthacharium *, et Chlodoaldum Chrotechildis alebat. Childebertus dolosè Arvernos contra Theudericum invasit. Chlotarius et

cap. 9. Childebertus Burgundias adpetunt; sed Theudericus cum eis adgredi noluit. Childe-

cap. 11. bertus et Chlotarius fugato Godemare Burgundias occupant. Theudericus cum exer-

An. 532. *cap.* 12. *cap.* 14. citu Arvernos vastat. Mundericus, qui se parentem Regi adserebat, regnumque ei deberi dixit, à satellitibus Theuderici occiditur fraude deceptus. Res ejus fisco subjiciuntur.

cap. 15. XXXVIII. Inita pace inter Childebertum et Theudericum cum sacramento, datis obsidibus. Sed celeriùs rumpitur, multique filii Senatorum ob hoc (h) servitio subjiciuntur. Nepos beati Gregorii Lingonicæ urbis Episcopi, Treveris cuidam barbaro serviens, ingenio Leonis cujusdam ex cocis ipsius Episcopi, liberatur et D reducitur.

cap. 18. Circa an. 533. XXXIX. Chrotechildis Regina cum filiis Chlodomeris quos alebat, Parisius residens, eosque unico amore diligens, Childebertus invidia de eis ductus Chlotarium suadet, ut interficerentur. Ex quibus duo, Theodoaldus et Guntharius Chlotarii manu propria interficiuntur. Chlodoaldus ad clericatum tondetur, dignamque vitam gerens transiit; ad cujus sepulcrum Dominus virtutes dignatur ostendere. Theude-

cap. 20. ricus filio suo Theudeberto (i) Wisigardem cujusdam Regis filiam desponsavit.

cap. 22. Theudebertus relinquens Wisigardem, Theotheriam (k) genere Romanam duxit uxorem.

cap. 23. XL. Theudericus vigesimo-tertio (l) anno regni sui moritur, regnumque ejus

An. 534. Theudebertus adsumsit, qui magnum se atque in omni bonitate præcipuum ostendit. E

cap. 25. 26. 27. Theotheria zelans à Theudeberto, filiam suam dolo interfecit. Theudebertus relicta Theotheria, Wisigardem duxit uxorem.

cap. 28. An. 537. XLI. Childebertus et Theudebertus fœdere inito inter se contra Chlotarium movent exercitum. Sed orationibus Chrotechildis ad limina sancti Martini, et divino nutu, grandine et infestatione tonitrui et fulguris veniente, separati sunt.

(a) Boh. Ches. al. Freh. al. et Can. *suum consilio.*

(b) Can. et Ches. al. *Ardegavensem.* Item Ches. al. *Agaunensem.*

(c) Immò jam anteà constructum fuerat, sed illud adauxit, ibique psallentium continuum instituit. Vide Gregorium et notas.

(d) Suprà dicitur *Gotemarus*, hîc in Boh. *Godemarus.*

(e) Aliàs, *ipsum item.* [Chronicon S. Benigni, *ipsum itidem.*]

(f) Ches. et Freh. *Vesontiæ*, et sic infrà. [Chron. S. Benigni, *Veserantia.*] locus est prope Viennam Allobrogum ex Gregorio.

(g) [Chron. S. Benigni, *nomine Gundiocam..... his nominibus, Idoaldum, Guntarium, Clodoaldum.*]

(h) Primò apud Romanos, si fides frangeretur, obsides capite damnabantur, ex Tito-Livio : satis fuit posteà eos in servitutem redigere.

(i) Clar. cum Can. et Freh. *Theudericus filium suum Theudebertum ubi Wisigardem;* et infrà *Romanam duxit.* Inter duas tamen has voces aliquid erat scriptum in Clar. quod detritum est ex industria. [Chron. S. Benigni, *Wisegardam.*]

(k) Ches. al. et Boh. *Deotheriam.*

(l) Sic Clar. et Boh. cum Anonymo auctore de Gestis Franc. et editis, præter Chesn. qui cum Aimoino habet *vigesimo-quarto.*

A Pacem ineuntes ad proprias sedes sunt reversi.

XLII. Post hæc Childebertus et Chlotarius Spanias adpetunt, easque parte maxima depopulati sunt. Amalricum Regem Barcenona interficiunt. Cæsaraugusta civitas orationibus et jejuniis liberatur (a). *cap.* 29. *cap.* 10. An. 531. An. 542.

XLIII. Post Amalricum Theudo (b) regnat in Spaniis : quo interfecto, Theudegiselus regnum adsumit, qui dum ad cœnam lætus sederet, exstinctis cereis à suis occiditur. Cui Agila succedit in regno. Gotthi verò jam olim habent hoc vitium, cùm Rex eis non placet, ab ipsis interficitur. *cap.* 30. An. 531. An. 548. An. 549.

XLIV. Et quia Theudericus Rex Italiæ sororem Chlodovei in matrimonium habuit, ex qua parvulam filiam cum uxore reliquit, cùm mater ei Regis filium sociandum provideret, à servo nomine Tranquillane (c), accipitur. Tranquilla cum exercitu à matre *cap.* 31.

B puellæ capitur et capite truncatur. Accepta filia mater disciplinam ingerens secum duxit. Filia matrem veneno interfecit. Theodatus (d) regnum Theuderici ambivit, et filiam, quæ matri exstiterat parricida, in balneo vehementer succenso jussit includi, ut ibi combureretur. Unde causa compositionis quinquaginta millia solidorum Childeberto, Chlotario et Theudeberto transmissi sunt. Quod Childebertus et Theudebertus inter se dividentes, nihil exinde Chlotario dederunt. Theodato defuncto Totila successit in regnum, quem Narsis Patricius interfecit, regnumque Gotthorum in Italia destructum est (e). An. 534.

XLV. Pòst Theudebertus cum exercitu Italiam ingreditur, eamque per maritimos terminos cunctam depopulatur. Narsis Patricius in fugam versus. Posteà Buccellinus Dux jussu Theudeberti Siciliam occupat, totamque Italiam dominans, magna ei felici- *cap.* 32. An. 539. An. 533.

C tas (f) in his conditionibus fuit.

XLVI. Petitione Desiderati Verdunensis urbis Episcopi Theudebertus clementer octo millia solidos civibus Verdunensibus ad recuperandum dedit. Theudebertus vexatus à febre moritur decimo-quarto regni sui anno. *cap.* 34. *cap.* 36. An. 547.

XLVII. Chrotechildis Regina plena dierum et bonis operibus * moritur ; et in Sacrario (g) basilicæ sancti Petri sepelitur. Chlotarius jubet ad omnes Ecclesias tertiam partem fructuum fisco dissolvere : sed resistente Injurioso Pontifice hoc malum destruitur. Chlotarius de Ingunde Guntharium, Childericum, Aribertum, Guntramnum, Sigibertum et Chlodesindam filiam habuit. De Aregunde (h) sorore Ingundis, Chilpericum ; et de Unsina habuit Chramnum. *Lib.* 4. *cap.* 1. * Circa an. 545. *cap.* 2. *cap.* 3.

XLVIII. Agilane in Spania regnante, cùm esset iniquus suis, exercitus Imperii Spa- *cap.* 8.

D nias ingreditur. Agila interficitur. An. 554.

XLIX. Athanaghildus succedit in regno, qui ab Spania exercitum Imperii expulit. *Ibidem.*

L. Theudebaldus filius Theudeberti Waldetradam (i) duxit uxorem. Erat valde iniquus suis, cujus tempore uvæ in cauco (k) natæ sunt. Stella ex adverso veniens in lunam ingressa est. Buccellinus in Italia apud Belisarium et Narsidem Patricios sæpiùs fortiter dimicans eos in fugam vertit, eorumque exercitus proterit. Tandem infirmatus à profluvio ventris, et exercitus suus eadem infirmitate adtritus *, Belisario jam interfecto, à Narside superatur et interficitur. Ipsoque anno Theudebaldus obiit, regnumque ejus Chlotarius accepit, copulans (l) Waldetradam sibi uxorem. *cap.* 9. * *al.* interiit. An. 553.

(a) Bellum quod contra Wisigottos suscepit Childebertus, simul et aliud, quod post annos undecim adversùs eosdem Childebertus unà et Clotharius gesserunt, in unum permiscet Epitomator. De priori Gregorius lib. 3. cap. 10. de altero ejusdem libri cap. 29.

(b) In indice Clar. et Boh. hîc et in Indice, habent, *Theuthacadus*, Ches. *Theudahadus*.

(c) Chesn. et Freh. *Tranquillianos*. [Chron. sancti Benigni, *Traquilla*,] Can. et Boh. *Traquillane*. Vales. *Trauvillane*. qui censet eum esse Triquillam præpositum domûs Regiæ, de quo Boëthius lib. 1. de Consolatione. Plerique enim tunc nomina in a producebant in *anis*, ut Attilanis, Melanis, etc. *Triwa præpositus cubiculi* dicitur in Excerptis Historiæ ab Henrico Valesio editæ ad calcem Ammiani Marcellini.

(d) Clar. et Boh. *Theothadus*, et infrà *Theuthado*. Ches. al. *Theuhadus*. De his vide notas in Gregor. quibus ea junge quæ de Amalasunthæ cæde habet Procopius in Historia arcana, ubi fatetur se Theodoræ augustæ metu rem in Historia Gotthorum dissimulasse. Hîc autem scribit Theodoram veritam, ne si Amalasuntha, ut ipsa constituerat, Byzantium veniret, Justinianus Imp. se ipsa neglecta illius amore caperetur, Petro legato demandasse, ut eam per Theodatum interfici curaret ; quod paullò pòst factum fuit.

(e) Alia, sed antiqua manu, Clar. *translatum est*.

(f) Ches. al. *infelicitas*. Boh. *magna infelicitas*. [Chron. S. Benigni, *magna felicitas in his omnibus fuit*.] Buccellini in Campaniam adventûs meminit Gregor. M. lib. 1. Dialog. cap. 2.

(g) In Clar. al. manu. additæ sunt litteræ *at*, ut fiat *sacratario*.

(h) Chesn. al. et Freh. al. *Radegunde*, et infrà *Gunsina*. cap. seq. *Aquilane Hispania*. [Chronicon S. Benigni, *de Unxina habuit Chrannum*.]

(i) Ed. et infrà *Valderadam*. al. *Vuldotradam*, *Vuldodradam*.

(k) Freh. *Cauro*. Can. et Ches. al. *Sambuco*. Clar. *in pauco*. Sed prima littera ferè detrita est, et infrà pro *luna* Boh. *limina*.

(l) [Chron. S. Benigni, *Walderatam*.]

cap. 10. LI. Eo anno rebellantibus Saxonibus Chlotarius commoto exercitu maximam A
eorum partem delevit, Thoringiam vastans, quia eis auxiliare præsumserant (a).
cap. 14. Nec multò post tempore denuò Saxonibus rebellantibus, Chlotarius movit adversùs eos exercitum, Saxones offerentes cuncta emendare quæ malè gesserant, et dimidiam partem de omnibus rebus eorum, exceptis uxoribus et liberis, in compositione offerunt. Quod Franci accipere despicientes, eos interficere conantur, Chlotario dicentes : *Non pacificabis cum eis, sed surge, prœliemur et ulciscamur in illis.* Cùm ille nollet, Franci Chlotarium volentes occidere, invitus per-
An. 555. rexit ad prælium, ibique tanta strages à Saxonibus de Francis facta est, ut mirum fuisset.

cap. 16. LII. Childebertus cum Chramno insidias Chlotario parat. Aribertus (b) et Guntram-
An. 556. nus jussu patris cum exercitu contra Chramnum dirigunt, sed divino nutu tempe- B
rante (c), cum gravi coruscatione exorta à prælio separantur. Chramnus cum Childe-
Ibidem. berto pertendit. Saxones factione Childeberti in Francia venientes, usque Diviciam (d) civitatem prædas egerunt. Chramnus cum Childeberto se fortiter constringit. Childe-
cap. 17. bertus Remensem campaniam depopulatus est. Austrapius Dux in basilicam sancti
cap. 18. Martini Chramnum metuens fugit.

cap. 20. LIII. Childebertus Rex apud Parisius obiit, et in basilica sancti Vincentii
An. 558. quam ipse construxerat, sepultus est : cujus thesauros et regnum Chlotarius adsumsit.

Ibidem. LIV. Waldetradam et filias ejus duas in exsilio posuit (e). Chramnus in Britanniam
An. 560. fugit ad Conobrem (f) Comitem Britannorum. Willacharius socer ejus ad Ecclesiam
* *al.* Eccle- sancti Martini confugit. Per ipsum hæc basilica * incendio concrematur. Posteà à C
sia. Chlotario condignè recuperatur, et stanno cooperitur. Chramnus à Chlotario patre suo captus, cum uxore et liberis in Britannia igne concrematur. Conober Comes Britannorum interfectus (g).

cap. 21. LV. Chlotarius pro suis peccatis quæ gesserat, aut negligenter egerat, exoran-
An. 561. dum ad limina beati Martini Confessoris properat. Exinde Compendio villa ve-
cap. 22. niens, quinquagesimo-primo regni sui anno vexatus à febre obiit. Chilpericus occupatis thesauris Chlotarii in villa Brennaco, sedem Childeberti Parisius occupat : sed mox exinde repellitur. Charibertus, Guntramnus, Chilpericus et Sigibertus regnum patris dividunt. Dedit sors Chariberto regnum Childeberti, Parisius sedem habens; Guntramno verò regnum Chlodomeris, sedem habens Aurelianis ; Chilperico regnum Chlotarii patris ejus, cathedram habens Suessiones ; Sigiberto D
cap. 23. quoque regnum Theuderici, sedem habens Mettis (h). Eodem tempore Chuni
An. 562. Gallias appetunt, contra quos Sigibertus movit exercitum, eosque vicit * atque
* *al.* inter- fugavit, posteà cum iis pacem inivit. Chilpericus Remos invadit, et alias civi-
fecit.
An. 564. tates, quæ ad Sigibertum pertinebant, abstulit : unde inter ipsos bellum civile surrexit. Sigibertus Suessiones occupat; Theudobertum filium Chilperici adprehensum in exsilium transmittit : Chilperico victo atque fugato, civitates in suam
* *Boh.* an- dominationem revocat. Post annum * Theudobertum filium Chilperici reddidit, datis
nos. in invicem de pace sacramentis (i). Guntramnus in Burgundia regnans, in locum Agri-
cap. 24. colanis Patricii Celsum instituit, virum in verbis paratum, et in cupiditate promtissimum (k).

cap. 25. LVI. Guntramnus fuit Rex bonus, timens Deum. Accepit primùm concu- E
binam, nomine Venerandam, de qua habuit filium, nomine Gundebadum. Pòst accepit Marchitrudem filiam Magnacharii (l). Quæ postquàm de Guntramno habuisset filium, veneno Gundebadum dolosè interfecit. Ipsa judicio Dei filium quem habebat perdidit, et odium Regis per saginam incurrit. Eadem demissa Aus-
An. 565. trechildem ejusdem ancillam, cognomento Bobilanem, Guntramnus accepit uxorem, de qua duos filios habuit, his nominibus, Chlotarium et Chlodomerem. Ut Marchitrudis dimitteretur, hæc fuit occasio. Mater ejus post mortem Magna-

(a) Boh. *Qui eorum auxilia præsumserant.*
(b) Infrà dicitur *Charibertus.* Clar. habet *Airibertus*, al. *Chairibertus.*
(c) Sic editi Clar. *temperate*, pro *tempestate*, ni fallor.
(d) Can. et Ches. al. *Duuciam*, al. *Deviciam.*
(e) Can. et Boh. hæc præcedenti capitulo jungunt, et meliùs quidem. Legendum porrò *Ultrogottam,* quæ fuerat Childeberti uxor. Vide Gregor.
(f) Ch. al. et Freh. *Cunobertum Regem.* Et infrà pro *Williacharius* Clar. et Boh. *Quillacharius* : quod nomen incautè dividitur in Can. *quia Lacharius.* Et infrà Ches. et Freh. *propter ipsum.*
(g) Sic Editi præter Ches. qui cum Boh. habet *interficitur*, Clar. *interfecto.*
(h) Gregorius *Remis.*
(i) Can. et Ches. *invicem pace et obsidibus cum sacramentis.*
(k) Can. et Ches. al. *civitate prudentissimum.*
(l) Clar. *Magnicharii*, Boh. *Magnichari.*

A charii de vilibus hominibus unum ex nutritis Magnacharii acceperat maritum, quæ instigantibus Guntione et Wiotico (a) filiis, ab eodem mater jussu Guntramni separatur, et ipse puer occiditur. Clamant et filii, negligentes (b) matrem herbariam et meretricem. Hæc occasio filiam ejicit de regno. Charibertus Rex Ingobergam accepit uxorem : qua relicta Merofledem lanarii filiam accepit, et aliam pastoris ovium filiam, nomine Theudechildem duxit uxorem, ex qua habuit filium, sed protinùs moritur. *cap.* 26.

LVII. Porrò Sigibertus cùm videret fratres suos uxores viles accipere, Gogonem causa legationis ad Athanagildum (c) Regem direxit; petens ut ei filiam suam, Brunam nomine, conjugio traderet : quam Athanagildus cum multis thesauris Sigiberto ad matrimonium transmisit. Ad nomen ejus ornandum et augendum est determinatum (d), ut vocaretur Brunechildis : quam cum multa lætitia atque jocunditate Sigibertus *cap.* 27. An. 566.

B accepit uxorem.

LVIII. Ante hæc in infantia Sigiberti omnes Austrasii, cùm eligerent Chrodinum (e) Majorem-domûs, eò quòd esset in cunctis strenuus, et timens Deum, patientia imbutus, nec quicquam aliud, nisi quòd Deo et hominibus placeret, in eo inveniretur, ille hunc honorem respuens, dicebat : *Pacem ego in Auster* (f) *facere non valeo, maximè cùm omnes Primates cum liberis in toto Auster mihi consanguinei sint; non possum ex eis facere disciplinam, nec quempiam interficere. Ipsi verò per me insurgent, ut agant superstitiosè. Eorum acta non permittat Deus, ut me in inferni claustra tradant. Eligite alium quem vultis ex vobis.*

LIX. At illi cùm non invenirent, tunc Chrodini consilio nutritum suum, memoratum superiùs, Gogonem Majorem-domûs eligunt. In crastino primus ad ejus mansionem perrexit Chrodinus ad ministerium, bracile (g) Gogoni in collo tenens. Quod

C reliqui cernentes, ejusdem sequuntur exemplum. Prosperum hoc Gogoni ad gubernandum fuit, quoadusque Brunichildem de Spania adduxit. Quem Brunichildis continuò apud Sigibertum fecit odiosum, ipsumque, suo instigante consilio, Sigibertus interfecit (h). Tanta mala et effusiones sanguinum à Brunichildis consilio in Francia facta sunt, ut Prophetia Sibyllæ impleretur, dicens : *Veniet Bruna de partibus Spaniæ, ante cujus conspectum multæ gentes peribunt.* Hæc verò equitum * calcibus disrumpitur (i). * *i.* equorum.

LX. Chilpericus Gachilosoindam (k) sororem Brunichildis habuit uxorem, relinquens Fredegundem et alias quas habebat uxores. Posteà transscendens sacramentum, quod Gotthorum legatis dederat, ne umquam Gachilosoindam de culmine regni degradaret, ipsamque suggillare fecit. Post cujus transitum Fredegundem denuò accepit uxorem. Reputantes ei fratres ejus, quòd suo ingenio Gachilosoinda fuerit interemta, *cap.* 28. An. 567.

D eum de regno ejiciunt. Habebat Chilpericus de priore Regina Audovera tres filios, Theudobertum, Meroveum et Chlodoveum.

LXI. Chuni * in Gallias venire conatur, adversùs quos Sigibertus cum magno adgreditur exercitu. Chuni magicis artibus instructi, multis phantasiis ostensis exercitui Sigiberti metum concutiunt; terga vertunt. Sigibertus à Chunis circumdatur, sed sua prudentia dona offerens liberatur, nec ei quicquam hæc con- *cap.* 29. * *al.* Huni. An. 566.

(a) Clar. *Cinccione et Wiolico.* Can. *Cumtione et Vivolico*, al. *Conventione.* Ches. al. *Uncione et Vivolico.* Boh. *Quintiono et Vinotico.*

(b) Clar. et Can. *Clamantes filii negligenter.* Freh. *Clamantibus filiis negligenter.* Herbaria dicitur, quæ ex herbis seu potionibus maleficia conficit.

(c) Clar. et alii præter Chesn. *Anagildum*, et sic infrà, at cap. 63. legitur *Athanagildo.* [Chron. S. Benigni, *Drogonem..... ad Anagildum.*]

(d) Cod. Clar. et Boh. *ornandum, est auctum ut vocaretur.* [Ita Chron. S. Ben.] Boh. *Brunechildes.*

(e) De Chrodino vide Gregor. lib. 6. cap. 20.

(f) Cùm hæ voces *Auster, Neuster,* etc. frequenter in Fredegario, ejusque Continuatoribus occurrant, observare convenit Francorum imperium sub Chlodovei filiis et nepotibus in diversas partes seu regna sæpiùs divisum fuisse. Celebrior divisio, quæ usque ad primæ stirpis finem perseveravit, tria in regna Franciam partiebatur; in Burgundiam scilicet, sic dictam quòd eam Galliarum partem, quæ Burgundionibus paruerat, sub se integram complecteretur : Franciam-Orientalem, et Franciam-Occidentalem, quas idiomate Theutonico *Ooster-rüch*, et *Wester-rüch*, id est Orientale regnum et Occidentale regnum appellabant. Francia Orientalis posteà *Auster* seu *Austria*, ac demum *Austrasia*; Occidentalis verò *Wester*, tum nescio qua occasione, *Neuvester*, id est *Nova-Vestria, Neptricum, Neptria, Neustria*, ac tandem *Neustrasia* dicta fuit. Porrò licèt aliquot Franciæ urbes et regiones constanter in Austrasia, aliquot aliæ in Neustria semper fuerint; nonnullæ tamen fuerunt, quæ variis temporibus ad varia regna pertinuere : quod maximè observandum est in legendis istorum temporum monumentis.

(g) Can. al. *Bracibe.* Aimoin. lib. 3. cap. 4. *Brachium ejus collo superponens suo, signum futuræ dominationis dedit.*

(h) Idem scribit Aimoinus lib. 3. cap. 4. quod tamen falsum videtur ex Gregorii lib. 6. cap. 1.

(i) Sigibertus in Chronico legit : *Veniet Bruma etc.* quæ fortasse lectio ceteris est præferenda, licèt nullum Fredegarii codicem invenerimus, qui eam habeat. [Chron. S. Benigni, *disrumpetur.*] De hujus supplicio vide Chronici cap. 41. infrà; et Appendicem ad Marii Chronicon : locum integrum [suprà retulimus pag. 19.]

(k) Ed. *Gachilisindam*, al. *Galsontam*, seu *Valsontam.* [Chron. S. Benigni, *Gachilisindam.*]

ditio fecit opprobrium. Pacem sempiternam cum Chunis firmavit, et à Rege Chunorum condignis muneribus honoratur. A

cap. 30. An. 566. LXII. Sigibertus præcepit Arvernis civibus Arelatem occupare. Jubente Guntramno à Celso Patricio Arverni Arelate trucidati sunt.

cap. 38. *al.* 32. An. 567. LXIII. Atanagildo Rege in Spania defuncto, Leuva cum Leuvildo fratre regnum adsumunt. Moritur Leuva, tum Leuvildus in integrum Spaniæ regnum tenet, habens Gadsuindam (a) matrem Brunechildis uxorem.

cap. 39. *al.* 33. An. 565. LXIV. Eodem tempore, defuncto Constantinopoli Justiniano Imperatore, Justinus ambivit (b) Imperium, vir iniquus et cupidus, ad quem Sigibertus legatos, Warnacharium (c) Francum, et Firminum Comitem direxit, qui pace cum Imperatore firmata (d), qua facta, secundo anno sunt reversi. B

LXV. Langobardorum gens, priusquàm hoc nomen adsumeret, exientes de Schatanavia (e), quæ est inter Danubium et mare Oceanum, cum uxoribus et liberis Danubium transmeant. Cùm à Chunis Danubium transeuntes fuissent comperti, eis bellum conati sunt (f) inferre; interrogati à Chunis, quare gens eorum terminos introire præsumeret? At illi mulieribus suis præcipiunt comam capitis ad maxillas et mentum ligare, quo potiùs virorum habitum simulantes plurimam multitudinem hostium ostenderent, eò quòd erant mulierum comæ circa maxillas et mentum ad instar barbæ valdè longæ. Fertur desuper utræque phalangæ vox dixisse : *Hi sunt Langobardi :* quod ab his gentibus fertur eorum deum fuisse locutum, quem fanatici nominant Wodanum (g). Tunc Langobardi cùm clamassent, qui instituerat nomen, concederet victoriam; in hoc prælio Chunos superant, partem Pannoniæ invadunt. Nec multo pòst tempore Narsis Patricius minis Justini Imperatoris, ejusque Augustæ Sophiæ perterritus, eò quòd Augusta ei adparatum ex auro C factum muliebre, eò quòd eunuchus erat, cum quo filaret, direxit; et pensilarios (h) regeret, non populos. At ille respondet : *Filum filabo, de quo Justinus Imperator nec Augusta ad caput venire non possent.* Tunc Langobardos à Pannoniis invitans, cum Alboëno Rege Italiam introduxit. Alboënus Chlodesindam Chlotarii Regis filiam habuit uxorem : qua defuncta aliam duxit conjugem, cujus patrem interfecerat.

An. 568. *cap.* 41. *al.* 35.

An. 574. LXVI. Ipse verò ejusdem mulieris fraude veneno periit. Ipsaque posteà cum aliquo Langobardo, apud quem Ravennam fugaciter de civitate Verona, ubi virum occiderat, adgrediebat, pariter in itinere adprehensi (i) et interfecti sunt.

cap. 42. *al.* 36. * *al.* Calip. LXVII. Langobardi Regem, nomine Clip *, super se eligunt. Prorumpentibus Langobardis in Gallias, Amatus Patricius ab ipsis interficitur, et à (k) Burgundionibus multæ ibidem strages factæ sunt. Post Amatum Mummolus patriciatum D adsumsit.

cap. 43. *al.* 37. An. 572. LXVIII. Inruentibus iterùm Langobardis in Gallias, cum quibus Mummolus fortiter dimicavit, et usque ad internecionem oppressit : pauci ex eisdem Italiam repedantur. Saxones, quos Theudebertus in Italiam miserat, in Gallias prorumpunt, apud Stuplonem (l) castra ponentes, multæ strages per vicina loca ab ipsis perpetrantur, qui à Mummolo superantur, et in Italiam fugaciter revertuntur, amissis omnibus quæ prædaverant. Saxones iterùm cum uxoribus et liberis in Gallias (m) destinant, ut à Sigiberto Rege recepti, in locum unde exierunt redirent. Venientes in territorium Avennicum, Mummolus protinùs obviam veniens eis, Rhodanum transire non permittebat. Posteà acceptis muneribus transire eos per-

(a) Boh. sicut et infrà cap. 83. *Geresuindam*, alii *Gaisuindam*. [Chron. S. Benigni *Gadundam*.]

(b) Al. *habuit*. Et infrà *Warmarium*, seu *Warmacharium*. [Chronic. sancti Benigni *Warnacharium*.]

(c) Aliàs *Warmarium*.

(d) Editi, *pacem firmarent*. [Chron. S. Benigni *pacem..... facerent*.]

(e) Can. *Schandavia*, al. *Scathanagia*. Paulus Diac. lib. 1. de Gestis Langob. Scandinaviam appellat cap. 2. ubi dicitur insula non tam in mari posita, quàm marinis fluctibus ob marginum planitiem terras ambientibus circumfusa : dicta est etiam Baltia, ubi hodie sunt regna Sueciæ et Norvegiæ. Vide Ortelium.

(f) Can. *conantur*. Clar. et Freh. *conarint*. Boh. *conarunt* pro conarentur.

(g) Can. al. *Wisodano*. Is est Romanorum Mercurius, teste Paulo Diacono, qui plura de his et Langobardorum origine et progressu habet lib. 1. cap. 8. et sequentibus, quem si lubet consule.

(h) Id est effeminatos, qui ut mulieres nendo occuparentur. Pensum quippe est manipulus lanæ aut cannabis, qui ex colo pendet et fuso trahitur. Ex hac item voce dicitur aliquis pensum suum absolvisse, qui rem sibi commissam confecit. De hoc Narsetis facinore vide Paulum Diacon. lib. 2. de Gestis Langob. cap. 5. quod fabulosum arbitratur Valesius lib. 9. rerum Franc. tomo 2. pag. 36.

(i) Chesn. et Freh. *pariter interiit. Nam ibi adprehensi*.

(k) [Chron. S. Benigni, *de Burgundionibus*.]

(l) Alii *Stipholonem*. Boh. *Staplonem*. Vide Gregorium.

(m) [Chron. S. Benig. *in Gallias properant*. Infrà *Turonos cum Pictavis*.]

misit. Ad Sigibertum (a) pergentes in loco, unde priùs egressi fuerant, sunt stabiliti. Posteà defuncto Clip, Langobardorum Duces Chamo, Zaban et Rodanus Gallias inruperunt. Quibus obviàm Mummolus cum exercitu venit, et hos tres Duces cum eorum exercitu usque ad internecionem delevit. In alio anno Mummolus cum exercitu Turonus ac Pictavis, jubente Guntramno, de potestate Chilperici abstulit, et ad partem Sigiberti restituit. Multi ibidem de exercitu Chilperici, et ipsis Pictavensibus (b) sunt gladio trucidati. Taloardus et Muccio (c) Duces Langobardorum per ostiola in Sidonense (d) territorium cum exercitu sunt ingressi, ad monasterium sanctorum Agaunensium nimiam facientes stragem. Baccis villa (e), nec procul ab ipso monasterio, Duces et eorum exercitus à Wiolico et Theudefredo Ducibus Guntramni sunt interfecti. Quadraginta (f) tantùm ex illis fugaciter in Italiam remeant.

cap. 45. *al.* 39.

An. 576.

cap. 46. *al.* 40.

B LXIX. Chlodoveus filius Chilperici Burdegalem pervadit, à Sigulfo Duce superatus, fugaciter (g) ad patrem redit.

cap. 48. *al.* 42.

An. 573.

LXX. Chilpericus Pictavos et Turonos de regno Sigiberti pervasit; et Sigulfum Ducem fuga vertit, suumque exercitum prostravit. Chilpericus civitates eas quas pervaserat, Sigiberto reddidit. Post annum Chilpericus cum multo exercitu regnum Sigiberti ingreditur; sed intercurrentibus legatis pacificati sunt.

Ibid.

An. 574.

LXXI. Posteà unà inientes consilium, ambo moverunt exercitum, volentes Guntramnum interficere, regnumque ejus adsumere. Sigibertus cum exercitu Arciaca (h) resedens, Chilpericus Duodecim-pontes. Audiens hæc Guntramnus exercitum velociter movet, veniensque villa Veriaco (i), intercurrentibus legatis, hii tres germani Sigibertus, Guntramnus et Chilpericus Trecas junxerunt, et in Ecclesia sancti Lupi sacramenta contra Guntramnum, ut pacem servarent, dede-
C runt. Guntramnus idemque cum eis pacem sacramentis firmavit. Redientes ad castra Austrasii, adversùs Sigibertum rumorem levant, dicentes : *Sicut promisisti da nobis ubi rebus ditemur, aut præliemur : alioquin ad patriam non revertimur.* Ille volens (k), compulsus à suis, super Guntramnum ire, Austrasii valde consiliosè (l) dicunt ad eum : *Sacramentis pacem cum Guntramno firmasti, quo pacto possumus super eum inruere?* Unanimiter exclamantes se super Chilpericum velle ire, protinùs moventes inruunt super Chilpericum : jam ejus exercitus ad propria festinans longè aberat. Cùm hæc cognovisset Chilpericus, terga vertens Thornua (m) pervenit. Sigibertus post tergum ejus Parisius venit, ibique sanctissimum ac beatissimum Germanum Parisiorum urbis Episcopum cùm Sigibertus vidisset, hæc ab eodem verba prophetiæ audivit : *Si germanum tuum ita persequere cogitas, ut eum interficere disponas, et regnum suum auferre, scriptum est : Foveam quam fratri tuo pa-*
D *rabis, in eam cadebis.* Cujus castigationi nolens annuere, cogitabat optata perficere. Cùmque Victoriaco accessisset, omnes Neustrasiæ (n) ad eum venientes se suæ ditioni subjecerunt. Ansoaldus tantùm cum Chilperico remansit. Fredegundis duobus pueris dolo transmissis, Sigibertum interficiunt, et ipsi interfecti sunt. Resumtis viribus Chilpericus suumque regnum recepit.

An. 575.

cap. 51. *al.* 45.

cap. 52. *al.* 46.

Prov. 26. 27.

LXXII. Brunechildis cum filio suo Childeberto Parisius sub custodia tenebatur; sed factione Gundoaldi Ducis Childebertus in pera * positus, per fenestram (o) à puero acceptus est, et ipse puer singulus eum Mettis exhibuit, ibique à Gundoaldo vel Austrasiis in regno patris sublimatur. Brunechildis jussu Chilperici exsilio Rothomo (p) retruditur. In eo anno per cœlum fulgor discurrisse visus est. Sigibertus in Ecclesia sancti Medardi sepultus est, ætate quadragenarius, decimoquarto regni sui anno.

Lib. 5. *c.* 1. * *al.* sporta.

Lib. 4. *c.* 52. *al.* 46.

(a) Aliàs *à Sigiberto.*

(b) Alii *et ipsi Pictavenses.* [Ita Chron. S. Ben.]

(c) Editi *Nuntio.* Chesn. *Thaloardus.* [Chronic. S. Benig. *et Uncio..... per Hoscola in Sedunensi territorio.* Infrà, *à Violico et Theodorico.*]

(d) Id est Sedunense. Sedunum urbs est episcopalis illarum partium suo Episcopo, Rhætis confœderato, subjecta, vulgò *Sion* dicta.

(e) Locus vulgò *Bex* dictus, haud procul ab Agauno monasterio positus. Hanc cladem refert Marius ad an. 574.

(f) Freh. et Can. al. mendosè, *quadraginta millia.*

(g) Alii *superatus et fugatus.*

(h) Vicus est quinque leucis ab urbe Trecis versus Boream distans, Albæ fluvio impositus, inde dictus, *Arcy sur Aube.* Duodecim Pontes oppidulum olim pontium numero sic dictum, nunc Pontes-Sequanæ, *Pons sur Seine*, simpliciter appellatur. De hoc loco vide Vales. in Notitia Galliarum.

(i) An Villariacum, de quo suprà cap. 19.

(k) Freh. et Chesn. *Ille nolens.*

(l) Canis. *insidiosè.*

(m) Canis. *Turonos :* sed legendum est *Tornacum,* quò se Chilpericus recepit ex Gregorio. [Chronic. S. Ben. *Tornacum.*]

(n) Chesn. et Freh. *Neustrasii.* [Chron. S. Benigni, *Nephrasii.*]

(o) Chron. S. Ben. *per fenestram demissus à puero, Metis solus exhibitus est.* Infrà, *Rotomago truditur.*]

(p) Chesn. et Freh. *Rothomerem.* Canis. *Rotomagi.* et Chesn. al. *Ratomum.* Lectio Clar. et Boh. quam

Ibid. LXXIII. A transitu Theudeberti senioris usque ad exitum Sigiberti anni xxix. (a) A

A principio usque ad diluvium anni II. millia CCXLII.

A diluvio usque ad Abraham anni DCCCXLII.

Ab Abraham usque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto anni CCCCLXII.

Ab egressu filiorum Israel ex Ægypto ad ædificationem templi Salomonis anni CCCCLXXX. (b)

Ab ædificatione verò templi usque ad dissolutionem (c) ejus, et transmigrationem Babyloniæ anni CCCLXX. (d)

A transmigratione Babyloniæ usque ad Passionem Domini anni DCXLVIII. (e)

A Passione Domini usque ad transitum sancti Martini anni CCCCXII. B

A transitu sancti Martini usque ad transitum Chlodovei Regis anni CXII.

A transitu Chlodovei Regis usque ad transitum Theudeberti anni XXXVII. (f)

A transitu Theudeberti usque ad exitum Sigiberti anni XXIX.

Quod sunt simul anni V. millia DCCLXXIV.

Lib. 5. *c.* 2. An. 576. LXXIV. Chilpericus filium suum Meroveum Pictavis cum exercitu direxit, et exinde revertens Rothomum accessit, et Brunichildem in conjugium accepit. Protinùs Chilpericus ipsum de ea separavit. Campanenses Sexsionas (g) pervaserunt. Chilpericus cum *cap.* 3. exercitu contra eos invaluit, Sexsionas recepit. Filium suum Meroveum honus in cleri- *cap.* 14. catu tonsurare fecit, et Presbyter ordinatur (h). Roccolenum Ducem, Guntramnum itemque Ducem persequendum Toronos transmisit. Roccolenus ab infirmitate vexatus *cap.* 4. nihil ibidem prævaluit. C

cap. 8. LXXV. Eo tempore sanctus Germanus Parisiorum Episcopus transmigravit ad Dominum. Chilpericus filium suum Chlodoveum Toronus * transmisit, qui et ultra Ligerem civitates Childeberti pervaderet. Mummolus Patricius Guntramni contra Chlodoveum et Desiderium Ducem Chilperici bellum gessit, eosque superavit. Cæsa à * Mummoli exercitu quinque millia, à Desiderio verò viginti millia.

* *i.* Turonos.

cap. 13.

* *id. est* ex.

cap. 15. An. 577. LXXVI. Inter Suevos et Saxones bellum surrexit. Cæsi sunt à Saxonibus viginti millia, et sex millia tantùm ex eis remanserunt. Suevorum quoque sex (i) millia quadringinti octoginta et octo prostrati sunt. Reliqui verò victoriam obtinuerunt. Saxones devoverunt, ut nec pilum, nec barbam inciderent, priusquàm hanc injuriam ulciscerentur : sed mentita est eorum iracundia.

cap. 16. LXXVII. Britannis Magliavus et Bodecus illo tempore Comites erant, amicitiam cum D sacramentis invicem inientes. Mortuo Bodico Magliavus filium ejus, nomine Theuderi- cum, de regno expulit. Sed tandem resumtis viribus Theudericus Magliavum cum filio Jacob interfecit, regnumque patris recepit. Warochus Magliavi filius in patris loco *cap.* 17. Comes efficitur. Guntramnus Rex duos Magnacharii filios gladio interemit, instigante Austrechilde Regina, facultates eorum fisco redegit. Filii Guntramni duo continuò mortui sunt.

cap. 18. LXXVIII. Guntramnus Childebertum filium Sigiberti adoptavit in filium. Chilpe- *cap.* 19. ricus Prætextatum Rothomensem Episcopum in exsilium trudit, reputans ei quòd consilio Brunechildis usus contra Chilpericum tractarit : quod veritate subsistebat. * *i.* Turonis. Meroveus iterùm laïcus efficitur, de Thoronus * fugiens per Autisiodero Divionem venit, *cap.* 14. in Remensem Campaniam peraccessit, à Taravannensibus circumventus est, et in qua- E

* *al.* Gauleno. dam villa concluditur à Gaileno * familiare suo. Ipsoque rogante, Meroveus cultro interfectus est. Gailenus manibus et pedibus, naribus et auribus truncatus, turpiter vitam finivit.

cap. 20. LXXIX. Eodem tempore Justinus Imperator amens effectus est. Sophia ejus Augusta cum Tiberio Cæsare regebat Imperium. Tiberius largissimus in eleemosynis fuit. Sed cùm à Sophia argueretur, ut thesaurum non vastaret, in medio Palatii cruce in lapide reperta, jubet Tiberius ipsum lapidem levare. Desubter (k) in alio lapide duæ cruces repertæ sunt, levatoque et ipso inventa sunt subter ipsum mille centenaria (l) auri : quod largiter divino amore Tiberius pauperibus erogavit.

sequimur, optima. Veteres quippe *Rodomum* aut *Rotomum*, *Rouen* dicebant.

(a) Can. al. XIX.

(b) Nullus hîc est numerus in Canis.

(c) Boh. et Can. *desolationem*, Freh. *dissolationem*.

(d) Ches. CCCLXX. Canis. CCCL. Clar. et Freh. CCCLXL. id est CCCXC.

(e) Chesn. DCXLVII.

(f) Chesn. XXVII.

(g) Id est *Suessionas*.

(h) Chesn. *Meroveum in Clericum tondere fecit, et Presbyterum ordinari*.

(i) Chesn. et Freh. *quinque*.

(k) Editi *desuper*.

(l) Can. et Chesn. al. *centenarii*. Chesn. *centum talenta*.

A LXXX. Defuncto Narside, prodente aliquo senece (a), cui Narsis credide- *Ibid.*
rat, thesaurum ejus Tiberius absconditum sub terra invenit, nimiam multitudinem ponderum auri et argenti, seu et lapides pretiosos. Quod idemque largiter Tiberius in alimoniis distribuit pauperum. Samson filius Chilperici moritur, quem Chilpericus ni- *cap.* 23.
miùm luxit. Eo anno stella in medio lunæ fulgens visa est. Gunthramnus-Boso, relictis *cap.* 24.
filiabus suis in Ecclesia sancti Hilarii, ad Childebertum transiit. *cap.* 25.

Anno quoque tertio Childeberti Regis, qui erat Chilperici et Gunthramni sep- *cap.* 26.
timus-decimus (b), Gunthramnus-Boso filias suas à Pectavo auferre vellens, An. 578.
Dracolenus super eum inruit. Multa munera à Gunthramno Dracoleno offeruntur; sed Dracolenus, ut erat elatus, dicit : *Funiculum, unde alios ligare soleo, paratum habeo, ubi et Gunthramnus hodie ligatur.* Cùmque fuisset prælium cœptum,
B Gunthramnus invocato nomine Domini, et virtute sancti Martini, levato conto Dracolenum mactat in faucibus, suspensumque de equo, mortuum in terram projecit : feliciter posteà, quod cœpit, explevit. Post hæc Pictavi, Bagassimi, Cenomani *cap.* 27.
(c) et Andegavi cum aliis multis in Britanniam contra Warocum exercitum movent, super quos Warocus per noctem ruens, nimiam stragem de Saxonibus-Baigassinis fecit.

Anno quarto Childeberti, qui fuit decimus-octavus Guntramni et Chilperici, Salo- *cap.* 28.
nius et Sagittarius Episcopi Cabilonno ab Episcopatu degradantur. Chilpericus des- An. 579.
criptiones gravissimas in omni populo regni sui fieri jussit Marcus referendarius, qui *cap.* 29.
hanc descriptionem faciebat, secum omnes polepticos ferens, Kalendas Martias à Limodicinis interfectus est (d) ; et omnes poleptici incendiis sunt concremati. Dum hæc
C agerentur, Justinus Imperator decimo-octavo anno regni sui cum amentia, quam in- *cap.* 31.
currerat, vitam finivit.

LXXXI. Tiberius arripuit Imperium. Sophia Augusta immemor promissionis suæ, *Ibid.*
adversùs Tiberium insidias moliebatur : Justinianum nepotem Justini in Imperium voluit sublimare. Quod Tiberius cernens, adprehensam Sophia, exspoliatam thesauris, segregatis ab ea pueris, in custodiam jussit retrudi. Justinianum objurgatum, tanto in posterum amore dilexit, ut filio ejus filiam suam promitteret, filiumque suum filiæ suæ expeteret (e) : sed non est sortita effectum res. Exercitus ejus Persas debellavit, victorque regressus tanta mole prædam detulit, ut crederetur cupiditati humanæ posse sufficere : viginti elefanti exinde adducti sunt.

LXXXII. Eodem tempore anno quinto Childeberti Regis, tantæ lues per uni- *cap.* 34.
D versam regionem factæ sunt, ut nimiùm mirum fuisset. Universa flumina terminos, An. 580.
quos numquam excesserant, præterierunt : de pecoribus excidium, grande ædificiis naufragium. Sed cessantibus pluviis arbores denuò floruerunt. Erat mensis September. Fulgor per cœlum cucurrisse visus est : sonus quasi deruentium arborum in totam terram auditus est. Urbs Burdegalensis terræ motu concussa est. De Pyrenæis montibus immensi lapides sunt evulsi, qui pecora et homines prostraverunt. Vicus Burdegalensis, incendio divinitus exorto, multos exussit, subitò comprehendens, domus et areæ (f) cum annonis incendio concremantur, nulla incitamenta habens ignis ; sed forsitan jussio divina fuit. Aureliana civitas ab hoc incendio *cap.* 35.
vastata est. Apud terminum Carnotenum de effracto pane sanguis fluxit. Sed hæc prodigia gravissima lues est subsecuta, et discordia Regum. Iterùm bellum civile parantibus, dysentericus (g) morbus totas Gallias præoccupavit. His diebus Au- *cap.* 36.
strechildis Guntramni Principis Regina ab hoc morbo consumta est, medicos ad Guntramnum accusans (h), jussu Guntramni medici diversis pœnis adfecti migrant à sæculo. Eo anno magna in Spaniis Christianorum persecutio fuit, instigante *cap.* 39.
Goæsinda, quam post Athanagildum Regem Rex Leubildus (i) acceperat, de

(a) Sic Clar. ubi ex nomine senex sextus casus efficitur *senece*, pro sene. Boh. *senice*. Editi mendosè habent *prudente alloquio Senecæ*, vel *Senicæ*.

(b) Chesn. et Freh. *decimus-sextus*, mendosè.

(c) Can. et Freh. *Bagassinitæ*, et infrà *Baigassini*, ut et Clar. sed legendum *Bajocassini* ex Gregorio, quem vide. Iidem editi, *Romani*, Clar. *Teromanni*. Boh. *Bagassinitæ*, *Rotmanni*. Infrà Chesn. *Baicassinis*, al. *Bagasinis*.

(d) Mortem evasit ex Gregorio, qui de eo ad an. 580. et ejus mortem refert ad an. 9. Childeberti, lib. 6. cap. 28.

(e) Can. et Chesn. *ejusque filium suæ filiæ*. Freh. *ejusque filio suo filiam suam :* legendum ut apud Gregorium, *ejusque filiam suo filio expeteret.*

(f) Can. *horrea*. Chesn. et Freh. *orto flammatus multos..... et areas cum annonis incendium concremavit.* Boh. *domos et arvis..... incendio concremantur.*

(g) Clar. et Can. *besentericus ;* et sic infrà.

(h) Chesn. *medicis ad Guntramnum accusatis.* Can. *medici..... accusati.* Can. et Freh. laudant aliam lectionem ubi, *medicus Guntramnum Christianos in hoc accusans, jussu etc.* Editi omnes infrà habent *migrant ad cœlum.*

(i) Sic semper Clar. alii *Leuvildus*, *Leupildus*. Idem est qui aliàs Leuvieldus, seu Leuvigildus appellatur. Sic et ejus filius aliis est *Ermenchildus,* ut sæpiùs infrà, aliis *Hermenegildus etc.*

alia uxore duos filios habens. Ex quibus unus, Ehermengildus nomine, filiam Sigi- A
berti, nomine Sedegundem (a) accepit uxorem.

cap. 39. LXXXIII. Quæ cum magnis thesauris et apparatibus in Spaniam est directa; et ab avia Goæsinda benigniter recepta, quæ posteà à Goæsinda adficitur. Sed cum nullatenùs aviæ iniquo consilio consensisset, in una civitatum (b) cum virò habitandum constituitur. Protinùs maritum prædicans, ad Christi cultum convertit, baptizatusque effectus (c) est Christianus. Quem pater Leubildus insequens, et vellens occidere, tandem ejus insecutione filius est interfectus, per quem data est occasio. Post mortem Mirionis Regis Galliciæ, filio ejus Eurico, et genero, nomine Audegane, de regno certantibus, à Leubildo Suevi et omnes Galliciæ (d) potestati Gotthorum subjiciuntur.

cap. 35. LXXXIV. Igitur Chilpericus (e) tres filios suos, jam adultos, ab infirmitate dysente-
cap. 40. riæ uno anno perdidit, quos de Fredegunde habebat. Restiterat adhuc Chlodoveus B
filius ejus, quem posteà, instigante Fredegunde, vinctum in custodiam retrusit, ibique factione Fredegundæ cultro percussus obiit.

Lib. 6. *cap.* 1. An. 581. *cap.* 2. LXXXV. Post hæc Mummolus Patricius regno Guntramni fuga dilabitur: Avennionem (f) castrum suæ defensioni expetiit. Legati Chilperici, qui ad Tiberium Imperatorem accesserant, ab eodem illo tempore reverteruntur * continuò.

* *al.* removentur. LXXXVI. Childebertus relicta Guntramni pace, se cum Chilperico, ut regnum ejus pariter auferrent, conjunxit: promittens Chilpericus, dum sine filiis erat,
cap. 1. ut Childebertum regni sui relinqueret heredem: sed more solito mendax apparuit.
cap. 3. Lupus Dux Campanensis ab Ursione et Bertefredo ab exercitu internecione perse-
cap. 4. quitur; sed Brunechilde intercedente liberatur, præsidiumque ejus à suprascriptis tralatum est (g).

cap. 6. LXXXVII. Fuit illo tempore reclausus Hospicius apud Nicensem urbem, qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, desuper cilicio, nihil aliud quàm purum pa- C
nem et paucos dactylos comedebat, in Quadragesima radices herbarum. Qui dum conversaretur in corpore, multæ virtutes, præstante Domino, per eumdem ostensæ
cap. 12. sunt. Chilpericus Desiderium Ducem ad pervadendum Petrocoregum et Agennum cum exercitu dirigit: qui fugato Ragnoaldo Duce, has civitates pervasit, ejusque uxorem
Ibid. cunctis rebus exspoliavit. Baudastis (h) Dux in Wasconia obiit, maximamque partem exercitûs sui amisit.

cap. 14. An. 582. Anno igitur septimo Childeberti Regis, qui erat Chilperici et Guntramni vige-
simus-primus (i), stella cometes apparuit in die sanctæ Paschæ. Apud Sexsionas civitatem cœlum ardere visum est. In Parisiaco verò sanguis denuò fluxit, et super
cap. 18. vestimenta multorum hominum cecidit. Valitudines variæ, et mortalitas magna eo anno in populo fuit. Igitur legati Chilperici, Ansoaldus et Domegiselus, qui ad conspiciendam dotem in Spaniam fuerant missi, sunt regressi his diebus. Leubildus Rex contra Ermenchildum filium suum in exercitu resedebat: tunc filium suum D
cap. 43. interfecit, ejusque mulierem à Græcis liberare non potuit, se usque in mortem illuc permansit.

cap. 20. LXXXVIII. Eo anno Rodinus (k) Dux moritur, vir eleemosynarius, et bonitate plenissimus, justus in cunctis, piissimus in pauperibus: qui dum quadam vice, ut consueverat, mortuum sepelire præcepisset, et ad quoddam monumentum cum cultris pueri fossam facerent, levato lapide invenit miræ magnitudinis thesaurum, et solidorum multitudinem. Hunc sibi proprium verum censuit (l), quem sine intermissione fideliter pauperibus erogavit. Æquanimiter ea fide reddidit hunc ei thesaurum, à quo
cap. 21. acceperat. Multa signa et prodigia eo anno in cœlo sunt visa. Chilperico filius denuò
cap. 23. nascitur, jubet omnes carceratos laxare.

(a) Sic mss. et editi, unde apparet has voces *sed Ingundis* ex Greg. ab Epitomatore pro unica fuisse assumtas.

(b) Chesn. et Freh. *in unam civitatem.* Can. *in una civitate.*

(c) Sic Can. Alii verò, *cultum baptizatus*, *effectus.*

(d) Chesn. et Can. *Suaviæ etc.* Freh. *Gallitii.* Nostra lectio Clarom. melior; indicat quippe Suevos et Galliciam omnem quam occupabant, deinceps Leuvigildo obtemperasse.

(e) Observat Valesius lib. 10. Fredegarium hîc errasse. Duo enim solummodò Chilperici filii decesserunt: unus exactis tribus lustris, alter verò infans statim post acceptum baptismum, ex Fortunato.

(f) Sic Clar. et Boh. Editi mendosè *Avencionem.*

(g) Clar. et Can. *à suprà scriptis talatus est*, al. *scalatus.*

(h) Chesn. *Blaudastis.* Et tamen Gregorius plura narrat de eodem Bladaste infrà; nam et biennio pòst *Bitturicum vallavit*, et posteà Gundovaldo conjunctus est.

(i) Sic Clar. Editi verò *vigesimus.* Infrà Chesn. al. *stella comata.*

(k) Chesn. al. *Chrodinus*, de quo suprà cap. 59. Boh. *bonitate lenissimus.*

(l) Sic Boh. et Clar. Can. *jure censuit*, Freh. *vir censuit.* Chesn. *censivit.*

LXXXIX. Gundoaldus qui se filium Chlotharii esse dicebat, de Constantinopoli revertitur, et Chlothario à Childeberto (a) patruo directus est : quem Chlotarius videns, comam capitis tondere jussit. Quem Sigibertus arcessitum misit in Agrippinensem civitatem, quæ nunc Colonia dicitur. Exinde lapsus ad Narsidem dirigit (b), et Narsis eum Mauricio Imperatori direxit. Cùm exinde fuisset reversus, à Mummolo Patricio fuit susceptus factione Syagrii et Flavii Episcoporum (c), ut Guntramnum degradarent à regno, et sublimarent Gundoaldum. Ob hanc causam Mummolus interfectus est. Gundoaldus à Bosone Duce factione Combennensis urbis de cacumine rupis impingitur, ibique disruptus moritur. Cariatto spatarius Guntramni, qui hanc rem prodidit, hujus vicissitudine repensionis episcopatum Gennavensem (d) assumsit. *cap.* 24. *cap.* 26. *Lib.* 7. *cap.* 36. An. 585. *cap.* 38.

XC. Illo tempore Chilpericus Parisius contra pactum, quod cum Francis inierat, ingreditur. Ob quam rem portionem suam exinde justè amisit. Guntramnus (e) partem Childeberti de Massilia reddidit. Mummolum factione Fredegundæ, cui reputabant filium suum per incantationem interfecisse, jussit Rex suggilare; multæque mulieres pro ipso mendacio à Fredegunde sunt interfectæ. *Lib.* 6. *cap.* 27. An. 583. *cap.* 33. *cap.* 35. An. 584.

XCI. Chilpericus timens Guntramnum et Childebertum, in Camaracensem cum thesauris omnique præsidio est aggressus. Per ipsum timorem sæpè exercitum movebat, et resedere faciebat. *cap.* 41.

XCII. Childebertus in Italiam abiit, et Langobardi se suæ ditioni commendant. Gloriosè exinde Childebertus revertitur. Acceperat priùs à Mauricio Imperatore quinquaginta millia auri, ut Langobardos de Italia expugnaret. Sed non solùm eis non nocuit, sed etiam amicitias cum ipsis inivit. Leubildus Rex, ut suprà fecimus mentionem, filium suum Ermenchildum interfecit. *cap.* 42.

XCIII. Chilpericus, et Fredegundis filiam eorum cum magnis * thesauris et multitudine familiæ in ejus ministerium direxit in Spaniam, quam filius Leubildi accipit uxorem. Nec pòst mora exstante Chilpericus ad Calam villam, nec procul à Parisius, ab homine, nomine Falcone, qui missus à Brunichilde fuerat, est interfectus (f). Et sic crudelissimam vitam digna morte finivit. *cap.* 45. * *al.* multis. *cap.* 46.

(a) Fredegarius existimasse videtur Childebertum I. qui ex Gregorio Gundovaldum Chlothario transmisit, ipsius Chlotharii fuisse patruum, quod falsum est : erant enim fratres. Aut certè Childebertum Gundovaldi patruum appellat : et tunc ejus verba sic exponenda essent ; *à Childeberto directus est ad patrum suum Chlotharium,* quod à veritate alienum non est. Nam Gundovaldus primùm Childeberto I. præsentatus est, tum ad Chlotharium transmissus fuit. Confer cap. 24. lib. 6. Gregorii.

(b) Can. et Chesn. *dirigitur*. Nostra lectio melior, id est vadit.

(c) Syagrius erat Augustodunensis, et Flavius Cabillonensis Episcopi, quos fideles semper Guntramno exstitisse existimat Valesius, proditionisque accusatos à Mummolo invidiosè, quòd eorum potentiam ægrè ferret.

(d) Chesn. al. *Cariatus*. Subscripsit Conc. Valentino II. an. 584. et Matisconensi item II. anno sequenti.

(e) Sic Clar. Editi malè *Guntramno*. Vide Gregorii locum.

(f) Chilperici necem Fredegundi tribuit auctor Gestorum Francorum, et post eum Aimoinus, veritæ scilicet ne ejus impuros amores, quos cum Landerico habebat, ipse Rex puniret. Sunnigisilus tamen, qui ex Hist. Greg. lib. 10. cap. 19. fassus est se reum esse Chilperici mortis, crimen in Fredegundem non rejecit. Fredegundem ejus rei accusare videtur Childebertus, cùm ipsam à Guntramno repetens apud Greg. lib. 7. cap. 7. eam suum patrem ac patruum interfecisse dicebat. Hoc crimen ipsa Fredegundis rejecit in Eberulfum Chilperici cubicularium lib. 7. cap. 21.

Explicit Liber excerptæ Chronicæ.

MONITUM

DOMNI THEODORICI RUINART

IN SEQUENS CHRONICUM.

CHRONICUM, quod in collectione Fredegario attributa quartum, aut sextum locum obtinet, Gregorii nostri Historiæ subjungimus, quòd sit ejus veluti continuatio. Hinc nonnulli codices scripti, in quibus nonus Historiæ Gregorianæ liber et decimus in unum conflantur, quem appellant nonum, hoc ipsum Chronicum sub decimi Historiæ Gregorii Turonensis libri titulo repræsentant; quod in plerisque editis sub Appendicis, *aut* Gregorii Historiæ libri undecimi *titulo vulgatum est. Ejus auctorem sub Pippini Regis, aut certè Caroli M. ejus filii principatu scripsisse, ut plurimùm viri eruditi existimaverunt, quòd in vulgatis editis, omnibusque fermè manuscriptis res ad horum Principum usque tempora gestæ describantur : at illi non satis continuatores à Primo Chronici auctore distinxerunt. Quod posteà re accuratiùs attenta, et veterum codicum ope præstitum est à viris doctis, existimantibus primi auctoris opus ultra annum quartum Chlodovei II. æræ vulgaris* DCXLI. *non pertigisse; ea verò quæ sequuntur, à variis auctoribus fuisse adjecta. Quæ omnia suis locis in hac nostra editione distinguentur. Plura si quis de his rebus scire cupit, legat si lubet, Præfationem, quam* [Historiæ Gregorii] *præfiximus.*

FREDEGARII SCHOLASTICI

CHRONICUM

CUM SUIS CONTINUATORIBUS

SIVE

APPENDIX

AD S. GREGORII EPISCOPI TURONENSIS

HISTORIAM FRANCORUM.

PROLOGUS.

CUM aliquid unius verbi proprietate (a) non habeo quod proferam, nisi præstitum ab Altissimo fuerit; et dum quæro implere sententiam, longo ambitu vix brevis viæ spatium consummo, vernaculum linguæ hujus verbi interpretator absurdè resonat (b), si ob necessitatem aliquid in ordine sermonum mutavero, ab interpretis videor officio recessisse. Itaque beati Hieronymi, Ydacii, et cujusdam Sapientis, seu et Isidori, immòque et Gregorii Chronicas à mundi origine diligentissimè percurrens, usque decedente regno Guntramni, his quinque Chronicis hujus libelli, nec plurima prætermissa (c), singillatim congruentia stilo inserui, quod * illi sollertissimè absque reprehensione condiderunt. Cùm hæc ita se habeant, necessarium duxi veritatem diligentiùs insequi, et ob id in prioribus his (d) Chronicis, quasi quodam futuro opere, omnium mihi regna et tempora prænotavi (e). In præsenti autem stilo ea tempora ponens, et singularum gentium curiosissimo ordine quæ gesserunt coaptavi; quod prudentissimi viri, quos suprà memini, hisce Chronicis (verbum hoc est nomen græcum, quod latinè interpretatur Gesta temporum) severissimè (f) dictantes condiderunt, velut purissimus fons largiter fluente manantes. Optaveram et ego, ut mihi succumberet talis dicendi facundia, ut vel paullulùm esset ad instar. Sed cariùs hauritur, ubi non est certa perennitas aquæ. Mundus jam senescit, ideòque prudentiæ acumen in nobis tepescit, nec quisquam potest hujus temporis; nec præsumit oratoribus præcedentibus (g) esse consi-

* *al.* quæ.

(a) Can. *Cùm ad liquidum jussus* [al. *jussio*, Boh. *jusso*] *verbi proprietatem.* Freh. *Cùm ad liquidam jussus..... non habeam etc.*

(b) Chesn. et Freh. *Vernacula linguæ hujus verba interpretatio absurdè.*

(c) Fortè pro sexto casu *plurimis prætermissis.*

(d) Boh. *et obediendum. In his.*

(e) Chesn. *quasi quamdam futuri operis miniam omnium mihi rerum* [al. *regum*] *et temporum per..... notavi.* Freh. *et temporum ponens etc.*

(f) Boh. *se verissimum.*

(g) Al. *prudentibus.*

milis. Ego tamen, ut rusticitas et extremitas (a) sensûs mei valuit, studiosissimè de hisdem libris, brevitate quantum plus potuit, aptare præsumsi. Ne quisquam legens hîc quicquam dubitet unius cujusque libri nomen, redeat ad auctorem, cuncta reperiet subsistere veritate. Transacto (b) namque Gregorii libri volumine, temporum gesta quæ undecumque scripta potui reperire, et quæ mihi posteà fuerunt cognita, acta Regum, et bella gentium quæ gesserunt, legendo simul et audiendo, aut etiam videndo, cuncta quæ certificatus cognovi, in hujus libelli volumine scribere non silui : sed curiosissimè, quantum potui, omnia inseri studui, de eodem incipiens tempore scribendum, quo (c) Gregorii finis, gestaque cessavit et tacuit, cùm Chilperici vitam finisse scripsit (d).

(a) Chesn. et Freh. al. *externitas*. Can. al. *tenuitas*. Boh. *strenuitas*.

(b) Hîc in plerisque editis, sicut et in Vat. et Colb. incipit hujus operis Prologus : et sic habent : *Transactis Gregorii Turonensis libris, volumina temporum gestorun.que, undecumque etc.*

(c) Aliquot editi, *quo Historia Gregorii finem suum sortita est*. Vat. *finis cessavit et tacuit*. Et sic in his Prologus desinit. Freh. verò et Chesn. *finem gestæ cessavit et tacuit* : et Boh. *vita finisset, scripsi.*

(d) Chesn. et Freh. addunt, *In præsenti autem stylo ea tempora.....* sed hæc verba suo loco superiùs restituimus, quæ omissa scriptor in fine paginæ descripserat.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. De bonitate Guntchramni et Ecclesia sancti Marcelli.
II. De Gundoaldo, quòd contra Guntchramnum factione Mummoli regnum arripere voluit.
III. Qualiter Guntchramnus Chlotharium in regno sublimavit.
IV. De interfectione Mummoli.
V. De exercitu Guntchramni in Spaniam adgresso.
VI. De inundatione aquarum, patriciato Siagrii, signo in cœlo, morte Leupildi, et Richario sublimato iu regno.
VII. De pace inter Guntchramnum et Childebertum firmata.
VIII. De Ducibus jussu Childeberti interfectis.
IX. De uxore Arnulfi Regis Persarum, nomine Cæssara.
X. De exercitu Guntchramni in Spaniam adgresso.
XI. De Tunica Domini inventa.
XII. De Beppelino et Ebrehario Ducibus.
XIII. De Agone sublimato in regno Italiæ super Langobardis, et de defectione solis.
XIV. De obitu Guntchramni.
XV. De regno Childeberti in Burgundia.
XVI. De obitu Childeberti.
XVII. De Fredegunde quòd Parisius invasit, et pugnavit contra Theudebertum.
XVIII. De morte Quintrionis.
XIX. De Brunichilde, qualiter de Auster ejecta est.
XX. De pugna, quam Theudebertus et Theudericus contra Chlotharium fecerunt, ipsumque vicerunt.
XXI. De filio Theuderici nato, et de Agilane Patricio interfecto.
XXII. De corpore sancti Victoris invento.
XXIII. De Foca, qualiter Mauricium Imperatorem interfecit, et Imperium assumsit.
XXIV. De exsilio sancti Desiderii Episcopi.
XXV. De Bertoaldo Majore-domûs.
XXVI. De victoria Theuderici contra Chlotharium.
XXVII. De Prothadio Majore-domûs, ejusque interitu.
XXVIII. De bonitate Claudii Majoris-domûs.
XXIX. De interitu Vulfi Patricii.
XXX. De Ermenberga, quæ de Spania ad Theudericum venit.
XXXI. De Legatis Berterici ad Reges transmissis.
XXXII. De martyrio sancti Desiderii.
XXXIII. Quòd Sisebodus Rex in Spania sublimatur.

XXXIV. De Agone Rege, et ejus Regina Theudelinda.
XXXV. De Brunechilde et Belichilde Reginis.
XXXVI. De Vita sancti Columbani.
XXXVII. De injuria Theuderici Regis, quam habuit apud Alsatios.
XXXVIII. De pugna Theuderici et Theudeberti, et Auster recepto.
XXXIX. De obitu Theuderici.
XL. De Chlothario, quomodo in Auster ingredi cœpit.
XLI. De consilio inito super perditione filii Theuderici.
XLII. De eo quòd Chlotharius regnum Burgundiæ et Auster recepit, et filios Theuderici occidit.
XLIII. De internecione Herponis Ducis.
XLIV. De Leudemondo Episcopo, et Berethrude Regina.
XLV. De tributis Langobardorum cassatis.
XLVI. De morte Berethrudis Reginæ.
XLVII. De initio regni Dagoberti.
XLVIII. De initio regni Samonis in Winidis.
XLIX. De Adaloaldo Rege Langobardorum.
L. De Charoaldo sublimato in regno super Langobardos.
LI. De Gundeberga Regina, ejusque injuria et exsilio.
LII. De interitu Chrodoaldi.
LIII. De Dagoberto, quòd Reginam accepit, et ejus regnum augetur.
LIV. De interitu Warnacharii Majoris-domûs, et interitu Godini filii sui.
LV. De intentione inter Charibertum et Æginanem.
LVI. De obitu Chlotharii, et quomodo regnum ejus Dagobertus assumsit.
LVII. De regno Chariberti filii Chlotharii.
LVIII. De introitu Dagoberti in Burgundia, et bonitate ejus.
LIX. De nativitate Sigiberti filii Dagoberti.
LX. De mutatione Dagoberti, et suasione malitiæ Neustrasiorum.
LXI. De bonitate et continentia Pippini.
LXII. De Chariberto Rege, cùm Sigibertum nepotem suum excepit.
LXIII. De Imperio Heraclii.
LXIV. De victoria Heraclii super Persas.
LXV. De pulcritudine et utilitate Heraclii.
LXVI. De initio infestationis Sarracenorum contra Imperium.
LXVII. De obitu Chariberti et filii sui ; et quòd regnum ejus Dagobertus accepit.
LXVIII. De scandalo et strage Francorum cum Winidis.
LXIX. De Charoaldo Rege Langobardorum, quòd Tasonem occidit, et ipse Rex moritur.
LXX. De Chrotario Rege Langobardorum sublimato.
LXXI. De Aubedone ad Chrotarium in Italiam in legatione misso.
LXXII. De Hunis in Bajoaria occisis.
LXXIII. De Sisenando per solatium Dagoberti erecto in regnum Spaniæ.
LXXIV. De eò quòd Dagobertus Magontiacum cum exercitu contra Winidos ambulando accessit.
LXXV. De regno Sigiberti in Auster.
LXXVI. De nativitate Chlodovei, et pactione de regno cum Austrasiis.
LXXVII. De Radulfo Duce rebelle.
LXXVIII. De exercitu jussu Dagoberti de Burgundia in Wasconiam misso.
LXXIX. De obitu Dagoberti, et initio regni Chlodovei.
LXXX. De Ægane Majore-domûs, et bonitate ejus.
LXXXI. De Imperio Constantis, et vastatione Sarracenorum.
LXXXII. Qualiter degradatus est Tolga Rex Spaniæ, et Chindas inde sublimatus.
LXXXIII. De morte Æganis, et interfectione Aginulfi Comitis.
LXXXIV. De Erchenoaldo Majore-domûs.
LXXXV. De Austrasiis, quomodo thesaurum Sigiberto debitum receperunt.
LXXXVI. De Grimoaldo, et Ottone filio Beronis.
LXXXVII. De pugna Sigiberti cum Radulfo in Thoringia.
LXXXVIII. De interitu Ottonis.
LXXXIX. De Flaocado, qualiter Major-domûs efficitur.
XC. De Willibadi interitu, et Flaocadi obitu.

CHRONICI FREDEGARII CONTINUATIO.

Pars Prima.

XCI. De Baldichilde Regina Chlodovei, et ejus filiis Chlothario, Childerico et Theoderico : et de obitu Chlodovei.

XCII. Quòd Chlotharius ejus filius elevatur in regno, et de Ebroino Majore-domûs.

XCIII. De obitu Chlotharii, et quòd Theodericus frater successit in regno, et Childebertus in Austria regnum accepit.

XCIV. Quòd Theodericum à regno dejiciunt, et crines tondunt, et Ebroinum in Luxovium monasterium dirigunt, et Childericum in cuncto regno suscipiunt.

XCV. De obitu Childerici et Bilichilde Regina, et quòd Leudesius filius Erchenoaldi Major-domûs efficitur.

XCVI. Quòd Ebroinus à Luxovio exiens Leudesium interfecit, et sanctum Leudegarium gladio perimi jussit.

CHRONICI FREDEGARII CONTINUATIO.

Pars Secunda.

XCVII. Quòd Martinus Dux et Pippinus filius Ansegisili contra Ebroinum ad Locoficum pugnam inierunt.

XCVIII. De obitu Ebroini, et quòd Franci Waradonem Majorem-domûs efficiunt, et Ghislemarus filius ejus ipsum supplantavit.

XCIX. De obitu sancti Audoini, et obitu Waradonis; et qualiter Bertharius Major-domûs efficitur.

C. Qualiter Pippinus cum Austrasiis in oppido Virmandensi, cui nomen Textricium; contra Theudericum et Bertharium dimicavit.

CI. De obitu Theuderici, et de Chlodoveo filio ejus elevato in regno : et quòd eo mortuo Childebertus frater ejus resedit in regno, et de Grimoaldo filio Pippini Major-domûs, et bonitate ejus.

CII. Quòd Pippinus contra Radbodum pugnavit, et vicit.

CIII. Quòd Pippinus Halpaidam duxit uxorem, et habuit ex ea filium nomine Carolum.

CIV. De obitu Childeberti et Grimoaldi : et quòd Dagobertus filius Childeberti successit in regnum; et de obitu Pippini, et Theudoaldo Majore-domûs; et de pugna in Cotia contra Theudoaldum.

CV. De Raganfrido Majore-domûs ; et qualiter Carolus de custodia Plicthrudis, auxilio Dei, liberatus est.

CVI. De obitu Dagoberti Regis, et quòd Chilpericus successit in regno; et qualiter Dux Carolus contra Raganfridum pugnavit, et victor exstitit.

CVII. Qualiter Carolus Dux Chlotharium sublimavit in regno, quo mortuo Chilpericum, qui fuga lapsus apud Raganfridum fuerat, ab Eudone Duce Aquitaniæ recepit, et eo mortuo Theudericum Regem statuit.

* *i.* contra. *CVIII. Qualiter Carolus cum * Saxonibus, Bajoariis, cum Eudone Duce adversùs Abdirama Regem Sarracenorum pugnavit, et vicit.*

CIX. Qualiter Burgundiam ipse Dux subjugavit, et Sarracenos, qui in Avennione erant, prostravit, quomodo Narbonam venit, et Sarracenos, cum Rege eorum in ore gladii interfecit; et cum Fresonibus ultra mare pugnavit.

CHRONICI FREDEGARII CONTINUATIO.

Pars Tertia.

Variæ Caroli expeditiones.

CX. De legatione Papæ Gregorii urbis Romæ cum clavibus sancti Petri ad Carolum ; et divisione regni inter filios suos, seu de obitu ipsius.

CXI. Chiltrudis nuptiæ, bellum contra Wascones, tum adversùs Alamannos.

CXII. Bellum in Bajoarios.

CXIII. Bellum adversùs Saxones, tum in Suevos.

CXIV. Wasconum cothurnus repressus.

CXV. Alamanni à Carlomanno superati.

CXVI. Carlomannus monasticam vitam amplectitur.

CXVII. Saxones, tum Bajoarii à Pippino superati. Pippinus in Regem sublimatur.

A

FREDEGARII SCHOLASTICI

CHRONICUM,

SIVE

APPENDIX AD S. GREGORII

EPISCOPI TURONENSIS

HISTORIAM FRANCORUM.

B I. GUntchramnus Rex Francorum cùm jam annos * xxiij. Burgundiæ regnum, bonitate plenus, feliciter regeret, cum Sacerdotibus utique Sacerdotis ad instar se ostendebat, et cum leudis erat aptissimus, eleemosynam pauperibus largè tribuens, tantæ prosperitatis regnum tenuit, ut omnes etiam vicinæ gentes amplissimas de ipso laudes canerent. An. Chr. 583. GUNTRAM. CHILPER. CHILDEB. II. * *al.* anno.

Anno xxiiij. regni sui (a) divino amore Ecclesiam beati Marcelli, ubi ipse pretiosus requiescit in corpore, suburbano Cabillonensi, sed quidem tamen Sequanum est territorium, mirificè et sollerter ædificari jussit, ibique monachis congregatis monasterium (b) condidit, ipsamque Ecclesiam rebus plurimis ditavit. Synodum quadraginta Episcoporum fieri præcepit, et ad instar institutionis monasterii sanctorum Agaunensium, quod temporibus Sigismundi Regis ab Avito et ceteris Episcopis, ipso Principe jubente, fuerat confirmatum (c), hujus Synodi conjunctione monasterii sancti Marcelli Guntchramnus institutionem formandum (d) curavit. An. 584.

C II. Hoc anno Gundoaldus (e) cum solatio Mummoli et Desiderii mense Novembri partem regni Guntchramni præsumsit invadere, et civitates evertere. Guntchramnus Leudegiselum (f) Comitem-stabuli, et Ægilanem Patricium cum exercitu contra ipsos direxit. Gundoaldus terga vertens, Conbanem (g) civitatem latebras dedit, et inde de rupe à Bosone (h) Duce præcipitatus interiit.

III. Cùmque Guntchramno perlatum fuisset, eò quòd frater suus Chilpericus esset interfectus, festinans perrexit Parisius, ibique Fredegundem cum filio Chilperici Chlothario ad se venire præcepit: quem in Rioilo (i) villa baptizari jubet, CHLOTAR. II.

(a) Fredegarius calculum Gregorii Turonensis uno anno prævertit, quod observare juvat ad conciliandos duos illos auctores. Quæ autem sequuntur ad annum 592. conferenda sunt cum ejusdem Gregorii Historia.

(b) Gregorius ad annum 579. lib. 5. cap. 28. meminit basilicæ S. Marcelli, cui Abbas præerat ex cap. 53. lib. 1. de Glor. Martyrum. Exstat etiam nunc monasterium istud, sed Abbatis titulo minutum, ex quo Cluniaco subjectum fuit. Situm est ultra Ararim, unde in Sequanorum territorio positum hîc dicitur. Chesn. et Freh. una lectio habent, *sed tamen est in Segonum*, pro *Sequanum*.

(c) Hoc, ut conjicere licet, factum est in sollemnitate SS. Martyrum hoc ipso anno, quo sanctus Avitus habuit homiliam, quæ inscribitur, *In basilica SS. Agaunensium in innovatione monasterii ipsius vel passione Martyrum*. Ejus fragmentum habes à Sirmondo editum.

(d) Ed. aliquot cum Colb. *Monasterium..... institutione formandum*. Vat. *firmandum*. Id Valesius etc. arbitrantur in Synodo Matisconensi II. an. 585. factum fuisse, ubi, uti ex subscriptionibus colligitur, 43. Episcopi adfuere cum tribus aliis qui sedes non habebant, et 20. absentium missis. Hoc tamen fortè meliùs ad Synodum Valentinam II. revocari posset, quam licèt anno 585. consignaverit Cointius, hoc tamen ipso anno 584. mense Maïo habitam fuisse censet Sirmondus. Et quidem in ea confirmatum fuit quidquid Rex etc. *basilicæ S. Marcelli, vel S. Symphoriani*, aut quibusvis aliis locis sacris contulerant, aut in posterum conferre voluerint. Lalandus in supplemento Conciliorum Galliæ Concilium istud in ipsa S. Marcelli basilica habitum fuisse an. 594. contendit, eique non plures quàm undecim Episcopos interfuisse. Unde errorem in Fredegarii textum irrepsisse putat, qui XL. pro XI. habeat.

(e) Vat. *Gundwaldus*. de quo fusè apud Gregorium, potissimùm lib. 7. cap. 26. etc.

(f) Alii, *Leudiselum*, *Leudichildum*, *Leudisium*, *Leudigildum*.

(g) Id est *Convenas*. Vide Gregorium.

(h) Alii *ab Osone*, fortè pro *Ollone*; à quo Gundobaldus pulsus, et à Bosone peremtus fuit, ex Greg. lib. 7. cap. 38.

(i) Chesn. et Freh. *Riogilo*, al. *Riolo*. [Ita Chr.

et eum de sancto lavacro excipiens in regnum patris firmavit. A

An. 585. IV. Anno xxv. regni Guntchramni Mummolus Senuvia (a) jussu Guntchramni interficitur : uxorem ejus Sidoniam unà cum omnibus thesauris ejus Domnolus domesticus et Wandalmarus camerarius Guntchramno præsentant.

An. 586. V. Anno (b) xxvj. regni sui exercitus Guntchramni Spanias ingreditur : sed loci infirmitate gravatus, protinùs ad propria revertitur.

An. 587. Anno xxvij. ejusdem regni Leudisclus (c) à Guntchramno Patricius partibus Provinciæ ordinatur. Filius Childeberti Regis Theodobertus natus fuisse nuntiatur.

VI. Eo anno nimia inundatio fluminum in Burgundia fuit, ut eorum terminos nimiùm transscenderent. Ipsoque anno Syagrius Comes Constantinopolim jussu Guntchramni in legatione pergit, ibique fraude (d) Patricius ordinatur. Cœpta quidem est, sed ad perfectionem hæc fraus non peraccessit. Eo anno signum apparuit B in cœlo : globus igneus decidens in terram cum scintillis et rugitu. Ipsoque anno Levildus (e) Rex Spaniæ moritur, et regnum obtinuit Richaridus filius ejus.

An. 588. Anno (f) xxviij. regni domni Guntchramni alius filius Childeberti, nomine Theudericus, natus nuntiatur.

VII. Guntchramnus se cum Childeberto pacem firmans Andelao conjunxit. Inibi mater, et soror, et conjunx Childeberti Regis pariterque fuerunt : ibique speciali convenientia inter domnum Guntchramnum et Childebertum fuit conventum, ut regnum Guntchramni post ejus discessum Childebertus assumeret.

VIII. Ipsoque tempore Rauchingus et Boso-Guntchramnus, Ursio et Bertefridus Optimates Childeberti Regis, eò quòd eum tractaverint interficere, ipso Rege ordi- C nante interfecti sunt : sed et Leudefridus Alamannorum Dux in offensam antedicti Regis incidit, etiam et latebram dedit. Ordinatus est loco ipsius Uncilenus Dux. Eo anno Richaridus Rex Gotthorum divino amplectens Christianam Religionem amore, priùs ipse (g) baptizatur : posthæc omnes Gotthos, qui tum Arianam sectam tenebant, Toletum (h) adunare præcepit, et omnes libros Arianos præcepit ut sibi præsententur : quos in una domo collocatos incendio concremare jussit; et ad Christianam legem baptizare omnes Gotthos fecit.

IX. Eo anno uxor Anaulfi (i) Imperatoris Persarum, nomine Cæsara, virum relinquens, cum quatuor pueris, totidemque puellis ad beatum Johannem Episcopum Constantinopolim veniens, se unam esse de populo dixit; et Baptismi gratiam ab antedicto beato Johanne expetiit. Cùmque ab ipso Pontifice fuisset bapti- D zata, Augusta Mauricii Imperatoris eam de sancto suscepit lavacro, quam cùm vir suus Imperator Persarum per legationes sæpiùs repeteret, et Mauricius Imperator uxorem ipsius esse nesciret, tunc Augusta videns eam pulcherrimam, suspicatur ne ipsa esset, quam legati quærebant, dicensque eis : *Mulier quædam de Persis huc venit, dixitque se unam esse de populo : videte eam, forsitan ipsa est quam quæritis.* Quam legati videntes, proni in terram adoraverunt, dicentes ipsam esse eorum dominam quam quærebant. Dicit ad eam Augusta : *Redde illis responsum.* Tunc

S. Benigni.] vulgò *Ruel.* Guntramnus hoc quidem anno Parisios venit pro Baptismo Chlotarii, sed tamen nonnisi sexennio pòst baptizatus fuit.

(a) Alii *Senoviæ.* Infrà Chesn. al. *Sinodiam.*

(b) [Chron. S. Benigni, *Anno XXV.* Infrà, *Anno XXVI. ejusdem regni Leudiscus à Guntranno.*]

(c) Sic Clar. Is ipse est, ni fallor, de quo suprà cap. 2. Etenim in Colb. et Chesn. al. dicitur *Leudigisilus*, ut appellatur à Gregorio lib. 8. cap. 30. Aliis *Leudiselus*, *Leudisius*, *Leugisistus*, *Leudistus.*

(d) Syagrius ad pacem componendam CP. missus, Patricii dignitatem ab Imperatore suscepit, quod hîc *fraus* appellatur : non enim ei licebat id acceptare, per quod sese Imperatoris ditioni subdere videbatur. Ceterùm hoc de solo Patricii, seu Consiliarii imperatorii titulo interpretatur Valesius : sed cùm Fredegarius Syagrium Patricium ordinatum, atque cœptam nec tamen consummatam fuisse fraudem dicat; id fortè intelligendum est de patriciatu Provinciæ Massiliensis, quam regionem Imperio restituere tentasset Mauricius, aut certè aliquam dominii umbram in ea retinere. Id etiam fortè à Mauricio tentatum fuerat, quòd re ipsa Burgundionum Reges, antequàm Franci eorum regnum occupassent, solerent ab Imperatoribus Patricii nomen impetrare : quod saltem per legatos continuari etiam à Francis eamdem regionem obtinentibus peroptasset.

(e) Alii *Leupildus*, *Leuvichildus*, *Leupoldus :* sic et ejus filius *Richardus*, *Richarius*, *Richaricus.*

(f) [Chron. Benignianum, *Anno XXVII.*]

(g) Boher. et alii, *priùs secretiùs baptizatur.*

(h) De his vide Concilium Toletanum III. Concilior. Labb. tom. 5. ad an. 589. cui Rex ipse interfuit, ac fidei professioni, quam eo ipso agente Gotthi susceperant, cum uxore sua subscripsit.

(i) Alii *Aunulfi*, *Arnulfi*, *Monaulfi.* Hanc historiam ad Heraclii tempora revocat Paulus Diacon. lib. 4. de gestis Langob. cap. 52. Johannes Biclar. in Chronico meminit Imperatoris Persarum, qui pace *cum Mauricio* firmata, Christi fidem suscepit : quæ omnia de Chosroë juniore interpretantur viri eruditi, qui ope Mauricii Imp. Baramum tyrannum oppressit, regnumque recepit, ex quo pulsus fuerat. Hunc Christianum fuisse Fredegarius, Biclarensis, immò et Theophylactus arbitrati sunt, quòd Syram Christianam uxorem duxerit; palamque professus fuerit se S. Sergii martyris ope in regno restitutum fuisse, cujus Ecclesiæ præclara dona obtulit. Vide Evagrium lib. 6. Hist. cap. 19. et 20. ipsum tamen Christianum fuisse negant viri eruditi. Et quidem

A illa respondit : *Ego cum istis non loquor, vita illorum ad instar canum est : si conversi, Christiani, sicut et ego sum, efficiuntur, tunc eis respondebo.* Legati verò animo libenti Baptismi gratiam accipiunt. Posteà dicit ad eos Cæsara : *Si vir meus voluerit Christianus fieri, et Baptismi gratiam accipere, libenter ad eum revertar : nam penitùs aliter ad ipsum non repedabo.* Legati id Imperatori Persarum nuntiantes, statim ille legationem ad Mauricium Imperatorem misit, ut sanctus Johannes veniret Antiochiam, ipso tradente Baptismum vellet accipere. Tunc Mauricius Imperator infinitissimum apparatum Antiochiæ fieri jussit : ibi Imperator Persarum cum sexaginta millibus Persarum baptizatus est, et per duas hebdomadas à Johanne et reliquis Episcopis Persæ ad plenitudinem suprà scripti numeri baptizantur. Imperatorem illum Gregorius Antiochiæ (a) Episcopus suscepit de lavacro. Anaulfus Imperator à Mauricio Imperatore petens, ut sibi Episcopos cum Clero sufficiente (b)
B daret, quos in Persia stabiliret, ut universi Persidæ Baptismi gratiam adhiberent. Quod Mauricius libenti animo præstitit, summaque celeritate omnes Persidæ ad Christi cultum baptizantur.

X. Anno xxviiij. Guntchramni exercitus in Spaniam (c) ejusdem jussu dirigitur : sed negligentia Bosonis, qui caput exercitûs fuit, graviter à Gotthis exercitûs ille trucidatur. An. 589.

XI. Anno xxx. regni suprà scripti Principis, tunica Domini nostri Jesu-Christi, quæ eidem in Passione sublata est, et à militibus, qui eum custodiebant, est sortita, de qua David Propheta dicit : *Et super vestimenta mea posuerunt sortem ;* inventa est prodente Simone filio Jacob, qui per duas hebdomadas multis cruciatibus affectus, tandem profitetur ipsam tunicam in civitate Zafad (d) procul à Hierosolyma in arca marmorea positam esse. Quam Gregorius Antiochenus et Thomas (e) Hierosolymorum et Johannes Constantinopolitanus Episcopi cum aliis multis Episcopis,
C triduanum facientes jejunium, exinde condignè cum arca marmorea, levi effecta, quasi ex ligno fuisset, ordine pedestri Hierosolymam cum devotione sanctissima perduxerunt, eamque in loco, ubi Crux Domini adoratur, cum triumpho posuerunt. Eo (f) anno luna obscurata est. Eo anno inter Francos et Britannos super fluvium Vicinonia bellum est ortum. An. 590. *Joan.* 19. 24. *Psal.* 21. 19.

XII. Beppelenus Dux Francorum factione Hebracharii, itemque Ducis, à Britannis interficitur. Unde pòst Hebracharius ad summam paupertatem de rebus suis spoliatus pervenit.

XIII. Anno xxxj. regni Guntchramni Theudefredus Dux Ultra-Juranus (g) moritur, cui successit Wandalmarus in honore Ducatûs. Ipsoque anno Ago Dux in Italia super Langobardos in regno sublimatur. An. 591.

D Anno xxxij. regni Guntchramni, ita à mane usque ad mediam diem sol minoratus est, ut tertia pars ex ipso vix appareret. An. 592.

XIV. Anno xxxiij. regni Guntchramni. Eo anno V. Kalendas Aprilis, ipse Rex moritur (h), sepultus est in Ecclesia sancti Marcelli, in monasterio quod ipse construxerat. Regnum ejusdem Childebertus assumsit. Eodem anno Quintrio (i) An. 593.

Domitianum Melitenæ Episc. laudat Gregorius M. lib. 2. Ind. II. ep. 63. quòd ad Imp. Persarum conversionem, licèt frustrà, laboraverit. Johannes verò Jejunator dictus, CP. Episc. de quo hîc Fredeg. Eutychio successit an. 582. Famosus fuit ob *universalis*, seu *œcumenici* titulum, quem sibi resistente Gregorio M. arrogabat.

(a) Successit S. Anastasio in exsilium pulso, an. 571. Eum laudant Evagrius lib. 6. passim, Theophanes, et Joan. Moschus Prati spirit. cap. 140. Obiit an. 592. quo defuncto Anastasius sedem suam recepit.

(b) Boher. *cum clericis ei daret..... universa Persida.*

(c) Id est Septimaniam, ut evidenter patet ex lib. 9. cap. 31. Historiæ Gregorii.

(d) Ea est, ut vulgò putant, *Joppe*, urbs in Palæstina celebris, olim sede Episcopali ornata, quæ etiamnunc vulgò *Jafa* appellatur, Italis *Jaffo*, vel *Zaffo*. De tunica hac vide lib. 1. de Gloria Mart. cap. 8.

(e) Fredegario Thomæ nomen obrepsisse putat Papebrochius, pro *Amos*, quem ex Græcis catalogis tunc Jerosolymitanæ Ecclesiæ præfuisse existimat, sed et hic *Amos*, seu, ut à Nicephoro Callisto appellatur, *Neamus* in aliquot catalogis desideratur. Thomas dicitur ab Aimoino lib. 3. Hist. cap. 78. Sigibertus quoque in chronico et alii habent Thomam Jerosolymitanum. De Gregorio et Johanne actum est suprà.

(f) Hæc usque ad finem cap. desunt in Colb. et plerisque editis.

(g) Ultrajurana regio sic dicta à Jura monte, inter Helvetios et Sequanos, qui vulgò sancti Claudii appellatur, à celebri monasterio Ordinis Benedictini. Dicitur quoque Burgundia Transjurana, quæ aliquot Reges habuit sub finem sæculi 9. et sequenti.

(h) Contendit Valesius lib. 15. rer. Francic. Guntramnum è vivis excessisse an. 592. unde ubi infrà legitur *anno II.* Childeberti, legendum esse censet *anno I.* et sic deinceps. [* Verùm cùm Fredegarius menses residuos post mortem decessoris Regis primum successoris annum esse censeat, et secundum à Martio sequentis anni Juliani incipiat, manifestum est annum Guntramni 32, secundùm ejus calculum, Christi esse 592, annum ejusdem Regis 33, esse Christi 593, ut docet Pagius in crit. in Annal. Baronii ad an. 598. n. 7.] Guntramni nomen Martyrologia vetera et recentia habent V. Kal. Aprilis, qua die festum ejus memoratur in vetustissimo Kalendario Murbacensi ab annis 900. conscripto.

(i) Infrà cap. 18. in Clar. dicitur *Wintrio*, de

Dux Campanensis cum exercitu in regnum Chlotharii ingreditur. Chlotharius cum suis obviam pergens hostiliter Quintrionem in fugam vertit; sed utrimque exercitus nimiùm trucidatus est. A

An. 594. XV. Anno ij. cùm Childebertus regnum accepisset Burgundiæ, exercitus Francorum et Britannorum invicem præliantes, uterque nimiùm gladio trucidantur.

An. 595. Anno iij. Childeberto in Burgundia regnante, multa signa in cœlo ostensa sunt, apparuit stella cometes. Eo anno exercitus Childeberti cum Warnis (a), qui rebellare conati fuerant, fortiter dimicavit, et ita Warni trucidati victi sunt, ut parùm ex eis remansisset.

An. 596. XVI. Anno iv. postquàm Childebertus regnum acceperat Guntchramni, defunctus
Theodeb. II. Theodor. II. est (b) : regnumque ejus filii sui Theudebertus et Theudericus accipiunt. Theude- B
bertus sortitus est Auster, sedem habens Mettensem; Theudericus accepit regnum Guntchramni in Burgundia, sedem habens Aurelianis.

XVII. Eo anno Fredegundis cum filio Chlothario Rege Parisius vel reliquas civitates ritu barbaro (c) occupavit; et contra filios Childeberti Regis Theudebertum et Theudericum movit exercitum loco nominato Latofao (d). Castra uterque ex adverso ponentes, Chlotharius cum suis super Theudebertum et Theudericum inruens, eorum exercitum graviter trucidavit.

An. 597. Anno ij. regni Theuderici Fredegundis moritur (e).

An. 598. XVIII. Anno iij. regni Theudeberti, Wintrio (f) Dux instigante Brunichilde interficitur.

An. 599. Anno iv. regni Theuderici, Quolenus *, genere Francus, Patricius ordinatur.
* *al.* Colenus. Eo anno clades glandolaria (g) Massiliam et reliquas Provinciæ civitates graviter vas- C
tavit. Eo anno aqua calidissima in lacu Dunensi, quem Arula (h) flumen influit, sic validè ebullivit, ut multitudinem piscium coxisset. Eo anno Warnacharius (i) Major-domûs Theuderici transit, qui omnem facultatem suam in alimoniis pauperum distribuit.

XIX. Eo anno Brunichildis ab Austrasia ejecta est, et in Arciacensi Campania (k) à quodam homine paupere singula reperitur : secundùm ejus petitionem ipsam ad Theudericum perducit. Theudericus aviam suam Brunichildem libenter recipiens, gloriosè honorat. Hujus vicissitudine meriti Episcopatum Autisiodorensem, faciente Brunichilde, adsumsit.

An. 600. XX. Anno v. regni Theuderici, iterùm signa, quæ anno superiore visa fuerant, globi ignei per cœlum currentes, et ad instar multitudinis hastarum igneorum ad occidentem apparuerunt. Ipsoque anno Theudebertus et Theudericus D
Reges contra Chlotharium Regem movent exercitum, et super fluvium Aroannam (l), nec procul à Doromello vico, prælium confligentes junxerunt : ibique

quo vide notas in lib. 8. Hist. Gregorii cap. 18. De hoc bello Paulus Diac. lib. 4. Hist. Langob. cap. 4. Quintrionem à Wintrione patre S. Glodesindis distinguit Cointius ad an. 749. num. 25. et seqq.

(a) Hos suspicamur esse Werinos : quorum leges sub hoc titulo habentur, *Leges Angliorum et Wirinorum, hoc est Thuringorum.* Warnos memorat Procopius, quorum Rex Radiger Chlodovei M. filiam duxerat uxorem. Vide Cointium ad an. 564. etc.

(b) Cum uxore, si Paulo Diac. lib. 4. cap. 12. credamus, veneno exstinctus est : quod silent veteres auctores.

(c) Id est per irruptionem, bellum inferendo antequàm fuisset indictum, ut facere solent barbari.

(d) Hunc locum in Senonensi diœcesi situm esse quidam existimant.

(e) Sepulta est juxta virum suum in basilica S. Vincentii seu S. Germani à Pratis, ubi sepulcri ejus lapis etiamnunc visitur, quo fortasse antiquius Regum nostrorum sepulturæ monumentum, ex quo Christiani facti sunt, nusquam exstat. Ejus laudes canit Fortunatus lib. 9. carm. 1. et seqq. quam ceteri auctores exsecrantur. * Fredegundis mortem anno 598. cum Hermanno Contracto collocat Pagius ad hunc annum n. 9.

(f) Sic Clar. et Chesn. al. ceteri *Quintrio*, ut suprà.

(g) Colb. *Grandoraria;* aliquot editi *grandinis;* Chesn. al. *glandis, vel inguinis.*

(h) Chesn. et Freh. *Arola*, vulgò *l'Aigre*, paullò infra Dunum, *Chasteau-Dun*, ferè simul cum lacu Dunensi in Ledum, *le Loir*, influit. Hunc tamen Fredegarii locum de Duno Carnutum intelligi non posse contendit Valesius cum Labbeo etc. qui hîc designari putant lacum, qui exstat prope castrum Ebrodunense, *Iverdun,* et hodie Ebrodunensis, seu à Novo-Castro Helvetiorum, *Neuf-Chatel en Suisse,* Novoburgensis dicitur, qui lacus simul cum Urba fluvio sese in Arolam, *l'Ar,* exonerat.

(i) Alii *Warnharius*, aut *Warnecharius.*

(k) Sic dicta ab Arciaco oppido ad Albam fluvium, de quo in Epitome. Hanc narrationem fabulosam esse contendit Cointius ad an. 599. quòd Autisiodorensis Ecclesia tunc non vacaret, quòdque Desiderius, qui aliquot posteà annis Aunachario successit, pauper non fuerit, nec talis qui hîc describitur, immò nobilissimus dicitur in Hist. Episcoporum Autisiod. cap. 19. et 20. et Regum nostrorum *propinquus.* Obiit anno 623. et sepultus est in basilica S. Germani cum suis præcessoribus. Colitur uti sanctus VI. Cal. Novembris.

(l) Vix incolis notus, vulgò *Ouaine.* Lustrat Senonum fines, et in Lupam, *le Loin*, immergitur prope Murittum. Doromellum, vulgò *Dormeille,* appellatur. Aroannam tamen Cointius ex Faucheto ait oriri prope Trecas, ac prope Senonum urbem in Icaunam labi. In Testamento S. Bertichramni Episc. Cenomann. memoratur *Aroëna fluviolus,* in cujus ripa situm est *oppidum Diablentis* apud Cenomannos.

A exercitus Chlotharii gravissimè trucidatus est. Ipsoque cum his qui remanserunt in fugam verso, pagos et civitates ripæ Sigonæ (a), qui se ad Chlotharium tradiderant, depopulantur et vastant. Civitates ruptæ, nimis pluritas captivorum ab exercitu Theuderici et Theudeberti exinde ducitur. Chlotharius oppressus, vellet nollet, per pactionis vinculum firmavit, ut inter Sigonam et Ligerem usque mare Oceanum et Britannorum limitem pars Theuderici haberet; et per Sigonam et Isaram Ducatum integrum Dentelini (b) usque Oceanum mare Theudebertus reciperet. Duodecim tantùm pagi inter Isaram et Sigonam et mare litoris Oceani Chlothario remanserunt.

Anno vj. regni Theuderici Cautinus Dux Theudeberti interficitur. An. 601.

XXI. Anno vij. (c) regni Theuderici de concubina filius nascitur, nomine Sigi- An. 602.
B bertus : et Ægila (d) Patricius, nullis culpis exstantibus, instigante Brunichilde, ligatus interficitur, nisi tantùm cupiditatis instinctu, ut facultates ejus fiscus adsumeret. Eo anno Theudebertus et Theudericus exercitum contra Wascones dirigunt, ipsosque, Deo auxiliante, dejectos suæ dominationi redigunt, et tributarios faciunt. Ducem super ipsos, nomine Genialem (e), instituunt, qui eos feliciter dominavit.

XXII. Eo anno corpus sancti Victoris, qui Salodoro cum sancto Urso (f) passus fuerat, à beato Æconio Pontifice Mauriennense (g) invenitur. Quadam nocte in sua civitate ei revelatur per somnium, ut surgens protinùs iret ad Ecclesiam, quam Sedeleuba (h) Regina in suburbano Genavensi construxerat, in medio Ecclesiæ designato loco, ubi sanctum corpus adesset. Cùmque Genavam festinus perrexisset, cum beatis Rusticio et Patricio (i) Episcopis, triduanum jejunium facientes, lumen per noctem,
C ubi illud gloriosum et splendidum corpus erat, apparuit : quod cum silentio hi tres Pontifices cum lacrymis et orationibus elevato lapide in arca argentea invenerunt sepultum, cujus faciem rubentem quasi vivi repererunt. Ibique princeps Theudericus præsens aderat, multisque rebus hujus Ecclesiæ tribuens, maximam partem facultatis Warnacharii ibidem confirmavit. Ad sepulcrum illud sanctum miræ virtutes ex ipsa die, qua repertum est, præstante Domino, integra assiduitate ostenduntur. Eo anno Ætherius Episcopus Lugdunensis obiit : ordinatur loco ipsius Secundinus Episcopus.

XXIII. Eo anno Focas (k) Dux et Patricius Reipublicæ, victor à Persis rediens, Mauricium Imperatorem interfecit, et loco ipsius Imperium adsumsit.

XXIV. Anno viij. regni Theuderici de concubina nascitur ei filius, nomine Childe- An. 603.
D bertus, et Synodus Cabillono colligitur : Desiderium Viennensem Episcopum dejiciunt, et instigante Aridio Lugdunensi Episcopo et Brunichilde, subrogatus est loco ipsius sacerdotali officio Domnolus; Desiderius verò in insulam quamdam exsilio retruditur. Eo anno sol obscuratus est. Eo quoque tempore Berthoaldus, genere Francus, Major-domûs palatii erat Theuderici, moribus mensuratus, sapiens, et cautus, in prælio fortis, fidem cum omnibus servans.

Anno nono regni Theuderici nascitur ei filius de concubina, nomine Corbus. An. 604.
Cùm jam Protadius, genere Romanus, vehementer ab omnibus in palatio veneraretur, et Brunichildis stupri gratia eum vellet honoribus exaltare; defuncto Wandalmaro Duce, in pago Ultra-Jurano et Scotingorum (l) Protadius Patricius

(a) Chesn. al. *Sequanæ ;* quam *Sigonam* seu *Segonam*, ille auctor ut plurimùm appellat. [Chron. S. Benigni, *civitates Sequanæ, qui se Clotario.* Infrà *Sequanam.*]

(b) Infrà cap. 37. Freh. et Chesn. al. *Denzelini*, et cap. 76. *Danzileni.* Complectebatur regionem, quæ jacet inter Sequanam, Isaram, seu Oesiam, vulgò *l'Oyse*, et Oceanum. Unde verò istud nomen habuerit, ignotum mihi est.

(c) Cod. Colb. et Freh. *Anno vi.* et sic uno semper minus ad annum IX. Iidem cum Boh. filium hunc appellant Sigobertum. [Chron. S. Benigni, *Anno VI.* uno anno minùs ad annum IX.]

(d) Colb. cum plerisque editis *Agila.*

(e) Colb. *Gelianem*, plerique ed. *Gemialem.*

(f) Boh. et aliquot ed. *Ursione.* Hi erant ex percelebri Thebæorum Legione, quæ in istis partibus sub Maximiano Herculio martyrium consummavit. Vide Acta Martyrum sincera pag. 293. et Surium ad diem 30 Septemb. Salodurum urbs, vulgò *Soleure*, caput est pagi cognominis Helvetiorum catholicorum.

(g) Mallet Valesius legere *Æonio.* Ipse verò sese *Hiconium* appellat in Conc. Matisc. I. et II. quibus interfuit. Primus fuit hujus sedis Episcopus.

(h) Hæc fuit soror Chlotildis uxoris Chlodovei M. Vide Gregor. Hist. lib. 2. cap. 28.

(i) Alii *Rustico et Patrico ;* meliùs fortè *Rustico et Patricio.* Utriusque nudum nomen exstat in catalogo Episc. Genavensium : alteruter tamen fuisse videtur Episcopus Octodurensis seu Sedunensis.

(k) Hoc ipso anno Phocæ imperii initium habetur in instrumento publico, quod Romæ à S. Gregorio promulgatum est : unde firmatur chronologia quam hîc sequimur. Exstat initio libri XI. epistolarum ejusdem Pontificis.

(l) *Scotingorum* seu *Scutingorum* pagi situm discimus ex Vita sancti Anatolii Episcopi, Salinarum patroni, quæ habet *Scodinga in Sequanis, ubi nunc Salinarum locus.* Salinæ verò, vulgò *Salins,* oppidum est ad Foricam amnem in Burgundiæ Comitatu Dolam inter et Vesuntionem, quod Archidiaconatûs cognominis est caput. Vide Notitiam Valesii ad verbum *Scutingi.*

ordinatur instigatione Brunichildis. Ut Bertoaldus potiùs interiret, eum in (a) ripam Sigonam usque Oceanum mare per pagos et civitates fiscum inquirendum dirigunt. A

* *al.* ad Theudericum.

XXV. Bertoaldus à Theuderico * directus, cum trecentis tantùm viris illis partibus properavit : cùmque ad Arelao (b) villam venisset, et venationem inibi exerceret : hæc comperiens Chlotharius, filium suum Meroveum et Landericum (c) Majoremdomûs cum exercitu ad Bertoaldum premendum direxit ; et maximam partem inter Sigonam et Ligerem pagos et civitates de regno Theuderici præsumsit contra pactum pervadere. Bertoaldus hæc audiens, cùm sustinere non prævaleret, terga vertens Aurelianis ingreditur, ibique à viro beatissimo Austrino Episcopo suscipitur. Landericus cum exercitu Aurelianis circumdans vocabat Bertoaldum, ut exiret ad prælium. Bertoaldus de muro respondens : *Nos duo singulare certamen, si me exspectare deliberas,* B *reliqua multitudine procul suspensa, jungamus ad prælium : à Domino judicemur.* Sed hæc Landericus facere distulit. Addens Bertoaldus dixit : *Dum facere non audes, proximo tempore, domini nostri pro iis quæ facitis jungent ad prælium. Induamur uterque, ego et tu, vestibus vermiclis* (d) *, præcedamus ceteros ubi congressus erit certaminis ; ibique et mea et tua apparebit utilitas ; promittentes ante Deum ab invicem promissionis hujus veritatem subsistere.*

XXVI. Cùmque hoc in die festi sancti Martini Antistitis actum fuisset, Theudericusque hæc comperisset, quòd à Chlothario pars regni sui contra pactum fuerat pervasa, Nativitate Domini protinùs cum exercitu Stampas (e) per fluvium Loa pervenit, ibique obviàm Meroveus filius Chlotharii Regis cum Landerico et magno exercitu venit. Cùm esset arctus pervius (f) ille, ubi Loa fluvius transmeatur, vix tertia pars exer- C citûs Theuderici transierat, initum est prælium ; ibique Bertoaldus secundum placitum aggreditur, vocitans Landericum. Sed Landericus non est ausus, ut promiserat, tantam hujus certaminis congressionem adire. Ibique Bertoaldus cùm nimis ceteros præcessisset, ab exercitu Chlotharii cum suis interficitur ; nec vellens exinde evadere, dum senserat se de sui gradûs honore à Protadio degradandum. Ibique Meroveus filius Chlotharii capitur, Landericus in fugam versus est, nimia multitudo exercitûs Chlotharii in eo prælio gladio trucidata est. Theudericus victor Parisius ingreditur, Theudebertus pacem cum Chlothario Compendio villa inivit, et uterque exercitus eorum illæsus rediit ad propria.

An. 605.

XXVII. Anno x. regni Theuderici Protadius, instigante Brunichilde, Theuderico jubente, Major-domûs substituitur. Qui cùm esset nimiùm argutissimus, D et strenuus in cunctis, sed sæva illi fuit contra personas iniquitas, fisco nimiùm tribuens (g), de rebus personarum ingeniosè fiscum vellens implere, et se ipsum ditare. Quoscumque genere nobiles reperiret, totos humiliare conabatur, ut nullus reperiretur, qui gradum, quem adripuerat, potuisset adsumere. His et aliis nimia sagacitate vexatis, maximè cunctos in regno Burgundiæ fecit sibi inimicos. Cùm Brunichildis nepotem suum Theudericum integra assiduitate moneret, ut contra Theudebertum moveret exercitum, dicens : *Quasi Theudebertus non esset filius Childeberti* (h), *nisi cujusdam hortulani :* et Protadius ipsi quoque consilio adsistens, tandem jussu Theuderici movetur exercitus. Quod cùm loco, nomine Caraciaco (i), Theudericus cum exercitu castra metasset, hortabatur (k) à leudibus suis

(a) [Chron. S. Benigni, *eum à ripa Sequanæ usque.*]

(b) Editi plerique *Arelaum*, Boh. et Chesn. cum Aimoino, *Arelaunum*, quod nomen erat silvæ et villæ regiæ haud procul à Fontanellensi monasterio percelebri diœcesis Rothomagensis, in peninsula quam Sequana efformat. Vide lib. 4. de re diplomatica. At aliis fortassè videbitur majorem esse inter hunc locum et Genabum distantiam, ut exinde Bertoaldus fugiens sese intra Aurelianenses muros receperit.

(c) Colb. *Landricum*, alii *Landericum*.

(d) Sic mss. et editi præter Chesn. et Freh. *vermiolis*, quam vocem Aimoinus habet : hîc tamen vermiculatum colorem designari putant viri eruditi, quæ vox passim apud auctores occurrit. Hinc vernacula vox *vermeil :* vestes autem vermiclæ, id est purpureæ, aut scarleteæ, *d'écarlate*, sic dicuntur quasi coloris vermiculi. Et quidem in Vita Caroli M. ubi describitur *antiquôrum Francorum ornatus vel paratura*, inter ceteras vestes recensentur *fasciolæ crurales vermiculatæ*.

(e) Chesn. *super fluvium Loa*. At Stampæ oppidum situm est ad Junnam fluvium, *la Juine*, qui paullò inferiùs Loa majori ac minori fluviis, *le Loe et le Loet*, augetur. * Apud Aimoinum lib. 3. cap. 91. *super fluvium Junnam*.

(f) Sic Clar. et Boh. At Colb. *cùmque esset arctus pervius ille locus*. In Freh. deest vox *locus*. Alii verò, *cùm esset autem pervius*. Chronica S. Benigni et Besuense, *cùm esset arduus transitus ille*.

(g) Colb. et aliquot editi, *nimiùm stringens, et de rebus etc.*

(h) Hoc falsum esse existimant viri eruditi : quod ex Gregorii Historia lib. 8. cap. 37. et lib. 9. cap. 4. constare videtur. Uterque ex Faileuba legitima Childeberti uxore natus erat : quæ si aliquando concubina apud nonnullos auctores dicta legatur, meminisse debemus ea voce legitimas uxores frequenter designatas fuisse, quæ ex infimo genere natæ erant.

(i) Est Carisiacum, quod posteà adeò celebre fuit inter palatia regia. Boh. habet, *Caraciate*.

(k) Mss. et aliquot ed. *singulos hortabatur*.

A ut cum Theudeberto pacem iniret. Protadius singulus hortabatur ut prælium committeretur : Theudebertus nec procul cum exercitu exinde residebat. Tunc omnis exercitus Theuderici, inventa occasione, supra Protadium inruunt, dicentes melius esse unum hominem moriturum (a), quàm totum exercitum in periculum mitti. Protadius in tentorio Theuderici Regis cum Petro archiatro ad tabulam ludens sedebat, quem undique cùm jam exercitus circumdasset, et Theudericum leudes sui tenebant, ne illuc graderetur, misit Uncilenum ut suæ jussionis verbum nuntiaret exercitui, ut se de insidiis Protadii removerent. Uncilenus protinùs ad exercitum nuntians, dixit : *Sic jubet domnus Theudericus ut interficiatur Protadius.* Inruentes super eum, tentorium Regis gladio undique incidentes, Protadium interficiunt. Theudericus confusus et coactus cum fratre Theudeberto pacem inivit : et illæsus uterque
B exercitus revertitur ad proprias sedes post decessum * Protadii. * *al.* cædem.

XXVIII. Anno xj. regni Theuderici subrogatur Major-domûs Claudius, genere Romanus (b), homo prudens, jucundus in fabulis, strenuus in cunctis, patientiæ deditus, plenitudine consilii abundans, litterarum studiis eruditus, fide plenus, amicitiam cum omnibus sectans. Priorum exempla metuens, lenem se et patientem hujus gradûs ascensus * ostendit. Sed hoc tantùm impedimentum habebat, quòd sagina esset corporis adgravatus. An. 606. * ascensu.

Anno xij. regni Theuderici Uncilenus, qui ad mortem Protadii insidiosè fuerat locutus, instigante Brunichilde, pede truncato, de rebus exspoliatus ad debilitatem (c) perductus est. An. 607.

XXIX. Vulfus Patricius, idemque Brunichilde instigante consilio, qui in mortem Protadii consenserat, Fauriniaco (d) villa, jubente Theuderico occiditur ; et in patri-
C ciatum ejus Richomeris, Romanus genere, subrogatur. Eodem anno natus est de concubina Theuderici filius, nomine Meroveus, quem Chlotharius de sancto lavacro suscepit.

XXX. Eodem anno Theudericus Aridium Episcopum Lugdunensem, Rocconem (e) et Æpporinum Comestabulum ad Bettericum (f) Regem Spaniæ direxit, qui exinde Ermenbergam filiam ejus Theuderico matrimonio sociandam adducerent. Ibique datis sacramentis, ut à Theuderico ne umquam à regno degradaretur, ipsamque accipiunt, et Theuderico Cabillono præsentant, quam ille gaudens diligenter suscepit. Eadem, factione aviæ suæ Brunichildæ, virilem coitum non cognovit : instigantibus verbis Brunichildæ aviæ et Theudilanæ (g) germanæ efficitur odiosa. Post anni circulum (h) Theudericus Ermenbergam exspoliatam à thesauris in Spaniam retransmisit.

D XXXI. Betterícus hæc indignans, legationem ad Chlotharium direxit : legatus Chlotharii cum Betterici legato ad Theudebertum perrexit. Iterùm Theudeberti legati cum Chlotharii et Betterici legatariis ad Agonem (i) Regem Italiæ accesserunt : et unanimiter hi quatuor Reges cum exercitu undique super Theudericum inruerunt, ut regnum ejus auferrent, et eum morte damnarent, eò quòd tantam de ipso reverentiam ducebant. Legatus verò Gotthorum evectu navali de Italia per mare in Spaniam revertitur : sed hoc consilium divino nutu non sortitur effectum. Quod cùm Theuderico compertum fuisset, fortissimè ab eodem despicitur.

XXXII. Eo anno Theudericus, consilio Aridii Episcopi Lugdunensis perfidi utens, et persuasu aviæ suæ Brunichildæ, sanctum Desiderium de exsilio regressum lapidare præcepit (k) : ad cujus sepulcrum miræ virtutes à die transitûs sui Domi-

(a) Alii *mortuum*, al. *mori quàm tantùm*.

(b) Alii *Docudius*. Romanos etiam iste auctor appellat, eos qui genere Franci non erant, sed ex antiquis Galliarum familiis, quæ ante Francorum stabilitum in Galliis imperium Romanis erant subjectæ.

(c) Chesn. et alii *brevitatem*. Boh. *vilitatem*.

(d) Locus ob monasterium ordinis Benedictini, primùm Virginum, tum virorum, celebris, vulgò *Favernay*, ad Lantanam fluviolum in Burgundiæ Comitatu, diœcesique Vesontionensi. In statuto Ludovicii Pii dicitur *Fariniacum*, ut hîc in Chesn. et Freh. Nunc vulgò à tempore S. Bernardi, cujus ille meminit epistola 347. *Faberniacum*, aut *Faverniacum*. Est et *Favernach*, propè Friburgum in Bisgoia ; et *Favernay* vicus inter Divionem et Aussonam in Burgundia.

(e) Editi plerique *Rogonem et Eborinum*. Colb. *Rocconem et Ebronium*, et idem altera manu *Comites-stabuli* : cui Aimoinus consentit, qui habet *Præfectos equorum*. [Chron. S. Benigni, *Roconem et Eboricum Comitem-stabuli ad Bethericum Regem Hispaniæ direxit, ut filiam ejus Hermobergam matrimonio sibi jungendam adducerent.*]

(f) Colb. et al. edit. *Bethericum*. Is est Wittericus, qui occiso Liuba II. regnum Wisigotthorum invasit anno 603.

(g) Sic Clar. Boh. etc. at Colb. cum plerisque ed. *Theodelindæ*. De hac infrà cap. 42.

(h) Ex his verbis nonnulli inferunt ea quæ sequuntur ad an. 13. Theuderici esse revocanda.

(i) Is est Agilulfus Langobardorum Rex, qui et Ago dictus est, ut monet Paulus Diac. lib. 4. cap. 1. et 43. de quo vide suprà notas ad lib. 10. Hist. Greg. cap. 3.

(k) Passus est S. Desiderius Viennensis Episcopus

nus integra assiduitate ostendere dignatur : per quod credendum est, pro hoc malo gesto regnum Theuderici et filiorum suorum fuisse destructum. A

XXXIII. Eo (a) anno, mortuo Betterico, Sisebodus successit in Spaniæ regnum, vir sapiens et per totam Spaniam laudabilis valde, pietate plenissimus : nam et adversùs manum publicam (b) fortiter dimicavit. Provinciam Cantabriam (c) Gotthorum regno subegit, quam aliquando Franci possederant. Dux, Francio nomine, qui Cantabriam tempore Francorum subexerat (d), tributa Francorum Regibus multo tempore impleverat. Sed cùm à parte Imperii fuerat Cantabria revocata (e), à Gotthis, ut suprà legitur, præoccupatur, et plures civitates ab Imperio Romano Sisebodus in litore maris abstulit, et usque fundamentum destruxit. Cùmque Romani ab exercitu Sisebodi trucidarentur, Sisebodus dicebat pietate plenus : *Heu me miserum, cujus tempore tanta sanguinis humani effusio fitur !* cuicumque poterat occurrere B de morte liberabat. Confirmatum est regnum Gotthorum in Spania per maris litora usque montes Pyrenæos.

XXXIV. Ago Rex Langobardorum accepit uxorem, Grimoaldi et Gundoaldi germanam, nomine Theudelindam, ex genere Francorum (f), quam Childebertus habuerat desponsatam. Cùm eam consilio Brunichildæ postposuisset, Gundoaldus cum omnibus rebus secum germanam Theudelindam in Italiam transtulit, et in matrimonium Agoni tradidit. Gundoaldus de gente nobili Langobardorum accepit uxorem, de qua duos filios accepit, his nominibus, Gundebertum et Charibertum (g). Ago Rex, filius Autharii Regis, de Theudelinda habuit filium, nomine Adoaldum (h), et filiam, nomine Gundobergam. Dum Gundoaldus à Langobardis nimiùm diligeretur, factione Agonis Regis et Theudelindæ, cùm ipsum jam C zelo (i) tenerent, ubi ad ventrem purgandum in faldeone (k) sedebat, sagitta saucius moritur.

An. 608. XXXV. Anno xiij. regni Theuderici, cùm Theudebertus Bilichildem (l) habebat uxorem, quam Brunichildis à negotiatoribus mercaverat; et esset Bilichildis utilis, et à cunctis Austrasiis vehementer diligeretur, simplicitatem Theudeberti honestè comportans, nihil se minorem à Brunichilde esse censeret ; sed sæpiùs per legatos Brunichildem despiceret, dum ab ipsa increpabatur, quòd ancilla Brunichildæ fuisset : tandem his et aliis verbis, legatis discurrentibus, ab invicem vexarentur, placitum inter Colerensem et Suentensem (m) fitur : ut has duas Reginas pro pace inter Theudericum et Theudebertum conjungerent ad colloquendum. Sed Bilichildis consiliis Austrasiorum inibi venire distulit.

anno DCVII. die X. Calendas Junias, in territorio Lugdunensi ad Calaronam fluvium, *la Chalaronne*. In ipso loco, ubi passus est, nunc exstat vicus suo ipsius nomine donatus. De eo Cointius tomo 2. ad hunc annum fusiùs disserit, ubi Aridium à sceleribus quæ hîc et superioribus capitibus ipsi tribuuntur, pluribus vindicare conatur. De S. Desiderii martyrio legenda est epistola Adonis ad Ecclesiam Viennensem, cui ipse sæculo 9. præfuit.

(a) Hoc caput deest in cod. Colb. quem Mettensem appellat Cointius : interpolatum tamen dici non potest, quippe quod habetur in veteri exemplari Collegii Claromont. quod sanè haud diu post auctoris ætatem descriptum est. Eadem fermè habet auctor Appendicis ad Marii Chronicum. Ceterùm Sisebodus, seu, ut editi habent, Sisebutus Gundemaro Witterici successori substitutus est anno 612. quare emendandus est Fredegarii calculus. Sisebuti laudes vide apud Isidorum in Chronico ad æram 650.

(b) Id est adversùs Romanos, seu Imperatorem. Aliàs sæpiùs Rempublicam appellat, et infrà Imperii partem.

(c) Ad Hispaniam Tarraconensem pertinebat, hodie vulgò Biscaya, *la Biscaie*, dicitur, cujus incolas nonnulli etiam antiqui auctores Basculos seu Basclos appellant.

(d) Id est *subegerat*, editi, *rexerat*. [Ita Chron. Benign.] Boh. *egerat :* quare Cointius putat hunc Francionem à Childeberto et Clotario Præfectum fuisse Cantabriæ, quam subegerant, ut colligit ex lib. 3. Hist. Greg. cap. 29.

(e) Aliquot ed. *revocatus*. Porrò *à parte Imperii*, id est, *ab exercitu Imperatoris ;* aut certè legendum *ad partem etc.* id est, Imperio restituta. [Chron. S. Benign. *à Patre Imperii.*]

(f) Colb. alt. manu, et Chesn. al. *Bajuariorum*. Theodelinda primùm Authario, Agonis seu Agilulfi decessori nupserat. Vide Paulum Diac. lib. 3. cap. 31. et lib. 4. cap. 5. et seqq. Dicitur ex genere Francorum, non solùm quòd Bajoaria esset tunc sub Francorum ditione, verùm etiam quòd aviam habuerit, ut multi volunt, Ragintrudem Theodeberti I. filiam. Adde quòd matrem habuerit, uti videtur, Vultradam relictam Theodebaldi Regis. * His addit Pagius, Theudelindam neptem fuisse Theodeberti Francorum Regis, qui Wisegardam Walderadæ matris sororem uxorem habuerat.

(g) Alii *Haribertum*, quod perinde est.

(h) Aliàs *Odoaldum*.

(i) Aliàs *in zelum*.

(k) Hinc dictum faldistorium, vulgò *un fauteuil*, quam vocem è Saxonico vocabulo *fald* derivatam volunt. Vide Cangii Glossarium.

(l) Alii *Belichildis*, et infrà *cerneret : sed sæpiùs legatos Brunichildæ*. [In Chronico S. Benigni, pòst *Theoderici* deest *cùm*. Mox, *et cùm esset Belichildis..... nihiloque se minorem à Brunichilde esse cerneret, et sæpiùs..... dum ab ipsa improperatur, quòd ancilla ejus fuisset ; tandem cùm his..... placitum inter Colerense et Suentense consistitur.*]

(m) Chesn. et Freh. *placitus*. Chesn. al. *Colcunse et Soitense*, vel *Segintense*. Colb. Bign. Bar. Ill. et Boch. *Placitum est in Colecensi et Solnitenzi fieri*. Boh. et Colb. *in Colerense et Sogintense*. Hi pagi contermini erant, prior in Austria, alter in Burgundia, in quorum finibus habitum est placitum. Sugintensis nomine designari videtur *le Suntgaw*, in provincia Maxima Sequanorum versùs Elisatiam, quem pagum nonnulli superiori Elisatiæ attribuunt : alter ignotus est.

XXXVI.

A XXXVI. Anno xiiij. regni Theuderici, beati Columbani (a) creverat jam passim fama in civitatibus, sive (b) in universas Gallias et Germaniæ provincias : eratque omnium rumore laudabilis, omnium cultu venerabilis, in tantum ut Theudericus Rex ad eum sæpe Lussovium (c) veniret, et orationum suarum suffragia omni cum humilitate deposceret. Ad quem sæpissimè cùm veniret, cœpit Vir Dei eum increpare, cur concubinarum adulteriis misceretur, et non potiùs legitimi conjugii solaminibus frueretur, ut regalis proles ex honorabili Regina procederet, et non potiùs ex lupanaribus videretur emergere. Cùmque jam ad Viri Dei imperium Regis sermo obtemperaret, et se ab omnibus illicitis segregare sponderet, mentem Brunichildis aviæ, secunda ut erat Jezabelis (d) antiquus an- B guis adiit, eamque contra Virum Dei stimulatam superbiæ aculeo excitat, quia cerneret Viro Dei Theudericum obedire. Verebatur enim ne, si abjectis concubinis Reginam aulæ præfecisset, dignitatis atque honoris sui modum amputasset. Evenit ergo ut quadam die beatus Columbanus ad Brunichildem veniret (erat enim tunc apud Brucariacum (e) villam) cùmque illa eum in aulam venire cerneret, filios Theuderici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad Virum Dei adducit : quos cùm vidisset, sciscitatur quid sibi vellent. Cui Brunichildis ait : *Regis sunt filii, tu eos benedictione robora.* At ille : *Nequaquam,* inquit, *istos regalia sceptra suscepturos scias ; de lupanaribus emerserunt.* Illa furens parvulos abire jubet. Egrediens Vir Dei regiam aulam (f), dum limitem transsiliret, fragor ex terrore incussit, nec tamen miseræ feminæ furorem compescuit : paratque deinde insidias C moliri. Vincinis monasterii per nuntios imperat ut nulli eorum extra monasterii terminos iter pandatur, neque receptacula monachis ejus, vel quælibet (g) subsidia tribuantur. Cernens beatus Columbanus regios animos adversùm se permotos, ad eos properat, ut suis monitis miseram pertinaciæ incentivam frangant (h) : erant enim tunc temporis apud Spinsiam (i) villam publicam. Quò cùm jam sole occumbente venisset, Regi nuntiant Virum Dei inibi esse, nec Regis domibus metare velle. Tunc Theudericus ait, melius esse Virum Dei opportunis subsidiis honorare, quàm Dominum ex servorum ejus offensa ad iracundiam provocare. Jubet ergo regio cultu opportunè * parare, Dei famulo dirigere. Itaque venerunt, et juxta imperium Regis oblata * offerunt. Qui cùm vidisset dapes et pocula cultu regio administrata, inquirit quid sibi ista vellent? Dicunt illi, *Tibi à Rege fore* D *directa.* Abominatus ea ait : *Scriptum est ; Munera impiorum reprobat Altissimus. Non enim dignum est, ut famulorum Dei ora cibis ejus polluantur* (k), *qui non solùm suis * verùm etiam aliorum habitaculis famulis Dei aditum denegat.* His dictis, vascula omnia in frusta disrupta sunt, vinaque ac sicera solo diffusa, ceteraque separatim dispersa. Pavefacti ministri, rei gestæ casum * Regi nuntiant. Ille pavore perculsus cum avia diluculo ad Virum Dei properant. Precantur de commisso veniam, se in posterum emendare pollicentur. His pacatus promissionibus monasterium rediit : sed polliciti vadimonii jura non diu servata violantur (l) : exercentur miseriarum incrementa, solitoque à Rege adulteria patrantur. Quibus auditis, beatus Columbanus litteras ad eum verberibus (m) plenas direxit, comminaturque excommunicationem, si emendari dilatando non vellet. Ad hæc rursùm permota Brunichildis, Regis ani-

An. 609.

* *al.* opportuna.

* *al.* oblatam.

Prov. 15. 8.

* *al.* ad sua... habitacula.

* *al.* causam.

(a) Quæ hîc habentur usque ad hujus capitis finem, iisdem omninò verbis leguntur in Vita S. Columbani per Jonam scripta, num. 31. et seqq. in Actis SS. Ord. Benedictini Sæc. 2. pag. 17.

(b) Sic antiquissima manu emendatum in cod. Clarom. qui aliàs ut editi, habebat : *Beatus Columbanus creverat jam passim fama civitatis suæ in etc.* Colb. *fama invitate sua ;* et altera manu, *invitante.*

(c) Editi cum Colb. *Luxovium*, et sic infrà. [Ita Chron. S. Benigni.] Ibi Columbanus monasterium condiderat, quod ex tunc et sanctitate et Monachorum numero percelebre fuit : superest nunc cum oppido cognomini, in Burgundiæ Comitatu, vulgò *Luxeu* dictum, Congregationi S. Vitoni Ord. S. Benedicti subjectum.

(d) Colb. et Clar. *Zezabelis,* Chesn. al. *diabolica.* Vet. ed. Boch. etc. *secundùm vetera et detestabilia.* Ill. *detestabilis.* Infitiatur Cointius à Theodorico Rege injustas uxores ductas fuisse, nullamque hujus odii causam exstitisse arbitratur, nisi quòd Columbanus à sui monasterii ingressu sæculares viros, etiam Principes, ipsamque Brunichildem arcuisset : quam solam causam memorat auctor coætaneus Vitæ S. Agili Abbatis Resbacensis. Fortè hæc prima fuit jugiorum occasio, ex qua, uti fieri solet, aliæ posteà exortæ fuerunt. Hinc verò mirari subit Patrum nostrorum religionem in fugiendo sæcularium consortio : quantam verò diligentiam in servanda hac arcendorum sæcularium à monasteriis disciplina adhiberent, videsis apud Mabillon. in Præf. Sæcul. 2. Bened. num. 53.

(e) In Vita S. Columbani *Brocariaca* dicitur : vicus est inter Cabilonum et Augustodunum positus, dictus vulgò *Bourcheresse.*

(f) Alii, *reginæ aulam.* Infrà, *parat quidem inde.*

(g) Colb. et ed. *vel cuilibet.*

(h) Sic Boh. alii *miseræ..... intentum frangat.*

(i) Aliàs *Spissia*, vulgò *Espoisse*, inter Sinemurum et Montem-regalem sita in Burgundiæ Ducatu haud procul à Sereno fluvio, qui post emensum pagum Autisiodorensem Icaunæ jungitur.

(k) Boh. *est famulorum Dei orationibus, ut his polluantur :* Freh. *dignus est..... is polleatur.* Aliquot ed. vet. *ut famuli Dei muneribus ejus polluantur.*

(l) Freh. *sed pollicitum vi dæmonii jurandum non diu servatur, violenter.*

(m) Editi vet. *objurgationibus.*

mum adversùs sanctum Columbanum excitat, omnique conatu perturbare intendit; A
oratque proceres aulicos, optimates omnes, ut Regis animum contra Virum Dei
perturbarent : Episcoposque sollicitare adgressa, ut de (a) ejus religione detra-
hendo, statum Regulæ, quam suis custodiendam Monachis indiderat, macularent.
Obtemperantes igitur aulici regii persuasionibus miseræ Reginæ, animum Regis
contra Virum Dei perturbant, cogentes ut accederet, ac religionem probaret.
Abactus (b) itaque Rex ad Virum Dei Lussovium venit, conquestusque cum eo,
cur à provincialibus moribus desciscceret, et intra sæpta secretiora omnibus
Christianis aditus non pateret. Beatus itaque Columbanus, ut erat audax atque animo
vigens, talibus objicienti Regi respondit, se consuetudinem non habere ut sæcu-
laribus hominibus et religione alienis famulorum Dei habitationis pandat introi- B
tum : sed opportuna aptaque loca ad hoc habere parata, quò omnium hospitum
adventus suscipiatur. Ad hæc Rex : *Si*, inquit, *largitatis nostræ munera et solaminis
supplementum capere cupis, omnibus in locis omnium patebit introitus.* Vir Dei respon-
dit : *Si quod nunc usque sub regularis disciplinæ habenis constrictum* * *fuit, violare conaris,
nec tuis muneribus, nec quibuscumque subsidiis me fore à te sustentaturum. Et si
hanc ob causam tu hoc in loco venisti, ut servorum Dei cœnobia destruas, et regularem
disciplinam macules, scito tuum regnum funditus ruiturum, et cum omni propagine regia
periturum* * : quod posteà rei probavit eventus. Jam enim temerario conatu Rex
refectorium ingressus fuerat. His ergo territus dictis foras celer repedat. Duris post
hæc Viri Dei increpationibus (c) Rex urgetur. Contra quem Theudericus ait :
Martyrii coronam me tibi illaturum speras : non esse me tantæ dementiæ scias, ut hoc C
*tantum patrarem scelus, sed potioris consilii tibi scias utilia paraturum, ut qui ab omnium
sæcularium moribus disciscit* (d), *qua venerit, ea via repedare studeat.* Aulici
simul consona voce vota prorumpunt; se habere in his locis non velle, qui omni-
bus non societur. Ad hæc beatus Columbanus se dicit de cœnobii sæptis non
egressurum, nisi violenter abstrahatur. Discessit ergo Rex, relinquens virum quem-
dam procerum, nomine Baudulfum (e). Is ergo cùm remansisset, Virum Dei à
monasterio pellit, et penes Vesontionem oppidum ad exsulandum perducit, quoad
usque ex eo regalis sententia quod voluisset decerneret. Posthæc Vir Dei cernens
quòd nullis custodiis angeretur, à nulloque molestiam ferret : videbant enim om-
nes in eo Dei virtutem flagrare, ideòque omnes ab ejus injuriis segregabantur,
ne socii culparum forent : ascendit ergo Dominica die in verticem ardui cacuminis D
* *al.* diffuso. montis illius, ita enim situs urbis habetur, cùm domorum densitas in defuso *
latere proclivi montis sita sit, prorumpens (f) ardua in sublimibus cacuminibus,
qui undique ei abscisi fluminis Dovæ (g) alveo vallante, nullatenùs commeantibus
viam pandit, ibique usque ad mediam diem exspectat, si aliquis iter ad monaste-
rium revertendi prohibeat. Et cùm nullus contrarius existeret, ipse per mediam
urbem cum suis ad monasterium regreditur. Quo audito Brunichildis ac Theuderi-
cus, quòd scilicet ab exsilio revertisset, atrocioribus iræ aculeis stimulantur, juben-
tes Berthario Comiti attentiùs perquirendum virorum (h) cum præsidio, simulque
et Baudulfum, quem superiùs dixeram, destinarunt. Quò cùm venissent, beatum
Columbanum in Ecclesia positum, psallentio (i) ac orationi deditum cum omni
congregatione fratrum reperiunt; sicque Virum Dei alloquuntur : *Precamur ut* (k) E
*tam regiis quàm etiam nostris obedias præceptis, egressusque eo itinere quo primùm his
adventasti in locis.* At ille : *Non enim*, inquit, *reor placere Conditori ad semel natale
solum ob Christi timorem relictum denuò repedare.* Cùmque nullatenùs cernerent sibi,
Virum Dei obaudire, relictis quibusdam, quibus ferocitas animi fortior inerat,
Bertharius abscessit. Hi verò qui remanserant, Virum Dei hortantur ut illis mise-
reatur, qui ad tale opus patrandum infeliciter fuerant relicti, eorumque periculo

* *al.* constructum.

* *al.* demersurum.

(a) Alii, *et de ejus..... et statum.* Colb. altera manu, sicut et Jonas in Vita S. Columbani, *et ut ejus religioni detrahentes statum etc.* Clarom. infrà *macularet.*

(b) Chesn. *Adactus.* Jonas, *Coactus itaque Rex.* [Chron. S. Benigni, *cur ab provincialium moribus.*]

(c) Quæ sequuntur ad hæc verba, *qua venerit,* ope mss. et Jonæ restituimus, quæ in editis mendosa sunt.

(d) Alii *recesserat*, aut *discescat.*

(e) Colb. Boh. et plerique ed. *Audulfum*, aut *Adulfum.* Chesn. al. et Freh. al. *procerem*, *nomine Audulfum.*

(f) Chesn. etc. *prorumpunt.*

(g) Editi plerique cum Colb. *Deme*; Boh. *Deviæ*; Freh. *Deniæ*; Chesn. al. *Duvii.* Est Dubis fluvius, *le Dou*, qui Vesontionem Sequanorum metropolim alluit.

(h) Colb. et plerique ed. *virum..... superiùs direxerat.*

(i) *Psallentio*, id est, ut hodie loquimur, psalmodiæ. Unde non rectè emendarunt qui posuere *psallentem.*

(k) Editi plerique, *ut non tam regiis.*

A consuleret; qui si eum violenter non abstraherent, mortis eos periculum incurrere. At ille se ait jam sæpiùs testatum esse, nisi vi abstraheretur, non discessurum. Illi gemino vallati periculo, undique urgente formidine, pallium quo indutus erat adtingunt : alii genibus provoluti cum lacrymis precantur ut pro tanti sceleris culpa illis ignosceret, qui non suis desideriis, sed regiis obtemperarent præceptis. Videns itaque Vir Dei periculum fore, si suæ severitati satisfaceret, cum omni ejulatu atque mœrore egreditur, deputatis custodibus, qui quousque ditionis suæ regno pelleretur, non eum relinquerent. Inter quos primus Ragumundus (a) erat, qui eum Namnetis usque perduxit. Sicque à regno Theuderici expulsus, iterùm Hiberniam insulam, repedare disposuit. Sed ut (b) nulli penitùs iter gradiendum fit pontificium, nisi permissu Altissimi : ipse verò sanctus Italiam expetens, monasterium in
B loco, nomine Bobio (c), illuc construens sanctæ conversationis, plenus dierum migrat ad Christum (d).

XXXVII. Anno xv. (e) regni Theuderici, cum Alesaciones (f), ubi fuerat enutritus, præcepto patris sui Childeberti tenebat, à Theudeberto ritu barbaro pervaditur. Unde placitum inter hos duos Reges, ut Francorum judicio finiretur, Saloissa (g) castro instituunt : ibique Theudericus cum scaritis (h) tantùm decem millibus accessit. Theudebertus verò cum magno exercitu Austrasiorum inibi prælium vellens committere aggreditur; quòd cùm undique Theudericus ab exercitu Theudeberti circumdaretur, coactus atque compulsus Theudericus, timore perterritus, per pactionis vinculum Alsacios et partem Theudeberti firmavit; etiam et Suggentenses et Turenses et Campanenses (i), quos sæpiùs repetebat, idemque
C amisisse visus est. Regressus uterque ad sedes proprias. His diebus et Alamanni in pago Aventicensi (k) Ultra-Jurano hostiliter ingressi sunt, ipsumque pagum prædantes, Abbelinus et Herpinus (l) Comites, cum ceteris de ipso pago Comitibus, cum exercitu pergunt obviàm Alamannis. Uterque phalangæ wangas (m) jungunt ad prælium; Alamanni Trans-Juranos superant, pluritatem eorum gladio trucidant et prosternunt : maximam partem territorii Aventicensis incendio concremant ; plurimorum nimiùm hominum multitudinem exinde in captivitatem duxerunt : reversique cum præda pergunt ad propria. Theudericus ob has injurias deinceps integra assiduitate consilium iniebat, quo pacto Theudebertum potuisset opprimere. Eo anno Bilichildis (n) à Theudeberto interficitur. Theudebertus puellam, nomine Theudichildem, accepit uxorem. An. 610.

Anno xvj. (o) Theuderici, Theudericus legationem ad Chlotharium direxit, indicans se contra Theudebertum, eò quòd frater suus non esset, hostiliter velle An. 611.

(a) In Vita S. Columbani *Ragamundus*, Freh. *Raguimundus*.

(b) Colb. alt. manu sic habet : *Sed admonitus per spiritum quod semel reliquerat ne iterùm repeteret, gressum retrò retorquens Italiam expetit.*

(c) Situm est Bobium in valle profundissima in Alpibus Cottiis ad fluviolum cognominem, haud procul à flumine Trebia et Apennino. Crevit in urbem, episcopali sede donatam anno 1014. superest tamen adhuc monasterium, licèt exiguum, sub Congreg. Casinensi. De quo plura videsis in Itinere Italico Mabilloniano pag. 215. Obiit S. Columbanus an. 615. cujus festum Beda et Wandelbertus XI. alii IX. Cal. Decembris consignant. Eum Paulus Diac. in Gest. Langob. Aimoinus etc. laudant.

(d) In Colb. altera, sed antiqua manu, hæc ad marginem addita sunt, quæ videntur ex Anonymo qui Gesta Francorum scripsit sub Theoderico Rege desumta ex cap. 38. *Brunichildis verò Regina non cessabat quotidie Theudericum monere dicens : Quare negligis, et quare non requiris thesaurum patris tui ac regnum ejus de manu Theudeberti, cùm scias eum non esse fratrem tuum. In adulterio enim de concubina patris tui procreatus est. His itaque ac talibus incitationibus utcumque percitus, cæpit alter in alterum consurgere.* Vide suprà cap. 27.

(e) Sic mss. et Freh. at Colb. Bign. Bar. et Boch. mendosè *anno duodecimo*. Ches. annum non exprimit.

(f) Id est Elisatiam seu Alsatiam, provinciam notissimam, ubi apud Marilegium nutritus fuerat Theudericus, uti refert Gregorius Turonensis. Ex hoc autem loco vir Cl. Obrechtus in Prodromo rerum Alsaticarum meritò eorum opinionem rejicit, qui scripsere Alisatiæ nomen ante sæculum octavum nusquam apud auctores reperiri.

(g) Mirum est quàm variis modis scriptum fuerit hujus loci nomen, qui situs est ad Rhenum inter Tabernas et Brocomagum, dictus vulgò *Seltz*. Vide Notitiam Valesii ad vocem *Saletio*.

(h) Mss. *utrumque*. Porrò scaritorum nomine milites designari puto, sic à *scara* dictos : qua voce militum cuneus, sive bellatorum acies exprimitur. Hinc vox nostra gallica *escarmouche* profluxit. Vide Alteserram in hunc locum, et Cangii Glossarium.

(i) Jam suprà diximus ad caput 35. de Comitatu Sugintensi, vulgò *Suntgaw*. Turensis verò, quem incautè Aimoinus Turonensem appellat, videtur esse *le Turgow*, pagus Helvetiorum inter pagum Tigurinum et lacum Constantiensem. Campanensis nomine hîc designari putat Cointius eam Campaniæ partem, quæ est circa Sequanæ ripas, supra infraque Trecarum urbem, quam anteà Guntramnus tenuerat. Verùm pagus hîc memoratus haud procul à Sugintensi et Turensi videtur abfuisse. Chesn. al. et Freh. al. habent *Campianenses*.

(k) Aventicum, urbs olim celebris et Helvetiorum caput, hodie ad vicum redacta, Episcopum habuit Marium Chronici scriptorem, qui subscripsit Concil. Matiscon. II. anno 585. nunc verò sedes ejus episcopalis Lausannam translata est. A nobis *Avenche*, ab incolis *Wuflisburg* appellatur.

(l) Aliquot editi *Appellinus et Erpinus*, al. *Abbelenus*.

(m) Sic. mss. Editi aliquot *ordines*. Et infrà *plurimi eorum*, Colb. *plures tunc*.

(n) Alii *Belieldis*. Erat ipsius Theodeberti uxor ex cap. 35. suprà.

(o) Clar. et aliquot editi *anno xv*.

aggredere, si Chlotharius in solatio Theudeberti non esset. Ducatum Dentelini (a), A
quem contra Theudebertum cassaverat, si Theudericus Theudebertum superaret, Chlotharius supra memoratum Dentelini Ducatum in suam ditionem reciperet. Hac convenientia à Theuderico et Chlothario, legatis intercurrentibus, firmata, Theudericus movet exercitum.

An. 612. XXXVIII. Anno (b) xvij. Theuderici Regis, Lingonas de universis regni sui provinciis mense Madio exercitus adunatur, dirigensque per Andelaum (c), Nasio castro capto, Tullum civitatem perrexit. Ibique Theudebertus cum Austrasiorum exercitu obviàm pergens, in Tullensi campania confligunt certamine. Theudericus superat Theudebertum, ejusque exercitum prosternit. Cæsa est de exercitu eodem prælio nimia multitudo virorum fortium. Theudebertus terga vertens per territorium Mettense veniens, transito Vosago Coloniam fugaciter per- B
venit. Theudericus post tergum cum exercitu insequens, beatus et Apostolicus vir Leonisius (d) Magancensis urbis Episcopus, diligens utilitatem Theuderici, et odiens stultitiam Theudeberti, ad Theudericum veniens dixit : *Quod cœpisti perficito, satis te utiliter oportet hujus rei causam expetere. Rustica fabula dicitur, quòd cùm lupus ascendisset in montem, et cùm filii sui jam venare cœpissent, eos ad se in monte vocat dicens : Quàm longè oculi vestri in unamquamque partem videre prævalent, non habetis amicos, nisi paucos qui de vestro genere sunt. Perficite igitur quod cœpistis.* Theudericus cum exercitu Ardennam transiens Tolbiacum pervenit. Theudebertus cum Saxonibus, Theuringis et ceteris gentibus, quos de ultra Rhenum, vel undique potuerat adunare, contra Theudericum Tolbiacum perrexit, ibique denuò commissum est prælium. Fertur à Francis ceterisque gentibus ab antiquitus (e) sic forte C
nec aliquando fuisse prælium conceptum. Ibi enim tanta strages ab utroque exercitu facta est, ut phalanges in ingressu certaminis contra se præliantes (f) cadavera virorum occisorum undique non haberent ubi inclinata jacerent, sed stabant mortui inter ceterorum cadavera stricti quasi viventes. Sed Domino præcedente iterùm Theudericus Theudebertum superat, et à Tolbiaco usque Coloniam exercitus Theudeberti gladio (g) trucidatur. Per loca oram terræ cooperuit, ipsoque die Coloniam perrexit, omnesque thesauros Theudeberti inibi recepit. Dirigensque Theudericus ultra Rhenum post tergum Theudeberti Bertharium cubicularium, qui diligenter Theudebertum insequens, cùm jam cum paucis fugeret, ipsum captum Bertharius Coloniæ conspectui Theuderici præsentat, exutum vestibus regalibus (h). Theudebertus exspoliatus, equusque ejus cum stratura regia, hoc totumque Berthario à Theuderico conceditur. D
Theudebertus (i) vinctus Cabillono destinatur : filius ejus, nomine Meroveus, parvulus jussu Theuderici adprehensus à quodam per pedem ad petram percutitur, cerebrum ejus capite eruptum amisit spiritum. Chlotharius Ducatum Dentelini secundùm convenientiam Theuderici integrum suæ ditioni redigit. Ob quam rem Theudericus cùm jam toti Auster (k) dominaretur, nimia indignatione commotus, contra Chlotharium exercitum movet.

An. 613. Anno (l) xviij. regni sui de Auster et Burgundia movere præcepit, legationem priùs dirigens, ut se Chlotharius de jam dicto Ducatu Dentelini omni modo removeret : alioquin noverit se exercitu Theuderici undique regnum Chlotharii impleturum. Quod verbum quemadmodum legati nuntiarant, probavit eventus.

XXXIX. Ipso quoque anno jam exercitus contra Chlotharium adgrediebat,

(a) Alii *Denzelini*, et infrà.

(b) [Chron. S. Benigni, *Anno XVI.*]

(c) Hic locus, ut jam aliàs monuimus, priscum nomen retinet, vulgò *Andelot* in Lingonum diœcesi versùs Nasium castrum Leucorum, quod nunc in Ducatu Barrensi situm ad Ornam flumen, *Naz* vulgò appellatur. Nasium olim celebre fuit, uti patet ex vetustis auctoribus et ex nummis antiquis, qui ibi frequenter inveniuntur. Certè cùm in ea regione versaremur an. 1696. detecta est camera, cujus muri musivo incrustati erant, ex quibus lapilli quadrati inde eruti ad nos delati fuerunt. Hunc autem locum malè nonnulli Nanceium Lotharingiæ caput esse scripserunt.

(d) In Clar. et Chesn. al. *Lesio*. Fuit Moguntinus Episcopus, quem alio nomine Lindegasium, seu Ludegastum appellatum fuisse Cointius dicit. Sanctus Lindegasius dicitur à Bruschio in catalogo Episcop. Moguntinorum.

(e) Alii *ab antiquo tam numquam fuisse prælium factum.*

(f) Cod. Clar. *ubi phalanges..... præliantur, ut cadavera.* [Chron. S. Benigni, *ubi phalanges in congressu certaminis præliabantur, ut cadavera.*]

(g) [Chron. S. Benigni, *gladio trucidatus, oram terræ cooperuit.*]

(h) Chesn. *præsentat exhibitum, veste regali etc.* Colb. utramque lectionem habet, et infrà aliquot, *cum ferratura.*

(i) [Chron. S. Benigni, *Persecutus est ergo Theodebertum Theodericus, et suorum proditione captum ad avium Brunichildem Cabillono direxit. Quem illa cùm recepisset, quia Theoderici partibus magis favebat, furens Theodebertum fieri Clericum rogavit, ac non multò pòst impiè nimis perimi jussit.*]

(k) Sic Clar. semper Austriam designat, editi variant.

(l) [Chron. S. Benigni, *Anno XVII. regni sui Theodericus exercitum de Austrasiis et Burgundia moveri præcepit.*

A cùm Theudericus Mettis profluvio ventris moritur. Exercitus protinùs rediit ad proprias sedes. Brunichildis cum filiis Theuderici quatuor, Sigiberto (a), Childeberto, Corbo et Meroveo, Mettis residens, Sigibertum in regno patris instituere nititur. SIGIBERTUS II.

XL. Chlotharius factione Arnulfi et Pippini (b), vel ceterorum procerum Auster ingreditur. Cùmque Antonnacum (c) accessisset, et Brunichildis cum filiis Theuderici Warmaciæ (d) resideret, legatos his nominibus, Chadoindum et Herponem (e), ad Chlotharium direxit, contestans ei, ut se de regno Theuderici, quod filiis reliquerat, removeret. Chlotharius respondebat; et per suos legatos Brunichildi mandabat, judicio Francorum electorum (f), quicquid præce-
B dente Domino à Francis inter eosdem judicabitur, pollicetur sese implere. Brunichildis Sigibertum seniorem filium Theuderici in Thoringiam direxit, cum quo (g) Warnacharium Majorem-domûs et Alboënum cum ceteris proceribus destinavit, ut gentes quæ ultra Rhenum sunt adtraherent, qualiter Chlothario potuissent resistere. Post tergum indiculum direxit, ut Alboënus cum ceteris Warnacharium interficeret, eò quòd se in regnum Chlotharii vellet transferre : quem indiculum relectum Alboënus disruptum projecit in terram. Inventus est à puero Warnacharii : super tabula cera linita denuò ipse solidatur (h). Quo indiculo relecto Warnacharius cernens se vitæ periculum habere, deinceps cogitare cœpit, quo pacto filii Theuderici opprimerentur, et in regnum Chlotharius eligeretur : gentes quæ illic adtractæ fuerant, consilio secreto de solatio Brunichildis et filiorum Theude-
C rici procul fecit abesse : exinde regressi cum Brunichilde et filiis Theuderici Burgundias adpetunt, missis (i) per universum Auster discurrentibus exercitum movere nitebantur.

XLI. Burgundiæ Farones (k) verò, tam Episcopi quàm ceteri leudes, timentes Brunichildem, et odium in eam habentes, cum Warnachario consilium inientes tractabant, ut neque unus ex filiis Theuderici evaderet, sed eis omnibus oppressis, et Brunichildem delerent, et regnum Chlotharii * expeterent : quod probavit eventus. Cùmque jussu Brunichildæ et Sigiberti filii Theuderici exercitus de Burgundia et Auster contra Chlotharium adgrederetur. * *al.* Chlothario.

XLII. Veniensque Sigibertus in Campaniam territorii Catalaunensis (l) super fluvium Axonam (m), ibique Chlotharius obviàm cum exercitu venit, multos jam de Austrasiis secum habens factione Warnacharii Majoris-domûs, sicut jam
D olim tractaverat, consentientibus Aletheo Patricio, Roccone, Sigoaldo et Eudelane Ducibus. Cùmque in congressu certaminis debuissent cum exercitu confligere, priusquàm præliari cœpissent, signa dantes, exercitus Sigiberti terga vertens redit ad proprias sedes. Chlotharius paullatim, ut convenerat, post tergum cum exercitu sequens, usque Ararim Saogonnam (n) fluvium pervenit. Captis filiis Theuderici tribus, Sigiberto, Corbo et Meroveo, quem ipse de fonte excepit; Childebertus fugaciter ascendens (o), nec umquam posteà fuit reversus. Austrasiorum exercitus inlæsus revertitur ad proprias sedes. Factione Warnacharii Majo-

(a) Sic Clar. Ed. cum. Boh. et Colb. *Sigoberto*, et sic semper.

(b) Arnulfus Episcopus Mettensis, de quo et Pippino infrà.

(c) Colb. et Boh. cum ed. plerisque *Captonacum*. At hîc Antonnacum designatur, vulgò *Andrenach*, oppidulum inter Bonnam et Confluentes sub ditione Archiepiscopi Coloniensis. Captonacum verò palatium fuit haud procul Lutetia dissitum, cujus situs incertus est, nisi sit vicus *Chatou*, prope S. Germanum in Laia. Vide lib. 4. de re Diplomatica num. 29.

(d) Urbs notissima, vulgò *Wormes*.

(e) Ed. aliquot et Colb. *Erbone*, Boh. *Caduino*.

(f) Alii *electo*. Res majoris momenti *judicio Francorum*, id est ordinum seu statuum regni finiebantur. Eo capitali sententia damnatus fuit Bernardus Italiæ Rex, qui adversùs Ludovicum Pium patruum suum conjuraverat : quam pœnam temperavit Ludovicus oculorum orbitate contentus. Huic successit XII. Parium Franciæ, tum parlamentorum, institutio.

(g) Chesn. Freh. etc. *direxit, apud quem Warnacharium*, al. *Warnharium, Alboinum*.

(h) Al. *linitus denuò solidatur*. Hinc Chiffletius in Anastasi Childerici infert Reges nostros pugillaribus ceratis usos fuisse, quibus mandata sua, (indiculi hîc dicuntur) committebant.

(i) Colb. *Brunichildis missis... nitebatur*.

(k) Colb. et aliquot edit. *Barones :* quæ vox posteà maximè in usu fuit ad designandos regni optimates. Farones autem dicti sunt quòd è nobili *fara* editi sint. Faræ enim generationes sunt, seu lineæ, ut habet lex Langob. lib. 3. tit. 14. et monet Paulus Diaconus lib. 2. Hist. Langobard. cap. 9. Unico verbo legendum esset Burgundæfarones, ut infrà cap. 44. et hîc Boher. *Burgundefarones*. Etenim S. Faro Episcopus Meldensis Burgundofarus appellabatur, ejusque soror Burgundofara, ut ex eorum Vitis patet in Sæculo 2 Benedictino.

(l) Chesn. *Campaniæ territorium Catalaunense*, alii *Campaniam Catalaunensem*.

(m) Editi aliquot cum Boh. et Colb. *Coxoniam*. Item aliquot ed. mendosè *fluvium Coxoma :* sed hîc designatur Axona, *l'Aisne*, Campaniæ fluvius, qui Suessionibus irrigatis Isaræ permiscetur propè Compendium.

(n) Clar. *Sauconnam*, Colb. *Sagonnam :* quæ omnia eumdem fluvium *la Saone* designant; unde Freh. et Chesn. habent *id est Saogonnam*.

(o) Colb. secunda manu, *fugam iniens ascenso equo numquam posteà visus est*. Huc porrò revocandum est id quod narrat Florentius Presbyter Tricasti-

ris-domûs, cum reliquis maximè totis proceribus de regno Burgundiæ, Brunichildis ab Herpone Comestabulo de pago Ultra-Jurano ex villa Urba (a) unà cum Theudelane germana Theuderici producitur, et Chlothario Rionava vico (b) super Vincenna fluvio præsentatur. Sigibertus et Corbus filii Theuderici jussu Chlotharii interfecti sunt. Meroveus secretiùs jussu Chlotharii in Neptrico (c) perducitur, eumdem amplectens amore, quòd ipsum de sancto excepisset lavacro, Ingobodo Graffioni (d) commendatur, ubi plures post annos vixit. Chlotharius, cùm Brunichildis suo conspectui præsentaretur, et odium contra ipsam nimium haberet, reputans ei eò quòd decem Reges Francorum per ipsam interfecti fuissent, id est, Sigibertus, et Meroveus, et genitor suus Chilpericus, Theudebertus et filius suus Chlotharius, item Meroveus filius Chlotharii, Theudericus, ejusdemque filii tres, qui ad præsens exstincti fuerant; per triduum eam diversis tormentis adsectam, jubet priùs camelo per omnem exercitum sedentem perducere, posthæc coma capitis, uno pede et brachio ad vitiosissimi (e) equi caudam ligare; ibique calcibus et velocitate cursûs membratim disrumpitur (f). Warnacharius in regno Burgundiæ substituitur Major-domûs, sacramento à Chlothario accepto, ne umquam vitæ suæ temporibus degradaretur. In Auster Rado idemque hunc gradum honoris adsumsit. Firmatum est omne regnum Francorum, sicut à priore Chlothario (g) dominatum fuerat, cum cunctis thesauris ditioni Chlotharii junioris subjicitur, quod feliciter pòst sex-decim annis (h) tenuit, pacem habens cum omnibus gentibus vicinis. Iste Chlotharius patientiæ deditus, litteris eruditus, timens Deum, Ecclesiarum et Sacerdotum magnus munerator, pauperibus eleemosynam tribuens, benignum se omnibus et pietate plenum ostendens: venatione ferarum nimia assiduitate utens, et postremùm mulierum et puellarum suggestionibus nimiùm annuens, ob hoc quidem blasphematur (i) à leudibus.

An. 613. XLIII. Cùm anno xxx. regni sui Burgundiæ et Auster regnum adripuisset, Herponem (k) Ducem, genere Francum, loco Eudelani (l) in pago Ultra-Jurano instituit: qui dum pacem in ipso pago vehementer arripuisset sectari, malorum nugacitatem reprimens, ab ipsis pagensibus, instigante parte adversa, consilio Alethei Patricii et Leudemundi Episcopi et Herponis Comitis per rebellionis audaciam Herpo Dux interficitur. Chlotharius cùm in Alsatia villam, Marolegiam (m) cognomento, cum Bertethrude * Regina accessisset, pacem sectatus, multos iniquè agentes gladio trucidavit.

* *al.* Bertrude.

XLIV. Leudemundus quidem Episcopus Sedunensis (n) ad Bertethrudem Reginam veniens secretiùs, consilio Alethei verba ignominiosa dixit, quòd Chlotharius eodem anno omnimodis migraret de sæculo, ut thesauros, quantùm poterat, secretissimè ad Sedunis suam civitatem transferret, eò quòd esset locus tutissimus, et Aletheus esset paratus (o), suam relinquens uxorem, Bertethrudem Reginam accipere, eò quòd esset regio genere de Burgundionibus; ipse post Chlo-

nus in Vita sanctæ Rusticulæ Abbatissæ Arelatensis, apud Chesnium tomo 1. pag. 565. ubi accusata fuisse dicitur apud Chlotarium, *quòd illa occultè Regem nutriret*. Non enim alius est iste Rex quàm Childebertus hìc memoratus. Unde hac accusatione recepta Chlotarius, ira commotus diligentissimè rei veritatem indagari mandavit; veritus quippe ne ille in patris sui regnum reditum meditaretur.

(a) Plerique editi *Urbana cum*. Clar. et Chesn. al. *Orba*. Utrumque nomen *Urba* et *Orba*, apud auctores occurrit, vulgò dicitur *Orbe*, seu *Orbach*, castrum cognomini fluvio impositum in Burgundiæ libero Comitatu.

(b) Colb. cum plerisque editis *in Novo-vico*. Rionavam Cointius interpretatur *Rionne*. Vincenna, *la Vicenne*, seu *Vigenne*, in Ararim influit propè Pontem-Arleium.

(c) Sic semper Clar. At Boh. Chesn. et Freh. *Neptriam*, al. *Neptrico*. Colb. Bign. Bar. Boch. et Ill. *Neustriam*: quibus omnibus eadem Neustria designatur.

(d) Graffiones iidem erant ac Comites seu Judices pagorum, ut ex variis auctoribus antiquis patet, quos videsis in Cangii Glossario. Eos autem sic dictos putat Chiffletius in Anastasi Childerici, quòd graphiarium Regis custodirent. Graviones passim scribuntur, et hodieque Lantgravii apud Germanos nobilissimi habentur.

(e) Al. *ferocissimi*, et infrà *comam*.

(f) Brunichildem falsò à Jona et Fredegario multorum criminum accusatam fuisse pluribus contendit Cointius, quem, si lubet, consule, potissimùm ad annum DCXIII. ubi ejus apologiam scribit, ac laudes ejusdem ex variis monumentis congerit. Ejus supplicium describitur quoque in Marii appendice [suprà pag. 19.] Brunichildem vindicare item conatur Johannes Mariana lib. 5. rerum Hisp. cap. 10. Ejus porrò obitus IV. Kal. Maii notatur in Necrologio Monasterii S. Martini Æduensis ab ea conditi, ubi et in mausoleo marmoreo, quod etiamnunc superest, sepulta fuit.

(g) Clotarius I. filius Chlodovei, defunctis fratribus et nepotibus suis, monarchiam obtinuerat.

(h) Boh. *per xvj. annos*. Freh. *post xv. annos*.

(i) Id est vituperatur, gallicè *blâmé*, ut jam observavimus.

(k) Aliàs *Herpinum*.

(l) Chesn. et Freh. *Theudelanis*, Chesn. al. *Eudelanis*.

(m) Sic Clarom. optimè. Colb. et Chesn. *Maurolegiam*, Chesn. al. *Maurolegico*. Editi plerique *Villam Aurolegiam*. De hac suprà diximus.

(n) Sic Clarom. at Colb. et Boh. cum editis plerisque, *Sidonensis*, et sic inferiùs. Sedunum vulgò *Sion*, in Valesia, de qua urbe jam diximus.

(o) Freh. et Ches. *Patricius qui..... acciperet*. Ed. nonnulli, et sic semper *Bertrudem*, al. *Beretrudem*, appellant.

A tharium (a) posset regnum adsumere. Regina Bertethrudis cùm hæc audisset, verita ne veritas subsisteret, in lacrymas prorumpens abiit in cubiculum. Leudemundus cernens se hujuscemodi verbis habere periculum, fugaciter per noctem Sedunis perrexit : exinde latenter fuga Lussovium ad domnum Austasium Abbatem (b) pervenit. Posthæc ab ipso Abbate cum domno Chlothario his culpis excusatur, et ad suam reversus est civitatem. Chlotharius Massolaco (c) villa cum proceribus residens, Aletheum ad se venire præcepit : hujus consilio iniquissimo comperto, gladio trucidare jussit.

Anno xxxiij. (d) regni Chlotharii Warnacharium Majorem-domûs cum universis Pontificibus, sed et Burgundæfarones (e) Bonogelo villa ad se venire præcepit, ibique cunctis illorum justis petitionibus annuens, præceptionibus roborat. An. 616.

XLV. Langobardorum gens quemadmodum tributa duodecim millia solidorum
B ditioni Francorum annis singulis dissolvebant, referam ; vel quo ordine duas civitates, Augustam et Siusium (f) cum territoriis à parte Francorum cassaverant, non abscondam. Defuncto Clep ipsorum (g) Principe, duodecim Duces (h) Langobardorum duodecim annis sine Regibus transigerunt. Ipsoque tempore, sicut suprà scriptum legitur, per loca in regnum Francorum proruperunt ; pro ea præsumtione in compositione Augustam et Siusium civitates cum integro illorum territorio et populo, partibus Guntchramni tradiderunt. Posthæc legationem ad Mauricium Imperatorem dirigunt ; hii duodecim Duces singulos legatarios destinant, pacem et patrocinium Imperii petentes ; iidemque et alios legatarios duodecim ad Guntchramnum et Childebertum destinant, ut patrocinium et defensionem Francorum habentes, duodecim millia solidorum annis singulis his duobus Regibus in tributa implerent, vallem cognomento Ametegis partibus Guntchramni cassantes : ut his legatis, ubi plus con-
C gruebat, patrocinium sibi firmarent. Posthæc integra devotione patrocinium eligunt Francorum. Nec mora, pòst permissu Guntchramni et Childeberti Autharium (i) Ducem super se Langobardi sublimant in regno. Alius Autharius idemque Dux, cum integro suo Ducatu se ditioni tradidit Imperii, ibique permansit : et Autharius Rex tributa quæ Langobardi ad partem Francorum spoponderant, annis singulis reddidit. Post ejus discessum filius ejus Ago (k) in regnum sublimatus, similiter implesse dignoscitur.

Anno xxxiv. (l) regni Chlotharii, legati tres nobiles ex gente Langobardorum, Agiulfus, Pompegius et Gauto (m), ab Agone Rege ad Chlotharium Regem destinantur, petentes ut illa duodecim millia solidorum, quæ annis singulis Francorum ærariis dissolvebant, debuissent cassari, exhibentes ingeniosè secretiùs tria millia solidos, ex quibus Warnacharius mille Gundelandus mille, et Chucus (n) mille acceperunt : Chlothario verò triginta sex (o) millia solidorum insimul exhibebant. Quare consilio suprascriptorum, qui occultè exeniati fuerant, Chlotharius ipsa tributa à parte Langobardorum cassavit ; et amicitiam perpetuam cum Langobardis sacramentis et pactis firmavit. An. 617.

(a) Colb. et alii editi *sub Chlotario*. Freh. *ipsa sub Chlotario*.

(b) Editi plerique *ad domum Austrasii Abbatis*. Sic et Colb. qui cum Freh. et Chesn. al. habet *Austrasii*. Is est S. Eustasius beati Columbani successor, cujus Vita ex Jona habetur Sæculo 2. Bened. inter Acta Sanctorum, ad annum 625.

(c) Clar. *Masolacum*, hujus villæ situs ignotus est. Vide lib. 4. de re Diplomat.

(d) Sic Clar. ceteri omnes cum Aimoino *anno xxiiii.* id est 617. [Chronic. sancti Benigni, *Anno XXXIIII. regni Clotarius Walnarium, quem Majorem-domûs in Burgundia instituerat, cum universis Pontificibus Burgundiæ, seu et Burgundo-Faronis, Bonogello villa etc.*

(e) Sic Clar. at Colb. cum ed. *Pontificibus Burgundiæ et Faronibus*. Boh. *Burgundiæfaronis*. Canones 10. ex cod. ms. Remensis Ecclesiæ refert Petrus Delalande in Supplemento antiquorum Conciliorum Galliæ, pag. 62. ad annum 618. quos in hac Synodo conditos existimat. Complures sub nomine Bonegesili villæ faciunt situm istius incertum, quæ regia fuit, vulgò dicuntur *Boneil*. Hìc Cointius designari vult eam, quæ in Briegio prope Matronam sita est haud procul à Calensi monasterio ; alii alteram in agro Parisiensi positam. Vide lib. 4. de re Diplomat.

(f) Ea est Augusta-Prætoria Salassorum, vulgò *Aoust* ; Susium verò seu Segusium, *Suze*, quæ anteà ex Italia Transpadana, tum in Liguria censebantur, post hanc cessionem ad Burgundiam pertinuere. Vide Valesii Notitiam. Ed. infrà *ad partem*.

(g) Freh. *Clepioso summo* : Chesn. *Clepeo summo*, al. ed. *Clepioso Principe*.

(h) Paulus Diac. triginta quinque Duces fuisse scribit lib. 2. cap. 32.

(i) Colb. et aliquot ed. *Chlotharium*, alii *cum Chlotario*. Vide lib. 3. Hist. Lang. Paul. Diac.

(k) Ago seu Agilulfus Autharii filius non fuit. Unde hæc ad Adoloaldum Agonis filium revocanda esse conjicit Valesius. Sed Fredegarius putavit Agonem Autharii fuisse filium, quòd ei in regno successisset.

(l) Sic Clarom. Ceteri *anno xxxv.* qui est 618.

(m) Alii, *Agilulfus*, *Pompeius*, *Guto*. Ago autem secundùm Cointii calculum tunc defunctus erat. Si tamen, ut aliis placet, an. 592. thronum subiit ad annos 25. ut scribit Paulus Diac. ad hunc annum 617. pervenit, indeque firmabitur cod. Clarom. lectio.

(n) Alii *Hunus*, seu cum Colb. *Chunus*. Porrò Warnacharius erat Major-domûs in Burgundia, Gundelandus in Neustria, et fortè Chucus in Austria Radoni suprà memorato successerat.

(o) Freh. et Chesn. *triginta quinque*.

An. 618. XLVI. Anno xxxv. (a) regni Chlotharii Bertethrudis Regina moritur, quam unico amore dilexerat Chlotharius, et omnes leudes bonitatem ejus cernentes vehementer amaverant. A

Dagobertus. An. 622. XLVII. Anno xxxviiij. (b) regni Chlotharii, Dagobertum filium suum consortem regni facit; eumque super Austrasios Regem instituit, retinens sibi quod Ardenna et Vosagus (c) versùs Neuster et Burgundiam excludebant.

An. 623. XLVIII. Anno xl. regni Chlotharii, homo quidam, nomine Samo, natione Francus, de pago Sennonago (d) plures secum negotiantes adscivit, ad exercendum negotium in Sclavos (e), cognomento Winidos, perrexit. Sclavi jam contra Avares, cognomento Chunos (f), et Regem eorum Gaganum cœperant rebellare. Winidi Befulci (g) Chunis fuerant jam ab antiquitus, ut cùm Chuni in exercitu contra gentem quamlibet adgrediebant, Chuni pro castris adunato illo- B
rum exercitu stabant : Winidi verò pugnabant : si verò ad vincendum prævalebant, tunc Chuni prædas capiendum adgrediebant : sin autem Winidi superabantur, Chunorum auxilio fulti vires resumebant. Ideò Befulci vocabantur à Chunis, eò quòd duplici in congressione certaminis vestita prælia facientes, ante Chunos præcederent (h). Chuni ad hiemandum annis singulis in Sclavos veniebant : uxores Sclavorum et filias eorum stratu sumebant; tributa super alias oppressiones Sclavi Chunis solvebant. Filii Chunorum, quos in uxores Winidorum, et filias generaverant (i), tandem non sufferentes hanc malitiam ferre et oppressionem, Chunorum dominationem negantes, ut suprà memini, cœperant rebellare. Cùm in exercitu Winidi contra Chunos fuissent adgressi, Samo negotians, de quo memoravi superiùs, cum ipsis in exercitu perrexit, ibique tanta ejus fuit utilitas, ut C
mirum fuisset, et nimia multitudo de Chunis gladio Winidorum trucidata fuisset. Winidi cernentes utilitatem Samonis, eum super se eligunt Regem, ubi triginta quinque annos regnavit feliciter. Plura prælia contra Chunos suo regimine Winidi gesserunt : suo consilio et utilitate Winidi semper superarunt. Samo duodecim uxores ex genere Winidorum habebat, de quibus viginti duos filios et quindecim filias habuit.

XLIX. Ipsoque anno xl. Chlotharii, Adaloaldus Rex Langobardorum filius Agonis Regis, cùm patri suo successisset in regno, legatum Mauricii Imperatoris, nomine Eusebium, ingeniosè ad se venientem benignè suscepit. Inunctus in balneo nescio quibus unguentis ab ipso Eusebio persuadebatur; et post hanc unctionem nequicquam aliud, nisi quod ab Eusebio hortabatur, facere poterat. Persuasus ab ipso ut pri- D
mates et nobiliores cunctos in regno Langobardorum interficere ordinaret : eisdem exstinctis se cum omni gente Langobardorum Imperio Mauricii traderet. Quòd cùm jam duodecim ex eis, nullis culpis exstantibus, gladio trucidasset, reliqui cernentes eorum esse vitæ periculum.

L. Charoaldum Ducem Taurinensem, qui germanam Adaloaldi Regis habebat uxorem, nomine Gundebergam, omnes seniores et nobilissimi Langobardorum gentis uno conspirantes consilio, in regnum eligunt sublimandum. Adaloaldus veneno hausto (k) interiit. Charoaldus statim regnum arripuit. Taso unus ex

(a) Sic Clar. at Colb. habet *xxxviij*. Boh. Ches. et Freh. cum Anonymo et Aimoino, *xxxvj*. alii ed. *xxx*. Beretrudem nonnulli volunt in Ecclesia S. Petri, nunc S. Audoëni, Rotomagi sepultam fuisse, ubi jacet Aldetrudis altera ejusdem Regis uxor : sed Beretrudem apud S. Germanum à Pratis sepultam fuisse non solùm probat aliorum Scriptorum auctoritas, sed evincit ejus sepulcrum, quod aliquot abhinc annis erutum, cum ceteris Regum tumulis in ejusdem Ecclesiæ presbyterio collocatum est, cum lapide qui ejus effigiem recenter sculptam repræsentat.

(b) Ita Clar. Colb. et Alex. cum Aimoino, Anonymo, Valesio etc. Editi tamen, *anno xxxviii*. [Ita Chron. S. Benigni.]

(c) Silvæ notissimæ, *les bois d'Ardenne, et de Vosge*. * Hinc Austrasiæ regnum, ut notat Pagius ad an. 622. num. 11. Neustriam versùs Ardenna silva, et Burgundiam versùs Vosago monte sic circumscriptum, multò minùs quàm anteà patebat. Chlotharius enim diœceses Remensem, Catalaunensem, Meldensem, Laudunensem et Cameracensem sibi retinuit cis Ligerim; cum multis aliis trans eum fluvium ac Rhodanum in Aquitania et in Provincia, quæ prioribus Austrasiæ Regibus paruerant.

(d) Ed. plerique in margine habent *Sennonico :* quòd fortè Senones, *Sens*, celebrem in Gallia populum hîc designari putarent. At alii malunt hunc locum interpretari de pago Senonago, *Sengaw*, in Hannonia, ubi Sonegia, nostris *Soignies*, habetur.

(e) Eorum Provincæ, hodieque Marchia Winidorum, Sclavonia, et Carinthia dicuntur. De Winidis et ejusmodi gentibus barbaris, eorumque originibus legenda Hugonis Grotii prolegomena in Historiam Gothorum etc.

(f) Alii *Hunnos*, et sic semper.

(g) Freh. al. *Bifulci*, sic dicti sunt, quòd bis pugnarent; et infrà sicut Chesn. al. *Præfulci*.

(h) Editi ut plurimùm, *certamine utebantur, Chuni etc.*

(i) Alii *in uxoribus..... et filiabus generabant*.

(k) Sic Chesn. et Freh. alii ed. *veneno infectus*. Clar. et Freh. al. *auctus*. Item et Freh. al. *unctus*. Et infrà Taso apud Chesn. al. dicitur *Taro et Aso*, et sic infrà.

Ducibus

A Ducibus Langobardorum cùm ageret Tuscanam (a) Provinciam, superbia elatus, adversùs Charoaldum Regem cœperat rebellare.

LI. Gundeberga Regina cùm esset pulcra aspectu, benigna in cunctis, et pietate plenissima, Christiana, eleemosynis larga, præcellente bonitate ejus, diligebatur à cunctis. Homo quidam, nomine Adalulfus, ex genere Langobardorum, cùm in aula palatii assiduè ad obsequium Regis conversaretur, quadam vice ad Reginam veniens, cùm in ejus staret conspectu, Gundeberga Regina eum sicut et ceteros diligens, dixit honestæ staturæ Adalulfum fuisse formatum. Ille hæc audiens ad Gundebergam secretiùs ait, dicens : *Formam statûs mei* (b) *laudare dignata es, stratui tuo jube me subjungere.* Illa fortiter denegans, eumque despiciens in faciem exspuit. Adalulfus cernens se vitæ periculum habere, ad Charoal-
B dum Regem protinus cucurrit, petens ut secretiùs quod ad suggerendum habebat, exponeret. Loco accepto, dixit ad Regem : *Domina mea Regina tua Gundeberga apud Tasonem Ducem secretiùs tribus diebus locuta est, ut te veneno interficeret, ipsumque sibi conjugatum sublimaret in regnum.* Charoaldus Rex his mendaciis auditis credens, Gundebergam in Caumello (c) castro in unam turrem exsilio trudit. Chlotarius legatos dirigens ad Charoaldum Regem, inquirens qua de re Gundebergam Reginam parentem Francorum (d) humiliasset, ut exsilio retrudisset. Charoaldus his verbis mendacibus quasi veritate subsisterent, respondit. Tunc unus ex legatariis, nomine Ansoaldus, non quasi injunctum habuisset, sed ex se ad Charoaldum dixit : *Liberare poteras de blasphemia* * *hanc causam : jube illum ho-* * i. *blâme.*
minem, qui hujuscemodi verba tibi nuntiavit, armari, et procedat alius de parte Re-
C *ginæ Gundebergæ ; quique armatus ad singulare certamen, ut judicio Dei* (e) *his duobus confligentibus cognoscatur, utrùm hujus culpæ reputationis Gundeberga sit innoxia, an fortassè culpabilis.* Cùmque hæc Charoaldo Regi et omnibus primatibus Palatii sui placuissent, jubet Adalulfum armatum conflictum adire certaminis, et de parte Gundebergæ procurrentibus consobrinis Gundebergæ et Ariberto (f), homo, nomine Pitto, contra Adalulfum armatus adgreditur. Cùmque conflixissent certamine, Adalulfus à Pittone interficitur. Gundeberga statim de exsilio post annos tres regressa sublimatur in regnum.

LII. Anno xlj. (g) Chlotharii Regis, cùm Dagobertus jam utiliter regnaret in Auster, quidam ex proceribus de gente nobili Ayglolfinga (h), nomine Chro- An. 624.
doaldus, in offensam Dagoberti cadens, instigantibus beatissimo viro atque Pon-
D tifice Arnulfo et Pippino Majore-domûs (i), seu et ceteris prioribus * sublimatis * *al.* primo-
in Auster, eò quòd esset ipse Chrodoaldus rebus plurimis ditatus, ceterorum ribus.
facultatum cupiditate pervasor, superbiæ deditus, elatione plenus ; nec quicquam boni in ipso reperiebatur. Cùmque Dagobertus ipsum jam vellet pro suis facinoribus interficere, Chrodoaldus ad Chlotharium terga vertit, ut suam cum filio vitam obtinere dignaretur. Chlotharius cùm Dagobertum vidisset, inter ceteras conlocutiones Chrodoaldo vitam precatur. Dagobertus promittens, si id quod malè gesserat emendaret, Chrodoaldus vitæ periculum non haberet : sed nulla exstante

(a) Sic Clar. Freh. al. et Chesn. al. id est, *Tusciam :* alii *in Tussicana*, al. *teneret.* De Tasonis nece infrà num. 69. Charoaldus, à Paulo Diac. lib. 4. appellatur Rodoaldus, et sic Chesn. al. sed Veteres præmittebant litteram H. et Chrodoaldum pronunciabant. Si tamen recta temporum series observetur, hic Arioaldus fuit, cui Rotharis, quem infrà noster auctor Chrotarium appellat, successit, et huic Rodoaldus. Sed quæ hîc de Charoaldo dicuntur, tribuuntur infrà cap. 70 et 71. Chrotario. Et quidem Fredegarius Langobardorum Historiam omninò perturbat. De ea legendi Pauli Diaconi sex libri.

(b) Alii *staturæ meæ.*

(c) Alii *Camello.* Est Laumellum, hodie vicus exiguus in Insubria, *Lumello* dictus.

(d) Erat Agilulfi Regis et Theodelindæ filia, ex Paulo Diac. lib. 4. cap. 49. Theodelinda verò filia erat Garibaldi Bajoariorum Ducis et Waldradæ, Theobaldi Francorum Regis relictæ. Vide suprà cap. 34.

(e) Judicium Dei appellabant singularia certamina, examina per ignem aut aquam etc. quibus ad detegendam veritatem occultam tunc utebantur, quòd persuasum haberent ejusmodi probationibus, Deum rei veritatem etiam miraculo, si opus esset, certò manifestaturum. De ejus generibus, variisque ritibus quibus fieri solebat, quando etiam permissum, aut vetitum fuerit, fusè disserit Cangius in Glossario, quem consule.

(f) Colb. Chesn. et Freh. *Hariberto*, unde editi, *Chariberto.* Paulus loco laudato scribit injuriam hanc à Carello ipsius Reginæ servo fuisse vindicatam.

(g) Bollandus monet in Comment. ad Vitam S. Pippini die 21. Febr. hoc caput in aliquot scriptis deesse, exstat tamen in nostris.

(h) Ed. plerique *Anglolfinga, nomine Rodoaldus*, seu *Charoaldus.* Bollandus loco laud. habet *Agilolfinga, sive*, ut ipse exponit, *Boica.* Historiam Agilolfingicæ familiæ, ex qua Guelforum, aliarumque nobiliorum Germaniæ familiarum originem repeti debere censet, fusè descripsit Bucelinus Monachus Weingartensis tomo 2. Germaniæ sacræ.

(i) Ex his duobus Viris sanctissimis, de quibus infrà passim agitur, prior fuit Episcopus Mettensis, alter laïcus, è quibus prodiit secunda Regum nostrorum stirps. Ansegisus quippe sancti Arnulfi filius uxorem duxit Beggam Pippini filiam, ex qua suscepit Pippinum Heristallensem, qui pater fuit Caroli Martelli, ex quo ortus est Pippinus Brevis, Caroli Magni pater.

mora, cùm Chrodoaldus cum Dagoberto Treveris * accessisset, jussu Dagoberti interfectus est : quem Bertharius homo Scarponensis (a), evaginato gladio, ad ostium * cubiculi capite truncavit. A

* *al.* reversus.

* *al.* postitium.

An. 625. LIII. Anno xlij, regni Chlotharii, Dagobertus cultu regio, ex * jussu patris honestè cum leudibus in Clippiaco non (b) procul Parisius venit, ibique germanam Sichildæ Reginæ (c), nomine Gomatrudem, in conjugium accipit. Transactis nuptiis, die tertia inter Chlotharium et Dagobertum filium suum gravis orta fuit intentio. Petebat enim Dagobertus cuncta, quæ ad regnum Austrasiorum pertinebant, suæ ditioni velle recipere : quod Chlotharius vehementer denegabat eidem ex hoc nihil velle concedere. Electis ab his duobus Regibus duodecim Francorum proceribus, ut eorum disceptatione hæc finiretur intentio : inter quos et domnus Arnulfus Pontifex Mettensis cum reliquis Episcopis eligitur, qui benignissimè, ut sua erat sanctitas, inter patrem et filium pro pacis loquebatur concordia. Tandem à Pontificibus, vel sapientissimis viris proceribus, pater pacificatur cum filio, reddensque ei solidatum quod adspexerat ad regnum Austrasiorum, hoc tantùm exinde quod citra Ligerem, vel in Provinciæ partibus situm erat, suæ ditioni retinuit. B

* *al.* et.

An. 626. LIV. Anno xliij. regni Chlotharii Warnacharius Major-domûs moritur (d) : filius ejus Godinus animi levitate imbutus novercam suam Bertanem eo anno accepit uxorem : unde Chlotharius Rex adversùs eum nimio furore permotus, jubet Arneberto Duci, qui Godini germanam uxorem habebat, eum cum exercitu interficere. Godinus cernens suæ vitæ periculum, terga vertens cum uxore ad Dagobertum Regem perrexit in Auster, et in Ecclesia sancti Apri (e), regio timore perterritus, fecit confugium. Dagobertus per legatos pro ejus vita sæpiùs Chlotharium Regem deprecabatur : tandem à Chlothario promittitur Godini vita concessa, tamen * ut Bertanem, quam contra Canonum instituta uxorem acceperat, relinqueret. Cùmque ipse reliquisset, et reversus esset in regnum Burgundiæ, Berta continuò ad Chlotharium perrexit, dicens : *Si Godinus conspectui Chlotharii præsentatur, ipsum Regem vellet interficere.* Godinus jussu Chlotharii per præcipua loca Sanctorum, domni Medardi Suessionas, et domni Dionysii Parisius ea præventione sacramenta daturus adducitur, ut semper Chlothario deberet esset fidelis, ut congruè locus esset repertus, quo pacto separatus à suis interficeretur. Chramnulfus (f) unus ex proceribus, et Waldebertus domesticus dicentes ad Godinum, ut Aurelianis in Ecclesia sancti Aniani, et Turonis ad limina sancti Martini ipsum sacramentum adhuc impleturus adiret. Quòd cùm in suburbano Carnotis, Chramnulfo indicante et transmittente, hora prandii in quamdam villulam venisset, ibique Chramnulfus et Waldebertus super ipsum cum exercitu inruunt, eumque interficiunt : et eos qui cum ipso adhuc restiterant, quosdam interficiunt, aliosque exspoliatos in fugam vertentes relinquunt. Eo anno Palladius ejusque filius Sidocus Episcopus Ælosani (g), incusante Aighynane Duce, quòd rebellionis Wasconorum fuissent conscii, exsilio retruduntur. Boso filius Audoleni, de pago Stampinsi jussu Chlotharii ab Arneberto Duce interficitur, reputans ei stuprum cum Sighilde Regina. Eo anno Chlotharius cum proceribus et leudibus Burgundiæ Trecassis (h) conjungitur, cùm eos sollicitasset, si vellent mortuo jam Warnachario alium in ejus honoris gradum sublimare. Sed omnes unanimiter denegantes se nequaquam C D

* *al.* tantùm.

(a) Scarpona vetus est Lotharingiæ castrum, nunc in vicum redactum et vix notum, ad Mosellam, sesquileucâ distans à Ponte-Montionis, versùs Nanceium, vulgò *Scharpeigne* dictum, haud procul à Custodia-Dei, *Doulewart*, situm.

(b) Mss. *Clippiaco procul.* [Chron. S. Benigni, *Clispiaco procul.*] In Clar. tres litteræ ex industria detritæ sunt, superest ; *leudibus nec..... Clippiaco procul.* Vet. ed. præter Freh. *de Piato procul.* Clippiacum, vulgò *Clichy*, situm est in agro Parisiensi prope Sequanam ; ubi defunctus est S. Audoënus. Vide lib. 4. de re Diplomatica num. 36. Ceterùm id apud Romiliacum contigisse infrà cap. 58. dicitur.

(c) Hæc fuit ipsius Chlotarii uxor.

(d) Hinc collige alium esse ab isto Warnachario illum, qui partes Agrestii contra S. Eustasium Luxoviensem Abbatem tueri volens in Concil. Matiscon. an. 622. repentina morte interiit.

(e) In suburbio Tullensi, *Saint Evre*, cujus urbis fuerat Episcopus, ubi extat Abbatia Ordinis Benedictini sub Congregatione sancti Vitoni.

(f) Colb. *Ramnulfus.*

(g) Boh. et Colb. cum aliquot ed. *Seducius Episc. Tolosanus;* al. *et Sedocus.* Aimoinus lib. 4. cap. 14. *Sedocus Tholosatium Episcopus.* Chesn. et Coint. *Senocus Episc. Elosanus.* Is est qui anno præcedenti Remensi Concilio sub Sonnatio præsule interfuerat. In cod. Clarom. ubi prima manu *Ælosani*, secunda manu et quidem antiqua positum est *To.* supra diphthongum Æ. Senocus ultimum locum in catalogo Elusæ Episcoporum occupat. Hæc tamen sedes stetit usque ad sæculum nonum, quo Elusa à Nortmannis excisa, ejus diœcesis cura Ausciensi Episcopo commissa est, qui exinde Novempopulaniæ metropolitani dignitatem obtinuit.

(h) Chesn. *Trecassinis*, al. *Trecas suis.* Trecæ, vulgò *Troyes*, in Campania, quæ etiam urbs Tricassium dicitur. Ex hoc loco patet jam tunc à regni proceribus Majores-domûs fuisse electos.

A velle Majorem-domûs eligere, Regis gratiam obnixè petentes cum Rege transigere.

LV. Anno xliiij. regni Chlotarii, cùm Pontifices et universi proceres regni sui, tam de Neuster quàm de Burgundia, Clippiaco ad Chlotharium pro utilitate regia et salute patriæ conjunxissent, ibique homo, nomine Ermenharius (a), qui gubernator palatii Chariberti filii Chlotharii erat, à pueris Ægynanis genere Saxonorum optimatis interficitur : pænè fuerat exinde nimia multorum strages secuta, nisi, patientia (b) Chlotharii interveniente simul et hæc curante, fuisset repressum. Ægyna jubente Chlothario in Monte-Mercori (c) resedit, plurimam secum habens multitudinem pugnatorum : Brodulfus (d) avunculus Chariberti exercitum undique colligens, super ipsum cum Chariberto volebat inruere. Chlotharius ad Burgundefarones (e) specialiùs jubet, ut cujus pars suum volebat defugere judi- B cium, eorum instantia et viribus opprimeretur : ea pactione uterque jussione regia pacantur. An. 627.

LVI. Anno xlv. (f) regni sui Chlotharius moritur, et in suburbano Parisius in Ecclesia sancti Vincentii sepelitur (g). Dagobertus cernens genitorem suum fuisse defunctum, universos leudes, quos regebat in Auster, jubet in exercitu promovere : Missos in Burgundia et Auster (h) direxit, ut suum deberent regimen eligere. Cùmque Remis venisset, Suessiona peraccedens (i), omnes Pontifices et leudes de regno Burgundiæ inibi se tradidisse noscuntur. Sed et Neustrasii (k) Pontifices et proceres plurima pars regnum Dagoberti visi sunt expetisse. Charibertus frater suus nitebatur, si potuisset regnum adsumere, sed ejus voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum. Brodulfus volens nepotem stabilire in regnum, C adversùs Dagobertum muscipulare cœperat : sed hujus rei vicissitudinem probavit eventus. An. 628.

LVII. Cùmque regnum Chlotharii tam Neptrico (l) quàm Burgundiæ à Dagoberto fuisset præoccupatum, captis thesauris et suæ ditioni redactis, tandem misericordia motus, consilio sapientium usus, citra Ligerem et limitem Spaniæ, qui ponitur partibus Wasconiæ, seu et montis Pyrenæi (m) pagos, et civitates, quod fratri suo Chariberto ad transigendum (n), ad instar privato habitu, ad vivendum potuisset sufficere, noscitur concessisse, pagum Tholosanum, Catorcinum, Agennensem, Petrocoreum, et Santonicum, vel quod ab his versùs montes Pyrenæos excluditur, hoc tantùm (o) Chariberto regendum concessit, quod et per pactio-

(a) Cod. Clar. *Ermarius..... Gariberto*, pro *Chariberti*. Boh. *Gariberto et filio Chlotarii..... obtimate.*

(b) Editi *præsentia*.

(c) Sic Clar. Boh. *Mercoris*, at Colb. habet, *Monte-Cori*, Freh. et Chesn. *Monte-Mercomire*, ceteri *Monte Mercurii*. Hunc, qui etiam aliàs dicitur *Mons-Martis*, juxta Parisios situm, hodie à SS. Dionysio et Sociis Martyribus Montem-Martyrum, *Mont-Martre*, appellamus.

(d) Sic Clar. et Freh. Tot. diversis ferè modis scriptum reperitur hujus viri nomen, quot habentur codd. scripti et ed. *Brunulfus*, *Produlfus*, *Rudulfus*, *Hradulfus*. Et infrà Clar. *Airiberti*, Colb. *Hariberti*, Boh. *Ariberti*. Et sic infrà cap. sequenti.

(e) Editi ut suprà, *Burgundiæ barònes*.

(f) Sic Colb. Boh. Chron. S. Benigni et omnes editi. Clar. tamen habet XLVI. * Cùm regni Clotharii initium ducatur à mense Octobri anni 584. annus regni ejus quadragesimus quintus incidit in mensem Octobrem anni 628.

(g) Corpus ejus in tumulo lapideo inclusum jacet nunc prope majus altare cum aliis Regibus in eadem basilica sepultis.

(h) Legendum haud dubiè *Neuster*. * Sic enim habet codex ms. Sirmondianus, Aimoinus lib. 4. cap. 17. et Anonymus in Gestis Dagoberti Regis cap. 15. Non enim in Austriam Missos direxit, cùm in ea jam quietè regnaret ; sed in alia regna quæ pater ejus tenuerat. In Chronico S. Benigni legitur : *Missos in Burgundia et ceteris regni partibus direxit.*.

(i) Sic mss. præter Boh. qui habet, *Remus venisset suggestiones peraccedens*. Chesn. et Freh. *venisset per suggestiones accedens*. Anonymus qui gesta Dagoberti scripsit, habet, *cùmque Remis venisset, suggestio peraccedens* ; et isto modo hîc legi debere contendit Cointius. Nostram lectionem habet Chronicum sancti Benigni. Hugo Flaviniac. in Chronico sic habet : *Hic patre orbatus, Austrasiis, quos regebat, jubet exercitum promovere, Missos dirigens in Burgundia et ceteris regni partibus, ut in suum regnum eligerent. Cùmque Remis venisset, omnes se ei tradiderunt.*

(k) Nonnulli ed. *Sed et Austrasii*. * Cùm pars tantùm Neustriæ Dagoberti ditioni se subdiderit, altera certè pars in qua Tolosa erat, Chariberto necessariò paruerit. Et certè cùm Charibertus anno 631. obierit, et Fredegarius tres illi regni annos tribuat, eum statim à morte Clotarii, seu exeunte anno 628. multò ante fœdus, quod cum ipso circa mensem Maium anni 630. pepigit Dagobertus, regni Tolosani potitum esse necesse est.

(l) Chesn. al. *Neptricium*. Boh. *Neptrico..... ad Dagobertum*.

(m) Alii, *et montes Pyrenæos*. Citra Ligerim appellat Fredegarius, quod nos Parisiis *ultra* diceremus. Ceterùm prima hac vice natu-minor à paterno regno exclusus fuit : quæ consuetudo sensim invalescens in legem tandem transiit. Vide Vales. lib. 19. rerum Francic.

(n) Boh. habet, *Chariberto ad transigendum potuisset sufficere*, *concessit*, ceteris omissis.

(o) * Ex his verbis aliquis fortè colligeret Dagobertum cessisse tantùm Chariberto Tolosanum, Cadurcensem, Aginnensem, Petrocoricensem et Santonicum tractus, cum Novempopulania seu Wasconia ; eumque reliquam sibi reservasse Aquitaniam. Verùm Novæ Historiæ Occitaniæ auctores putant et probant Chariberto etiam obtigisse Pictonicum et Inculismensem agros, diœcesim Arelatensem et eam Provinciæ partem quæ ex Neustriæ regno pendebat ; atque Dagobertum ex tota Aquitania sibi tantùm reservasse agros Bituricensem, Lemovicensem, Arvernicum, Albigensem, Rutenensem, Vellavum et Gabalitanum, præter Ucetiensem in Aquitania Austrasiana comprehensum.

nis vinculum strinxit, ut ampliùs Charibertus nullo tempore adversùs Dagobertum de A
regno patris repetere præsumeret. Charibertus sedem Tholosæ eligens, regnat in parte
Provinciæ Aquitanicæ (a). Post annos tres (b) postquàm regnare cœpisset, totam
Wasconiam cum exercitu superans, suæ ditioni redigit, aliquantulùm largius fecit
regni sui spatium.

Ruinartio An. 628. *Nobis* 629.

LVII. Dagobertus cùm jam anno (c) vij. regnaret, maximam partem patris regni, ut suprà memini, adsumsit, Burgundias ingreditur. Tanto timore Pontifices et proceres in regno Burgundiæ consistentes, seu et ceteros leudes adventus Dagoberti concusserat, ut à cunctis esset admirandum. Pauperibus justitiam habentibus gaudium vehementer inrogaverat. Cùmque Lingonas civitatem venisset, tantâ in universis leudibus suis, tam sublimibus quàm pauperibus (d), judicabat justitiâ, ut crederetur omninò fuisse Deo placibile : ubi nullum intercedebat præmium, nec B
personarum acceptio, nisi sola dominabatur justitia, quam diligebat Altissimus. Deinde aggressus Divionem, immòque et Latona (e) residens aliquantis diebus, tanta intentione ad universum regni sui populum justitiam judicandi (f) posuerat. Hujus benignitatis desiderio plenus nec somnum capiebat oculis, nec cibis satiabatur, intentissimè cogitans, ut omnes cum justitia recepta de conspectu suo læti remearent. Eodem die quo de Latona ad Cabillonum deliberat properare, priusquàm lucesceret balneum ingrediens, Brodulfum avunculum fratris Chariberti interficere jussit, qui ab Amalgario (g) et Arneberto Ducibus, et Willibado Patricio interfectus est. Cùmque Cabillono, ubi justitiæ amore, qua cœperat, perficiendæ Dagobertus dirigit intentione. Pòst per Augustodunum Autisioderum pergens, per civitatem Senonas Parisius venit, ibique Gomatrudem Reginam Romiliaco (h) villa, ubi ipsam in matrimonium acceperat, reliinquens (i), Nantechildem, unam C
ex puellis de ministerio (k) accipiens, Reginam sublimavit. Usque eodem tempore ab initio quo regnare cœperat, consilio primitus beatissimi Arnulfi Mettensis urbis Pontificis et Pippini Majoris-domûs usus, tanta prosperitate regale regimen in Auster regebat, ut à cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet. Timorem verò sic fortem sua concusserat utilitas, ut jam devotione arriperent suæ se tradere ditioni; ut etiam gentes, quæ circa limitem Avarorum et Sclavorum consistunt, eum promtè expeterent, ut ille post tergum eorum iret feliciter, et Avaros et Sclavos, ceterasque gentium nationes usque manum publicam (l) suæ ditioni subjiciendum fiducialiter spondebat. Post discessum beati Arnulfi (m), adhuc con-

(a) Chesn. et Freh. al. *Equitanicæ*, at alii ed. *Aquitaniæ*. [In Chron. S. Benigni, *regnat in partibus Provinciæ et Aquitaniæ*. In Chronico Hugonis Flavin. *regnabat Aribertus in Provincia et Aquitania*. Fortassè ita legebatur in veteribus Fredegarii exemplaribus.]

(b) Anno 3. regni obiit : confer cap. 67.

(c) [Chron. S. Benigni, *anno VI.*]

(d) Ex hoc loco infert Cointius vocem *leudes* nonnumquam subditos omnes designasse, quæ aliàs laicos, prout Sacerdotibus opponuntur, significat, ut patet ex cap. 1. Chronici Fredeg. ut plurimùm tamen vassallos Regis specialiter designat, qui posteà *Barones* appellati fuerunt. ut jam observavimus. Vide Henrici Spelmanni et Cangii Glossaria.

(e) Ab Ecclesiæ suæ patrono nomen habet *S. Jean de Laône* supra fluvium Ararim.

(f) Ed. aliquot *justitia judicandum*.

(g) Is fuit Dux Burgundiæ Cis-juranæ, monasterii Besuensis prope Divionem fundator, cui filium suum Waldalenum, Luxoviensem Monachum, Abbatem præfici curavit; et Donatiaci prope Vesontionem, pro monialibus, cujus Adalfinda ipsius filia, prima Abbatissa fuit. De his Chron. Besuense tomo 1 Spicil. Acheriani.

(h) Nunc suburbio Parisiensi sancti Antonii contigua est, vulgò *Reuilly*. Confer cap. 53. suprà, ubi Rex Gomatrudem apud Clippiacum accepisse dicitur.

(i) Addidit Chesnius, *eò quòd sterilis esset, cum consilio Francorum*, ut habet Anonymus qui Gesta Dagoberti scripsit : sed id potiùs Regis incontinentiæ tribuendum est. Invaluerat autem tunc pessima consuetudo legi Christianæ contraria uxorem repudiandi, ac post divortium alteram assumendi, ut patet ex lib. 2. Marculfi form. 30. quæ pestis posteà sacris Canonibus et regia auctoritate exstirpata fuit.

(k) Sic omninò legendum, non verò *de monasterio*, ut habent excusi cum Aimoino. Nemo hactenùs codicem ms. vidit ubi non legeretur *ministerio* : ita enim habent Claromontensis, Colbertinus seu Mettensis, Boherianus, Thuaneus, teste Valesio, et unus Christinæ Sueciæ Reginæ, qui fuerat Goldasti apud Bollandum, quibus consentiunt Chronica Bezuæ monasterii et sancti Benigni. Et quidem Dagobertus monialem cum regni Procerum consilio uxorem non duxisset; sensusque hîc exigit, ut puella è ministerio sublevata in Reginam dicatur. Sic quippe Balthildis pariter è *ministerio* in Chlodovei II. thorum adscita est, ex ejus Vita. * Idem erratum irrepsit in Homiliam Bedæ de sancto Benedicto, tomo 7. ejus operum col. 333. ubi de Benedicto-Biscopo agens, ait eum reliquisse *omnia quæ in monasterio* (pro ministerio) *regali acquisierat*.

(l) Manûs publicæ nomine intelligere solet hic auctor Romanum Imperium. Vide infrà cap. 69. hinc *usque manum publicam*, potest intelligi usque ad regiones, quæ erant de Imperio; ed. aliquot *usque manu publica*.

(m) Sanctus Arnulfus relicta sede sua in solitudinem Vosagi secessit, ubi à S. Romarico, qui in castro Habendensi monasterium Virginum et alterum pro Monachis construxerat, susceptus, in vicino monte habitavit, ubi hodie sacellum visitur cum exigua Eremitarum casa. Monasterium Habendense, quod à situ et conditoris nomine Romarici-mons, *Remiremont*, posteà dictum est, in vallem subjectam posteà translatum, ubi etiamnunc exstat cum oppido cognomine juxta Mosellam, à Canonicis sæcularibus inhabitatum, quæ Regulæ Benedictinæ jugum excusserunt. Montem verò ipsum, qui hodie Mons-sanctus dicitur, incolunt Benedictini Cong. S. Vitoni, ubi præter majorem Ecclesiam hinc et inde aliquot sacella visuntur, cum antiquis Sanctorum, qui ibi depositi fuerunt, sepulcris : quæ omnia anno 1696. lustravi-

A silio Pippini Majoris-domûs et Chuniberti (a) Pontificis urbis Coloniæ utens, et ab ipso fortiter admonitus, tantæ prosperitatis et justitiæ amore complexus universas sibi subditas gentes, usque dum ad Parisius, ut suprà memini, pervenit, regebat, ut nullus de Francorum Regibus præcedentibus sua laude fuisset præcellentior.

LIX. Anno viij. (b) regni sui cùm Auster regio cultu circuiret, quamdam puellam, nomine Ragnetrudam (c), stratui adscivit suo, de qua eo anno habuit filium, nomine Sigibertum. *Ruinartio* An. 629. *Nobis* 630.

LX. Revertens in Neptricum, sedem patris sui Chlotharii diligens, assiduè residere disposuit. Cùm omnis justitiæ quam priùs dilexerat esset oblitus, cupiditatis instinctu super rebus Ecclesiarum et leudibus, sagaci desiderio vellet omnibus undique spoliis novos implere thesauros. Luxuriæ supra modum déditus tres habebat ad instar Salo-
B monis (d) Reginas, maximè et plurimas concubinas. Reginæ verò hæ erant, Nantechildis, Vulfegundis et Berchildis (e). Nomina concubinarum, eò quòd plures fuissent, increvit huic Chronicæ inseri. Quòd cùm aversum plurimùm fuisset cor ejus (f), sicut suprà meminimus, et à Deo cogitatio ejus recessisset; tamen posteà, atque utinam illi ad mercedem veram lucri fuisset; nam eleemosynam pauperibus supra modum largiter erogabat; si hujus rei sagacitas cupiditatis instinctu non præpedisset, regnum, ut creditur, meruisset æternum.

LXI. Cùm leudes sui ejus nequitiam gemerent; hæc cernens Pippinus, cùm esset cautior cunctis, et consiliosus valde, plenissimus fide, ab omnibus dilectus, pro justitiæ amore qua Dagobertum consiliosè instruxerat, dum suo usus fuerat consilio, sibi tamen nec quicquam oblitus justitiæ, neque recedens à via bonitatis, cùm
C ad Dagobertum accederet, prudenter agebat in cunctis, et cautum se in omnibus ostendebat : zelum * Austrasiorum adversùs eumdem vehementer suggerebat, ut etiam ipsum cum Dagoberto conarentur facere odiosum, ut potiùs interficeretur. Sed justitiæ amor et Dei timor, quem diligenter amplexus fuerat, ipsum liberavit à malis. Ipse verò eo anno cum Sigiberto filio Dagoberti ad Charibertum Regem accessit. * *Ch.* zelus.

LXII. Charibertus Aurelianis veniens, Sigibertum de sancto lavacro excepit (g). Æga verò à ceteris Neptrasiis (h) consilio Dagoberti erat assiduus. Eo anno legati Dagoberti, quos ad Heraclium Imperatorem direxerat, his nominibus Servatus * et Paternus, ad eumdem revertuntur, nuntiantes pacem perpetuam cum Heraclio firmasse. Acta verò miraculi quæ ab Heraclio facta sunt non prætermittam. * *al.* Servatius.

LXIII. Heraclius cùm esset Patricius, universas Africæ provincias, et Focas qui
D tyrannico ordine Mauricium Imperatorem interfecerat, Imperiumque rapuerat, nequissimè regeret, et modo amentiæ thesauros in mare projiceret, dicens quòd Neptuno munera daret : Senatores cernentes, quòd vellet Imperium per stultitiam destruere, factione Heraclii Focatem apprehensum Senatus manibus et pedibus truncatis lapide ad collum ligato in mare projiciunt. Heraclius consensu Senatûs in Imperium sublimatur (i), cùm infestatione Persarum Imperium temporibus Mauricii et Focatis Imperatorum multæ provinciæ fuissent vastatæ. * *Ch. ad.* super.

LXIV. More solito denuò contra Heraclium Imperator Persarum cum exercitu surgens, Chalcedonam civitatem nec procul à Constantinopoli, vastantes Persæ provinciæ * reipublicæ, pervenissent, eamque erumpentes incendio concremaverunt. Posthæc Constantinopolim sedem Imperii propinquantes destruere conaban- * *f.* provincias.

mus. Vitam S. Arnulfi habes in Sæc. 2. Bened. ad an. 640. Corpus ejus Mettas translatum asservatur in Basilica insigni ipsius nomini sacra, quam possident benedictini monachi Cong. S. Vitoni.

(a) Al. *Huniberti.* Interfuit Conc. Remensi an. 630. Ejus Vita habetur apud Surium die 12. Novembris, quo ipsius festum celebratur.

(b) Alii *vij.* [ita Chron. S. Benigni :] alii verò *ix.* quod verum est de his verbis, *eo anno habuit :* nam Sigibertus ortus est an. 630. si annum incipias à Januario.

(c) Colb. et editi nonnulli *Regintrudam*, et infrà editi complures *Sygobertum.*

(d) Hæc vox *Salomonis* est in solo cod. Colb. et quidem altera manu, sed antiqua.

(e) Alii *Nanthildis, Vulfigundis, Berthildis.*

(f) Chesnius sic habet : *Quòd cùm aversum fuisset pluries cor ejus..... ad mercedem veram lucri fuisset* [Alia lectio, *mercedis veræ studio fuisset*] *nam et eleemosynam..... si hujus rei sagacitatem cupiditatis instinctus non præpedisset, regnum, creditur, meruisset æternum.*

(g) Narrat Baudemundus in Vita sancti Amandi Episc. Trajectensis, cujus discipulus fuit, Sigibertum ab eo baptizatum fuisse, eaque occasione miraculum insigne contigisse. Nam cùm Vir sanctus puerulum Catechumenum faceret, et nemo responderet orationi, puerulus clara voce respondit *Amen :* quod apud Clippiacum accidisse idem auctor innuit.

(h) Ed. aliquot, *ac ceteris Austrasiis.* Et infrà, *erat ad insidias*, Boh. *ad insidiis.*

(i) Heraclius creatus est Imperator an. 610. Chosdroes an. 644. Jerosolymam cepit, et Saes ipsius exercituum ductor Calchedonem, Alexandriam et totam Ægyptum an. 615. aut sequenti. An. verò 623. Heraclius in ipsos exercitum movit, et Chosdroe an. 628. fugato, tum pace cum Sisroe illius filio inita, Crucem sanctam, quæ in Persidem delata fuerat, recepit, ac sollemni pompa Jerosolymis restituit. De his fusè Theophanes, Cedrenus et alii auctores Græci.

tur. Egrediens cum exercitu Heraclius obviàm, legatis discurrentibus, Heraclius A
Imperatorem Persarum, nomine Cosdroë (a), petiit ut hi duo Imperatores singulari certamine conjungerentur, suspensa procul utriusque exercitûs multitudine : et cui victoria præstaretur ab Altissimo, Imperium ejus qui vincebatur et populum inlæsum reciperet. Imperator Persarum hac convenientia se egressurum ad prælium singulari certamine spopondit. Heraclius Imperator arma sumens telam prælii (b), et phalangem à suis post tergum præparatam relinquens, singulari certamine, ut novus David, procedit ad bellum. Imperator Persarum Cosdroës Patricium quemdam ex suis, quem fortissimum in prælio cernere potuerat, hujus convenientiæ ad instar pro se contra Heraclium ad præliandum direxit. Cùmque uterque cum equis, hi duo congressione prælii in invicem propinquarent, Heraclius ait ad Patricium, quem Imperatorem Persarum Cosdroën æstimabat, dicens : *Sic convenerat ut sin-* B
gulare certamen præliandum debuissemus confligere, quare post tergum tuum alii sequuntur? Patricius ille gyrans caput, ut conspiceret qui post tergum ejus venirent, Heraclius equum calcaneo vehementer urgens, extrahens uxum (c), caput Patricii Persarum truncavit. Cosdroës Imperator cum Persis devictus et confusus, terga vertens à suis propriis tyrannico ordine interficitur. Persæ terga vertentes ad sedes remeant proprias. Heraclius evectu navali cum exercitu Persas ingreditur, totamque Persidam suæ ditioni redigit, captis exinde multis thesauris, et septem Æltiarnitis (d), tribus annis circiter Persida vastata ejus ditioni subjicitur. Posthæc denuò Persæ Imperatorem super se creant (e).

LXV. Heraclius Imperator erat speciosus conspectu, pulcra facie, statûs forma dignæ mensuræ, fortissimus ceteris, pugnator egregius. Nam et sæpe leones in arena, et inermis plures singulus interfecit. Cùm esset litteris nimiùm eruditus, Astrologus C
efficitur, per quod cernens à circumcisis gentibus divino nutu Imperium esse vastandum, ad Dagobertum Regem Francorum dirigens, petit ut omnes Judæos regni sui ad fidem Catholicam baptizandos præciperet : quod protinùs Dagobertus implevit (f). Heraclius per omnes provincias Imperii talem idemque facere decrevit : ignorabat enim unde hæc calamitas contra Imperium surgeret.

* *Boh.* Eorosii.

LXVI. Agareni, qui et Sarraceni, sicut Orosii * liber testatur, gens circumcisa à latere montis Caucasi, super mare Caspium, terram, Ercoliæ (g) cognomento, jam olim consedentes, cùm in nimia multitudine crevissent, tandem arma sumentes, provincias Heraclii Imperatoris ad vastandum inruunt : contra quos Heraclius milites ad resistendum direxit. Cùmque præliari cœpissent, Sarraceni milites superant, eosque gladio graviter trucidant. Fertur in eo prælio centum quinqua- D
ginta millia militum à Sarracenis fuisse interfecta. Spolia eorum Sarraceni per legatos Heraclio recipienda offerunt. Heraclius cupiens super Sarracenos vindictam, nihil ab his recipere voluit. Congregata undique de universis provinciis Imperii nimia multitudine militum, transmittens Heraclius legationem ad Portas Caspias (h), quas Alexander Magnus Macedo super mare Caspium æreas fieri, et serrare jusserat, propter inundationem gentium sævissimarum, quæ ultra montem Caucasi culminis habitabant, easdem portas Heraclius aperire præcepit : indeque centum quinquaginta millia pugnatorum auroque locatorum auxilio suo contra Sarracenos ad præliandum mittit. Sarraceni duos habentes Principes, ducenta ferè millia erant. Cùmque castra nec procul inter se exercitus uterque posuissent, ita ut in crastinum bellum inirent, confligentes, eadem nocte gladio Dei Heraclii exercitus percutitur. In castris quinquaginta et duo (i) millia ex militibus Heraclii in stratu mortui

(a) Edit. vet. et Chesn. al. *Construes*, seu *Costrues* et *Costrus*. Boh. *Construe*, et sic infrà.

(b) Colb. *sumens tela et*, al. ed. *et phalangis*.

(c) Sic Clar. Pal. et Freh. In Colb. detrito priori vocabulo scriptum est *ensem*. Chesn. al. et alii ed. *gladium*.

(d) Sic. Clar. et Col. Chesn. al. etc. Veteres ed. incautè litteras numerales VII. nomini proprio jungentes *Wæltiarnitis*, Pal. *iv. Æltiarnitis*, Chesn. et Freh. *septem Arnitis*, al. *Æltis*. Boh. *Celti-arnitis*.

(e) Editi cum Colb. *denuò Persas Imperator superat*.

(f) Idem fecerat Chilpericus ex Gregor. lib. 6. cap. 17. De hac re plura in utramque partem scripsere Joh. Launoius, et P. Joh. Nicolai Dominicanus. * Hoc factum in dubium revocant Valesius lib. 19. rerum Franc. pag. 100. Cointius ad an. 629. n. 9. Pagius ad an. 614. n. 42.

(g) Colb. et editi aliquot *Ercolriæ*. Alii *Hercolei*. Inferiores Caucasi partes *Colice regionem* dictas fuisse legitur apud Ortelium.

(h) Codd. Clar. et Colb. *Cispias*, Freh. al. *Cispium*. Mavult Plinius Caucasias portas appellari; quæ et Pylæ-Iberiæ dicuntur, non quòd ibi portæ re ipsa fuerint, quamquam et ab incolis dicantur Porta ferrea, sed quòd locus adeò sit angustus, ut quivis hostium impetus facilè retundi possit. Aditus nempè nonnisi trecentorum passuum spatio inter Caucasum montem et Mare Hircaneum patet, imminetque valli castellum in rupe Cumania positum. Ibi urbs est, Harmastis nomine, quam *Derbent*, id est Angustias appellant, Turcis *Demir*, seu *Temir capi*.

(i) Chesn. *et* Freh. *quinquaginta quinque millia*. Chesn. al. L. et LII.

A sunt : cumque in crastino deberent ad prælium egredi, cernentes eorum exercitûs milites partem maximam divino judicio interfectam, adversùs Sarracenos nec ausi sunt inire prælium. Regressus omnis exercitus Heraclii ad proprias sedes, Sarraceni more quo cœperant, provincias Heraclii Imperatoris assiduè vastare pergebant. Cùm jam Hierosolymam propinquassent, Heraclius videns quòd eorum violentiæ non potuisset resistere, nimia amaritudine et mœrore adreptus, infelix Eutycianam hæresim jam sectans (a), Christi cultum relinquens, habens uxorem filiam sororis suæ, à febre vexatus crudeliter vitam finivit : cui successit in Imperii gradum Constantinus filius ejus, cujus tempore pars publica à Sarracenis nimiùm vastatur.

LXVII. Anno ix. (b) Dagoberti Charibertus Rex moritur relinquens filium parvulum, nomine Chilpericum, qui nec post moram defunctus est : fertur factione Dago- *Ruinartio* An. 630. *Nobis* 631.
B berti fuisse interfectus. Omne regnum Chariberti, unà cum Wasconia, Dagobertus protinùs suæ ditioni redigit : thesauros quoque Chariberti Baronto Duci (c) adducendum et sibi præsentandum direxit. Unde Barontus grave dispendium fecisse dignoscitur, unà cum thesaurariis * faciens, nimiùm exinde fraudulenter subtraxit. * *al.* thesauris.

LXVIII. Eo anno Sclavi, cognomento Winidi, in regno Samonis negotiantes Francorum cùm plurimam multitudinem interfecissent, et rebus expoliassent, hoc fuit initium scandali inter Dagobertum et Samonem Regem Sclavinorum (d). Dirigensque Dagobertus Sicharium legatarium ad Samonem, petens ut negotiantes quos sui interfeceranl, et res quas inlicitè usurpaverant, cum justitia faceret emendare. Samo nolens Sicharium videre, nec ad se eum venire permitteret; Sicharius vestes indutus ad instar Sclavinorum (e), cum suis ad conspectum pervenit, Samoni universa quæ injuncta habebat nuntiavit : sed, ut habet gentilitas et super-
C bia pravorum, nihil à Samone quæ sui admiserant est emendatum, nisi tantùm placita vellens instituere, ut de his et aliis intentionibus, quæ inter has partes ortæ fuerant, justitia redderetur in invicem. Sicharius, sicut stultus legatus, verba improperii quæ injuncta non habuerat, et minas adversùs Samonem loquitur, eò quòd Samo et populus regni sui Dagoberto deberent servitium. Samo respondens jam saucius * dixit : *Et terram quam habemus Dagoberti est, et nos sui sumus, si tamen nobiscum disposuerit amicitias conservare.* Sicharius dicens : *Non est possibile, ut Christiani Dei servi cum canibus amicitias conlocare possint;* Samo è contrario dixit : *Si vos estis Dei servi, et nos sumus Dei canes, dum vos assiduè contra ipsum agitis, nos permissum accepimus vos morsibus lacerare :* ejectus est Sicharius de conspectu Samonis. Cùm hæc Dagoberto nuntiasset, Dagobertus superbiter jubet de universo regno Austrasiorum contra Samonem et Winidos movere exercitum : ubi tribus
D turmis phalangæ super Winidos exercitus ingreditur : etiam et Langobardi solatione (f) Dagoberti idemque hostiliter in Sclavos perrexerunt. Sclavi his et aliis locis è contrario præparantes, Alamannorum exercitus cum Chrodoberto Duce in parte qua ingressus est, victoriam obtinuit. Langobardi itidemque victoriam obtinuerunt; et plurimum numerum captivorum de Sclavis Alamanni et Langobardi secum duxerunt. Austrasii verò cùm ad castrum Wogastisburc (g), ubi plurima manus fortium Winidorum immoraverant, circumdantes, triduo prælianles, plures ibidem de exercitu Dagoberti gladio trucidantur, et exinde fugaciter omnes tentoria et res quas habuerunt relinquentes, ad proprias sedes revertuntur. Multis posthæc vicibus Winidi in Thoringiam et reliquos vastando pagos in Francorum regnum inruunt. Etiam et Dervanus Dux gentis Urbiorum (h), qui ex genere Sclavinorum erant, et ad regnum Francorum jam olim adspexerant, se ad * regnum Samoni cum suis tradidit. Istamque victoriam quam Winidi contra Francos meruerunt, non tantùm Sclavinorum fortitudo obtinuit, quantùm dementatio Austra- * *al.* se et.

(a) Monothelitarum hæresim tuebatur Heraclius, quæ Eutychianæ soboles erat : hæc nempè è duabus unam conflatam naturam admittebat, illa unicam voluntatem. Hanc publico edicto, *Ecthesim* appellant, omnibus tenendam proponere veritus non est. Heraclio patri successit Constantinus Catholicus an. 641. De cladibus verò per Sarracenos illatis, qui Muhamedis seu Mahometis, an. 631. regni sui super aliquot Arabes nono defuncti, discipulis juncti, non minùs Deo quàm hominibus bellum indixerunt : plura videsis apud Theophanem, Nicephorum, etc. Nemo nescit quantum illi barbari per universum orbem postea propagati sint.

(b) Freh. *anno octavo.* [Ita Chron. sancti Benigni.]

(c) Alii *Barontum Ducem*, alii *Baronto Duce sibi.*

(d) Sic Clar. quod et ceteri habent frequentiùs infrà; hîc verò *Sclavorum.*

(e) Hinc fortè Sclavinia dictum est vestimenti genus, quo sæculo XII. peregrini utebantur ex Cæsarii libro de Mirac. capp. 40. et 42. ut observat Alteserra, qui et Saxoniciam ex Augustini cap. 127. Quæst. utriusque Test. laudat.

(f) Editi *sollicitatione*, Boh. *solutione.* Et infrà al. *reparantes.*

(g) Sic Clarom. Colb. verò et Boher. cum Palat. *Vocastense*, alii *Vogastense*, *Vocatense.*

(h) Colb. Boher. et aliquot editi *Urbium.* Hos Surbios, Sorbos seu Sorabos esse ait Cointius, Thuringis finitimos, qui Austrasiis parebant.

* *Clar.* caucius.

siorum, dum se cernebant cum Dagoberto odium incurrisse, et assiduè exspo- A
liarentur.

LXIX. Eo anno Charoaldus (a) Rex Langobardorum legatos ad Hisacium Patricium secretiùs mittens, rogat ut Tasonem Ducem provinciæ Tuscanæ, quo poterat ingenio interficeret. Hujus beneficii vicissitudine tributa, quæ Langobardi de manu
* *i.* Imperio. publica * recipiebant, tria centenaria auri annis singulis, unde unum centenarium auri Charoaldus Rex partibus Imperii de præsenti cassaret. Hisacius Patricius hæc audiens, tractabat quibus ingeniis hæc potuisset implere: Tasoni ingeniosè mandans, dum in offensa Charoaldi erat, cum ipso amicitias obligaret, ipse verò contra Charoaldum Regem ei auxiliaretur. Tali præventus est fraude : Ravennam pergit. Hisacius ei obviàm mandans, præ timore Imperatoris Tasonem cum suis infra muros Ravennæ urbis armatum non audebat recipere. Cùmque Taso credens, arma suorum foris urbem relin- B
quens, in Ravennam fuisset ingressus, statim qui fuerant præparati super Tasonem inruunt, et ipsum et suos totos, qui cum eo venerant *, interfecerunt. Charoaldus
* *al.* erant. Rex unum centenarium auri, sicut promiserat, partibus Hisacii et Imperii cassavit. Duo tantùm centenaria auri deinceps ad partem Langobardorum à Patricio Romanorum annis singulis implentur : unus centenarius centum libras auri capit. Posthæc continuò Charoaldus Rex moritur.

LXX. Gundeberga Regina, eò quòd omnes Langobardi eidem fidem cum sacramentis firmaverant, Chrotharium (b) quemdam, unum ex Ducibus de territorio Brixiæ ad se venire præcipit : eum compellens, ut uxorem quam habebat, relinqueret, et eam matrimonio acciperet : per ipsam omnes Langobardi eum sublimabant in regno. Quod Chrotharius libenter consentiens, sacramentis per loca C
Sanctorum firmans, ne umquam Gundebergam postponeret, nec de honore gradûs aliquid minueret, ipsamque unico amore diligens, in omnibus honorem præstaret condignè. Gundeberga attrahente, omnes Langobardorum Primates Chrotharium sublimant in regno. Chrotharius cum regnare cœpisset, multos nobilium Langobardorum, quos sibi senserat contumaces, interfecit. Chrotharius fortissimam disciplinam et timorem in omne regnum Langobardorum pacem sectans fecit. Chrotharius oblitus sacramenti quod Gundebergæ dederat, eamque in unum cubiculum Ticini in aula palatii retrudit, eamque ad privatum habitum vivere fecit : quinque annos sub ea retrusione tenetur. Chrotharius per concubinas debacchabatur assiduè. Gundeberga, eò quòd esset Christiana, in hac tribulatione benedicebat Deum omnipotentem, jejuniis et orationibus assiduè pervacabat.

LXXI. Quando Deo complacuit, Aubedo (c) legatarius directus à Chlodo- D
veo Rege (d), causâ legationis usque Chrotharium Regem Langobardorum Papiam, cognomento Ticino (e), civitatem Italiæ pervenisset, cernens Reginam, quam sæpius in legatione veniens viderat, et ab ipsa benignè semper susceptus fuerat, fuisse retrusam, quasi injunctum habens, exinde inter cetera Chrothario Regi suggessit, quòd illam parentem Francorum quam Reginam habuerat, per quam etiam regnum adsumserat, non debuisset humiliare : exinde Reges Francorum et Franci essent ingrati. Quam Chrotharius de præsenti, reverentiam Francorum habens, jubet ingredi foras ; et post quinque circiter annos, per totam civitatem et foris Gundeberga regali ordine per loca Sanctorum ad orationem adgreditur. De villis et opibus fisci quod habuerat, Chrotharius ei restaurari præcepit, quod usque diem obitûs sui, et gradum dignitatis, et opibus pluribus ditata, regio cultui pòst feliciter tenuit. Aubedo verò à Gundeberga Regina fortiter remuneratur. Chrotharius cum E
exercitu Genavam-maritimam, Albinganum, Varicottim, Soanam, Ubitergium, et Lunam (f) civitates litoris maris de Imperio auferens vastat, rumpit, incendio

(a) Chesn. al. *Chrodoaldus*. Et infrà Clar. *Hysacius* : ed. aliquot *Isacius*, qui et infrà habent *Asonem* cum Colb. Porrò rerum Langobardicarum notitia ex Paulo Diac. potissimùm repetenda est, quas passim Fredegarius perturbat. Observa Hisacium, qui Italiam Imperatoris nomine regebat, Patricium Romanorum hîc à Fredegario appellari : quo nomine Carolus Magnus summam posteà in Italia potestatem habuit.

(b) Colb. *Rhotharium*, Chesn. al. semel, et Boh. *Chrotacharium* : vulgò appellatur *Rotharis*.

(c) Is est Audobaldus palatii Comes, ut censet Peraldus, qui memoratur in charta Clotarii III. pro monasterio S. Benigni Divionensis, data an. 664. Idem *Audebedo*, seu *Audebellus* dicitur ut Chronico ejusdem monasterii, tomo 1. Spicil. Acheriani.

(d) Confer caput 50. suprà, ubi eadem historia narratur. Editi plerique *Chlotario Rege*. Colb. *Chlodavio*. Hic in Chronicis S. Benigni et Besuensi, *Chlotarius* et *Chlodoveus* appellatus fuisse dicitur.

(e) Papia, vulgò *Pavie*, urbs Langobardorum regia, Flavia etiam dicta, et Ticinum à Ticino fluvio, *Tesino*, qui eam alluit ; sede Episcopali nulli Archiepiscopo subjecta, Ducatûs titulo, et Academiâ nobilitatur.

(f) In editis corrupta sunt omninò hæc nomina. Lectionem Clarom. Chesn. et Freh. retinuimus. Colb. habet, *Albingam*, *Novariam*, *Cottisam*, *Omavibitergio*, *Luna*. Editi alii *Albinga*, *Novaria*, *Cottisaonia*,

concremans,

A concremans, populum diripit, spoliat, et captivitate condemnat; murosque earum usque ad fundamentum destruens, vicos has civitates nominare præcepit.

LXXII. Eo anno in Abarorum (a), cognomento Chunorum, regno in Pannonia (b) surrexit vehemens intentio, eò quòd de regno certarent, cui deberetur ad succedendum, unus ex Abaris, et alius ex Bulgaris; collecta multitudine uterque in invicem pugnarunt. Tandem Abari Bulgaros superant. Bulgaris superatis, novem millia virorum cum uxoribus et liberis de Pannonia expulsi, ad Dagobertum expetunt, petentes ut eos in terra Francorum ad manendum reciperet. Dagobertus jubet eos ad hyemandum Bajoarios recipere, dummodò pertractaret cum Francis, quid exinde fieret. Cùmque dispersi per domos Bajoariorum ad hyemandum fuissent, consilio Francorum Dagobertus Bajoariis jubet, ut Bulgaros illos cum uxoribus et
B liberis unusquisque in domo sua in una nocte Bajoarii interficerent: quod protinùs à Bajoariis est impletum. Nec quisquam ex illis remansit Bulgaris, nisi tantùm Altiœus (c) cum septingentis viris, et uxoribus cum liberis, qui in marca Winidorum, (d) salvatus est. Posthæc cum Walluco (e) Duce Winidorum annis plurimis vixit cum suis.

LXXIII. Eo anno quid partibus Spaniæ, vel eorum Regibus contigerit, non prætermittam. Defuncto Sisibudo (f) Rege clementissimo, cui Sintela ante annum circiter successerat in regnum: cùm esset Sintela nimiùm in suis iniquus, et cum omnibus regni sui Primatibus odium incurreret, cum consilio ceterorum Sisenandus quidam ex proceribus ad Dagobertum expetit, ut ei cum exercitu auxiliaretur, qualiter Sintellanem degradaret à regno: in hujus beneficii repensionem missorium aureum nobilissimum ex thesauris Gotthorum, quem Thursemodus Rex
C ab Ætio (g) Patricio acceperat, Dagoberto dare promisit, pensantem auri pondus (h) quingentos. Quo audito Dagobertus, ut erat cupidus, exercitum in auxilium Sisenandi de toto regno Burgundiæ bannire præcepit. Cùmque in Spania divulgatum fuisset, exercitum Francorum in auxilium Sisenando * adgredere, omnis Gotthorum exercitus se ditioni Sisenandi subegit. Abundantius et Venerandus cum exercitu Tholosano tantùm usque Cæsaraugustam civitatem cum Sisenando accesserunt, ibique omnes Gotthi de regno Spaniæ Sisenandum sublimant in regnum. Abundantius (i) et Venerandus cum exercitu Tholosano muneribus honorati revertuntur ad proprias sedes. Dagobertus legationem ad Sisenandum Regem Amalgarium Ducem et Venerandum dirigit, ut missorium illum quem promiserat eidem dirigeret: cùmque à Sisenando Rege missorius ille legatariis fuisset traditus, à Gotthis
D per vim (k) tollitur, nec eum exinde exhibere permiserunt. Posteà discurrentibus legatis ducenta millia solidorum missorii hujus pretii Dagobertus à Sisenando accipiens, ipsumque pensavit.

* *leg.* adgregari.

LXXIV. Anno x. regni Dagoberti, cùm ei nuntiatum fuisset, exercitum Winidorum Thoringiam fuisse ingressum; cum exercitu de regno Austrasiorum de Mettis urbe promovens, transita Ardenna, Magantiam magno cum exercitu adgreditur (l), disponens Rhenum transire; scaram (m) de electis viris fortibus de Neuster et Burgundia cum Ducibus et Grafionibus secum habens. Saxones missos ad Dagobertum dirigunt, petentes, ut eis tributa quæ fisci ditionibus dissolvebant indulgeret: ipsi verò eorum studio et utilitate Winidis resistere spondent, et Francorum limitem de illis partibus custodire promittunt. Quod Dagobertus consilio

Ruinartio An. 631. *Nobis* 632.

ubi Tergio et Luna. Urbes istæ quas recensuimus notissimæ sunt præter *Varicottim*, nomen corruptum, quod divinare non licuit. Genava-maritima, *Genes*, sic dicitur, ut ab Allobrogum Geneva distinguatur. Albenganum vetus nomen retinet *Albenga*, sed Episcopali ab Alexandro III. donata. Sauna est *Savona* sub Genuensium ditione, Opitergium, vulgò *Oderzo*. Lunæ veteri urbi successit *Sarzana*. Hanc expeditionem memorat Paulus Diac. lib. 4. cap. 47. ubi ait à Rothari captas fuisse Romanorum civitates omnes in litore maris *ab urbe Tusciæ Lunensi ad Francorum fines;* et Opitergium ab eo fuisse dirutum.

(a) Aliàs *Avarorum;* aliquot cum aspiratione *Habarorum*. Sic et *Hunnorum* pro *Chunorum*, ut sæpè monuimus.

(b) Colb. et Boh. cum plerisque editis *Hispania*.

(c) Sic Clarom. Apud Colb. *Alticus*, Chesn. et Freh. *Altiaus*, alii *Alticeus*, cum cod. Palat.

(d) Hodie, ut monet Freh. *Windischemarck*.

(e) Sic Clar. Freh. et Chesn. *Wallaco*, al. *Walduco*.

(f) Sisebuto anno DCXXI. successit Reccaredus II. ejus filius, et isti post tres menses *Suintilla*, sive qui hìc *Sintela*, *Sintilla*, et in codd. quibusdam *Senzilla* appellatur, atque in eo desinit Isidori Chronicon. Sisenandus anno DCXXXI. Suintillanem è solio exturbavit.

(g) Illyr. quæ erat etiam lectio Colb. sed detrita, *Ægidio*. At Clar. habet *Agecio*, ceteri *Ejicio;* quo modo in istis codd. Egidii nomen scribi solet. Vide fragmentum IV. ex aliis Fredegarii libris quod infrà proferemus.

(h) Boh. *auri solidos*.

(i) Colb. et de *Habundantius*. Hanc capitis 73. partem ad annum seq. revocat Cointius.

(k) Ed. et Colb. cum Boh. *per viam*. Et infrà al. *exinde abstrahere*.

(l) Boh. *Magantia..... egreditur*. [Chron. Benign. *Maguntiam*.]

(m) Sacra est turma militum, ut jam observavimus. Infrà pro *Neuster*, vet. ed. habent *Austria*.

Neustrasiorum adeptus præstitit Saxonibus, qui his (a) petitionibus suggerendum venerant. Sacramentum, ut eorum mos erat (b), super arma placata * pro universis Saxonibus firmant. Sed parum hæc promissio sortitur effectum, tamen tributum Saxones quod reddere consueverant, præceptione Dagoberti habent indultum : quingentas vaccas inferendales (c) annis singulis à Chlothario seniore censiti reddebant ; quod à Dagoberto cassatum est. A

* *al.* placita.

Ruinartio An. 632. *Nobis* 633.

LXXV. Anno xj. (d) regni Dagoberti, cùm Winidi jussu Samonis fortiter sævirent, et sæpe transcenso eorum limite regnum Francorum vastandum, Thoringiam et reliquos pagos ingrederentur, Dagobertus Mettis urbem veniens, cum consilio Pontificum seu et procerum, omnibusque primatibus regni sui consentientibus, Sigibertum filium suum in Austeris Regem sublimavit, sedemque Mettis civitatem habere permisit. Chunibertum (e) Coloniæ urbis Pontificem, et Adalgiselum Ducem palatium et regnum (f) gubernandum instituit. Thesaurum quod sufficeret filio tradens, condignè ut decuit, eum hujus culmine sublimavit, et quodcumque eidem largitus fuerat, singillatim præceptionibus roborandum decrevit. Deinceps Austrasii eorum studio limitem et regnum Francorum contra Winidos utiliter defensasse noscuntur.

SIGIBERTUS III.

B

Ruinartio An. 633. *Nobis* 634.

LXXVI. Cùmque anno xij. Regis Dagoberti eidem filius, nomine Chlodoveus, de Nantechilde Regina natus fuisset, consilio Neustrasiorum (g), eorumque admonitione, per pactionis vinculum cum Sigeberto filio suo firmasse dinoscitur. Et Austrasiorum omnes Primates, Pontifices ceterique Leudes Sigiberti, manus eorum ponentes insuper, sacramentis firmaverunt, ut Neptricum et Burgundia solidato ordine ad regnum Chlodovei post Dagoberti discessum adspicerent : Auster verò idemque ordine solidato, eò quòd et de populo et de spatio terræ esset coæquans, ad regnum Sigiberti idemque in integritate deberet adspicere ; et quicquid ad regnum Austrasiorum jam olim pertinuerat, hoc Sigibertus Rex suæ ditioni gerendum reciperet, et perpetuò dominandum haberet, excepto Ducatu Dentelini (h), quod * ab Austrasiis iniquiter abtultus fuerat, iterùm ad Neustrasios subjungeretur, et Chlodovei regimini subjiceretur. Sed has pactiones Austrasii terrore Dagoberti coacti vellent nollent firmasse visi sunt. Quod (i) posteà temporibus Sigiberti et Chlodovei Regum conservatum fuisse constat.

C

* *i.* qui.

LXXVII. Radulfus Dux filius Chamari, quem Dagobertus Thoringiæ Ducem instituit, pluribus vicibus cum exercitu Winidorum dimicans, eosque victos vertit in fugam. Hujus victoriæ superbia elatus, et contra Adalgiselum Ducem diversis occasionibus inimicitias tendens, paullatim contra Sigibertum jam tunc cœperat rebellare. Sed, ut dictum est, sic agebat : Qui diligit rixas, meditatur discordias.

D

Ruinartio An. 635. *Nobis* 636.

LXXVIII. Anno xiv. regni Dagoberti, cùm Wascones fortiter rebellarent, et multas prædas in regno Francorum, quod Charibertus tenuerat, facerent, Dagobertus de universo regno Burgundiæ exercitum promovere jubet, statuens eis caput exercitûs, nomine Chadoindum, Referendarium, qui temporibus Theuderici quondam Regis multis præliis probatur strenuus : qui cum decem Ducibus cum exercitibus, id est, Arimbertus (k), Amalgarius, Leudebertus, Wandalmarus, Waldericus, Ermenus, Barontus, Chairaardus ex genere Francorum, Chramnelenus ex genere Romano, Wilibadus Patricius ex genere Burgundionum, Aigyna

(a) Boh. *hujus;* Chesn. etc. *hujus petitionis.*

(b) Hunc morem omnibus populis Septentrionalibus familiarem fuisse observat Cangius in Glossario, quem consule.

(c) Sic Aimoinus lib. 4. cap. 26. dictas fuisse advertit, quòd annis singulis inferrentur.

(d) Cointius legendum hîc esse censet *an. xij.* et cap. seq. an. *xiij.* sed nihil absque codicis alicujus auctoritate immutare licuit. * Cùm annus undecimus regni Dagoberti à mense Martio anni 632. exordium sumserit, atque in mense Martio anni sequentis desierit, anno tantùm 633. Austrasiæ regnum Sigiberto concessum fuisse contendit Pagius ad hunc annum n. 31. illudque probat ex annis quibus regnavit Sigibertus. Mortuus est enim anno 656. postquàm annos 23. regnasset. Chron. S. Benigni, *regnum Francorum vastando.*

(e) Colb. et alii *Hunibertum,* quod perinde est.

(f) Sic legendum esse monet Valesius ex cod. Clarom. cui Chronica Besuense et S. Benigni, Annales Mettenses cum B. Pippini Vita etc. consentiunt, cum Boh. et Freh. qui habet *Ducem, Palatium etc.* sicut et Ill. licèt habeat *Palatii.* At Chesn. et alii ed. cum Colb. *Adalgiselum Ducem Palatii ad regnum gubernandum etc.* unde aliqui intulere novam à Dagoberto dignitatem Ducis Palatii tunc fuisse apud Francos institutam. Boh. *Adalgisum*, alii *Adagysilum.*

(g) Aliquot ed. *Austrasiorum*, quod fortè eorum auctores in codd. inciderint, qui habent *Neauster, Neaustrasii.*

(h) Boh. *Ducato Dentileno,* al. *Danzileni.*

(i) [Chron. Benignianum, *Quod post mortem ejus, filiis regnum administrantibus, dissolutùm fuisse constat.*]

(k) Clar. cod. lectionem secuti fuimus. Alii *Almagarius, Haribertus..... Ermenricus, Barantus, Arialdus,* seu *Hariardus..... Ramelenus* seu *Ranlenus, Wilibaldus*, *Aghyno,* seu *Agino.* [Chronic. S. Benig. *Waldericus, Hermendricus, Barontus, Airardus ex genere Francorum, Ramelenus ex genere Romanorum... Aichinus,* al. *Aighinus ex genere Saxonum.*]

A ex genere Saxonum, exceptis Comitibus plurimis, qui Ducem super se non habebant (a), in Wasconia cum exercitu perrexissent, et tota Wasconiæ patria ab exercitu Burgundiæ fuisset repleta, Wascones de inter montium rupibus egressi ad bellum properant. Cùmque præliari cœpissent, ut eorum mos est, terga vertentes dum cernerent se esse superandos, in fauces vallium et montes Pyrenæos latebram dantes, se locis tutissimis per rupes eorumdem montium collocantes latitarunt. Exercitus post tergum eorum cum Ducibus insequens, plurimo numero captivorum Wascones superatos, seu et ex his magna multitudine interfectos, omnes domus eorum incensas, peculiis * et rebus exspoliant. Tandem Wascones oppressi
B seu perdomiti veniam et pacem à superscriptis Ducibus petentes, promittunt se gloriæ et conspectui Dagoberti Regis præsentaturos, et suæ ditioni traditos, cuncta ab eodem injuncta impleturos. Feliciter hic exercitus absque ulla læsione ad patriam fuerint repedati, si Arembertus Dux maximè cum Senioribus et nobilioribus exercitûs sui per negligentiam à Wasconibus in valle Subola (b) non fuisset interfectus. Exercitus verò Francorum, qui de Burgundia in Wasconia accesserat, patratâ * victoriâ redit ad proprias sedes. Dagobertus (c) ad Clippiaco residens mittit nuntios in Britanniam, quod Brittones malè admiserant velociter emendarent, et ditioni suæ se traderent; alioquin exercitus Burgundiæ, qui in Wasconiam fuerat, de præsenti in Britannias debuissent inruere. Quod audiens Judacaïle (d) Rex
C Britannorum, cursu veloci Clippiacum cum multis muneribus ad Dagobertum perrexit, ibique veniam petens, eum cuncta quæ sui regni Britanniæ pertinentes Leudibus Francorum inlicitè perpetraverant, emendandum spondidit; et semper se et regnum quod regebat Britanniæ, subjectum ditioni Dagoberti et Francorum Regibus esse promisit. Sed tamen cum Dagoberto ad mensam vel ad prandium discumbere noluit, eò quòd esset Judacaïle religiosus et timens Deum valde. Cùmque Dagobertus resedisset ad prandium, Judacaïle egrediens de palatio ad mansionem Dadonis (e) Referendarii, quem cognoverat sanctam Religionem sectantem, accessit ad prandium : indeque in crastino Judacaïle Rex Britannorum Dagoberto valedicens in Britanniam repedavit : condignè tamen à Dagoberto muneribus honoratur.

* *al.* peculiis.

* *al.* parta.

D Anno xv. regni Dagoberti, Wascones omnes Seniores terræ illius cum Aiginane (f) Duce ad Dagobertum Clippiacum venerunt, ibique in Ecclesia domni Dionysii regio timore perterriti confugium fecerunt. Clementiâ Dagoberti vitam habent indultam : ibique sacramentis Wascones firmantes, simul et promittentes se omni tempore Dagoberto et filiis suis, regnoque Francorum fideles fore : quod more solito, sicut sæpe fecerant (g), posthac probavit eventus. Permissu Dagoberti Wascones regressi sunt in terram Wasconiæ.

Ruinartio An. 636. *Nobis* 637.

LXXIX. Anno xvj. regni sui (h) Dagobertus profluvio ventris in Spinogelo

(a) Hinc posteà totidem ex ejusmodi Comitibus inter Pares Franciæ allecti sunt, quot Duces.

(b) Vallis Subola pagus est ad Pyrenæi radices situs, diœcesis olim Aquensis, *d'Acqs*, nunc verò Eleronensis, *d'Oleron :* caput habet oppidum Malleonem, *Mauleon*, Sasone fluvio irrigatum. Hodie contractiùs dicitur Sola, seu Seula, vulgò *la Soule.*

(c) [Chron. S. Benigni, *Dagobertus residens Clippiaco..... ut Britones quæ malè gesserant.* Infrà, *Judaicale.*]

(d) Boh. *Judacaule.* Vulgò dicitur Judicaël, qui posteà dimisso regno vestem monasticam suscepit in monasterio sancti Johannis de Gaëlo, hodie sancti Mevennii, in diœcesi Alethensi, seu S. Maclovii. Memoratur in Martyrologio Bened. die 17 Kal. Januar.

(e) Is est sanctus Audoënus posteà Rotomagensis Episcopus, vel suo nomine celebris, de quo infrà.

(f) Ed. cum Colb. *Ainando,* al. *Amando.* [Ita Chron. S. Benigni.]

(g) Chesn. addit, *fefellerunt, ut probavit.*

(h) In illis annis sexdecim computandi sunt ii, quos simul cum patre regnavit, atque ita Dagobertus obiisse dicendus est anno 638. die xv. Kal. Febr. qui annus 637. dici potest, si annus à Paschate inchoatur, ut fit apud Fredegarium. Hanc sententiam post Valesium et Cointium multis argumentis confirmat noster Mabillonius cùm in Præfatione Sæc. 2. Benedictini, tum in dissertatione singulari ea de re edita tomo 3. Vet. Analect. contra eos, qui Dagobertum annos xvi. post patris mortem regnasse censentes, ejus obitum ad an. 644. differunt. Spinogilum verò vicus ubi Dagobertus ægrotavit, situs est supra Sequanam, à S. Dionysii oppido una circiter leuca dissitus, vulgò *Espinay*, quamquam, ut monet Valesius, *Espineüil* dici et scribi deberet. Sepultus est autem in basilica Dionysiana, quam eo in loco tunc exstitisse cum SS. Martyrum sepulcro, ubi nunc etiam visitur duabus circiter leucis ab urbe, compluribus argumentis viri eruditi jam evicerunt, et ex multis chartis autographis primæ Regum nostrorum stirpis, quæ lib. 6. de re Diplomatica habentur, confirmari potest. Quin et cùm vir. Cl. Sebastianus le Nain de *Tillemont*, non minùs pietate quàm eruditione illustris, tomo 4. Historiæ Eccles. ea de re quasi dubitando scripsisset, re posteà ab amicis monitus, attentiùs exploratâ, agnovit nullis certis rationibus approbari posse eorum sententiam, qui contendunt basilicam, in qua sepulti Martyres fuerunt, et in qua Dagobertus fuit depositus, in ipsa urbe olim exstitisse; cùm è contrario altera sententia validissimis argumentis demonstretur; idque prima data occasione sese in scriptis emendaturum pollicitus est : quod hîc testari visum est, quòd ipse die 10. Januarii hujus anni 1698. piè fato functus, promissum exsequi non potuerit. Ceterùm hodieque apud S. Dionysium Dagoberti tumulus ad dexteram majoris altaris visitur, sed qui tantæ antiquitatis esse viris eruditis non videtur. De nobilissimi hujus monasterii, quod exinde Regum nostrorum, tertiæ potissimùm stirpis, commune conditorium est, prærogativis, sacris cimeliis, plurimis possessionibus, jurisdictionibus etc. plura proferre supervacaneum esset.

Ruinartio An. 637. *Nobis* 638.

villa super Sigona fluvio, nec procul à Parisius ægrotare cœpit : exinde ad basilicam sancti Dionysii à suis defertur. Post paucos dies cùm vitæ suæ sentiret periculum, Æganem sub celeritate ad se venire præcepit, reginam Nantechildem, et filium suum Chlodoveum eidem in manu commendans : se jam discessurum sentiens, consilium Æganæ pergratum habens, quòd cum ejus instantia regnum strenuè gubernare possit. His gestis, post paucos dies Dagobertus emisit spiritum, sepultusque est in Ecclesia sancti Dionysii, quam ipse priùs condignè ex auro et gemmis et multis pretiosissimis speciebus ornaverat, et condignè in circuitu fabricari præceperat, patrocinium ipsius pretiosum expetens. Tantæ opes ab eodem et villæ et possessiones multæ per plurima loca ibi sunt collatæ, ut miraretur à plurimis. Psallentium ibidem ad instar monasterii sanctorum Agaunensium instituere jusserat : sed facilitas Abbatis Aigulfi eamdem institutionem noscitur refragasse. (a). Post Dagoberti discessum filius suus Chlodoveus sub tenera ætate regnum patris adscivit. Omnesque Leudes de Neuster et Burgundia eum Massolaco villa sublimant in regnum. Æga verò cum regina Nantechilde, quam Dagobertus reliquerat, regebat Palatium.

A

B

Chlodoveus II.

An. 638. *et* 639.

LXXX. Anno primo regni Chlodovei, secundo, et imminente tertio ejusdem regni anno (b) condignè Palatium gubernat et regnum. Æga verò inter ceteros Primates Neptrici prudentiùs agens, et plenitudine patientiæ * imbutus, cunctis erat præcellentior. Eratque genere nobilis, opibus abundans, justitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis : tantummodo à plurimis blasphemabatur, eò quòd esset avaritiæ deditus. Facultates plurimorum, quæ jussu Dagoberti in regno Burgundiæ et Neptrico inlicitè fuerant usurpatæ, et fisci ditionibus contra modum justitiæ redactæ, consilio Æganis * omnibus restaurantur.

* *al.* sapientiæ.

C

* *al.* Æginanæ.

LXXXI. Eo anno Constantinus Imperator moritur (c) : Constans filius ejus sub tenera ætate consilio Senatûs in Imperio sublimatur. Idem ejus tempore gravissimè à Sarracenis vastatur Imperium. Hierosolyma à Sarracenis capta, ceteræque civitates eversæ, Ægyptus superior et inferior à Sarracenis pervaditur. Alexandria capitur et prædatur. Africa tota vastatur, et à Sarracenis possidetur. Paullulùm, ibique Gregorius patricius à Sarracenis est interfectus. Constantinopolis tantùm cum Thraciana provincia et paucis insulis, etiam et Romana (d) provincia Imperii ditioni remanserat. Nam maximè totum Imperium à Sarracenis graviter fuit adtritum : etiam et in postremo Imperator Constans constrictus atque compulsus, effectus est Sarracenorum tributarius, ut vel Constantinopolis cum paucis provinciis et insulis suæ ditioni reservaretur. Tribus annis circiter, et fertur adhuc ampliùs, per unumquemque diem (e) mille solidos auri ærariis Sarracenorum Constans implebat. Tandem resumtis viribus Constans Imperium aliquantisper recuperans, tributa Sarracenis implenda refutat. Quemadmodum hoc factum fuisset eventum, anno in quo expletum est, in ordine debito referam, et scribere non silebo, donec de his et aliis optata, si permiserit Deus, perficiam huic libello cuncta mihi ex veritate cognita inseram.

D

LXXXII. Eo anno Sintela (f) rex Spaniæ, qui Sisenando in regno successerat, defunctus est. Hujus filius, nomine Tulga, sub tenera ætate Spaniis peti-

(a) Freh. al. *suffragasse*. Favet Chron. S. Benigni, ubi legitur, *jusserat*, *quod studio et industriâ Abbatis Aigulfi est adimpletum*. Hunc posteà Valentiæ Episcopum fuisse censet Johannes Columbus : at refragatur Aimoinus, qui lib. 4. cap. 40. *Agilulfum* Valentiæ Episcopum laudat, et seq. *Aigulfum* Abbatem S. Dionysii. Psallentii Agaunensis nomine hîc intellige jugem psalmodiam diu noctuque perseverantem, qualis erat apud Græcos monachos, qui Acœmetæ dicebantur, quasi numquam dormirent : id per plures turmas distributi præstabant, quem morem ab Aigulfo neglectum restituit Chlodoveus II. ut ex ejus charta patet, quam [Tomo sequenti] dabimus. Idem firmarunt Theodoricus IV. et Pippinus.

(b) Sic Clar. etc. scripti ; consentiunt Illyr. Colb. Bign. Boch. et Bar. At Chesn. et Freh. *Æga verò anno j. Chlodovei, imminente secundo ejusdem regni anno, condignè etc.* quam lectionem ceteris præferendam esse censet Cointius. At Fredegarius non hîc tres annos laudat, quasi quæ in his capitibus narrat, tribus his annis consignanda sint : sed vult solummodo Ægam seu Æganem palatium primo et secundo anno gubernasse, ac tertio imminente defunctum, ut dicit infrà cap. 83. consentit Chronicum sancti Benigni.

(c) Constantinus Heraclio patri successit an. 641. quo paullò pòst à Martina noverca, ut fertur, veneni potione necato, Heracleonas ex ipsa alter Heraclii filius successit : sed ipsi post sex menses edicto Senatûs naribus præcisis, et lingua matri abscissa, substitutus est Constans, Constantini filius, Monothelitarum defensor.

(d) Hodie Romania dicitur, quæ Thraciam propriè dictam et alias vicinas regiones comprehendit. Boh. et vet. ed. *Thraciana provincia Imperii*, ceteris omissis.

(e) Colb. alia manu *annum*.

(f) Alii *Sentela*, seu *Sintilla*. Vulgò dicitur Cinthila, aut Suinthila II. cui successit Tulca, qui in edit. plerisque *Tolga*, in Boh. *Tholga* appellatur, et qui eum an. 642. exturbavit Chindaswindus, qui an. 649. Receswinthum filium suum monarcham reliquit. [Chron. S. Benigni, *Sentilla Rex Hispaniæ, quem Sisenandus oppresserat, moritur.*]

A tione patris sublimatur in regno Gotthorum gens impatiens est, quando super se forte jugum non habuerit. Hujus Tulganis adolescentiâ omnis Spania more solito vitiatur, diversa committens insolentia. Tandem unus ex primatibus, nomine Chintasindus, collectis plurimis senatoribus Gotthorum, ceteroque populo, in regnum Spaniæ sublimatur, qui Tulganem degradatum ad onus (a) clericatûs tonsorari fecit : cùmque omne regnum Spaniæ suæ ditioni firmasset, cognito morbo * Gotthorum, quem de regibus degradandis habebant, unde sæpiùs cum ipsis in consilio fuerat ; quoscumque ex eis hujus vitii promtum contra reges, qui à regno expulsi fuerant, cognoverat fuisse noxios, totos singillatim jubet interfici (b) (b), aliosque exsilio condemnari, eorumque uxores et filias suis fidelibus cum facultatibus tradit. Fertur de primatibus Gotthorum hoc vitio reprimendo ducen-
B tos fuisse interfectos : de mediocribus quingentos interficere jussit : quoad usque hunc morbum Gotthorum Chintasindus cognovisset perdomitum, non cessavit quos in suspicione habebat gladio trucidare. Gotthi verò à Chintasindo perdomiti, nihil adversùs eumdem ausi sunt, ut de regibus consueverant, inire consilium. Chintasindus cùm esset plenus dierum, filium suum nomine Richysindum in omni regno Spaniæ regem stabilivit. Chintasindus pœnitentiam agens, eleemosynam multam de rebus propriis faciens, plenus senectute fertur nonagenarius mortuus esse.

* *al.* more.

LXXXIII. Anno iij. regni Chlodovei regis, Æga in Clippiaco villa vexatus à febre moritur. Ante paucos dies Ermenfredus, qui filiam Æganis uxorem acceperat, Ænulfum (c) Comitem in Albiodero vico in mallo (d) interfecit. Ob hanc rem gravissima stra-
C ges de suis rebus jussione et permissu Nantechildæ à parentibus Ænulfi et populo plurimùm fitur. Ermenfredus in Auster Remus ad basilicam sancti Remedii fecit confugium : ibique diebus plurimis hanc infestationem devitando et regio timore, resedit.

LXXXIV. Post discessum Æganæ Erchinoaldus Major-domûs, qui consanguineus fuerat de genitrice (e) Dagoberti, Major-domûs palatii Chlodovei efficitur. Eratque homo patiens, bonitate plenus, cum esset patiens et cautus, humilitate et benigna voluntate circa Sacerdotes, omnibusque patienter et benignè respondens, nullaque tumens superbia, neque cupiditate sæviebat : tantùm in suo tempore pacem sectans fuit, ut Deo esset placebile. Erat sapiens, sed in primis maxima cum simplicitate, rebus mensuratim ditatus, ab omnibus erat dilectus. Igitur post discessum Dagoberti regis, quo ordine ejusdem thesauri inter filios divisi fuerint, non omittam : sed dilucidato ordine huic volumini inseri procurabo.

An. 640.

D LXXXV. Cùm Pippinus Major-domûs post Dagoberti obitum, et ceteri Duces Austrasiorum, qui usque in transitu Dagoberti suæ fuerant ditioni retenti, Sigibertum unanimi conspiratione expetiissent ; Pippinus cum Chuniberto, sicut et priùs amicitiæ cultu in invicem conlocati fuerant, et nuper sicut et priùs amicitia vehementer se firmiter perpetuò conservanda obligant, omnesque Leudes Austrasiorum secum uterque prudenter, et cum dulcedine attrahentes, eos benignè gubernantes, eorum amicitiam constringunt, semperque servant. Igitur discurrentibus legatis, partem Sigiberto debitam de thesauris Dagoberti Nantechildæ reginæ et Chlodoveo regi à Sigiberto requiritur, ad quod reddendum placitus instituitur. Chunibertus Pontifex urbis Coloniæ et Pippinus Major-domûs cum aliquibus primatibus Auster à Sigiberto directi villam Compendium (f) usque perveniunt, ibique thesaurus Dagoberti, jubente Nantechilde et Chlodoveo, instantiâ Æganis Majoris-domûs præsentatur, et æqua lance dividitur : tertiam tamen partem, de quod Dagobertus adquisierat, Nantechildis regina percepit. Chunibertus et Pippinus hunc thesaurum, quæ pars fuit Sigiberti, Mettim faciunt

(a) Alii *honus*, pro *honorem*, ut vet. editi.

(b) Idem fecerat Leuvigildus. Vide Gregor. lib. 3. Histor. cap. 30. et Notas Alteserræ in idem caput.

(c) Clar. semel *Chainulfum*, aliàs *Ainulfum* appellat. Colb. *Aniulfum*, seu *Aginulfum* in indice. Boh. *Agnulfo*.

(d) Mallus dicebatur conventus totius regionis, seu placitum majus, in quo res majoris momenti à Comite finiebantur. Vide Glossarium Cangii.

(e) Alii *genere*, plerique *genetrice*, seu *genere Dagoberto*. Erchinoaldus Balthildem posteà Reginam è captivitate redemit, S. Furseum excepit, eique Latiniacum pro construendo monasterio donavit, Ecclesiamque sub ipsius nomine apud Peronam construxit. Obiit paullò ante S. Eligium ex ipsius S. Eligii Vitæ lib. 2. cap. 26. id est circa annum 659.

(f) Nullus fortassè locus exstat in Francia, quem Reges frequentiùs excoluerint. Vulgò dicitur *Compiegne*, situs paullò infra confluentes Axonæ in Isaram. Vide lib. 4. de re Diplomatica. Hodieque celebre est oppidum, ubi insignis Abbatia ordinis Benedictini et Cong. S. Mauri, quæ natales suos Carolo Calvo debet.

perducere ; Sigiberto præsentatur et describitur. Post verò (a) anni circulum A
Pippinus moritur, nec parvum dolorem ejusdem transitus cunctis generavit
in Auster, ex eo quòd ab ipsis pro justitiæ cultu et bonitate ejusdem dilectus
fuisset. Grimoaldus filius ejus, cùm esset strenuus, ad instar patris diligitur à plu-
rimis.

LXXXVI. Otto quidam filius Uronis (b) domestici, qui bajulus Sigiberti ab ado-
lescentia fuerat, contra Grimoaldum superbia tumens, et zelum ducens, eumque
despicere conaretur : Grimoaldus cum Chuniberto pontifice se in amicitiam constrin-
gens, cœperat cogitare, quo ordine Otto de palatio ejiceretur, et gradum patris Gri-
moaldus adsumeret.

An. 640. LXXXVII. Cùmque anno viij. (c) Sigibertus regnaret, et Radulfus Dux B
Thoringiæ vehementer Sigiberto rebellare disposuisset, jussu Sigiberti omnes
Leudes Austrasiorum in exercitu gradiendum banniti sunt (d). Sigibertus Rhe-
num cum exercitu transiens, gentes undique de universis regni sui pagis ultra
Rhenum cum ipso adunatæ sunt. Primo in loco filium Chrodoaldi, nomine Fa-
rum (e), qui cum Radulfo unitum habebat consilium, exercitu Sigiberti truci-
dans rupit, ipsumque interfecit : omnem populum hujus Fari qui gladium evasit,
captivitati deputant. Omnesque primati et exercitus dextras invicem dantes, ut
nullus Radulfo vitam concederet : sed hæc promissio non sortitur effectum. Sigi-
bertus deinde Buchoniam cum exercitu transiens, Thoringiam properans. Radul-
fus hæc cernens castrum lignis munitum in quodam monte super Unestrude fluvio
in Thoringia construens, exercitum undique, quantùm plus potuit, colligens, cum C
uxore et liberis in hoc castro, ad se defensandum stabilivit : ibique Sigibertus cum
exercitu regni sui veniens, castrum undique circumdat exercitus : Radulfus verò
intrinsecus ad prælium fortiter præparatus sedebat. Sed hoc prælium sine consilio ini-
tum est. Hoc adolescentia Sigiberti regis patravit, cùm alii eodem die vellent proce-
dere ad bellum, et alii in crastino, nec unitum habentes consilium. Grimoaldus et
Adalegiselus duces hæc cernentes Sigiberti periculum zelantes ; eum undique sine
intermissione custodiunt. Bobo dux Arvernus cum parte exercitûs Adalegiseli, et
Ænovalaus (f) Comes Sogiontensis cum pagensibus suis et cetera exercitûs
manus plurima, contra Radulfum ad portam castri protinus pugnandum perre-
xerunt. Radulfus cùm aliquibus Ducibus exercitûs Sigiberti fiduciam haberet,
quòd super ipsum non voluissent viribus inruere ; de castro per portam prorum-
pens, super exercitum Sigiberti cum suis inruens, tanta strages à Radulfo cum D
suis de exercitu Sigiberti fitur, ut mirum fuisset. Magancenses in hoc prælio non
fuerunt fideles. Ferturque ibi plurima millia hominum fuisse trucidata gladio. Ra-
dulfus patratâ victoriâ in castrum ingreditur. Sigibertus cum suis fidelibus gravi
amaritudinis mœrore adreptus, super equum sedens, lacrymas oculis prorumpens,
* *al.* Bodo. plangebat quos perdiderat : et Bobo * Dux, et Ænovalaus Comes, et ceteri
nobilium fortissimi pugnatores, seu et plurima manus exercitûs Sigiberti Regis,
qui cum ipsis in congressione certaminis essent adgressi, conspiciente Sigiberto,
hoc prælio fuerunt trucidati. Nam et Fredulfus (g) domesticus, qui et amicus
Radulfi fuisse dicebatur, hoc prælio occubuit. Sigibertus eadem nocte nec procul
ab ipso castro in tentoriis cum suo remansit exercitu. In crastinum videntes quòd

(a) Colb. et Freh. *Post fertur anni circulum*, Boh. *circulus*. Circulus ille anni post thesauri divisionem interpretandus est, non verò post Æganis mortem : uterque enim anno 640. obiit [*mortuus est Pippinus anno* 639.] Pippinus sepultus est Landis ad Getam amnem in Hasbaniæ et Brabantiæ confinio, nunc exiguo oppido, haud procul à monasterio S. Trudonis. Vide lib. 4. de re Diplomatica. Ab eo loco Pippinus *Landinensis* cognomen accepit. Corpus ejus posteà Nivigellam translatum, juxta S. Gertrudem suam ipsius filiam depositum est ; quod monasterium Itta ejus uxor cum S. Gertrude construxerat. S. Pippini Vitam Chesnius tomo 1. et Bollandus die 21. Februarii, quo ipsius festum colitur, exhibent.

(b) Chesn. *Beronis*, al. *Uronis, Vironis, Eronis, Aronis*; Boh. *Urones*. Bajulus Regis dicebatur, qui ejus educationis curam habebat ; unde vulgus eos *monitores* appellabat, ut patet ex Lupi Ferrariensis Abbatis epist. 64. ad Carolum Regem : *Non admittentur à vobis monitores, quos bajulos vulgus appellat, ne gloriam vestram inter se ipsi partiantur*. Hinc magna auctoritate pollebant, quòd ut plurimùm omnia eorum nutu fierent. De his fusè et eruditè disserit Cangius in Glossario.

(c) Colb. *Cùmque anno ix.* Sic legit Sigibertus Gemblacensis in Chronico. Freh. *an. vij.*

(d) Jam de hac voce aliquid observavimus in notis ad Gregorium. Bannum est edictum seu denuntiatio alicujus rei : quandoque etiam sumebatur pro pœna iis, qui non obtemperaverant, inflicta ; sicut et Heribannum *l'Arriere-Ban*, multam signabat eorum qui ad exercitum ire neglexerant. Non planè exolevit harum vocum usus. Etenim hodie dicimus *convoquer le Ban et l'Arriere-Ban*, et *être mis au Ban de l'Empire*. Quin et nuptiarum proclamationes in Ecclesiis fieri solitas *bannos* dicimus.

(e) Editi plerique, *Farum filium Chroaldi nomine* ; *cum*, mss. cum Freh. *Faram*, et infrà *Faræ*, Clar. *Faram filio Chrodoaldo etc.* Colb. et editi complures, *exercitum Sigiberti trucidans*, quod est mendosum.

(f) Boh. *Sogotinsis*. Colb. et editi plerique *Enovalaus Sagiontensis, le Suntgaw*. Chesn. et Freh. *Nauvalaus*, al. *Innovalaus, Ænovalatus*, et sic infrà.

(g) Chesn. et Freh. *Freudolfus*.

A Radulfo nihil prævaluissent, missis discurrentibus, ut Rhenum pacificè iterum transmearent; cum Radulfi convenientia Sigibertus et ejusdem exercitus ad proprias sedes remeant. Radulfus superbia elatus ad modum regis in Thoringia se esse censebat, amicitias cum Winidis firmans, ceterasque gentes, quas vicinas habebat, cultu amicitiæ obligabat. In verbis tamen Sigiberto regimen non denegabat; sed in factis fortiter ejusdem resistebat dominationi.

LXXXVIII. Anno x. regni Sigiberti Otto, qui adversùs Grimoaldum inimicitia per superbiam tumebat, factione Grimoaldi à Leuthario Duce Alamannorum interficitur. Gradus honoris Majoris-domûs in palatio Sigiberti, et omni regno Austrasiorum in manu Grimoaldi confirmatus est vehementer (a). An. 642.

LXXXIX. Anno iiij. regni Chlodovei. Cùmque Nantechildis regina cum filio An. 641.
B suo Chlodoveo rege, post discessum Æganæ, Aurelianis in Burgundiæ (b) regnum venisset, ibique omnes seniores, Pontifices, Duces et Primates de regno Burgundiæ ad se venire præcepit : ibique cunctos Nantechildis singillatim adtrahens, Flaochatus (c), genere Francus, Major-domûs in regnum Burgundiæ, electione Pontificum et cunctorum Ducum, à Nantechilde regina in hunc gradum honoris nobiliter stabilitur, neptemque suam, nomine Ragnobertam (d), Flaochato desponsavit : sponsalia hæc nescio qua factione fiuntur. Nam aliud consilium secretè Flaochatus et Nantechildis regina machinantur, quod creditur Deo non fuisse placibile, ideòque non mancipavit effectum. Cùmque Erchinoaldus et Flaochatus Majores-domûs inter se quasi unum iniissent consilium, consentientes ad invicem, hunc gradum honoris, alterutrum solatium præbentes, disponunt
C habere feliciter. Flaochatus cunctis Ducibus de regno Burgundiæ, seu et Pontificibus per epistolam, etiam et sacramentis firmavit, unicuique gradum honoris et dignitatem, seu et amicitiam perpetuò conservare. Hac dignitate sublimatus Flaochatus regnum Burgundiæ pervagatur, consilium assiduè iniens, priorem inimicitiam, qua cordis arcana diu celaverat, memorans, Willebadum Patricium interficere disponebat.

XC. Willebadus cùm esset opibus abundans, et plurimorum facultates ingeniis diversis abstollens, ditatus inclytè fuisset, et inter Patriciatûs gradum, et nimiarum facultatum elationem superbiæ esset deditus, adversùs Flaochatum tumebat, eumque despicere conabatur. Flaochatus, collectis secum Pontificibus et
D Ducibus de regno Burgundiæ, Cabillono pro utilitate patriæ tractandum mense Madio placitum instituit : ibique et Willebadus multitudinem secum habens advenit. Flaochatus ibidem Willebadum interficere nitebatur : hæc cernens Willebadus palatium noluit introire. Flaochatus foris contra Willebadum præliandum aggreditur : Amalbertus verò germanus Flaochati ad pacandum intercurrens, ubi jam in congressione certaminis confligere debuerant, Willebadus Amalbertum secum retinens, de hoc evasit periculo : intercurrentibus et ceteris personis separantur illæsi. Flaochatus deinceps vehementem inibat (e) consilium de interitu Willebadi. Eo anno Nantechildis Regina moritur (f). Ipso anno mense Septembri Flaochatus cum Chlodoveo Rege et Erchinoaldo, itidemque Majore-domûs et aliquibus primatibus Neustrasiis, de Parisiaco promovens per Senonas et Autisiodorum, Augustudunum accesserunt, ibique Chlodoveus Willebadum Patricium ad se venire præcepit. Willebadus cernens iniquum consilium Flaochati, et germani sui Amalberti, Amalgarii et Chramneleni (g) Ducum, de suo interitu fuisse initum, colligens secum plurimam multitudinem de Patriciatûs sui termino,

(a) Posteà eò insolentiæ devenit, ut defuncto Sigiberto, ejusque filio Dagoberto in Scotiam amandato, Childebertum filium suum Austrasiæ Regem salutari jusserit : quod facinus regni optimates detestati, tyranno exturbato, Grimoaldum Parisiis in vincula conjecere, ubi defunctus est : tuncque Dagobertus à proceribus regni revocatus, paternum Austrasiæ regnum accepit, qua de re Valesius lib. 20. et 22. rerum Francic. Henschenius in Vitam S. Sigiberti die 1. Febr. Bollandiani, et Mabillon. in Præf. tomi 2. Actor. SS. Ord. Benedictini. Sigibertus sepultus est in monasterio S. Martini quod prope Mettas construxerat ad ripam Mosellæ, ubi sacræ ejus reliquiæ ad an. 1552. servatæ fuerunt : quo anno destructa funditùs S. Martini Abbatia, delatæ sunt Nanceium, ubi in Ecclesia, quam appellant Primatialem, ex ejusdem Abbatiæ aliorumque sacrorum locorum spoliis et reditibus dotata, quiescunt. Festum ejus colitur die 1. Februarii.

(b) * Valesius in Notit. Gall. pag. 228. notat Aurelianos Burgundiæ à Fredegario attribui, non quòd ea urbs ad vetus regnum Burgundionum quidquam pertinuerit, sed quòd cum portione regni Chlodomeris totâque Burgundiâ obtigerat Guntramno tetrarchæ, cujus regnum nomine majoris partis Franci Burgundiam appellavere.

(c) Alii *Flaucadus*, seu *Flaochadus*, et sic infrà. [Chron. S. Benig. *Flaucatus*. Infrà, *Ragnebertam*.]

(d) Colb. et editi quidam *Regimbertam*, al. *Ragimbertam*, Chesn. *Ragnobergam*.

(e) Colb. et editi aliquot, *vehementer minabat consilium* : Boh. *eminebat*, alii *eliminabat*.

(f) Sepulta est in basilica sancti Dionysii.

(g) Colb. *Ramleni*. Editi aliquot *Ramneleni*, al.

etiam et Pontifices, seu nobiles et fortes, quos congregare potuerat, Augustu- A
dunum gradiendum iter adripuit. Cui obviàm à Chlodoveo rege, Erchinoaldo
Majore-domus et Flaochato Ermenricus domesticus dirigitur, eò quòd Willeba-
dus trepidabat, utrùm accederet, an suum devitando periculum repedaret, ut ab
Ermenrici promissionibus præventus usque Augustudunum aggrederetur, quem
* *al.* dignis. ille credens condignè * muneribus honoravit. Post tergum ejus Augustudunum
accessit; ibique tentoria cum suis nec procul ab urbe posuit. Eodem die quo ibi-
dem peraccesserat, Aigilulfum (a) Valentiæ urbis Episcopum, et Gysonem Comi-
tem ad prævidendum quæ agebantur, Augustudunum direxerat, qui à Flaochato
in urbe retenti sunt. In crastino Flaochatus, Amalgarius et Chramnelenus, qui
consilium de interitu Willebadi unanimiter conspiraverant de urbe Augustuduno
maturiùs promoventes, ceterique Duces de regno Burgundiæ cum exercitu eis B
subjunguntur. Erchinoaldus cum Neustrasiis quos secum habebat, idemque arma
sumens ad hoc bellum aggreditur. Willebadus è contra tela prælii (b) construens
quoscumque potuit adunare, phalanges utræque in congressione certaminis jungun-
tur ad prælium : in ea pugna Flaochatus, Amalgarius et Chramnelenus, itemque
Wandelbertus Duces cum suis in congressione certaminis contra Willebadum
pugnandum confligunt. Nam ceteri Duces, vel Neustrasii, qui undique eosdem
debuerant circumdare, se retinentes adspiciebant, exspectantes eventum nolue-
runt super Willebadum inruere; ibique Willebadus interficitur : plurimi cum ipso
de suis gladio trucidantur. Eo certamine ceteris primus Bertharius Comes palatii,
Francus de pago Ultra-Jurano, contra Willebadum confligit. Adversùs quem
frendens Manaulfus Burgundio, exiens de inter ceteris cum suis adversùs Berthа-
rium præliandum; Bertharius eò quòd priùs illi amicus fuisset, dicens : *Veni* C
sub clypeo meo, de hoc periculo te liberabo. Cùmque ad eum liberandum clypeum
elevasset, Manaulfus cum conto Bertharium in pectore percutiens, ceteri qui
cum eo venerant, ipsumque circumdantes, eò quòd Bertharius nimiùm reliquis
præcessisset, vulneratur graviter. Tunc Aubedo (c) filius Bertharii cernens patrem
in periculo mortis, cursu velocissimo patri auxiliando perrexit. Manaulfo conto
percusso in pectore, terra prostravit; ceteros qui patrem percusserant totosque
interfecit. Sic Bertharium suum genitorem, ut fidelis filius, præstante Domino,
liberavit à morte. Hi verò Duces, qui cum eorum exercitu super Willebadum
inruere noluerant, tentoria Willebadi, Episcoporum, vel ceterorum qui cum eo
venerant, deprædando, plurimùm inibi auri et argenti capiunt : reliquisque (d)
* *al.* equis. rebus et equitibus * ab his qui præliare noluerant percepti sunt. His ita gestis, D
Flaochatus in crastino de Augustuduno promovens, Cabillonum perrexit. Ingres-
sus in urbem, urbs in crastino nescio quo casu maximè tota incendio concrema-
tur. Flaochatus judicio Dei percussus, vexatus à febre conlocatur in scafam, evectu
* *al.* Sa- navali per Ararim fluvium, qui cognominatur Saoconna *, Latonam properans, in
gonna. itinere, undecimo die post Willebadi interitum, emisit spiritum; sepultusque est in
Ecclesia sancti Benigni in suburbano Divionensi. Creditur à plurimis, hi duo Flao-
chatus et Willebadus, eò quòd multa in invicem per loca Sanctorum de amicitia obli-
ganda sacramenta dederant, et uterque populos sibi subjectos cupiditatis instinctu
iniquè oppresserant, simul et à rebus nudaverant (e), quòd judicio Dei de eorum
oppressione plurima multitudo liberata sit, et eorum perfidia et mendacia eos utrum-
que interire fecissent (f).

Explicit Fredegarii Chronicum.

Chramneli, Chramleni, et sic infrà.

(a) Aliquot editi *Ailulfum*, Freh. *Aigulfum*.

(b) Freherus suspicatur legendum esse *telam prælii*.

(c) Clar. et Chesn. al. *Chaubedo*.

(d) Id est *reliquasque res et equites*, seu *equos*.

(e) Clar. Boh. Colb. et Palat. *in populis sibi subjectis... oppresserant simul letarebus*, Freh. *lateribus*. De utriusque morte vide S. Eligii Vitam, quam scripsit S. Audoënus, et Vitam S. Sigiranni Sæc. 2. Bened.

(f) Hîc desinit Chronicon in codice Claromontensi, qui circa id tempus scriptus videtur, ut in Præfatione diximus. Idem habet vetus codex qui olim fuit Melchioris Goldasti ab Henschenio tomo 1. Februarii Bollandiani laudatus in observat. ad Vitam S. Sigiberti : quem codicem ne fortassè aliquis imperfectum dicat, vetat clausula *Explicit*, quæ in fine tam indicis quam ipsius Chronici apposita est. Is ipse codex est, ni fallor, quem Valesius laudat lib. 20. rerum Francic. ex bibliotheca Christinæ Suecorum Reginæ. Quin et in cod. Boheriano, in quo subsequentia Chronica, omnesque additiones habentur, spatium hîc relinquitur vacuum, tum per litteram majusculam habet *Igitur etc.* et index capitulorum operi præfixus desinit in 89. *De Willibaldi et Flacoaldi interitu :* unde patet hæc opuscula omnino esse diversa. Porrò licèt Fredegarius Chronicum anno IV. Chlodovei, qui vulgaris æræ fuit 641. aut 642. juxta Valesii computum, concluserit, eum tamen ultra hunc annum vitam produxisse patet ex cap. 48. ubi Samonem an. XL. Chlotarii Regis, Christi 623. in Regem à Winidis electum, et annis 35. regno potitum fuisse scribit; Chindasvindi etiam Regis Hispaniarum mortem et alia memorat, quæ post Chlodovei mortem contigerunt.

CHRONICUM

CHRONICUM

FREDEGARII SCHOLASTICI

CONTINUATUM

A VARIIS AUCTORIBUS.

PARS PRIMA

AUCTORE ANONYMO.

A XCI. IGITUR (a) Chlodoveus filius Dagoberti ex genere alienigenarum Reginam accipiens, nomine Baldechildem (b), prudentem atque elegantem, genuit ex ea filios tres, Chlotharium, Childericum et Theodoricum : habebatque Majorem-domûs palatii virum strenuum atque sapientem, nomine Erchanwaldum (c). Chlodoveus itaque in regno pacem habuit absque bello. In extremis verò vitæ annis amens effectus vitâ caruit, regnavitque annos decem et octo (d).

XCII. Franci quoque Chlotharium filium ejus majorem in regno statuunt, cum præfata Regina matre. Eodem quoque tempore mortuus est Erchanwaldus Major-domûs palatii. Franci autem in incerto vacillantes, accepto consilio, Ebruinum in B hujus honoris curam ac dignitatem statuunt. An. 656. CHLOTARIUS III.

XCIII. Hisce diebus Chlotharius Rex à validâ febre correptus obiit in juventute, regnavitque annos quatuor (e) : Theodoricus verò frater ejus in regnum successit ; Childericus enim frater ejus (f) in Auster à Francis in regnum elevatus est, apud Wulfoaldum Ducem. An. 660. CHILDERICUS II. An. 670. THEODORICUS III.

XCIV. Eo tempore Franci adversùs Ebruinum insidias præparant : contra Theo-

(a) Hujus Appendicis auctor, is ipse est, ut videtur, qui varia Chronica in unum corpus collegit, hiatum annorum circiter 39. qui effluxerunt à fine Chronici Fredegarii ad an. 680. quo incipit sequens Chronicum infrà cap. 97. supplevit potissimùm ex Anonymo, qui *Gesta Regum Francorum* scripsit sub Theodorico Calensi, et Monacho Dionysiano Gestorum Dagoberti, ejusque filii Chlodovei scriptore. Unde cùm isti auctores complures fabellas suis scriptis interseruerint, non magna est apud viros eruditos hujus Continuatoris auctoritas.

(b) Balthildis ex genere Saxonum, qui scilicet cum Anglis et Jutis in Britanniam Majorem sæculo 5. transierant, exorta, ex captiva in regium thalamum adscita est. Conjuge defuncto regnum administravit ; et tandem in monasterium Calæ quod ædificaverat secessit, ibique monialis facta, obiit anno 680. die 30. Januarii, quo festum ejus recolitur. Vitam ejus habes Sæc. 2. Benedictino pag. 775. visitur etiamnunc ibi ejus sepulcrum in crypta subterranea.

(c) Sic Colb. et Pal. Boh. *Baldigilde..... Herchonoaldo*, ceteri *Erchoaldum*. Is est Erchinoaldus suprà laudatus.

(d) Boh. *annos xvij*. sepultus est in Basilica S. Dionysii. Eo regnante multùm crevisse dicitur Majorumdomûs potentia, quæ eò demùm devenit, ut illi pulsis Regibus coronam sibi tandem imposuerint. Ceterùm Cointius multùm invehitur in eos, qui subsequentes Reges ignavos appellaverunt.

(e) Legendum *quatuordecim* [vel quatuor anni intelligendi sunt de annis Monarchiæ :] nam post annos 4. regni Chlotarii, Childericus ipsius frater Austrasiæ Rex factus est, anno scilicet 660. Anno verò * 669. defuncto Chlotario, Theodoricus III. utriusque frater in regnum Neustriæ et Burgundiæ elevatus, paullò pòst è throno dejicitur, Ebroinoque apud Luxovium relegato, Childericus monarchiam obtinuit, quod Auctor noster hoc cap. et seq. exponit. Ceterùm aliqui recentiores Chlotarium in basilica S. Dionysii sepultum fuisse scribunt ; sed veri similius est eum in monasterio Calensi fuisse depositum, ubi etiamnunc ejus sepulcrum cum ipsius effigie lapidea ab annis circiter 700. sculpta ostenditur. Ceterùm Chlotarii annum tertium in annum 659. incidisse fusiùs probat noster Mabillon. tomo 3. Analect. ex veteri inscriptione codicis ms. Fossatensis, quæ sic habet : *Anno centesimo post explicionem numeri sancti Victori Episcopi ciclum recapitulantem, anno tertio domui Clotharii Regis indolis, ex jusso ipsius Principes, vel genetricæ suæ præcelsæ domnæ Balthildæ Reginæ etc.* * rectius 670.

(f) Omissa una linea editi sic habent, *Theodoricus verò frater in Austria :* quod à vero aberrat ; nam jam tunc Childericus regnabat in Austria : mendum hoc, quod viris eruditis negotium facessiverat, ope mss. sanavimus. * Jam hunc locum ex ms. pervetusto Sirmondi sic restituerat Chiffletius in dissert. de annis Dagoberti cap. 15.

doricum insurgunt, eumque à regno dejiciunt : crines capitis ejus abscindentes totonderunt, Ebruinumque et ipsum tondunt, et in Burgundiam Luxovium monasterium invitum dirigunt. Propter Childericum in Auster legationem mittunt; unà cum Wolfaldo Duce venientem, eumque super cunctum regnum suscipiunt. A

XCV. Erat enim ipse Childericus Rex levis atque citatus nimis, gentem Francorum in seditionem mittens, et in scandalum ac derisum; donec odium non modicum inter ipsos crevit usque ad scandalum et ruinam. Quo ingravescente unum Francum nobilem, nomine Bodilonem, ad stipitem tensum cædere contra legem præcepit. Videntes hæc Franci, in ira magna commoti, Ingolbertus videlicet et Amalbertus, vel reliqui majores natu Francorum, seditionem contra ipsum Childericum
An. 673. concitaverunt. Memoratus Bodilo super eum cum reliquis quamplurimis surrexit B insidiaturis, et Regem in Lauchonia (a) silva, unà cum Regina ejus prægnante, nomine Bilihilde, quod dici dolor (b) est, interfecit. Wulfoaldus quoque per fugam lapsus evasit, et in Auster reversus est. Franci verò Leudesium filium Erchonwaldi nobilem in Majoris-domatûs dignitatem statuunt per consilium beati Leudegarii et sociorum ejus.

THEODORICUS III. DAGOBERTUS II. XCVI. Ebruinus audiens has dissensiones, consilio accepto, Francos invicem discordantes, convocatis in auxilium sociis, personis quamplurimis, cum multo comitatu exercituum, à Luxovio cœnobio egressus in Franciam regreditur, usque Isram fluvium (c) veniens peraccessit, custodes dormientes interfecit ad Sanctam-Maxentiam, atque Isaram fluvium transiens, quos ibi invenit de insidiatoribus suis occidit. Leudesius Major-domûs unà cum thesauris Regis per fugam dilapsus evasit, à Ba- C
civo (d) villa evadens aufugit : ibique adveniente Ebruino thesauros, quos ibi reperit, apprehendit. Inde egressus Criscecum (e) villam veniens in Pontio Leudesio subdolè fidem promittit, simulans fefellit; facto placito, ut conjuratione facta cum pace discederet. Sed Ebruinus fallaciter agens, ut solebat, compatri suo insidias præpa-
An. 674. rans, ipsum Leudesium occidit, Regem Theodoricum in regnum restitutum, ipse (f) suum principatum sagaciter restauravit. Sanctum Leudegarium Episcopum crudelissimis tormentis cæsum, gladio perimi jussit (g) : Gerinum germanum ejus diverso tormento trucidavit. Reliqui viri Franci eorum socii per fugam lapsi, Ligerem transgressi, usque Wascones confugerunt : quamplurimi verò in exsilio damnati ultrà non comparuerunt.

(a) Colb. et Boh. *insidiaturus in Regem in Lauconsi silva..... Bilichilde.* Hanc silvam eam esse putant, quæ inter Calam, villam tunc regiam, et S. Dionysii oppidum interjacet, hodie Liberiacensis silva dicitur, vulgò *la forêt de Livry*, aut certè Bungiacensis, *de Bondi* : non enim audiendi sunt qui hoc contigisse putant prope Rotomagum, ubi aiunt Childericum cum uxore sua Bilechilde fuisse sepultum in Ecclesia sancti Petri, quæ hodie protectoris sui nomine sancti Audoëni appellatur. Hoc nempe extra controversiam esse debet, ex quo eorum sepulcra detecta sunt in Ecclesia sancti Germani à Pratis, cùm ante annos circiter 40. restauraretur. Præter insignia regia in Childerici sepulcro hæc inscriptio litteris majusculis exarata inventa fuit, CHILDR. REX. Videsis Valesium ea de re disserentem l. 21. rer. Franc.

(b) Alii *dolus est*, quæ vox pro *dolor* non semel occurrit.

(c) Editi *Issam*, al. *Isaram*. Est Isara, vulgò *l'Oyse*, ad quem etiamnunc hodie perstat oppidum à ponte et S. Maxentia, vulgò *le Pont sainte-Maxence* dictum. Porrò hac occasione Chlodoveum quemdam parvulum Ebroinus in Regem extulit, quem Chlotarii filium esse mentiebatur. Dagobertus verò II. in ea parte Austrasiæ, quæ cis ultraque Rhenum huic flu-
* rectius 678. vio vicina erat, regnavit ad an. * 680. De ejus in Gallias reditu, cæde et sepultura fusè disserit Mabillonius in Præfatione Sæculi IV. Act. SS. Ord. Bened. parte 1. §. 9. num. 198. et seqq. Is est *S. Dagobertus Rex et Martyr*, qui colitur Satanaci, *Stenay*. Memoratur in Calendario Emmæ Reginæ, quod Remis in bibliotheca Remigiana servatur, die x. Kal. Januarii, quo eum martyrium pertulisse dicit vetus auctor, idque, ut Mabillonius probat, an. 679. * Dagobertum Satanacensium patronum omnino diversum esse à Dagoberto II. invictis demonstrat argumentis Pagius ad an. 678. num. 19.

(d) Sic omnino legendum esse haud dubium est, quamquam vulgò *Abacivo* præferant codices : unde Samson Abbavillæus et Cointius hîc Abbatis villam, vulgò *Abbeville* designari putaverunt. At Bacium villa est regia olim celebris, antequàm à Nortmannis violaretur, prope Corbeiam sita, cujus rudera etiamnunc visuntur, vicusque nomen *Baisiu* retinet. Vide lib. 4. de re Diplomat. num 12.

(e) Aliàs *Creciacum*, cum silva cognomini in Pontivo, *Crecy en Ponthieu*, non ad Alteiam, ut Valesio visum est, sed ad Maïam fluvium. Vide lib. 4. de re Diplomat. num. 46.

(f) Boh. *in regno constituto, ipsi suum.*

(g) Occisus est in pago Atrebatensi die v. Nonas Octobris anno DCLXXVIII. et sepultus apud Sarcingum, *Sorcin*. Vide hujus Vitam duplicem à coæqualibus auctoribus scriptam in Sæculo 2. Benedictino. Gerinus verò, seu Guarinus, ejus frater, eadem die uti Martyr etiam colitur in Martyrologio Romano, qui lapidibus obrutus fuisse dicitur in secunda. Vita sancti Leodegarii num. 11. Rem fusiùs narrat ipse Leodegarius in epistola ad suam matrem data. In Calendario veteri monasterii Murbacensis in Elisatia, ab annis circiter 500. scripto, memoratur S. Gerinus Martyr VIII. Kal. Septembris.

PARS SECUNDA

AUCTORE ANONYMO AUSTRASIO.

A XCVII. In Auster (a) quoque, mortuo Vulfoaldo Duce, Martinus (b) Dux, et Pippinus filius Ansegiseli quondam Franci nobilis, dominabantur. Defunctis Regibus (c), commissis invicem principibus, Ebruino, Martino atque Pippino, adversùs Theodoricum regem excitantur ad bellum. Commoto exercitu ad locum, cui vocabulum est Locofao (d), interim commissi prælium ineunt, ibique magno certamine dimicantes, plurima pars populi ex utrisque partibus conruit. Devicti cum sociis Martinus atque Pippinus in fugam lapsi sunt, persecutusque eos Ebruinus, maximam partem de illa regione vastavit. Martinus ideòque Lugduno-Clavato (e) ingressus, se infra muros ipsius urbis munivit. Persecutusque eum Ebruinus, veniens (f) Erchreco villa, ad Lugdunum-Clavatum nuntios dirigit, Ægilbertum ac Reulum B (g) Remensis urbis Episcopum, ut fide promissa in incertum super vacuas capsas sacramenta falsa dederent. Qua in re ille credens eos, à Lugduno-Clavato egressus cum sodalibus ac sociis ad Erchrecum veniens, illuc cum suis omnibus interfectus est. An. 680.

XCVIII. Ebruinus quoque magis atque profusiùs crudeliter Francos opprimebat, donec tandem aliquando Ermenfrido Franco minas (h) parat, resque proprias tollere disponit. Consilio cum suis patrato, nocte collectâ manu sociorum, per noctem super eum consurgens, Ebruinum interfecit : quo peremto, ad Pippinum Ducem in Auster cum muneribus suis pervenit. Quo facto Franci accepto consilio Waradonem, illustrem virum, loco ejus in honorem Majoris-domatùs (i) constituerunt. Idcircò præfatus Warado obsides à Pippino (k) Duce accipiens, C pacem in invicem patraverunt. Erat id temporis memorato Waradoni filius, valde efficax atque industrius, eruditus in consilio, qui vice patris curam palatii gerebat, nomine Gislemarus, qui ob nimiam calliditatem ac sagacitatem patrem ab honore proprio supplantavit : quem sanctus Audoënus (l) Episcopus sæpius ob hoc increpabat, ac subinde ut ad pacem vel patris indulgentiam remearet : qui audire renuit, et in duritia cordis permansit. Fuerunt igitur inter Pippinum et præfatum Gislemarum discordiæ multæ, bella civilia plurima. Nam ad castrum Namugo (m) contra hostem * Pippini Ducis Gislemarus consurgens, fraudulenter falso juramento dato, quamplurimos eorum nobiles viros occidit. Inde verò re- An. 681. An. 683.

* *i.* exercitum.

(a) Hic auctor priore multò est accuratior : ætatem suam prodit infrà cap. 109. ubi se anno 735. scribere indicat.

(b) Martinus hîc memoratus filius erat S. Clodulfi, nepos S. Arnulfi; et Pippinus frater ejus erat patruelis, idemque ex Ansegisilo S. Arnulfi nepos.

(c) Dagoberto scilicet II. et fortè filio ejus Sigiberto. Belli civilis inter Theodoricum et Dagobertum moti meminit Auctor coævus Vitæ S. Salabergæ Sæc. 2. Benedictino; al. ed. *Decedentibus*.

(d) Sic Boh. editi *Locofico*. Gesta Reg. Franc. cap. 46. habent *Lufao*, al. *Lucofao*, *Lucofago* : qui locus Valesio ignotus, videtur esse *Loixi* in pago Laudunensi. Vide lib. 4. de re Diplomat. num. 57. locum tamen, *qui Lufaus dicitur in pago Tullensi*, memorat Hericus in Historia Episc. Autisiodorensium, quem hîc designari fortassè veri similius nonnullis videbitur.

(e) Sic Boh. quod est antiquum hujus urbis nomen, hodie Laudunum, *Laon*, dicitur.

(f) Hic locus variè in variis codd. scribitur. Colb. hîc *Extreco*, et infrà *Erchreco*, Boh. *Erchrego*, *Herchrego*. Ed. *Ertreco*, *Erereco*, *Ercheco*. In Gestis Reg. Franc. *Erchaco*, *Ergariaco*, *Ercherego*. Hunc locum esse *Archeri*, vicum Ribodimontem inter et Faram in pago Laudunensi situm censet Valesius; sed veri similius est esse *Escheri-Launois* Lauduno proximiorem, ut dicitur lib. 4. de re Diplomat. num. 57. Est etiam in Remorum diœcesi haud procul à Castro-Portiani locus ad Axonam, *Ecry* dictus, qui fortassè hîc designatur.

(g) Sic Boh. Ed. *Regulum*, Colb. *Aigilbertum ac Regulfum* : prior, qui in Boh. dicitur *Aglibertus*, si Valesio credamus, fuit Agilbertus, primùm in Anglia, tum Parisiorum in Francia Episcopus, cujus corpus in monasterio Jotrensi, *Joüarre*, sepultum, an. 1631. pontificalibus ornamentis indutum repertum est in ædicula S. Pauli Eremitæ, ut testatur passim Andreas Saussaïus, qui huic inventioni interfuit. *Reulus* verò, seu, ut à Frodoardo appellatur, sicut et in Dyptichis antiquis, et in Litaniis Remensis Ecclesiæ, *Reolus*, Orbacense monasterium condidit, ubi sepultus hodieque colitur III. Nonas Septemb. Uterque in Fastis sacris locum habet. Eos verò à facinore quod illis hîc impingitur, vindicare conatur Cointius ad an. 680.

(h) Minas parare hîc et passim est *negocia facessere*, seu insidias moliri, quæ vox hodieque gallicè reddi potest, *des menées*.

(i) Sic Colb. editi *Majoris-domûs*, et sic infrà. Warado in scriptis passim *Warato* appellatur.

(k) * Hinc patet Pippinum sese non solùm Theodorico Regi, sed Waratoni Majori-domûs subjecisse.

(l) Freh. Illyric. etc. *Adoinus*, al. *Audoinus*. Gislemarus verò aliàs dicitur, *Gislemaris*, *Ghislemarus*. De his infrà.

(m) Sic Boh. alii *castrum Manucum*. Hîc autem designatur Namucum, sive, ut hodie scribimus, Namurcum, vulgò *Namur*, urbs Flandriæ vel suo nomine celebris, quæ episcopali sede sæculo proximè elapso donata est.

versus ob supplantationem patris, vel aliam malitiam non modicam, quam fallaciter perpetraverat, à Deo percussus prædictus Gislemarus, ut dignus erat, iniquissimum
An. 684. fudit spiritum : illoque mortuo pater ejus Warado honorem pristinum Majoris-domatûs recepit.

XCIX. Eo tempore beatus Audoënus Episcopus plenus virtutibus migravit ad
An. 686. Dominum (a). In illo itidem tempore Warado (b) præfatus Major-domûs obiit. Eratque ei matrona nobilis et strenua, nomine Ansfledis (c), cujus gener, nomine Bercharius, honorem Majoris-domûs palatii suscepit ; eratque statura parvus, intellectu modicus, levis atque citatus, Francorum amicitiam atque consilia sæpe contemnens. Hæc indignantes Franci Auderamnus, Reulus et alii multi, relinquentes Bercharium ad Pippinum per obsides conjunguntur, amicitias copulant, super Bercharium vel reliquam partem Francorum concitant.

C. Pippinus commoto exercitu hostiliter ab Auster consurgens, contra Theodoricum regem et Bercharium properat ad bellum. Conjuncti in oppido Vermandensi (d),
An. 687. in loco qui dicitur Textrico, bellum mutuò gesserunt. Prævalente Pippino cum Austrasiis, Theodoricus Rex cum Berchario fugam iniit, Pippinus victor exstitit, persecutusque eos, eam regionem sibi subjugavit. Sequenti tempore idem Bercharius ab adulatoribus falsis amicis interfectus est, instigante Ansflede matrona socru sua. Posthæc autem Pippinus Theodoricum regem accipiens cum thesauris, et domum palatii, omnia peragens, in Auster remeavit. Eratque ei uxor nobilis et prudentissima, nomine Plecthrudis (e), genuitque ex ea filios duos, nomen senioris Drocus (f), nomen verò junioris Grimoaldus.

An. 691. CLODOVEUS III. CI. Mortuus est autem Theodoricus rex, regnavit autem annos septemdecim (g) ; Chlodoveum filium ejus parvulum elegerunt in regnum. Non post multos verò annos prædictus Rex Chlodoveus ægrotans mortuus est, regnavit autem annos
An. 695. CHILDEBERTUS III. quatuor. Childebertus frater ejus in regnum resedit (h). Drocus verò à Pippino genitore eruditus, Ducatum Campanensem accepit. Grimoaldus junior cum Childeberto rege Major-domûs palatii super (i) Francos electus est : fuitque vir mitissimus, omni bonitate et mansuetudine repletus, largus in eleemosynis, et in orationibus promtus.

An. 695. CII. Pippinus contra Ratbodum (k) Ducem gentilem Frisionum gentis adversùs alterutrum bellum intulerunt, castro Dorestate (l) illic belligerantes invi-

(a) Obiit IX. Kal. Septemb. an. 684. sepultus est in monasterio S. Petri in suburbio Rotomagensi, hodieque celebri in urbe sub ipsius S. Audoëni, *S. Oüen*, nomine, Ord. S. Benedicti è Cong. S. Mauri. Ejusdem Sancti reliquiæ superiori sæculo à furentibus Calvinistis combustæ fuerunt.

(b) Alii *Warato*. In charta Theodorici Regis lib. 6. de re Diplomat. num. 13. legitur, *Waratune, Ebroino, et Ghislemare quondam Majoris-domos*, et *Berchario Majorem-domûs*, qui hîc passim memorantur. Hæ varietates, excepto Berchario, etiam in nostris Chronicis scriptis occurrunt. In ed. *Bertharius*.

(c) Aliis *Anfledis*, *Anfredis*.

(d) Boh. *Exercitu hostile..... properans ad... Vermandisse*. Lis est inter auctores an Viromanduorum urbis præcipua, olim Episcoporum, qui Noviomum, *Noyon*, transmigrarunt, sedes, fuerit hodierna Augusta-Viromanduorum, quæ à celebri Martyre urbis et regionis patrono, vulgò *Saint-Quentin* appellatur ; an verò vicus hodieque priscum Veromandui, *Vermands*,
* leg. Maias. nomen retinens, Abbatiâ Ord. Præmonstratensis illustratus, à quo loco haud multùm distat Textricium ad Dalmanionem fluvium, vulgò *Tertri*, seu *Testri sur Daumignon*, vicus inter Peronam et sancti Quintini oppidum situs.

(e) Sic Boh. Colb. *Blidrudis*, et infrà *Blictrudis*. Ed. *Plictrudis*, et sic infrà. Hanc posteà dimisit Pippinus, ut Alpaidem adsumeret ; sed ab Episcopis correptus, Alpaide in monasterium Orpii secedente, Plechtrudem recepit. * Pippinum Alpaidem concubinam toro suo tantùm adscivisse, retenta ut priùs Plectrude ; idque in usu fuisse sub prima Merovingica Francorum stirpe censet Pagius ad an. 688. num. 5.

(f) Sic Boh. Colb. verò cum ed. plerisque *Drogo*, qui infrà habent *Drocus*, et *Drogo*.

(g) Sic Boh. Colb. et cod. Christinæ Reginæ. Editi, *quatuordecim* : [qui quidem quatuordecim anni de annis Monarchiæ intelligendi sunt, quam tenuit Theodoricus à morte Dagoberti II. id est ab anno 678. ad an. 691.] Auctor Gestorum Reg. Franc. *xix*. al. *xviij*. Nostris mss. favent Chronica aliquot à Chesnio edita. Cointius ei annos XIX. tribuit, et Clodoveo III. ejus successori duos, qui computus in summa à nostro Auctore non dissidet, qui priori annos 17. posteriori verò 4. tribuit. Theodoricus sepultus est Atrebati in monasterio S. Vedasti, *S. Vaast*, quod ab eo constructum, aut saltem dotatum fuisse tradunt.

(h) Ex inscriptione cod. ms. Jacobi Bongarsii patet annum quintum Childeberti III. cum anno æræ vulgaris 699. quo Pascha die 23. Martii celebratum fuit, concurrisse. Inscriptionem hîc habes ex animadversionibus Scaligeri in Chronologiam Eusebianam.

IN ANNVM V. CHILDEBERTI REGIS FRANCORVM PIPINO IVBENTE AB ADAM SVNT ANNI V. MILLIA DCCCC. FVIT PASCHA X. K. APRILIS. ASCENSIO DOMINI FVIT K. MARTIAS * PER CYCLORVM NVMERVM ANNO MC. XL. REPETITIO A CAPITE CYCLI.

(i) * Id est, *super Neustrasios et Burgundos*.

(k) Is est Ratbodus, qui agnita Christianæ religionis veritate, maluit cum superioribus Regibus et Principibus in infernum demergi, quàm ab illis separatus ad cœlum conscendere. Unde spreto baptismate gentilis obiit, populis fidei suscipiendæ libertatem relinquens. Vide Vitam S. Vulframni Sæc. 3. Benedictino ad an. 720. Frisiones, antiqua gens inferioris Germaniæ, in Bataviam effusi partem ejus non modicam occupaverunt, quæ ab iis Frisia dicta est. De iis vide Mabillonii observationes in Vitam S. Willibrordi num. 7. Sæc. 3. Bened. ad an. 739.

(l) Boh. *Duristate*, vulgò Durostadium, hodie Batavodurum dicitur, *Wich te Duerstedem*, in Geldriæ Ducatu ad Licum Rheni fossam.

A cem. Pippinus victor exstitit, fugatoque Ratbodo Duce cum Frisionibus qui evaserant, idem Pippinus cum multis spoliis et præda reversus est. Posthæc Drocus filius Pippini à valida febre correptus mortuus est, sepultus in basilica beati Arnulfi confessoris Mettis urbe. Grimoaldus quoque ex quadam concubina genuit filium, nomine Theudoaldum.

CIII. Igitur præfatus Pippinus aliam duxit uxorem, nobilem et elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium, vocavitque nomen ejus linguâ propriâ (a) Carlum, crevitque puer elegans, atque egregius effectus est. Circa an. 688.

CIV. Mortuus est his diebus Childebertus Rex, et sepultus Cauciaci (b) in basilica sancti Stephani martyris. Regnavit autem annos sexdecim (c). Dagobertus filius ejus B sedem regni patris sui accepit. Igitur Grimoaldus filiam (d) Ratbodi Ducis Frisionum duxit uxorem. Ægrotante quoque Pippino Iobii-villa (e) super Mosam fluvium, cùm ad eum visitandum idem Grimoaldus venisset, cùm ad orationem in basilica sancti Lantberti martyris processisset, à crudelissimo viro impio, Rantgario nomine, interfectus est. Posthæc Theudoaldus filius ejus parvulus, in loco ipsius cum prædicto Rege Dagoberto Major-domûs palatii effectus est (f). Insecuto quoque tempore idem Pippinus Dux ægrotans mortuus (g) est : rexitque populum Francorum annos viginti septem. Reliquit superstitem Carlum filium. Post obitum quoque ejus Plechtrudis matrona præfata suo consilio atque regimine cuncta sese agebat. Demùm Franci mutuò in seditionem versi, consilio inutili accepto, commissa acie in Coatia (h) silva, contra Theudoaldum et Leudes Pippini quondam atque (i) Grimoaldum C iniere certamen : corruitque ibi immodicus exercitus. Theudoaldus itaque à sodalibus suis per fugam lapsus evasit. Magna et valida perturbatio et persecutio extitit apud gentem Francorum.

An. 711. Dagobertus III.

An. 714.

An. 715.

CV. Eodem tempore tunc elegerunt in honorem Majoris-domatûs quemdam Francum, nomine Raganfridum (k), commotoque exercitu hostili usque Mosam fluvium properant, cuncta vastantes : cum Radbodo Duce fœdus inierunt. His diebus Carlus Dux à præfata femina Plechtrude sub custodia detentus, Dei auxilio liberatus est.

CVI. Eodem tempore Dagobertus Rex obiit, regnavitque annos v. Franci verò Danihelem quondam clericum, cæsarie capitis crescente, in regnum stabi- D liunt, atque Chilpericum nuncupant (l). Iterato quidem tempore commoto exercitu contra memoratum Carlum dirigunt. Ex alia parte iidem cum hoste * Frisionum venturo Radbodum Ducem invitant. Contra quem prædictus vir Carlus cum exercitu suo consurgens, certamen invicem inierunt : sed non modicum ibidem perpessus est damnum de viris strenuis atque nobilibus ; cernensque læsum exercitum terga vertit. Chilpericus posthæc et Raganfridus, adunata hostili plebe, Arduennam silvam transeunt, ab alia parte præstolante Radbodo Duce, cum exercitu suo hactenus Coloniam urbem super Rhenum fluvium pervenerunt, regiones illas pariter vastantes. Munera multa et thesauros à præfata Plechtrude accipientes reversi sunt (m). Sed in via, in loco, qui dicitur Amblava, ab exercitu Carli grande perpessi sunt damnum. Succedenti tempore Carlus commoto exercitu, contra

Chilpericus II. An. 715.

* *i.* exercitu.

An. 716.

(a) Id est patria, scilicet Theotisca, *Karl.* Is posteà celebris fuit Carolus-Martellus, qui in codd. Boh. et Colb. semper dicitur *Carlus :* editi *Carolus*, et ejus mater in Boh. *Calpaida.* [Calpiadem vocat Ademarus in Chronico.]

(b) Villa olim regia in pago Noviomensi et diœcesi Suessionensi sita haud procul à Compendio et Confluentibus Axonæ cum Isara, vulgò *Choisy*, ubi monasterium olim celebre, hodieque S. Medardo Suessionensi subjectum. Vide lib. 4. de re Diplomat. et Valesium lib. 23. rer. Francicarum.

(c) Sic Boh. et Colb. editi *xiij.* [Librariorum errore, qui numerum quinarium in duas unitates diviserunt] lectio mss. confirmat Labbei sententiam in Miscellaneis histor. pag. 64. et Cointio favet, licèt Childeberto annos XVII. tribuat, nam biduo tantùm ultimi anni ipsum vixisse scribit.

(d) Nomine Teusindam, ex Gestis Regum Franc. et lib. de Majoribus-domûs.

(e) Boh. *Job villa.* Aliàs Jopila, seu Jopilum, vulgò *Jupil*, sive *Jopil*, appellatur, sita est è regione Heristalii prope Leodicum. Vide lib. 4. de re Diplomat. num. 71. Basilica S. Lamberti hodie cathedralis est Leodicensis. Hìc Sanctus necatus fuerat * anno circ. 708. Ejus Vita habetur inter Acta SS. Benedict. Sæc. 3. parte 1.

(f) Colb. et Boh. *majorem-domatu palatii accepit.*

(g) Obiit an. 714. mense Decembri, paullò post filii sui necem. Dictus est junior, quòd avum maternum habuerit Pippinum Landinensem ; senior verò ob nepotem, qui posteà regnum obtinuit.

(h) Chesn. *Cotia*, Colb. in indice *Gotia.* Est Cocia silva cum vico cognomine prope Compendium, *la forêt de Cuise*, ex Gestis Franc.

(i) Sic habent exemplaria, legendum tamen *Grimoaldi.* Nam Grimoaldus tunc, sicut et ejus pater Pippinus, defuncti erant.

(k) Cod. Colb. *Raginfridum*, et sic semper infrà.

(l) Sic Chesn. alii editi cum Boh. et Colb. *Franci verò Chilpericum quemdam Regem constituerunt. Iterato.*

(m) Colb. *Blictrudæ.* Idem et Boh. *accepta reversus est..... grande accepit damnum.* Porrò inter villas regias Austrasiæ Sigibertus junior Amblavam recenset, fluvio cognomini impositam. Amblava fluvius, vulgò *Amblef*, haud procul à Stabulensi et Malmundario monasteriis fluit, proindeque circa fines Coloniensis et Leodiensis diœceseon.

* An. 707.

Chilpericum et Ragenfridum direxit. Bellum inierunt die Dominica in Quadrage- A
An. 717. sima, duodecimo Calendas Aprilis, in loco nuncupato Vinciaco (a), in pago Cameracensi, nimia cæde invicem conlisi sunt. Chilpericus et Raganfridus devicti, in fugam lapsi terga vertentes evaserunt, quos Carlus persecutus, usque Parisius civitatem properavit.

CVII. Deinde Coloniam urbem reversus, ipsam civitatem cepit reseratam : præfata Plechtrudis thesauros patris sui ei reddidit, et cuncta suo dominio restituit : regem sibi constituit, nomine (b) Chlotharium. Chilpericus itaque et Raganfridus legationem ad Eudonem Ducem dirigunt, ejus auxilium postulantes rogant, regnum (c) et munera tradunt. Ille quoque hoste * Wasconorum commoto (d) ad eos veniens, pariter adversùs Carlum perrexerunt. At ille constanter B
et intrepidus eis occurrere properat. Eudo territus quòd resistere non valeret, aufugit. Carlus insecutus eum usque Parisius, Segona fluvio transito, usque Aurelianensem urbem peraccessit; et vix evadens, terminos regionis suæ penetravit, Chilpericum Regem secum cum thesauris sublatum evexit. Chlotharius itaque Rex
An. 720. eo anno obiit (e). Anno insecuto Carlus per missos suos amicitias cum Eudone Duce faciens, ab eo prædictum Chilpericum regem cum multis muneribus recepit. Veniensque urbem Noviomo (f), post non multum tempus cursum vitæ et regnum amisit, et mortuus est, regnavitque annos sex. Quo mortuo, Theodoricum regem statuerunt in sedem regni, qui hunc locum solii regalis obtinet (g), annis vitæ simul præstolatis. His ita evulsis, Carlus Princeps insecutus idem Raganfri- C
dum, Andegavis civitatem obsedit, vastata eadem regione cum plurimis spoliis remeavit.

Chlotarius IV. An. 719. * *i.* exercitu. Theodoricus IV. An. 724.

CVIII. Per idem tempus rebellantibus Saxonibus, Carlus Princeps veniens eos præ-
An. 725. occupavit ac debellavit, victorque revertitur. Succiduis diebus, evoluto anni circulo, coadunata agminum multitudine, Rhenum fluvium transiit, Alamannosque et Suavos lustrat, usque Danubium peraccessit, illoque transmeato, fines Bajoarenses (h) occupavit. Subacta regione illa, thesauris multis cum matrona quadam, nomine Bilitrude (i), et nepte sua Sonichilde regreditur.

An. 731. Per idem tempus Eudone Duce à jure fœderis recedente, quo comperto per internuntios, Carlus Princeps commoto exercitu Ligerem fluvium transiens, ipso Duce Eudone fugato, præda multa sublata, bis eo anno ab his hostibus populata, iterum remeatur ad propria. Eudo namque Dux cernens se superatum atque D
derisum, gentem perfidam (k) Sarracenorum ad auxilium contra Carlum Principem et gentem Francorum excitavit; egressique cum Rege suo, Abdirama nomine, Garonnam transeunt, Burdegalensem urbem pervenerunt, ecclesiis igne crematis, populis consumtis, usque Pictavis progressi sunt, ubi basilica sancti Hilarii igne concremata, quod dici dolor est, ad domum beatissimi Martini evertendam destinant. Contra quos Carlus Princeps audacter aciem instruit, super eos-
An. 732. que belligerator inruit, Christo auxiliante, tentoria eorum subvertit, ad prælium stragem conterendam accurrit, interfectoque Rege eorum, Abdirama nomine,

(a) Boh. *Vinceco.* Vinciacum hodie viculus est, qui, testante Miræo, appellatur *la cense de Vinci,* haud procul à Crepardio oppido, *Crevecœur.* De hac pugna Paulus Diac. lib. 6. Hist. Lang. cap. 42.

(b) * Cujusnam filius exstiterit Clotharius iste, nullus Antiquorum literis mandavit. Hunc filium fuisse Dagoberti II. ultimi Austrasiæ Regis existimat Pagius ad an. 717. num. 4.

(c) Valesius his verbis permissum Eudoni fuisse censet, ut summo et regio jure in Aquitania uteretur. Cointius verò nihil aliud ex hoc loco inferri posse contendit, quàm coronam, quæ passim apud medii ævi auctores *regnum* dicitur, honoris causa ad Eudonem transmissam fuisse. * Valesii sententiam confirmat et probat Diploma monasterio Alaonensi concessum à Carolo Calvo anno 845. quod refert Card. d'Aguirre Tom 3. Concil. Hispan. pag. 137. et quod etiam recitabimus inter Diplomata Caroli Calvi.

(d) Boh. *Illi* (fortè pro *Ille*) *quoque hostem commutant* (pro *commutans*) *ad eos veniens, pariter.* Editi, *Illi quoque..... venientes.*

(e) Sic Chesn. Ceteri cum Colb. *Rex defunctus decessit. Carolus per missos suos ab Eudone Duce idemque prædictum Chilpericum Regem recipit.*

(f) Urbs episcopalis notissima, vulgò *Noyon,* sub Remorum metropoli. Alii scribunt eum Attiniaci obiisse.

(g) Sic Boh. alii verò, *nunc..... obtinuit :* nostra lectio melior est. Regnante enim Theodorico IV. Calensi dicto, hujus Chronici auctor vivebat, ut ipse testatur infrà cap. 9. Infrà pro *præstolatis,* Labbeus legit *protelatis.*

(h) Sic Boh. Colb. verò *Baguarenses ;* habet tamen in Indice capp. *Bajoarenses :* Editi *Bajorenses.*

(i) Boh. *Billetrude..... Sunichilde :* alii Scriptores Pilitrudem appellant, quæ Grimoaldo, seu potiùs Theobaldo Bajoariorum Duci nupta fuerat. Sonichildis, postmodùm Carolo-Martello nupsit, ex quo filium habuit Grifonem. Eam Pippinus et Carlomannus post Caroli obitum apud Calam reclusere ; ne turbas occasione Grifonis, qui à Majoratu exclusus fuerat, excitaret.

(k) * Sarracenos ab Eudone invitatos scribunt pariter Annalistæ Fuldensis ac Metensis et alii nonnulli. Verùm id confictum putat Pagius ab Auctore Anonymo, qui jussu Childebrandi Comitis hanc Appendicem Chronico Fredegarii adjecit : qui quidem Continuator illud in gratiam Caroli scripserit, quod posteà ab aliis re indiscussa scriptum.

A prostravit exercitum proterens dimicavit atque devicit; sicque victor de hostibus triumphavit (a).

CIX. Procedente alioquin anno sequente, egregius bellator Carlus Princeps regionem Burgundiæ sagaciter penetravit, fines regni illius Leudibus suis probatissimis, viris industriis, ad resistendum gentibus rebellibus et infidelibus statuit, pace patrata Lugdunum Galliæ suis fidelibus tradidit. Firmata fœdera induciaria *, reversus est victor fiducialiter agens. In illis quippe diebus Eudo Dux mortuus est. Hæc audiens præfatus Princeps Carlus, inito consilio procerum suorum, denuò Ligerem fluvium transiit, usque Garonnam vel urbem Burdegalensem, vel castrum Blaviam (b) veniens occupavit, illamque regionem cepit ac subjugavit cum urbibus ac suburbanis castrorum. Victor cum pace remeavit, opitulante Christo Rege regum, et Domino dominorum. An. 733. *al.* judiciaria. An. 735.

B

Curricula annorum hactenus reperiuntur.

Ab Adam, vel initio sæculi usque Diluvium anni MM. CCXLII.

A Diluvio usque Abraham, anni DCCCXLII.

Ab Abraham usque ad Moysen, anni DV.

A Moyse ad Salomonem usque, anni CCCCLXXXIX (c).

A Salomone usque reædificationem Templi temporibus Darii regis Persarum, anni DXII.

A restauratione Templi usque adventum Domini nostri Jesu-Christi, anni DXLVIII.

C Certè ab initio mundi usque ad passionem Domini nostri Jesu-Christi, anni MMMMMDXXXVIII (d). Et à passione Domini usque in istum annum præsentem, qui est in cyclo Victorii, anni CLXXVII. Cal. Janu. die Dominica anni DCCXXXV (e). Et ut istud millenarium compleatur, restant anni CCLXV (f).

Itemque quod superiùs prætermisimus. In gentem dirissimam maritimam Frisionum nimis crudeliter rebellantem (g) præfatus Princeps audacter navali evectione properat, certatim ad mare ingressus, navium copia adunata, Wistrachiam et Austrachiam (h), insulas Frisonum penetravit, super Burdine (i) fluvium castra ponens : Poponem gentilem Ducem illorum fraudulentum consiliarium interfecit, exercitum Frisionum prostravit : fana eorum idololatriæ contrivit, atque combussit igni : cum magnis spoliis et prædis victor reversus est in regnum Francorum (k). An. 734.

(a) Eudo jam à Sarracenorum fœdere recesserat, et in hoc prælio Carolum egregiè adjuvit. Vide Anastasium in Vita Gregorii II. et Paul. Diac. lib. 6. Hist. Lang. cap. 46. * Illud potiùs argumento est, Eudonem cum Sarracenis fœdus non iniisse.

(b) Sic Colb. Editi *Blavium*, utroque modo scriptum apud veteres invenitur. Castrum est, vulgò *Blaye*, monti impositum ad Garumnam, paullò infra confluentes ejus et Duranii.

(c) Boh. CCCCLXXVIIII. Freh. omisso hoc articulo habet, *à Moyse ad reædificationem etc.*

(d) Boh. et Colb. MMMMMCCXXVIII. Certè hunc ferè numerum, scilicet uno majorem, habet vetus cod. Weingartensis monasterii, in quo formulæ Andegavenses tomo 4. Analect. Mabillon. editæ habentur, ad quarum calcem hæc addidit scriptor. *A principio mundi usque ad Passionem Christi V. milia* CCXXVIIII. *anni fuerunt. Abinde peractis regnum Chlodoveo, Chlothario, Theodorigo, et Childerico, à mundi initio anni sunt V. milia* DCCCLXXX. *in anno* III. *Theudorico Regis.* Hoc autem integrum exhibemus quòd eodem tempore, ac præsens Chronicum, scriptum fuerit.

(e) Cùm ille auctor annum à Paschate, nos verò à Kalendis Januarii inchoëmus, hìc annus 736. intelligendus est. Ex hoc autem loco intelligimus, quo pacto Victorii cyclus cum æra vulgari sit componendus.

(f) Boher. *miliarium impleatur, anni* LXV. Colb. LXLIII. id est XCIII. Chesn. marg. al. CXIII. Quæ omnia etsi sibi invicem non cohæreant, repræsentavimus tamen ut in codd. habentur.

(g) Rebellare dicuntur non solùm subditi qui Principis sui jugum excutiunt, sed et ii qui post cladem acceptam fœdus initum frangunt, ut compluribus exemplis etiam ex T. Livio probat Cointius ad an. 595. num. 19. Hinc in nostro auctore Frisones, Sarraceni etc. rebellasse dicuntur, quamquam Francorum ditioni subjecti numquam fuerint.

(h) Sic ex cod. Boh. restituimus. Westrachia, hodie Westergoa, à Stavera *Staveren*, olim Frisonum metropoli, initium ducit : octo præfecturas complectitur. Inter hujus regionis urbes celebris est Franekera, *Franeker*, ubi academia celebris. Austrachia verò, seu Ostergoa, præfecturas habet duodecim, vicos 127. ibi est Leowardia, vulgò *Leuwarden*, ceterarum urbium caput. De his vide Emmium lib. 1. rerum Frisicarum.

(i) Boh. *Bordine*, et infrà sicut et alii *Bobonem..... Consularium.*

(k) * Hanc expeditionem, quæ fuit navalis et terrestris, Carolus anno 733. suscepit, anno 734. confecit.

PARS TERTIA,

AUCTORE ANONYMO AUSTRASIO,

qui jussu Childebrandi Comitis scripsit.

An. 736. ITaque (a) sagacissimus vir Carolus Dux, commoto exercitu, ad partes Burgundiæ dirigit, Lugdunum Galliæ urbem, majores-natu, atque Præfectos ejusdem Provinciæ suæ ditioni reipublicæ subjugavit, usque Massiliensem urbem, vel Arelatum suis judicibus constituit, cum magnis thesauris et muneribus in Francorum regnum remeavit in sedem principatûs sui. A

An. 738. Itemque rebellantibus Saxonibus paganissimis, qui ultra Rhenum fluvium consistunt, strenuus vir Carolus Dux, commoto exercitu Francorum in loco, ubi Lippia (b) fluvius Rhenum amnem ingreditur, sagaci intentione transmeavit, maxima ex parte regionem illam dirissimam stravit, gentemque illam sævissimam ex parte tributarios esse præcepit, atque quamplures obsides ab eis accepit, sicque, opitulante Domino, victor remeavit ad propria.

Denuò rebellante gente validissima Ismahelitarum, quos modò Sarracenos vocabulo corrupto nuncupant, irrumpentesque Rhodanum fluvium, insidiantibus infidelibus hominibus sub dolo et fraude Mauronto (c) quodam cum sociis suis, Avenionem urbem munitissimam ac montuosam, ipsi Sarraceni, collecto hostili B

An. 737. agmine, ingrediuntur: illisque rebellantibus ea regione vastata. At contrà vir egregius Carolus Dux germanum suum, virum industrium, Childebrandum (d) Ducem, cum reliquis Ducibus et Comitibus, illis partibus cum apparatu hostili dirigit; quique præproperè ad eamdem urbem pervenientes tentoria instruunt. Undique ipsum oppidum et suburbana præoccupant, munitissimam civitatem obsident, aciem instruunt, donec insecutus vir belligerator Carolus prædictam urbem aggreditur, muros circumdat, castra ponit, obsidionem coacervat, in modum Hierico cum strepitu ostium et sonitu tubarum, cum machinis et restium funibus super muros et ædium mœnia inruunt, urbem munitissimam ingredientes succedunt, hostes C inimicos suos capiunt, interficientes trucidant atque prosternunt, et in suam ditionem efficaciter restituunt. Victor igitur atque bellator insignis intrepidus Carolus Rhodanum fluvium cum exercitu suo transiit, Gotthorum fines penetravit, usque Narbonensem Galliam peraccessit, ipsam urbem celeberrimam, atque Metropolim eorum obsedit: super Adice (e) fluvio munitionem in gyrum in modum arietum instruxit, Regem Sarracenorum, nomine Athima, cum satellitibus suis ibidem reclusit, castraque metatus est undique. Hæc audientes majores-natu et Principes Sarracenorum, qui commorabantur eo tempore in regione Hispaniarum, coadunato exercitu hostium cum alio Rege, Amor (f) nomine, machinis adversùs Carolum viriliter armati consurgunt, præparantur ad prælium: contra quos præfatus Dux Carolus triumphator occurrit, super fluvio Birra (g), et valle Corbaria Palatio;

(a) Hanc Chronici partem Childebrandi jussu scriptam fuisse dicimus, ob inscriptionem, quam infrà post num. 117. exhibebimus. Si quis verò contenderit etiam et præcedentem partem ejusdem Comitis jussu fuisse exaratam, non refragabimur, modò fateatur eas vel à duobus diversis auctoribus scriptas fuisse, aut certè ejusdem auctoris duo esse diversa, et diversis temporibus scripta opuscula. Boh. incipit *Idcirco etc.* et infrà pro *exercitu*, habet *hoste*.

(b) Alio nomine Lupia seu Lupias dicitur, cum urbe cognomine in Westfalia, qui apud Wesaliam in Rhenum influit, vulgò dicitur *Lippe*. Lipiam tamen alii dicunt esse *Lhon* Hassiæ fluvium, qui inter Bodobrigam et Confluentes Rheno permiscetur.

(c) Alii *Mauronte*, Boh. *Moronto*. Is infrà *Dux* appellatur. Fuerat, ut conjicimus, aliquibus Provinciæ civitatibus Præfectus, qui rebellis, ex Chronico Fontanellensi cap. 11. Sarracenos in sui præsidium adsciverat.

(d) Nonnulli *Hildebrandus*, et sic infrà, quod perinde est. Hunc ex patre et matre Caroli fratrem fuisse contendit Cointius, quod hîc ejus *germanus* appelletur, quam vocem hujus 3. partis Chronici auctor numquam alio sensu adhibet. Ipsum verò Chifletius in libro de origine Childebrandi, confundit cum alio ejusdem nominis Langobardo, qui Luitprando Regi successit: sed hanc opinionem confutat Cointius ad an. 737.

(e) Vulgò *l'Aude*. Chesn. al. *Atace*, et quidem hic fluvius proprio nomine vocatur *Atax*, qui Narbonem ipsum alluit. Infrà Colb. *Athema*.

(f) Boh. *Amormagna nomine, adversùs Carolum*. Vet. ed. *Machinis*, quasi proprium nomen fuerit, scribunt. Infrà cap. 134. memoratur Amormuni Sarracenorum Rex.

(g) Chesn. al. et Freh. al. *Birsa, et valle Corbaria præliaturus, illisque etc.* Birra, vulgò *Berre*, inter Narbonem et Leucatam fluit per vallem Corbariam, ac demum sese in maritimum stagnum exonerat. Oritur ex monte valli cognomine, *le mont de Corbiere*, à quibus etiam Archidiaconatus Corbariensis in Narbonensi diœcesi dictus est. Baudranus *Cervera* ap-

illisque

A illisque mutuò confligentibus, Sarraceni devicti atque prostrati, cernentes Regem eorum interfectum, in fugam lapsi terga verterunt; qui evaserant cupientes navali evectione evadere, in stagno maris natantes, namque sibimet mutuo conatu insiliunt. Mox Franci cum navibus et jaculis armatoriis super eos insiliunt, suffocantesque in aquis interimunt. Sicque Franci triumphantes de hostibus prædam magnam et spolia capiunt, capta multitudine captivorum, cum Duce victore regionem Gotthicam depopulantur (a) : urbes famosissimas Nemausum, Agatem ac Biterris (b), funditùs muros et mœnia Carolus destruens, igne supposito concremavit, suburbana et castra illius regionis vastavit. Devicto adversariorum agmine, Christo in omnibus præsule, et capite salutis victoriæ, salubriter remeavit in regionem suam, in terram Francorum ad solium principatûs sui.

B Denuò curriculo anni illius mense secundo (c), prædictum germanum suum cum pluribus Ducibus atque Comitibus commoto exercitu ad partes Provinciæ dirigit, Avenionem urbem venientes, Carolus præproperans peraccessit, cunctamque regionem usque litus maris magni suæ dominationi restituit, fugato Duce Mauronto impenetrabilibus tutissimis rupibus maritimis munitionibus, præfatus Princeps Carolus cuncta sibimet adquisita regna victor regressus est, nullo contra eum rebellante; reversusque in regionem Francorum ægrotare cœpit in villa Verimbrea (d) super Issara fluvio. An. 739.

CX. Eo etenim tempore bis à Roma sede sancti Petri Apostoli beatus Papa Gregorius (e) claves venerandi sepulcri, cum vinculis sancti Petri et muneribus magnis et infinitis, legationem, quod anteà nullis auditis aut visis temporibus fuit, C memorato Principi destinavit. Eo pacto patrato, ut à partibus (f) Imperatoris recederet, et Romanum Consulatum (g) præfato Principi Carolo sanciret. Ipse itaque Princeps mirifico ac magnifico honore ipsam legationem recepit, munera pre- An. 741.

pellat. Quid verò his verbis *Corbaria palatio* designetur, nam hæc est lectio tam mss. quàm editorum, incertum est. Censet Valesius his indicari palatium in valle Corbaria exstitisse, proindeque inter villas Regias recenserì debere; quo nomine locum habet in lib. 4. de re Diplomatica. Favet noster auctor, qui infrà *Carisiacum villam palatii appellat.* Palatium in istis partibus adhuc sæculo XII. sub *Palatii Gotthorum* nomine celebre agnoscit Ottho Frisingensis, quod Athaulfus primus in Septimania Gotthorum Rex ibi consederit, uti observat Alteserra. At ipsum exstitisse putant in oppido sancti Ægidii, hodieque ob monasterium, quod in sæcularium Canonicorum collegium, conversum est, celebri. Fuit et *Palatium Æmiliani* in Levitania, cui successit sancti Savini monasterium prope Baregium. Certè Concilio Agathensi subscripsit *Petrus Episcopus de Palatio*, quem nonnulli aulæ Alarici Episcopum fuisse, pro illorum barbarorum more, putant. At Petrus Catholicus erat. Non etiam sic dictus est à Palo urbe *Pau.* Nam *Galactorius de Benarno* et *Gratus de civitate Olorone* eidem Concilio subscripsere. Non denique Episcopus Lemovicensis, quem sic nuncupatum fuisse suspicatur Valesius, quòd in urbis suæ palatio habitaverit, aut certè ab aliquo suæ diœcesis Palatio.

(a) Chesn. et Freh. *cum Duce, victor..... depopulatur.*

(b) Vulgò *Nismes, Agde, Beziers*, urbes Occitaniæ Episcopales notissimæ. Pro *ac Bitteris*, aliquot ed. habent, *his in terris*, Colb. *hac in terris.* Chesn. al. *Beteriis.* Boh. infrà *concremant.... vastant..... remearunt.*

(c) Cointius hunc locum sic restituendum esse censet, *Denuò curriculo anni secundo prædictum*, id est, anno post secundo. Nam aliàs hæc secunda expeditio eodem anno 737. quo prior, et secundo quidem pòst mense, consignanda foret : quod Chronico Fontanellensi et aliis monumentis repugnat, ex quibus discimus, priorem anno 737. alteram an. 739. susceptam fuisse. Paulus Diac. lib. 6. Hist. Lang. Isidorus Pacensis, Rodericus Toletanus, Anastasius in Vita Gregorii III. et alii passim auctores Caroli expeditiones in Sarracenos laudant.

(d) Colb. et vet. ed. *Vermbrea.* Freh. al. *Vermeria*, Chesn. al. addit *super fluvium Iseram.* Vermeria proprium est hujus oppidi nomen, inter Compendium et Silvanectum siti, vulgò *Verberie.* Vide Valesii Notitiam et lib. 4. de re Diplomatica.

(e) Is est Gregorius III. qui epistolas duas eadem occasione Carolo scripsit, quæ ad nos usque perve-

nerunt. In iis varias calamitates, quas Ecclesia Romana à Langobardis patiebatur, Carolo, quem *subregulum* nuncupat, exponit; opemque ejus adversùs illos implorat, mittens ei *claves confessionis beati Petri.* Quibus verbis Cointius et alii intelligi volunt claves aureas, in quibus aliquid *de limatura* catenæ S. Petri inclusum erat, quales Gregorius M. Childeberto olim transmiserat lib. 5. epist. 6. *ut collo suspensæ* eum *à malis omnibus tuerentur, etc.* Unde hæc verba, *quod anteà nullis auditis aut visis temporibus fuit*, de ipsa legatione ad opem implorandam intelligunt : lege notam sequentem. * Legendum videtur, *auditum aut visum.*

(f) Editi omnes, *ut ad partes Imperatoris recederet.* Intricata est Aimoini lectio, *Ecclesiam à Langobardorum tyrannide liberaret.... et à partibus Langobardorum recederet, ac Romanum consultum præfatus princeps Carolus sanciret.* Unde Cointius sic restituendum censet auctoris nostri textum : *ut ad partes Imperatoris accederet, et Romanum consultum, etc.* contendens nihil aliud Gregorium voluisse, quàm ut Carolus, rupta cum Langobardis pace, Imperatoris partes susciperet. At, ni fallor, melior est nostra lectio, quæ est mss. qua auctor innuit, Gregorium Carolo pollicitum fuisse, ut si Romanos à Langobardorum tyrannide liberaret, posthabita Imperatoris, qui Italiæ opem non ferebat, dominatione, se Carolo Romanum Consulatum collaturum : quod quidem etsi defuncto paullò pòst Carolo, immò et ipso Gregorio, tunc infectum fuerit, posteà tamen evenit, ut omnes norunt. Unde conjicio claves quas Gregorius Carolo transmisit, veras fuisse confessionis sancti Petri claves, quas in pignus dominationis ei conferendæ traditas volebat, idque innuunt hæc verba epistolæ Pontificis ad Carolum : *Conjuro te..... per ipsas sacratissimas claves confessionis S. Petri, quas vobis ad regnum dimisimus.* Certè nostram lectionem disertis verbis firmant Annales Mettenses, in quibus legitur, *Epistolam quoque decreto Romanorum Principum sibi prædictus præsul Gregorius miserat, quòd sese populus Romanus, relicta Imperatoris dominatione, ad suam defensionem et invictam clementiam committere voluisset.* Nec minori incentivo egebat Carolus, ut fœdus cum Langobardis frangeret, à quibus in expeditione Sarracenica egregiè fuerat adjutus. Vide Paul. Diac. lib. 5. Histor. Langobard. capp. 53. et 54.

(g) Boh. *et Romano consulto.* [Ita in Cod. ms. Alex. Petavii.]

tiosa contulit, atque cum magnis præmiis cum suis sodalibus missis Grimonem Abbatem Corbiensis (a) monasterii, et Sigibertum reclusum Basilicæ sancti Dionysii martyris, Romam ad limina sancti Petri et sancti Pauli destinavit. Igitur memoratus Princeps consilio Optimatum suorum expetito, filiis suis regna (b) dividit. Itaque primogenito suo, Carlomanno nomine, Auster et Suaviam, quæ nunc Alamannia dicitur, atque Thoringiam tradidit (c). Alterum verò secundum filium, Pippinum nomine, Burgundiæ, Neuster et Provinciæ præfecit. A

Eo anno Pippinus Dux commoto exercitu cum avunculo suo Childebrando Duce, et multitudine Primatum et agminum * satellitum plurimorum ad Burgundiam dirigunt, fines regionum præoccupant. Interim, quod dici dolor et mœror sollicitat * ruinam, in sole et luna et stellis nova signa apparuerunt, seu et Paschalis ordo sacratissimus turbatus fuit. Carolus * nempe Princeps Parisius Basilicam sancti Dionysii martyris multis muneribus ditavit; veniensque Carisiacum (d) villam Palatii super Issaram fluvium, valida febre correptus obiit in pace, cunctis in gyro regnis adquisitis (e). Rexit autem utraque regna annos xxv. (f), transiit itaque undecimo Cal. Novembris, sepultusque est Parisius in Basilica sancti Dionysii martyris (g). B

* *al.* agmine.

* *al.* suscitat.

* *Vat.* Karlus.

An. 742. CXI. Chiltrudis (h) quoque filia ejus, faciente consilio nefario novercæ suæ; fraudulenter per manus sodalium suorum Rhenum transiit, et ad Odilonem (i) Ducem Bagoariæ pervenit : ille verò eam ad conjugium copulavit contra voluntatem vel consilium fratrum suorum. Intereà rebellantibus Wasconibus in regione Aquitaniæ, cum Chunoaldo (k) Duce, filio Eudone * quondam, Carlomannus atque Pippinus Principes germani, congregato exercitu, Ligeris alveum Aurelianis urbe transeunt, Romanos (l) proterunt, usque Beturigas urbem accedunt, suburbana ipsius igne comburunt. Chunoaldum Ducem persequentes fugant, cuncta vastantes Lucca (m) castrum diruunt, atque funditùs subvertunt, custodes illius castri capiunt, et inibi victores exsistunt : prædam sibi dividentes, habitatores ejusdem loci (n) secum captivos duxerunt. Inde reversi circa tempus Autumni, eodem anno iterùm exercitum admoverunt ultra Rhenum contra Alamannos : sederuntque castra metati super fluvium Danuvii, in loco nuncupato (o) Usquequo. Habitatores Alamanni se victos videntes, obsides donant, jura promittunt, munera offerunt, et pacem petentes eorum se ditioni submittunt. C

* Eudonis.

An. 743. CXII. Inde reversi anno II. regni eorum, cognatus eorum Odilo Dux Bagoariorum contra ipsos rebellionem excitat : compulsi sunt generalem cum Fran- D

(a) Freh. *Corvensis*, alii *Corbensis* [Cod. ms. D. Baronis de Crassier, *Corbonensis*.] Celebre monasterium Corbeiæ, vulgò *Corbie*, sic dictum à fluviolo cognomine, qui ibi in Sumenam influit, à S. Balthilde ejusque filio Chlotario Rege conditum est. Grimonem verò hîc laudatum posteà ad infulas Rotomagensis Ecclesiæ evectum fuisse putat Pomerayus in Historia Archiep. Rotomag. at refragatur Cointius, qui Grimonem multò ante annum 741. Rotomagensi Ecclesiæ præfuisse contendit. Sigibertus verò, seu, ut habent editi et Boh. *Sigobertus*, alius non fuit, ut censet Dubletus, à Singiberto, qui Dionysianus Abbas posteà fuit. [Cod. Crass. *Sigoberto*.]

(b) Ed. præter Chesn. *regnum*. Francia in tria regna fuit olim divisa, Austrasiam, Neustrasiam et Burgundiam; et unumquodque suum Majorem-palatii habebat, etiamsi duo aut tria illa regna quandoque unicum Regem haberent. Tum Burgundionibus Neustrasiæ unitis, duo solummodò fuere regna, et Carolus, devicto Raginfredo, unicus fuit in utroque illo regno Major-palatii. Hæc autem regna, sive tota Francia, octo regiones majores complectebantur, Austriam, Sueviam, Thuringiam, Bajoariam, Neustriam, Burgundiam, Provinciam, Aquitaniam; Septimania autem, quæ intra Gallias erat, parebat Gotthis, sive Hispaniæ Regibus. In divisione autem facta inter Caroli filios nulla mentio occurrit Bajoariæ et Aquitaniæ, quòd Hunoldus Aquitaniæ Dux seu Præfectus, et Odilo Bajoariæ, auctoritatem nimiam, quam sibi sub Majoris-domûs titulo Carolus arrogabat, exosi, sese ipsi subdere noluerant.

(c) Boh. et Colb. *in Thoringiam sublimavit :* et infrà Chesn. et Boh. *Burgundiam et Neuster et Provinciam permisit*, [al. *commisit*.]

(d) Boh. *Carieco villa*. Celebris fuit hæc Regia domus *Carisiacum* dicta, sub secunda Regum stirpe, vulgò *Kiersi*, ut fusè probatur lib. 4. de re Diplomat. num. 30.

(e) Vat. *cuncta in giro adquisita regna*, additum alia manu, *relinquens*.

(f) Id est à pugna Vinciacensi, in qua fugatus est Raginfridus : nam aliàs anno sui ducatûs 26. aut 27. defunctus est, ut habent alii auctores. Nonnulli etiam eumdem Idib. Octobris defunctum, ac XI. Kal. Novembris sepultum volunt, in Basilica S. Dionysii, quam hîc *Parisius* extitisse ait auctor, quamvis duabus leucis ab urbe distaret, ut observarunt viri eruditi. Chesn. al. XXII. [Cod. ms. Alex. Petavii, *xxvij*.]

(g) Hîc desinunt codices scripti Colb. Vatic. et Nazarianus ex Bibliotheca Archi-Palatina apud Freh. sicut et editi Col. Bign. Bar. Illyr. et Boch. Unde quæ sequuntur alio titulo ab hac parte separavissemus, nisi obstitisset inscriptio inferiùs referenda.

(h) Alii *Hiltrudis*. Numeros deinceps capitibus præfiximus ob citationis commodum, licèt nulli anteà in editis aut scriptis haberentur.

(i) Boh. et alii mendosè, *Dodilonem*, et infrà *Hodilo* dicitur. Is est Odilo sub cujus regimine fides Christiana multùm crevit in Bavaria. [Cod. Petavii *Ottilonem*.]

(k) Alii *Hunaldum*, seu *Hunoldum* appellant. Can. semel *Chunobaldum*. [Cod. Petav. *Hunoaldo Duce filio Eodonis..... apud Aurelianas urbem..... usque Bituricas*.]

(l) * Id est Transligeritanos, quos hic Auctor Romanos vocat ob usum Romanæ linguæ.

(m) Vulgò *Loches* apud Turones, de quo aliàs diximus.

(n) Sic ex Boh. restituimus, qui habet *ejusdem locis*, ceteri, *eisdem locis*.

(o) Chesn. *nuncupante*. Freh. vocem *Usquequo* pro adverbio sumit, monetque nomen loci proprium deesse.

A cis in Bagoaria admovere exercitum. Venientesque super fluvium, qui dicitur Lech (a), sederunt super ripam fluminis uterque exercitus, hinc inde se mutuò videntes usque ad dies quindecim : qui tantumdem provocati irrisionibus gentis illius, indignatione commoti, periculo se dederunt per loca deserta et palustria, ubi mos transeundi (b) nullatenus aderat : nocteque inruentes, divisis exercitibus eos improvisos occupaverunt. Commissoque prælio, prædictus Dux Odilo, cæso exercitu suo, vix cum paucis turpiter ultra Igne (c) fluvium fugiendo evasit. His triumphis peractis non sine dispendio multorum, tamen feliciter victores ad propria remeaverunt.

CXIII. Evoluto (d) triennio, iterùm Carlomannus confinium Saxonorum, ipsis rebellantibus, cum exercitu inrupit, ibique captis habitatoribus, qui suo regno adfines B esse videbantur, absque belli discrimine feliciter adquisivit ; et plurimi eorum, Christo duce, Baptismi sacramento consecrati fuerunt. Per idem tempus rebellante Theudebaldo (e) filio Godfredi Ducis, Pippinus cum virtute exercitûs sui ab obsidione Alpium (f) turpiter expulit fugientem ; revocatoque sibi ejusdem loci Ducatu, victor ad propria remeavit. An. 744.

CXIV. Inde reversi prædicti germani, sequente anno, provocato * cothurno Wasconorum, iterùm (g) usque ad Ligerim fluvium pariter adunati venerunt. Quod videntes Wascones, præoccupaverunt pacem petentes, et voluntatem Pippini in omnibus exsequentes, muneratum eum à finibus suis ut rediret, precibus obtinuerunt. An. 745. * *al.* provocati.

C CXV. His transactis, sequente anno dum Alamanni contra Carlomannorum eorum fidem fefellissent, ipse cum magno furore cum exercitu in eorum patriam peraccessit, et plurimos eorum, qui contra ipsum rebelles existebant, gladio trucidavit. An. 746.

CXVI. His ita gestis, sequenti curriculo annorum, Carlomannus devotionis causa inexstinctu (h) succensus, regnum unà cum filio suo Drogone manibus germani sui Pippini committens, ad limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli Romam, in monachorum ordine perseveraturus (i), advenit. Qua successione Pippinus roboratur in regnum. An. 747.

CXVII. Eodem anno Saxones more consueto fidem, quam germano suo promiserant mentiri conati sunt : qua de causa adunato exercitu eos prævenire (k) compulsus est. Cui etiam Reges Winidorum seu Frisionum ad auxiliandum uno ani-D mo convenerunt. Quod videntes Saxones, consueto timore compulsi, multis ex eis jam trucidatis, et in captivitate missis, regionibus eorum igneque concrematis, pacem petentes juri Francorum sese, ut antiquitus mos fuerat, subdiderunt : et ea tributa quæ Chlothario quondam præstiterant (l), plenissima solutione ab eo tempore deinceps esse se reddituros promiserunt. Ex quibus plurima multitudo videntes se contra impetum Francorum rebellare non posse, propriis viribus destituti, petierunt sibi Christianitatis sacramenta conferre. Quo peracto tempore Bagoarii consilio nefandorum (m), iterùm eorum fidem fefellerunt, et contra præfatum Principem eorum fidem mentiti sunt : qua de re commoto exercitu cum magno agmine apparato, An. 749.

(a) Hodieque *Lech* seu *Lecx* nominatur, latinè Lechus, Licus et Lycias dictus, inter Sueviam et Bavariam fluens, Danubio miscetur apud Werdam.

(b) Editi, *ubi pons transeundo.*

(c) Is est Ænus, seu Oenus, vulgò, *In* seu *Inn*, qui in Alpibus ortus, ut dicitur infrà, labitur in Danubium.

(d) * Bellum Saxonicum gestum anno 743. duobusque sequentibus iteratum, quasi uno anno fuisset confectum, parùm diligenter narrat Continuator Fredegarii, ideòque tenebras densissimas studiosorum mentibus offundit. Quæ hîc recitat de Saxonibus et de Theobaldo Alamannorum Duce, ad annum 745. referunt Annalistæ Nazarianus et Metensis. Hunc annum etiam designare videntur hæc verba, *evoluto triennio :* auctor tamen annum 744. intellexit, ut patet ex sequentibus.

(e) Sueviæ seu Alemanniæ Duce.

(f) Alpes, ni fallor, appellat Vosagi montes, quos transmeato Rheno Theobaldus occupare conabatur.

(g) Aquitani cum suo Duce Hunoaldo.

(h) Sic Boh. alii *inexstincto*, id est *instinctu :* quæ mutatio prodiit ex more litteram *s* ac si fuerit *es* pronuntiandi. [Cod. Petav. *instinctu.*]

(i) Monasticam vestem Romæ induit, tum in Montem Soractem, ac posteà Casinum secessit. Ejus elogium lege in Sæc. 3. Benedictino parte 2. ad an. 755. quo Viennæ Allobrogum obiit. Zacharias ad Francorum Episcopos de ejus in Gallias accessu ad pacem inter Pippinum et Grifonem componendam, tum pro restituendo Casinensibus corpore S. P. Benedicti scripsit.

(k) Ed. *ad eos pervenire.*

(l) Quingentas vaccas singulis annis solvebant. Vide Fredeg. cap. 74.

(m) Has turbas à Grippone, seu Grifone Pippini ex matre altera fratre suscitatas fuisse tradunt veteres Scriptores. Hic nempe è carcere solutus, Saxones primò ad suas partes traxit : tum mortuo Odilone Bajoariorum Ducatum invasit ; sed victus à Pippino et Ducatu duodecim Comitatuum in Neustria donatus, in Aquitaniam secessit ; exinde fugatus, tandem in Italiam transiens ad Aistulfum Langobardorum Regem, in valle Mauriennensi interfectus est, ut dicitur cap. sequenti.

eorum patrias peraccessit. Ipsi verò terrore compulsi ultra fluvium Igni (a) cum A uxoribus ac liberis eorum fugientes, et memoratus Princeps super ripam Igni castra metatus, navale prælium præparavit, qualiter eos ad internecionem persequeretur. Quod videntes Bagoarii, eorum viribus se * auxiliare non posse, legatos cum muneribus multis transmittunt, et in ejus ditione se subdunt, et sacramenta vel obsides donant, ut ne ulteriùs rebelles exsistant. Ipse verò duce Christo cum magno triumpho in Franciam ad propriam sedem feliciter remeavit. Et quievit terra à præliis annis duobus.

* *al.* evadere.

An. 750. et 751.

An. 752. Quo tempore unà cum consilio et consensu omnium Francorum, missa relatione, à sede Apostolica auctoritate percepta, præcelsus Pippinus electione totius Franciæ in sedem regni cum consecratione Episcoporum, et subjectione Principum, unà cum Regina Bertradane, ut antiquitùs ordo deposcit, sublimatur in regno (b). B

Pippinus Rex.

Usque nunc inluster vir Childebrandus Comes, avunculus prædicti Regis Pippini, hanc Historiam vel Gesta Francorum, diligentissimè scribi procuravit. Abhinc ab inlustre viro Nibelungo filio ipsius Childebrandi, itemque Comite, succedat auctoritas (c).

(a) Id est *Oeni* Oenus quippe, vulgò *Inn*, ex monte Bernina in Alpibus versùs Septentrionem descendens, Comitatum Tirolensem, ubi Oeniponti, *Inspruc*, nomen tribuit, tum Bavariam alluit, ac demùm aliis fluviis auctus Danubio miscetur.

(b) His verbis apertè declarat hujus Chronici Auctor, Romanum Pontificem, qui tunc erat Zacharias, sese Pippini electioni immiscuisse, atque eumdem Principem Pontificum consecratione in Regem fuisse sublimatum : cui consentiunt Scriptores tam antiqui quàm recentiores. Cointius tamen hunc locum interpolatum fuisse contendit, atque sic restitui debere : *Quievit terra à præliis annis duobus. Quo tempore præcelsus Pippinus electione totius Franciæ in sedem regni unà cum Regina, etc.* Sed suæ conjectationis, quæ omnibus scriptis et editis contraria est, nullam rationem affert, nisi quòd, ut quidem existimat, Franci Pontificem de Regis electione non consuluerint, nec tunc consuetudo fuerit Reges ungendi : utrumque verò refellitur ex clausula veteris Codicis Dionysiani, ipso Pippino regnante scripti, [quæ Actorum secundæ stirpis fronti præmittetur.]

(c) Hanc inscriptionem, quam ceteri codices non habent, è Petaviano edidit Chesnius. Ille autem codex, qui è Petaviana bibliotheca ad Christinam Sueciæ Reginam transiit, hodie Romæ adservatur in bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Ottoboni : olim fuit monasterii Jurensis, ad S. Eugendi tumulum sæculo 9. labente à Mannone oblatus, uti discimus ex inscriptione ipsi præfixa, *Voto bonæ memoriæ Mannonis liber ad sepulcrum sancti Augendi oblatus.*

MONITUM

DOMNI THEODORICI RUINART

IN SUBSEQUENTIA FRAGMENTA.

FREDEGARII Chronico visum est subjungere ejusdem Auctoris Fragmenta selecta ad Francorum Historiam pertinentia, quæ ex aliis ejus operibus descripsimus. Quamvis enim testetur ille auctor se ea referre quæ ex Eusebio, Hieronymo, Idatio, etc. excerpserit; nonnulla tamen quandoque habet, quæ in istis Auctoribus desiderantur, sive ea retulerit ex antiquis traditionibus quæ tunc circumferebantur, sive illa ex vetustis Auctoribus nobis ignotis descripserit. Ex illis verò selegimus ea solùm quæ ad nostram Historiam pertinent, quæque veteri stylo, prout tum in codice Ms. Collegii Parisiensis Societatis Jesu, Auctoris ætate scripto, tum in antiquo Divionensi ex Illustrissimi viri Boherii bibliotheca leguntur, repræsentamus.

FRAGMENTA

EX ALIIS FREDEGARII EXCERPTIS SELECTA,

Quæ ad Historiam Francorum pertinent.

I.

Inter Excerpta ex Eusebii Chronico, Hieronymo interprete.

A IN illo tempore Priamus Helenam rapuit : Trojanum bellum decennale surrexit : causa mali quod trium mulierum de pulcritudine certantium præmium fuit una earum Helena, pastore judice pollicente (a). Memnon et Amazones Priamo tulere subsidium : exinde origo Francorum fuit. Priamum regem primò habuerunt ; posteà per Historiarum libros scriptum est (b) qualiter habuerunt regem Frigam, posteà partiti sunt in duabus partibus ; una pars perrexit in Macedoniam, vocati sunt Macedones secundùm populum à quo recepti sunt, et regionem (c) Macedoniæ, qui opprimebatur à gentes vicinas invitati ab ipsis fuerunt, ut eis auxilium præberent. Per quos posteà cùm subjuncti in plurima procreatione crevissent, ex ipso genere Macedones fortissimi pugnatores effecti sunt. Quod in postremum in diebus Philippi regis et Alexandri filii sui fama confirmat illorum fortitudinem qualis fuit. Nam et illa alia pars quæ de Frigia (d) progressa est ab Olixo * per fraudem decepti, B tamen non captivati, nisi exinde dejecti per multis regionibus pervagantes cum uxores et liberos. *cap.* 3. * *i.* Ulysse.

Electo à se rege, Francione nomine, per quem Franci vocantur. In postremo, eò quòd fortissimus ipse Francio in bellum fuisse fertur, et multo tempore cum plurimis gentibus pugnam gerens, partem Asiæ vastans, in Europam dirigens, inter Rhenum vel Danuvium et mare consedit. *cap.* 4.

Ibique mortuo Francione, cùm jam pro prælia tanta quæ gesserat, parva ex ipsis manus remanserit, Duces ex se constituerunt. Attamen semper alterius ditione negantes, multo pòst tempore cum Ducibus transegerunt, usque ad tempore Pompegii Consolis : qui et cum ipsis demicans, seu cum reliquas gentium nationes quæ in Germania habitabant, totasque ditione subdidit Romanam (e). Sed continuò Franci cum Saxonibus amicitias inientes, adversùs Pompegium rebellantes, ejusdem renuerunt C potestatem. Pompegius in Spaniam contra gentes dimicans plurimas moritur (f). Posthæc nulla gens usque in præsentem diem Francos potuit superare, qui (g) tamen eos suæ ditioni potuisset subjugare. Ad ipsum instar et Macedones, qui ex eadem generatione fuerunt, quamvis gravia bella fuissent attriti, tamen semper liberi ab externa dominatione vivere conati sunt. *cap.* 5.

Tertiam ex eadem origine gentem Torcorum (h) fuisse fama confirmat : ut cùm Franci Asiam pervagantes pluribus præliis transissent, ingredientes Europam, super litore Danuvii fluminis inter Oceanum et Thraciam una ex eis ibidem pars resedit. Electum à se utique regem, nomen Turquoto, per quod gens Turcorum nomen accepit. Franci hujus itineres gressum cum uxores et liberes agebant ; nec erat gens, qui eis in prælium potuisset resistere. Sed plurima egerunt prælia, quando ad Rhenum consederunt, dum à Turquoto minuati sunt, parva ex eis manus aderat. A captivitate Trojæ usque ad primam olympiadem fiunt anni CCCCVI. *cap.* 6.

(a) Can. *pastori judici pollicente.*

(b) Aimoinus lib. 1. de Gestis Francorum laudat quosdam auctores, qui de hac origine scripserunt. Id fortè quod hîc damus, ex Daretis Frigii Historia de origine Francorum excerptum est. Etenim in cod. Boheriano, et in uno Canisii plura interseruntur sub hujus auctoris nomine ; in omnibus verò codd. post hoc fragmentum, quod hîc descripsimus, subjungitur : *Redeamus quo ordine Hebræorum gens fuit.* Daretem Frigium memorat Vossius lib. 3. Hist. Latinorum, sed quem fictitium censet, et quidem fabulas narrat. Certè hæc fuit olim Francorum opinio communis, gentem suam ex Trojanis prodiisse, uti ex antiquis Chronicis et auctoribus patet, maximè qui desinente prima Regum nostrorum stirpe et posteà scripserunt. Vide Chesnium tomo 1. Hist. Franc. Sigibertum, etc.

(c) Can. *Regem.*

(d) Can. et quidem rectè, *Friga.*

(e) Sic Clar. At Boh. *Romana.* Can. *totasque ditiones subdidit Romanis.*

(f) Can. *morti tradidit.*

(g) Clar. hæc verba, *qui tamen eos suæ ditioni potuisset subjugare*, omittit.

(h) Infrà *Turcorum*, Boh. et Can. *Torquorum*, *Thurcorum*, et infrà *Torquoto.*

II.

Inter eadem Excerpta.

Ex cap. 40. Gallienus firmatur in Imperio. Germani Ravennam venerunt. Alamanni vastatum Aventicum prævention vuibili cui nomento, et plurima parte Galliarum, in Ætalia transierunt (a). Græci Pannoniam occupaverunt. Germani Spanias obtenuerunt, etiam et Syriam incursaverunt, Francos in eorum habentes auxilium.

Ex cap. 45. Valentinianus etc. Saxones cæsi Deusone (b) in regione Francorum consedit.

Ex cap. 46. Qui superfuerunt illo tempore Burgundionum octoginta ferè millia, quot numquam anteà nec nominabantur, ad Rhenum descenderunt, et ubi * castra posuerunt, quasi Burgo vocetaverunt, ob hoc nomen acceperunt Burgundiones (c); ibique nihil aliud præsumebant, nisi quantum pretium ementis * à Germanis eorum stipendia accipiebant. Et cùm ibidem duobus annis resedissent, per legatos invitati Romanis vel Gallis, qui Lugdunensium provinciam (d) et Gallea Comata, Gallea Domata et Gallea Cisalpina manebant, ut tributarii publicæ potuissent rennuere, ibi cum uxores et liberes visi sunt consedisse.

* *al.* ibi.

* *al.* ementes.

III.

Inter Excerpta ex Idatii Chronico.

cap. 55. Can. *lib.* 3. *Lib.* 3. Martianus etc... Gens Chunorum pace rupta ruunt in Galleis, quos cùm Agecius patricius venientes comperisset, sanctum Anianum Aurelianensium Episcopum ad Theudorum regim Gotthorum in legationem dirigit, petens auxiliare contra Chunis : si prævalebat resistere, mediam partem Galliæ Gotthis daret. Cùm à Theudoro rege hujus petitionis annuens auxilium fuisset promissum, Agecius legatos mittens ad Attilanem regem Chunorum obviàm, petens auxilium contra Gotthis, qui Galleas conabant invadere : si prævalebant Chuni è contra Gotthis defendere, medietatem Galliæ ab Agecio perciperent. Attila Rex cum Chunis festinans, et parcens (e) civitatibus Germaniæ et Galliæ, contra Gotthis, super Ligere fluvio residens, nec procul ab Aurilianis confligit certamine. Cæsa sunt Gotthorum ducenta millia hominum. Theudorus Rex hoc prælio occubuit. Cæsa sunt Chunorum centum quinquaginta millia. Civitas Aurelianis orationibus beatissimi Aniani liberata est. Chuni repedantes Trecassis (f) in Mauriacensem consedentes campaniam. Thoresmodus (g) filius Theudori, qui ei successit in regnum, collectum Gotthorum exercitu, patrem ulcisci desiderans, cum Attilanem et Chunis Mauriaco confligit certamine; ibique tribus diebus uterque phalangæ in invicem prælіantes, et innumerabilis multitudo gentis (h) occubuit. Agecius cùm esset strenuosissimus consilii, per noctem ad Attilanem veniens, dixit ad eum : *Optabilem duxeram ut tua virtute regionem hanc à perfidis Gotthis potuissem * eripere, sed nullatenus fieri potest. Usque nunc cum minimis pugnatoribus prælias, hac nocte Theudericus germanus Thoresmodi cum niniam multitudinem et fortissimos Gotthorum pugnatores advenit : hæc non sustines, atque utinam vel evadere possis.* Tunc Attila dedit Agecio decem millia solidorum, ut per suo ingenio Pannoniam repedaret. Ipsaque nocte Agecius ad Thoresmodo idemque perrexit, dicensque ei causam consimilem, quòd apud viles Chunorum pugnatores usque nunc pugnaverat; nam maxima multitudo et fortissimi pugnatores à Pannoniis ipsaque nocte Attilani advenerant, et audissent fratrem suum Theudericum in aures Gotthorum occupasse, regnumque vellet arripere, nisi festinus ad resedendum pergeret, periculum ad degradandum haberet. Acceptis idemque Agecius à Thuresmodo decem millia solidis, ut suo ingenio à persecutione Chunorum liberati Gotthi ad sedes proprias remearent : et protinus abierunt. Agecius verò cum suis, etiam Francos secum

* *Boh.* potuisses.

(a) Sic Clar. Boh. verò *præventione violabili cognomento..... Galliarum ; indeque in Italiam.* Can. sic habet, *pervenerunt inæstimabili nocumento, et plurimam partem Galliarum vastaverunt ; indeque in Italiam etc.*

(b) Sic quoque legitur in Chronico Eusebii, ex omnibus mss. ut monet Scaliger, qui hoc nomine aliquam urbem circa Rhenum designari censet. Boh. *Diosone*, Can. *Saxones cæsi Diovione, in regione Francorum consederunt qui superfuerunt :* tum incipit cap. 46. *In il'o tempore etc.*

(c) Vide Orosium lib. 7. Historiæ cap. 4.

(d) Boh. *provinciæ et Gallea Comata Cisalpina manebat.* Can. *provinciæ et Galliæ domita Cisalpina ut tributarii publicè..... ibique cum etc.* Gallia *Comata* seu Transalpina continebat hodiernam Franciam, *Cisalpina* verò, seu Togata, Italiæ partem, quam nunc Lombardiam appellamus.

(e) Clar. *partens*, Boh. *pærgens.*

(f) Boh. *Chunis repedantibus Trigassis.* Can. *castris.*

(g) Boh. *Thorismodus*, Can. *Thorsimodus.*

(h) Clar. *genti*, tum additum est *um*, id est *gentium.*

habens, post tergum direxit Chunorum, quos usque Thoringia à longè prosecutus est; præcepitque suis, ut unusquisque nocte ubi manebant, decem sparsim focus facerent, ut immensa multitudine semilarent (a). Quievit hoc prælium. Agecii consilium Gallia ab adversariis liberatur. Postheà cùm à Thursimodo rege et Gotthis hæc factio perlata fuisset, requirentes promissionem Agecii implendam, et ille rennuerit, per pacis jura orbiculum (b) aureum gemmis ornatum, pensante libras quingentas ab Agecio compositionis causa transmittitur Tursemodo, et hæc jurgia quieverunt: quæ species devotissimè usque in hodiernum diem Gotthorum thesauris pro ornatum veneratur et tenetur.

Anno II. Anthemii in medio Tolosæ civetatis sanguis erupit de terra, et tota die fluxit, signeficans Gotthorum dominatione sublata Francorum adveniente regno. *Ex cap.* 58. Can. *lib.* 3. *cap.* 8.

IV.

Inter eadem Excerpta ex Idatio.

Quadam (c) vice Chlodoveus Rex Francorum et Alaricus Rex Gotthorum qui sedem Tholosæ habebat, post multa prælia quæ invicem gesserant, intercedentes legatus, cùm pacem inire cœpissent hujus convenientiæ, ut Alaricus barbam tangeret Chlodovei effectus ille (d) patrenus, perpetuam ad invicem pacem servarent; et ad hujus placita conjunctione (e) nec Francos nec Gotthos armatos penitus accederent. Statuentes diem ad locum designatum ab invicem; ibique legatus Chlodovei, Paternus nomine, ad Alaricum accessit, inquirens utrùm eo habitu Gotthi inermes quo spoponderant, placitum custodirent: aut fortè more solito, ut pòst probatum est, mendaciis parerent (f). Cùm loqueretur Paternus ad Alarico regem, nuntians salutes Chlodovei, et diligenter inquirens quo ordine deberent conjungere, Gotthi fraudulenter uxos (g) pro baculis in manum ferentes. Adprehensum unum ex his Paternus extrahit, dicens: *Mendacia tua placita sunt, Rex, ut fraude coneris cum tuis Gotthis dominum meum et Francos decipere.* Accepto placito cum Alarico, spondens Paternus pro Francis ut judicium Theuderici Regis Ætaliæ hujus rei terminus fieretur: ibi legatus Alarici Regis, et Paternus directus à Chlodoveo, conspectum properant Theuderici. Exponens per ordine Paternus causam Chlodovei et Francis, quod legatus Alarici denegare non potuit, nisi tantùm petens, ut judicium Theuderici fineretur. Cogitans in semetipsum Theudericus hujus causæ eventum, et futuris temporibus quæ oportebant oblivionem non tradens, zelum adversùs os duos Reges retenens; dicens his legatis: *In crastinum quod attentius hujus rei pro pacis concordiam, ut justitiæ ordo poscuerit, cum senioribus Palatii pertractare potuero, fratribus meis cum integra dilectione, et amore profuso mandare non sileo.* Tractansque in arcano cordis jam olim celaverat, cupiens his duobus Regibus ab invicem semper esse discordes, talem inter eosdem judicium termenavit, ut difficile Gotthis, quos Alaricus regebat, hujus culpæ compositio suppleretur, ut veniret legatarius Francorum sedens super equum, contum erectum tenens in manum ante aulam Palatii Alaricï, et tamdiu Alaricus et Gotthi super eum solidos jactarent, quousque legatum et equum, et cacumine conti cum solidis cooperirent. Renuntiantes legati Alarico protinus, quòd Theoderici hujus rei terminasset judicius: et cùm esset difficile hæc Alarico vel Gotthis supplere, volentes fraude Paternum legatum Francorum decipere, quem in solarium missum, per noctem quod subpositum erat ruens, fracto brachio vix tandem evasit. Ducitque eum Alaricus in crastinum (h), suos ostendens thesauros, et cum sacramento dicens ampliùs solidos non habere, quàm ad præsens arcis plenis ostenderet. Ubi Paternus unum solidum de pugno extrahens, sinu projecit dicens: *Hos solidos adarrabo* (i) *ad partem domini mei Chlodovei Regis, et Francis.* Rever- *cap.* 60. Can. *lib.* 3. *cap.* 10.

(a) Boh. *sparsi focos facerent, ut immensam multitudinem similarent.* Can. *sparsim..... simularent.*

(b) Missorium appellat Fredegarius ipse in Chronico cap. 73. sic quoque dicitur in Chronico S. Benigni. Hinc collige missorii nomine apud illum auctorem catinum, seu pelvim designari.

(c) Confer hoc caput cum capite 20. lib. 1. Aimoini de Gestis Francorum, et Roriconis lib. 4.

(d) Pro *illi*, hinc in Clar. alia, sed vetustissima manu, *efficetur illi patrinus.* Posteà non tactu solummodo, sed et barbæ aut capillorum incisione affinitas spiritualis inita fuit. Qui alicui crines incidebat, ejus fiebat pater spiritualis. Vide Paulum Diac. in Gestis Langob. lib. 4. cap. 40. et lib. 6. cap. 53. Plura de hac re habet Mabillon. in Præf. 1. Sæc. 3. Act. SS. Ord. Bened.

(e) Boh. et Can. *conventione.*

(f) Id est *mendaces apparerent*, ut habet Can.

(g) Sic uterque ms. et rectè. Vide Chronici cap. 64. et Cangii Glossarium.

(h) Can. *castrum.*

(i) Boh. *his solidos.* Can. *His solidis sit arrhabo.*

tens ad Chlodoveo, narrans per singula. Chlodoveus adversùs Alaricum arma com- A
movit, quem in campania Voglavensem, decimo ab urbe Pectava milliario, interfecit, et maximam partem exercitûs Gotthorum ibi gladium trucidavit, regnumque ejus à Legere fluvium et Rhodano per mare Terrenum (a) et montes Perenæos usque mare Oceanum abstulit : quod hodieque ditione condigno (b) permanet ad regnum Francorum.

V.

cap. 62. Can. *lib.* 3. *cap.* 12.

Inter eadem Excerpta ex Idatio.

Chrocus Rex Wandalorum (c) cum Suævis et Alanis egressus de sedibus Gallias appetens, consilium matris nequissimæ utens, dum ei dixisset : *Si novam rem volueris facere, et nomen adquirere, quod alii ædificaverunt cuncta destrue, et popu-* B
lum quem superas, totum interfice. Nam nec ædificium meliorem à præcessoribus facere non potes, neque plus magnam rem, per quam nomen tuum eleves. Qui Rhenum Magantiam ponte ingeniosè transiens, primùm ipsamque civitatem et populum vastavit : deinde cunctasque civitates Germaniæ vallans Mettis pervenit, ubi murus civitatis divino nutu per nocte ruens, capta est civitas à Wandalis ; Treverici verò in arenam hujus civitatis quam munierant liberati sunt. Posthæc cunctas Gallias Chrocus cum Wandalis, Suævis et Alanis pervagans, alias subsidione * delevit, aliasque ingeniosè rumpens vastavit : nec ulla civitas aut caster ab eis in Galliis liberata est. Cùmque Arelato obsiderent, Chrocus à Mario quodam milite captus et vinculis constrictus est : qui ductus ad pœnam per universas civitates quas vastaverat, impiam vitam digna morte finivit ; cui Trasemundus successit in regnum. C
Alamanni adversus Wandalos arma commovunt : uterque consentientes, singulare certamen præliandum duos miserunt. Sed et ille qui à Wandalis missus est, ab Alamanno superatur ; victusque Trasemundus et Wandali secundùm placetum cum Wandalis, Suævis et Alanis, Gallias prætermissis Spanias adpetivit ; ibique multos Christianorum pro fide Catholica interfecit. Post pauco tempore mare traducta in Mauritania, credo divino nutu, fera ducente, cum Wandalis vadando, transivit. Fertur mare ibi septem millia passuum latitudinem esse. Mortuo in Mauritania Trasemundo, Honericus mente crudelior Wandalis successit in regnum : Mauritaniam (d) occupans, nimiam stragem in Christianis exercuit, consiliante Cyrola hæreticorum Episcopo, cujus persecutione plurimus numerus Christianorum martyrii palma sunt coronati. His diebus Eugenius, Longinus et Vindemialis Episcopi miras virtutes in Christi nomene (e) ostendebant, etiam et mortuos suscitabant. Cyrola quemdam D
hominem præventum datis quinquaginta aureis, ut se cæcum fingeret, et clamaret coram Honericum regem Cyrolæ virtutibus se lumen accipere : qui tactus à Cyrola cæcus efficitur : posteà oratione Eugenii lumen recepit. Instigante Cyrola ab invidiæ morbum, Honerico jubente, Eugenius capite truncatur ; Longinus et Vindemialis diversis pœnis adfecti pro Christi nomine, ad æternam migrant beatitudinem. Honericus merito exigente propriis se morsibus laniavit, indignam vitam justa morte finivit : cui Childericus successit in regnum. Ipso defuncto Childemeris regnum suscepit, apud quem Belesarius Patricius fortissimè dimicavit ; in quo regnum Wandalorum finivit.

[Belisarius] à Buccelenum quodam Franco in Ætalia superatus est, tantæ victoriæ nomenis gloriosus à Bucceleno victus nomen vitamque amisit (f).

Expliciunt Fragmenta Fredegarii.

* *al.* obsidione.

(a) Can. *Tyrrhenum.*
(b) Can. *condigna*, Boh. *ditioni condigne.*
(c) De Vandalis suo loco egit Fredegarius, ut apud Idatium. Chroci irruptionem Sigibertus ad 1. Theodosii Junioris imperii annum revocat, quam alii temporibus Valeriani et Gallieni consignare consueverunt.
(d) Sic Boh. Clar. prima manu *auream totam*, altera *Mauretaniam.* Can. *terram totam.*
(e) Boh. *Christianorum ostendebant ægros.*
(f) Confer cum Aimoino lib. 2. de Gestis Franc. cap. 23.

EX GREGORII TURONENSIS LIBRO I.

DE GLORIA MARTYRUM.

A CRux Dominica, quæ ab Helena Augusta reperta est, ita quartâ et sextâ feriâ adoratur. Hujus reliquias et merito et fide Helenæ comparanda Regina Radegundis expetiit, ac devotè in Monasterium Pictavense, quod suo studio constituit (a), collocavit : misitque pueros iterum Hierosolymis, ac per totam Orientis plagam, qui circumeuntes sepulcra sanctorum Martyrum Confessorumque, cunctorum reliquias detulerunt : quibus in arca argentea cum ipsa Cruce sancta locatis, multa exinde miracula conspicere meruit. *cap.* 5. An. 569.

Tempore quo diuturna (b) obsidione [urbs Vasatensis] vallabatur à Chunis, omni nocte Sacerdos qui præerat, circuibat psallendo et orabat..... Hostis verò in B circuitu depopulabatur villas, domos tradebat incendio, agros vineasque, pecoribus intromissis, vastabat. Sed Sacerdoti bono operi insistenti celeriter virtus divina adfuit. [*Posteà narrantur quædam portenta, quibus perterritus Hunnorum Rex Gausericus ait :*] Manifestum est, quòd Deus eorum adjuvat eos. Et statim discessit à loco illo. *cap.* 13. An. 437.

Symphorianus martyr apud Augustodunensem urbem martyrium consummavit. De loco autem illo, ubi gladio percussus est, et sanguis ejus effluxit, quidam religiosus tres lapillos cum ipso sanguine levavit, et in capsa argentea reconditos in Ecclesiam ligneis constructam tabulis, apud Thigernum (c) castrum urbis Arvernæ, in altari sancto locavit. Tempore autem (d) quo Theodoricus Rex Francorum regionem illam C evertit, hoc castrum ab hostibus incendio concrematur. *cap.* 52. Circa an. 179. An. 532.

Cùm suprà dicta civitas [Namnetica] tempore Chlodovechi Regis barbarica vallaretur (e) obsidione, et jam sexaginta dies in hac ærumna fluxissent ; media ferè nocte apparuerunt populis viri cum albis vestibus, radiantibus cereis, à basilica beatorum martyrum [Rogatiani et Donatiani] egredi.... ac protinùs omnis phalanga hostilis immenso pavore exterrita, ita subito impetu à loco discessit, ut facta luce nullus ex his reperiri posset. Apparuit antè dicta virtus Chilloni * cuidam, qui tunc huic exercitui præerat ; qui necdum erat ex aqua et Spiritu-sancto renatus : qui statim compunctus corde, conversus ad Dominum, iterata nativitate progenitus, Christum esse Filium Dei vivi clara voce testatus est. *cap.* 60. * *al.* Chillino.

Cùm autem Guntchramnus Rex ita se spiritalibus actionibus mancipasset, ut relic- D tis sæculi pompis, thesauros suos Ecclesiis et pauperibus erogaret ; accidit ut, misso presbytero, munera fratribus, qui sanctis Agaunensibus deserviunt, ex voto transmitteret, præcipiens presbytero, ut ad eum rediens, sanctorum sibi reliquias exhiberet. Igitur dum, impleta Regis præceptione, cum his regrederetur pignoribus, Lemanni laci, per quem Rhodanus influit, navigium petit. Extenditur autem lacus ille (f) in longitudine quasi stadiis quadringentis, latitudine autem stadiis centum quinquaginta... In hoc etiam stagno ferunt Tructarum piscium magnitudinem usque ad centum librarum pondera trutinari. *cap.* 76.

Tempore autem illo, quo contra Gundovaldum commotus exercitus ad Conveniensem (g) urbem directus est, ab hujus hostilitatis multitudine basilica ejus [S. Vincentii] vallatur tota. Erat enim in ea plebs cum omnium rerum suarum *cap.* 103. An. 585.

(a) Vide lib. 9. Hist. cap. 40.

(b) Hanc obsidionem ad annum 437. referunt Valesius lib. 3. rerum Francic. pag. 141. et Pagius in Crit. in Annal. Baronii ad an. 451. num. 17.

(c) Posteà *Tiernum* dictum est, vulgò *Tiern*.

(d) Vide lib. 3. Hist. cap. 12.

(e) Hanc obsidionem ad extrema Chlodovei tempora, id est ad an. 510. aut seq. revocat Cointius : sub cujus tamen potestate anno 511. exstabat urbs Namnetensium : nam Epiphanius Namnetensis Episcopus eo anno Concilio Aurelianensi I. subscripsit. *Ruinartius*. Doctissimus Abbas Dubos in Hist. Crit. Monarchiæ Francicæ lib. 3. cap. 24. putat Armoricos ad quos urbs Namnetica pertinebat, sese anno 497. potestati et ditioni Chlodovei subjecisse, atque hanc istius urbis obsidionem ante Chlodovei ad fidem Catholicam conversionem collocat. Nam, inquit, Chillo, qui ejus exercitui præerat, adhuc ethnicus erat ; et tamen Hincmarus in Vita S. Remigii testatur, Francos qui cum Chlodoveo baptismum suscipere noluerant, sese ad Ragnacarium recepisse. Censet idem Abbas Francorum exercitum per mare Namnetas usque vectum fuisse : quod in causa fuit cur postridie illius visionis, quæ Francos tanto pavore repleverat, nullus eorum inveniri potuerit ; quia refluo mari naves conscenderant.

(f) Hunc longum sexaginta millia, latum viginti scribit Marius Aventicensis in Chronico. Vulgò dicitur Lacus Genevensis, ob celebrem urbem ipsi impositam. *Ruinartius*.

(g) Nunc vulgò *S. Bertrand de Comminges*. Vide lib. 7. Hist. cap. 35.

præsidio, confidens de reverentia Martyris, quòd nullus ea præsumtione temerariâ auderet adtingere : et obseratis ostiis, se ab intus cum rebus incluserat. Circumdantes autem hostes, cùm aditum, per quem ingrederentur, invenire non possent, ignem ostiis ædis subjiciunt, quam diu multùmque succendentes, non adprehendebantur valvæ, donec iis impulsu securium comminutis ingressi sunt, diripientes res, populumque inclusum in ore gladii trucidantes. Sed non diu hæc res remansit inulta. Nam alii à dæmone correpti, nonnulli in flumine Garumnæ necati, multi etiam à * frigore occupati, diversis in partibus diversorum morborum genere vexabantur.

* *id est*, febre.

EX LIBRO GREGORII TURONENSIS,

De Miraculis sancti Juliani.

cap. 7. POsthæc venientes quidam de Burgundionibus ad Brivatensem vicum, eum cum armorum multitudine copiosa circumdant, captoque populo, direpto ministerio sacro-sancto, ultra amnem transeunt, et viros gladio interficere, reliquum vulgus sorte dividere parant. Tunc Hillidius quidam à Vellavo * veniens, et, ut aiunt, commonitione columbæ alitis incitatus, super eos inruit : hortatusque socios, ita hostes ad internecionem cecidit, ut captivis laxatis triumphans in laude Martyris, amne transmisso, ad beatam cellulam, tamquam novus Moyses, cum omni populo canendo revertitur.

* *al.* Velauno, *le Velay*.

cap. 8. Prostratis ergo ab Hillidio hostibus, quatuor ex his per fugam lapsi, patenam et urceum, qui anax dicitur, in patriam deferunt, et divisam in tantis, ut erant, partibus patenam, urceum Regi Gundobado ob gratiam exhibent conquirendam. Reliquum verò argentum Reginæ (a) sagacitas reperit, cui additis multis muneribus, loco illi sancto restituit, fideliter insinuans Regi, non oportere eum, ut gratiam Martyris sancti propter argenti parvitatem amitteret.

cap. 13. Aliquid de hostilitate Theoderici Regis, ac infirmitatibus Sigivaldi, quæ ei in Arverno posito contigerunt, propter virtutem tamen beati Martyris est diligentiùs exponendum, quò faciliùs fides dictis adhibeatur. Igitur cùm ad direptionem Arvernorum Rex antedictus (b) festinaret, et ingrediens terminum, vastationi cuncta subigeret, pars aliqua ab exercitu separata, ad Brivatensem vicum infesta proripuit, fama vulgante quòd in basilica essent incolæ cum multis thesauris adunati. Cùmque pervenissent ad locum, inveniunt multitudinem promiscui sexûs, obseratis ostiis, in templo ipso cum propriis facultatibus residere. Cùmque intrare non possent, unus effractam, ceu fur, in (c) altario sancto fenestram vitream, ingreditur : quia qui non intrat per januam, hic latro est : dehinc reseratis ædis illius valvis, exercitum intromittit. At illi direptam cunctam supellectilem cum ministris ipsius basilicæ, reliquum quoque populum, qui infrà erat, eductum foris diviserunt haud procul à vico. Quæ cùm ad Regem delata fuissent, comprehensos ex his aliquos diversis mortibus condemnavit. Fugiens verò ille, qui inrupta æde caput fuit hujus sceleris, igne de cœlo delapso consumtus interiit : super quem cùm multi acervum lapidum congregassent, à tonitruis et coruscationibus detectus, terrenâ caruit sepulturâ. Qui verò de consentaneis latentes Regem in patriam sunt regressi, correpti à dæmone, diversis exitibus hanc vitam crudeliter finierunt. Hæc audiens Rex, omnia, quæ exinde sunt ablata, reddidit. Præceperat enim ne in septimo à basilica milliario quis vim inferret.

An. 532.

cap. 14. Tunc Sigivaldus cum Rege præpotens cum omni familia sua in Arverna regione ex Regis jussu (d) migravit : ubi dum multorum res injustè (e) competeret, villam quamdam, quam gloriosæ memoriæ Tetradius Episcopus Biturigensis basilicæ sancti Juliani reliquerat, sub specie obumbratæ commutationis avidus pervasit : sed mense tertio postquàm adgressus est, correptus à febre, et sine sensu effectus, declinavit caput ad lectulum. Cujus uxor dum de hoc exitu mœsta penderet, à

(a) Hæc fuit Caretene, quæ anno 506. obiit, conditaque est Lugduni in basilica S. Michaëlis, quam exstruxerat. Adi Valesium lib. 6. rer. Francic. pag. 288.

(b) Vide lib. 3. Hist. cap. 12.
(c) Id est *in presbyterio*.
(d) Vide lib. 3. Hist. cap. 13. et 16.
(e) *competeret*, id est, *invaderet*.

A quodam Sacerdote commonita est, ut eum, si videre vellet incolumem, auferret à villa. At illa hæc audiens, præparatis carrucis, compositoque plaustro, quo eum eveheret; mox ut prædium sunt egressi, protinus divina sunt pariter gratia munerati : nam iste sospitate, illa meruit ex hujus incolumitate lætitiam.

EX LIBRO GREGORII TURONENSIS,

De Gloria Confessorum.

B

IPse quoque Pontifex [Eufronius] cùm à multis crebriùs urgeretur, ut ad occursum Chariberti Regis deberet accedere, et innectens moras ire differret, tandem commotus à suis, ait : *Ite, præparate iter, ut eamus ad occursum Regis, quem visuri non sumus.* Igitur imponens plaustris necessaria, et caballis ad iter præparatis; jamque in hoc stante ratione ut deberet viam incedere, ait : *Revertantur plaustra, laxentur equi, non modò hoc iter incedimus.* Dicentibus autem suis quæ esset hæc levitas, ut quæ tam instanter parari jusserat, tam facilè deturbaret, ait secretiùs : *Princeps ad quem nos ire compellitis, obiit, nec viventem, si abierimus, inveniemus.* Stupefacti audientes, diem notant, C et sancti verba taciti servant. Advenientibus autem ab urbe (a) Parisiaca hominibus, ea hora Regem transiisse nuntiant, qua Sacerdos plaustra de itinere jusserat revocari. *cap.* 19. An. 567.

[Maximus *] ad castrum Cainonense urbis Turonicæ veniens, Monasterium (b) conlocavit. Quod castrum cùm ab Ægidio obsideretur, et populus pagi illius ibidem esset inclusus; hostis adversus effossum à latere montis puteum, quem obsessi ad usum habebant bibendi, obturat. Quod cùm antedictus Dei famulus, qui tunc cum reliquis infra castri munitionem conclusus erat, cerneret, videretque populum consumi sitis injuria, orationem nocte tota fudit ad Dominum..... Hæc eo dicente, nubes subitò texerunt cœlum, et descendit imber magnus de cœlo cum tonitruis et coruscationibus super castrum, duplum populis beneficium præbens, pluviâ D arcens sitim, fragoribus effugans hostem. Completaque sunt vasa omnium, et satiati sunt cuncti. Sicque obtentu Sacerdotis fugatis adversariis, populus salvatus à castro discessit. * *S. Meisme. cap.* 22. Circa an. 446.

Tempore igitur quodam cùm Franco Episcopus hujus municipii * [Aquensis] Ecclesiam gubernaret, Childericus, qui tunc primus apud Sigibertum Regem habebatur, villam ejus competit, dicens quia injustè ab Aquensi Ecclesia retineretur. Et dicto citiùs convenitur Episcopus : datisque fidejussoribus, in præsentia Regis adsistit clamans et obsecrans, ut Rex ab hujus causæ audientia præsentiam suam averteret, ne cœlesti judicio condemnetur, addens : *Scio enim virtutem Metriæ viri beati, quòd velociter in pervasorem suum inrogat ultionem.* Denique conjuncti auditores causam discutiunt. Insurgit Childericus, atque improperans criminibus exacerE vatum (c) Episcopum, quòd res fisci ditionibus debitas iniquo ordine retineret, extrahi eum vi à judicio jubet, et tentum, ablata per judicium præsentium villa, trecentis aureis condemnavit. * *Aix. cap.* 71. Circa an. 566.

Ferunt etiam in hac urbe [Augustodunensi] simulacrum fuisse Berecynthiæ, sicut sancti martyris Symphoriani passionis declarat (d) historia. Hanc cùm in carpento pro salvatione agrorum ac vinearum suarum misero gentilitatis more (e) deferrent, adfuit supradictus Simplicius Episcopus, haud procul adspiciens cantantes atque saltantes ante hoc simulacrum : gemitumque pro stultitia plebis ad Deum emittens, ait : *Illumina, quæso, Domine, oculos hujus populi, ut cognoscat quia simulacrum Berecynthiæ nihil est.* Et facto signo crucis contrà, protinùs simulacrum in ter- *cap.* 77. Circa an. 364.

(a) Ex hoc loco colligi potest Charibertum Parisiis defunctum, ibi quoque sepultum fuisse. Vereor quippe ne ii, qui cum auctore Gestorum Franc. ipsum apud Blavium Aquitaniæ castrum sepultum fuisse volunt, eum cum alio Chariberto, Dagoberti fratre, confundant. *Ruinartius.*

(b) Istud monasterium hodieque subsistit apud Cainonem, *Chinon*, sed in collegiatam Ecclesiam jampridem conversum. Cainonense castrum ab Ægidio oppugnatum, tunc temporis a Gothis occupatum fuisse putat Valesius rerum Franc. tom. 1. pag. 197. Aliter sentit doctissimus Abbas Dubos in Hist. Crit. Monarchiæ Francicæ lib. 2. cap. 14, vultque illud castrum ab Armoricorum partibus stetisse.

(c) Aliàs *exacerbatum.*

(d) Hanc dedit Ruinartius inter Acta Martyrum sincera.

(e) Simulacra deorum per agros circumferendi morem fuisse veterum Gallorum, observat Sulpicius Severus in Vita S. Martini.

ram ruit : ac defixa solo animalia, quæ plaustrum, quo hoc vehebatur, trahebant. A moveri non poterant. Stupet vulgus innumerum, et deam læsam omnis caterva conclamat : immolantur victimæ, animalia verberantur; sed moveri non possunt. Tunc quadringenti de illa stulta multitudine viri conjuncti simul, aiunt ad invicem : *Si virtus est ulla deitatis, erigatur sponte, jubeatque boves, qui telluri sunt stabiliti, procedere. Certè si moveri nequit, manifestum est nihil esse divinitatis in ea.* Tunc accedentes, et immolantes unum de pecoribus, cùm viderent Deam suam nullatenus posse moveri, relicto gentilitatis errore, inquisitoque Antistite loci, conversi ad unitatem Ecclesiæ, cognoscentes viri Dei magnitudinem, sancto sunt baptismate consecrati.

cap. 79. An. 546. Nec illud sileri placuit, quod illo gestum est tempore, cùm lues inguinaria popu- B lum primæ Germaniæ devastaret. Cùm autem omnes terrerentur hujus cladis auditu, concurrit Remensium populus ad Sancti * sepulcrum, congruum hujus causæ flagitare remedium. Accensis cereis lychnisque non paucis, hymnis psalmisque cœlestibus per totam excubat noctem. Mane autem facto, quid adhuc precatui desit, in tractatu rimatur. Reperiunt etenim, revelante Deo, qualiter oratione præmissa, adhuc majori propugnaculo urbis propugnacula munirentur. Adsumta igitur (a) palla de Beati sepulcro, componunt in modum feretri : accensisque super cruces cereis atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circumeunt urbem cum vicis. Nec prætereunt ullum hospitium, quod non hac circuitione concludant. Quid plura? non post multos dies fines hujus civitatis lues adgreditur memorata. Verumtamen usque C ad eum locum accedens, quò Beati pignus accessit, ac si constitutum cerneret terminum, intrò ingredi non modò non est ausa, sed etiam quæ in principio pervaserat, hujus virtutis repulsu reliquit.

* Remigii.

cap. 82. An. 531. Ad hunc ergo senem (b) Childebertus in Hispaniam abiens, venit : cùmque ei quinquaginta aureos obtulisset, ait senex : *Quid mihi ista profers? illis, qui ea pauperibus largiantur, adtribue; mihi autem hæc necessaria non sunt. Sufficit mihi ut pro meis peccatis Dominum merear deprecari.* Et adjecit : *Vade et victoriam obtinebis, et quod volueris ages.* Tunc Rex aurum pauperibus erogans, vovit ut, si eum Dominus cum sua gratia de itinere illo reduceret, in honore Dei basilicam in eo loco ædificaret, in qua senis membra quiescerent. Quod posteà adimplevit. D

cap. 88. Guntchramnus Rex cornu (c), cujus voce vel molossos colligere, vel illa corneorum arboreorum armenta effugare consueverat, furto ablatum perdidit. Quæ res multos in vincula conjecit, nonnullos facultate privavit. Ex quibus tres viri memorati Confessoris [Sequani] monumentum petierunt. Quo Rex comperto, jussit eos catenis atque compedibus necti. Factumque est ita. Media nocte verò lux in basilica humana luce clarior oritur : dissiliunt ferrearum pedestrium repagula, catenarumque disruptis baccis, vincti laxantur. Quo audito Rex exterritus, velociùs eos liberi arbitrii potestate donavit.

cap. 93. Tempore Theodoberti Regis Arboastes quidam Presbyter cum Franco quodam intendebat, Rege præsente. At dum hæc agerentur, Rex loca sancta urbis [Trevericæ], quæ sub urbis illius vicis habentur, causâ visitabat orationis. Cùm autem videret Rex E prosecutionem Presbyteri esse callidam, conversus ad eum, *Si vera sunt*, inquit, *quæ prosequeris, hoc super tumulum Maximini Antistitis sacramento confirma. Audeo*, ait, *hæc* Presbyter, *quæ præcipis adimplere.* Et statim ponens manus super sanctum sepulcrum, dixit : *Hujus sancti virtute opprimar, si aliquid falsi loquor de his, quæ prosecutione mea contra hunc Francum insisto.* Fremente autem barbaro, et quasi contra sanctum Dei furibundo, egressi sunt de basilica. Cùmque per viam pariter pergerent, subitò delapsus Presbyter solo pessumdedit, et mortuus est. Laudavitque deinceps barbarus virtutem sancti, cui priùs detraxerat.

cap. 95. Charimeris, qui nunc Referendarius Childeberti Regis habetur, dum de hoc [dentium] dolore laboraret, basilicam sancti [Medardi] expetiit, ut sumturus ex ligno, à virtute Sancti medicinam mereretur accipere.

(a) Non solùm superest illa palla, quæ in basilica Remigiana religiosè adservatur, vulgò S. Remigii Sudarium dicta; sed et perseverat illa pia consuetudo, eam *in modum feretri* compositam, cùm ingruit aliqua necessitas, per urbis compita deferendi. *Ruinartius.*

(b) Senex iste Eusicius primùm in monasterio Patriciaco vixit, tum in eremum secedens initium dedit monasterio celebri, quod hòdie ex ejus nomine Cella S. Eusicii, *Selles en Berry*, appellatur. Ejus mortis annus incertus est : senex erat anno 531. quo Childebertus bellum in Wisigotthos movit. *Ruinartius.*

(c) Reges cornibus in venationibus, in prælliis verò tubis semper usos fuisse observat Valesius in defensione sua contra Launoium, parte I.

EX LIBRO I. GREGORII TURONENSIS,

De Miraculis sancti Martini.

A EGidius quoque cùm obsideretur (a) ab hostibus, et excluso à se solatio, turbatus impugnaretur, per invocationem beati Viri fugatis hostibus liberatus est. Idque Dæmoniacus in medio basilicæ ipsa hora qua gestum fuerat, est professus S. Martini obtentu fuisse concessum. *cap.* 2. An. 459.

Ultrogotha (b) Regina, auditis miraculis, quæ ad locum fiunt, quo sancta membra quiescunt, tamquam si sapientiam Salomonis veniret audire, expetiit ea corde devoto prospicere. Abstinens ergo se à cibis et somno, præcurrentibus etiam largissimis eleemosynis, pervenit ad locum sanctum; ingressaque basilicam, timens et tremens, nequaquam audebat beatum adire sepulcrum, indignam se esse proclamans, nec ibidem posse, obsistentibus culpis, accedere. Tamen deducta in vigiliis et orationibus, ac profluis lacrymis una nocte, mane oblatis muneribus multis, in honorem beati *cap.* 12.

B Confessoris Missas expetiit revocari *. Quæ dum celebrarentur, subitò tres cæsi, qui ad pedes beati Antistitis longo tempore privati lumine residebant, fulgore nimio circumdati, lumen, quod olim perdiderant, receperunt..... Ad istud miraculum currit Regina, concurrit et populus etc. * *i.* celebrari.

Dignum existimavi et illud non omittere in relatu, quod Wiliacharium Presbyterum referentem audivi. Tempore quo idem Wiliacharius per perfidiam Chramni Chlotarium Regem iratum incurrerat, ad basilicam sancti Martini confugit, atque ibidem in catenis positus custodiebatur, sed virtute beati Præsulis comminutæ catenæ stare non potuerunt. Nescio autem qua imminente negligentia foris atrium comprehensus est. Quem oneratum ferro, vinctisque post tergum manibus, ducebant ad Regem. At ille voce magna clamare cœpit, et ut sibi beatus Martinus misereretur orare, nec eum sineret abire captivum, cujus devotus expetierat tem- *cap.* 23.

C plum. Statimque in ejus vocibus, orante beato Euphronio Episcopo de muro civitatis contra basilicam, dissolutæ sunt manus ejus, et omnes baccæ catenarum confractæ ceciderunt. Perductus autem usque ad Regem, ibi iterùm in compedibus et catenis constrictus retinebatur. Sed invocato nomine sæpe dicti patroni, ita omne ferrum super eum comminutum est, ut putares illud fuisse quasi lutum figuli. Hoc tantùm erat in spatiis, ut non solveretur à vinculo, quoadusque nomen illud sacratissimum invocasset : invocato autem omnia solvebantur. Tunc Rex altioris ingenii, videns virtutem sancti Martini ibidem operari, et ab onere vinculorum absolvit eum, et pristinæ restituit libertati. Hæc ab ipsius Wiliacharii Presbyteri ore coram multis testibus factum esse cognovi.

Charigisilus Referendarius Regis Chlotarii, cui manus et pedes ab humore contracti *cap.* 25.

D erant, venit ad sanctam basilicam, et orationi incumbens per duos aut tres menses, à beato Antistite visitatus, membris debilibus sanitatem obtinere promeruit : qui posteà antedicti Regis domesticus (c) fuit, multaque beneficia populo Turonico, vel servientibus beatæ basilicæ ministravit.

Charibertus Rex, cùm exosis Clericis, Ecclesias Dei negligeret, despectisque Sacerdotibus, magis in luxuriam declinasset, ingestum est ejus auribus, locum quemdam, quem basilica sancti Martini diuturno tempore retinebat, fisci sui juribus redhiberi. Loco autem illi Navicellis (d) nomen prisca vetustas indiderat. *cap.* 29.

(a) Quænam sit urbs illa, in qua Ægidius à Visigothis obsidebatur, discimus ex Paulino Petrocorio de Vita S. Martini lib. 6. Licèt enim illam non nominet, quidquid de ea narrat, nulli alteri urbi quàm Arelatensi, convenire potest.

Illustrem virtute virum, sed moribus almis
Plus clarum, magnumque fide qua celsior extat
Ægidium, hostilis vallaverat agmine multo
Obsidio, objectis quæ mœnia sepserat armis
Auxilia excludens. . . . . .
Verùm præsidio Domini dejecta fugantur
Millia. . . . . .
Haud alio penitusque ipso rerum ordine venit
Nuntius, illam urbem tanta obsidione solutam,
Præcipitem Rhodanum molli quæ ponte subegit,
Et junxit geminas connexo tramite ripas,
Ut siccum præberet iter quod puppibus instans
Desuper, et presso nutans via pendet in amne.

(b) Hæc fuit Childeberti I. uxor, de qua et duabus ejus filiabus Gregorius lib. 4. Hist. cap. 20. et Fortunatus lib. 6. carm. 8. Sepulta est in S. Germani à Pratis monasterii basilica. Eam inter sanctas Reginas laudat auctor Vitæ S. Balthildis, his verbis : *de Ultrogotha fertur Regina, Childeberti videlicet Christianissimi Regis conjuge, eò quòd nutrix esset orphanorum, consolatrix pupillorum, sustentatrix pauperum et Dei servorum, atque adjutrix fidelium Monachorum.* Ruinartius.

(c) Ex hoc loco probat Labbeus in Miscellaneis historicis, Domestici et Referendarii dignitates omnino diversas fuisse. *Idem.*

(d) Locus est ad Siceram, *la Cisse*, fluvium,

Qui accepto iniquo consilio, pueros velociter misit, qui reiculam illam in suo dominio subjugarent. Cùmque hæc rectè non possidens, videretur habere, jussit in locum illum stabularios cum equitibus * dirigi, ibique sine æquitatis ordine præcepit equos ali. Accedentes ergo pueri fœnum quod coacervatum fuerat, accipiunt in equorum expensas. Cùmque injunctum studiosè ageretur servitium, atque equites appositum fœnum cœpissent expendere, corripiuntur à rabie. Et frementes ad invicem, disruptis loris, per plana prosiliunt, et in fugam vertuntur; et sic malè dispersi, alii excæcantur *, alii rupibus præcipitantur, alii se sepibus ingerentes, palorum acuminibus ultrò transfodiuntur. Tandem stabularii iram Dei intelligentes, paucos extra terminum loci, quos assequi potuerunt, expellunt, sanosque recipiunt, nuntiantes Regi rem illam injustissimè retineri. Et ideò hæc cùm fuissent perpessi, dixerunt : *Dimitte eam, et erit pax tibi*. Qui furore repletus sic dixisse fertur : *Sive justè, sive injustè reddi debeat, regnante me, hanc basilica non habebit*. Qui protinùs divina jussione transitum accipiens requievit. Adveniente autem gloriosissimo Sigiberto Rege in ejus regnum, ad suggestionem beati Eufronii Episcopi hoc in dominio sancti Martini restituit, quod usque hodie ab ejus basilica possidetur.

* *id est* equis.

* *al.* exnecantur.

cap. 32. Anno CLXIII. post assumtionem sancti ac prædicabilis viri B. Martini Antistitis, regente Ecclesiam Turonicam S. Eufronio Episcopo anno septimo, secundo (a) anno Sigeberti gloriosissimi Regis, irrui in valetudinem cum pustulis malis et febre.

EX LIBRO II.

cap. 1. Anno CLXXII. post transitum B. Martini Antistitis, Sigiberto gloriosissimo Rege xii (b). anno regnante, post excessum S. Eufronii Episcopi..... onus Episcopatûs indignus accepi.

cap. 7. An. 574. Tres virtutes istas ipsa die factas fuisse constat, qua (c) Sigibertus gloriosissimus Rex Sequanam transiens, sine collisione exercitûs pacem cum fratribus fecit.

EX LIBRO III.

cap. 8. An. 582. Eo tempore, quo talia apud urbem Turonicam gerebantur, legati de Hispaniis; id est Florentius et Exsuperius, ad Chilpericum (d) Regem veniebant.

cap. 34. Superiore quoque anno gravissimè populus Turonorum à lue valetudinaria vastabatur. Erat enim talis languor, ut adprehensus homo à febre valida, totus vesicis ac minutis pustulis scateret. Erant autem vesicæ albæ cum duritia, nullam habentes mollitiem, nisi tantùm dolorem nimium inferentes. Jam si data maturitate, crepitantes cœpissent defluere, tunc adhærentibus corpori vestimentis, dolor validiùs augebatur : in qua ægritudine nihil medicorum poterat ars valere.

EX LIBRO IV.

cap. 26. Fuerat nobis causa quædam Childeberti Regis adire præsentiam. Pergentibus quoque nobis, iter per pagum Remensem aggressi sumus, reperimusque hominem quemdam, qui nobis relatu suo patefactum carcerem hujus urbis... Martini virtute dicebat..... Sed cùm nos ad Regem accedentes, virtutis hujus diffamaremus miraculum, affirmavit Rex, quosdam ex his, qui absoluti fuerant, ad se venisse, atque compositionem fisco debitam, quam illi fredum (e) vocant, à se fuisse reis indultam. Hoc autem factum est ante quatuor festivitatis dies, in anno memorati Regis sextodecimo.

An. 591.

cap. 28. Nobis quoque cum Rege morantibus, Claudius quidam ex Cancellariis (f) regalibus à febre corripitur.

vulgò dictus *Nazelles*.

(a) Annus Sigeberti Regis secundus est æræ vulgaris 563. et juxta hunc calculum annus 400. fuit B. Martini extremus : nulla quippe est, ut notat Ruinartius, in editis aut scriptis hoc loco lectionis varietas. Hinc Pagius in peculiari Dissertatione probare nititur hujus sancti Antistitis mortem contigisse die 11. mensis Novembris anni 400.

(b) Cùm Pagius S. Martini mortem collocet in anno Chr. 400. et Sigebertus exeunte anno 561. regnare cœperit, annus à morte S. Martini 172. componi non potest cum anno Sigeberti XII. Hinc Pagius corrigendum censet *XI. anno*, atque Gregorium arbitratur Episcopum Turonensem creatum anno 572. Ipse quidem Gregorius in fine suæ Historiæ (suprà pag. 390.) annum suæ ordinationis vicesimumprimum componit cum anno quinto Gregorii Papæ, qui est Christi 595. atque ideò Gregorii Turon. ordinatio referenda esset ad an. 574. Verùm Gregorii textum mendosum putat Pagius, et loco V. reponendum II. qui Librariorum error sæpe in libris occurrit, numero II. in numerum V. facilè transeunt. Vide Pagium ad an. 574. num. 17.

(c) Vide Hist. lib. 4. cap. 50.

(d) Vide lib. 6. Hist. cap. 18.

(e) Hujus vocis significatio satis hîc exponitur, quam à voce Germanica *frid*, quæ pacem sonat, derivatam volunt.

(f) Ex hoc Gregorii loco patet tunc complures fuisse Cancellarios : unde posteà invectum est Archicancellarii nomen ; quam dignitatem Remorum Archiepiscopus diu obtinuit in Francia.

MONITUM

IN FORTUNATUM PICTAVIENSEM EPISCOPUM.

QUA in regione natus sit Fortunatus, ubi nutritus atque educatus fuerit, quibus scientiis operam dederit, qua de causa relicto natali solo in Galliam venerit, ubi Presbyter, ac posteà Episcopus ordinatus fuerit, ubi demùm supremum diem obierit, discimus ex Paulo Diacono in Gestis Langobardorum lib. 2. *cap.* 9. Fortunatus, *inquit,* ortus quidem in loco, qui Duplabilis (a) dicitur, fuit; qui locus haud longè à Cenitensi castro vel Tarvisana distat civitate : sed tamen Ravennæ nutritus, et doctus in arte Grammatica, Rhetorica, metrica clarissimus exstitit. Is cùm oculorum dolorem vehementissimum pateretur, et similiter Felix socius ejus eorumdem dolore laboraret, utrique ad basilicam beatorum Pauli atque Johannis, quæ intra eamdem urbem sita est, perrexere : in qua etiam altarium in honore B. Martini Confessoris constructum propinquam habet fenestram, in qua lucerna ad exhibendum lumen est constituta. De cujus oleo postquàm fratres isti, Fortunatus scilicet et Felix, dolentes oculos tetigerunt, illicò dolore fugato, sanitatem quam optabant adepti sunt. Qua de causa Fortunatus in tantùm B. Martinum veneratus est, ut relicta patria paulò antequàm Langobardi Italiam invaderent, ipsius sanctissimas reliquias in Gallia sitas visitare decreverit..... Postquàm Turonos juxta votum proprium pervenit, Pictavos pertransiens, illic habitavit; et multorum ibidem Sanctorum gesta partim prosa, partim metrica oratione conscripsit. Novissimèque in eadem civitate primùm Presbyter, deinde Episcopus ordinatus est, atque in eodem loco digno tumulatus honore quiescit. *Circa annum* 562. *in Franciam Fortunatus venisse creditur, regnante Sigiberto in Austrasia, qui eum benignè suscepit. Sigoaldus quippe à Rege Fortunatum quacumque ducere peregrinum, eique commeatus expedire, et præbere cuncta munificè jussus est. Præstantium virorum, Regum, Ducum, Comitum, Episcoporum, quos suis carminibus celebravit, sibi amicitiam conciliavit. Si Paulum audimus,* nulli Poëtarum secundus *erat; ejus carmina si legimus, aliter sentimus. Jam ætate provectus ad Episcopatum Pictaviensem assumtus est circa an.* 599. *Frustrà sunt qui objiciunt eum à Gregorio Turonensi semper Presbyterum vocari, nusquam Episcopum; et in ejus Operibus, quæ satis multa exstant, titulum Episcopi desiderari : nam Gregorius vivere priùs desiit, quàm Fortunatus ad Episcopatum promoveretur; et Fortunati opera scripta sunt antequàm ipse Episcopus fieret. Hæc edidit atque notis illustravit Christophorus Brovverus Societatis Jesu Presbyter, Moguntiæ in* 4°. *anno* 1603. *Vulgata quoque sunt Lugduni in Maxima Bibliotheca Veterum Patrum Tomo* 10. *pag.* 528. *Hanc postremam Editionem sequimur.*

(a) Aliàs *Duplavelis* seu *Duplavenis*, vicus ad amnem Plavim inter Tarvisium et Cenetam Rheginoni memoratus Chron. lib. 1. et ipsi Fortunato, cujus erat patria, l. 4. de Vita S. Martini. Hunc locum Cluverius fuisse autumat in edito colle ad lævam amnis ripam, ubi nunc vulgari appellatione vicus *S. Salvadore*.

VENANTII

HONORII CLEMENTIANI

FORTUNATI,

PRESBYTERI ITALICI

EPISCOPI PICTAVIENSIS,

CARMINA (a) HISTORICA

De Regibus Francorum, Reginis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, et aliis illustribus sui sæculi viris.

EX LIBRO PRIMO.

De Leontio (b) *Episcopo.*

CARM. XV. INTER quos genuit radians Aquitanicus (c) axis,
Egregiis meritis culmina prima tenes.
Civibus ex Gallis supereminet alta potestas,
Tu potior reliquis, et tibi nemo prior.
Præcedis multos, nulli minor, atque secundus,
Nec superest aliquid quod dare possit honor.
Qui, cùm se primùm vestivit flore juventus,
Parvus eras annis, et gravitate senex.
Versus ad Hispanas acies cum Rege sereno
Militiæ crevit palma secunda tuæ.
Cujus primitiæ tanto placuere relatu,
Ut meritis esset debitus iste gradus.
Nec poterant subitò tibi culmina celsa parari,
Hæc nisi digna tuum promeruisset opus.
Nobilitate potens præcellis, Papa Leonti,
Clarus ab antiquis, si numerentur avi.
Nam genus, et proavi, vel quidquid in ordine dicam,
Per Proceres celsos currit origo vetus.
Tempora diffugiunt, et stat tamen aula parentum,
Nec patitur lapsum, te reparante, domus.
Nobilitas longos non inclinavit in annos,
Cui magis assensum proles opima dedit.
Inclyta progenies ornavit luce priores,
Heredis radio splendet origo patrum.
De radice sua vestita est flore vetustas,
Quam meritò vestræ laudis obumbrat honor.

(a) Hæc carmina ediderat Chesnius T. 1. Script. Franc. pag. 460. Quædam addidimus, quæ omiserat.

(b) Is fuit Burdigalensis Episcopus, de quo Gregorius lib. 4. cap. 26. et ipse Fortunatus lib. 4. carm. 10. Leontius uxorem duxerat Placidinam Arcadii filiam : qui Arcadius filius erat Apollinaris, Sidonii Apollinaris nepos.

(c) Editio Broweri, *Aquitania saxis.*

Quamvis

A Quamvis non aliquis potior modò possit haberi,
Tu tibi præcedis, amplificando patres.
Emicat altus apex generosa stemmata pandens,
Cujus apud Reges unica palma patet.
Ecclesiæ nunc jura regis, venerande Sacerdos,
Altera nobilitas additur inde tibi.
Pontificalis apex quamvis sit celsus in urbe,
Postquàm te meruit, crevit adeptus honor.
Aula Dei et Pastor vicibus sibi præmia reddunt :
B Illi tu ornatum, spem dedit illa tibi.
Munere divino pariter floretis utrique :
Tu mercede places, illa decore nitet.
Tertius à decimo huic urbi Antistes haberis,
Sed primus meritis enumerandus eris.
Templa vetusta Dei revocasti in culmine prisco,
Postque suum lapsum nunc meliora placent.
Flore juventutis senio fugiente coruscant,
Et tibi læta favent, quo renovante virent.
Ut tu plus ageres, incendia tecta cremarunt,
C Et nunc laude tua pulchriùs illa micant.
Nullaque flammicremæ senserunt damna ruinæ,
Quæ modò post ignes lumine plena nitent.
Credo quòd ex sese voluissent ipsa cremari,
Ut labor ille tuus hæc meliora daret.
Post cineres consumpta suos, tenuesque favillas,
Sic solet et Phœnix se renovare senex.
Instaurata (a) etiam sacri est baptismatis aula,
Quo maculas veteres fons lavat unus aquis.
Ecce beata sacræ fundasti Templa Mariæ,
Nox ubi victa fugit semper habendo diem.
D Lumine plena micans imitata est aula Mariam,
Illa utero lucem clausit, et ista diem.
Nec solùm hîc, sed ubique micant tua Templa, Sacerdos,
Inter quæ plaudens Sanctonus illa docet.
Cui loca das populis, ubi Christum jugiter orent,
Unde salus veniat, te * facis esse viam. * *al.* tu.
Ecclesiæque domus crescente cacumine pollet,
Et probat esse tuum, quòd modò culta placet.
Fecisti ut libeat cunctos hîc currere cives,
Et domus una vocet quidquid in urbe manet.
Ornasti patriam, cui dona perennia præstas,
Tu quoque dicendus Burdegalense decus.
E Quantùm inter reliquas caput hæc super extulit urbes,
Tantùm Pontifices vincis honore gradûs.
Inferiora velut sunt flumina cuncta Garumnæ,
Non aliter vobis subjacet omnis apex.
Rhenus ab Alpe means, neque tantis spumat habenis *, * *al.* arenis.
Fortior Hadriacas nec Padus intrat aquas.
Danubius par est, qui longiùs egerat undas.
Hæc ego transcendi : judico nota mihi.
Muneribusque piis dotasti altaria Christi,
Cùm tua vasa ferunt viscera sancta Dei.
Nam cruor et corpus, Domini libamina summi,
Ritè ministerium * te tribuente, venit. * *al.* minis-
O felix, cujus ditat pia Templa facultas, terio.
Cui res ista magis non peritura manet.
Non ærugo teret mordaci dente talentum,
Nec contra hæc fures arma dolosa movent.

(a) Baptisteria prisco Christianorum usu fermè seorsim à Basilicis exstructa fuisse, notat Browerus in hunc locum.

Et data res vivit, facit et bene vivere dantem, A
Cùm moritur terris, ducitur inde polis.
Hæc possessor habet, quidquid transmiserit antè,
Sola tenet secum quæ priùs ire facit.
Hæc tibi Templa dabunt et vasa sacrata, Sacerdos,
Et quidquid reliquum nec numerare queo.
Ecclesiæ culmen per tempora longa gubernes;
Et mercede pia fructus ubique mices.
Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc conjux est modò chara soror.
Lumen ab (a) Arcadio veniens genitore refulget,
Quo manet Augustum germen, Avite (b), tuum :
Imperii fasces * toto qui rexit in orbe, * *al.* fastus.
Cujus adhuc pollens jura Senatus habet. B
Humani generis si culmina prima requiras,
Semine Cæsareo nil superesse potest.
Sed genus ipsa suum sensûs moderamine vicit,
Cujus ab eloquio dulcia mella fluunt.
Chara, serena, decens, solers, pia, mitis, opima,
Quæ bona cuncta gerit, quidquid honore placet.
Moribus, ingenio, meritorum luce coruscans,
Ornavit sexum mens preciosa suum.
Plurima cur referam, quantis sit prædita rebus,
Quæ potuit votis nupta placere tuis?
Augeat hæc vobis vitam, cui Templa dedistis,
Culminibusque suis culmina vestra tegat.

C

Ad Placidinam matrem (c) *Leontii Episcopi.*

XVII. Munera parva nimis pia suscipe, quæso, libenter,
Quæ magis ipsa decens munus in orbe micas.
Fluctibus è mediis hæc ut daret Insula vobis,
Oceanus tumidis murmure præstat aquis.
Quæ loca dum volui properans agnoscere, Ponti
A Borea veniens reppulit unda furens.
Prosperitas ut vestra tamen se plena probaret,
Obtulit in terris quod peteretur aquis.

De Bissonno villa Burdegalensi.

D

XVIII. Est locus, æstifero quamvis sit tempore fervor,
Quò viret assiduo flore refectus ager.
Respirant croceis depicta coloribus arva,
Flagrat odoriferis blandior herba comis.
Incola Bissonum vocat hunc de nomine prisco ;
Millia septem urbs hinc Burdegalensis abest.
Quò possessor amans prætoria (d) grata locavit,
Partibus atque tribus porticus æqua subit.
Straverat ipsa solo senio rapiente vetustas,
Perdiderat vultum forma decora suum.
Hunc meliore via revocat labor ille Leonti,
Quo præsente domus nulla ruina premit.
Nunc quoque prosperiùs velut aula sepulta resurgit,
Et favet auctori vivificata suo.
Reddidit intereà prisco nova balnea cultu,
Quò recreant fessos blanda lavacra viros.

(a) Arcadii pater Apollinaris, Sidonii filius. De Arcadio meminit Gregorius Turonensis lib. 3. cap. 12.

(b) Apollinaris Sidonius, Arcadii avus, Papianillam Aviti Imper. filiam uxorem duxerat.

(c) In cod. ms. S. Galli deest *matrem*.

(d) Prætoria accipit magnificas et amplas domos ruri et in agris mirifico olim luxu à Romanis exstrui solitas : quo in genere Suetonius cap. 37. Caligulæ insaniam notavit. *Browerus*.

A Hîc referunt nutrisse lupos deserta tenentes,
Intulit hic homines, expulit unde feras.

De Vereginis villa Burdegalensi.

XIX. Inter opima ferax, quà volvitur unda Garumnæ,
Vereginis ripis vernat amœnus ager.
Hîc brevis ascensus leni subit aggere clivum,
Carpit et obliqua mole viator iter.
Altior à planis arvis minor eminet altis,
Necve humilis nimiùm, necve superbit apex.
Colle sedet medio domus ædificata decenter,
B Cujus utrumque latus hinc jacet, inde tumet.
Machina celsa casæ triplici suspenditur arcu,
Quò pelagi pictas currere credis aquas.
Exilit unda latens vivo generata metallo,
Dulcis et irriguo fonte perennis aquæ.
Quò super accumbens celebrat convivia pastor,
Inclusoque lacu pisce natante bibit.
Nunc renovanda venit Papæ mercede Leonti,
Quem Dominum longo tempore culta cupit.

De Præmiaco villa Burdegalensi.

C XX. Quamvis instet iter, * retraharque volumine curæ, * *al.* retrahat.
Ad te pauca ferens carmina flecto viam.
Captus amore tui numquam memoranda tacebo,
Te neque prætereo prætereundo locum.
Qui cùm digna loquar, si syllaba quarta recedat,
Præmiacum pollens præmia nomen habes.
Delitiis obsessus ager, viridantibus arvis,
Et naturalis gratia ruris inest.
Condita quò domus est, planus tumor exit in altum,
Nec satis elato vertice regnat apex.
Qua super incumbens locus est devexus in amnem,
Florea gemmato gramine prata virent.
D Leniter appulsus quoties insibilat Eurus,
Flexa supinatis fluctuat herba comis.
Hinc alia de parte seges flavescit aristis,
Pinguis et altricem palmes opacat humum.
Piscibus innumeris non deficit unda Garumnæ,
Et si desit agris fruges, abundat aquis.
Sed te quærebant hæc munera tanta, Leonti :
Solus defueras, qui bona plena dares.
Nam quòd pulcra domus, quòd grata lavacra nitescunt,
Consolidatorem te cecinere suum.
Ut tamen acquirant et adhuc fabricanda decorem,
Temporibus longis hæc tua dona regas.

E

De Ægircio (a) *flumine.*

XXI. Laus tibi fortè minor fuerat, generose Garomna,
Si non exiguas alter haberet aquas.
Lubricat hic quoniam tenuato Ægircius haustu,
Præfert divitias paupere fonte tuas.
Denique dissimilem si comparet ullus utrumque,
Hic ubi fit rivus, tu, puto, Nilus eris.
Te famulans intrat, sed hunc tua regna refrænant :
Gallicus Euphrates tu fluis, ille latet.

(a) Ægircius, vulgò *le Gers*, aut potiùs *l'Egers*, Auscorum caput alluit, et apud Aginnum in Garumnam effluit.

Nam quantùm Oceanum tumidus tu cursibus auges, A
Iste tuas tantùm crescere præstat aquas.
Torrida præsertim cùm terris incubat æstas,
Ac sitiente solo tristis anhelat ager.
Cùm Titan radiis ferventibus exarat arva,
Et calor ignifero vomere findit humum;
Languidus arentes fugiens vix explicat undas,
Et cum pisce suo palpitat ipse simul.
Flumine subducto vacuatas * lambit arenas, * *al.* vacuatus.
Sedibus in propriis exul oberrat aquis.
In limo migrante lacu consumitur amnis, B
Terraque fit sterilis, quò fuit unda rapax.
Deficiunt usto * solatia cuncta rigore, * *al.* vasto.
Nomine cum proprio tristis et æger eget.
Fortè viator iter gradiens non invenit haustus,
Unde alios recreet, qui sitit ipse sibi.
Se cupit infundi fluvius, si (a) porrigis undas,
Si tamen est fluvius quem madefactat homo.
Gurgitis impressas labens * rota signat arenas; * *al.* lambens.
Atque resudantes orbita sistit aquas.
Si venias equitando, viam sub tempore cancri C
Vix tamen insidians * ungula mergit equi. * *fortè* insiliens, *vel* incedens.
Vidimus exiguum de limo surgere piscem,
Qui retinente luto naufragus errat humo.
Nec fluvius, nec campus adest, nec terra, nec unda :
Piscibus (b) inhabilem nullus arare potest.
Sola palude natans querulos dat rana susurros,
Piscibus exclusis, advena regnat aquis.
At si fortè fluat tenuis de nubibus imber;
Vix pluit in terris, jam tumet iste minax.
Ingentes animos parva de nube resumit;
Fit subitò pelagus, qui fuit antè lacus.
Turbidus incedens undis eget ipse lavari, D
Semper inæqualis, cui nihil aut satis est.
Non ripis contentus, agit compendia cursûs,
Quod de monte bibit, per sata plena vomit.
Vertice torrenti rapitur, quasi morte tyranni
Indignatus iter, munera vastat agri.
Discurrit seges in fluvium, stat * piscis in agro, * Sed.
Ordine perverso messe natante jacet.
Quæ fuerant ovibus, donantur pascua ranis :
Prata tenent pisces, et trahit unda pecus. E
Obtinet expulsus (c) stabulum campestre silurus,
Plus capitur terris, quàm modò piscis aquis.
Sarcula quos foderent agros, mala retia miscent;
Figitur hîc hamus, quò stetit antè palus.
Sors una est piscis, siccent, aut flumina crescant;
Nunc residet limo, nunc jacet exul agro.
Sed cur triste diu loquimur de gurgite parvo?
Uritur et verbis, nec recreatur aquis.
Sufficiat flagrare sibi, cur addo vapores?
Atque bis æstivum crescere tempus ago?
Unica sed tandem damus hæc solatia laudis,
Quòd tribuit pisces, evacuatus aquis.

(a) **Broweri** editio, *si porrigit... qui madefactat humum.*
(b) Ibid. *Piscibus in mediis.*
(c) Ibid. *Expulsos... siluros.*

A

EX LIBRO SECUNDO.

De Launebode Duce, qui ædificavit Templum sancti Saturnini.

CARM. IX.

LAudibus humanis reliquorum corda resultent,
At mihi de justis commemorare vacet.
Nam pietatis opus victores texere libris,
Admonet ingenium res ratione duplex.
B Una, quòd est habilis, de magnis magna fateri,
Nam bona qui reticet, criminis auctor erit.
Altera causa monet, quoniam successus * amatur,
Et meliora capit qui sua facta legit.
Saturninus enim Martyr venerabilis orbi,
Nec latet egregii palma beata viri.
Qui cùm Romana properasset ab urbe Tolosam,
Et pia Christicoli semina ferret agri:
Tunc vesana cohors Domini comprendit amicum,
Instituitque pii membra terenda trahi.
C Implicitus tauri pede posteriore pependit,
Tractus in obliquum dilaceratus obit.
Hac ope de terris animam transmisit Olympo.
O felix, cujus funere mors moritur.
Sed locus ille quidem, quo Sanctus vincula sumpsit,
Nullius Templi fultus honore fuit.
Launebodes enim, post secula longa, Ducatum
Dum gerit, instruxit culmina sancta loci.
Quod nullus veniens Romana gente fabrivit,
Hoc vir barbarica (a) prole peregit opus,
D Conjuge cum propria (b) Berethrude clara decore,
Pectore quæ blando clarior ipsa nitet.
Cui genus egregium fulget de stirpe potentum,
Addidit ornatum vir, venerando Deum.
Quæ manibus propriis alimonia digna ministrat,
Pauperibus tribuens, se satiare cupit.
Indefessa fidem * Christi per Templa requirit,
Jugiter excurrens ad pietatis opus.
Nudos veste tegit, sitienti pocula profert.
Se magis æterno femina fonte replet.
E Proficit hoc etiam. quidquid gerit illa, marito,
Anxia pro cujus vota salute facit.
Dux meritis in gente sua qui pollet opimis,
Celsus ubique micans nobilitatis ope.
Sed quamvis altum teneat de stirpe cacumen,
Moribus ipse suos amplificavit avos.
Ergo pari voto maneant in secula juncti,
Et micet ambobus consolidatus amor.

* succensus. amore.

* *al.* spem.

Ad Clerum Parisiacum.

X. Cœtus honorifici decus et gradus ordinis ampli,
Quos colo corde, fide, relligione patres:
Jamdudum obliti desueto carmine plectri,
Cogitis antiquam me renovare lyram.
En stupidis digitis stimulatis tangere chordas,
Cùm mihi non solito currat in arte manus.

(a) Jam suprà observavimus, nomen illud, *Barbarus*, nomen fuisse honoris, non contumeliæ; eumque, qui Romanus non erat, vocari Barbarum.

(b) Beretrudis meminit Gregorius lib. 9. c. 35.

Scabrida nunc resonat mea lingua rubigine verba, A
Exit (a) et incompto raucus ab ore fragor.
Vix dabit in veteri ferrugine cotis acumen,
Aut fumo infecto splendet in ære color.
Sed quia dulcedo pulsans quasi malleus instat,
Et velut incude cura (b) relisa terit :
Pectoris atque mei succenditis igne caminum,
Unde ministratur cordis in arce vapor :
Obsequor hinc, quia me veluti fornace recocto,
Artis ad officium vester adegit amor.
Celsa Parisiaci Cleri reverentia pollens,
Ecclesiæ genium, gloria, munus, honor.
Carmine Davidico divina poëmata pangens, B
Cursibus assiduis dulce revolvit opus.
Inde Sacerdotes, Leviticus hinc micat ordo :
Illos canicies, hos stola pulchra tegit.
Illis pallor inest, rubor his in vultibus errat,
Et candent rutilis lilia mixta rosis.
Illi jam senio, sed et hi (c) bene vestibus albent,
Ut placeat summo picta corona Deo.
In medio Germanus adest Antistes honore,
Qui regit hinc juvenes, subrigit inde senes.
Levitæ præeunt, sequitur gravis ordo canentum (d) :
Hos gradiendo movet, hos moderando trahit.
Ipse tamen sensim incedit, velut alter Aaron, C
Non de veste nitens, sed pietate placens.
Non lapides, coccus, cidarim, aurum, purpura, byssus,
Exornant humeros, sed micat alma fides.
Iste satis melior veteri quàm lege Sacerdos,
Hic quia vera colit quod priùs umbra fuit.
Magna futura putans, præsentia cuncta refellens,
Anteà carne carens, quàm caro fine ruens.
Sollicitus quemquam ne devoret ira luporum,
Colligit ad caulas Pastor opimus oves.
Assiduis monitis ad pascua falsa vocatus,
Grex vocem agnoscens currit amore sequax.
Miles ad arma celer, signum mox tinnit in aures, D
Erigit excusso membra sopora toro.
Advolat ante alios, mysteria sacra requirens,
Undique quisque suo Templa petenda loco,
Flagranti studio populum domus irrigat omnem,
Certatimque monent quis prior ire valet.
Pervigiles noctes ad prima crepuscula jungens,
Construit angelicos turba verenda choros.
Gressibus exertis in opus venerabile constans,
Vim factura polo cantibus arma movet.
Stamina Psalterii lyrico modulamine texens,
Versibus orditum carmen amore trahit.
Hinc puer exiguis attemperat organa cannis,
Inde senex largam ructat ab ore tubam. E
Cymbalicæ voces calamis miscentur acutis,
Disparibusque tropis fistula dulce sonat.
Tympana rauca senum puerilis tibia mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.
Leniter iste trahit modulus, rapit alacer ille,
Sexûs et ætatis sic variatur opus.
Triticeas fruges fervens terit area Christi,
Horrea quandoquidem construitura Dei.

(a) Malè apud Browerum, *Excitat.*
(b) Ibid. *incudem cura relapsa.*
(c) Ibid. *tamen hi.*
(d) Aliàs *ducatum.*

A Voce Creatoris reminiscens esse beatos,
Quos Dominus vigiles, dum redit ipse, videt.
In quorum meritis, animo, virtute, fideque,
Tegmine corporeo lumina quanta latent?
Pontificis monitis Clerus, plebs psallit, et infans,
Unde labore brevi fruge replendus erit.
Sub duce Germano felix exercitus hic est.
Moses tende manus, et tua castra juva.

De Ecclesia Parisiaca.

B XI. Si Salomoniaci memoretur machina Templi,
Arte licèt par sit, pulchrior ista fide.
Nam quæcumque illic veteris velamine legis
Clausa fuere priùs, hîc reserata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo,
Clariùs hæc Christi sanguine tincta nitet.
Illa aurum, lapides, ornarunt cedrina ligna,
Huic venerabilior de cruce fulget honor.
Constitit illa vetus ruituro structa talento,
Hæc precio mundi stat solidata domus.
Splendida marmoreis attollitur aula columnis,
C Et quia pura manet, gratia major inest.
Prima capit radios vitreis oculata fenestris,
Artificisque manus * clausit in arce diem.
Cursibus auroræ vaga lux laquearia complet,
Atque suis radiis et sine sole micat.
Hæc priùs egregio Rex Childebertus amore
Dona suo populo non moritura dedit.
Totus in affectu divini cultûs adhærens,
Ecclesiæ juges amplificavit opes.
Melchisedech noster meritò Rex atque Sacerdos,
Complevit laïcus relligionis opus.
D Publica jura regens, et celsa Palatia servans,
Unica Pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens, illic meritorum vivit honore,
Hîc quoque gestorum laude perennis erit.

* *al.* manu.

De Baptisterio Maguntiæ.

XII. Ardua sacrati baptismatis aula coruscat,
Quo delicta Adæ Christus in amne lavat.
Hîc pastore Deo puris grex mergitur undis,
Ne maculata diu vellera gestet ovis.
Traxit origo necem de semine, sed Pater orbis
E Purgavit medicis crimina mortis aquis.
Hanc tamen Antistes Sidonius (a) extulit arcem,
Qui Domini cultum Templa novando fovet.
Struxit Berthoaræ voto complente Sacerdos,
Quæ decus Ecclesiæ cordis amore placet.
Catholicæ fidei splendor, pietate coruscans,
Templorum cultrix, prodiga pauperibus.
Seminat unde metat, fruges spargendo recondens,
Terrenis opibus non moritura parat.
Filia digna, patri te, Theodeberte, reformans,
Rexisti patriam qui pietate patris.
Et comitante fide revocasti ex hoste triumphos,
Sed capti precio mox rediere tuo.

(a) Sidonius Maguntiacensis Episcopus Baptisterium exstruxit, Berthoaræ filiæ Theodeberti Regis liberalitate et munificentia adjutus.

Ecclesiæ fultor, laus regni *, Pastor egentum, A
Cura Sacerdotum, promptus ad omne bonum.
Cujus dulce jugum nullus gemuisse fatetur,
Vivis adhuc meritis Rex in amore tuis.

* *al.* Regum.

EX LIBRO TERTIO,

*Ad Felicem Episcopum * ex nomine suo.*

* Namneticum.

CARM. V. FIda salus patriæ (a) Felix spe, nomine, corde, B
Ordo Sacerdotum, quo radiante, micat.
Restituis terris quod publica jura petebant,
Temporibus nostris gaudia prisca ferens.
Vox Procerum, lumen generis, defensio plebis,
Naufragium prohibes hîc ubi portus ades.
Auctor Apostolicus, qui jura (b) Britannica vincens,
Tutus in adversis, spe crucis, arma fugas.
Vive decus patriæ, fidei lux, auctor honoris,
Splendor Pontificum, noster et orbis amor.

Ad eumdem de dedicatione Ecclesiæ suæ. C

VI. Cum Salomon coleret generosi encænia Templi,
Israheliticos fecit adesse viros.
Levitas, Proceres, pueros, juvenesque, senesque,
Undique certatim regia pompa trahit.
Mactantur vituli, tauri jugulantur ad aras,
Et populi in votis gaudia cædis erant.
Nunc verò adsurgit, ritu placitura beato,
Tempore decurso, justior ara Deo. D
Prospera quæ populis Felix modò festa ministrat *,
Exuperant * rebus gesta priora novis.
Convocat egregios sacra ad solemnia Patres,
Quo stat vera salus, et fugit umbra vetus.
Docti clave Petri cœlos aperire petenti,
Ac monitis Pauli noscere clausa poli.
Ne lupus intret oves, nec morbus vulneret * agnos,
Hinc sunt custodes, inde medela gregis.
Quorum vox refluens populo de fonte salutis,
Ut bibat aure fidem, porrigit ore salem.
Inter quos medios Martini sede Sacerdos E
* Euphronius (c) fulget, Metropolita sacer :
Plaudens in sancta fratrum coëunte corona,
Et sua membra videns, fortior extat apex.
Lætius inde caput, quia sunt sua viscera secum,
Ecclesiæ juncto corpore crescit honor.
Domitianus (d), item Victorius, ambo columnæ,
Spes in utrisque manens pro regionis ope.
Domnulus hinc fulget meritis, Maracharius inde,
Jure Sacerdotii cultor uterque Dei.
En spectat, veniat quæ nunc memoranda per ævum,
Votis plena piis fulget in orbe dies :

* *al.* ministrans.
* *al.* exuperat.
* *al.* inulceret.
* Turonen-

(a) Non idem de Felice sentiebat Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 5.

(b) *Jura Britannica* interpretatur Browerus dominatum et imperium advenarum, qui trans mare ex Britanniæ insulis jam tum in Saxonico littore et Aremorici parte sedes domiciliaque fixerant.

(c) De Eufronio Episcopo Turonensi et suo decessore pluribus in locis mentionem facit Gregorius. Lib. 1. de Mirac. S. Martini c. 32. annum Eufronii septimum copulat cum anno Sigiberti Regis secundo qui erat Chr. 563. unde certò deducitur Eufronium an. Chr. 556. Episcopum renunciatum fuisse. Eum annos 17. sedisse narrat lib. 10. Hist. cap. ult.

(d) Domitianus Episcopus erat Catalaunensis, Victorius non Tricassinus, *de Troyes,* ut censet Browerus, sed Tricastinus, *de S. Paul des trois Châteaux*. De Victore Tricastinorum Episcopo Gregorius lib. 5. cap. 21. de Domnolo Cenomannorum Episcopo lib. 6. cap. 9. de Marachario ex Comite Ecolismensi, Ecolismensium Episcopo lib. 5. cap. 37.

In

A In qua promeruit sua gaudia cernere pastor,
Officioque sacro reddere vota Deo.
Tempore qui longo adventu pendebat in isto,
Despiciens aliud, hoc erat omnis amor:
Omnia tuta timens suspecto in tramite vitæ,
Ne priùs iret iter, quàm daret ista Deo.
Sæpiùs occultans, suspiria lassa trahebat,
Cederet ut Dominus hoc properare decus.
Anxius incerto curarum fasce laborans,
Dum votum spectat, pondera tempus erant.
B Sed jam festus adest, solvatur sarcina curæ,
Lætitiæ cumulus triste repellat onus.
Prospera dans populis et gaudia larga, per urbem
Felix felici cum grege pastor, age.
Hinc te Pontifices circumdant, inde ministri:
Cingit te totum hinc honor, inde favor.
Clerus ecce choris resonat, plebs inde choraulis,
Quisque tuum votum, qua valet arte, canit.
Tarda fuere tibi, quia fit mora semper amanti,
Res sublimis enim tarda, sed ampla venit.
Nunc Domini laudes inter tua classica canta * * *Ch.* cantu.
C Et Trinitatis opem machina (a) trina sonet.
Adde medullata in Templis holocausta, Sacerdos,
Quò diuturna mices hostia pura Deo.

Ad eumdem, in laudem ejus et regionis Armorici.

VIII. Illuxit festiva dies, me gaudia cogunt,
Ut quod plebs poterat, solus amore loquar.
Ultima quamvis sit regio Armoricus (b) in orbe,
Felicis meritis cernitur esse prior.
Miserunt similes Oriens et Gallia fortes,
Illa micat radiis Solis, et ista tuis.
D Nam splendore novo sua munera quisque ministrat,
Tu fers Oceano lumen, et ille Rubro.
Denique si sensus clara pro lampade fulget,
Ingenium vestrum luminis instar habet.
Maxima progenies titulis ornata vetustis,
Cujus et à proavis gloria celsa tonat.
Nam quicumque potens Aquitanica rura subegit,
Extitit ille tuo sanguine, luce, parens.
Germinis antiqui venerabile culmen in orbe,
Laudibus in cujus militat omne decus.
Flos generis, tutor patriæ, correctio plebis,
Eloquii flumen, fons salis, unda loquax.
E Semita doctrinæ, jus causæ, terminus iræ,
Cujus (c) in ingenium huc nova Roma venit.
Illic quod poterat per plures illa docere,
Re contenta suo Gallia cive placet.
Ornamenta geris gemino fulgentia dono,
Et te concelebrant hinc opus, inde genus.
Sed qui terrena de nobilitate nitebas,
Ecclesiam nunc spe nobiliore regis.
Cujus ad aratrum * bone cultor jugiter instas, * *al.* ornatum.
Ut jam multa Deo splendida dona dares.

(a) Machina trina est Ecclesia in Crucis modum efformata, ut explicat Browerus.

(b) Armoricus in Gallia regio ista terrarum est, quæ civitates olim et populos habuit, quos è regione Britanniarum Cæsar lib. 7. ad Oceanum habitasse perhibet: quo in numero erant Curiosolites, Rhedones, Ambibarii, Cadetes, Osismii, Venelli, quos plerosque Plinius in Galliæ Lugdunensis partem eam compingit, quam peninsulam ipse vocat spectatiorem, atque excurrentem à fine Osismiorum in Oceanum; ultra quam peninsulam versus Aquitaniam et Ligerim constituit Nannetes lib. 4. cap. 18. *Browerus.*

(c) Broweri editio, *Ingenium ad cujus.*

Nupsisti Ecclesiæ, felicia vota jugasti, A
Hanc qui matronam dote potente reples.
Cujus in amplexu ducis sine crimine vitam,
Altera nec mulier corde recepta fuit.
Hanc oculis, animo retines, et corde pudico,
Unde tibi nupsit, castior inde manet.
Illa tibi prolem peperit, sed corpore virgo,
Et populum gremio fudit amata tuo.
Ecce tuos natos divina ex conjuge sumptos,
Et modò te gaudent, quos patris umbra tegit.
Proque salute gregis, Pastor, per compita curris, B
Exclusoque lupo tuta * tenetur ovis.
Insidiatores (a) removes, vigil arte, Britannos;
Nullius arma valent quod tua lingua facit.
Tu quoque jejunis cibus es, tu panis egenti (b),
Quæ sibi quisque cupit, hic sua vota videt.
Divitias proprias in pauperis ore recondis,
Largas mendici ventre reponis opes.
Tempore quo veniet Christus, tunc omnia vobis
Judicis in facie sacculus iste refert.
Sit tibi fixa salus numerosos ampla per annos, C
Perpetuus Felix nomine, mente, fide.

* *al.* tota.

Ad eundem.

IX. .....
Mitibus alloquiis agrestia corda colendo,
Munere Felicis, de vepre nata seges.
Aspera gens (c) Saxo, vivens quasi more ferino,
Te medicante sacer, bellua reddit ovem.

De Domno Felice (d) *Nannetico, cùm fluvium alibi detorqueret.*

X. Cedant antiqui quidquid meminere poëtæ, D
Vincuntur rebus facta vetusta novis.
Includi fluvios si tunc spectasset Homerus,
Inde suum potiùs dulce replesset opus.
Cuncti Felicem legerent modò, nullus Achillem,
Nomine sub cujus cresceret artis honor.
Qui probus ingenio, mutans meliore rotatu,
Currere prisca facis flumina lege nova.
Aggere composito, removens in gurgite lapsum,
Quò natura negat, cogis habere viam.
Erigis hinc vallem, subdens ad concava montem, E
Et vice conversa, hæc tumet, ille jacet.
Alter in alterius migravit imagine formam,
Mons in valle sedet, vallis ad alta subit.
Quò fuit unda fugax, crevit pigro obice terra,
Et quò prora priùs, huc modò plaustra meant.
Collibus adversis flexas super invehis undas,
Et fluvium docilem, monte vetante, trahis.
Quò rapidus * flueret, veniens celer amnis adhæsit.
Et subitò, nato colle, retorsit iter.
Quæ priùs in præceps, veluti sine fruge, rigabant;
Ad victum plebis nunc famulantur aquæ.

* fluvius.

(a) In novis his Armorici colonis Pelagianæ sementis apparet succrevisse zizania. *Browerus.*

(b) Aliàs *egenis.*

(c) Saxones, qui in Galliis consedere, inter mare Britannicum et Ligerim fluvium commorabantur in Tractu Armoricano finibusque Bajocassium, indeque Turonensis in lib. 5. cap. 10. eos *Saxones Bajocassinos* appellat.

(d) Felix, quò colonis ac civibus suis aquarum opportunitate copiaque prodesset, opus immensum aggressus, fluvium præcipitii cursu euntem aliorsùm avertit, flexitque quò voluit: nam monte perfosso alveum eo fecit loco, ubi anteà collis erat, atque inde aggere pristinum alveum explens culturæ sic aptavit, ut quà naves antè ferebantur, istac cum oneribus jam plaustra commearent. Magnitudo operum et artis, ipsaque navalis rei mentio, mihi penè persuadent de ipso hæc Ligere fluvio accipi posse. *Browerus.*

A Altera de fluvio metitur seges orta virorum,
Cùm per te populo parturit unda cibum.
Qualiter incertos hominum scis flectere motus,
Qui rapidos fontes ad tua fræna regis.
Stet sine labe tibi, Felix, pia vita per annum,
Cujus ad imperium transtulit unda locum.

De Nicetio (a) *Episcopo Treverensi.*

XI. Splendor, apex fidei venerabile mente, Niceti,
Totius orbis amor, Pontificumque caput:
B Summus Apostolico præcellens Pastor ovili,
Auxisti meritis quidquid honoris habes.
Divino insistens operi, terrena relinquis,
Cui moritur mundus, non moriture manes.
Vita brevis cunctis, sed non brevis illa beatis.
Cùm bona non pereant, jure perennis eris *. * *al.* erit.
Dum tibi restrictus maneas, et largus egenis,
Quod facis in minimis, te dare crede Deo.
Captivus quicumque redit sua limina cernens,
Ille lares patrios, tu capis inde polos.
C Hic habet exul opem, jejunans invenit escas
Qui venit esuriens, hinc satiatus abit.
Tristibus imponis curas purgando querelas,
Et sanat cunctos una medela viros.
Pauperis hinc lacrymas desiccas, gaudia præstans:
Qui priùs ingemuit, vota salutis habet.
Te pascente greges, numquam lupus abripit agnos,
Sunt bene securi, quos tua caula tegit.
Templa vetusta Dei revocasti in culmine prisco,
Et floret senior te reparante domus.
D Hinc * populis longos tribuas pia vota per annos, * *al.* Hic.
Et maneas Pastor, ne lacerentur oves.

De castello ejusdem super Musellam.

XII. Mons in præcipiti suspensa mole tumescit,
Et levat excelsum saxea ripa caput.
Rupibus expositis, intonsa cacumina tollit,
Tutus et elato vertice regnat apex.
Proficiunt colli, quæ vallibus arva recedunt:
Undique terra minor vergit, et iste subit.
Quem Musella tumens, Rhodanus (b) quoque parvulus ambit,
E Certanturque (c) suo pascere pisce locum.
Deripiunt dulces alibi vaga flumina fruges,
Hæc tibi parturiunt, (d) Mediolane, dapes.
Quantùm crescit aquis, pisces viciniùs offert,
Exhibet hinc epulas unde rapina venit.
Cernit frugiferos congaudens incola sulcos,
Vota ferens segeti fertilitate gravi.
Agricolæ pascunt oculos de messe futura,
Antè metit visu quàm ferat annus opem.
Ridet amœnus ager, tectus viridantibus herbis;
Oblectant animos mollia prata vagos.

(a) De eo magnificè loquitur Gregorius Turonensis. Hist. lib. 10. cap. 29. et de Gloria Confessorum cap. 94. Ejus vitam proprio commentario ex Aredii narratione contexuit, in Vitis Patrum cap. 17.

(b) Rivulus est hodieque truncato nomine *Rhon* dictus ab accolis. Hunc non longè abesse à colle, in quo situm est castellum *Bischoffstein* (id est Episcopi rupes sive saxum) nuncupatum, observat Browerus, illudque castellum non diversum esse putat ab eo, quod Fortunatus describit. Addit idem se in pervetusta et semilacera scheda hoc poëma vidisse cum hac epigrapha: *De castello* Bischoffstein *super Musellam à B. Micetio exstructo.*

(c) Broweri editio, *certat uterque.*

(d) Mediolanum pagum Magniacensem, cujus manet in vulgari lingua nomen *Meinfeldt*, interpretatur idem Browerus.

Hæc vir Apostolicus Nicetius arva peragrans, A
Condidit optatum Pastor ovile gregi.
Turribus incinxit ter denis undique collem,
Præbuit hîc fabricam, quò nemus antè fuit.
Vertice de summo demittunt brachia murum,
Dum Musella suis terminus extet aquis.
Aula tamen nituit constructa cacumine rupis,
Et monti imposito mons erat ipsa domus.
Complacuit latum muro concludere campum,
Et prope castellum hæc casa sola facit.
Ardua marmoreis suspenditur aula columnis,
Qua super æstivas cernit in amne rates.
Ordinibus ternis extensaque machina crevit, B
Ut postquàm ascendas jugera, tecta putes.
Turris ab adverso quæ constitit obvia clivo,
Sanctorum locus est, arma tenenda viris.
Illic est etiam gemino (a) ballista volatu,
Quæ post se mortem linquit, et ipsa fugit.
Ducitur in rigidis sinuosa canalibus unda,
Ex qua fert populo hîc mola rapta cibum.
Blandifluas stupidis induxit collibus uvas,
Vinea culta viret, quò fuit antè frutex.
Insita pomorum passim plantaria surgunt,
Et pascunt vario floris odore locum. C
Hæc tibi proficiunt, quidquid laudamus in illis,
Qui bona tot tribuis, Pastor opime, gregi.

De Magnerico (b) *Treverensi Episcopo.*

XIII. Culmen honorificum, Patrum Pater, Archisacerdos,
Pontificale decus proficiente gradu.
Quem fidei titulus meritis erexit in altum,
Ecclesiæque caput, distribuente Deo.
Discipule egregii bone Magnerice Niceti,
Nominis auspicio Magne canende tui.
Clare sacro merito, tanto informate magistro,
Quem reparas operum fructificante loco. D
Cujus opime sequax, sancta et vestigia servans,
Rite minister agens, ecce magister ades.
Auctorisque pii successor dignus haberis,
Heredisque sui, frugiparensque manet.
Crevit post obitum pater, et te crescere fecit,
Dum capit ille polum, tu capis arce locum.
Grex alitur pro te, vice præcessoris alumne,
Nec sua damna dolet, dum tua lucra tenet.
Fratribus optandis, jucundus honore ministris,
Cariùs et populis pastor amore places.
Te panem esuriens, tectum hospes, nudus amictum, E
Te fessus requiem, spem peregrinus habet.
Hæc faciens intende magis, venerande Sacerdos,
Ut commissa tibi dupla talenta feras.
Pro Fortunato exorans quoque dulcis amator,
Spem mihi dans veniæ, sit tibi palma, Pater.

Ad Villicum Episcopum Mettensem.

XIV. Gurgite cœruleo pelagus Musella relaxat,
Et movet ingentes molliter amnis aquas.
Lambit odoriferas vernanti gramine ripas,
Et lavat herbarum leniter unda comas.

(a) *Gemino volatu* significantur alæ, quibus utrinque spiculum seu hastile instar sagittæ communiri, et ad secandum aërem juvari solet. *Browerus.*

(b) De eo Gregorius l. 8. c. 12. et 37. et l. 9. c. 10.

A Hinc dextra de parte fluit, quà (a) Salia fertur,
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hic ubi perspicuis Musellam cursibus intrat,
Alterius vires implet, et ipse perit.
Hoc Mettis fundata loco speciosa, coruscans,
Piscibus obsessum gaudet utrumque latus.
Delitiosus ager ridet, vernantibus arvis :
Hinc sata culta vides, cernis et inde rosas.
Prospicis umbroso vestitos palmite colles,
Certatur varia fertilitate locus.
Urbs munita nimis, quam cingit murus et amnis,
Pontificis meritis stas valitura magis.
B Villicus æthereis qui sic bene militat armis,
Stratus humi genibus te levat ille suis.
Unde humilis terris te projicis, alme Sacerdos,
Orando hinc patriæ ducis ad astra caput.
Fletibus assiduis acquiris gaudia plebi,
Pastoris lacrymis lætificantur oves.
Ictibus invalidis quamvis minitetur iniquus,
Tu quibus es murus, vulnera nulla timent.
Et licèt incluso lupus insidietur ovili,
Te custode gregis, nil tibi prædo nocet.
Oblectas populos vultu sine nube sereno,
Cunctorumque animos gratia blanda fovet.
C Si poscat novus hospes opem, tu porrigis escas,
Invenit et proprios ad tua tecta lares.
Dum satias querulum, magis obliviscitur illas,
Quas habet in patriis finibus exul opes.
Qui sua damna refert, gemitus subducis ab ore,
Gaudia restituens, tristia cuncta fugas.
Protegis hinc nudos, illinc tu pascis egentes,
Nil tibi reddit inops, reddit amore Deus.
Horrea præmittis, meliùs tua condita servans,
Quas sic diffundis dat Paradisus opes.
Culmina Templorum renovasti, Villice cultor,
Cùm veniet Dominus, stat labor ecce tuus.
D Commissum video non suffodisse talentum,
Sed magis optatum multiplicatur opus.
Longiùs extentos peragas tam digna per annos,
Et maneat semper nomen, opime, tuum.

Ad Charentinum Episcopum Coloniæ.

XIX. Charentine decus fidei, Deitatis amice,
Nomine de proprio chare perennis amor.
Pontificem pollens Agripina Colonia præfert,
Frugiferis agris digne colone Dei.
Si videas aliquos quacumque ex gente creatos,
E Quamvis ignotos, mox facis esse tuos.
Quos semel affectu adstringis pietate paterna,
Ulteriùs numquam dissociare potes.
Nec subitò veniens veluti fugitiva recedit,
Sed concessa citò gratia, fixa manet.
Verba Dei complens, sicut te diligis ipsum,
A te ita diligitur proximus omnis homo.
Vocis Apostolicæ sectator dignus haberis, 1. *Cor.* 13.
Quæ charos animos præposuit fidei.
Tranquillus, placidus, mitis, sine nube serenus,
Cui rabies mundi nil dominare potest.

(a) Salia, vulgò *la Seille*, apud Mediomatricum urbem in Mosellam influit.

Pectora cunctorum reficis dulcedine verbi, A
Lætificas vultu tristia corda tuo.
Pauperibus cibus es, sed et esurientibus esca,
Rite pater populi, dando salutis opem.
Aurea Templa novas spacioso fulta decore,
Tu nites, unde Dei fulget honore domus.
Majoris numeri quò Templa capacia constent,
Alter in excelso pendulus ordo datur.
Sollicitat pia cura gregis te, Pastor opime,
Nil lupus ab stabulis quo vigilante rapit.
Tempora longævo teneas felicia tractu, B
Et per te Domini multiplicentur oves.

De Igidio (a) *Episcopo Remensi.*

XX. Actibus egregiis venerabile culmen, Igidi,
Ex cujus meritis crevit honore gradus.
Subtrahor ingenio, compellor amore parato,
Laudibus in vestris prodere pauca favens.
Namque reus videor tantis existere causis,
Si solus taceam quidquid ubique sonat.
Sed quamvis nequeam digno sermone fateri,
Da veniam voto me voluisse loqui.
Exiit in mundum gestorum fama tuorum,
Et meritis propriis sidus in orbe micas. C
Clarior effulges quàm lucifer ore sereno :
Ille suis radiis, tu pietate nites.
Nil lupus insidiis cauto subducit ovili,
Te pastore sacro pervigilante gregem.
Facundo eloquio cœlestia dogmata fundis,
Ecclesiæ crevit te monitore domus.
Pontificis studio correctio plebis haberis,
Ne tenebræ noceant, semita lucis ades.
Cunctorum recreas animos dulcedine verbi,
Qui satias epulis, pascis et ore greges.
Præcepta implentur, non solo pane cibamur, D
Delicias capimus, quas tua verba ferunt.
Ut gaudet corpus, cui mitior esca paratur,
Sic animæ gaudent, si tua lingua sonet.
Hæresis ira cadit, forti te milite Christi,
Acquiris Regi, qui dedit arma tibi.
Qui purgas spinis agros, sermone colente,
Et mundata Deo surgit ubique seges.
Qui venit huc exul, tristis, defessus, egenus,
Hic recipit patriam, te refovente, suam.
Qui doluit, tollis gemitus in gaudia vertens,
Exilium removes, reddis amore lares.
Pauper habere cibum, meruit quoque nudus amictum, E
Invenit hic semper quæ bona quisque cupit.
Consultum tribuis generaliter omnibus unum,
Qui populi pater es, tot pia ritè geris *.
Hæc tibi vita diu, Domino tribuente, supersit,
Atque futura micet lucidiore die.

* *al.* regis.

Ad Hilarium (b) *Episcopum.*

XXI. Lux sincera animi semper mihi dulcis Hilari,
Quamvis absentem quem mea cura videt.

(a) Aliàs *Egidio*. De eo Gregorius lib. 5. cap. 18. lib. 6. cap. 3. et alibi passim, præcipuè lib. 10. cap. 19. ubi narrat Egidium læsæ majestatis crimine accusatum et convictum, ab ordine sacerdotali remotum fuisse, et ad Argentoratensem urbem exsilio relegatum.

(b) Hilarius Episcopus erat Gabalitanus ; Arvernensi Concilio an. 535. celebrato interfuit.

A Cujus honestus amor tantùm mea corda replevit :
Ut sine te numquam mente vacante loquar.
Versibus exiguis mandamus vota salutis,
Quæ dedit affectus sint tibi grata, precor.

Ad Bertechramnum (a) *Episcopum, cùm elevaretur in currum.*

XXII. Curriculi genus est, memorat quod Gallia rhedam,
Molliter incedens orbita sulcat humum.
Exiliens duplici bijugo volat axe citato,
B Atque movet rapidas juncta quadriga rotas.
Huc ego dum famulans comitatu jungor eodem,
Et mea membra citò dum veherentur equo.
Pontificisque sacri Bertechramni actus honore,
Comprendente manu raptus in axe levor.
Qualiter implumes fœtus pia mater hirundo,
Confovet, et placidè pennula tensa tegit :
Sic bonitate potens, affectu dives opimo,
In proprium Pastor molle sedile locat.
Nec solùm amplectens pia mens, sed diligit omnes,
Unde magis populis unicus extet amor.

C *Ad eundem, de Opusculis suis* *. * *al.* ejus.

XXIII. Ardua suscepi missis Epigrammata chartis,
Atque cothurnato verba rotata sopho.
Percurrens tumido spumantia carmina versu,
Credidi in undoso me dare vela freto.
Plana procellosos ructavit pagina fluctus,
Et velut Oceanus fonte refudit aquas.
Vix modò tam nitido pomposa poëmata cultu
Audit Trajano Roma verenda foro.
Quid si tale decus recitasset in aure Senatus?
D Stravissent blandis * aurea filia tuis. * *al.* plantis.
Per loca, per populos, per compita cuncta videres
Currere versiculos, plebe favente, tuos.
Sed tamen in vestro quædam sermone notavi,
Carmine de veteri furta novella loqui.
Ex quibus in paucis superaddita syllaba fregit,
Et pede læsa suo musica clauda jacet.
Nunc venerande Pater, prece, voto, voce, saluto,
Commendans animum supplice corde meum.
Sit tua vita diu, cujus modulante camœna,
Cogimur optatis reddere verba jocis.

E *Ad Agricolam* (b) *Episcopum.*

XXIV. Præsul honoris apex, generis fideique cacumen,
Cultor agri pollens, Pastor opime gregis.
Cùm mea terra manu meruit genitoris arari,
Reddatur nati vomere culta sui.
Nam pater affectu dulci memorabilis orbi,
Me vobiscum uno fovit amore duos.
Corde parens, pastu nutrix, bonus ore magister,
Dilexit, coluit, rexit, honesta dedit.
Ille pio studio sulcata novalia sevit,
Quod pater effudit, hoc mihi semen ale.

(a) Is erat Episcopus Burdigalensis, de quo Gregorius multis in locis.

(b) Aliàs *Agrœcolam*. Cabillonensis erat Episcopus. Vide Gregorium lib. 5. cap. 46. lib. 8. cap 5.

Ad Felicem (a) *Episcopum Biturigensem, scriptum in turrem ejus.* A

xxv. Quam bene cuncta decent sacrati ut corporis (b) agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.
Cedant chrysolithis Salomonia vasa metallis,
Ista placere magis ars facit atque fides.
Quæ data, Christe, tibi Felicis munera sic sint,
Qualia tunc tribuit de grege pastor Abel.
Et cujus tu corda vides, pietate coæquas,
Saraptæ merito, quæ dedit æra duo.

Domno sancto, atque Apostolicis actibus prædicando Domino, pio et peculiariter dulci in Christo Patri, Avito Papæ (c), *Fortunatus humilis.* B

xxvi. Officiis intente piis, Pater orbis, Avite,
Gloria Pontificum, noster et altus amor.
Per quem plebs, regio, peregrinus et hospes aluntur :
In quo cuncta capit * quæ sibi quisque cupit.
Ex opere immeritus merui pia dona patroni,
Ne minimam pascens immemor esses ovem.
Qui trahis ore greges æterna ad pabula Christi,
Qualiter hinc vivant est quoque cura tua *.
Semper et absentes præsens tua protegit ala, C
Quò pede non curris, munere totus ades.
Muneribus vestris aut Agnes (d), aut Rhadegundes
Multiplici orantes fomite vocis agunt.
In cœlos penetranda seras, Pater alte, talenta,
Quæ centena suo tempore culta metas.
Per Dominum, Regemque bonum precor, aulice Præsul,
Ut Fortunati sis memor, alme, tui.

* *al.* rapit.

* *al.* tui.

Ad eundem.

xxviii. Virtutum quid celsa fides mereatur honoris,
Summe Sacerdotum, dulcis Avite, probas. D
Qui nectens animos cunctorum in amore beato,
Post te, chare Pater, pectora capta trahis.
Sed tamen inter eos tua quos dulcedo replevit,
Promptus in affectu portio major agor.
Lumen dulce meum, patriæ vigor, altor egentum,
Spes peregrinorum, ductor honorque patrum.
Si mea vox jugi resonaret acumine carmen,
Laude minor loquerer, major amore, Pater.
Maxima sed nostri datur hæc occasio voti,
Vel memorare tuum nomen, opime, sacrum. E
Commendantur item vestræ pietatis amori,
Agnes voce humili cum Rhadegunde pari.
Larga salutiferos vigeat tibi vita per annos,
Nam tua quæ fuerit, fit mea, chare, salus.

Ad (e) *Agericum Episcopum Vereduni.*

xxix. Urbs (f) Vereduna, brevi quamvis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata, places.

(a) De eo Gregorius lib. de Gloria Martyrum cap. 34. et de Gloria Confessorum cap. 102. Felix ordinatus fuit à sancto Germano Episcopo Parisiensi anno 568. et interfuit Concilio Parisiensi IV. anno 573.

(b) Illustre profert testimonium asservati etiam propatulo hac ætate Corporis Domini, eoque vasis genere, quod plurimùm in Francia Germaniæque provinciis hodie perdurat, turris scilicet in morem fabrefacti. *Browerus.*

(c) Avitus ex Archidiacono Arvernensis Episcopus factus est. De eo Gregorius Hist. lib. 4. cap. 35. lib. 5. cap. 11. et alibi passim.

(d) Agnes Pictavensis Abbatissa, à S. Radegunde instituta. Radegundis uxor Chlotarii I. Pictavense S. Crucis monasterium construxit. De Radegunde Gregorius Turon. lib. 3. cap. 7. lib. 6. cap. 29. De utraque lib. 9. cap. 42.

(e) De eo Gregorius lib. 3. cap. 35. lib. 9. capp. 8. 10. 12. et 23.

(f) Verodunum, *Verdun*, urbs nunc clara et magna, quam Mosa interfluit.

Major

A Major in angusto præfulget gratia gyro,
Agerice, tuus quam magis auxit honor.
Plurima magnarum fudisti semina laudum,
Quæ matura operis, fertilitate metis.
Tempore præsenti victum largiris egenis,
Unde futura dies centuplicabit opes.
Dogmatis arcani reseras penetralia Pastor,
Nec solùm dapibus, pascis et ore greges.
Templa vetusta novas preciosiùs, et nova condis,
Cultior est Domini, te famulante, domus.
B Egregios fontes sacri baptismatis exples,
Tam pia divino fonte repletus agis.
Candida sincero radiat hæc aula sereno,
Et si sol fugiat, hîc manet arte dies.
Ad nova templa avidæ concurrunt undique plebes,
Et tribuis populis plus in amore Deum.
Te solamen inops meruit, te nudus amictum,
Et solus cunctis potus et esca manes.
Felix qui meritis æternæ lucis amator,
Tempore tam modico non moritura paras.

C *De Agerico Episcopo Vereduni.*

XXX. Phœbus ut elatum suspendit in æthera currum,
Purus et igniferum spargit ubique jubar :
Effusis radiis totum sibi vendicat orbem,
Montes, plana replens, ima vel alta tenet.
Sic Præsul splendore animi cum sole coruscas.
Ille suis radiis fulget, et ipse tuis.
Agerice sacer, cujus sermone colente,
Ecclesiæ segetis * fertilitate placent.
Terrenis sterilis rebus, fœcunde supernis,
Humana spernens, dives iture polis *.
D Illecebris mundi mundus lasciva repellens,
Nil cui surripuit carnis amarus amor.
Lubrica culpa perit, neque mors de crimine gaudet,
Cùm tua delictis libera membra vides.
In templis habitando piis, sic purus haberis,
Ut tua corda, Pater, sint pia templa Dei.
Eligit in tali Christus se vase recondi,
Quam sibi purgavit, possidet ipse domum.
Non dolus in labiis, nec sunt fera nubila mentis,
Sinceris animis vernat in ore dies.
Doctiloquum flumen salienti fonte refundis,
E Et sensus steriles voce rigante foves.
Ardua cœlorum pandis mysteria terris,
Per quem plus Dominum scit, timet, orat, amat.
Dogmate divino, Præsul facunde, triumphas,
Dans pastor monitus, ne premat error oves.
Deliciis reficis, quas cœlum, arva, unda ministrat,
Et satiat populos hinc cibus, inde fides.
Sumit pauper opem, tristis spem, nudus amictum;
Omnia quidquid habes omnibus esse facis.
Hîc tibi longa salus maneat, licèt * inde futura,
Atque diu, Pastor, pro grege vota feras.

* *Chesn.* segetes.

* polos.

* *al* lux.

EX LIBRO QUARTO.

* *al.* Eumeri.

Epitaphium Evemeri * *Episcopi civitatis Namneticæ.*

CARM. I.

QUamvis cuncta avido rapiantur ab orbe volatu, A
Attamen extendit vita beata diem.
Nec damnum de fine capit, cui gloria vivit,
Æternumque locum missus ad astra tenet.
Hoc igitur tumulo requiescit Evemerus almo,
Per quem Pontificum surgit opimus honor.
Stemmate deductum fulget (a) ab origine culmen,
Et meritis priscos crescere fecit avos.
Emicuit populis geminum memorabile donum,
Inde gradu judex, hinc pietate pater.
Dulcis in eloquio, placidus moderamine sacro, B
In cujus sensu perdidit ira locum.
Alterius motus patienti pectore vicit,
Ut levitas læsit, hoc gravitate tulit.
Si quis ab externis properavit sedibus hospes,
Mox apud hunc proprios sensit habere lares.
Hîc habitare volens patriis rudis exul ab oris,
Oblitus veterem, hujus amore, patrem.
Gaudet et arrisit, probat is (b) se cernere flentem,
Alterius lacrymas mox facit esse suas.
Partitus cum ventre vices, pietate magistra, C
Unde tulit luctus, mox ibi vota dedit.
Pauperibus dives censum transfudit egenis,
Antè bonus tribuit, quàm paterentur, opem.
Semina jactavit centeno pinguia fructu,
Cui modò de reditu messis adulta placet.
Unica cura fuit cunctos ut viseret ægros,
Ipse quibus medicus vixit et ipse cibus.
Extulit Ecclesiæ culmen, quod reddidit unum,
Venit ad heredem, qui cumularet opus.
Felix ille abiit, Felicem in sede reliquit,
Heredis meritis vivit in orbe pater.

D

Epitaphium domni (c) *Gregorii Episcopi civitatis Lingonicæ* (d).

II. Postquam sidereus disrupit tartara princeps,
Sub pedibus justi mors inimica jaces.
Hoc veneranda sacri testatur vita Gregori,
Qui modò post tumulos intrat honore polos.
Nobilis antiqua decurrens prole parentum,
Nobilior gestis, nunc super astra manet.
Arbiter antè ferox, dehinc pius ipse Sacerdos,
Quos domuit judex, fovit amore patris. E
Triginta et geminos piè (e) rexit ovile per annos,
Et grege de Christi gaudia pastor habet.
Si quæras meritum, produnt miracula rerum,
Per quem debilibus fertur amica salus.

Epitaphium domni Tetrici (f) *Episcopi civitatis Lingonicæ.*

III. Palma Sacerdotii venerando, Tetrice, vultu,
Te patriæ sedes, nos peregrina tenet.

(a) Broweri editio, *fulgens.*
(b) Ibid. *arrisit probris.*
(c) De eo Gregorius lib. 3. cap. 19. et aliis in locis. Ejus Vitam scripsit, in Vitis Patrum cap. 7.
(d) Urbs notissima, vulgò *Langres*, cujus Episcopus Dux est et Par Franciæ.
(e) Broweri editio, *geminos direxit.*
(f) De eo Gregorius lib. 4. cap. 16. lib. 5. cap 5.

A Te custode pio nunquam lupus abstulit agnum,
Nec de fure timens pascua carpsit ovis.
Sex quasi lustra gerens, et per tres insuper annos,
Rexisti placido pastor amore gregem.
Nam ut condirentur divino corda sapore,
Fudisti dulcem jugiter ore salem.
Summus amor Regum, populi decus, arma parentum *, * *al.* potentum.
Ecclesiæ cultor, nobilitatis honor.
Esca inopum, tutor viduarum, cura minorum,
Omnibus officiis omnia pastor eras.
Sed cui præbebat variè * tua cura medelam, * *al.* variam.
B Funere rectoris plebs modò triste gemit.
Hoc tamen, alme Pater, speramus dignus in astris,
Qualis honore nites, hîc pietate probes.

Epitaphium domni (a) *Galli Episcopi civitatis Arvernæ.*

IV. Hostis inique, Adam Paradiso fraude repellis,
Ecce Deus famulos præstat adire polos.
Invide sic tua mors homini meliora paravit,
Tu expellis terris, hic dat et astra suis.
C Testis et Antistes Gallus probat iste beatus,
Nobilis in terris dives eundo polos. * * *al.* polis.
Qui Christi auxilio fultus, nec adultus in annis,
Se majora petens, odit amare lares.
Effugit amplexus patrios, matremque relinquit,
Qui Monachum regeret, quæritur Abba parens.
Ille tyro rudis generoso cœpit ab ævo,
Militiæ Domini belliger arma pati.
Quintiano (b) demum sancto erudiente magistro,
Pulchrius est auro corde probatus homo.
Inde Palatinam Regis translatus in Aulam,
Theodorice, tuo vixit amore pio.
D Mox ubi destituens terras petit astra magister,
Cessit discipulo cura tuenda * gregis. * *al.* tenenda.
Pontificatûs enim moderans ita rexit habenas,
Pastor ut officiis, esset amore pater.
Mansuetus, patiens, bonus, æquus, amator, amandus,
Non erat offensæ, sed locus hic veniæ.
Si qua supervenit, facta est injuria virtus,
Unde furor poterat, inde triumphus erat.
Plebem voce fovens, quasi natos ubere nutrix,
Dulcia condito cum sale mella rigans *. * *al.* dabat.
E Hoc opus exercens præscivit dona futuri,
Se pastore nihil posse perire gregi.
Sic Pater Ecclesiam regit in quinquennia (c) quinque,
Bis ter dena tamen lustra superstes agens.
Hinc meliore via sanctum ad cœlestia vectum
Non premit urna rogi, sed tenet ulna * Dei. * *al.* aula.

Epitaphium Ruriciorum (d) *Episcoporum civitatis Lemovicinæ.*

V. Invida mors rapido quamvis miniteris hiatu,
Non tamen in Sanctos jura tenere vales.

(a) Vide eumdem lib. 4. cap. 5. Ejus Vitam scripsit in Vitis Patrum cap. 6.

(b) Quintianus è sede Ruthenorum ejectus, factus est Arvernorum Episcopus; de quo Gregorius lib. 2. cap. 36. lib. 3. cap. 2. Habes quoque ejus Vitam in Vitis Patrum cap. 4. ut Ruthenensis Episcopus subscripsit Concilio Aurelian. I. an. 511.

(c) Discrepat à Fortunato Gregorius Turon. qui scribit in Vitis Patrum cap. 6. Gallum obiisse *Episcopatûs sui septimo et vigesimo anno, ætatis suæ anno sexagesimo quinto.*

(d) Duo fuerunt Ruricii Lemovicenses Episcopi: senior ad quem scribit Sidonius lib. 8. epist. 10. junior majoris nepos, qui anno 541. in episcopatu Lemovicino sedebat.

Nam postquàm remeans domuit fera tartara Christus, A
Justorum meritis sub pede victa jaces.
Hîc sacra Pontificum toto radiantia mundo,
Membra sepulcra tegunt, spiritus astra colit.
Ruricii gemini flores, quibus Anniciorum
Juncta parentali culmine Roma fuit.
Actu, mente, gradu (a), prænomine, sanguine nexi,
Exultant pariter hinc avus, inde nepos.
Tempore quisque suo fundans pia Templa patroni,
Iste Augustini, condidit ille Petri.
Hic probus, ille pius : hic serius, ille serenus :
Certantes pariter, quis (b) cui major erit. B
Plurima pauperibus tribuentes divite censu,
Misere (c) ad cœlos quas sequerentur opes.
Quos, spargente manu, redimentes crimina mundi,
Inter Apostolicos credimus esse choros.
Felices, qui sic de nobilitate fugaci
Mercati, in cœlis jura Senatûs habent.

Epitaphium Exotij * *Episcopi civitatis Lemovicinæ.*

* *al.* Esotii.

VI. Quamvis Pontificem premeret tremebunda (d) senectus, C
Attamen hæc voluit plebs superesse patrem.
Aut si naturæ mutari debita possent,
Pro Pastore suo grex properasset iter.
Sed quia non licuit, populum spes consulat * illa,
Hunc quòd pro meritis vexit ad astra fides.
Immaculata Deo conservans membra pudore,
Exotius meruit jam sine fine diem.
Pectore sub cujus regnans patientia victrix,
Fluctibus in tantis anchora sensus erat.
Felle carens, animo placidus dulcedine pastus,
Nesciit (e) offensis ira referre vices.
Templorum cultor recreans modulamine cives, D
Vulneribus patriæ fida medela fuit.
Qui tria lustra gerens in Pontificatûs honore,
Pergit ad antiquos, plebe gemente, patres.
Non decet hunc igitur vacuis deflere querelis,
Post tenebras mundi quem tenet aula poli.

* *Id est*, consolatur.

Epitaphium Chalacterici (f) *Episcopi civitatis Carnotenæ.*

VII. Illacrymant oculi, quatiuntur viscera fletu,
Nec tremuli digiti scribere dura valent.
Dum modò, quæ volui vivo, dabo verba sepulto,
Carmine vel dulci cogor amara loqui. E
Digne tuis meritis, Chalacterice Sacerdos,
Tardè note mihi, quàm citò chare fugis!
Tu patriam repetis, nos triste sub urbe * relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa * dies.
Ecce sub hoc tumulo pietatis membra quiescunt,
Dulcior et melli lingua sepulta jacet.
Forma venusta, decens animus, sine fine benignus,
Vox suavis legem præmeditata Dei.
Spes Cleri, tutor viduarum, panis egentum,
Cura propinquorum, promptus ad omne bonum.

* *Ches.* orbe.

* *Id.* tenebrosa.

(a) Malè apud Browerum, *accumulante gradûs.*
(b) Ibid. *quis sibi.*
(c) Ibid. *Miserunt cœlos.*
(d) Perperàm apud Browerum, *premerent tremebunda senatus.*
(e) Ibid. *Neseit in offensis.*
(f) Chalactericus interfuit anno 557. Concilio Parisiensi unà cum B. Germano.

A Organa Psalterij cecinit modulamine dulci,
Et tetigit laudans plectra beata Dei.
Cautere eloquij bene purgans vulnera morbi,
Quo pascente, fuit fida medela gregi.
Sex qui lustra gerens, octo bonus insuper annos,
Ereptus terræ justus ad astra redis.
Ad paradisiacas epulas te cive reducto,
Unde gemit mundus, gaudet honore polus.
Et quia non dubito quanta est tibi gloria laudum,
Nec debes fleri talis, amice Dei.
B Hæc qui, sancte Pater, pro magnis parva susurro,
Pro Fortunato, quæso, precare tuo.

Epitaphium Chronopij (a) *Episcopi Petrocoricæ.*

VIII. Si terrena sacer quondam tibi cura fuisset,
Carmine plus lacrymas, quàm modò verba darem.
Sed quia tu mundus, nec sunt tibi crimina mundi,
Nos gaudere mones, qui sine morte manes.
Antistes pietate calens, venerande Chronopi,
C Membra sepulchra tegunt (b), spiritus astra tenet.
Ordo Sacerdotum cui fluxit utroque parente,
Venit ad heredem Pontificalis apex.
Hunc tibi jure gradum successio sancta paravit,
Ut quasi jam merito debitus esset honor.
Nobilis antiquo veniens de germine patrum,
Sed magis in Christo nobilior merito.
Sic vultu semper placidus, seu mente serenus,
Pectore sincero fons sine nube fuit.
Cujus ab eloquio nectar per verba fluebat,
D Vinceres * ut dulces ore rigante favos.
Nudorum tu vestis eras, algentis amictus,
Qui ad tua tecta fugit, tectus et ipse redit.
Divitias omnes inopum sub ventre locasti,
Unde tibi semper viva talenta manent.
Esuriens epulum *, sitiens te sumere potum,
Cernere te meruit tristis, et exul opem.
Implesti propriis (c) viduatam civibus urbem,
Videruntque suos, te redimente, lares.
Quam lupus ab stabulis tulerat, frendente rapina,
Te Pastore, gregi reddita plaudit ovis.
Templa exusta celer revocasti in culmine prisco,
E Hinc tua sed cœlis stat sine labe domus.
Ipse bis octono vixisti in corpore lustro,
Nunc tibi pro meritis est sine fine dies.

* *Ches.* vinceret.

* *al.* epulas.

Epitaphium Leontii (d) *Episcopi anterioris civitatis Burdegalensis.*

IX. Ultima sors avido graviter properavit hiatu,
Pastorem rapiens, qui fuit arma gregis.
Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti,
Quo stetit eximium Pontificale caput.
Quem plebs cuncta gemens confusa voce requirit,
Hinc puer, hinc juvenis deflet, et inde senes *.

* *Chesn.* senex.

(a) Subscripsit Concilio Aurelian. I. an. 511. et Aurelianensi II. an. 533.

(b) Chesn. *legunt.*

(c) Hæc ipsa civium et templorum damna refert Browerus ad Gothorum injurias et hostiles irruptiones, quibus Catholicum nomen mirè exagitabant olim ipsi, dum Aquitaniam vicinaque loca tyrannide premebant. Vide Sidonium lib. 7. epist. 6. ad Basilium, in Tomo præcedenti pag. 798.

(d) Si hic titulus est Fortunati, hoc Epitaphium ad Leontium Arelatensem perperam retulit Ruinartius in nota ad cap. 26. libri 4. Historiæ Gregorii Turon. Browerus, qui eum Episcopum Burdigalensem facit, ut fert titulus, putat illum esse de quo Sidonius loco suprà citato. Verùm ibi notavimus hunc Leontium Episcopum fuisse Arelatensem.

Defensoris opem hîc omnis perdidit ætas, A
Et quantum coluit, nunc lacrymando docet.
Nemo valet siccis oculis memorare sepultum,
Qui tamen in populo vivit amore pio.
Egregius nulli de nobilitate secundus,
Moribus excellens, culmine primus erat.
Hic pietate nova cunctis minor esse volebat.
Sed magis his meritis, et sibi major erat.
Quo præsente viro meruit discordia pacem,
Expulsa rabie corda ligabat amor.
Ecclesiæ totum concessit in ordine censum, B
Et tribuit Christo quod fuit antè suum.
Ad quem pauper opem, precium captivus habebat,
Hoc proprium reputans quod capiebat* egens.
Cujus de terris migravit ad astra facultas,
Et plus iste Deo, quàm sibi vixit homo.
Cordis in amplexu retinens, et pectore plebem,
Diceret ut populum se generasse patrem.
Namque suos cives placida sic voce monebat,
Confitereris ut hunc ad sua membra loqui.
Ingenio vigilans, dives quoque dogmate Christi,
Et meruit studio multiplicare gradum.
Largior in donis absens sibi junxit* amantes, C
Et quò non fuerat, munere notus erat.
Principibus carus, hujusque amor unicus urbis,
Festinans animis omnibus esse parens.
Lustra decem pollens, septem quoque vixit in annos,
Mox urgente die raptus ab orbe fuit.
Sed quis cuncta canat? cùm tot bona solus habebat,
Nunc uno in tumulo plurima vota jacent.
Hæc tibi parva nimis, cùm tu merearis opima,
Carmina Theodosius præbet amore tuus.

* *al.* cupiebat.

* *al.* vinxit.

Epitaphium Leontii (a) *sequentis Episcopi civitatis Burdegalensis.*

x. Omne bonum velox, fugitivaque gaudia mundi, D
Prosperitas hominum quàm citò rapta volat!
Malueram potiùs cui carmina ferre salutis,
Perverso voto flere sepulcra vocor.
Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti,
Quem sua Pontificem fama sub astra levat.
Nobilitas altum ducens ab origine nomen,
Quale genus Romæ fortè Senatus habet.
Et quamvis celso flueret de sanguine patrum,
Hic propriis meritis crescere fecit avos.
Regum summus amor, patriæ caput, arma parentum, E
Tutor amicorum, plebis et urbis honor.
Templorum cultor, tacitus largitor egentum,
Susceptor peregrûm*, distribuendo cibum.
Longiùs extremo si quis properasset ab orbe,
Advena mox vidit, hunc ait esse (b) patrem.
Ingenio vivax, animo probus, ore serenus:
Et mihi qualis erat, pectore flente loquor.
Hunc habuit clarum, qualem modò Gallia nullum,
Nunc humili tumulo culmina celsa jacent.
Placabat Reges, recreans moderamine cives.
Gaudia tot populis, heu! tulit una dies.
Lustra decem felix et quatuor insuper annos
Vixit, et auroræ lumine raptus obit.

* *pro* peregrinorum.

(a) De eo jam suprà pag. 472.

(b) Broweri editio, *hunc adüsse patrem.*

A Funeris officium magni solamen amoris
Dulcis adhuc cineri dat Placidina tibi.

Epitaphium Victoriani Abbatis Monasterii (a) *Agaunensis.*

XI. Quisquis ab occasu properas huc, quisquis ab ortu,
Munus in hoc tumulo, quod venereris, habes.
Respice ditatum cœlesti dote talentum,
Cujus semper habet pectoris arca Deum.
Religionis apex, vitæ decus, arma salutis,
Eximius meritis Victorianus adest.
B Dignum opus exercens, qui fructificante labore
Cunctis, non soli vixit in orbe sibi.
Plurima per patriam Monachorum examina fundens,
Floribus æternis mellificavit apes.
Lingua potens, pietas præsens, oratio jugis
Sic fuit, ut jam tum totus ad astra foret.
Plura salutiferis tribuens oracula rebus,
Sæpe dedit signis vita beata fidem.
Bis senis rexit patrio moderamine lustris
Rite Deo placitas Pastor opimus oves.
C Calle sequens recto sacra per vestigia Christum,
Nunc fruitur vultu, quem cupiebat amor.

Epitaphium Hilarii Presbyteri.

XII. Omnes una manet sors irreparabilis horæ,
Cùm venit extremus lege trahente dies.
Sic furit (b) ira necis, neque nos fugit orbita mortis,
Pulvere facta caro non nisi pulvis erit.
Hæc tamen insignes animas spes optima pascit,
Quòd qui digna gerit, de nece nulla timet.
Hoc jacet in tumulo venerandus Hilarius actu,
D Corpore qui terras et tenet astra fide.
Vir bonus, egregia de nobilitate refulgens,
Inter honoratos germinis altus apex.
Connubio junctus simili, sed conjuge rapta,
Stans in amore Dei, non fuit alter amor.
Utilis in propriis, doctus moderamine legis,
Cujus judicium pondere libra fuit.
Justitiam tribuens populis examine recto,
Vendita res precio non fuit ulla suo.
Funeris officio lacrymans Eventia charo
Contulit hæc genero membra sepulta * suo.

* sepulcra.

Epitaphium Servilionis.

E XIII. Quamvis longa dies, brevis hîc et inhospita lux est,
Sola tamen nescit vita beata mori.
Hoc igitur tumulo Servilio clausus habetur,
Nobilis, et merito nobiliore potens.
Ipse Palatinam rexit moderatiùs Aulam,
Commissæque domûs crescere fecit opes.
Presbyter inde sacer mansit venerabilis orbi,
Servitioque Dei libera vita fuit.
Orphanus * hic patrem, viduæ solatia deflent,
Unde magis cœlis gaudia vera tenet.
Pontificem genitum videt hinc * de munere Christi,
Raptus ab orbe quidem lætus ad astra redit.

* *al.* Orphani.

* *al.* vidit dehinc.

(a) Ejus monasterii meminit Gregorius lib. 3. cap. 5.

(b) Editio Broweri, *Sic fugit hora, dies, nec mortem vita fefellit.*

Epitaphium Attici. A

XVI. Quamvis longa seni ducatur in ordine vita,
Cùm venit extremum, nil valet esse diu.
Sed quia nemo fugit, nisi terram terra recondat,
Lege sub hac cunctos sors rapit una viros.
Celsus in hoc humili tumulo jacet Atticus, ille
Qui dabat eloquio dulcia mella suo.
Impendens placidam suavi modulamine linguam,
Pacificusque suus sermo medela fuit.
Cujus abundantem venerata est Gallia sensum, B
Excoluitque senem semper honore patrem.
Clarus ab antiquis, spes nobilitatis opimæ,
Sufficiens propriis nulla rapina fuit.
Dogmata corde tenens, plenus velut arca libellis,
Quisquis quod voluit fonte fluente bibit.
Consilio sapiens, animo pius, ore serenus,
Omnibus ut populis esset amore parens.
Sic miserabilibus templis, sic fudit egenis,
Mitteret ut cœlis quas sequeretur opes.

Epitaphium Arcadii juvenis. C

XVII. Omne bonum velox fugitivo tempore transit,
Quæ placitura videt, mors magis illa rapit.
Hîc puer Arcadius veniens de prole Senatûs,
Festinante die raptus ab orbe jacet.
Parvula cujus adhuc freno se vinxerat ætas,
Ut teneris annis surgeret ipse senex.
Eloquio torrens, specie radiante venustus,
Vincens artifices, et puer arte rudis.
Quò me forma rapis laudes memorare sepulti?
Singula si memores, plus lacrymanda mones. D
Sed quoniam nulla maculatus sorde recessit,
Nulli flendus erit, quem Paradisus habet.

Epitaphium Basilii.

XVIII. Impedior lacrymis prorumpere nomen amantis,
Vixque dolenda potest scribere verba manus.
Conjugis affectu cogor dare pauca sepulto.
Si loquor, affligor : si nego, durus ero.
Qui cupis hoc tumulo cognoscere, lector, humatum,
Basilium illustrem mœsta sepulcra tegunt. E
Cujus blanda pio recreabat lingua relatu,
Et dabat eloquio verba benigna suo.
Hinc doctrina rigans, illinc dulcedo redundans,
Ornavit radio lux geminata virum.
Regis amor, carus populis, ita pectore dulcis,
Ut fieret cunctis in bonitate parens.
Tranquillus, sapiens, jocundus, pacis amicus,
Nullaque quò stabat semina litis erant.
Hunc consultantem Legati sorte frequenter
Misit ad Hispanos Gallica cura viros.
Sufficienter habens, nunquam fuit arma rapinæ,
Non propriis eguit, non aliena tulit.
Ecclesias ditans, loca sancta decenter honorans *
Pauperibus tribuens, dives ad astra subit.
Annis bis denis cum Baudegunde jugali,
Junxit in orbe duos unus amore torus.

* *al.* adornans.

Qui

A Qui tamen undecimo lustro citò raptus ab ævo,
Post finem terræ regna superna petit.
Non jam flendus eris humana sorte recedens,
Dum patriam cœli, dulcis amice, tenes.

Epitaphium Aracharii.

XIX. Partu terra suo fraudem non sustinet ullam,
Quæ dedit, hæc recipit, debita membra luto.
Hîc vergente suo situs est Aracharius ævo,
Sex qui lustra gerens, raptus ab orbe fuit.
Ipse Palatina refulsit (a) clarus in Aula,
B Et placito meruit Regis amore coli.
Omnia restituit mundo, quæ sumpsit ab ipso,
Sola tamen pro se quæ bene gessit habet.

Epitaphium Brumachii.

XX. Quisquis in hoc tumulo cineres vis nosse sepulti,
Brumachius quondam fulsit in orbe potens,
Quem sensu, eloquio, Legati nomine functum,
Dum remeat patriæ, sors inimica tulit.
Finibus Italiæ raptus, sed Frigia (b) conjux,
Detulit huc cari funus amore viri.
C Ceu vivum coluit, cui grata est umbra mariti,
Conjugibus castis ipsa favilla placet.
Ipse quater denos permansit in orbe per annos,
Mox obit, et magnum parva sepulcra tegunt.

Epitaphium Orientii.

XXIV. Non hîc nostra diu est fugienti tempore vita,
Quæ sub fine brevi vix venit, inde redit.
Ecce caduca volant præsentia sæcula mundi,
Sola fides meriti nescit honore mori.
D Clauditur hîc pollens Orientius ille sepultus,
Cui Palatina priùs mansit aperta domus.
Consiliis habilis, Regalique intimus Aulæ,
Obtinuit celsum dignus in arce locum.
Vir sapiens, justus, moderatus, honestus, amatus,
Hoc rapuit mundo quod bene gessit homo.
Sexaginta annis vix implens tempora lucis,
Conjuge Nicasia qua tumulante, cubat.
Cujus castus amor colit ipsa sepulcra mariti,
Nec placitura homini, sed dedit esse Dei.

E *Epitaphium Theodechildis* (c) *Reginæ.*

XXV. Quamvis ætatis senio jam flecteret annos,
Multorumque tamen spes citò rapta fuit.
Si precibus possent naturæ debita flecti,
Plebs ageret lacrymis, hanc superesse sibi.

(a) Broweri editio, *fulsit bene clarus.*
(b) Aliàs, *Fragia*; malè apud Browerum *frigida.*
(c) Theodechildis filia fuit Theodorici Francorum Regis; matrem habuit Suavegottam Sigismundi Burgundionum Regis filiam, quam Theodoricus anno 522. secundis nuptiis sibi copulavit. De hac Theodechilde loquitur Procopius lib. 4. de Bello Goth. cap. 20. cùm ait Theodeberti sororem, cujus nomen non exprimit, primò nupsisse Hermegisclo Varnorum Regi Transrhenano; deinde alteras nuptias cum Radigere prædicti Regis Hermegiscli filio ac successore contraxisse. Cointius duas fuisse Theodechildes contendit, quarum senior Clodovei Magni, junior Theodorici filia exstiterit. Verùm jam constat apud omnes Eruditos, unicam fuisse Theodechildem, eamque Theodorici Regis filiam, quæ quidem confundenda non est cum Theudechilde Opilionis filia, quam Chariberto Regi junctam fuisse narrat Gregorius Turon. lib. 4. cap. 26.

Gaudia quanta inopum tumulo sunt clausa sub isto? A
Votaque quot populis abstulit una dies?
Inclyta nobilitas genitali luce coruscans,
Hîc properante die Theodechilda jacet.
Cui frater, genitor, conjux, avus, atque priores,
Culmine succiduo regius ordo fuit.
Orphanus, exul, egens, viduæ nudique jacentes,
Matrem, escam, tegmen, hîc sepelisse dolent.
Unica res placuit cumulo mercedis opimæ,
Anteà cuncta dedit, quàm peteretur (a) opem.
Occultans sua dona suis, ne fortè vetarent,
Sed quæ clausa dedit, judice teste, docet.
Templorum Domini cultrix, pia munera præbens, B
Hoc proprium reputans quidquid habebat inops.
Una mori sors est, et terræ reddere terram.
Felix, cui meritis stat sine fine dies.
Actibus his instans, terrena in luce relata,
Ter quino lustro vixit in orbe decus.

* al. *Wilitrutæ.*

Epitaphium Wilithutæ *.

XXVI. Omne bonum velox, fugitivaque gaudia mundi,
Monstrantur terris, et citò lapsa ruunt.
Ut dolor acquirat vires, cùm perdit amantem, C
Ante placere facit, duriùs inde premit.
Heu lacrymæ rerum! heu sors inimica virorum!
Cur placitura facis quæ dolitura rapis?
Vilithuta decens Dagaulfi cara jugalis,
Conjugis amplexu dissociata jacet.
Corpore juncta toro, plus pectore nexa marito,
Lucis in occasu vincula rupit amor.
Tempora cui poterant adhuc in flore manere,
Principio vitæ finis acerbus habet.
Sanguine nobilium generata Parisius urbe,
Romana studio, Barbara prole fuit.
Ingenium mite torva (b) de gente trahebat, D
Vincere naturam gloria major erat.
Nunquam mœsta manens, vultu nova gaudia portans,
Nubila fronte fugans, corde serena fuit.
Fudit ab ore jubar species redimita decore,
Protulit et radios forma venusta suos.
Stirpe sua reliquas superavit pulchra puellas,
Et crocea facie lactea colla tulit.
Splendida conspectu meliori pectore fulsit.
Digna micans animo, nec pietate minor.
Cui quamvis nullus hac in regione propinquus,
Obsequio facta est omnibus una parens.
Divinis intenta bonis, alimenta ministrans, E
Qua mercede magis se satiasse videt.
Hæc data post obitum faciunt quoque vivere functam,
Forma perit hominum, nam benefacta manent.
Corpora pulvis erunt, et mens pia floret in ævo,
Omnia prætereunt, præter amare Deum.
Orphana tunc aviæ studiis adolevit opimæ,
Inque loco natæ neptis adulta fuit.
Tertius à decimo (c) ut hanc primum acceperat annus,
Traditur optato consociata viro:

(a) Broweri editio, *quàm peterent sibi opem.*
(b) Cod. ms. Trevir. *intorva de gente.* Gens illa haud dubiè Gothi, qui Francis in Gallia jam tunc erant permixti
(c) Apud Browerum, *Tertius à decimo primùm hanc acceperat annus.*

A Nobilitas in gente sua cui celsa refulsit,
Atque suis meritis additur alter honor.
Dulcis ovans, alacris sudiis, ornata juventus,
Quod natura nequit, littera prompta dedit.
Tres meruere tamen juncti superesse per annos,
Conjugioque suo corde legante frui.
Ambo pares animo, voto, spe, moribus, actu,
Certantesque sibi mente, decore, fide.
Tempore jam certo est enixa puerpera prolem,
Damno fœta suo, quæ pariendo perit.
Abripuit teneram subitò mors invida formam,
Annos quippe duos, lustra gerendo tria.
B Sic animam generans, animâ spoliatur, et ipsa
Spem peperit luci, luce negante, sibi.
Exemplum sed triste dedit (a) secura parenti:
Unde redire solet, deficit inde genus.
Tertius esse pater cupiens, heu! solus habetur,
Crescere quo numerus debuit, ipse cadit.
Nam partus * cum matre perit, nascendo sepultus, * *al.* parvus.
Nil vitale trahens, natus in ore necis.
Plus fuerant soli, si tunc sine prole fuissent,
Addita posteritas abstulit id quod erat.
Infaustis votis genitus de funere matris,
Et genitrix nato mortis origo fuit.
C Alter in alterius lethali sorte pependit,
Inque vicem sibi mox ambo dedere necem.
Sed sensit graviora dolens pater atque maritus,
Qui gemit uno obitu se sepelisse duos.
Pro vix dum genito lacrymas jam solvit humato,
Vidit quod fleret, non quod haberet amor.
Tristitiæ cumulum tribuit cui rapta jugalis,
Dans longas lacrymas tempore nupta brevi.
Consultum tamen illud habet de conjuge conjux,
Huic quia mercedis non vacuatur opus.
Nam quod ad ornatum potuit muliebre videri,
Ecclesiis promptè pauperibusque dedit.
D Hîc nulla ex illis rebus peritura reliquit,
Ut modò præmissas dives haberet opes.
Quàm bene distribuens, sine se sua noluit esse;
Nam quæ larga dedit, hæc modò plena metit.
Condidit ergo sibi quidquid porrexit egenti,
Et quos sumpsit inops, hos habet illa cibos.
Felices, quos nulla gravant de morte secunda,
Nec faciunt pœnis subdita membra feris, etc.

Epitaphium Eufrasiæ.

XXVII. Si pietatis opus numquam morietur in ævo *, * ævum.
E Vivis pro merito, femina sancta, tuo.
Inclyta sidereo radians Eufrasia regno,
Nec mihi flenda manes, cùm tibi læta places.
Terræ terra dedit, sed spiritus astra recepit,
Pars jacet hæc tumulo, pars tenet illa polum:
Corpore deposito leviori vecta volatu,
Stas melior cœlo, quàm priùs esses humo.
Carnis iniqua domans de te tibi facta triumphans,
Ad patriæ sedes civis opima redis.
Ardua nobilitas proavorum luce coruscans,
Plus tamen es meritis glorificanda tuis.

(a) Ibid. *redit fœtura.*

Vir cui Namatius, datus inde Vienna Sacerdos, A
Conjuge defuncto consociata Deo.
Exulibus, viduis, captivis omnia fundens,
Paupertate pia dives ad astra subis.
Æternum mercata diem sub tempore parvo;
Misisti ad cœlos quas sequereris opes.
Sed rogo per Regem Paradisi gaudia dantem,
Pro Fortunato supplice funde precem.
Obtineas votis hæc qui tibi carmina misi,
Ut merear claudi quandoque clave Petri.

Epitaphium Eusebiæ. B

XXVIII. Scribere per lacrymas si possint dura parentes,
Hic pro pictura littera fletus erat.
Sed quia lumen aquis non signat nomen amantis,
Tracta manus sequitur, quà jubet ire dolor.
Nobilis Eusebiæ furibundi sorte sepulcri,
Hîc, obscure lapis, fulgida membra tegis.
Cujus in ingenio, seu formæ corpore pulcro,
Arte Minerva fuit, victa decore Venus.
Docta tenens calamos, apices quoque figere filo,
Quo tibi charta valet, hoc tibi tela fuit.
Dulcis in Eusebii jam desponsata cubile, C
Vivere sed teneræ vix duo lustra licet.
Ut stupeas juvenem, sensum superabat anilem,
Se quoque vincebat non habitura diu.
Conteriturque socer, cui nata, generque recedit,
Hæc lethalis obit, ille superstes abit.
Sit tamen auxilium, quia non es mortua Christo,
Vives post tumulum virgo recepta Deo.

EX LIBRO QUINTO.

Ad Cives Turonicos, de GREGORIO *Episcopo Turonensi.* D

III. PLaudite, felices populi, nova vota tenentes,
Præsulis adventu reddite vota Deo.
Hoc puer exortus * celebret, hoc curva senectus,
Hoc commune bonum prædicet omnis homo.
Spes gregis ecce venit, plebis pater, urbis amator,
Munere Pastoris lætificentur oves.
Sollicitis oculis quem prospera vota petebant,
Venisse adspiciant, gaudia festa colant.
Jura Sacerdotii meritò reverenter adeptus,
Nomine Gregorius, Pastor in urbe gregis.
Martino proprium mittit Julianus alumnum (a), E
Et fratri præbet quod sibi dulce fuit.
Quem Patris (b) Ægidii Domino manus alma sacravit,
Ut populum recreet, quem Radegundes amet.
Huic Sigibertus ovans favet et Brunichildis honori,
Judicio Regis nobile culmen adest.
Quo pascente, greges per pascua sancta regantur,
Et Paradisiaco germine dona metant.
Immaculata pii qui servet ovilia Christi,
Ne pateant rabidis dilaceranda lupis.

* *al.* exertus.

(a) Ipse Gregorius se dicit S. Juliani alumnum, lib. 2. Mirac. cap. 2.
(b) Is erat Episcopus Remensis.

A Pervigili cura stabulum sine labe gubernet,
Commissumque gregem nulla rapina gravet.
Muniat inclusos preciosi velleris agnos,
Et quos servatos protegat ipse vigil, etc.

Ad Felicem (a) *Episcopum Namneticum.*

VIII. Sentio, summe Pater, lumen venerabile cunctis,
Orbis dulce caput, mihi nomen amabile Felix,
Amplectens quem corde gero pietatis in ulnis,
Pondus suave meum, nec onus gravat istud amantem.
Cur humilem me summe vocas loca visere blanda,
B Quæ te chare tenent, tecum modularer in illis?
Qua tua rura lavat vitrea Liger algidus unda,
* Cariaci speciosus ager devexus in amnem, * *le Cher.*
Hinc ubi flumen aquis recreat, hinc pampinus umbris,
Et crepitans Boreas tot prata comata flagellat.
Uber nempe solum, piscoso littore pulchrum.
Sed Fortunatum facies tua reddit amœnum.

Ad Aredium (b) *Abbatem.*

XXII. Opto, benigne Pater, verbo tibi ferre salutem,
Si minus hinc oculo cernere te valeo.
C Est etenim vestri tantus mihi cultus honoris,
Ut pro me occurrat hinc tibi missus apex.
Quæso, beate, tamen per dulcia pabula Christi,
Me quoque commemores, cùm dabis ore preces.
Munera credo Dei tribui mihi, Pastor Aredi,
Si Fortunati sis memor alme tui.
Pro me etiam sanctam genitricem chare salutans,
Cùm redit iste puer, redde loquentis opem.
Vos itidem genitæ propriæ, Pater ample, salutant,
Agnes amore pio cum Radegunde simul.

(a) De eo jam suprà pag. 480. Interfuit Concilio Paris. III. an. 557. celebrato: vivebat adhuc an. 579.
D ut patet ex lib. 5. cap. 32. Hist. Gregorii Turonensis.
(b) Ejus Vitam describit Gregorius Turon. l. 10. Hist. cap. 29. quæ quidem Vita est epitome alterius Vitæ ab eodem Gregorio scriptæ, quam edidit Mabillonius inter Acta SS. Ordinis Benedict. sæc. 1. pag. 349. Hæc quoque postrema Vita videtur esse epitome alterius multò fusioris, ab eodem Mabillonio ex vetusto ms. cod. S. Galli erutæ, quam vulgavit Ruinartius ad calcem Operum Gregorii Turonensis pag. 1283.

EX LIBRO SEXTO.

De Domno SIGIBERTO (a) *Rege.*

I. VEre novo tellus fuerit dum exuta pruinis,
E Se picturato gramine vestit ager.
Longiùs extendunt frondosa cacumina montes,
Et renovat virides arbor opaca comas.
Promittens gravidas ramis genitalibus uvas,
Palmite gemmato vitis amœna tumet.
Præmittens flores gracili blandita susurro,
Deliciosa favis mella recondit apes.
Progeniem reparans casto fœcunda cubili,
Artificis natos gignere flore cupit.
Nexibus apta suis pro posteritatis amore,
Ad fœtus properans garrula currit avis.

(a) Sigibertus patri suo Chlotario successit anno 561.

Semine quisque suo senio juvenescit in ipso , A
Omnia dum redeunt gaudia mundus habet.
Sic modò cuncta favent , dum prosperitate superna
Regia Cæsareo proficit Aula jugo.
Ordine multiplici felicem in sæcula Regem ,
Undique cinxerunt lumina tanta Ducum.
Culmina tot procerum concurrunt culmen ad unum ,
Mars habet ecce Duces , pax habet ecce decus.
Cunctorum adventu festiva Palatia fervent.
Conjugio Regis gens sua vota videt.
Vos quorum irriguis fontis meat unda , favete ,
Judicio vestro crescere parva solent.

B

De nuptiis Sigiberti (a) *Regis et Brunichildis Reginæ.*

11. Felicem , Sol, pande diem , radiisque serenis
Sparge comas , thalamos sincero lumine complens.
Sigibertus ovans ad gaudia nostra creatus ,
Vota facit , qui nunc alieno liber amore ,
Vincula chara subit , cujus moderante juventa
Connubium mens castra petit , lasciva retundens ,
Ad juga confugit , cui nil sua surripit ætas.
Corde pudicus agens , rector tot gentibus unus ,
Et sibi fræna dedit , sed quod natura requirit ,
Lege maritali amplexu est contentus in uno : C
Quo non peccat amor , sed casta cubilia servans
Instaurat de prole lares , ubi luserit heres.
Torsit amoriferas arcu stridente sagittas
Fortè Cupido volans , terris genus omne perurit.
Nec pelagus defendit aquas , nox vilia corda
Subdit vulgus iners. Tandem dehinc sensus opimi
Regis anhelantem placidis bibit ossibus ignem ,
Molliter incumbens , et inhæsit flamma medullis.
Regalis fervebat apex , nec nocte sopora
Cordis erat requies oculis , animoque recurrens
Ad vultus quos pinxit * amor , mentemque fatigans
Sæpe per amplexum falsa sub imagine lusit. D
Mox ubi conspexit telo superante Cupido
Virginea mitem torreri lampade Regem,
Lætus ait Veneri : « Mater , mea bella peregi ,
» Pectore flagranti mihi vincitur alter Achilles.
» Sigibertus amans Brunichildæ carpitur igne ,
» Quæ placet apta thoro , maturis nubilis annis,
» Virginitas in flore tumens , complexa marito *
» Primitiis placitura suis , nec damna pudoris
» Sustinet , unde magis pollens Regina vocatur.
» Hoc quoque virgo cupit , quamvis verecundia sexûs
» Obstet , amata viri , dextrâ leviore repellit , E
» Ignoscitque sibi culpas quas intulit ignis.
» Sed modò læta veni , quoniam te vota requirunt. »
Mox Venus ambrosio violas admiscet amomo ;
Demetit ungue rosas , gremioque recondit avaro.
Et pariter levibus fregerunt nubila pennis ,
Et venere simul thalamos ornare superbos.
Hinc Venus egregiam præponere cœpit alumnam ,
Inde Cupido virum , nubentibus ambo faventes ,

* finxit.

* *al.* maritum.

(a) Sigibertus misit legatos in Hispaniam ad Athanagildum Gothorum Regem, hujus filiam Brunichildem connubio sibi sociari postulans. Vide Gregorium Turon. lib. 4. cap. 27. Sigebertus in Chronico ait Brunichildem in Franciam venisse anno Sigiberti Regis quinto, id est Chr. 566.

A Et litem fecere piam. Sic deinde Cupido
Matri pauca refert : « Tibi quem promisimus hic est
» Sigibertus, amor populi, lux nata parentum,
» Qui genus à proavis longo tenet ordine Regum,
» Et Reges geniturus erit, spes gentis opimæ,
» Quo crevit natale decus, generosa propago.
» Ac melior de stirpe redit, famamque priorum
» Posteritas excelsa fovet : hic nomen avorum
» Extendit bellante manu : cui de patre virtus,
» Quam (a) Nabis ecce probat, Thoringia victa fatetur,
» Perficiens unum gemina de gente triumphum.
» Nec Dietheuberto (b) pietas venialia pendit.
B » Perdidit (c) ista duos, ambobus sufficit unus.
» Cardinis occidui dominans in flore juventæ,
» Jam gravitate senes, tenerosque (d) supervenit annis.
» Legem naturæ meruit præcedere factis.
» Quamvis parva tamen, nullum minor impedit ætas,
» Qui sensum maturè regit, generosior hic est,
» Quisquis in angusto fuerit moderatior ævo.
» Sic fovet hic populos ipsis intrantibus annis,
» Ut pater et Rex sit. Nullum graviter regit, omni
» Nulla dies sine fruge venit, nisi congrua præstet.
» Perdere plura putat, si non concesserit ampla ;
C » Gaudia diffundit radianti lumine vultûs.
» Nubila nulla gravant populum sub Rege sereno,
» Pectore maturo culpas indulget acerbas,
» Unde alii peccant, ignoscendo iste triumphat.
» Doctus enim quoniam prima est in Principe virtus
» Esse pium, quia semper habet, qui parcere novit,
» Corrigit in se * priùs quod poscit ut alter emendet. * ipse.
» Quid sibi censura est, reliquos bene lege coërcet :
» In quo digna manent, quicquid de Rege requiras.
» Solus amat cunctos, et amatur ab omnibus unus.
Incipit inde Venus laudes memorare puellæ :
« O virgo miranda mihi placitura jugali,
D » Clarior ætherea Brunichildes lampade fulgens.
» Lumina gemmarum superasti lumine vultûs.
» Altera nata Venus, regno dotata decoris,
» Nullaque Nereidum de gurgite talis Hibero
» Oceani sub fonte natat, non ulla Napea
» Pulchrior, ipsa suas subdunt tibi flumina nymphas.
» Lactea cui facies incocta rubore coruscat.
» Lilia mixta rosis, aurum si intermicet ostro,
» Decertata tuis nunquam se vultibus æquant.
» Saphirus, alba adamas, crystalla, smaragdus, iaspis,
» Cedant cuncta ; novam genuit Hispania gemmam.
» Digna fuit species, potuit quoque flectere Regem.
E » Per hyemes validas nivibus Alpemque Pyrenem,
» Perque truces populos vecta est, Duce Rege sereno.
» Terrenis Regina toris super ardua montis
» Planum carpis iter. Nihil obstat amantibus unquam,
» Quos jungi divina volunt. Quis crederet autem
» Hispanam tibimet romnam, Germania (e), nasci,
» Quæ duo regna jugo præcio * connexuit uno ? * preciosa conexuit.
» Non labor humanus potuit tam mira parare :

(a) *Nabis* seu *Nablis* fluvius non procul à Mœni fontibus exoriens, prope Ratisbonam Danubium ingreditur.

(b) Browerus Theodebertum intelligit, qui cum Theodorico patre Thuringico prælio interfuit, ut tradit Gregorius lib. 3. cap. 7.

(c) Tres codd. mss. *sed dedit iste duos.*

(d) *Supervenit*, id est, *superat.*

(e) Clarissimè hîc Fortunatus Francici generis homines ad Germanicam originem revocat, atque ab advenis Francis subjectas Sigeberto Belgarum etiam provincias nomine Germaniæ censet. *Browerus.*

» Nam res difficilis divinis utitur armis. A
» Longa retrò series Regi hoc vix contulit ulli.
» Difficili nisu peraguntur * maxima rerum.
» Nobilitas excelsa nitet, genus Athanagildi.
» Longius extremo regno qui porrigit orbi.
» Dives opum quas mundus habet, populumque gubernat
» Hispanum sub jure suo pietate canenda.
» Cur tamen egregii genitoris regna renarrem,
» Quando tuis meritis video crevisse parentes?
» Tantùm, Virgo micans, turbas superare videris
» Femineas, quantùm tu, Sigiberte, maritos.
» Ite diu juncti membris, et corde jugati,
» Ambo pares genio, meritis et moribus ambo. B
» Sexum quisque suum preciosis actibus ornans,
» Cujus amplexu sint colla conexa sub uno,
» Et totos placidis peragatis lusibus annos.
» Hoc velit alterutrum * quicquid dilexerit alter.
» Æqua salus ambobus eat, duo pectora servet,
» Unus amor vivo solidamine junctus alescat.
» Auspiciis vestris cunctorum gaudia surgant.
» Pacem mundus amet, victrix concordia regnet.
» Sic iterùm natis celebretis vota parentes,
» Et de natorum teneatis prole nepotes. » C

* *al.* superantur.

* alteruter.

De Sigiberto Rege et Brunichilde Regina.

III. Victor ab occasu quem laus extendit in ortum,
Et facit egregium Principis esse caput :
Quis tibi digna ferat? Nam me vel dicere pauca
Non trahit ingenium, sed tuus urget amor.
Si nunc Virgilius, si forsitan esset Homerus,
Nomine de vestro jam legeretur opus.
Sigiberte potens, generosis clare triumphis,
Hinc nova te virtus prædicat, inde genus.
Cujus rapta semel sumpsit Victoria pennas,
Et tua vulgando prospera facta, volat. D
Saxone (a) Thuringi resonant, sua damna moventes,
Unius ad laudes tot cecidisse viros.
Quòd tunc ante aciem pedibus prior omnibus isti,
Hinc modò te Reges unde sequantur habent.
Prosperitate nova pacem tua bella dederunt,
Et peperit gladius gaudia certa tuus.
Plus tamen ut placeas, cùm sit Victoria jactans,
Tu magis unde subis, mitior inde manes.
Est tibi summus honor, sed mens præcessit honorem,
Moribus ut vestris debitus extet apex.
Justitiæ cultor, pietatis amore coruscas,
Quòd te plus habeat, certat utrumque bonum. E
Lingua, decus, virtus, bonitas, mens, gratia pollent,
Ornarent cunctos singula vestra viros.
Cunctorum causas intra tua pectora condis,
Pro populi requie te pia cura tenet.
Omnibus una salus datus es, quali ordine sacro
Tempore præsenti gaudia prisca refers.
Catholico cultu decorata est optima conjux,
Ecclesiæ crevit, te faciente, domus.
Reginam meritis Brunichildem Christus amore
Tunc sibi conjunxit, hanc tibi quando dedit.

(a) Censet Browerus legendum, *Saxone Thuringo resonat*, hîcque sermonem esse de Victoria. Constat enim Thuringos in Francorum bellis auxiliares fuisse Saxonibus, et utrosque à Sigeberto victos.

Altera

A Altera vota coles meliùs quia munere Christi,
Pectora juncta priùs plus modò lege placent.
Rex pie, Reginæ tanto de lumine gaude:
Acquisita bis est, quæ tibi nupta semel.
Pulchra, modesta, decens, solers, grata atque benigna:
Ingenio, vultu, nobilitate potens.
Sed quamvis tantum meruisset sola decorem,
Antè tamen homini, nunc placet ecce Deo.
Sæcula longa micans chara cum conjuge ducas,
Quam tibi divinis consociavit amor.

De Chariberto (a) *Rege.*

B IV. Inclyta magnarum processit gloria rerum,
Et de Rege pio sparsit ubique decus.
Quem gravitate, animo, sensu, moderamine legum
Prædicat occiduus sol oriensque virum:
Qui quadripartitis mundi sub partibus ampli
Fructificante fide semina laudis * habet.
Hinc cui barbaries, illinc Romania (b) plaudit,
Diversis linguis laus sonat una viri.
Dilige regnantem celsa Parisius arce,
Et cole tutorem qui tibi præbet opem.
C Hunc modò læta, favens avidis amplectere palmis,
(a) Sic Trevir. ms. aliàs *congrues amnis,* sed perceunte sententia. Nam ex pentametro constat Sidonium opere publico bona præbuisse aquis. Itaque minùs apta quidem locutione, sed quæ facilè capiatur, Venantium id voluisse reor, Sidonium munisse ripas, et amnium duorum violentiam, Rheni et Mœni, qui nivibus et imbribus inflati conjunctique, validiore cum impetu ripis Moguntiaco proximis inferri solent, coërcuisse operibus, aut molitione aggerum. *Browerus.*

(b) Parisiensis erat Episcopus, de quo Gregorius lib. 5. cap. 14. et alibi passim.

(c) Fortè *Rucco* et *Ragne,* idem Theudiscis.

(d) *Genitæ* sunt Radegundis et Agnes, ad quas Ragnemundus munera miserat.

(e) Abbatis dignitatem gerebat Parisiis in monasterio sancti Vincentii, nunc sancti Germani à Pratis.

A Si non ipse adii, te pagina missa salutet,
Solvat et obsequium, quod minùs ipse gero.
Commendesque libens dominis me Regibus, oro,
Et referas grates pro pietatis ope.
Impenso affectu me pagina vestra requirat,
Hoc remeante tamen redde benigne vicem.

Ad Lupum et Waldonem Diaconum.

XII. Corde parentali jugi pietate colendi,
Hinc Lupe blande mihi, Waldo vel inde sacer.
Ut bonitate pari simul estis honore ministri,
B Sic mihi consimili semper amore rati.
Quod valeo facio, absens dependo salutem,
Si non possum oculis, vos peto litterulis.
Pontifici summo nos commendate, precamur,
Regibus et dominis ferte salutis opes.
Droctoveo, dulci Clero, et concivibus, oro,
Quod præsens facerem, vos adhibete vicem.
Mummulus egregius veneretur, Cæsareusque,
Et Constantino me memorate meo.

Ad Chrodinum (a) *Ducem.*

C XVI Inclyte Dux meritis totum vulgate per orbem,
Quem nimis egregium splendida fama refert.
Non ego prætéream præconia celsa, Chrodine :
Ne videar solus magna silere bonis.
Itala terra tibi, pariter Germania plaudunt,
Laus tua cunctorum semper in ore sonat.
Clarus ab antiquis digno generosior ortu,
Regibus et patriæ qui placiturus eras :
Tutoremque alii, nutritoremque fatentur,
Et fit certamen de pietate tua.
Ut habeant alii, nulli tua dona recusas,
D Tu tibi plus auges, quas bene fundis opes.
Cui possis præstare, lubens exquiris, et optas,
Ut sis apud cunctos, hoc facis esse tuos.
Es generale bonum, nulli gravis, omnibus æquus,
Justitiæ socium nulla rapina tenet.
Mitis in alloquio, placidus, gratus * atque modestus,
Omnia cui data sunt, ut decus omne geras.
Gentibus adstrictus, Romanis charus haberis.
Felix qui populis semper in ore manes.

* *al.* pius.

(a) Chrodini virtutes et mortem in anno Childeberti septimo (Chr. 582.) memorat Gregorius l. 6. c. 20.

E

EX LIBRO DECIMO.

Ad Childebertum Regem et Brunichildem Reginam.

VIII. SI præstaretur præconia pandere Regum,
Non mihi sufficeret nocte dieque loqui.
Qualiter hic populus dominorum pendet amore *,
Et vestris oculis lumina fixa tenent.
Vos quibus et speculum et lux et dulcedo manetis,
Charum ornamentum, his simul estis honos.
Præcipuum donum, placidum et placabile regnum,
Ac vestro in statu est culmen in orbe pium *.

* *fortè*, ab ore.

* *f.* in obsequium.

Hisque parentela et patria et tutela coruscat, A
Hîc decus atque gradus, hîc pietatis opus.
Hîc tranquilla dies, hîc spes jocunda fideli :
Postque Deum in vobis dona salutis habent.
Hîc ego cum populo mea vota et gaudia jungo,
Quæ pius amplificans crescere Christus agat.
Præstet cura Dei vos longa in sede tueri,
Cœlesti ac dono regna tenere diu.
Adquiratis adhuc nova, vel possessa regatis,
Ac piè participes has foveatis opes.
* *Brunichildem alloquitur.* Ut * tibi quæ floret de nato et germine, messem
Maturam videas, mater honore micans.
Sic ut ex genito genitisque nepotibus amplis, B
Altera progenies inclyta detur avæ.
De Childeberti dulcedine, flore, salute,
Fructum habeas genitrix; plebs sua vota videns.
De nata atque nuru cumulet tibi dona Creator;
* *al.* pio. Cumque tuo * merito stes placitura Deo.
Hîc quoque promerear rediens dare verba salutis
Congaudens Dominis parvulus ipse piis.
Prospera sint Regum, populorum gaudia crescant :
Exultet regio; stet honor iste diu.

De navigio (a) *suo.* C

IX. Regibus occurrens ubi Mettica mœnia pollent,
Visus et à Dominis ipse retentor equo.
Musellam hinc jubear percurrere navita remo,
Accelerans tremulis pergere lapsus aquis.
Ascendensque ratem gracili trabe nauta cucurrit;
Nec compulsa Nothis prora volabat aquis.
Intereà locus est per saxa latentia ripis,
Littore constricto plus levat unda caput.
Huc proram implicitam rapuit celer impetus actam,
Nam propè jam tumidas ventre bibebat aquas.
Ereptum libuit patulos me cernere campos, D
Et fugiens pelagus ruris amœna peto.
Gurgite suscipior subter quoque fluminis (b) Ornæ,
Quò duplicata fluens unda secundat iter.
Inde per exclusas cauta rate pergimus undas,
Ne veluti piscem me quoque nassa levet.
Inter villarum fumantia culmina ripis,
Pervenio quà se volvere Sura valet.
Inde per extantes colles et concava vallis
Ad Suram pronis labimur amnis aquis.
Perducor Trevirûm quà mœnia celsa patescunt,
Urbs quoque nobilium nobilis æquè caput.
Ducimur hinc fluvio per culmina prisca Senatûs, D
Quò patet indiciis ipsa ruina potens.
Undique prospicimus minitantes vertice montes,
Nubila quò penetrans surgit acuta silex.
Quà celsos scopulos prærupta cacumina tendunt,
Hispidus et tumulis crescit ad astra lapis.
Nec vacat his rigidis sine fructibus esse lapillis;
Denique parturiunt, saxaque vina fluunt.
Palmite vestitos hîc respicis undique colles,
Et vaga pampineas ventilat aura comas.

(a) Hîc iter suum pronâ Mosellâ ab urbe Mediomatricum per Treviros et Confluentes Antonnacum usque navigio factum describit Fortunatus.

(b) *Orna* prope Theodonis villam in Mosellam effluit; licèt non sit navium patiens, ad fluminis honorem evehitur à Fortunato.

A Cautibus insertis densantur in ordine vites,
Atque supercilium regula picta petit.
Culta nitent inter horrentia saxa colonis,
In pallore petræ vitis amœna rubet.
Aspera mellitos pariunt ubi saxa racemos,
Et cote in sterili fertilis uva placet.
Quo vineta jugo calvo sub monte comantur,
Et tegit umbrosus sicca metalla viror.
Inde coloratas decerpit vinitor uvas,
Rupibus adpensis pendet et ipse legens.
Delicias oculis habui, dapibusque cibatus,
Hæc jocunda tenens navita regna sequens.
B Hinc quoque ducor aquis, quà se rate Contrua (a) complet,
Quò fuit antiquum nobilitate caput.
Tum venio quà se duo flumina (b) conflua jungunt,
Hinc Rhenus spumans, inde Mosella ferax.
Omne per illud iter servibant piscibus undæ,
Regibus et Dominis copia fervit aquis.
Ne tamen ulla mihi dulcedo deesset eunti,
Pascebar musis, aure bibente melos.
Vocibus excussis pulsabant organa montes,
Reddebantque suos pendula saxa tropos.
Laxabat placidos mox ærea tela susurros;
Respondit cannis rursùs ab alpe frutex.
C Nunc tremulo fremitu, modò plano musica cantu,
Talis rupe sonat, qualis ab ære meat.
Carmina divisas jungunt dulcedine ripas;
Collibus et fluvio vox erat una tropis.
Quò recreet populum, hoc exquirit gratia Regum:
Invenit et semper quo sua cura jubet.
Antonnacensis (c) Castelli promptus ad arces,
Inde propè accedens, sarcina pergo ratis.
Sint licèt hîc spatiis vineta in collibus amplis
Altera pars plani fertilis extat agri.
Plus tamen illa loci speciosi copia pollet,
Alter quod populis fructus habetur aquis.
D Denique dum præsunt Reges in sedibus aulæ,
Ac mensæ officio prandia festa colunt.
Retibus inspicitur quo salmo fasce levatur,
Et numerat pisces, cùm sit in arce sedens.
Rex favet, immensa resilit dum piscis ab unda,
Atque animos reficit, quòd sua præda venit.
Illuc fausta videns, huc læta palatia reddens,
Pascens ante oculos, pòst fovet ipse cibis.
Præsentatur item mensæ Rheni advena civis,
Turbaque quò residens gratificatur edens.
Ista diu Dominus Dominis spectacula præstet;
Et populis dulces detis habere dies.
E Vultibus ex placidis tribuatis gaudia cunctis,
Vester et ex vestris lætificetur apex.

De Platone (d) *Episcopo.*

XVII. Provida disponunt Reges solatia plebi,
Pontificem dantes, quem probat alma fides.

(a) Contruam rivulum esse, qui paulò supra Confluentes in Mosellam labitur, quique *Condta* nomen retinet, putat Browerus.

(b) Clarissimæ urbi nomen dedere, quæ *Confluentes* vocatur, vulgò *Coblentz*.

(c) Antonnacum Austrasiæ Regibus sedem præbebat. Hodie oppidum non incelebre est, *Andernach* dictum.

(d) Hunc vocat Archidiaconum suum Gregorius lib 5. cap. 50. Factus est Episcopus Pictaviensis anno 592. cui defuncto anno 599. successit ipse Fortunatus.

Ut colat Hilarium, quem dat Martinus alummum, A
Et Confessoris protegat ala potens.
Dirigat hic populum successor honore beato,
Et Clerum Ecclesiæ qui moderetur ope.
Floreat arce decens Rex Childebertus in orbe,
Cum genitis, populo, matre, sorore, jugo.
Gaudia læta paret præsentia sancta Gregori,
Et geminas urbes adjuvet una fides.
Qui modò discipulo Platone Antistite summo,
Sollemnem Ecclesiæ hic dedit esse diem.

Ad Armentariam (a) *matrem domini Gregorii Episcopi.* B

XVIII. Felix bis meritis sibi Machabæa, vel orbi,
Nobilitas generis nobilior genitis.
Quæ septem cœlo palmas transmisit ab alvo,
Martyriique decus protulit ille uterus.
Tu quoque prole potens rectè, Armentaria, felix,
Nec minor ex partu, quàm prior illa sinu.
Illa vetus numero major, tu maxima cœlo:
Quod poterant plures, unicus hoc tuus est.
Fœtu clara tuo, geniti circumdata fructu,
Est tibi Gregorius palma corona novus.
Me Fortunatum humilem commendo verenter, C
Ac mihi cœlestem, quæso, preceris opem.

Sigoaldo (b), *pro Comitatu ejus.*

XIX. Finibus Italiæ cùm primùm ad regna venirem,
Te mihi constituit Rex Sigibertus opem.
Tutior ut graderer tecum comitando viator,
Atque pararetur hinc equus, inde cibus.
Implesti officium, custos revocaris amico,
Et mihi vel tandem jam mea cura redit.
Dic meus, unde venis post tempora plurima, dulcis,
Magnus honore tuo, major amore meo? D
Promptus in affectu, Sigoalde benigne, clientum,
Et Fortunato nomen amice pium.
Rex Childebertus crescens te crescere cogat,
Qui modò dat Comitis, det tibi dona Ducis.
De domino tali videant sua vota fideles,
Cursibus et fiat prospera vita via.

Ad Sigoaldum Comitem, quòd pauperes pro Rege paverit.

XX. Actibus egregiis præconia fulgida fulgens,
Laus tua, Christe, sonet, dum bona quisque gerit.
Unde genus hominum placeat, tu summe, ministra, E
Nam nisi tu dederis, prospera nullus agit.
Divitibus largus, fortè hinc et parcus egenis,
Ut * redimat dives, quando fovetur egens.
Dulciter ista tui pia sunt commercia regni,
Dum escam sumit egens, divitis auget opes.
Pauper ventre satur satiat mercede potentem,
Parva capit terris, præparat ampla polis.
Divitibus plus præstat egens, quàm dives egenti:
Dat moritura cibi, sumit opima Dei.

* se.

(a) Armentaria mater Gregorii Turonensis, erat sancti Gregorii Lingonensis Episcopi neptis ex filia.

(b) Sigoaldus Comes Austrasiæ, Fortunato olim in Sigeberti regnum venienti dux itineris ac curator à Rege datus fuerat.

Dans

A Dans terræ nummum, missurus ad astra talentum,
Et modicis granis surgat ut alta seges.
Dent, jactent, spargant, commendent semina Christo,
Hîc dare nec dubitent quæ reditura manent.
Da, si Christus erit tibi thesaurarius inde,
Præsta inopi quidquid reddere Christus habet.
Hac animatus ope, exposcens meliora Tonantis,
Nec dubitante fide, quòd Deus ista dabit:
Pro Childeberti Regis florente salute,
Surgat ut in solio qui fuit altus avo.
Fiat ut hinc juvenis validis robustior annis,
Ceu viguit proavus, sic sit in orbe nepos.
B Ergo suus famulus Sigoaldus amore fidelis,
Pauperibus tribuit, Regis ut extet apex.
Hinc ad Martini venerandi limina pergens,
Auxilium domini dum rogat ipse sui.
Et dum illic moderans Rex pro regione laborat,
Ut precibus sanctus hunc juvet, illud agit.
Denique procedens cupidus sacra festa tenere,
Pauperibus Christi præbuit ipse dapem.
Dispensata placent alimenta per agmina Christi,
Pascitur et populus, quem fovet arce Deus.
Plurima cæcorum refovetur turba virorum,
Est quibus interna lux Deus atque via.
C Hinc alitur claudus, quem dirigit ordine Christus,
Quique sui domini pendulus implet opus.
Quis referat tantos memorare sub ordine morbos,
Occurrens pariter quos sua cura fovet?
Unde catervatim coëuntia millia pascens,
Erogat ut habeat, Rex quoque cuncta regat.
Te Fortunatus Comes hinc Sigoalde salutans,
Regis in auxilium des meliora, precor.

Ad Galactorium (a) *Comitem.*

XXII. Venisti tandem, quod debebaris amice,
D Antè Comes merito, quàm datus esset honor.
Burdigalensis eras, et cùm defensor, amator,
Dignus habebaris hæc duo digna regens.
Judicio Regis valuisti crescere judex,
Famaque quod meruit regia lingua dedit.
Debet et ipse potens, ut adhuc bene crescere possis,
Præstet ut arma Ducis, qui tibi restat apex.
Ut patriæ fines sapiens tuearis, et urbes
Adquiras ut ei, qui dat opima tibi.
Cantaber ut timeat, Vasco vagus arma pavescat,
Atque Pyrenææ deserat Alpis opem.
E Aut quasi grande loquor, facit hoc sacer unicus auctor,
A Domino erigitur parvus et altus homo.
De tyrone Duces, venit (b) et de milite Princeps,
Ut reliquos taceam, Justinianus erat.
Hoc et in Ecclesia Christo tribuente refertur,
De Exorcista aliquo Pontificalis honor.
Egregius merito Martinus testis habetur,
Qui fuit antè sacer, quàm sacra jura daret.
Hoc agit Omnipotens, totum qui condidit orbem,
Magnaque sola putes quæ facit ipse potens.

(a) Garacharium vocat Gregorius Turon. lib. 8. cap. 6. De eo jam suprà pag. 519.
(b) Broweri editio, *Duces veniunt, de milite.*

Lætior ergo precor maneas in culmine rector, A
Majora sperans vir ratione sagax.
Rege sub hoc florens, æternaque regna requirens.
. . . . . .
Justitia ac pietas tecum comitata coruscent,
Illa tuum pectus protegat, ista latus.
Alta fides etiam, dilectio fida nitescat,
Et fortunato sis, Comes, amplus amor.

EX LIBRO SINGULARI III. B

Ad (a) *Artarchin.*

POst patriæ cineres, et culmina lapsa parentum,
Quæ hostili acie terra Toringa tulit;
Si (b) loquar infausto certamine bella peracta,
Quas priùs ad lacrymas femina rapta trahar?
Quid mihi flere vacet pressam hanc funere gentem?
An variis vicibus dulce ruisse genus?
Nam pater (c) antè cadens, et avunculus inde secutus,
Triste mihi vulnus fixit uterque parens.
Restiterat germanus (d) apex, sed sorte nefanda C
Me pariter tumulo pressit arena suo.
Omnibus extinctis, heu! viscera dura dolentis!
Qui super unus eras, Hamalafrede (e), jaces.
Sic Radegundis enim per tempora longa requiror,
Pertulit hæc triste pagina nostra loqui.
Tale venire diu expectavi munus amantis,
Militiæque tuæ hanc mihi mittis opem?
Dirigis ista meo nunc serica vellera penso,
Ut dum fila traho, soler amore soror?
Siccine consuluit valido tua cura dolori,
Primus et extremus nuncius ista daret?
Nos aliter lacrymis per vota cucurrimus amplis, D
Venerat, optanti dulcia, amara dari.
Anxia sollicito torquebar pectora sensu,
Tanta animi febris his recreatur aquis.
Cernere non merui vivum, nec adesse sepulcro,
Perferor exequiis altera damna tuis.
Cur tamen hæc memorem tibi, care Artarchis alumne,
Fletibus atque meis addere flenda tuis?
Debueram potiùs solamina ferre parenti,
Sed dolor extincti cogit amara loqui.
Non fuit ex longa consanguinitate propinquus,
Sed de fratre patris proximus ille parens. E
Nam mihi Bertharius pater, illi Ermenefredus,
Germanis geniti, nec sumus orbe pari.
Vel tu, care nepos, placidum mihi redde propinquum,
Et sis amore meus quod fuit ille priùs,
Meque (f) Monasterio missis rogo sæpe requiras,
Ac vestro auxilio stet locus iste Deo.

(a) Cod. ms. Trevir. habet: *Artachi Rhadegundis nepoti.*

(b) Rhadegundis loquens inducitur.

(c) Pater Rhadegundis Bertharius à fratre suo Hermenefrido interfectus. Ipse Hermenefridus Rhadegundis patruus à Francis ad Unstrudam flumen victus, Tolbiaci regno ac vita exutus est. Rhadegundis captiva abducta, Chlothario nupsit.

(d) Rhadegundis fratrem injustè occidit Chlotharius, ut tradit Gregorius lib. 3. cap. 7.

(e) Hamalafredus filius erat Hermenefridi, ut paulò pòst dicitur.

(f) Monasterium à Rhadegunde conditum apud Pictavos, etiamnunc sub S. Crucis titulo perseverat.

A Ut cum matre pia vobis hæc cura perennis
Possit in astrigero reddere digna throno.
Nunc dum distribuat vobis felicibus ut sit
Præsens larga salus, illa futura decus.

EX TOMO I. ANALECTORUM MABILLONII, pag. 366.

Ad Childebertum Regem Sigiberti Regis filium.

REx (a) regionis apex, et supra regna regimen,
Qui caput es capitum, vir capitale bonum.
Ornamentorum ornatus ornatiùs ornans,
B Qui decus atque decens cuncta decenter agis.
Primus et à primis, prior et primoribus ipsis,
Qui potes ipse potens, quem juvat Omnipotens.
Dulcia delectans, dulcis, dilecta potestas,
Spes bona vel bonitas, de bonitate bonus.
Digne nec indignans, dignus, dignatio, dignans,
Florum flos, florens florea, flore fluens;
Childeberte cluens, hæc Fortunatus amore
Paupere de censu pauper et ipse fero.
Audulfum famulum commendo supplice voto,
Me quoque : sic nobis hic domineris apex.

C

(a) Hos versus eruit Mabillonius ex codice Virdunensis Cœnobii S. Vitoni ab annis ferè octingentis manu scripto.

QUÆDAM EPITAPHIA VETERA

Ex vetusto Cod. ms. Bibliothecæ Alex. Petavii Senatoris Parisiensis primùm evulgata ab Andrea Chesnio Tom. I. Script. Franc. pag. 513.

Titulus memoriæ sancti Justi (a).

D

HIc patris antiqui condigno nomine Justi
In spe perpetuæ requiescunt pignora vitæ :
Membra beata satis quæ semper dedita Christo,
Per varios semet cruce confixere labores,
Ut meliùs celeri rapiantur in aëre nube,
Cùm cœlo adveniens Judex effulserit ipse.
Hic fuit egregius primùm Levita Viennæ :
Inde gregem Domini, doctrinâ insignis et actu,
Conspicuus Præsul Lugduni pavit in urbe.
Pòst Anachoriticæ vitæ flammatus amore,
Longinqua Ægypti sitiens deserta petivit,
Quò senibus sacris pietatis fœdere junctus,
E Cùm miram extremo clausisset lumine vitam,
Plebis amore suæ patriam revocatus ad urbem,
Cum viatore pio Christi tumulatur ad aram :
Ut quos pervigili vivens pietate nutrivit,
Continuis precibus foveat per sæcula natos.

Titulus memoriæ sancti Waldomeris.

11. Hic famulus Christi mira virtute refulgens,
Waldomeris humo conditus, astra tenet.

(a) Justus Lugdunensis erat Episcopus. De eo fit mentio apud Gregorium in Vitis Patrum cap. 8. num. 5.

Conspicuus vita, preciosa morte sacratus, A
Credentûm populis dona beata ferens.
Hujus enim precibus solvuntur vincla reatûs,
Et præsens Christus fert bona cuncta suis.
Languidus hinc hospes remeat, hîc dæmonis atri
Vis truculenta fugit, vita salusque redit :
Hîc perdunt Zabulus vires, incendia Maurus :
Cedunt hîc meritis tartara, sancte, tuis.
Te pietas, te clara fides provexit ad astra :
Nos tua prex tristi servet ab igne reos.
Soli insunt tumulo sacrati corporis artus :
Vidimus ipsi, oculis fit manifesta fides. B

Epitaphium sanctorum Severini (a), *Exsuperii et Feliciani.*

III. Martyribus reverenda tribus hæc fulgurat Aula,
Quorum cœlesti servantur nomina libro.
Hi Domini ob nomen felici sorte perempti,
Urbe Viennensi æthereas sumpsere coronas.
Inde huc translati post longi temporis annos,
Præsentem inlustrant meritis vivacibus Aulam
Conspicuo in templo, præfatæ quod pius urbi
Condidit Antistes, tantoque honore beavit,
Seque piis supplex tradens in secla paronis, C
Hîc vitâ excessit, hîc sacris conditur arvis :
Quem sine fine tegens foveat miseratio Christi.
Nomina Sanctorum cupiens cognoscere Lector,
Scito Severinum, Exsuperium ac Felicianum :
Auctoris nomen commendant scripta sepulcri.

Epitaphium Caretenes religiosæ Reginæ, quæ condita est Lugduni in Basilica S. Michaëlis.

IV. Sceptrorum columen, terræ decus, et jubar orbis,
Hoc artus tumulo vult Caretene (b) tegi.
Quà famulam tu, Christe, tuam, rerumque potentem
De mundi regnis ad tua regna vocas. D
Thesaurum ditem felici fine secutam,
Fotis pauperibus quem dedit illa Deo.
Jamdudum castum castigans aspera corpus,
Dilituit vestis murice sub rutilo.
Occuluit læto jejunia sobria vultu,
Secretèque dedit regia membra Cruci.
Principis excelsi curas partita mariti,
Adjuncto rexit culmina consilio.
Præclaram sobolem dulcesque gavisa nepotes,
Ad veram doctos sollicitare fidem.
Dotibus his pollens sublimi mente subire
Non sprevit sacrum post diadema jugum. E
Cedat odoriferis quondam dominata Sabæis,
Expetiit mirum quæ Salomonis opus.
Condidit hæc templum præsens quod personat orbe,
Angelicisque dedit limina celsa choris.
Laxatura reos, Regi quas sæpe ferebat,
Has offerre preces nunc tibi, Christe, potest.
Quam cùm post decimum rapuit mors invida lustrum,
Accepit melior tum sine fine dies.

(a) In Vita S. Barnardi Episcopi Viennensis parte 2. Sæc. 4. Benedictini memorantur : martyrium passi sunt Lugduni variis diebus sub M. Aurelio.

(b) Caretenen, cujus pietatem laudat Gregorius Turon. lib. 2. de Gloria Martyrum cap. 8. Gundobadi Burgundionum Regis uxorem fuisse ac Sigismundi matrem putant Pagius, Ruinartius et alii. Dunodus tamen in Sequanorum Historia pag. 237. censet eam uxorem fuisse Gundiuchi, cujus nepotes Sigismundus et Gondomarus Arianismum ejurarunt.

A Jamque bis octona Septembrem luce movebat An. Chr. 506.
Nomen Messalæ Consulis annus agens.

Epitaphium sancti Aviti Episcopi *. * Viennensis.

v. Quisquis mœstificum tumuli dum cernis honorem,
Cespite concludi totum deflebis Avitum.
Exue sollicitas tristi de pectore curas:
Nam quem plena fides, celsæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem prompta manus, quem fama perennat,
Nil socium cum morte tenet. Quin prospice Sancti
Gesta viri, primùm florescens indole quanta
B Spreverit antiquo dimissos stemmate fasces,
Maturum teneris animum dum præstat in annis,
Et licitum mundi voti virtute relegat.
Nec mora Pontificis sic digna insignia sumit,
Augeat ut soliti felicia cœpta laboris.
Culmen dulcedini, non obstat pompa rigori:
Subjicitur magnus, servat mediocria summus,
Distribuit parcus, pascit jejunus amando:
Terret et austeris indulgentissima miscet:
Cunctantem suasu, juvit solamine mœstum:
Jurgia diremit, certantes fœdere junxit.
Dissona veridicam fingunt quæ dogmata legem,
C Hortatu, ingenio, monitis meritisque subegit.
Unus in arce fuit, quo quolibet ordine fandi,
Orator nullus similis, nullusque Poëta.
Clamant quod sparsi per crebra volumina Libri,
Quis vixit, vivit, perque omnia secula vivet.

Epitaphium (a) *sancti Hesicii Episcopi* *. * Viennensis.

VI. Præsulis junctum tumuloque Aviti,
Funus (b) Hesici tegitur sepulcro,
Qui cluens olim micuit honore
Pontificali.
D Quique mundanis titulis peractis,
Quæstor et Regum habilis, benignus,
Ambiit demùm habitare sacris
Incola tectis.
Cultibus Christi sapienter hærens,
Fautor et pacis studuit furentes
Reddere cives speciali voto
Mentis amicæ.
Temporum mensor numeros modosve
Calculo cernens, strenuusque doctor,
Unde fraterna docuit libenter
Agmina Templi.
E Septenum necdum peragendo lustrum,
Corpus huic sedi posuit beatæ,
Mente cum justis habitans refulget
Luce perenni.
Quem sorôr Marcella gemens obisse,
Ultimum præbens lacrymis levamen,
Nomen hîc scalpsit, titulumque fixit
Carmine parvo.

(a) Exstat hoc Epitaphium cum duobus sequentibus in Antiq. Vienn. ad calcem Biblioth. Floriacensis.

(b) *Funus*, id est corpus. Vide Glossarium Cangii.

A

* Viennensis. *Epitaphium sancti Pantagati Episcopi* *.

VII. Sanctorum vitam, transactis cursibus ævi,
Scriptis posteritas cernere magna cupit.
Ut valeat similis certis consistere veris,
Atque procul tendat vivere post obitum.
Hoc igitur sancti conduntur membra sepulcro
Pantagati patris Pontificisque pii.
Cujus vita fuit gemino sublimis honore,
Fascibus insignis, Religione potens.
Arbitrio Regum Quæsturæ cingula sumpsit,
Stemmate præcipuus, plus probitate cluens. B
Dans epulas primis, et largo munere gazas
Pauperibusque dedit, cælica regna petens.
Ingenio sollers ingenti dogmate fulsit,
Orator magnus, vates et ipse fuit.
His igitur studiis primævo flore juventæ
Inter summates esse prior studuit.
In sobolem felix divino munere vidit,
Pars sacrata Deo, pars genitura manet.
Post matura verò quam cessit tempore vita,
Culmen Apostolicum contulit alma fides.
Sic linquens mundum, cœlestem possidet arcem, C
Qui sit præsidium, Celsa Vienna, tibi.
Bis senum vitæ complevit tramite lustrum,
Annis quinque super secula nostra videns.
In quibus æternæ contemplans præmia vitæ,
Lucem perpetuam promeruitque suæ.

* Viennensis. *Epitaphium Namatii* (a) *Episcopi* *.

VIII. Humanos quicumque tremens sub pectore casus,
Ingemis, et lustras oculo manante sepulcra,
Atque dolens nimio tecum mœrore volutas,
Quòd cunctos mors sæva voret, quòd sæpiat umbra D
Perpetua leti, nullum solutura per ævum.
Huc vultus converte tuos, huc lumina flecte,
Et cape solamen posito mœstissime fletu,
Æternùm quia vivit homo, si justa sequatur,
Si teneat, Christique libens præcepta facessat,
Ut tenuit tumulo positus Namatius isto.
Qui cùm jura daret commissis urbibus amplis,
Adjuncta pietate modis justissima sanxit,
Patricius, Præsul, patriæ Rectorque vocatus.
Hinc spretis opibus, titulis mundique rejectis,
Æterno sese placuit submittere Regi,
Et parere Dei mandatis omnibus aptus. E
Sic postquàm meritis servata et lege superna
Maxima Pontificis suscepit munera dignus :
Quinetiam sumpto mercedes addet honore.
Pauper lætus abit, nudus discedit opertus,
Captivus plaudit, liber sese esse redemptum ;
Cujus agit grates, tantoque Antistite gaudet.
Inter se adversos inlata pace repressit :
Perfugium miseris erat, et tutela benignis ;

(a) Ejus meminit Fortunatus suprà pag. 500. in Epitaphio Eufrasiæ ejus uxoris. Meminit et Ado Viennensis in Chronico sub Childerico : *Hoc tempore Nammatius Viennensis Ecclesiæ Episcopus floruit, nobilis stemmate, sed nobilior vita et eloquio.*

A Nobilis eloquiis, et stemmate nobilis alto,
Nobilior meritis, et vitæ clarior actu;
Vivat ut æternùm, et Christi gratetur amore.
Hujus si quæras ævum, finemque salutis,
Septies hic denos et tres compleverat annos.
Pòst fasces posuit vel cingula Simmacus alma;
Junior et quintus-decimus cùm surgeret orbis,
Ad summos animum * cœlos emisit opimum,
Corpus humi mandans, terræ terrena reliquit.

* *al.* animam opimam.

Epitaphium Silviæ matris Celsi (a) *Patricii.*

B IX. Quisquis lucifero sortitur munere seclum,
Occasu potiùs proditur ille suo.
Cunctaque mundano currentia tempore gesta,
Vel bona vel probra, omnia morte cadunt.
Phœbus nempe nitens merito producitur ortu,
Si pronus claro clauserit orbe diem.
Consulibus atavis pollens hîc Silvia corpus
Terrenum liquit, cælica regna petens.
Insignis gemino vitæ quæ sidere fulsit
Culminibus seclo, Religione Deo.
Natorum splendore potens, subfulta vigore
Gaudebat partu se reparasse patres.
C Unde Sacerdotii claro dotatus honore,
Et celsum meruit cernere Patricium.
Ter quinum rapida vergebant tempora lustrum;
Et super adjectus tertius annus erat.
Martius aurati redimitus sidere veris,
Nono sole micans, præmia tanta tulit.
Hæc suprema dies cœlesti in limite prima,
Quam rapuit seclo, hanc dedit ipsa polo.
Pignora, desistant lacrymis planctuque gravari;
Non placeat gemere, quod celebrare decet.

Epitaphium (b) *sancti Gregorii Papæ.*

D X. Suscipe, terra, tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas vivificante Deo.
Spiritus astra petit, lethi nil jura nocebunt,
Cui vitæ alterius mors magis ipsa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulcro;
Qui innumeris semper vivit ubique bonis.
Esuriem dapibus superavit, frigora veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebatque actu quicquid sermone docebat,
Esset ut exemplum mystica verba loquens.
Ad Christum Anglos convertit pietate magistri,
E Adquirens fidei agmina gente nova.
Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc Pastor agebas,
Ut Domino offerres plurima lucra gregis.
Hisque Dei Consul factus lætare triumphis,
Nam mercedem operum jam sine fine tenes.

Epitaphium Julii Aviti.

XI. Christicolas inter populos animasque sacratus;
Queîs patet angusti pervia porta poli.

(a) Celsi Patricii non semel meminit Gregorius. Ejus mores describit lib. 4. cap. 24.

(b) Quorsum hoc Epitaphium et quædam alia, quæ cum Historia nostra nihil commune habent, ediderit Chesnius, non video.

Julius unigenæ Divi venerator Avitus, A
Siderea fruitur lege pari domibus.
Corporeamque solo fæcem tabemque relinquens,
Purpureum Domini purus adit solium.
Accipe sublimem, gratantûm turba piorum,
Consortemque tene, casta corona, virum.
Illi perfidiæ perpes metus; ac fuga fraudis,
Fucis et maculis mens inimica fuit.
Servator recti semperque probator honesti,
Fœcunda largi fruge boni viguit.
His laudum titulis ingentes addidit auctus,
Consilium felix, dives et eloquium.

B

Epitaphium Austrigildis (a) *Reginæ.*

XII. Conditur hîc Regum genetrix et Regia conjunx,
Præcellens lumen patriæ, lux orbis et Aulæ,
Austregilde potens Regis decus, gloria mundi,
Principis invicti quæ magnum auferre furorem
Sueverat, et pulsis absolvere corda periclis.
In qua magnorum præcessit culmen honorum,
Omnipotentis amor, cujus dum sedula jussis
Paret, et æterni sequitur præcepta magistri,
Ad cœlos præmisit opes, dextrisque rogantûm C
Terrenum statuit transferre ad sidera regnum.
Sed tantis provecta bonis sunt tempora vitæ
In spacio breviata suo, cui pulchrior ætas
Ter denos tribuens geminos superaddidit annos;
Magna sed angusto deducens secula cursu.

Epitaphium Chlodomeri (b) *filii Guntchramni Regis.*

XIII. Olim quæ propriis lætata est Gallia regnis,
Inque novos luctus gaudia prisca rapit.
Conveniunt lamenta tibi, est et causa doloris,
Gloria qui potuit nominis esse tui.
Clodomeres enim excellens regia proles D
Migravit, regnum raptus ad æthereum.
* Qui tendas * annos, animis dum vincitur ætas,
Tempora præcurrens cœperat esse puer.
Cujus præcipuis crescens infantia rebus,
Ipsaque jam verbis murmura mixta dabat.
Verbaque majorem necdum monstrantia sensum,
Certabat magnis parvulus ingeniis.
Lactea mellifluis reserabat pectora dictis,
Erumpens tenero cordis ab ore rigor.
Hunc rapuit mox sæva dies, cùm quarta tumescens
Densaret gelidas horrida bruma nives.

E

Epitaphium Clotharii fratris Chlodomeri.

XIV. Jungitur hîc tumulo fratris germanus, et almo
Dulcia consocians tradidit ossa loco.
Ut cœlo reddens animam, sic membra sepulcro
Flotharius magni nomine dictus avi.
Abstulit hunc decimus mundanis cursibus annus,
Festivus celsis addere lucra polis.

(a) Uxor erat Guntramni Regis. Obiit anno 580. adeò crudelis fuit, ut duos medicos *leti sui habere participe* voluerit. Vide Gregorium lib. 5. cap. 36.

(b) Chlodomeris et fratris ejus majoris Chlotharii, quos ex Austregilde susceperat Guntramnus, mortem recitat Gregorius in anno secundo Childeberti (Christi 577.) lib. 5. cap. 17.

Francica

A Francica sic patrium senserunt regna dolorem,
Qui quoque cum populis perculit et Proceres.
Concussit et sceptra simul patrisque Tribunal,
Quamvis immotus Principis esset honor.
Heu! nullæ vires poterunt, non ulla potestas,
Vitare morsum mors inimica tuum.
Nunc quia Regis amor nescit deponere luctus.
Vincit et invictum sors miseranda virum.

Carmen de morte Evantii (a).

XV. Nobilis et magno virtutum culmine cels E
Ingens consiliis, et dextro belliger act V
B Care mihi genitor, et vita carior ips A,
Hoc (b) nati pietas offert post funera Carme N,
Offerre incolumi quod mors nefanda vetavi T.
Lux tibi summa Dei, necnon et gratia Christ I
Adsit perpetuò, nec desit temporis us U
Omnipotensquetuis non reddat debita culpi S.

Epitaphium Fortunati Episcopi.

XVI. Ingenio clarus, sensu celer, ore suavis,
Cujus dulce melos pagina multa canit.
Fortunatus apex Vatum venerabilis actu,
Ausoniâ genitus hac tumulatur humo.
C Cujus ab ore sacro Sanctorum gesta priorum
Discimus, hæc monstrant carpere lucis iter.
Felix quæ tantis decorans te, Gallia, gemmis,
Lumine de quarum nox tibi tetra fugit.
Hos modicus prompsi plebeio carmine versus,
Ne tuus in populis, sancte, lateret honor.
Redde vicem misero, ne judice spernar ab æquo,
Eximiis meritis posce, beate, precor.

Epitaphium Dynamii (c) *Patricii et Eucheriæ conjugis,*

XVII. Conjugii dulcis hoc est commune sepulchrum,
Quod nec post fatum liquit amicus amor.
D Quos pietate pares, etiam post funera junctos
Unus et affectus et locus unus habet.
Dynamius hic nam pariterque Eucheria conjunx
Martyris Hippolyti limina sancta tenent.
Stemmate sublimes quamquam, sed moribus ortum
Vicerunt probi nobilitate sua.
Hos pietas, hos prisca fides, hos gloria perpes,
Pacifer hos sensus fecit ubique bonos.
Hos junxit sic castus amor, ut mente sub una
Alter in alterius corde maneret homo.
Lustra decem felix tulerat post terga maritus,
Cùm dedit hanc sedem morte suprema dies.
E Cujus nam geminis privato lumine lustris
Vixisti conjunx vita abeunte minùs.
Non lugere pios placidè post fata parentes,
Vita brevis quorum præmia longa dedit.
Patricium te culmen habet, tu Rector in orbe es,
Sit tibi perpetuo tempore læta dies.
Dynamius (d) parva lacrymans hæc carmina fudi,
Nomen avi referens, patre jubente, nepos.

(a) Evantium Dynamii Arelatensis filium memorat Greg. lib. 10. cap. 2.

(b) Evantii filius videtur esse Dynamius, qui Epitaphium avi sui Dynamii, quod mox dabimus, composuit.

(c) Hic est Dynamius Rector provinciæ, de quo Gregorius lib. 6. cap. 7. et alibi.

(d) Dynamius, jubente patre Evantio, hæc carmina condidit in laudem avi sui Dynamii.

TRIA ALIA EPITAPHIA.

A

Epitaphium (a) *Chlodovei I. Francorum Regis.*

DIves opum, virtute potens, clarusque triumpho,
Condidit hanc sedem Rex Chlodoveus, et idem
Patricius magno sublimis fulsit honore.
Plenus amore Dei, contempsit credere mille
Numina, quæ variis horrent portenta figuris.
Mox purgatus aquis, et Christi fonte renatus,
Fragrantem gessit, infuso chrismate, crinem.
Exemplumque dedit, sequitur quod plurima turba. B
Gentilis populi : spreto quæ errore suorum,
Ductorem * est cultura Deum, verumque parentem.
His felix meritis superavit gesta priorum,
Semper consilio, castris bellisque tremendus.
Hortatu Dux ipse bonus, ac pectore fortis,
Constructas acies firmavit in agmine primus.

* *al.* auctorem.

Epitaphium (b) *Theuchildis Reginæ.*

Hunc Regina locum Monachis construxit ab imo,
Teuchildis (c) rebus nobilitando suis.
Cujus nunc licèt hoc corpus claudatur in antro, C
Spiritus astrigero vivit in axe Deo.
Implorans testes pastoribus, euge beatum
Det rapientibus hinc heu ! mala digna Deus.

Epitaphium (d) *S. Germani Episcopi Parisiensis.*

Ecclesiæ speculum, patriæ vigor, ara reorum,
Et pater, et medicus, pastor, amorque gregis,
Germanus virtute, fide, corde, ore, beatus,
Carne tenet tumulum, mentis honore polum.
Vir cui dura nihil nocuerunt fata sepulcri,
Vivit enim. Nam mors quem tulit ipsa timet. D
Crevit adhuc potiùs justus post funera. Nam qui
Fictile vas fuerat, gemma superba micat.
Hujus opem ac meritum mutis data verba loquuntur,
Redditus et cæcis prædicat ore dies.
Hic vir Apostolicus rapiens de carne trophæum,
Jure triumphali considet arce throni.

(a) Apud Aimoinum à Frehero editum lib. 1. cap. 25. hoc Epitaphium legitur, et à S. Remigio super Chlodovei tumulum descriptum dicitur. Verùm insertum videtur, abestque ab editione Chesniana, quæ multò est accuratior.

(b) Exstat hoc Epitaphium in Chronico Odoranni Monarchi S. Petri Senonensis.

(c) Filia erat Theodorici I. Francorum Regis. Vide quæ suprà notavimus pag. 497.

(d) Hoc Epitaphium Chilperico tribuitur apud Aimoinum interpolatum lib. 3. cap. 16. Et certè Childericum versus cudisse testantur Gregorius lib. 6. cap. 46. et Fortunatus lib. 9. carm. 1. Illud tamen à Fortunato compositum fuisse existimat Browerus.

MONITUM.

IN GESTA REGUM

FRANCORUM.

HÆC *Gesta edidit Marquardus Freherus prima parte Collectionis Historicorum Franciæ pag.* 57. *Ea quoque vulgavit Andreas Chesnius tom.* 1. *Script. Franc. pag.* 690. *Uterque asserit ea nomen Gregorii Turonensis, è cujus Historia partim desumta sunt, in vetustissimis Codicibus præferre. Editionem Freherianam cum diversis codicibus Bibliothecæ V. C. Alexandri Petavii Senatoris Parisiensis contulit Chesnius. Is quoque adjecit horum Gestorum comparationem cum alia, ut putat, Historia, quæ exstat in pervetusto Codice ms. Ecclesiæ Cameracensis. Verùm hæc Historia non alia est à Gestis : eadem est Capitum divisio, idem argumentum, stilus tantùm in quibusdam Capitibus dissimilis, in cæteris omninò similis. Hujus Historiæ Scriptorem Auctore Gestorum antiquiorem putavit Chesnius, eò quòd illa in codice Cameracensi desinat in Chramno Chlotharii I. filio. At hæc ratio nulla est : nam in multis codd. mss. qui in omnibus cum codice Cameracensi consentiunt, usque ad Theodericum Calensem eadem Historia perducitur. Vetustissimum codicem, qui hæc Gesta et Annales Eginhardi continet, quique est optimæ notæ, et eleganter scriptus exeunte sæculo decimo, vel saltem ineunte undecimo, Leodio huc ad nos perhumaniter transmisit vir doctissimus et illustrissimus DD. Baro de Crassier. Cum hoc codice, qui à Cameracensi parum discrepat, et cum codice Monasterii S. Remigii Remensis editionem Chesnianam contulimus. Gestorum stilus in codice Remigiano limatior est quàm in vulgata Editione et in codicibus aliis mss. voces barbaræ et minùs Latinæ puriori Latinitati redduntur. Qui Gesta recognovit, floruisse videtur post Hincmarum, à quo sanctæ Ampullæ historiam mutuatus fuerit. Ademarus Chabannensis, Monachus S. Eparchii Engolismensis, in Chronico quod usque ad annum* 1029. *perducitur, hæc eadem Gesta descripsit. Ademariani Chronici contextum propriùs ad codicem Cameracensem accedere, quàm ad eum quo usus est Freherus, notat Labbeus tom.* 2. *novæ Bibliothecæ lib. mss. pag.* 151. *Auctor ætatem suam prodit in fine Gestorum, cùm ait :* Theodericum Regem super se statuunt. qui nunc usque [*vel ut habet codex Baronis de Crassier,* qui tunc anno sexto] in regno subsistit. *Gestorum pars ultima brevior est atque indiligentior : intra pauculas enim paginas centum et quadraginta circiter annorum Historia concluditur, ab obitu nimirum Chilperici Regis, qui contigit anno* 584. *ad tempora usque Theoderici Calensis : ac prætereà tanta temporis intercapedo notis caret chronologicis. Cæterùm Gestorum Auctor tot fabulas comminiscitur, ut vix ullam fidem mereri videatur : hinc ab eruditis* Fabulator Anonymus *appellatur.*

GESTA REGUM
FRANCORUM,

Partim è Gregorii Turonensis Episcopi Historia, cujus et nomen in vetustissimis Codicibus præferunt; partim aliunde desumta, et usque ad Regem Theodericum IV. perducta.

Auctore incerto, sed qui ejusdem Theodorici tempore vixit.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI, QUI DICITUR GESTA FRANCORUM.

I. DE origine, ac gesta Francorum, vel eorum sequentia certamina.
II. Quòd gens Alanorum contra Valentinianum Imperatorem rebellarunt, eosque Franci devicerunt, et tributa Francis concessa sunt.
III. Ubi Imperator exactores misit, ut tributa solverent Franci.
IV. Quòd idem Imperator exercitum commovit adversus Francos : et de adventu eorum partibus Rheni fluminis, et de Rege eorum primo.
V. De morte Pharamundi Regis, et de Chlodione filio ejus, et de Chunorum incursu in Gallias.
VI. Ubi Childericus Rex ejectus est de regno.
VII. Quòd Franci super se statuunt Egidium Romanum, atque dejiciunt, et Childericum recipiunt.
VIII. Ubi capta est Agrippina civitas, et de morte Egidii : et de Adovagrio Duce Saxonorum.
IX. De morte Childerici, et bellum Chlodovei contra Siagrium.
X. De petitione Episcopi ad Regem Chlodoveum, ut urceum redderet : et quia devicti Toringii sub tributo servierunt.
XI. Quòd Aurelianus Legatarius Chlodovei vestitus cultu peregrino ad opus domini sui sponsavit Chrodchilde.
XII. Ubi Chlodoveus Rex misit ad Gundobadum pro sponsa sua Chrodchilde.
XIII. Quòd iterùm Chlodoveus misit ad Gundobadum pro thesauro Chrodchilde.
XIV. De prædicatione Chrodchildis ad Chlodoveum, ut Regem regum crederet.
XV. Bellum contra Alamanos, ubi Chlodoveus necessitate compulsus verum Deum invocat in adjutorio, et à S. Remedio baptisatur.
XVI. Ubi Burgundiones à Chlodoveo devicti ejus dominio se subdunt : et de hominum devoratione à bestiis dicitur.
XVII. De miraculis Dei Chlodoveo ostensis, et quia devictis Gothis Alaricum interfecit.
XVIII. Bellum Chlodovei contra Ragnacharium parentem suum.
XIX. De morte Chlodovei, et quia quatuor filii ejus in regno successerunt : et de Danis qui in Gallias inruunt.
XX. Quòd Chlodmirus et Childebertus et Chlodharius bellum ineunt adversùs Burgundiones.
XXI. Quòd iterùm Chlodmirus Burgundiones devictos interfectus est.
XXII. De cæde magna quòd Franci in Thoringorum populo prostraverunt, et de Ermenfrido Rege eorum.
XXIII. Bellum quod Childebertus exercuit adversùs Gothos, et Amalrici interfectione.
XXIV. Consilio impio Childebertus et Chlodtharius pertractantes nepotes suos interficiunt, et regnum patris eorum invadunt.

XXV. De morte Theuderici, et regnum Theudoberti, et bellum adversùs Chlodtharium.

XXVI. Quòd Childebertus et Chlodtharius in Hispaniam dirigunt, Cæsaraugustam obsident, et quia Longobardi sub tributo vixerunt.

XXVII. De morte Theodoberti, et Chrodchilde, et Theudoaldo, et quia Chlodcharius regnum recepit, et bellum contra Saxones.

XXVIII. Quòd Chramnus conjurationem adversùs patrem suum fecit cum Childeberto ; et de obitu Childeberti.

XXIX. Quo tempore S. Medardus transiit : et de morte Chlodcharii, et quia filii ejus successerunt in regnum.

XXX. Ubi Chuni Gallias appetentes prostrati sunt, et bellum inter Sigiberto et Chilperico, et de uxoribus Chareberti.

XXXI. De morte Chareberti : et quia Sighibertus Brunchildem accepit uxorem sibi, et Chilpericus Galsuentem ; et de Fredegunde.

XXXII. Bellum quod fuit inter Sigeberto et Chilperico : et de morte Sighiberti.

XXXIII. Quòd Brunchildis in exilio retruditur, eamque Merovechus in uxorem adsumit, et bellum Campanorum.

XXXIV. De descriptiones pessimas, quas Chilpericus fieri jussit.

XXXV. De Justino et Tiberio Imperatoribus, et de Italia subjugata : et transitu Gunthramni Regis, et quòd per ingenium Fredegundis interfectus est Chilpericus.

XXXVI. Ubi Fredegundis bellum cum Austrasiis egit, eosque devictos, Campaniam succendit.

XXXVII. De morte Fredegundis ; et bellum Theudeberti contra Chlotharium.

XXXVIII. De consilio pessimo Brunchildis ; et quia Theudericus fratrem suum occidit.

XXXIX. Quòd Theudericus neptem suam ad conjugium sociare voluit : et quia Brunchildis ipsum Theudericum occidit.

XL. Quòd Austrasii et reliqui Franci Chlodcharium in monarchiam elevant, et Brunchildem morte condemnant.

XLI. Ubi Saxones adversùs Dagobertum pugnam ineunt, Ducemque eorum Chlodcharius interfecit, et non longiorem hominem ex eis reliquit quàm spata sua erat.

XLII. De morte Chlodcharii, et regnum Dagoberti.

XLIII. De morte Dagoberti, et Sighiberti ; et regnum Chlodovei.

XLIV. Quo tempore regnum Francorum concidit ; et de morte Chlodovei ; et regnum Clodcharii.

XLV. Ubi Ebroinus Major-domûs eligitur, Chlodchariusque Rex moritur ; regnumque Theudericus et Childericus assumunt.

XLVI. Quòd Martinus et Pippinus Duces Austrasiorum bellum agunt contra Ebroinum et Theudericum.

XLVII. Ubi Ebroinus occiditur, Waratto in Majoremdomatus assumitur, et sanctus Audoinus ad Dominum migravit.

XLVIII. Quòd Waratto moritur, et Bertharius in loco ejus constituitur, Pippinusque eos devictos Majordomatum in sua redigit potestate.

XLIX. De obitu Theuderici, et regnum Chlodovei et Childeberti, et Grimoaldo Majoredomûs.

L. De transitu Childeberti ; et regnum Dagoberti : et quia Grimoaldus interficitur, et honorem patris sui Theudoaldus ambitur.

LI. De morte Pippini : et bella Francorum inter se ; et Theudoaldo fugato, Ragamfredus in principatum est elevatus.

LII. De morte Dagoberti ; et regnum Chilperici, et quod bellum gessit Carlus contra Ratbode.

LIII. Quòd Carlus pugnam gessit contra Chilperico, et Ragamfredo, in loco nuncupante Vinciaco ; eosque devictos atque fugatos, omne regnum Francorum in sua redegit potestate.

GESTA (a) REGUM
FRANCORUM,

Ex Editione Marq. Freheri.

I. PRincipium Francorum gentis et originem, vel Regum gesta proferamus. Est itaque in Asia oppidum Trojanorum, ubi est civitas quæ Ilium dicitur, ubi regnavit Rex Æneas. Gens illa fortis et valida, viri bellatores atque rebelles nimis, inquieta certamina objurgantes, per gyrum finitima debellantes. Surrexerunt autem Reges Græcorum adversùs Æneam Regem Trojanorum, cum multo exercitu : pugnaveruntque contra eum cæde magna. Corruitque ibi exercitus maximus Trojanorum. Fugit autem Æneas Rex, et reclusit se in civitate Ilium. Pugnaverunt enim adversùs hanc civitatem annis decem. Tunc ipsa civitate subacta, fugit Æneas Rex cum ceteris viris suis in Italiam, locare gentes illas, ut ei auxilium ferrent. Alii autem de Principibus ejus, Priamus et Antenor, cum aliis viris de exercitu Trojanorum duodecim millia fugerunt cum navibus. Qui introëuntes ripas Tanais fluminis per Mœotidas paludes navigaverunt, et pervenerunt ad finitimos terminos Pannoniarum, tenentes finitima spacia secus Mœotidas paludes. Cœperuntquæ ædificare civitatem ob memoriale * eorum, appellaveruntque eam Sicambriam. Ibique habitaverunt annis multis, creveruntque in gentem magnam.

* *al.* memoriam.

II. In illo tempore Valentinianus Imperator imperium Romanorum regebat. Eo tempore gens Alanorum atrocissima rebellaverunt contra prædictum Imperatorem. Ille itaque commoto exercitu magno Romanorum direxit aciem contra eos, superavitque eos, et adtrivit atque debellavit. Illi autem cæsi super fluvio Danubio fugerunt, et intraverunt in Mœotidas paludes. Tunc ait Imperator : *Si quis potuerit introire in paludes istas, et inde ejicere potuerit gentem hanc rebellem Alanorum ; concedam ei tributa annos decem.* Tunc congregati Franci, qui fuerant de Troja eje-

Ex ms. cod. Eccles. Cameracensis.

I. PRincipium regnorum (b) Francorum, eorumque originem, vel gentium illarum, ac gesta proferamus. Est autem in Asia oppidum Trojanorum, ubi est civitas quæ Ilium dicitur, ubi regnavit Æneas. Gens illa fortis et valida, viri bellatores, atque rebelles nimis, inquieta certamina objurgantes, per gyrum finitima debellantes. Surrexerunt autem Reges Græcorum adversùs Æneam cum multo exercitu, pugnaveruntque contra eum cæde magna : obruiturque (c) illic multùm populus Trojanorum. Fugit itaque Æneas, et reclusit se in civitate Ilium : pugnaveruntque adversùs hanc civitatem annis decem. Ipsa enim civitate subacta, fugit Æneas tyrannus in Italia, locare gentes ad pugnandum. Alii quoque ex Principibus, Priamus videlicet et Antenor, cum reliquo exercitu Trojanorum, duodecim millia intrantes in navibus, abscesserunt, et venerunt usque ripas Tanais fluminis. Ingressi Meotidas paludes, navigantes pervenerunt intra terminos Pannoniarum juxta Meotidas paludes, et cœperunt ædificare civitatem ob memoriale eorum, appellaveruntque eam Sicambriam. Habitaveruntque illic annis multis creveruntque in gentem magnam.

II. Eo itidem tempore gens Alamannorum (d) prava ac pessima rebellaverunt contra Valentinianum Imperatorem Romanorum ac gentium. Tunc ille exercitum movit, hostem magnum (e) de Roma, contra eos perrexit, pugnam iniit, superavitque eos, atque devicit. Illi itaque cæsi super Danubium fluvium fugerunt, et intraverunt in Meotidas paludes. Dixit autem Imperator : Quicumque potuerit introire in paludes istas, et gentem istam pravam ejecerit, concedam eis tributa donaria annis decem. *Tunc congregati Trojani fecerunt insidias, sicut*

(a) Codex DD. Baronis de Crassier nullum præfert titulum.
(b) Codd. Crass. et Remig. *Regum Francorum.*
(c) Iidem, *corruitque illic multus.*
(d) Iidem, *Alanorum.*
(e) Iidem, *hostem maximum.*

A cti, fecerunt insidias ex adverso, sicut erant edocti, per incognita latibula : et ingressi in Mœotidas paludes cum reliquo exercitu Romanorum, ejecerunt inde Alanos, percusseruntque eos in ore gladii. Tunc appellavit eos Valentinianus Imperator Francos Attica lingua, quod in Latinum interpretatur sermonem, hoc est, feros, à duritia vel ferocitate cordis.

III. Igitur post transactos decem annos, misit Imperator exactores, unà cum primario Duce de Romano Senatu, ut B reciperent prætermissa tributa de populo Francorum. Illi quoque, ut erant immanissimi, consilium perfidum atque inutile accipientes, dixerunt intra se : *Imperator cum exercitu Romanorum non potuit ejicere Alanos de latibulo paludarum, gentem rebellem. Nos autem, qui eosdem devicimus, cur solvimus tributa? Consurgamus autem contra Primarium hunc, vel exactores istos, et irruamus super eos, et non demus Romanis tributa : ne fortè si subjiciant nos, erimus numquam liberi.* Tunc insidiantes interfeceC runt eos.

IV. Hæc audiens Imperator, in ira magna commotus, præcepit commovere exercitum in hostem Romanorum, aliarumque multarum gentium auxilia adjungens, unà cum Aristarco principe militiæ, direxerunt aciem contra Francos. Fuitque ibi strages magna de utroque populo. Videntes autem Franci tantum exercitum sustinere non posse, cæsi valde fugerunt. D Ceciditque ibi Priamus Dux eorum. Illi quoque egressi à Sicambria venerunt in extremis partibus Rheni fluminis in Germaniarum oppidis, illicque inhabitaverunt cum Principibus eorum Marchomiro filio Priami, et Sunnone filio Antenoris; habitaveruntque ibi annis multis. Tunc defuncto Sunnone, et accepto consilio, in uno primatu eorum unum habere Principem, petierunt consilium Marchomiro, ut Regem unum haberent, sicut et ceteræ gentes. At ille dedit eis consilium, E et elegerunt Faramundum filium ipsius Marchomiri, et levaverunt eum super se Regem crinitum. Tunc et legem habere cœperunt, quam consiliarii eorum priores gentiles his nominibus Wisouast, Wisogast, Arogast, Salegast, in villabus

erant edocti ac cogniti : et ingressi in Meotidas paludes cum alio populo Romanorum, ejecerunt inde Alamannos (a), *percusseruntque eos in ore gladii. Tunc appellavit eos Valentinianus Imperator Francos, Attica lingua, hoc est feros, à duricia, vel audacia cordis eorum.*

III. Igitur post transactos decem annos, misit memoratus Imperator exactores, unà cum primario Duce de Romano Senatu, ut darent consueta tributa de populo Francorum. Illi quoque, sicut erant crudeles et immanissimi, consilio inutile accepto, dixerunt ad invicem : Imperator cum exercitu Romano non potuit ejicere Alamannos de latibulis paludarum (b), gentem fortem ac rebellem. Nos enim qui eos superavimus, cur solvimus tributa? Consurgamus igitur contra Primarium hunc, vel exactoribus (c) istis, percutiamusque eos, et auferamus cuncta, quæ secum habent : et non demus Romanis tributa, et erimus nos jugiter liberi. *Insidiis verò præparatis, interfecerunt eos.*

IV. Audiens hæc Imperator, in furore et ira nimis succensus, præcepit hostem commovere Romanorum et aliarum gentium, cum Arestarco (d) *principem militiæ : direxeruntque aciem contra Francos. Fuit autem ibi strages magna de utroque populo. Videntes enim Franci, quòd tantum exercitum sustinere non possint* (e), *interfecti ac cæsi fugerunt : ceciditque ibi Priamus eorum fortissimus. Illi quoque egressi à Sicambria* (f), *venerunt in extremis partibus Reni fluminis, in Germaniarum oppidis : illucque* (g) *inhabitaverunt cum eorum principibus, Marchomire filium Priamo, et Sunnone filium Antenor; habitaveruntque ibi multis annis. Sunnone autem defuncto, acceperunt consilium ut Regem sibi unum constituerent, sicut ceteræ gentes. Marchomiris quoque dedit eis hoc consilium, et elegerunt Faramundum ipsius filium, et elevaverunt eum Regem super se crinitum. Tunc habere leges cœperunt, quæ* (h) *eorum priores Gentiles tractaverunt, his nominibus, Wisowastus, Wisogastus, Arogastus, Salegastus, in villabusque* (i) *ultra Renum sunt, Vibothagin, Salechagin, et Widechagin.*

FARAMUNDUS. circa an. Chr. 418.

(a) Iidem, *Alanos.*
(b) Iidem, *Alanos de latibulis paludum.*
(c) Iidem, *exactores istos.*
(d) Iidem, *Aristarco principe.*
(e) Iidem, *non possent.*
(f) Cod. Crass. *à Sigambria..... Hreni fluminis : sic semper.*
(g) Cod. Crass. et Remig. *illicque.... filio Priami et Sunnone filio Antenoris.*
(h) Iidem, *leges et habere cœperunt, quas.*
(i) Iidem, *Arogastus, in villis quæ ultra Hrenum sunt, in Bothagim.*

Germaniæ, id sunt Bodecheim (a), Salecheim, et Widecheim, tractaverunt. A

CHLODIO. An. 428.

V. Mortuo quippe Faramundo, Chlodionem filium ejus crinitum in regnum patris ejus elevaverunt. Tunc temporis crinitos Reges in initium sublimaverunt. Venientesque sagaciter in finibus Toringorum, ibique resederunt. Habitabat itaque Chlodio Rex in Dispargo castello in finibus Toringorum, in regione Germaniæ. Propterea omnes regiones gentium, quæ ultra Rhenum fluvium sunt, hoc nomine nuncupantur, *Germaniæ* : eò quòd in Germania corpora sunt immanissima, generatioque sævissima et dura, et populi semper indomiti ac ferocissimi. Quorum fuisse centum pagos tradit scriptura. In illo tempore in his partibus citra Rhenum usque Ligere fluvio habitabant Romani, ultra Ligere autem Gothi dominabantur : Burgundiones quoque, qui Ariani erant, habitabant juxta Rodanum fluvium, qui præterfluit Lugdunum civi-

An. 445. tatem. Chlodio autem Rex misit exploratores de Dispargo castello Toringorum usque ad urbem Camaracum. Ipse posteà cum grandi exercitu Rhenum transiens, multo populo Romanorum prostrato, hostes fugavit. Carbonariam silvam ingressus, Tornacensem urbem obtinuit. Exinde usque Camaracum urbem properavit : ibique pauco tempore residens, Romanos, quos ibi invenit, interfecit. Et exinde usque ad Sumnam fluvium omnia occupavit.

MEROVEUS. An. 447. Chlodione Rege defuncto, Meroveus in regnum sublimatus est, regnavitque Chlodio annos xx. A Meroveo itaque Rege utili, qui in regno Francorum sublimatus est, celebre nomen Reges Francorum *Merovinchi* nuncupati sunt. Ipse Meroveus genuit filium nomine Childericum, pa-

Greg. Turon. l. 2. *c.* 10. trem Chlodovei sublimissimi Regis. Erant autem tunc Franci fanatici, adorantes idola et simulacra, et non Dominum cœli et terræ, qui creavit eos. Erat autem tunc in ista parte Galliarum ex Romanis Egidius, Rex militiæ Romanorum ab Imperatore missus.

CHILDERICUS I.

VI. Childericus autem Rex filius, ut diximus, Merovei, cùm esset nimis luxuriosus, et regnaret super Francos, cœpit filias eorum distrahere, et violenter deludere eas. Illi autem ob hoc nimis indignantes, voluerunt occidere eum, et ejicere de regno. Ille autem cùm hoc audisset, Toringiam petiit, vocavitque ami-

V. Mortuo quippe Faramundo Rege, Chlodionem filium ejus crinitum in regnum patris sui elevaverunt. Id temporis crinitos Reges habere cœperunt. Venientesque sagaciter in finibus Toringorum, ibique resederunt. Habitavit itaque Chlodio Rex in Disbargo (b) *castello, in finibus Toringorum, regionem Germaniæ. In illo tempore in his partibus citra Renum* (c) *usque Ligure fluvio habitabant Romani : ultra Ligure quoque Gothi dominabantur.* B *Burgundiones itaque paganismo* (d) *in Arriana doctrina prava tenebantur, inhabitantes juxta Rodanum fluvium, quæ adjacet Lugdunum civitatem. Chlodio autem Rex misit exploratores de Disbargo castello Toringorum usque ad urbem Camaracum. Ipse posteà cum grande exercitu Renum transiit, multo Romanorum* (e) *populo occidit atque fugavit. Carbonaria sylva ingressus, Tornacensem urbem obtinuit : exinde usque Camaracum civitatem veniens, illic resedit pauco temporis* C *spacio, Romanos, quos ibi invenit, interfecit. Exinde usque Sumnam fluvium occupavit. Chlodione rege defuncto, Merovechus de genere ejus regnum ejus accepit. Regnavit Chlodio annis xx. Ab ipso Merovecho Rege utile Franci* Merovingi *sunt appellati. Eodem tempore Chuni* (f) *Renum transierunt, Mettis succenderunt, Treveris distruunt, Tuncrus pervadunt, usque Aurilianis pervenientes. Id temporis sanctus Anianus Episcopus virtutibus præclarus, veniente ad eum Egecio* (g) *Pa-* D *tricio Romanorum, et Tursomodo Rege Gothorum, auxiliante Domino, Chuni ad ipsam* (h) *civitatem, orante sancto Aniano, cum Attelane eorum Rege devicti atque prostrati sunt.*

VI. Ipse itaque Merovechus genuit filium nomine Childerico (i)*, qui fuit pater Chlodovecho Rege inclito atque fortissimo. Erant* E *enim tunc Franci pagani atque fanatici, adorantes idola et simulacra, et non Deum cœli ac terræ, qui creavit eos. Erat quoque tunc in ista parte Galliarum ex Romanis Egidius Rex ab Imperatore missus.*

(a) Aliàs, *id sunt Salegagme in Bothagam, et Wisogagme in Wilegam.*

(b) Cod. Crass. *Disbarcho.* Cod. Remig. *Disparco.* sic infrà.

(c) Cod. Crass. *Hrenum usque Ligerem fluvium..... ultra Ligerem.*

(d) Idem, *paganismi..... juxta Hrodanum fluvium qui..... civitatem.* Cod. Remig. *qui adjacet Lugduno civitati.*

(e) Cod. Crass. et Remig. *multos Romanorum populos..... Carbonariam silvam ingressus, Turnacensem.*

(f) Cod. Crass. *Huni Hrenum.*

(g) Codd. Crass. et Remig. *Egidio.*

(h) Iidem, *Huni ab ipsa civitate.*

(i) Iidem, *Childericum, qui fuit pater Chlodovehi Regis inclyti atque fortissimi.*

cum

A cum suum consiliarium nomine Wiomadum: petiitque cum eo consilium qualiter animos furentium Francorum posset mitigare, donantes inter se signum, qualiter certo indicio cognoscere deberet, si ad pacem quandoque reverti potuerit, quale signum invicem recognoscerent. Tunc diviserunt aureum unum inter se in signum. Unam partem Childericus Rex secum portavit : aliam verò partem Wiomadus retinuit dicens : *Quando istam aliam partem tibi transmisero, scias me Francos tecum habere pla-*
B *catos : tunc securus revertere in pace.* Abiit ergo Childericus in Toringiam, apud Regem Bisinum uxoremque ejus Basinam, et ibidem latuit.

Childericus itaque Rex filius Merovecho (a), *cùm esset nimis luxuriosus, et regnaret super Francos, cœpit eorum filias deludere atque distrahere. Illi enim grande furore hoc indignantes, voluerunt occidere eum et ejicere de regno. Ille hæc audiens, vocavit amicum suum prudentem Consiliarium, nomine Viomadum; petiit cum eo consilium, qualiter animus* (b) *furentium Francorum possit mitigari. Tunc dederunt inter se signum, qualiter certa indicia cognoscere deberet* (c), *si ad pacem quandoquidem reverti poteretur, quod signum inter se recognoscerent. Tunc diviserunt aureum unum ad invicem in signum, unam medietatem Childericus Rex secum portavit, aliam partem Viomadus retinuit dicens :* Quando istam aliam partem tibi transmisero, scias me Francos tecum habere pacatos ; et securus revertere in pace. *Abiit ergo Childericus Rex in Toringam, apud Regem Bisinum nomine uxoremque ejus latuit.*

VII. Franci verò relicto Childerico, Egidium Principem Romanorum elevaverunt super se Regem; tenentes consilium non bonum, nimisque inutile atque
C absurdum. Qui cùm octo annos super eos regnaret, finxit se Wiomadus ejus Consiliarius in amicitia familiare fœdus inire, et hortababatur Egidio aliquos Francos dolosè opprimere. Ille audiens consilium ejus, callidè opprimere nitebatur eos. Illi hoc formidantes, nimio furore adtriti, consilium expetierunt à Wiomado, quid agere deberent. At ille dixit eis : *Non reminiscimini, nec recordatis, qualiter ejecerunt Romani opprimentes gentem vestram de terra eorum? Ejecistis et vos Regem ves-*
D *trum utilem atque strenuum, et elevastis super vos militem hunc Imperatoris Romanorum, crudelem, iratum atque superbum. Sine consilio hoc fecistis, non bene, sed male hoc egistis.* Illi dixerunt : *Quia sine lege abutebatur filias nostras. Pœnitet nos hoc fecisse contra Regem nostrum. Utinam meruissemus invenire eum, et cum pace regnaret super nos?* Tunc amicus ille Regis misit partem solidi, quem priùs inter se diviserunt, dicens : *Revertere ad regnum Francorum,*
E *quia pacificata sunt omnia.* Ille vero cognoscens hoc signum, medium aureum, intellexit certo indicio, quòd à Francis desideraretur. Ipsisque rogantibus, reversus est in regnum suum. Nam dum fuit in Toringia, cum Basina Regina uxore Bisini Regis ipse Childericus Rex commixtus fuit. Reversusque ad Francos, in

VII. Franci verò relicto Childerico, Egidius.
Egidium Principem Romanorum in regnum super se statuerunt, malum consilium tractantes. Qui cùm octo annos super eos regnaret, finxit se Viomadus amicitiam cum eo sociare, dum ab eo quid cogitaret cognosceret; hortabatur Egidio (d) *aliquos Francos dolosè opprimere. Ille audiens consilium ejus, acriùs cœpit opprimere eos. Illi verò in timore ac seditione* (e) *conversi, iterùm consilium à Viomado expetierunt, qualiter facere deberent; et ille dixit eis :* Quare non recordatis, quomodo ejecerunt Romani oppementes gentem vestram, de eorum terra ejecerunt eos? Vos verò ejecistis Regem vestrum, utilem et sapientem ; et elevastis super vos militem istum Imperatoris superbum atque elatum. Non bonum consilium fecistis, sed nimium malum. *Et illi* (f) *responderunt :* Callidus enim erat nobis. Pœnitet nos hæc fecisse contra Regem nostrum. Utinam meruissemus invenire eum ; et cum pace regnaret super nos ! *Tunc amicus ille Regis misit partem solidi, quæ* (g) *priùs inter se diviserant, dicens :* Revertere ad regnum Francorum, quia pacificata sunt omnia. *Ille verò cognoscens hoc signum, dimidium aureum, intellexit certa* (h) *indicia quòd à Francis desideraretur : ipsisque rogantibus, reversus est in regnum suum. Nam dum in Toringa fuit, cum Basina Regina uxore Bisini Regis ipse Childericus Rex adulterium commisit.*

(a) Iidem, *Merovechi... diludere.*
(b) Cod. Crass. et Remig. *animos..... posset mitigare.*
(c) Cod. Crass. *deberent..... reverti potuissent.* Cod. Remig. *certis indiciis cognoscere deberet... potuisset.*
(d) Iidem, *Egidium.*
(e) Iidem, *in timorem ac seditionem.*
(f) Cod. Remig. *illi dixerunt : callidus enim erat nobis, qui sine lege abutebatur filiabus nostris.*
(g) Codd. Crass. et Remig. *quem priùs.*
(h) Cod. Remig. *certo indicio.*

regno suo restitutus est. Ægidium autem Romanorum Principem ejecerunt de regno eorum. Basina quoque illa Regina Bisini Regis Toringorum, relicto viro suo ad Childericum venit. Cùmque interrogata fuisset ab eo, quid quæreret, aut pro qua causa ad eum de tam longinqua regione venisset; respondisse fertur : *Novi utilitatem tuam et pulchritudinem, quòd sis utilis atque strenuus : ideò veni ut habitem tecum. Nam si in extremis finibus maris utiliorem te cognovissem, ipsum expetiissem, atque cum eo cohabitassem.* At ille gaudens, eam sibi ad conjugium copulavit. Posthæc igitur concipiens ex eo, peperit filium, vocavitque nomen ejus Chlodoveum. Hic fuit Rex magnus super omnes Reges Francorum, pugnator bellicosissimus atque egregius.

A regnò Francorum receptus, Egidium Romanum Principem, desuper se expulerunt à regno. Basina quoque illa Regina Bisini Regis Toringorum, relicto viro suo, ad Childericum venit. Cùmque inquisitus (a) *interrogasset quid quæreret, aut pro qua causa ad eum de tam longinqua regione venisset, respondisse fertur :* Novi utilitatem et pulchritudinem tuam, quòd utilis sis et sapiens; ideò veni ut habitem tecum. Nam si in extremis finibus maris utiliorem te cognovissem, ipsum expetissem, atque eum (b) copulassem. *Illeque gaudens eam ad conjugium suum copulavit. Illa verò concipiens ex eo, peperit filium, vocavitque nomen ejus Chlodovechum* (c). *Hic fuit Rex magnus super omnes Reges Francorum, et pugnator fortissimus.*

An. 463. VIII. In illis diebus ceperunt Franci Agrippinam civitatem super Rhenum, vocaveruntque eam Coloniam multumque populum Romanorum à parte Egidii occiderunt ibi. Egidius verò exinde per fugam lapsus, evasit. Venerunt autem Treviris civitatem super fluvium Mosellam, vastantes terras illas, ipsamque urbem succendentes ceperunt. Nam antè à Chunis fuerat disrupta atque adflicta. Eo tempore mortuus est Egidius Dux Romanorum, tyrannus : et Syagrius filius ejus in regnum ejus resedit, habitavitque in Suessionis civitate, ubi et sedem regni tenebat. Tunc Childericus Rex commoto magno exercitu hostium usque Aurelianis civitatem perrexit, terras quoque illas vastavit. Adovagrius Saxonorum Dux cum navale hoste Andegavis civitatem venit : magna tunc cæde populum vastavit. Adovagrius itaque de Andegavis, vel de aliis civitatibus obsides accepit. Redeunte quoque Adovagrio de Andegavis, Childericus Rex cum Francorum exercitu ibidem advenit, interfecto Paulo Comite, qui in ipsa civitate præerat, ipsamque urbem cepit, et Domum* quæ in ea civitate erat, igne combussit.

An. 464.

Greg. Turon. lib. 2. c. 18.

* *i.* Ecclesiam.

VIII. In diebus illis ceperunt Franci Agrippinam civitatem super Rhenum, vocaveruntque eam Coloniam (d), *quasi coloni inhabitarent in eam : multo* (e) *populo Romanorum à parte Egidii illic interfecerunt. Ipse Egidius fugiens evasit. Venerunt itaque Treviris civitate super Mosellam fluvium, vastantes terras illas, et ipsam succedentes ceperunt. Posthæc igitur mortuus est Egidius Romanorum Rex. Siagrius enim filius ejus in regnum ejus resedit; constituit sedem regni sui in Suessionis civitate. Tunc Childericus Rex commovit maximo exercitu* (f) *hostium Francorum, usque Aurelianis civitate pervenit, terras quoque illas vastavit. Adovacrius* (g) *Saxonorum Dux cum navale hoste per mare usque Andegavos civitate venit, illaque terra succendit. Magna tunc cæde in illa fecit* (h). *Redeunte igitur Adovacrio de Andegavis, Childericus Rex Francorum exercitu commoto illic advenit; Paulo* (i) *Comite, qui tunc ibi erat, occidit, ipsamque urbem cepit : Domum quæ in ea civitate erat, igne succendit, indeque reversus est.*

Greg. Turon. lib. 2. c. 27. An. 481. CHLODOVEUS I. An. 486.

IX. Eo tempore mortuus est Childericus Rex Francorum, regnavitque annos XXIV. Chlodoveus verò filius ejus regnum Francorum sagaciter suscepit. Anno autem quinto Chlodoveo regnante, Siagrius filius Egidii Rex Romanorum

IX. Posthæc mortuus est Childericus Rex, regnavitque annis XXIV. Chlodovechus filius ejus regnum Francorum viriliter recepit. Anno autem quinto Chlodovecho regnante, Siagrius filius Egidii Suessionis civitate, quam pater ejus te-

(a) Cod. Remig. *cùmque fuisset inquisita quid.*
(b) Codd. Crass. et Remig. *atque ei me copulassem.*
(c) Cod. Crass. *Chlodovehum.* Remig. *Chlodoveum.*
(d) Jam ætate Æthici multò ante Childericum hæc urbs *Colonia* vocabatur, nec à Francis, sed à Veteranis seu militibus Romanis emeritis, principatu Claudii Augusti eò deductis, hoc nomen accepit.
(e) Codd. Crass. et Remig. *in ea : multosque populos..... Treveris civitatem.*
(f) Iidem, *maximum exercitum..... civitatem.*
(g) Iidem, *Adovagrius..... cum navali..... ad Andegavis civitatem venit, illamque terram.*
(h) Cod. Crass. *in illa fuit.* Remig. *ac magnam cædem in illa fecit.* Vide quæ suprà *pag.* 170. notavimus ad Gregorium Turon.
(i) Codd. Crass. et Remig. *Paulum Comitem.*

A Suessionis civitatem, quam pater ejus tenuerat, residebat. Super quem Chlodoveus cum Ranacario * parente suo cum hoste advenit. Convenientesque ad bellum, hisque inter se fortiter compugnantibus, Siagrius læsum cernens exercitum suum, per fugam lapsus ad Alaricum Regem Gotthorum fugit ad Tolosam. Chlodoveus enim missos suos ad Alaricum transmisit, ut redderet Siagrium : si autem reddere non vellet, pararetur ad prælium. Ille verò timens Francorum iram, reddi-
B dit Siagrium missis Chlodovei. Qui cùm præsentatus Chlodoveo fuisset, jussit eum occidere : totumque regnum ejus et thesauros in suo dominio recepit.

X. Eo tempore multæ Ecclesiæ à Chlodovei exercitu deprædatæ sunt : erat enim tunc fanaticus et paganus. De quadam autem Ecclesia urceum miræ magnitudinis pulchrum hostis ejus tulerat, cum ministerio Ecclesiæ, et ornamenta multa. Episcopus * autem Ecclesiæ ipsius missos suos ad Regem direxit, deprecans ut si aliud de sacris Vasis Ecclesiæ recipere
C non mereretur, vel illum urceum reddere juberet. Hæc audiens Rex, ait ad missos Ecclesiasticos : *Sequimini nos usque Sessionis civitatem, quia ibi cuncta quæ adquisita sunt, dividenda erunt. Cùmque mihi urceus ille in partem obvenerit, quod Episcopus postulat adimplebimus.* Veniens autem Rex Sessionis civitatem, cuncta præda, quæ adquisita sunt, rogat afferre in medium, dicens : *Rogo vos, ô fortissimi pugnatores, ut mihi dare istum urceum non negetis.* Hæc Rege dicente, illi Franci, qui
D bono animo fuerunt, dicunt illi : *Omnia, gloriose Rex, quæ cernis, tua sunt, et nos tuo dominio sumus subjugati. Quod tibi bonum videtur, hoc fac. Nullus enim tuæ potestati resistere audet.* Cùm hæc illi benigniter dixissent, unus Francus levis cum vociferatione, elevata bipenne, quod est francisca, percussit urceum illum dicens : *Tu nihil hinc accipias, Rex, nisi quod tibi sors vera dederit.* Obstupefactis omnibus, Rex injuriam suam patienter ferens, ac-
E ceptumque urceum nuntio Ecclesiastico reddidit, servans iram suam in corde suo absconsam. Transacto anno, Chlodoveus Rex omnem exercitum suum jussit cum armorum apparatu advenire, ostensurum in campo Martio, omnium armorum nitorem horum videre. Verùm ubi Rex cun-

nuerat, resedebat : super quem Chlodovechus cum Ragnachario parente suò cum hoste advenit. Convenientesque ad bellum, illis inter se fortiter compugnantibus, Siagrius læsum cernens exercitum suum, per fugam lapsus ad Alaricum Regem Gothorum aufugit ad urbem Tholosam. Chlodovechus enim missos suos ad Alaricum dirigens, ut redderet Siagrium : si autem reddere non vellet, pararetur ad prælium. Ille autem timens Francorum iram, tradidit Siagrium missos (a) *Chlodovecho. Qui cùm ei præsentatus fuisset, jussit eum occidere; totumque regnum ejus ac thesauros Chlodovechus recepit.*

X. Eo tempore multæ Ecclesiæ à Chlodovecho (b) *exercitu deprædatæ sunt. Erat qne ipse tunc fanaticus et paganus. De quadam autem Ecclesia urceum miræ magnitudinis pulchrum hostes ejus tulerunt, cum alio ministerio Ecclesiæ ornamenta multa. Episcopus autem Ecclesiæ ipsius missos suos ad Regem direxit, deprecans ut si aliis* (c) *vasis Ecclesiæ recipere non mereretur, vel illo urceo reddere juberet. Hæc audiens Rex, ait ad missos Ecclesiasticos :* Sequimini nos usque Suessionis civitate, quia ibi cuncta quæ acquisita sunt dividenda erunt. Cùmque mihi urceus ille in parte (d) venerit, quæ Episcopus postulat adimpleam (e). *Veniens autem Rex Suessionis civitate, cuncta* (f) *præda, quæ acquisita erat, rogat adferre in medium, dicens :* Rogo vos, ô fortissimi ac nobilissimi pugnatores, ut mihi dare istum urceum non negetis. *Hæc Rege dicente, illi Franci, qui bono animo fuerunt, aiunt :* Omnia, gloriose Rex, quæ cernis, tua sunt, et nos tuo dominio sumus subjugati. Quod tibi bonum videtur, hoc fac : nullus enim tuæ potestati resistere ausus est. *Cùm hæc illi benigniter dixissent, unus Francus levis cum vociferatione elevata bipenni, quod est francisca, percussit urceo* (g) *illo, dicens :* Tu nihil hinc accipies, Rex, nisi quod tibi sors vera dederit. *Obstupefactis omnibus, Rex injuriam suam in patientiam* (h) *mittens, acceptumque urceum nuncio Ecclesiastico reddidit, servans iram in corde absconsam. Transacto anno, Chlodovechus Rex omnem exercitum suum apud armorum* (i) *apparatum jussit venire, ostensurum in*

CHLODOVEUS I.

* *al.* Ragnehario.

* S. Remigius.

(a) Iidem, *missis Chlodovei.*
(b) Cod. Crass. *à Chlodoveo ejusque exercitu.*
(c) Codd. Crass. et Remig. *alia vasa..... vel illum urceum..... Suessionis civitatem.*
(d) Iidem, *in partem.*
(e) Cod. Remig. *implebo.*
(f) Codd. Crass. et Remig. *civitatem, cunctam prædam.*
(g) Iidem, *urceum illum.*
(h) Cod. Remig. *suam patienter sustinuit.*
(i) Codd. Crass. et Remig. *cum armorum apparatu.*

CHLODOVEUS I.

ctum exercitum circuivit, venit ad hominem illum, qui urceum anteà percusserat, et ait ad illum : *Nullus tam incultam et sordidam armam habet, quàm tu. Quia neque clypeus, neque lancea, neque bipennis est utilis.* Accepit autem Rex franciscam ejus, quod est bipennis, et projecit in terram. At ille cùm inclinasset se attollere eam, statim elevatis manibus suis Rex franciscam suam in capite ejus defixit, et ait : *Sic tu Sessionis civitate superiore anno in urceo illo fecisti.* Mortuoque illo, alium exercitum Rex de ipso campo jussit recedere in pace ad propria sua. Grandis pavor et timor pro hac causa in Francorum populo deinceps consurrexit. Chlodoveus exinde decimo anno regni sui, commoto exercitu magno valde, in Toringiam abiit : ipsosque Toringos plaga magna prostravit. Devictoque ipso populo, totaque eorum terra vastata, ipsos Toringos tributarios Francorum fecit.

campo Martio horum armorum nitorem A
visurum (a). *Verùm ubi Rex cunctum exercitum circumivit, venit ad hominem illum qui anteà urceum percusserat, et ait ad eum :* Nullus tam inculta et sordida arma habet quàm tu; quia neque clypeus, neque lancea, neque bipennis est tibi utilis. *Accepit autem Rex franciscam ejus, quod est bipennis, et projecit in terram. Et ille cùm se inclinasset colligere eam, Rex statim elevatis manibus suis, franciscam suam in capite ejus defixit, et ait* : Sic tu Suessionis civitate B
superiori anno in urceo illo fecisti. *Illoque mortuo, alio* (b) *exercitum Rex de ipso campo jussit decedere in pace ad eorum propria. Grandis pavor et tremor pro hac causa in Francorum populo deinceps consurrexit. Chlodovechusque exinde decimo anno regni sui, commoto Francorum grande hoste in Toringam abiit, Toringosque plaga magna prostravit : devictoque populo eorum, tota illa* (c) *terra vastata, sub tributo servire fecit.*

Capita XI. XII. et XIII. à vulgata edi- C
tione non differunt.

Greg. Turon. lib. 2. *c.* 28.

XI. In illo tempore Gundeveus (d) Rex Burgundionum, qui ex genere Athanarici Regis fuisse perhibetur, regnavit. Huic fuerunt quatuor filii, Gundobadus, Godeghiselus (e), Chilpericus et Godomarus. Gundobadus igitur Chilpericum fratrem suum interfecit gladio; uxoremque ejus, saxo ligato ad collum, in aqua necare (f) præcepit : filias ejus duas, quarum una senior vocabatur Chrona (g), quam mutata veste, exilio condemnavit, juniorem verò nomine Chrothilde (h) domo retinuit. Chlodoveus itaque dum frequenter legationem in Burgundiam mitteret, Chrothildis puella invenitur à Legatariis : qui cùm eam vidissent pulchram, elegantem atque sapientem, Chlodoveo nuntiaverunt hæc. Et ille hæc audiens, iterùm legationem ad Gundobadum misit Aurelianum legatarium suum, Chrothildem neptam (i) suam ab illo petens. Erat enim Chrothildis Christiana. Quadam die Dominica D
cùm ad Missarum solemnia Chrothildis venisset, Aurelianus missus Chlodovei accepit (k) vestes pauperculas; bonas verò vestes, quas secum (l) detulerat, reliquit sodalibus in silvis; et ante Ecclesiæ matricolam in medio pauperum consedit. Transacta Missarum solemnia, Chrothildis juxta consuetudinem solitam cœpit eleemosynam erogare (m) in pauperibus : cùmque ad Aurelianum pauperem se simulantem venisset, aureum unum in manu ejus immisit; ipse verò osculans manum puellæ, ipsius (n) pallium cautè retraxit. Posthæc illa ingressa in cubiculum suum; misit ancillam suam vocare peregrinum illum. At ille annulum à Chlodoveo (o) Rege manu tenens, necnon et reliqua ornamenta sponsalia recondita tenebat in sacculum suum : quem pòst discedens, in loco retro ostium cameræ secretò reliquit. Cui ait Chrothildis : *Dic mihi, homo juvenis, cur te pauperem simulas, vel pro qua causa retraxisti pallium meum.* Et ille dixit : *Loquatur, obsecro, servus tuus secretò tecum.* Cui illa ait : *Loquere* (p). Orsus ille dixit : *Dominus meus Chlodoveus Rex Francorum misit*

(a) Cod. Remig. *visurus.* Deest *ostensurum.*
(b) Codd. Crass. et Remig. *alium exercitum.*
(c) Iidem, *totam illam terram vastatam.*
(d) Cod. Crass. *Gondevehus :* paulò pòst deest *regnavit.*
(e) Idem, *Godegiselus, Chilpricus et Godmarus.*
(f) Idem, *necare rogavit.* Cod. Remig. *necari jussit.* Chesnius, aliàs *negare*, id est *noyer.*
(g) Cod. Remig. *Rona.*
(h) Chesnius in margine, *Chrodilde et Chrochilde.* Cod. Crass. *Chrodchilde, domi.* Cod. Remig. *Rochildem.*
(i) Cod. Crass. *neptem suam petendam.*
(k) Idem, *acceptas.*
(l) Chesnius in margine, aliàs, *vestitas habuerat.* Cod. Crass. *vestitas habuerat, sociis suis in silva reliquit.*
(m) Cod. Crass. *dare in pauperibus.*
(n) Idem, *retraxit pallium ejus retrò.*
(o) Idem, *annulum Chlodovehi Regis in manu tenens, reliqua..... reposita retinebat in sacculo suo; relictoque eo retrò secus hostium cameræ. Cui ait Chrodchildis.*
(p) Idem, *Loquere : cui dixit.... vult te habere in Reginam.*

A *me ad te : vult te sibi associare in Reginam. Ecce annulus ejus et reliqua ornamenta sponsalia.* Respexitque retro ostium cameræ, non invenit sacculum suum, et perterrefactus (a) ob id, timere cœpit. Illa verò sollicita undique requisivit, dicens : *Quis tulit pauperis istius sacculum.* Statimque est prolatus. Quo aperto, recepit illa abscondita ornamenta sponsalia : acceptoque annulo quem Chlodoveus Rex miserat per Aurelianum, reposuit illum in thesauro avunculi sui. Chlodoveoque (b) salutem reprecans, dicere illi jubet : *Non licet Christianæ pagano nubere. Vide ut hanc causam nemo resciat* (c). *Sed sicut Dominus Deus meus, quem ego coram omnibus confiteor, vult, sic fiat. Tu verò vade in pace.* At ille reversus nuntiavit hæc domino suo.

XII. Anno insecuto misit Chlodoveus Aurelianum legatarium suum ad Gundobadum pro sponsa sua Chrothilde. Audiens hæc Gundobadus, territus in corde suo ait : *Ut sciant omnes fortissimi consiliarii et amici mei Burgundiones qualem occasionem quæ-*
B *rit Rex Chlodoveus adversùs nos, quia nunquàm novit neptam meam.* Et ait ad Aurelianum : *Tu explorare venisti domos nostras occasione quærendi. Renuntia domino tuo quia frustrà mendacium locutus est, sponsam habere neptam meam.* Et Aurelianus constanter loquitur ei, dicens : *Mandat tibi dominus meus Chlodoveus Rex : Si vis dare ei sponsam suam, ut locum ei præpares denominatum, ubi vis, quando Chrotildem recipiat. Sin autem non vis, ille cum exercitu Francorum in occursum tuam venire disponet.* Et ille ait : *Ubicumque vult veniat : et ego contra eum ire dispono cum hoste plurimo Burgundionum, ut decedat ruina ejus ad internecionem, quam perpetratus est, coram multis gentibus, et vindicetur sanguis multorum qui effusus est in manibus vestris.* Audientes hæc Burgundiones, qui erant consiliarii ejus, metuentes valde iram Francorum et Chlodovei, consilium dederunt Gundobado dicentes : *Inquirat* (d) *Rex à ministris et cubiculariis suis publicis, si non fuerint aliquando deferta munera per ingenium*
C *à legatariis Chlodovei Regis, ut non inveniatur occasio super populum tuum et regnum tuum ; ut victor valeas superare eum, eò quòd nimis furibunda est Chlodovei nequitia.* Burgundiones, sicut est solitum, hoc consilium dederunt Regi suo. Requirentesque (e) invenerunt in thesauro Regis annulum Chlodovei inscriptione vel imagine inscriptum. Tunc contristatus valde Gundobadus Rex, jussit puellam de hac causa inquirere. Et illa ait : *Scio, domine mi Rex, ante hos annos tibi pro munere aurea munuscula à missis Chlodovei deferta* *, *et mihi ancillæ vestræ annulum in manu positum parvulum : ego verò in thesauris vestris ipsum recondi.* Et ille dixit : *Simpliciter et sine consilio hoc factum fuit.* Acceptamque eam cum ira Aureliano misso Chlodovei tradidit. Ille autem cum sociis accepit (f) Chrothildam cum magno gaudio et lætitia, abduxeruntque eam Chlodoveo Suessionis civitate in Francia. Gavisus est autem Chlodoveus Rex, eamque in matrimonium sibi copulavit. Cùm esset serò die illa,
D quando insimul nuptiali more accumbere deberent, illa prudentiæ suæ more conversa, et confisa in Dominum, ait : *Deinceps, domine mi Rex, audi ancillam tuam loquentem, et concedere digneris quod deprecor, antequàm famula tua vestræ* (g) *dominationi coëam.* Et Rex ait : *Postula quod vis, et ego tibi concedam.* Et illa postulavit dicens : *Primùm peto ut Deum cœli Patrem omnipotentem credas, qui te creavit : secundùm confitere Dominum Jesum-Christum filium ejus, qui te redemit, Regem omnium Regum, à Patre de cœlis missum : tertiùm Spiritum-sanctum confirmatorem et inluminatorem omnium justorum : totam ineffabilem majestatem, omnipotentiamque coæternam agnosce, et agnitam crede : et idola vana derelinque, qui non sunt dii, sed sculptilia vana, incendeque ea : et Ecclesias sanctas, quas succendisti, restaura. Memento, quæso, insuper ut requirere debeas portionem genitoris mei et genitricis meæ, quos avunculus meus Gundobadus malo ordine interfecit : sic sanguinem eorum Dominus vindicet.* Et
E Chlodoveus ait : *Unum restat difficile quod petis, ut deos meos derelinquam, et Deum tuum colam : aliud verò quod petis, ut potuero, faciam.* Illa verò (h) denuò institit, supplexque iterùm postulavit : *Hoc maximum obsecro, ut Dominum Deum omnipotentem, qui est in cœlis, adores.*

XXIII. Chlodoveus iterùm in Burgundiam Aurelianum ad Gundobadum dirigit

* *al.* allata.

An. 493.

(a) Idem, *et molestus cœpit tristari. Illa verò sollicitè requisita ait..... sacculum ? Et invenit eum : recepitque illa absconditè.*

(b) Idem, *Chlodoveoque salutem dicito : Licitum non est Christianam.* Cod. Remig. *Chlodoveoque salutes per ipsum Aurelianum direxit, mandavitque illi licitum non esse Christianam.*

(c) Cod. Crass. *nemo sciat. Quomodo jubet Dominus... confiteor, sic fiet.*

(d) Idem, *Inquiratur Rex..... suis si fuerunt aliquando deportata.*

(e) Idem, *Requisiti autem invenerunt in thesaurum.*

(f) Idem, *accepta Chrodchilde, cum magno gaudio ad Cholodovehum Regem adduxerunt eam Suessionis civitatem in Franciam.*

(g) Idem, *famulatui vestræ dominationis.*

(h) Idem, *Et illa dixit : Hoc maximum peto.*

CHLODOVEUS I.

pro thesauro Chrothildæ Reginæ suæ. Gundobadus verò in ira commotus, ait : *Numquid in manus Chlodoveo tradetur regnum meum, aut thesauri mei ? Nonne obtestatus fui tibi, Auriliane, ut non venires ampliùs in regno meo explorare substantiam meam ? Per salutem* (a) *Principum obtestor, et cum juramento spondeo, revertere citò, et recede à me : sin autem, ego interficiam te.* Cui Aurelianus respondit dicens : *Vivit dominus meus Chlodoveus Rex, et Primatus* (b) *magnanimorum Francorum in regno ejus, quia non timeo minas tuas, quamdiu dominus meus advivit. Et sic mandat filius tuus* (c) *proprius dominus meus Chlodoveus Rex, ubi pro thesauro uxoris suæ dominæ* (d) *meæ cum exercitu suo tibi occurret.* Igitur Burgundiones, sicut est consuetudo, dato consilio Gundobado Regi suo, dixerunt : *Da neptæ tuæ aliquid de facultate thesauri sui, qui ei contingit, quia sic esse justum decernitur : habeasque fœdus et pacem cum Chlodoveo et gente Francorum, ne fortè inruant in terram nostram, quia populus ferocissimus* (e) *est sine Deo existens.* Audiensque eorum consilium Gundobadus, dedit per manus Auriliano ad partem Chlodoveo maximam partem ex thesauro suo, et suppellectilem preciosissimam neptæ suæ Chrothildæ Reginæ transmisit. Aurum quoque multum et argentum fabricaturasque speciosissimas tradens Legato, ait : *Quid restat aliud, nisi ut omne regnum meum cum Chlodoveo dividam.* Et dixit ad Aurilianum : *Reverte ad dominum tuum, quia habes quod ei deferas, munera multa, quæ non laborastis.* Et ait Aurilianus : *Filius tuus est dominus meus Chlodoveus Rex : omnia vestra communia erunt.* Et dixerunt sapientes Burgundionum : *Vivat Rex qui tales habet leodos* *. Reversusque est Aurilianus cum thesauris multis ad dominum suum in Franciam. Chlodoveus verò Rex habebat tunc filium de concubina, nomine Theudericum.

* *al.* leudos.

XIV. In illis diebus dilatavit Chlodoveus amplificans regnum suum usque Sequanam. Sequenti tempore usque Ligere fluvio occupavit. Accepitque Aurilianus castrum Milidunensium, quem in Ducatum accepit. Concepit verò et Chrothildis, peperitque filium, quem baptismo consecrare voluit. Tunc non credebat Chlodoveus Dominum Deum cœli. Regina enim cotidie prædicabat eum : at ille nolebat audire eam. Intereà Regina (f) parat ad baptismum filium, ornat Ecclesiam velis atque cortinis, si commoto cor Regis ad credendum compungere posset. Baptizatus est autem puer, quem in albis Ingomirum vocavit ; qui in ipsis albis transiit. Rex autem de morte ejus nimis contristatus, reputabat increpando dicens : *Quia si in nomine Deorum meorum dedicatus fuisset puer, vixissetque utique : quia in nomine Dei vestri baptizatus est, vivere non potuit.* Regina verò dicebat : *Deo gratias ago, quia me non duxit indignam, ut de utero meo primogenitum in regno suo recipere dignaretur. Ego autem nullum dolorem in corde meo pro hac causa retineo.* An. 495. Posteà verò genuit alium filium, quem baptizatum Chlodomirum vocavit. Et hic cùm ægrotare cœpisset, dixit Rex : *Non*

An. 494.

XIV. Eo tempore dilatavit Chlodovechus, amplificans regnum suum usque Sequanam. Sequenti tempore usque Ligure (g) *fluvio occupavit. Accepitque Aurilianus castrum Malidunensem, omnemque Ducatum regionis istius. Tunc concepit Chrodchildis ex Chlodoveo, et peperit filium, quem cùm baptismo consecrare vellet. Non enim credebat Rex Dominum Deum. Regina enim quotidie prædicabat eum, et ille nolebat audire eam. Intereà Regina parat ad baptismum filium, ornat Ecclesiam velis atque cortinis : quomodo cor* (h) *Regis ad credendum compungerent. Baptizatus est autem puer, quem in albis Ingomirem vocavit : qui in ipsas* (i) *albas ægrotans obiit. Pro quo Rex nimis contristatus, reputabat increpando, dicens :* Quia si in nomine Deorum meorum puer dedicatus fuisset, vixisset utique : quia in nomine Dei vestri baptizatus est, vivere non potuit. *Regina verò dicebat :* Deo gratias ago, quia me non duxit indignam, ut de utero meo primogenitum in regno suo recipere dignatus est. Ego autem nullo (k) dolore in corde meo pro hac causa retineo. *Posthæc verò genuit alium filium, quem baptizatum*

(a) Idem, *Per salutem Principum juro, revertere.*
(b) Idem, *et Franci qui cum eo sunt.*
(c) Chesnius in margine, aliàs, *propinquus.*
(d) Cod. Crass. *dominæ meæ adveniat.* Cod. Remig. *ut thesauros uxoris suæ dominæ meæ inveniat.*
(e) Cod. Crass. *populus validus et ferus est sine Deo. Audiensque..... Aureliani ad partem Chlodovei partem maximam thesauri sui, aurum et argentum, et ornamenta multa, et ait.*
(f) Chesnius in margine, *Regina verò idem tentans, omnia quæ ad baptismum necessaria videbantur, adornat, filiumque velatum atque fasciatum latenter baptizandum offert, quò eò meliùs Regis animus ad credendum compungeretur.*
(g) Codd. Crass. et Remig. *Ligerem fluvium..... Aurelianus castrum Malidunense.*
(h) Cod. Crass. *cordia..... compungerentur.* Remig. *cor..... compungeret.*
(i) Codd. Crass. et Remig. *in ipsis albis.*
(k) Iidem, *nullum dolorem..... Post hunc verò.*

A *potest aliud, nisi ut de isto sic sit, quomodo fuit et de fratre ejus, ut baptizatus in nomine Dei vestri citò moriatur.* Sed hic orante Regina, et Domini misericordia præcurrente, recepit sanitatem. Regina quoque non cessabat prædicare Regem, ut Deum verum coleret, et idola quæ colebat vana derelinqueret : sed nullo modo animum ejus ad credendum commovere potuit, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos Suevosque moveret : in quo
B compulsus est confiteri, quem anteà negaverat.

XV. Factum est autem bellantibus inter se Francorum exercitu cum Alamannis, ut Chlodovei exercitus nimis corrueret. Aurilianus intuens Regem, ait : *Domine mi Rex, crede tantummodò Dominum cœli, quem domina mea Chrothildis Regina prædicat.* Ille verò elevatis ad cœlum oculis, commotus lacrymis ait : *Jesu Christe, quem Chrothildis Regina mea prædicat esse*
C *filium Dei vivi, qui subvenis in tribulatione, qui das auxilium in te sperantibus, tuum adjutorium devotus postulo, ut si mihi victoriam super hos hostes dederis, et expertus fuero illam virtutem, quam de te populi prædicant, credam tibi, et in nomine tuo baptiser. Invocavi enim deos meos; et, ut experior, elongati sunt ab auxilio meo. Unde credo eos nulla potestate esse præditos, qui sibi credentibus implorati non succurrunt. Te verum Deum ac Dominum invoco, tibique credere desidero, tantùm ut liberes me ab adver-*
D *sariis meis.* Cùmque hæc orans clamaret, Alamanni in fugam lapsi terga verterunt. Cùmque Regem suum vidissent interfectum, Chlodovei potestati se subdunt, dicentes : *Parce, precamur, domine Rex, ne pereant plures de populo, quia jam tui sumus.* Tunc jussit Rex imminentem plagam cessare : Alamannos cepit, ipsos terramque eorum sub jugo tributarios constituit. Factaque victoria, reversus est in Franciam ad Reginam suam, narravitque ei qualiter per invocationem
E nominis Jesu-Christi victoriam meruit obtinere. Acta sunt hæc anno XV. Chlodoveo regnante. Tunc Regina clam vocavit sanctum Remedium *, urbis Remensis Antistitem, deprecans eum ut Regi viam salutis prædicando ostenderet. Regem verò ad baptismum beatus Episcopus vocans, ab illo veniam loquendi deprecabatur. Cui Rex ait : *Libenter te audiam, beatissime pater : sed unum restat, quia populus, qui me sequitur, non vult relinquere deos*

Chlodomirum (a) *vocavit. Et hic cùm ægrotare cœpisset, dixit Rex :* Non potest aliud nisi et de isto sic sit, quomodo fuit de fratre ejus, ut baptizatus in nomine Christi vestri citò moriatur. *Sed orante Regina et Domini misericordia præcurrente, recepit sanitatem. Regina verò non cessabat prædicare Regem, ut Deum verum coleret, et idola vana quæ colebat relinqueret : sed nullo modo animum ejus ad credendum commovere poterat, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos Suevosque moveretur : in quo compulsus est confiteri, quem antè negaverat.*

XV. Factum est autem, pugnantibus inter se Francorum et Alamannorum exercitu, ut populus Chlodovechi nimis caderet. Aurilianus hæc videns ait ad Regem : Domine mi Rex, crede tantummodò Deum cœli, quem Regina tua prædicat. *Ille verò elevatis ad cœlum oculis, commotus lacrymis dixit :* Jesu-Christe, quem Chrodchildis uxor mea prædicat esse filium Dei vivi, qui subvenis in tribulatione, qui das auxilium in te sperantibus, tuum adjutorium devotus postulo, ut si mihi victoriam super hos hostes dederis, et expertus fuero illam virtutem, quam de te populi prædicant, credam tibi, et in nomine tuo baptiser. Invocavi enim deos meos, et, ut video, elongati sunt ab auxilio meo. Unde credo eos nullam habere potestatem, qui sibi credentibus non succurrunt. Te verum Deum ac Dominum invoco, tibique credere desidero, tantùm ut liberer ab adversariis meis. *Cùmque hæc orans clamaret, Alamanni in fugam lapsi terga verterunt. Cùmque Regem suum vidissent mortuum, Chlodovecho se subdunt, dicentes* : Parce, precamur, Domine Rex, ne pereat plus populus, jam tui sumus. *Tunc jussit Rex imminente jam plaga cessare, Alamannosque cepit ipsos, vel terram eorum sub jugo tributario constituit. Factaque victoria, reversus est in Francia ad Reginam suam. Narravitque ei, qualiter per invocationem nomi-* An. 496.
nis Jesu-Christi victoriam meruit obtinere. Acta sunt hæc anno XV. Chlodovecho regnante. Tunc Regina absconditè voca- * Remigium.
vit sanctum Remidium, urbis Remensis Episcopum, deprecans eum ut Regi viam salutis ostenderet. Quem Sacerdos ad baptismum venire prædicabat. Et ille ait : Libenter te audiam, beatissime pater : sed unum restat, quia populus, qui me sequitur, non vult relinquere deos suos:

(a) Iidem, *Chlodomirem.*

CHLODOVEUS I.

suos : sed vadam adhortari eos juxta verbum tuum. Conveniens autem Rex ad populum, cœpit cohortari eos. Acclamaverunt autem præcurrente misericordia Dei, et potentia ipsius, omnis populus Francorum, fortiter dicentes : *Mortales deos derelinquimus nunc, gloriose Rex, et Deum verum immortalem, quem Remedius prædicat, colere, eique credere parati sumus.* Nuntiaverunt autem hæc sancto Remedio. Ille quoque magno gaudio repletus, jussit baptismi lavacrum parare. Velis divinis historiis depictis adumbrantur plateæ, fabricantur Ecclesiæ, componitur baptisterium, balsamum et cetera odoramenta redolent. Talem enim gratiam Dominus subministravit in populo, ut æstimarent se Paradisi odoribus repletos fuisse. Rex ergo prior petiit sanctum Remedium, ut se baptisaret. Venit novus Constantinus ad baptismum, abnegatis diabolo pompisque ejus. Cui ingresso ad baptismum, sanctus Dei Regi sic ait ore facundo : *Mitis depone colla Sicamber : adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Erat autem sanctus Remedius vir sapiens atque sanctissimus, egregius Rhetoricus, præclarus in virtutibus, cæcis visum restituens, mortuis vitam reparans, dæmonia ejiciens. Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus est in nomine Patris et Filii et Spiritûs-sancti, delibutusque sacro chrismate cum signo sanctæ Crucis Domini nostri Jesu-Christi. Baptizantur de exercitu ejus ampliùs quàm tria millia virorum. Baptizantur sorores ejus, his nominibus, Alboflidis et Landehildis, ipsa die. Baptizaturque posteà cunctus populus Francorum cum gloria.

Greg. Turon. lib. 2. c. 31.

Greg. lib. 2. cap. 32.

XVI. Posthæc autem Chlodoveus contra Gundobadum et Godeghiselum fratrem ejus, commoto exercitu Francorum grandi, perrexit. Illi hæc audientes, exercitum maximum colligunt Burgundionum. Venientesque Divione castrum super Hoscarum * fluvium, ibi inter se valde atrociter confligentibus Chlodoveo et Gundobado ac Godeghiselo, Burgundiones terga verterunt. Chlodoveus quoque, sicut solebat, victor exstitit. Afflictoque exercitu Burgundionum, Gundobadus et Godeghiselus in fugam versi vix evaserunt. Gundobadus in Avenionem civitatem super Rhodanum ingressus, ibi

* *al.* Oscaram.

sed vadam adhortare eos juxta verbum tuum. *Conveniens autem Rex cum populo, cœpit eos cohortare. Acclamaverunt autem præcurrente misericordia Dei, et potentia ipsius, omnis populus Francorum, una voce dicentes :* Mortales deos relinquimus, gloriose Rex, et Deum verum immortalem, quem Remidius prædicat, credere parati sumus. *Nunciantur hæc sancto Remidio. Ille quoque gaudio magno repletus, jussit baptismi lavacrum parare. Velis divinitus depictis adumbrantur plateæ, fabricantur Ecclesiæ, componitur baptisterium, balsamum redolent cerea odorata* (a). *Talem gratiam Dominus subministravit in populo, ut æstimarent se Paradisi odoribus* (b) *collocare. Rex ergo prior petiit à sancto Remidio baptizari. Venit novus Constantinus ad baptismum, abnegatis diaboli pompis. Quo ingresso ad baptismum, sanctus Dei sic ait ore fœcundo :* Mitis depone colla Sicamber : adora quod incendisti, incende quod adorasti. *Erat autem sanctus Remidius vir sapientissimus, Rhetoricus præclarus, in virtutibus magnus. Igitur Rex Omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus in nomine Patris et Filii et Spiritûs-sancti, delibutusque sacro crismate cum signo sanctæ Crucis Domini nostri Jesu-Christi. Baptizantur de exercitu ejus ampliùs quàm tria millia virorum. Baptizantur sorores ejus his nominibus, Alboflidis et Landechildis, ipsa die. Baptizaturque posteà cunctus populus Francorum.*

XVI. Posthæc Chlodovechus contra Gundobadum et Godeghiselum fratrem ejus perrexit cum multo exercitu Francorum. Illi hæc audientes, populo multo (c) *Burgundionum movent, ad pugnam præparant. Venientesque Divione castro super Oscaram fluvium, ibique se fortiter compugnantes, Chlodovecho* (d), *Gundobado et Godeghiselo, Burgundiones valde cæsi terga verterunt ad fugam. Chlodovechus, sicut solebat, victor extitit. Afflictoque exercitu Burgundionum, Gundobadus et Godeghiselus in fugam versi vix evaserunt. Gundobadus in Avennione* (e) *civitate super Rodanum ingressus, ibi se re-*

(a) Cod. Remig. *balsamum redolet, cerei adornantur.*

(b) Idem, *odoribus repleri.* Posteà in eodem codice multa adduntur, et recitatur historia sanctæ Ampullæ à Columba allatæ.

(c) Codd. Crass. et Remig. *populum multum Burgundionum moventes.*

(d) Cod. Crass. *à Chlodoveo Gundobadus et Godegisilus.* Remig. *ibique fortiter pugnantibus Clodoveo, Gundebaudo et Godegiselo.*

(e) Codd. Crass. et Remig. *Avennionem civitatem... obsedit ut eum de.*

se

A se reclusit. Sed Chlodoveus Rex illuc eum persecutus obsedit. Qui cùm ipsam urbem effringere non potuissent, regionem illam nimiùm vastaverunt Franci. Gundobadus itaque misit consiliarium suum sapientem, Aredium nomine, ut animum furentis Chlodovei Regis per suum consilium optimum mitigaret. Dederuntque ei munera infinita, auri et argenti pondera multa, atque se sub ejus tributo subjugaverunt. Chlodoveus verò ablatis thesauris cum præda maxima cum Franco-
B rum exercitu reversus est victor. In his temporibus fuit in Viennam urbem (a) terræ motus maximus, ubi multæ Ecclesiæ et domus multorum concussæ fuerunt et subversæ. Ibi bestiæ multæ oberrantes, lupi, ursi ac cervi; ingressique per portam civitatis devorabant plurimos. Per totum autem annum hoc faciebant. Nam veniente Dominica solemnitate diei sanctæ Paschæ, sanctus Mamertus, qui in ea urbe erat Episcopus, dum missarum solemnia ipsa vigilia celebraret, palatium
C quoque regale, quod in civitate erat, divino igne succensum est. Cùmque hæc agerentur, appropinquante Ascensione Domini, indixit jejunium triduanum vir Dei sanctus in populo, cum gemitu et contritione spiritûs, (b) instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Tunc cessavit ipsa tribulatio et subversio. Deinceps omnes Ecclesiæ Dei et Sacerdotes hoc exemplum imitantes, usque ad præsens ipsas triduanas letanias ubique celebrare (c) noscuntur.
D

clusit. Chlodovechus illic eum persecutus obsedit, quatenus de civitate extractum interimeret. Quod ille audiens, pavore perterritus, metuebat ne ei mors repentina succederet. Habebat tamen secum virum illustrem Aridium, strenuum atque sapientem. Quem ad se accersitum, ait : Vallant me undique angustiæ, et quid faciam ignoro, quia venerunt hi barbari super nos, ut nobis interemptis regionem totam (d) evertant. *Ad hæc Aridius ait* : Oportet te lenire feritatem hominis hujus, ne pereas. Nunc ergo, si placet in oculis tuis, ego à te fugere, et ad eum transire consimulabo. Cùmque ad eum accessero, ego faciam ut neque te, neque hanc noceant regionem. Tantùm ut quod tibi per me (e) consilium demandaverit, implere studeas, donec causam tuam Dominus prosperam facere sua pietate dignetur. *Et ille,* faciam, *inquit,* quodcumque mandaveris. *Hæc eo dicente, vale dicens Aredius discessit, et ad Chlodovechum Regem abiens, ait :* Ecce ego humilis tuus, piissime Rex, ad tuam potentiam venio, relinquens illum miserrimum Gundobadum. Quòd si me pietas tua recipere dignatur, integrum me famulum atque fidelem, tu et posteri tui habebitis. *Quem ille promptissimè colligens, secum retinuit. Erat enim jocundus in fabulis, strenuus in consiliis, justus in judiciis, et in commissis fidelis. Denique Chlodovecho cum omne exercitu circa muros urbis residente, ait Aridius :* Si dignanter, ô Rex, gloria celsitudinis tuæ paucos humilitatis meæ sermones vellet accipere, consilium, licèt non egeatis, tamen fide integra ministrarem (f) : idemque vel tibi congruum, vel civitatibus erit, per quas transire deliberas. Cur, inquit, retines exercitum, cùm loco firmissimo tuus resedeat inimicus? depopularis agros, prædia depascis, vineas desecas, oliveta succidis, omnesque fructus regionis evertis. Interim et illi nocere nihil prævales. Mitte potiùs legationem, et tributum, quod tibi annis singulis dissolvat, impone, ut et regio salva sit, et tu tributa dissolventi perpetuò dominaveris (g). Quòd si noluerit, tunc quod libuerit facies. *Quo consilio Rex accepto, hostem patriæ redire jubet ad propria. Tunc missa legatione ad Gundobadum, ut ei per singulos annos tributa imposita reddere debeat jubet. Et ille et de præsente solvit, et deinceps soluturum se esse promittit. Chlodovechus verò ablatis thesauris, cum præda maxima*
E *reversus est victor.*

His temporibus fuit in Viennam (h) *urbem terræ motus etc.* ut in Gestis vulgaribus, usque ad hæc verba Capitis XXVIII. *Sed Chramnus noluit jussum patris implere.*

XVII. In illis diebus Rex Chlodoveus cùm venisset Parisius civitatem, ait ad Reginam et ad populum suum : *Satis mihi molestum est quòd Gothi Arriani partem optimam Galliarum tenent. Eamus cum Dei auxilio, et ejiciamus eos de ipsa terra, nostrisque eam ditionibus subjiciamus, quia valde bona est.* Placuitque hoc consilium Pro-

Greg. lib. 2. cap. 37. An. 507.

(a) Longè ante hæc tempora illud Viennæ contigit.
(b) Aliàs, *spiritûs his temporibus semper celebrari. Tunc.* Cod. Crass. *spiritûs, edendi seriem ævis temporibus celebrare. Tunc.*
(c) Cod. Crass. *celebrè colunt.*
(d) Codd. Crass. et Remig. *regionem nostram.*
(e) Iidem, *per meum.*
(f) Cod. Crass. *ministrabo.*
(g) Idem, *domineris.*
(h) Idem, *in Vienna urbe.*

CHLODOVEUS I.

ceribus Francorum. Tunc Chrothildis Regina consilium dedit Regi, dicens : *Faciens*, A
inquit, *faciet Dominus Deus victoriam in manibus Domini mei Regis. Sed tu audi ancillam tuam, et faciamus Ecclesiam in honorem beatissimi Petri principis Apostolorum, ut sit tibi auxiliator in bello.* Et Rex ait : *Placet hoc quod hortaris : ita faciamus.* Tunc Rex projecit à se in directum bipennem suam, quod est francisca ; et dixit : *Fiatur* (a) *Ecclesia beatorum Apostolorum, dum auxiliante Deo revertimur.* Commovit autem Rex cunctum exercitum suum, populum Francorum, et Pictavis direxit. Ibi enim tunc Alaricus Rex Gothorum commorabatur (b). At verò cùm multa pars hostium per territorium Turonorum transiret, præcepit Rex pro reverentia sancti Martini, ut nihil aliud nisi herbam præsumerent accipere ad eorum equos sustentandum. Direxit itaque nuntios Rex ad B. Martini Basilicam cum muneribus multis, et equo suo (c) velocissimò, quem Rex amabat plurimùm, et ait : *Ite, et forsitan victoriæ aliquid ex sancto* (d) *sermone accipietis à Scripturis sanctis.* Tunc datis mune- B
ribus nuntiis, dixit : *Si tu, Deus, adjutor mihi es, et gentem hanc incredulam tibi meis manibus tradideris, in ingressu basilicæ S. Martini dignatus esto mihi revelare, ut sciam si propitius mihi sis famulo tuo.* Venientibus autem pueris ad B. Martini Ecclesiam, cùm ad ipsa limina introissent (e), Primicerius Ecclesiæ hanc Antiphonam
Psal. 17. 40. *et* 41. imposuit, dicens : *Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me : et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.* Quod psallentium ut audierunt, Domino gratias agentes, dimisso ibi equo Regis, et alia munera multa, cum lætitia et exultatione nuntiaverunt Regi. Cùm venisset autem Rex ad fluvium (f) Vincennam cum exercitu suo, in quo loco eum vadare deberet, non inveniebat : inundaverat enim à multitudine pluviarum. Deprecatusque est Dominum ut ei vadum ostenderet, et nocte illa ibidem fuit. Mane autem facto cerva miræ magnitudinis ante eos Dei voluntate (g) præcedens va- C
dum ostendit : illaque vadante, populus quoque sequens vadavit. Veniente autem Rege apud Pictavis civitatem, dum procul ab Ecclesia S. Hilarii tentoria fixisset, ea nocte farus ignea ex ea visus est exisse. Apparuit nempe super ipsa tentoria in auxilium (h) Chlodoveo Regi cum virtute B. Hilarii. Præcepit ergo tunc Rex hosti suo ut nec (i) cibum, nec ulla stipendia de ipso pago tollerent, neque etiam spolia. Chlodoveus autem Rex cum Alarico Rege Gothorum in campo Vogladise (k) super flu-
An. 507. vium Clinno, milliario decimo ab urbe Pictava convenit : illisque inter se compugnantibus, Gothi cum Rege suo nimis conlæsi (l) terga verterunt : et Chlodoveus Rex, sicut solebat, victor extitit. Cùmque Alaricum interficeret, duo Gothi cum contis eum ex adverso in latere (m) ferierunt : sed propter loricam, qua indutus erat, non livoraverunt eum. Dominus enim adjuvabat eum in cunctis quæ agebat. Maximus autem tunc ibi Arvernorum populus, qui cum Apollonare Duce venerat, D
corruit in gladio Francorum cum senatoribus multis. De hac pugna Amalricus evasit per fugam, filius Alarici, et in Spaniis (n) regnum patris sui sagaciter recepit. Chlodoveus autem Theodericum filium suum per Albiensem et Rotinus civitatem ad Arvernum dirigit. Qui pergens, omnes urbes illas à finibus Gothorum usque Burgundiam subjugavit, et in potestatem patris sui restituit. Regnavit igitur Alaricus annis XII. Chlodoveus quoque apud Burdigalensem civitatem totam hiemem resedit: thesauros verò plurimos Alarici Regis de Tholosa abstulit ; omnesque urbes illas accipiens, Ecolosinam civitatem veniens, tantam ei gratiam Deus contulit, ut in ejus adventu muri ejus funditus corruerent. Interfectis quoque Gothis qui ibidem erant, ipsam urbem adprehendit : atque ita omni terra eorum subjugata (o), in Santonico vel Burdigalense Francos præcepit manere ad delendam Gothorum gentem. Deinde Turonis civitatem reversus, multa munera Basilicæ B. Martini tribuit. Equus (p) verò, quem anteà ad ipsam Ecclesiam transmiserat, illius matricolariis datus est : ille

(a) Cod. Crass. *sic fiat.*
(b) Idem, *commorabatur. Multa pars etiam hostium per territorium Toronicum transiebat : præcepit autem Rex.*
(c) Idem, *equum suum velocissimum.*
(d) Cod. Remig. *et sancti sermonis.*
(e) Cod. Crass. *pervenissent.*
(f) Cod. Remig. *Vicennam.*
(g) Cod. Crass. *Domini voluntate præcedente vadum ostendit. Veniente autem.*
(h) Idem, *in auxilio Chlodovei Regis.*
(i) Idem, *nec cibo, nec nullo stipendio..... nec nulla spolia.* Cod. Remig. *nec cibum, nec ullum stipendium..... nec ulla spolia.*
(k) Chesnius in margine, aliàs *Vocladinense.* Cod. Crass. *Vogladinse.*
(l) Cod. Crass. *conlisi.*
(m) Idem, *in latera feriunt.*
(n) Idem, *in Hispaniis.*
(o) Idem, *adprehendit, omnem terram illam subjugavit.*
(p) Idem, *Equum..... transmiserat, ad illos matricularios datis centum solidis ut eum reciperet. Quibus etc.*

A verò centum solidos pro ipso equo, ut eum reciperet, transmisit. Quibus datis, equus ille nullatenus se movit. At ille ait : *Date illis alios centum solidos.* Cùmque alios solidos dedissent, statim ipse equus solutus abiit. Tunc cum lætitia Rex ait : *Verè B. Martinus bonus est in auxilio, sed carus in negotio.* Ab Anastasio Imperatore accepit tunc codicillos Chlodoveus Rex pro consulatu. Tunica blattea indutus Rex in Basilica B. Martini, corona aurea in capite suo, ascenso equo, aurum et argentum in atrium, quod est inter civitatem et Ecclesiam B. Martini, præsente populo manu propria sparsit, atque voluntate benignissima dispensavit. Ab ea die tamquam Consul et Augustus est appellatus. De Toronis autem egressus, Parisius civitatem veniens ibi sedem regni sui constituit.

CHLODOVEUS I.

Greg. lib. 2. *cap.* 38. An. 508.

XVIII. Deinde commotus contra Ragnacharium (a) parentem suum : erat autem ipse Ragnacharius apud Camaracum civitatem effrenis in luxuria : habebat quo- B que consiliarium, nomine Faronem, simili spurcitia lutulentum. Cùm enim aliquid muneris aut cibi ei deferti essent, dicebat : *Sint ista mihi et meo Faroni consiliario.* Pro qua causa indignati Franci qui erant cum eo, consentiebant Chlodoveo, commoventes eum adversus Ragnacharium. Deditque eis (b) Chlodoveus stipendia pro hac causa, baltheos et armellas adsimilatas de auro, sed deintus æramen et cuprum erat deauratum, sub dolo factum, pro munere leudibus Ragnacharii, qualiter super ipsum invitarent eum. Commoto Chlodoveus exercitu contra Ragnacharium parentem suum, misit Ragnacharius speculatores ad cognoscendum, interrogans cujus esset hostis major. Qui interrogati responderunt mentientes : *Tibi est fortior et tuo Faroni consiliario.* Venientes autem Chlodoveus et Ragnacharius ad pugnam, fortiterque inter se præliantes, Ragnacharius cæsum cernens exercitum suum, fugere nititur : sed ab ipsis traditoribus comprehensus, ligatis à tergo manibus, unà C cum Richario fratre suo Chlodoveo præsentatur. Cui dixit Chlodoveus : *Cur humiliasti gentem nostram, ut te vinciri permitteres ? Nonne melius tibi fuerit mori ?* Et elevata bipenne, in caput ejus defixit, et mortuus est. Conversusque ad fratrem ejus, ait : *Si tu solatium fratri tuo præbuisses, ille ligatus non fuisset.* Similiter et ipsum in capite percussum interfecit, et mortuus est. Post mortem eorum cognoscentes traditores eorum aurum, quod à Chlodoveo acceperant, esse vitiatum, dixerunt hoc Regi. Rex autem respondens dixit eis : *Merito tale aurum debet accipere, qui dominum suum ad mortem tradit : sufficiat vobis vitam tantummodò habere concessam, ne inter tormenta deficiatis.* Illi autem hæc audientes, gratiam et vitam solummodò optabant habere adeptam, hoc sibi sufficere dicentes. Fuerunt autem supradicto Ragnachario parentes : quorum frater, Regnemirus (c) nomine, apud Cenomannis civitatem, jubente Chlodoveo Rege, interfectus est. Quibus mortuis vel peremptis, omne regnum eo- D rum et thesauros Chlodoveus accepit, interfectisque multis et magnis Regibus vel parentibus suis, post hæc omnia mortuus est Chlodoveus Rex in pace, et sepultus est in Basilica S. Petri Apostoli, quam ipse vel Regina sua ædificaverant. Mortuus est autem anno quinto postquàm cum Alarico Rege Gothorum pugnavit. Regnavitque simul annis XXX. A transitu S. Martini usque ad transitum Chlodovei Regis fuerunt anni CXII (d). Chrothildis verò Regina post mortem viri sui Toronis civitatem frequenter pergens, ad Basilicam S. Martini diutissimè commorata, Domino serviebat, et Parisius rarò visitabat.

Greg. lib. 2. *cap.* 42. Circa an. 509.

Greg. lib. 2. *cap.* 43. An. 511.

XIX. Igitur post mortem viri sui Chlodovei Regis, quatuor filii ejus, Theudericus, Chlodomirus (e), Childebertus et Chlotarius, regnum ejus diviserunt æqualiter. Habebat quoque tunc Theudericus filium, nomine Theudobertum, strenuum et utilem : elevatique sunt in magna potentia. Amalricus quoque filius Ala- E rici Regis Gothorum sororem eorum ad conjugium petiit : quam illi non negantes, cum ornamentis optimis transmiserunt ; eamque ipse sibi in matrimonium adsumpsit. In illo tempore Dani cum Rege suo, nomine (f) Chlochilago, cum navale hoste per altum mare Gallias appetunt, Theuderico pagum (g) Attoarios vel alios devastantes atque captivantes, plenas naves (h) de captivis habentes, alto mare in-

THEODOR. CLODOM. CHILDEB. CHLOTAR.

Greg. lib. 3. *cap.* 1. *et* 3.

(a) Chesnius in margine, aliàs *Ragneharium* et *Regnaharium*. Cod. Crass. *Regnacharium*.

(b) Cod. Crass. *Datisque eis Chlodoveus pro hac causa balteis et armillis adsimilatis de auro..... et cobrium erat deauratum.*

(c) Idem, *Regnemiris*.

(d) Cod. Remig. *anni CXIII.*

(e) Cod. Crass. *Clodomiris.....* Paulò pòst *Theudebertum.*

(f) Chesnius in margine, aliàs ; *Chohilaico*. Cod. Crass. *Chochelaico.*

(g) Cod. Crass. *Theuderico pago Attoarius*. Cod. Remig. *Theodico pago Attoarios.*

(h) Cod. Crass. *plenas naves de captivis altum mare intrantes, Rex eorum ad litus maris residens.* Chesnius in margine, *plenas naves implebant spoliis numeroque captivorum ; altumque mare secantes, naves impellebant, Rege eorum cum exercitu ad litus maris sedente.*

THEODORICUS I etc. Circa an. 515.

trantes, Rex eorum ad litus maris resedit. Quod cùm Theùderico nuntiatum fuisset, A Theudobertum filium suum cum magno exercitu in illis partibus dirigens. Qui consequens eos, pugnavit cum eis cæde maxima, atque ipsis prostratis, Regem eorum interfecit, prædam tulit, et in terram suam restituit.

XX. In illis diebus Chrothildis Regina cùm venisset Parisius, ait ad filios suos : *Non me pœnitet, ô filii mei, vos dulciter enutrisse : precor itaque, indignamini super injuriam* (a) *meam ; et patris mei et matris meæ mortem vindicate.* Illi hæc audientes, in ira magna commoti, cum maximo exercitu Burgundiam petunt contra Sismundum et Godomarum (b) Reges filios Gundobadi. Tunc temporis ædificabat Sismundus Rex monasterium SS. Martyrum Agaunensium in Burgundia, S. Mauricii scilicet cum sociis suis sex millibus sexcentis. Illi autem commoverunt hostem Burgundionum contra Chlodomirum Regem et Childebertum et Chlotharium fratres, filios Chlodovei. Illis inter se compugnantibus, fugerunt cæsi Burgundiones cum B Godomaro. Sismundus verò dum ad sanctos Agaunis (c) fugeret, consecutus est eum Chlodomirus, adprehenditque eum cum uxore et filiis ejus; captosque in pago Aurilianis eos adduxit, atque in carcerem retrudi jussit. Beatus autem Avitus, qui erat tunc vir sanctus, Abba in Aurelianensi civitate, deprecabatur Chlodomirum ut non occideret eos : sed ille nolebat audire eum. Tunc interfecit tam Sismundum et uxorem ejus quàm et filios ejus : projecitque eos in puteum in loco qui dicitur Colomna vico.

Greg. lib 3. *cap.* 5. *et* 6. An. 523.

An. 524.

XXI. Posthæc iterùm commovit exercitum Chlodomirus, in Burgundiam pergens contra Godomarum. Cùmque venisset cum magno hoste in pago Viennense in loco qui dicitur Visoroncia (d), et Godomarus locatis gentibus cum Chlodomiro præliaretur ; Burgundiones valde conlæsi (e) cum Godomaro fugerunt. Cùmque eos persequeretur Chlodomirus, nimis valde præcucurrit; antecedensque eos cum equo C valde veloci, in medio eorum ingressus est : sed ex adversa parte percussus corruit, et mortuus est. Quod videntes Franci, nimio dolore et ira commoti, Godomarum persequentes exterminant, Burgundiones perimunt, cunctasque regiones devastantes, à puero usque ad senem (f) omnes peremerunt, et ita reversi sunt. Chlotharius hæc audiens, uxorem fratris sui accepit in conjugium, Gundeucam nomine. Filios quoque Chlodomiri orfanos, Theudoaldum, Guntharium (g) et Chlodoaldum, Chrothildis Regina nutriebat, eos secum retinens.

An. 524.

Greg. lib. 3. *cap.* 7. Circa an. 528.

XXII. In illo tempore Theodericus et Theudobertus filius ejus et Chlotarius Rex cum Francorum exercitu Rhenum transeuntes, in Toringiam dirigunt contra Ermenfredum Regem Toringorum. Hæc audientes Toringi, fossatos fecerunt sub dolo, desuper cooperientes eos (h) cespitibus. Cùmque ad bellum ibidem convenissent, intelligentes quòd equi eorum ibidem corruissent, indignati sunt valde. D Fugit autem Ermenfridus cum Toringis usque Onestrudem fluvium ; illicque eum (i) persequuti sunt Franci : sed ille reparatis viribus contra Francos nitebatur. Sed tanta cædes ibi fuit de Toringis, ut ipse fluvius ex eorum cadaveribus repleretur. Franci verò super eos tamquam per pontem transiebant et conculcabant : totamque regionem illam vastantes, atque (k) captivos abducentes, cuncta depopulati sunt. Ermenfridus quoque per fugam vix lapsus evasit : Franci autem cum multa præda et spolio reversi sunt. Fuerunt autem Ermenfrido duo fratres, Baldericus et Bertecharius (l). Posthæc iterùm Theudericus, data fide Ermenfrido Regi, Tulpiaco (m) civitate eum ad se venire fecit. Cùmque super murum ipsius civitatis conloquerentur, impulsus de muro urbis ipsius, corruit ad terram, et mortuus est : suosque infantes Theudericus interficere rogavit.

Greg. lib. 3. *cap.* 10.

XXIII. Childebertus quoque cùm esset Arvernis civitate, soror ejus, uxor E Amalrici Regis Gothorum, nomen puellæ Chlotildis Regina, direxit ad eum nuntios de Spania, dicens quanta mala ei Amalricus fecisset, et qualiter super ipsam insidiaretur propter Catholicam fidem. Nam cùm ad Ecclesiam Christi iret orationem facere, stercora et multos fœtores ipse super eam projiciebat, atque in tan-

(a) Cod. Crass. *precor, indignate injuriam meam.*
(b) Idem, *Sigismundum et Gotmarum.*
(c) Idem, *Augones.* Cod. Remig. *Agaunenses.*
(d) Cod. Crass. *Visorancia,* Chesnius in margine, *Visroncia.*
(e) Cod. Crass. *conlisi cum Gotmaro.*
(f) Idem, *usque ad senem interimentes, reversi sunt.*
(g) In codd. Crass. et Remig. deest *Guntharium.*
(h) Cod. Crass. *cooperuerunt cespitibus.*
(i) Idem, *illic eum persequentes Franci, ibi reparatis viribus contra Francos. Tanta etc.*
(k) Idem, *vastantes atque captivantes depopulant.*
(l) Chesnius in margine, aliàs *Berecarius* et *Bertarius.*
(m) Cod. Crass. *Tulbiaco.*

THEODORICUS I etc. An. 531. * *al.* Hispaniam.

A tum eam verberabat, ut sanguinem vomeret. Quem illo in sudario (a) suo collectum fratri suo transmisit, dicens : *Indignate, dulcissime frater* (b), *laborem et injuriam meam, domine carissime.* Cùm hæc audisset Childebertus Rex, in ira magna commotus, hostem maximum collegit, et in Spaniam * direxit, atque pugnam iniit cum Amalrico. At verò Gothi valde conlæsi (c), Amalricus fugam vertit, naves parat ad fugiendum. Cùmque attingere conaretur ad ipsas naves, persecutus est eum exercitus Childeberti. At ille victum se cernens, ad Ecclesiam Christianorum fugere nitebatur. Sed antequàm ad introitum Ecclesiæ pervenissent, quidam Francus eum lancea percussit, mortuusque est ibi. Tunc Childebertus Spaniam devastans, Toletum urbem ingressus, thesauros magnos inde abstulit, et unà cum sorore sua reversus est. Sed nescio quo periculo imminente, languore in ipso itinere mortua est, Parisius quoque deportata, in basilica S. Petri juxta patrem suum sepulta est.

B Childebertus verò inter reliquos thesauros ministeria Ecclesiarum detulit, id est de vasis Salomonis preciosissimis sexaginta calices, quindecim patinas, viginti capsas Evangeliorum ex auro purissimo gemmario opere cælatas, pulchrè ornatas. Ille verò noluit ea confringere, sed per Ecclesias cuncta distribuens dispensavit.

Greg. lib. 3. *cap.* 18. Circa an. 533.

XXIV. In illis diebus Chrothildis Regina cùm Parisius resideret; vidensque Childebertus Rex quòd filios fratris sui senioris Chlodomiris præfata Regina mater ipsius enutriret, et nimis eos diligeret : cogitans quòd Reges eos vellet facere, dixit Chlothario fratri suo : *Mater nostra filios fratris nostri secum retinet, et tenerè diligit, eosque in regno fratris nostri vult elevare. Consilio igitur accepto, pertractare debemus quid de eis faciamus. Aut tondamus eos, aut interficiamus : regnumque fratris nostri patris eorum inter nos dividamus.* Miserunt autem ad Reginam Parisius Arcadium, nobilem virum et industrium, dolosè dicentes : *Dic matri nostræ ut mittat ad nos*

C *filios fratris nostri, nepotes nostros, ut eos Reges constituamus.* At illa credens hoc verum esse, gaudens ipsos eis transmisit. Illi verò statim remiserunt Arcadium ad Reginam, dicentes : *Hîc sunt forfices, et ecce gladius : sic mandant filii tui, si vis eos tondere, aut gladio perimere.* Illa verò præ nimio dolore et amaritudine cordis cum lacrymis ait : *Satis undique me angustiæ comprimunt. Si regnare non debent, quid mihi eos prodest nutrisse* (d) *melius est illis mori quàm tonderi.* At ille renuntiavit eis dolosè falsum, dicens : sic dicit Regina; *Magis* (e) *volo eos occidere quàm tondere.* Nec mora etiam, adprehendit Chlotharius puerum seniorem, projecitque eum ad terram, ac defixit in ascella ejus cultrum. Qui transverberatus statim mortuus est. Frater quoque junior cùm hoc vidisset, projecit se ad pedes Childeberti, dicens flendo, *Succurre mihi, piissime pater, ne et ego peream sicut frater meus.* Tunc Chil-

D debertus commotus lacrymis ait : *Obsecro, dulcissime frater, ut isti vitam concedere* (f) *digneris; et quantum volueris, pro hoc dabo tibi.* At ille in ira succensus ait ad eum : *Ejice eum à te, aut certè pro eo morieris. Tu es enim qui hoc malum consilium perpetrasti; et modò tu vis liberare eum.* Hæc audiens Childebertus, projecit eum à se. Chlotharius quoque elisit eum in terra, defixoque in ascellam cultro interfecit eum sicut fratrem ejus : et pueros eorum nutricios similiter jugulavit; ascensisque (g) equitibus * abscessit. Regina quoque hæc audiens, cum nimio mœrore attrita, compositis corpusculis eorum, cum magno psallentio et immenso luctu Parisius ad Basilicam (h) S. Petri deportata sepelivit. Quorum unus erat decem annorum, et alius septem. Tertius verò, nomine Chlodoaldus, effugit, et per auxilium puerorum fortium liberatus est. Qui posteà relicto terreno regno, ipse propria manu se totondit, et Clericus factus est, ac bonis operibus præditus, Presbyter ordinatus

E est : plenus verò postmodùm virtutibus migravit ad Dominum : Noviento villa Parisiaci suburbano depositus requiescit. Chrothildis autem Regina in eleemosynis profluens, cum summa abstinentia et sobrietate vitæ (i) jugiter degebat.

* *i.* equis.

An. 534. *Greg. lib.* 3. *cap.* 28.

XXV. In illis diebus mortuus est Theudericus Rex. Regnavit autem annos XXIII. Theudobertus quoque filius ejus regnum ejus recepit. Posthæc Childe-

(a) Idem, *sanguine inlitum sudarium suum fratri suo.* Cod. Remig. *sanguine illitum sudarium suum fratribus.*

(b) Cod. Crass. *Indignate, dulcissimi fratres..... domni carissimi.* Cod. Remig. *indignamini, dulcissimi fratres, laborem meum, et injuriam meam, domini Christiani, vindicate.* Ita Chronicon Ademari, nisi quòd habet, *domini carissimi.*

(c) Codd. Crass. et Remig. *conlisi.*

(d) Cod. Crass. *eos enutrisse fuit : eis r elius est mori.*

(e) Idem, *mallet eos.*

(f) Chesnius in margine, aliàs, *ut hujus vitam tua largitate mihi concedere jubeas, et quantumcumque.* Ita cod. Crass.

(g) Cod. Remig. *His patratis, Childebertus et Clotarius, equis ascensis, abscesserunt.*

(h) In codd. Crass. et Remig. desunt hæc verba, *ad basilicam S. Petri.*

(i) Cod. Crass. *vitam degens.*

CHILDEB. CLOTHAR. THEUDOB. An. 537. * *i.* concides.

bertus et Theudobertus commoventes exercitum, contra Chlotharium ire disponunt. Ille autem hæc audiens, videns quòd exercitui eorum resistere non possit, in silvam confugit in Auriliano (a) fecitque combros *, totam spem suam in Dei pietate transfundens. Sed et Chrothildis Regina hæc audiens, B. Martini sepulchrum adiit; ibique in oratione prostrata, tota nocte vigilans, deprecabatur Dominum ne inter filios suos bellum civile consurgeret. Cùmque convenissent cum hostibus magnis contra Chlotharium, ut sequenti die eum interficerent, mane facto in loco, in quo erant congregati, orta est maxima tempestas, tentoria disrumpens, cum immixtis fulgoribus, atque cuncta (b) subvertit, irruentibus imbribus cum tonitruis validis. Illi verò prostrati in terram corruentes, cæsi grandinibus validis, graviter verberati corruunt. Nullum eis tegumen remansit, nisi clypeus (c) tantùm : hoc maximè timentes ne ab igne cœlesti cremarentur. Sed et equi eorum ita dispersi sunt, ut vix in vicesimo stadio reperirentur : multi etiam de his non sunt inventi. Tunc illi aut lapidibus (d) cæsi, aut humo prostrati, pœnitentiam agentes, veniam precabantur à Deo, quòd talia contra sanguinem suum agere voluissent. Super Chlotharium verò neque una quidem pluviæ gutta cecidit : neque ullatenùs sonitus tonitrui est auditus : sed neque anhelitus (e) venti in illo loco senserunt. Illi quoque mittentes nuntios, pacem et concordiam petierunt : qua data, ad propria sunt reversi.

An. 542. *Greg. lib.* 3. *cap.* 29.

XXVI. Posthæc iterùm Childebertus et Chlotharius, commoto exercitu magno, in Spaniam dirigunt. In quam ingressi, ipsam terram vastantes succenderunt, interficientes populum. Cæsaraugustanam civitatem circumdantes obsederunt. Populus autem qui ibidem obsessus tenebatur, induti ciliciis, adsperso capite cinere, in tanta humilitate ad Deum conversi sunt, ut cum Tunica B. Vincentii Martyris muros civitatis psallendo circumirent. Mulieres similiter indutæ nigris palliis, dissoluto crine, plangentes sequebantur, ut illic Ninivitarum jejunium celebraretur. Quod hi Reges videntes, putabant eos aliquid agere maleficii. Tunc adprehensum unum rusticum de civitate, interrogabant eum quid hoc esset agerent. Qui ait : *Domine, Tunicam Vincentii Martyris deportant, et cum ipsa, ut eis Dominus misereatur, exorant.* Et ille ait : *Vade, dic Episcopo civitatis, ut cum fiducia veniat ad nos, nihil dubitans.* Ille verò cùm hæc Episcopo nuntiassent, ipse cum muneribus statim occurrit eis. Childebertus quoque postulavit ut ei reliquias B. Vincentii daret : at ille dedit ei stolam ejus. Tunc memorati Reges, adquisita maxima parte Spaniæ, cum multis thesauris et spoliis reversi sunt. Childebertus verò Parisius veniens, Ecclesiam in honore B. Vincentii Martyris ædificavit. Tunc Theudobertus Rex filius Theuderici in Italiam cum hoste plurimo abiit : Langobardis devictis atque prostratis (f), maximam partem de ipsa terra vastavit : ipsosque Langobardos tributarios subjugavit : et cum multo spolio reversus est (g).

An. 539. *Greg. lib.* 3. *cap.* 32.

An. 547. *Ibid. c.* 36.

XXVII. Posthæc Rex Theudobertus ægrotans, febre valida correptus, mortuus est : regnavitque annos XIIII. Regnum ipsius in superiores Francos in Auster Theudoaldus filius ejus accepit. Igitur bonæ memoriæ gloriosissima Chrothildis Regina, bonis operibus pollens, apud urbem Toronicam migravit ad Dominum plena dierum. Quæ cum magno psallentio Parisius deportata, in sacrario basilicæ S. Petri ad latus Chlodovei Regis viri sui sepulta est, à filiis suis Childeberto et Chlothario Regibus humata : ubi et beatissima Genovefa sepulta est. Chlotharius quoque Rex de diversis mulieribus septem filios habuit, id est de Ingunde, Guntharium, Childericum, Haribertum (h), Guntramnum, Sigibertum, et Chlodsindam filiam; de Heregunde * quoque sorore Ingundis habuit Chilpericum; de Gunsina habuit

Circa an. 545. *Greg. lib.* 4. *cap.* 1.

* *Cod. Crass.* Charegunde.

(a) Chesnius in margine, aliàs. *Arelauno.* Ita codd. Crass. et Remig.

(b) Cod. Crass. *fulgoribus cuncta subvertens, irrumpentibus imbribus.*

(c) Idem, *nisi clypei.*

(d) Idem, *à lapidibus cæsi, et humo.*

(e) Cod. Remig. *flatum venti.*

(f) Cod. Crass. *Languobardos devictos atque prostratos maxima parte vastavit.*

(g) Chesnius hæc addit ex codice illustris viri Francisci Thuani. *Sed quia terra illa, vel loca, ut fertur, morbida sunt, exercitus ejus diversis febribus vexabatur. Dicitur etiam tunc temporis usque Ticinum accessisse civitatem, in qua Buccelenum direxit : qui minori Italia capta, atque in ditionem antedicti Regis redacta, majorem petiit : in qua contra Belsuarium multis vicibus pugnans, victoriam obtinuit. Cùmque Imperator vidisset quòd Belsuarius crebriùs vinceretur, amoto eo, Narsitem in ejus loco statuit : Belsuarium verò Comitem-stabuli esse constituit. Buccelenus verò contra Narsitem magna certamina gessit, captaque omni Italia, usque in mare terminum suum dilatavit : thesauros verò magnos ad Theudobertum de Italia direxit. Quod cùm Narsis Imperatori innotesceret, Imperator conductis precio gentibus, Narsiti solatium misit : confligensque posteà victus abscessit. Deinde Buccelenus Siciliam occupavit, de qua etiam tributa exigens, Regi transmisit.*

(h) Cod. Crass. *Gerbertum.* Cod. Remig. *Cherebertum.*

CHILDEB. CHLOTAR. THEUDOALD.

A Chramnum. Per amorem enim Ingundis, eò quòd esset pulcra et decora, et ipse esset nimis luxuriosus, Herigundem sororem ejus in conjugium accepit. Theudoaldus autem Rex filius Theudoberti Regis in Auster ægrotans febre valida mortuus est : regnavitque annos septem; regnumque ejus Chlotharius Rex cum thesauris multis accepit. Eo anno rebellantibus Saxonibus, Chlotharius Rex, commoto Francorum exercitu, contra eos pugnam iniit super Wiseram fluvium, exercitum eorum maximum interfecit;, terramque eorum vastavit, pervagans totam Toringam ac depopulans, pro eo quòd solatium Saxonibus præbuissent. An. 553. *Ibid. capp.* 9. *et* 10.

XXVIII. Chramnus itaque filius Chlotharii pulcher et decorus erat nimis, et acer et callidus (a) : cùmque ultra Ligere à patre missus in loco ejus fuisset, cœpit regionem valde iniquiter opprimere. Quod cùm patri nuntiatum fuisset, ille eum ad se venire præcepit : sed Chramnus noluit jussum patris implere, duriùs agens : *Ibid. capp.* 17. *et seqq.* An 555.

B duxitque Willeharii (b) filiam sibi in uxorem, nomine Chaldam. Adprehensisque multis thesauris, Parisius veniens, cum Childeberto Rege patruele suo sacramento constrictus est, jurans se esse patri certissimum inimicum (c). Cùm autem Childebertus Rex ægrotare cœpisset, diutissimè Parisius febribus decubans, mortuus est, et in Basilica B. Vincentii Martyris, quam ipse construxit, sepultus. Cujus regnum et thesauros Chlotharius Rex accepit. Chramnus quoque cùm evadere patri non posset, Britannias petivit : ibi cum Britannorum Rege Cunoberto (d) ipse et uxor ejus et filii ejus (e) latuerunt. Willeharius autem socer ejus Turonos ad Basilicam S. Martini confugit. Tunc ipsa Basilica per peccata Willeharii et uxoris ejus succensa est : quàm posteà Chlotharius Rex stanno cooperire jussit, et illam ea, qua priùs fuerat (f), elegantia reparavit. Posthæc Chlotharius Rex, commoto magno exercitu contra Chramnum in Britanniam frendens direxit : sed et Chramnus nihil An. 558.

C timens, contra patrem ad bellum cum Cuniberto Rege Britannorum egreditur. Cùmque fortiter inter se compugnarent, Chlotharius Rex commotus lacrymis aiebat : *Respice, Domine, de cœlo, et judicia justè* (g), *illudque impone judicium, quod quondam inter Absalonem et patrem ejus David posuisti.* Confligentesque pariter, Britannorum Rex in fugam vertitur, ibique cecidit. Chramnus quoque dum per fugam evadere conaretur, navesque in mari paratas haberet; et dum uxorem vel filias liberare vellet, ab exercitu patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cùm Chlothario Regi nuntiatum fuisset, jussit eum cum uxore et filiabus igne consumi : inclusique in tugurium cujusdam pauperculæ, Chramnus super scamnum extentus, orario sugillatus est. Et sic posteà super eos ipsa casella incensa, cum uxore et filiabus est combustus (h). An. 560.

XXIX. Tunc quoque in illis temporibus beatissimus Medardus Episcopus, *Greg. lib.* 4. *cap.* 19.

D plenus virtutibus præclaris et gloria, migravit ad Dominum : quem Chlotharius Rex Suessione (i) civitate cum magno psallentio gloriosè sepelivit, tribuens illic (k) multas facultates. Rex verò Chlotharius ad B. Martini sepulcrum abiit, illic diutissimè orans, multa munera largitus est, et per multa Basilicas sanctorum complurima dona tribuit. Posthæc dum in Cottia silva venationem exerceret, à febre valida corripitur : exinde Compendio villa, quæ est palatium (l) regale, rediit : ubi cùm graviter vexaretur, dicebat : *Vua, Vua! quid putatis qualis est ille Rex cœlestis, qui sic tam magnos Reges interficit?* In hoc enim tædio positus, spiritum exhalavit, regnavitque annos L I (m). Quem quatuor filii sui cum magno honore Suessionis civitate deferentes, in Basilica B. Medardi sepelierunt. Chilpericus verò post mortem patris sui thesauros, qui in villa Brinnaico (n) erant congregati, accepit, et ad Francos utiliores petiit : ipsique munera (o) multa dedit, et sibi subdidit. Mox Parisius ingredi- An. 561.

E tur, sedemque Childeberti Regis occupat : sed non diu licuit ei hoc possidere. Nam conjuncti fratres ejus eum exinde expulerunt : et sic inter se hi quatuor, id est, Charibertus (p), Guntrannus, Chilpericus atque Sigibertus, divisionem legitimam

(a) Idem, *decorus nimis, acerbus et callidus, qui cùm ultra Ligerem.*

(b) Aliàs, *Wilicharii*, Cod. Remig. *Wildecharii*, Cod. Crass. *duriùs agens, Willecharii filiam, nomine Chaldam, duxit uxorem. Adprehensos multos thesauros.*

(c) Huc usque, ut notat Chesnius, Exemplar Cameracense.

(d) Aliàs, *Conoberto* et *Conobro*, Cod. Crass. *Conobre*, et sic infrà.

(e) Codd. Crass. et Remig. *filiæ*. Paulò pòst *Turonis*.

(f) Cod. Crass. *et in illa, ut priùs fuerat.*

(g) Idem, *judica justè illud quod inter.*

(h) Idem, *incensa cum uxore et filiabus est.*

(i) Idem, *Suessionis civitate.*

(k) Idem, *datis illic multis facultatibus.*

(l) In cod. Crass. hæc desunt, *quæ est palatium regale*. Paulò pòst. *Vuah, Vuah.*

(m) Aliàs, *obiit autem anno LI. regni sui.* Cod. Crass. *anno LI. regni sui obiit.*

(n) Aliàs, *Brinago* et *Brinnaco*. Cod. Crass. *Brinnaco.*

(o) Cod. Crass. *ipsosque muneribus multis deditos sibi subdidit.*

(p) Idem, *Charebertus*, *Guntramnus*. Infrà *Cherebertus.*

CHARIBERT. GUNTRAM. CHILPER. SIGIBERT.

fecerunt. Accepitque Charibertus regnum Childeberti, sedemque constituit Parisius : A Guntrannus regnum Chlodomeris accipiens, Aurilianis sedem instituit : Chilpericus verò regnum Chlotharii patris sui accipiens, Suessionis civitate sedem instituit : Sigibertus autem regnum Theuderici accepit, et sedem habere Remis civitatem constituit.

Greg. lib. 4. cap. 23. An. 562.

XXX. Igitur post mortem Chlotharii Regis, Chuni (a) commoti cum Cagano Rege suo Gallias venire destinant : contra quos Sigibertus exercitum movit, ac fortiter contra eos pugnans (b) prostravit atque devicit, et in ore gladii eos fugavit. Sed posteà Rex eorum amicitias cum Sigiberto petiit, et per Missos suos pacem cum eo postu-

An. 564.

lavit : reversusque est in terram suam. Dum autem illic moraretur Sigibertus, Chilpericus frater ejus, hoste collecto, Remos pervasit, et Campaniam (c) succensam atque prædatam devastavit. Sigibertus autem à Chunis rediens victor, contra Chilpericum exercitum commovit, Suessionis civitatem occupat : ibique invento Theude- B berto filio Chilperici, adprehendit eum et in exilium transmisit. Accedens etiam contra Chilpericum bellum commovit : quo victo atque fugato, civitates suas in suo dominio (d) restituit, Theudobertum verò filium ejus apud Ponticonem villam custodire jussit per annum integrum. Quem posteà, clemens ut erat, muneribus ditatum patri reddidit sanum, dato sibi sacramento ne unquam contra eum agere deberet : quod tamen posteà, peccatis ingruentibus, fuit inruptum. Charibertus Rex Ingo-

Ibid. cap. 26.

bergam (e) duxit uxorem. Habebatque ipsa Regina puellas duas cujusdam pauperis filias, nimis pulchras et speciosas. Nomen senioris Marcovefa ; nomen verò junioris Merofledis vocabatur. In quarum amore Rex Charibertus nimis exarserat. Ingoberga quoque affligebat eas nimio odio pro ea caussa : nam et patrem earum compositorem lanificii fieri jussit. Pro qua caussa Rex nimis iratus, Ingobergam reliquit, et Merofledem accepit uxorem : posthæc quoque Marcovefam sororem ejus ad conju- C gium copulavit. Pro qua caussa à S. Germano Parisiorum Episcopo ex communicatus (f) uterque est. Sed cùm Rex eam relinquere nollet, percussa judicio Dei mortua est.

An. 567.

XXXI. Non post multum tempus, Charibertus etiam Rex mortuus est, et

Ibid. cap. 27. An. 566.

in Blavia (g) castello in Basilica sancti Romani sepultus. Porrò Sigibertus Rex cùm videret quòd fratres ejus indignas sibi uxores acciperent, et ancillas ad conjugium copularent ; legationem in Spaniam * misit, et cum multis muneribus Brunchildem Athanigildi Regis filiam petiit : erat enim puella elegans opere, et pulchra et ingeniosa : quam pater ejus non denegans, cum magnis thesauris antedicto Regi transmisit. Ille verò cum magno apparatu et immenso gaudio eam accepit uxorem. Et quia Arrianæ legi subjecta erat, eam Sigi-

* *al.* Hispaniam.

Ibid. cap. 28. An. 567.

bertus Rex in nomine sanctæ Trinitatis baptisare præcepit (h) : et fidem Catholi- D cam confessa, perfectè imbuta est. Quod videns Chilpericus Rex, cùm jam plures haberet uxores, sororem Brunchildem, nomine Galsuindam, expetiit, promittens per legatos alias uxores dimittere. Pater verò ejus has promissiones audiens, filiam suam præfatam cum multis thesauris ei destinavit : nam ipsa Galsuinda ætate senior erat Brunchilde. Chilpericus verò cum magno gaudio eam in conjugio suscepit : et ipsa in nomine sanctæ Trinitatis chrismata, magna Christiana effecta est. Per odium autem Fredegundis valde pessimæ concubinæ suæ ortum est inter eas grande scandalum. Dicebat (i) enim ipsa Galsuinda tantas sibi injurias à Rege se sufferre non posse propter inimicitias Fredegundæ. Petiit itaque ut relictis thesauris, quos secum de Spania tulerat, liberam eam redire dimitteret in patriam ad patrem suum : sed ille eam verbis mollibus blandiebatur. Per consilium itaque pessimæ Fredegundis eam per E noctem in stratu suo strangulavit. Post cujus obitum (k) Deus pro ea virtutes ostendit. Quo facto, fratres Chilperici hoc indignantes, eum de regno ejicere voluerunt. Habebat autem tunc Chilpericus Rex tres filios de Audovera Regina sua, id est Theudobertum, Meroveum (l) et Chlodoveum. Nunc autem ad cœpta redeamus,

(a) Cod. Crass. *Huni*, sic deinceps.

(b) Idem, *movit, contra eos fortiter pugnaturus accessit, Hunos prostravit.*

(c) Idem, *Campania succensa atque prædata vastavit.*

(d) Aliàs, *in suam dominationem revocavit.* Cod. Crass. *in sua dominatione restituit.*

(e) Aliàs, *Ingodotergam.*

(f) Cod. Crass. *excommunicatus ab utrisque est.* Cod. Remig. *excommunicatus est. Sed cùm eas relinquere nollet, percussæ judicio Dei, mortuæ sunt.*

(g) Parisiis mortuus est Charibertus. Vide Gregorium Turon. de Glor. Conf. c. 19. suprà pag. 467.

(h) Cod. Crass. *præcepit. Hæc videns.*

(i) Idem, *Dicebat illa ad Regem, Galsuintæ tantas injurias sufferre non posse, propter ipsam inimicam Fredegundem, petiit ut.*

(k) Idem, *post cujus obitum ob ejus meritum virtus à Deo ostensa est.*

(l) Idem, *Merovechum et Chodovechum.*

qualiter

GUNTRAM. CHILPERIC. SIGEBERTUS.

A qualiter Fredegundis dominam suam Audoveram Reginam decepit : nam ipsa Fredegundis ex familia infima fuit. Cùm autem Chilpericus Rex in hostem cum Sigiberto fratre suo contra Saxones ambulasset, Audovera (a) Regina gravida remansit, quæ peperit filiam. Fredegundis verò per ingenium consilium dedit ei, dicens : *Domina mea, ecce dominus Rex victor revertitur : quomodo potest filiam suam gratanter* (b) *recipere non baptisatam.* Cùm hæc audisset Regina, baptisterium parari præcepit : vocavitque Episcopum qui eam baptisare deberet. Cùmque Episcopus adfuisset, non erat matrona ad præsens, quæ puellam suscipere deberet. Et ait Fredegundis : *Numquid similem tui invenire poterimus, quæ eam suscipiat? modò tumetipsa suscipe eam.* Illa verò hæc audiens, de sacro fonte eam suscepit. Veniens autem Rex victor, exiit Fredegundis obviàm ei dicens : *Deo gratias, quia dominus noster Rex victoriam recepit de adversariis suis; nataque tibi est filia. Cum qua dominus meus Rex dormiet hac*
B *nocte? quia domina mea Regina commater tua est de filia tua Childesinde* (c). Et ille ait : *Si cum illa dormire nequeo, dormiam tecum.* Cùmque introisset Rex in aulam suam, occurrit Audovera Regina cum ipsa puella. Et ait ei Rex : *Nefandam rem fecisti per simplicitatem tuam : jam enim conjux mea esse non poteris ampliùs.* Rogavitque eam sacro velamine induere cum ipsa filia sua : deditque ei prædia multa et villas : Episcopum verò, qui eam baptisavit, exilio condemnavit : Fredegundem verò copulavit sibi ad Reginam.

XXXII. Tunc Justinianus Imperator apud Constantinopolim civitatem obiit : Justinus ambivit Imperium. Chlodoveus quoque junior filius Chilperici abiit usque Burdegalam (d) urbem : ubi cùm nullo inquietante resideret, Sigulfus quidam à parte Sigiberti Regis missus cum exercitu, se super eum objecit : quem fugientem cum tubis et buccinis, quasi fugientem cervum, insequebatur : qui vix ad patrem
C labens Parisius pervenit. Chilpericus quoque Theudobertum filium suum seniorem, qui anteà Sigiberto juraverat, ultra Ligerem cum hoste direxit. Qui abiens civitates Sigiberti avunculi sui pervasit, id est Toronis, Pictavis, vel reliquas. Apud Pictavis (e) autem contra Gundoaldum Ducem pugnavit : conlæsusque est exercitus Gundoaldi et fugit; magnamque cædem illic Theudobertus de hoste Gundoaldi fecit. Commoto inde exercitu, Lemovicinum Cadurcinumque abiit, easque (f) pervastavit : Ecclesias multas incendit, ministeria detrahit, clericos interfecit, Monasteria virorum dejecit, puellarum deludit, et cuncta devastavit. Fuitque in illo tempore pejor in Ecclesiis gemitus, quàm tempore persecutionis Maximiani et Diocletiani Imperatorum. Cùmque has discordias inter hos fratres disseminari (g) vide-
D ret, commoto iterum Chilpericus exercitu, usque Remis accessit, cuncta incendens atque debellans. Quod audiens Sigibertus, convocatis gentibus illis quæ ultra Rhenum sunt, Parisius venit, et contra fratrem suum ire disponit, mittens nuntios Dunensibus vel Toronicis, ut contra Theudobertum ire deberent. Quod illi dissimulantes, Rex Godegisilum et Guntramnum Duces in capite dirigit. Qui commoventes exercitum, adversùs eum (h) pergunt : ille quoque derelictus (i) à suis, cum paucis remansit; sed tamen ad bellum exire non dubitavit. Venientesque ad pugnam (k), Theudobertus devictus prosternitur, mortuusque est ibi : ab Aunolfo * quoque Duce collectus, Ecolosinam civitatem deportatus, ibidem sepultus. est. Chilpericus verò per Rodomagensem (l) urbem fugiens cum uxore sua ac filiis, Turnacum civitatem ingressus, ibi se reclusit et communivit. Sigibertus verò civitates illas, quæ ultra Parisius sunt positæ, usque Rodomacum accepit. Regressus inde Parisius introiens, ibi ad eum Brunehildis cum filiis suis venit. Tunc Franci, qui quondam ad Childebertum seniorem aspexerant, ad Sigibertum legationem mittunt ut ad eos veniret; et illic, Chilperico derelicto, ipsum supra se Regem stabiliunt. Qui hæc audiens, misit eos ut (m) fratrem suum in suprà memorata civitate Turnaco obsiderent;

An. 565. *Greg. lib. 4. capp.* 39. *et* 48.

Ibid. cap. 51.

An. 575.

* *al.* Aunulfo.

Ibid. cap. 52.

(a) Totam hanc narrationem fabulosam arbitratur Cointius in Annal. Franc. ad an. 565. num. 4.

(b) Aliàs, *gratulanter* et *dignanter*. Cod. Crass. *gratulanter*.

(c) Aliàs, *Chelsindane*. Cod. Crass. *Childesintha*.

(d) Cod. Crass. *Burdigalensem urbem : cùm illic nullo*.

(e) Idem, *apud Pictavos..... collisusque exercitus*.

(f) Idem, *easque pervasit atque vastavit..... detraxit*.

(g) Idem, *disseminare viderentur..... usque Remos*.

(h) Chronicon Ademari, *commoventes exercitum adversùs eum, pergunt contra Egolismam, ubi residebat propter fortitudinem murorum*.

(i) Ita codd. Crass. et Remig. Chesnii editio, *derelictis suis*.

(k) Addit Chronicon Ademari, *octo millibus ab Egolisma juxta fluvium Carantam, secus silvam Buxam... sepultus apud S. Eparchium*.

(l) Codd. Crass. et Remig. *Rothomagensem*. Infrà *Rothomagum*.

(m) Cod. Crass. *misit qui fratrem..... obsiderent, et ille cum exercitu sequeretur eos*.

GUNTRAMN. CHILPERIC. CHILDEB.

dicens se cum exercitu eos esse sequuturum. Cui B. Germanus Episcopus dixit : *Si abieris, et fratrem tuum interficere nolueris, vivus et victor redis : sin autem aliud cogitaveris, morieris. Sic enim Dominus per Salomonem ait : Foveam quam fratri tuo præparabis, in eam cades.* Quod ille audire neglexit. Venientem autem illum apud villam, cui nomen Victoriacum, collectus est ad eum omnis exercitus ; impositumque supra clypeum Regem eum super se statuunt. Tunc Fredegundis memor artium suarum inebriavit duos pueros Tarwanenses (a), dixitque eis : *Ite ad cuneum Sigiberti, et adsimulate ut eum supra vos in Regem elevare debeatis, eumque interficite. Si evaderitis vivi, ego mirificè honorabo vos et sobolem vestram : si autem corrueritis, ego pro vobis eleemosynas multas per loca Sanctorum distribuam.* Illi verò nec dubii, ad eum venientes, cùm aliam (b) caussam suggerere simularent, abstractis cultris, quos vulgus scramxaxos vocant, utraque ei latera feriunt. At ille vociferans atque corruens, non pòst multo spacio emisit spiritum suum : ubi etiam et illi homicidæ corruerunt. Chilpericus verò (c) nesciens de fratris interitu, quid Fredegundis egisset, dubius hæsitabat, quomodo angustias, quas ab hoste fratris sui patiebatur, an evadere posset, aut non ; donec Fredegundis omnia de fratris sui morte narravit. Tunc egressus Chilpericus Rex cum satellitibus suis de Turnaco cum uxore et filiis, vestitum Sigibertum vestibus ornatis apud Lambros vicum sepelivit. Unde posteà Suessionis in Basilica S. Medardi juxta patrem suum Chlotharium sepelierunt. Obiit autem anno XIIII. regni sui (d), ætate quadragenaria. Interempto igitur Sigiberto Rege apud Victoriacum villam, Brunhildis Regina cum filiis suis Parisius residebat, plena luctu, quid de se agere deberet ignorans. Gundoaldus Dux adprehensum Childebertum filium ejus parvulum, furtim per noctem abstulit, et cum eo in Auster fugit. Collectisque gentibus, super quas pater ejus regnaverat, Regem eum constituit (e).

Prov. 26. 27.

An. 575.

Greg. lib. 5. *cap.* 2.

XXXIII. Chilpericus verò Rex Parisius veniens adprehensa Brunhilde, apud Rotomagensem civitatem in exsilio retrusit ; thesaurosque ejus, quos Parisius detulerat, abstulit ; et filias ejus Meldis urbe tenere præcepit. Chilpericus posthæc filium suum Meroveum cum exercitu ultra Ligerim dirigit. At ille, relicta ordinatione patris, dum per Cenomannicum reversus, matrem suam Audoveram visitare se fingeret, Rotomacum civitatem venit : ibique Brunihildæ Reginæ conjunctus, eam sibi in conjugium copulavit. Hæc audiens Chilpericus, quòd scilicet contra fas et legem Canonicam uxorem patrui sui (f) accepisset, valde amarus factus est, et festinus ad ipsam urbem perrexit. Illi verò cùm cognovissent quòd eos separare decerneret, ad Basilicam S. Martini, quæ est ligneis tabulis supra murum constructa, confugiunt. Rex verò cùm eos per ingenium inde ejicere non posset, dolosè eis jurans (g), si, inquit, voluntas Dei fuerit, ipse eos separare non conaretur. Hæc illi sacramenta accipientes, de Basilica egressi sunt : exosculatisque dolosè, et dignanter acceptis, epulavit cum eis Rex. Post dies verò paucos cum ipso Meroveo assumpto Suessionis civitatem rediit. Cùmque ibidem moraretur, collecto hoste de Campania adversus Chilpericum, ille quoque similiter cum exercitu aciem dirigit contra eos. At illi nimis cæsi in fugam dilabuntur, multosque ibi nobilissimos viros occidit. Quæ postquàm acta sunt, Rex Chilpericus propter conjugationem Brunhildæ, vel ejus maleficia, Meroveum suspectum habebat (h) pro hac pugna, insidiante Fredegunde. Tunc expòliatum eum ab arma, commendavit custodibus, tractans quid de eo facere deberet. Posthæc (i) tonsuratus est ipse Meroveus, jubente Chilperico,

Ibid. cap. 3.

(a) Cod. Crass. *pueros Taraonenses, dixitque eis : Audite consilium meum, et pergite ad Sigibertum, et simulantes fingite ut eum Regem levare debeatis super vos, eumque interficite : si evadetis..... vos et filios vestros : si autem illic perieritis... sanctorum dare promitto. Illi verò nec dubii, fero ut erant corde, ad eum venientes..... abstractis scramsaxis, utraque.*

(b) Cod. Remig. *cùm altam causam..... vulgus scramsaxos.* Chesnius in margine, *sachso,* longiores cultri et machæræ.

(c) Cod. Crass. *Chilpericus namque nesciens mortuum esse fratrem suum, timebat alia die sequente à fratris hoste esse occupatum, usquequo Fredegundis rei veritatem ei prædixit, mortuum esse fratrem suum. Tunc egressus Chilpericus à Turnaco cum uxore sua ac populo, vestitum..... apud Lambrus.* Ita cod. Remig. nisi quòd habet, *timebat se sequenti die ab hoste fratris sui occupandum fore.*

(d) Cod. Crass. *regni sui : illoque mortuo, Erunchildis cum filiis suis Parisius residebat, plena luctu, nesciens præ dolore quid agere deberet.*

(e) Idem, *constituerunt.*

(f) Idem, *uxorem avunculi sui accipisset, nimis amarus festinanter ad ipsam.*

(g) Cod. Crass. *jurans, quia, si voluntas fuerit, ille eos nequaquam separaret. Hæc sacramenta illi audientes, de ipsa Basilica egressi sunt, exosculatisque dolosè, epulavit cum eis. Post paucos autem dies ipso Merovecho adsumpto, Suessionis civitatem rediit. Cùm ibidem morarentur, de Campania hostes colligunt contra Chilpericum : ille similiter exercitum commovit, ad pugnam dirigit. Campanienses nimis cæsi.*

(h) Idem, *habebat de ipsa hoste ac pugna, inritante Fredegunde. Tunc exspoliatum ab armis, commendatumque custodibus.* Cod. Remig. *de ipso hoste.*

(i) Cod. Crass. *Posthæc eum totondit, ac Presbiterum ordinare præcepit cum veste sacerdotali Monasterium in Insula.* Cod. Remig. *in Monasterium apud Cinomannis eum constituit :* Aninsula Monasterium, nunc vulgò *S. Calais.*

A Presbyter ordinatus, cum veste sacerdotali monasterium Aninsula in Cinomannicum eum direxit, ut illic regulari ordine degere deberet. Tempore quoque illo B. Germanus Parisiorum Episcopus plenus (a) dierum ac virtutibus magnis migravit ad Dominum, et cum gloria et psallentio maximo in B. Vincentii Martyris Basilica est sepultus. Childebertus posthæc junior legationem ad Chilpericum misit propter Brunhildem matrem suam. Illa quoque (b) pacificè reddita est. Eo tempore Samson filius Chilperici mortuus est.

GUNTRAMNUS, etc. *Ibid. cap.* 8.

Ibid. cap. 23. An. 577.

XXXIV. Chilpericus autem Rex descriptiones novas et graves per consilium Fredegundis in cuncto regno suo fieri jussit. Pro qua caussa multi relinquentes civitates (c) illas vel possessiones proprias, alia regna petierunt, dicentes sibi meliùs esse peregrinari, quàm tali periculo subjacere. Sic enim statutum fuerat ut possessor de propria terra unam amphoram vini per arepennem (d) redderet: sic et de reli-
B quis terris et universa substantia faciebant: similiter et de mancipiis cuncta agebantur. Populus verò valde oppressus vociferabantur ad Dominum. Eo tempore Rex Chilpericus graviter ægrotavit: quo recuperante (e), filius ejus junior, necdum baptisatus, ægrotare cœpit. Qui baptisatus vix convaluit: fraterque ejus senior, nomine Chlodobertus, hoc morbo corripitur valde (f). Et Fredegundis plena dolore filiorum et gemitu, ait ad Regem serò pœnitens (g): *Diu nos malè agentes pietas divina sustinet: nam nos sæpè febribus et aliis malis corripuit; et emendare negleximus. Ecce jam perdimus filios: ecce jam eos lacrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orfanorum interimunt. Ecce auri et argenti immensa pondera, cellaria et horrea plena redundant: et nescimus cui congregamus ea. Ecce quod pulchrius habebamus perdimus: quid nobis proderunt omnia ista? Nunc verò placeat tibi consilium meum: et jube reddere quod malè pervasimus: et descriptiones novas, quas injustè et nequiter feci-*
C *mus, jube incendere, ut si natos perdimus, vel pœnam perpetuam evadamus.* Tunc Rex compuncto corde tradidit omnes descriptiones iniquas ad comburendum in ignem. Posthæc puer parvulus filius ejus moritur: quem cum grandi mœrore Parisius in basilica S. Dionysii Martyris deportantes sepelierunt. Deinceps Chlodobertus * filius eorum alius cùm nimis ægrotaret, componentes eum in feretro, Suessionas ad Basilicam (h) S. Medardi deduxerunt: projicientesque eum ad sanctum sepulchrum, voverunt vota pro eo. Sed media nocte deficiens mortuus est: quem in basilica SS. Martyrum Crispini et Crispiniani sepelierunt. Magnus quoque planctus in omni populo fuit: nam mulieres cum viris suis sumentes lugubria flebant, nigris vestibus indutæ, percussæ pectora, hoc funus sunt prosecutæ. Multa quoque munera ac dona Chilpericus Rex Ecclesiis vel pauperibus, ac prædia multa (i) est largitus.

Ibid. cap. 29. An. 578.

Ibid. cap. 35. An. 580.

* *al.* Chlotbertus, et Robertus.

D XXXV. Eo quoque tempore Justinus Imperator amens effectus, XIII. (k) anno imperii sui apud Constantinopolim civitatem obiit. Tiberius quoque Imperium suscepit. Posthæc Theudericus puer filius Chilperici obiit. His diebus peperit Fredegundis puerum quem Chlotharium vocaverunt. Hic fuit posteà Rex magnus, qui genuit Dagobertum (l). In illis quoque diebus Childebertus Rex in Italiam abiit, rursùmque eam ad partem Auster, quam ipse regebat, acquisivit, et sub tributo subjugavit. Tunc etiam maximæ discordiæ inter Chilpericum et Childebertum nepotem suum consurgebant. Inritabantque eos ex utraque parte Fredegundis et Brunhildis. Eo quoque tempore mortuus est bonæ memoriæ Guntramnus Rex inclytus, frater Chilperici: Cavelone (m) autem civitate Burgundiæ in basilica S. Marcelli Martyris sepultus est: regnavit autem annos XXXI. Fredegundis itaque filiam suam, nomine Rihgunde (n), cum magnis opibus et infinitis thesauris in Hispaniis ad Leudegildum (o) Regem uxorem filii sui cum magna legatione Gothorum direxit: erat autem Fredegundis Regina pulchra et ingeniosa nimis atque adultera. Lande-

Greg. lib. 5. *cap.* 31. An. 578.

Greg. lib. 6. *capp.* 42. *et* 43. An. 584.

An. 593.

Ibid. cap. 45. An. 584.

(a) Cod. Crass. *plenus virtutibus migravit ad Dominum, in basilica S. Vincentii cum gloria sepultus est.*
(b) Idem, *ille quoque pacificè reddidit eam.*
(c) Idem, *relinquentes villas, civitates vel.*
(d) Idem, *arpennam.*
(e) Aliàs, *revalescente.* Cod. Remig. *recuperante sanitatem.*
(f) Aliàs, *valida tabe.* Ita cod. Crass.
(g) Aliàs, *jam repœnitens.* Ita cod. Crass. sed deest, *jam.*
(h) Cod. Crass. *Suessionis basilica S. Medardi duxerunt.*
(i) Idem, *pauperibus et multis villis est largitus.*
(k) Codd. Crass. et Remig. *xviij. anno imperii*, malè.
(l) Cod. Crass. *Dagobertum. Childebertus itaque Rex Auster cum hoste in Italiam abiit, ipsam devastavit, et tributariam fecit. Maximæ quoque discordiæ in illis diebus..... crescebant. Inritabant eos ex utrisque partibus.*
(m) Aliàs, *Cabillono*, cod. Remig. *Cabilono*, chron. Ademari, *Cavilono.*
(n) Aliàs, *Riccundem* et *Ricohundem.* Cod. Crass. *Richunde.*
(o) Cod. Crass. *ad Leubigildum.* Cod. Remig. *Leugibildo Regi.*

CHLOTARIUS II. CHILDEBERTUS.

ricus quoque (a) erat tunc in aula Regis Chilperici, vir efficax atque strenuus : quem A memorata Regina diligebat multùm; quia luxuria commiscebatur cum ea. Quadam die maturiùs mane cùm Rex ad venationem exercendam de villa Calinsa (b) in Parisiaco dirigeret, cùm nimis ipsam Fredegundem diligeret, reversus in camera palatii de stabulo (c) equitum ; illa caput suum abluens aqua in ipsa camera : Rex verò retrò veniens, eam in natibus suis de fuste percussit. At illa cogitans quòd Landericus esset, ait : *Quare sic facis Landerice?* Respiciens sursùm, vidit quòd Rex esset, et expavit vehementer. Rex verò nimis tristis effectus, in ipsam venationem perrexit. Fredegundis itaque vocavit ad se Landericum, et narravit ei hæc omnia, quæ Rex fecerat, dicens : *Cogita quid agere debeas, quia crastina die ad tormenta valida* (d) *exibimus.* Et ait Landericus contristatus spiritu, et commotus lacrymis, dicens : *Tam mala hora te viderunt oculi mei* (e). *Ubi fugere possum domino meo Regi? Ignoro enim quid agere debeam, quia comprimunt me undique angustiæ.* Et illa dixit ei : B *Noli timere, audi consilium meum, et faciamus hanc rem, et non moriemur. Cùm enim Rex de venatione* (f) *summo noctis vespere obtenebrante crepusculo advenerit, mittamus qui eum interficiat ; et præcones clament quòd insidiæ sunt Childeberti : illo quoque mortuo, nos cum filio meo Chlothario regnemus.* Factum est autem in initium noctis, revertente Chilperico Rege de venatione, quidam pueri adulatores inebriati vino à Fredegunde missi, dum de equo descenderet, pergentibus reliquis personis ad metata sua, ipsi gladiatores percusserunt Regem in alvum scramsaxis. At ille vociferans expiravit et mortuus est. Succlamaverunt quoque adulatores, quos Regina fraudulenter miserat, dicentes : *Insidiæ, insidiæ fuerunt hæ Childeberti Regis Austrasiorum super dominum nostrum Regem.* Tunc exercitus huc illucque discurrentes, cùm nihil invenissent, reversi sunt ad propria sua. Mallulfus * itaque Silvanectensis Episcopus, qui in ipso palatio tunc aderat, indutum eum vestibus regalibus, in nave C levatum, cum hymnis et spallentio magno, cum Fredegunde Regina vel reliquo exercitu Parisius civitatem in Basilica B. Vincentii Martyris eum sepelierunt. Regnavit enim annos XXIII.

Ibid. cap. 46. An. 584.

* *al.* Mathulfus.

XXXIV. Fredegundis autem cum Chlothario Rege parvulo filio suo, et Landerico, quem Majorem-domûs (g) Palatii constituerat, in regno resedit. Franci quoque prædictum Chlotharium Regem parvulum supra se in regnum statuerunt. Audiens autem Childebertus Rex (h) Austrasiorum, filius Sigiberti, nepos Chilperici, avunculo suo mortuo maleficia Fredegundis Reginæ, hostem collegit. Nam defuncto Guntramno patruele suo, regnum Burgundiæ ipse accepit. Igitur Burgundiones et Austrasii, et superiores Franci, simul commoto grandi exercitu, valde per Campanias digressi, pago Sessaunico (i) cum Gundobaldo et Wintrione Patriciis suis vastantes ingrediuntur. Hæc audiens Fredegundis cum Landerico et reliquis Francorum Ducibus hostem congregat : et ad Brinnacum villam veniens, multa dona et munera Francis donavit, eosque ad pugnandum contra inimicos eorum cohortans. Cùmque vidisset quòd (k) nimius esset exercitus Austrasiorum conjuncti simul, consilium dedit Francis qui cum ea erant, dicens : *De nocte consurgamus contra eos cum lucernis, portantes socii qui nos præcedunt ramos silvarum in manibus, tintinnabulis supra equos ligatis, ut nos cognoscere ipsorum vigiles custodes hostium non queant. Inlucescente initio diei inruamus super eos, et forsitan eos devincemus.* Placuitque hoc consilium. Cùm autem denuntiatum fuisset placitum qua die ad præliandum in loco nuncupante Trucciæ (l), in pago Suessionico, convenire deberent ; illa, sicut consilium dederat, de nocte consurgens, cum armorum apparatu, cum ramis in manibus, vel reliqua quæ superiùs diximus ; ascendit (m) equitibus, Chlotharium parvulum Regem in (n) brachia vehitans, usque Trucciago pervenerunt. Cùm au-

An. 593.

(a) Cod. Crass. *tunc erat Majorumdomus palatii, vir ingeniosus ac utilis, quem*, etc. Cod. Remig. *Domûs regiæ Major erat.* Totam hanc narrationem falsam ac fabulosam esse post Falcetum probat Valesius rerum Franc. lib. 11. pag. 187.

(b) Codd. Crass. et Remig. *Calense.*

(c) Cod. Crass. *de stapplo equitum.* Chron. Ademari, *de stablo equorum.*

(d) Cod. Crass. *ad tormenta valida exhibemur..... contrito spiritu.*

(e) Idem, *oculi mei : ignoro enim.*

(f) Idem, *de venatione clauso jam die ad noctem venerit..... et proclament quòd Childebertus Rex Auster insidiatus ei fuisset : illoque mortuo..... regnemus. Cùmque nox advenisset, revertente..... emissi homicidæ inebriati..... euntibus reliquis personis ad mansiones suas..... in ventrem suum duobus scramsaxis..... Adclamaverunt autem insidiatores.*

(g) Cod. Crass. *Majorumdomus palatii elegerunt.* Cod. Remig. *Landricum Majorem-domûs Regiæ elegit, et in regno resedit.*

(h) Cod. Crass. *Rex Auster..... nepus Chilperici, avunculum suum mortuum, et maleficia.*

(i) Idem, *Suessionico cum Gundoaldo.* Cod. Remig. *Suessionico cum Gundowaldo.*

(k) Cod. Crass. *cùm didicisset quòd nimis..... conjunctis.* Cod. Remig. *nimis fortis.*

(l) Cod. Crass. *Trucia*, sic infrà.

(m) Cod. Remig. *ascensis equis.*

(n) Cod. Crass. *in brachiis.*

A tem custodes hostium Austrasiorum ramos silvarum, quasi in montibus, in agmine Francorum cernerent, et tinnitum tintinnabulorum audirent custodes, dixit vir ad socium suum : *Nonne hesterna die in illo et illo loco campestria erant? Quomodo nunc silvas cernimus?* Et ille inridens dixit : *Certè inebriatus fuisti, modò deliras. Non audis tintinnabula equorum nostrorum juxta ipsam silvam pascentium?* Cùm hæc agerentur, et aurora diei initium daret, inruerunt Franci cum strepitu tubarum super Austrasios et Burgundiones dormientes, cum Fredegunde et Chlothario parvulo : interfeceruntque maximam partem de hoste illo : et innumerabilis multitudo maximi valde exercitûs à majore usque ad minorem ibi cecidit. Gundoaldus quoque et Wintrio per fugam dilapsi vix evaserunt. Landericus verò insecutus Wintrionem, ille per auxilium equi velocissimi evasit. Fredegundis verò cum reliquo exercitu usque Remos accessit, Campaniam succendit atque vastavit ; cum multa præda atque spoliis
B reversa est Suessionis civitatem cum exercitu suo.

Chlotarius II. Theodoricus II. Theodobertus II.

XXXVII. Eo tempore Childebertus Rex Austrasiorum (a) habebat filios duos, seniorem ex concubina, nomine Theudobertum, juniorem verò ex Regina, nomine Theudericum : ipsumque cum avia sua Brunichilde in Burgundiam in regno Guntramni Regis magni direxit. [Eo (b) tempore mortuus est Childebertus Rex junior, regnavitque annos xx. Theudebertus filius ejus in regno patris sui in * Austria statutus est : Theudericus verò in Burgundia.] Eo etiam tempore mortua est Fredegundis Regina senex, et plena dierum, et Parisius in Basilica S. Vincentii Martyris est sepulta. Theudericus verò Rex Burgundiæ erat pulcher et strenuus atque callidus nimis, qui per consilium aviæ suæ Brunhildæ hostem maximum ex Burgundia congregans, contra Chlotharium patruelem suum direxit. Chlotharius hæc audiens, commoto Francorum exercitu, contra eum festinus perrexit. Convenientesque simul
C cum hostibus in pago Senonico super fluvium Aroanna (c) constiterunt, belloque invicem commisso, tanta cædes illic fuit de utroque populo, ut ipse alveus de hominum cadaveribus repletus, aqua (d) ipsa penitus currere non valeret, tanto cruore fuso. Ibi enim in ipso certamine visus fuit Angelus Domini evaginato gladio super populum illum. Chlotharius autem Rex cernens læsum exercitum suum, in fugam dilapsus, secus fluvium Sequanam Miclitanum (e) castrum ingressus, exinde Parisius urbem penetravit. Theudericus quoque regionem illam devastans atque succendens, usque Sciona (f) vico cum multa spolia reversus est. Chlotharius autem à Parisius regressus, usque Arelauno silva properavit.

An. 596.

* *al.* Auster.

An. 598.

An. 600.

Ex Cod. ms. DD. Baronis de Crassier.

D XXXVIII. Brunihildis verò sæpius per invidiam pejora consilia Theuderico Regi nepoti suo subministrabat. dicens : *Cur negligis et non requiris thesaurum patris tui ac regnum ejus de manu Theudoberti? cùm certissimè scias eum non esse fratrem tuum : quia filius meretricis est, concubinæ patris tui, et in adulterio fuit natus.* Cùm hæc audisset Theudericus, acerbis moribus ut erat, exercitum plurimum commotum contra Theudobertum germanum suum direxit, et ad Tulbiacum castrum ad bellum convenerunt. Illis inter se valde confligentibus, Theudebertus læsum cernens exercitum suum, in fugam dilabitur, et Coloniam civitatem ingressus est. Theudericus autem terram Ribuarinsem * succendit, atque vastavit. Populus itaque re-

XXXVIII. Brunchidis enim cottidie pejora consilia ipsi Theuderico ministrabat, dicens : Quare negligis et non requiris thesauros patris tui ac regnum ejus de manu Theodoberti? cùm scias eum non esse fratrem tuum, quia in adulterio in * concubina patris tui procreatus fuit. *Hæc audiens Theudericus, fero ut erat corde, hostem plurimum commovit, contra Theudobertum germanum suum direxit : ad Tulbiacum* (g) *castrum ad pugnam egressi sunt. Illis fortiter pugnantibus, Theudobertus læsum videns exercitum suum, in fugam versus Coloniam civitatem ingreditur. Theudericus itaque terram Ribouriensem succendens ac devastans : populus ille sub ejus manibus se tradidit, dicens :* Parce, domine Rex : nos et terra nostra jam tui

* *al.* de.

* *al.* Ribariensem.

(a) Cod. Crass. *Rex Auster.*

(b) Quæ uncinis includuntur, exstant tantùm in editione Freheriana : desiderantur in codd. mss.

(c) Cod. Crass. *Aroanna pugnam invicem concitantes, tantus populus ibidem cecidit, ut ipse fluvius de corporibus mortuorum repletus, illa aqua currere non valeret præ sanguine coagulato. In ipsa pugna fuit Angelus.*

(d) Aliàs, *cursum aquæ solitum mutaret.*

(e) Aliàs, *Militonem* et *Miclitonem.* Cod. Crass. *Malitonense.*

(f) Aliàs, *Iscuinam vicum.* Cod. Crass. *Iscionam vicum cum multis spoliis..... à Parisius exiit, et Arelauno silva ingressus est.*

(g) Cod. Remig. *à Tulbiaco castro.*

CLOTHARIUS II. THEODORICUS II. THEODOBERTUS II.

gionis illius ejus se ditionibus subdunt, dicentes : *Parce nobis, piissime Rex. Jam enim subditi sumus tibi : noli nos ampliùs opprimere.* Et ille ait : *Aut adducite mihi vivum Theudobertum, aut caput ejus amputate, et mihi deferte, si vultis ut vobis parcere debeam.* Illi hæc audientes, in ipsa civitate ingressi, ei alia pro alia mentientes dixerunt : *Sic mandat frater tuus, Redde thesaurum patris tui, quem apud te retines : ille post hæc revertetur cum exercitu suo.* Cùmque hæc ei mentientes dicerent, ille cum eis in palatium thesauri sui ingressus est. Cùmque in arca thesaurorum ornamenta requireret, unus ex eis abstracto gladio à retrò eum in cervicem percussit, et amputavit caput ejus. Sustuleruntque eum per murum civitatis Coloniæ. Theudericus verò hæc videns, ipsam civitatem adprehendens, thesauros magnos accepit. Cùmque sacramenta ab ipsis Francorum sublimibus accepisset in basilica sancti Gereonis Martyris, visum fuit ei quòd percussus fuisset in latere dolosè. At ille ait : *Observate ostia, nescio quis de istis perjuratis Riboariis me percussit.* Cùmque revolvissent vestimenta ejus, non aliud invenerunt, nisi signum parvulum purpureum. Inde enim cùm multa spolia Theudericus Rex reversus, cum filia Theudoberti Regis fratris sui, vel duobus filiis ejus parvulis reversus est ad urbem Metensem, ibique Brunhildis Regina advenerat. Adprehensosque pueros filios Theudoberti interfecit.

* quem.

An. 612.

XXXIX. Theudericus itaque Rex videns filiam Theudoberti, neptem suam, quòd esset pulchra, voluit eam sibi ad conjugium copulare. Cui ait Brunhildis : *Quomodo accipere poteris filiam fratris sui?* At ille ait : *Nonne tu dixisti mihi, quòd non esset frater meus? Cur induxisti super me hoc peccatum, inimica, mala et rea mortis, ut fratrem meum et parentes interimerem?* Et evaginato gladio voluit eam transverberare. Illa verò à circumstantibus erepta, evasit in cubiculum domûs elapsa. Posthæc odio nimio infecta potionem venenatam per manus ministrorum crudelium ei transmisit. Qui statim nesciens hunc dolum, venenum bibit; ac deinde deficiens iniquum fudit spiritum. Illoque mortuo parvulos filios ejus iniquiter ipsa Brunhildis jugulavit : juniorem verò puerum in albis eliso cerebro ad petram interfecit.

An. 613.

sumus : noli ampliùs delere populum. A *Et ille dixit :* Aut adducite mihi vivum Theudobertum, aut abscissum caput ejus mihi adferte, si vultis ut vobis parcam. *Illi enim ingressi in illam civitatem, alia pro aliis mentientes, Theudoberto dixerunt :* Sic mandat frater tuus : Redde thesaurum patris tui, * quod apud te retines : et sic posteà ille revertitur cum populo suo. *Cùm hæc ei mentiti dixissent, ille cum eis in palatium thesauri sui intravit. Cùmque apertas* (a) *arcas thesaurorum, ornamenta requireret, unus ex* B *eis abstracto gladio, retrò eum in cervice percussit, et acceptum caput ejus sustulerunt per murum civitatis Coloniæ. Theudericus namque hæc videns, ipsam civitatem adprehendens, thesauris* (b) *magnis acceptis. Cùm ei ipsi Franci seniores sacramenta jurarent in basilica sancti Gereonis Martyris, visum ei fuit ut percussus fuisset in latere dolosè ; et dixit :* Observate ad ostia, nescio quis me de istis perjuratis Riboariis perc[illegible]sit. *Cùmque revol-* C *vissent vestimenta ejus, non aliud invenerunt nisi signum parvulum purpureum. Inde enim cum multa* (c) *spolia reversus, cum filiis ac filia pulchra Theudoberti regis fratris sui reversus est urbem Mettensem : ibique Brunchildis regina advenerat. Adprehensisque* (d) *pueris filiis Theudoberti interfecit : minorem enim in albis, ad petram percussum* (e) *cerebrum, elisit.*

XXXIX. Theudericus itaque videns D *pulchram filiam Theudoberti neptem suam, volensque* (f) *eam ad conjugium copulare. Cui dixit Brunchildis :* Quomodo accipere potes filiam fratris tui? *Et ille ait* : Num tu mihi dixisti quòd non esset frater meus? Quare fecisti in me hoc peccatum ut fratrem meum occiderem, inimica mala. *Et evaginato gladio, voluit eam occidere. Illa verò à viris nobilibus qui circumstabant erepta, vix evasit, in cameram domûs elapsa, in odium nimium habita, potione* (g) *vene-* E *nata per manus ministrorum maleficium ei porrigens. Theudericus rex hæc ignorans bibit, elanguensque* (h) *iniquum spiritum in peccatis deficiens, mortuus est. Filios ejus parvulos ipsa Brunchildis occidit.*

(a) Cod. Remig. *apertis arcis.*
(b) Idem, *civitatem obtinuit cum infinitis thesauris.*
(c) Idem, *cum multis spoliis.*
(d) Idem, *apprehendens autem filios Theodeberti, interfecit eos.*
(e) Chron. Ademari, *percusso cerebro.*
(f) Cod. Remig. *voluit eam.*
(g) Idem, *habita. Posthæc potionem venenatam per manus ministrorum regi obtulit.*
(h) Idem, *elanguensque amaro spiritu, et in peccatis perdurans.*

CHLOTHAR. II. DAGOBERT. I.

A XL. His Regibus mortuis, Burgundiones, et Austrasii, cum Francis pace facta, Chlotharium Regem in totis tribus regnis in Monarcham super se stabilierunt. Rex quoque Chlotharius commoto exercitu in Burgundiam abiit. Brunhildem dolosè quasi eam ad conjugium sociare se fingeret, data fide venire ad se fecerat. At illa credens ei, ornata cultu regali ad eum venit. Qui cùm eam vidisset, ait : *Inimica Domini, cur tanta mala perpetrare invaluisti, ut tam nobilissimam sobolem regalem interimere in maleficiis tuis non formidasti, tantumquè nefas agere non dubitasti?* Tunc adunato agmine Francorum et Burgundionum, cunctis vociferantibus, Brunihildam morte turpissima esse condignam : tunc jubente Chlothario Rege in camelo levata, toto exercitu girato *, deinde equorum indomitorum pedibus ligata, dissipatis membris obiit. Ad extremum sepulcrum ejus ignis fuit, ossa ipsius combusta. Rex verò, pace per circuitum facta, reversus est.

XL. His Regibus mortuis, Burgundiones et Austrasii, cum reliquis Francis pace facta, Chlotharium regem in totis tribus regnis in monarchiam elevaverunt. Rex namque Chlotharius, commoto exercitu in Burgundiam dirigit : Brunchildem, quasi ad conjugium accipere fingeret, ad se venire rogavit tamquam ad pacem. Illa verò cultu regali ornata ad eum [venit] ad castrum vel fluvium Tiroa. Qui cùm eam vidisset, dixit : Inimica Domini, cur tanta mala perpetrasti, et tantam genealogiam regalem interficere ausa fuisti? *Tunc coadunato exercitu Francorum et Burgundionum, in unum cunctis vociferantibus, Brunchildem morte turpissima esse dignissimam : tunc jubente Chlothario rege in camelo levata, toto hoste* (a) *girata, deinde equorum indomitorum pedibus ligata, dissipatis membris obiit. Ad extremum sepulchrum ejus ignis fuit ; ossa ipsius combusta. Rex verò, per circuitum pace facta, reversus est* (b).

* girata.

C XLI. Erat eo tempore post Landericum Gundoaldus * nobilis Major-domûs in Aula Regis, vir egregius atque industrius. Eratque Chlothario Regi tunc filius, nomine Dagobertus, puer efficax atque strenuus, ad omnia solers atque versutus. Quem Rex adultum unà cum Pipino Duce in Auster regnaturum direxit. Austrasii verò Franci superiores congregati in unum, Dagobertum super se Regem statuunt. In illis quoque diebus Saxones rebellantes nimis commoverunt exercitum gentium plurimarum contra Dagobertum Regem vel Chlotharium. Dagobertus (c) verò, collecto hoste plurimo, Rhenum transit, contra Saxones ad pugnam exire non dubitavit. Illisque validè pugnantibus, Dagobertus super galea capitis sui percussus, abscissa particula (d) de capillis ejus ad terram ; retrò stans armiger ejus colligit eam. At ille læsum cernens populum suum, dixit ad ipsum puerum suum : *Perge velociter festinus cum crine capitis mei nunc ad patrem meum, ut succurrat nobis, antequàm cunc-*
D *tus exercitus corruat.* Qui cucurrit velociter, et Ardennam (e) silvam transito Rheno fluvio penetravit. Illic Chlotharius Rex cum exercitu plurimo pervenerat. Cùmque nuntius ille festinus adfuisset deferens Regi de abscisso (f) crine filii sui; ille nimio dolore commotus, cum strepitu tubarum de nocte consurgens, cum exercitu suo Rhenum transiit, et in auxilium filii sui festinus pervenit. Cùmque simul conjuncti in unum hilari corde manibus plauderent, super Wisera fluvium tendentes fixerunt tentoria. Berthoaldus verò Dux Saxonorum ex alia parte ripæ hujus fluminis, stans paratus ad placitum vel ad pugnam (g) procedere, audiens hunc tumultum populi, interrogavit quid hoc esset. At illi responderunt dicentes : *Dominus Chlotharius Rex venit, et ob hoc lætantur Franci.* Qui respondit cum ganno, dicens : *Mentitis* (h) *vos, delerare formidatis, cùm Chlotharium habere dicitis ; cùm nos eum mortuum esse auditum habeamus.* Rex quoque illic stans, lorica indutus et galea in capite, crines
E cum canitie variatos (i) obvolvit. Cùmque discopertus, à galea apparuisset caput Regis, cognovit Berthoaldus esse Regem, et ait : *Tune hîc eras, bile* (k) *jumentis.*

* *al.* Godolandus, et Gundobaldus.

An. 622.

(a) Ita habet Chronicon Ademari. Cod. Remig. *per totum exercitum circumducta.*

(b) Cod. Crass. *reversus est. Gundolandus nobilis Majorumdomus in alia aula Regis, vir egregius, etc.*

(c) Hanc Dagoberti in Saxones expeditionem fictam fabulosamque non tantum Fredegarii aliorumque gravissimorum Auctorum silentio, sed et relatione rei rem ipsam destruente, probat Valesius l. 18. Rer. Franc. pag. 59.

(d) Aliàs, *abscissa est particula capillorum ejus : quæ cùm ad terram decidisset, collegit eam armiger ejus. Qui læsum, etc.*

(e) Cod. Crass. *velociter, Ardenna silva transiit, usque fluvio penetravit.* Cod. Remig. *Ardennam silvam transiit, et usque fluvium penetravit.*

(f) Cod. Crass. *Regi abscissum crinem.*

(g) Cod. Crass. *ut ad pugnam procederet.*

(h) Cod. Crass. *cum cachino dicens : mentitos vos delirare..... vobiscum habere.* Cod. Remig. *Ut video, timore correpti falsò ista loquimini.*

(i) Cod. Crass. *variatas obvolutas.* Cod. Remig. *crines canitie veneranda respersos et involutos habebat.*

(k) Aliàs, *blare jumentum,* et *bale jumenti.* Cod. Crass. *bale jumente.* Cod. Remig. *bale jumentum.* Chron. Ademari, *blace vinte.*

CHLOTHARIUS II. DAGOBERTUS I.

Rex verò hæc audiens, valde indignatus hoc convicio (a), Wiseram fluvium ingressus cum equo velocissimo, transnatavit : ferus ut erat cordę, Berthoaldum persequebatur : Francorumque exercitus sequens Regem, natantes vix fluvium cum Dagoberto transjiciebant per gurgites immensos. Rex quoque Chlotharius persecutus Berthoaldum, certabat valde cum eo. Dixitque Berthoaldus : *Recede à me, oro* (b), *ne fortè interficiam te : quia si prævalueris adversùs me, sic omnes homines dicent quòd servum tuum Berthoaldum gentilem peremisti : si autem interfecero ego te, tunc rumor magnus in cunctis gentibus audietur quòd fortissimus Rex Francorum à servo sit interfectus.* Rex autem nequaquam adquievit dictis ejus; sed magis consurgebat animus illius contra et supra eum. Eques itaque quidam Regis à longè secutus Regem, clamat (c) : *Confortare, confortare contra adversarium tuum, domine mi Rex.* Jamque erant manus Regis graves valde : erat enim loricatus. Consurgensque Rex super eum, interfecit ipsum Berthoaldum, sustulitque caput ejus in conto. Reversusque ad Francos, illisque lugentibus, nesciebant quid Regi contigisset : viso ergo eo gavisi sunt gaudio magno. Rex verò tota terra Saxonorum vastata, populo illo interfecto, non ibi majorem hominem reliquerunt viventem, nisi et (d) gladius suus, quod spatam vocant, per longum habebat. Hoc signum in regione illa statuit, reversusque est Rex victor in terra sua (e).

An. 628. XLII. Succedente verò tempore mortuus est Chlotharius Rex senex et plenus dierum, regnavitque annos XLIV. regnumque ejus Dagobertus rex filius ejus in monarchia in totis tribus regnis sagaciter accepit. Fuitque ipse Dagobertus rex fortissimus in bellis, enutritor Francorum, severissimus in judiciis, Ecclesiarum largitor. Ipse enim eleemosynarum copia de fisco palatii per Ecclesias Sanctorum primus distribuere censum jussit. Pacem in cuncto regno suo statuit : in multis gentibus rumor ejus personuit : timorem et metum in universis regnis per circuitum incussit. Ipse pacificus, sicut Salomon, quietus regnum obtinuit Francorum. Tunc et B. Audoënus (f) Episcopus exortus enituit. Eo tempore defuncto Gundoaldo (g) Majore-domûs inclyto, Dagobertus rex Erconaldum (h) virum inlustrem in Majorem-domatûs statuit. Habuitque prædictus Rex ex Regina sua Nanthilde (i) de genere Saxonorum filios duos, Sigibertum et Chlodoveum. Sigibertum verò majorem filium suum in Auster unà
An. 633. cum Pippino Duce direxit in regno statutum (k). Clodoveum quippe juniorem secum retinuit.

An. 638. XLIII. Posthæc igitur rex Dagobertus à febre valida correptus, ægrotans mortuus est in Spinogilo villa in pago Parisiacense, et in basilica B. Dionysii Martyris sepultus est. Planxeruntque eum Franci diebus multis : regnavitque annos (l) XXXIV. Chlodoveum filium ejus Franci super se Regem statuunt : accepitque uxorem de genere Saxonorum, nomine Bathildem, pulchram valde et omni
An. 639. ingenio strenuam. Posthæc autem Sigibertus Rex Austrasiorum (m), Pippino defuncto, Grimoaldum filium ejus in Majorem-domatûs statuit. Decedente verò tem-
An. 656. pore, defuncto Sigiberto rege, Grimoaldus Major-domûs filium ejus parvulum, DAGOBERTUS II. nomine Dagobertum, totondit, et per Didonem (n) Pictavensis urbis Episcopum in Scotia (o) ad peregrinandum eum dirigens, filium suum in regno constituit. Franci itaque commoti atque vehementer indignati, Grimoaldo insidias præparant; eumque eximentes (p), ad condemnandum Regi Francorum Chlodoveo deferunt. Et Parisius civitate in carcere mancipatus, vinculorum cruciatu constrictus, ut erat morte dignus propter scelus quod in dominum exercuit, morte (q) vitam finivit.

(a) Cod. Crass. *hoc convicium, Wisera..... fero ut erat corde.*

(b) Aliàs, *ô Rex.* Ita Cod. Crass.

(c) Idem, *consurgebat super eum. Equester itaque Regis.... Regi clamabat.*

(d) Idem, *viventem reliquit, nisi ut gladius.* Cod. Remig. *viventem relinquens, quàm longitudo gladii sui, quem spatam vocant, habere videbatur.* Chron. Ademari, *nisi quantùm gladius suus, quem.* Chesn. in margine, aliàs, *nisi qui gladii sui staturam æquare posset.*

(e) Cod. Crass. *in terram suam.*

(f) Audoënus nonnisi post mortem Dagoberti Episcopus fuit, anno scilicet 640.

(g) Cod. Crass. *Gundolando Majorumdomo.* Remig. *Gundelando domûs regiæ Majore.* Chron. Ademari, *Gundolando Majore-domûs.*

(h) Aliàs, *Archenaldum.* Cod. Crass. *Erchanodum... in Majorumdomato.* Remig. *Erconoldum..... in loco ejus substituit.* Erchinoaldus iste non Gundoaldo successit, sed Ægæ, anno tertio Chlodovei Regis, Christi 640.

(i) Aliàs, *Lanthilde.*

(k) Aliàs, *in regno regnaturum.* Cod. Crass. *in regno statuto.* Remig. *direxit ut ibi regnaret.*

(l) Codd. Crass. et Remig. *annis xliv.* utrobique mendosè : nam Dagobertus tantùm regnavit ab anno 622. ad annum 638.

(m) Cod. Crass. *Rex Austri.... in Majorumdomato instituit.*

(n) Idem, *totondit, Didonemque.... in Scotia peregrinandum direxit.... constituens. Franci itaque hoc valde indignantes.*

(o) Hibernia olim Scotia appellabatur.

(p) Aliàs, *eumque comprehensum ad condemnandum Regi Chlodoveo, ut erat morte dignus, destinant.* Item in alio cod. *eumque de imperio dejicientes, regnum Chlodoveo deferunt.*

(q) Cod. Crass. *valido cruciatu vitam finivit.*

A XLIV. Eo tempore Chlodoveus brachium B. Dionysii Martyris abscidit, instigante diabolo. Per idem tempus concidit regnum Francorum casibus pestiferis. Fuit autem ipse Chlodoveus omni spurcitiæ deditus, fornicarius et inlusor feminarum, gula (a) et ebrietate contentus. De hujus morte et fine nihil dignum historia recolit. Multi enim scriptores ejus finem condemnant, nescientes finem nequitiæ ejus, in incertum de eo alia pro aliis reddentes et referentes. Nam ex Bathilde Regina ejus habuit tres filios, Chlotharium, Childericum atque Theudericum. Decedente itaque in extremis præfato Rege Chlodoveo, qui regnavit annos XVI (b), Franci Chlotharium seniorem puerum ex tribus sibi Regem statuerunt, cum ipsa Regina matre regnaturum.

CHLODOVEUS II. CLOTHARIUS III. CHILDERICUS II. THEODORICUS III.

XLV. Eo tempore defuncto Erchonaldo (c) Majore-domûs, Franci in incertum vacillantes, præfinito consilio Ebruino hujus honoris altitudine Majorem-domo in B aula Regis statuunt. In his diebus Chlotharius Rex puer obiit, regnavitque annis (d) IIII. Theudericus autem frater ejus Rex elevatus est Francorum. Childericus (e) itaque alius frater ejus in Austria unà cum Vulfaldo Duce regnum suscipere perrexit. Eo tempore Franci adversùs Ebroinum insidias præparant, super Theudericum consurgunt, eumque à regno dejiciunt : crinesque capitis amborum, vi abstrahentes, incidunt (f), Ebroinum tondunt, eumque in Luxovio Monasterio in Burgundia dirigunt. In Auster quoque propter Childericum legationem mittentes accommodant : et unà cum Wolfoaldo Duce veniens, in regno Francorum elevatus est. Nam ipse Childericus levis nimis omnia incautè peragebat, donec inter eos odium maximum et scandalum crevit, Francos valde opprimens. E quibus unum Francum, nomine Bodolenum (g), ad stipitem tensum cædi valde sine lege præcepit. Hæc videntes Franci, in ira magna commoti, Ingobertus videlicet et Amalbertus, et reliC qui majores natu Francorum, seditionem contra ipsum Childericum concitantes : Bodolenus super eum cum reliquis surrexit insidiatoribus (h), Regem interficit unà cum Regina ejus prægnante : quod dici dolor est. Vulfoaldus quoque per fugam vix evasit, in Auster reversus. Franci autem Leudesium filium Erchinaldi (i) nobilem in Majorem-domûs palatii eligunt : eratque ex Burgundia in hoc consilio B. Leudegarius Augustodunensis Episcopus et Gerinus frater ejus consentientes. Ebroinus itaque, consilio accepto, capillos crescere sinens, congregatis in auxilium sociis, hostiliter à Luxovio cœnobio egressus in Franciam revertitur cum armorum apparatu. Ad beatum Audoënum direxit, quid ei consilium (k) daret interrogaturus. At ille per internuntios hos solum scripto dirigens, ait : *De Fredegunde tibi subveniat in memoriam.* At ille, ingeniosus ut erat, intellexit, et de nocte consurgens, commoto exercitu, usque Hissera (l) fluvium veniens, interfectis custodibus, ad S. MaxenD tiam Hissera transiens, ibi quos reperit de insidiatoribus suis occidit. Leudesius unà cum Theoderico Rege et sociis quamplurimis per fugam evasit. Ebroinus autem eos usque ad Bacio (m) villa insecutus est, ibique thesauros regales adprehendit. Deinde posthæc Crisciago veniens, Regem recepit ; Leudesium autem data fide sub dolo ad se venire mandavit. Quo facto, Leudesium interfecit, et ipse principatum sagaciter recepit. Sanctumque Leudegarium Episcopum diversis pœnis cæsum gladio ferire jussit : Gairoënum fratrem ejus dura pœna (n) damnavit. Reliqui verò Franci eorum socii per fugam vix evaserunt : nonnulli verò in exilio pervagati, propriis facultatibus privati sunt.

An. 656. An. 670. An. 673. An. 674.

(a) Cod. Crass. *gulæ et ebrietati contentus. Hujus mortem et finem nihil..... multùm enim..... pro aliis referunt.* Remig. *gulæ et ebrietati deditus. Hujus ortus et occasus nihil historiâ dignum meretur. Valde enim scriptores Annalium in ejus vita errasse creduntur, ignorantes finem nequitiæ ejus, incerta de eo atque alia pro aliis asserentes.*

(b) Chlodoveus regnavit annos XVIII. Vide Continuatorem Fredegarii cap. 91. Auctorem Gestorum Dagoberti capp. 51. et 52. Chronica Musciacense, Divionense S. Benigni et Besuense, Auctorem Vitæ posterioris S. Wandregisili, Hermannum Contractum, et alios.

(c) Aliàs, *Erchenoldo.* Cod. Crass. *Erchonoldo Majorumdomato..... Ebroinum..... Majorumdomo.*

(d) Quatuor anni de annis Monarchiæ duntaxat intelligendi sunt. Nam Chlotharius solus regnavit à morte patris sui Chlodovei, id est ab anno 656. ad an. 660. quo anno Childericus ipsius frater Austrasiæ Rex factus est.

(e) Cod. Crass. *Childericum itaque alium fratrem ejus in Auster unà cum Wolfoaldo Duce regnum suscipere dirigunt.* Remig. *Childericus..... dirigitur ut regnum suscipere debeat.*

(f) Ita codd. Crass. et Remig. Chesnius *incendunt.*

(g) Cod. Crass. *Bodilonem.*

(h) Idem, *insidiaturus.*

(i) Aliàs, *Archenoldi.* Cod. Crass. *Erchanoldi in Majorumdomato palatii eligunt; eratque ex Burgundia. In hoc.* Cod. Remig. *Erconoldi in Principem regiæ domûs eligunt.*

(k) Codd. Crass. et Remig. *quid ei consilii.*

(l) Aliàs, *Iseram.* Cod. Crass. *Isra.*

(m) Aliàs, *Stoacio.* Cod. Crass. *Ebroinus eos persecutus est, Bacivo villa veniens, thesauros.*

(n) Idem, *Gerinum fratrem ejus dira.* Hæc variis temporibus facta sunt : anno 674. Leodegarius excæcatus ; anno 676. Leodegarius diversis affectus supplíciis, Gairinus lapidibus obrutus : tandem anno 678. Leodegarius interfectus.

THEODORICUS III. An. 679.

XLVI. Eo quoque tempore decedente Vulfoaldo de Auster, Martinus et Pippinus junior filius Ansigiseli (a), quondam decedentibus Regibus, dominabantur in Auster, donec tandem aliquando hii Duces in odium versi contra Ebroinum, exercitum plurimum Austrasiorum commoti (b), contra Theudericum Regem et Ebroinum aciem dirigunt. Contra quos Theudericus Rex et Ebroinus cum hoste occurrunt loco nuncupante Lufao (c); simulque conjuncti se invicem cæde magna prosternunt: corruitque ibi infinita turba populi. Austrasii devicti in fugam lapsi terga verterunt. Ebroinus eos cæde crudelissima insecutus, maximam (d) partem ex illa regione vastavit. Martinus per fugam elapsus, Lauduno Clavato ingressus, illuc se reclusit; Pippinus autem altrinsecus evasit. Ebroinus itaque, perpetrata victoria, reversus est, et cum exercitu magno venit Ercherego (e) villa. Itaque ad Martinum nuntios dirigit, ut, dato (f) sacramento, cum fiducia ad Regem Theudericum veniret; hoc dolosè ac fallaciter super vacuas capsas ei jurantes. Ille verò credens eis Erchreco veniens, ibi cum sociis suis interfectus est. A B

An. 681.

XLVII. Ebroinus igitur magis ac magis Francos crudeliter opprimebat (g). Sed tamen, Deo donante, dum Ermenfrido Franco pararet insidias, ipse Ermenfridus hoc cognoscens, et nocte irruens super eum, interfecit illum atrociter, atque ad Pippinum in Auster fugiens evasit. Franci verò, consilio accepto (h), Warattonem virum inlustrem in loco ejus cum jussione Regis Majorem-domum palatio constituunt. Accepit itaque Waratto inter hæc obsides à prædicto Pippino, et pacem cum eo iniit. Erat in illo tempore memorato Warattoni filius efficax industriusque, fero animo,

An. 683.

et acerbis moribus, insidiator patris sui, eumque ab honore generositatis supplantans; eratque nomen ejus Gislemarus. Cui B. Audoënus Episcopus prohibuit ne hanc nequitiam contra patrem suuminferret: quod ille audire contempsit. Fueruntque inter ipso Gislemaro (i) et Pippino bella civilia et multæ discordiæ. Qui ob injurias patris vel alia peccata crudelia à Deo percussus, iniquissimum spiritum exhalavit, juxta quod S. Audoënus ei prædixerat. Illoque defuncto, Waratto iterùm honorem pristi- C

An. 684.

num functus est. Sub his diebus B. Audoënus Rotomagensis Episcopus, plenus dierum atque virtutibus præclarus, Clippiago (k) villa regale in suburbana Parisiorum civitate migravit ad Dominum, et cum magna gloria in Basilica S. Petri Apostoli Rotomago civitate sepultus est.

An. 686.

XLVIII. Succedente quippe temporum curriculo prædictus Waratto defunctus est: fuitque ei matrona nobilis ac ingeniosa, nomine Ansefledis (l). Franci namque in diversa tendentes vacillabant: Bertharium (m) quemdam statura pusillum, sapientia ignobilem, consilio inutilem, in Majorem-domatus oberrantes statuunt. Franci in invicem divisi, Pippinus in Auster (n) consurgens, commoto hoste quamplurimo, contra Theudericum Regem et Bertharium aciem dirigit. Convenientesque D ad prælium in loco nuncupante Textricio; illisque inter se belligerantibus, Theudericus Rex cum Berthario (o) Majore-domo terga verterunt: Pippinus verò victor

An. 687.

extitit. Procedente itaque tempore ipse Bertharius ab adulatoribus suis occisus est, instigante Ansflede. Posthæc Pippinus cum Theuderico Rege cœpit esse (p) Princeps regiminis ac Major-domûs. Thesauris acceptis, Nortbertum (q) quemdam de suis cum Rege reliquit, ipse in Austriam remeavit. Erat autem Pippino uxor nobilissima ac sapientissima, nomine Plectrudis: ex ipsa genuit filios duos: nomen majoris Drocus (r), et nomen minoris Grimoaldus. Drocus Ducatum Campaniæ accepit.

An. 691.

XLIX. Obiit autem Theudericus Rex: regnavitque annos XVIIII. Chlod-

(a) Cod. Crass. *Anseghisili.*
(b) Idem, *commotum.*
(c) Aliàs, *Lucofao* et *Lucofago.* Cod. Crass. et Remig. *Lucofao.*
(d) Cod. Crass. *maxima parte..... vastata.*
(e) Aliàs, *Ercheco* et *Ercariaco.* Cod. Remig. *Erchrecum villam.* Cod. Crass. *patrata victoria reversus est, veniens cum exercitu Erchreco villa, ad Martinum.*
(f) Cod. Crass. *data sacramenta.*
(g) Idem, *obprimebat, donec tandem aliquando Ermenfredo Franco insidias parare dissimulat. Ille quoque per noctem clam super eum consurgens, sagaciter Præfatum Ebroinum interficit, atque ad Pippinum.*
(h) Idem, *consilio inito..... Majorumdomo palatii.*
(i) Idem, *inter ipsum Gislemarum et Pippinum.*
(k) Idem, *Clepiaco villa regali.* Cod. Remig. *apud Clippiacum villam regalem in suburbio Parisiorum..... apud Rothomagum civitatem.*
(l) Aliàs, *Ansfledis* et *Ansafilidis.*
(m) Aliàs, *Bernharium.* Cod. Crass. *Bercharium..... in Majorumdomato.* Remig. *in Majorem-domûs regiæ.*
(n) Cod. Crass. *ab Austrasiis.*
(o) Cod. Crass. *Bercharo Majorumdomo.*
(p) Cod. Crass. *Pippinus, Theoderico Rege, cœpit esse in principale regimine Majorumdomus.* Remig. *apud Theodericum Regem cœpit esse principali regimine Major-domûs.* Chron. Ademari, *Theoderico Regi cœpit in principali regimine Major-domûs.*
(q) Cod. Crass. *Nordebertum..... relictum.*
(r) Aliàs, *Drogo.* Cod. Crass. *Drogus..... Grimoldus.*

A veus filius ejus puer regalem sedem suscepit, ex Regina nomine Chlothilde (a) progenitus. Nec multò pòst ipse Chlodoveus Rex puer mortuus est ; regnavitque annos (b) II. Childebertus autem frater ejus vir inclytus in regno statutus est (c). Eo quoque tempore Nortbertus mortuus est. Grimoaldus quoque Pippini Principis filius junior in aula Regis Childeberti Major-domûs effectus est. Ipse igitur Pippinus multa bella gessit contra Ratbodem gentilem vel alios Principes, contra Suevos vel quamplurimas gentes Grimoaldus quippe genuit filium ex concubina, Theudaldum nomine. Sub idem verò tempus Drogus filius Pippini defunctus est. Habebatque (d) Pippinus præfatus Princeps filium ex alia uxore, nomine Carolum, virum elegantem, egregium atque utilem.

CHLODOVEUS III.
An. 695.
CHILDEBERTUS III.
An. 708.

L. Tunc enim beatæ memoriæ Childebertus Rex justus migravit ad Dominum. Regnavit autem annos XVII. * sepultusque est Cauciago (e) Monasterio in Basilica
B sancti Stephani Martyris : regnavitque Dagobertus filius ejus pro eo. Habebat tum Grimoaldus uxorem in matrimonio, nomine Teutsindam (f), filiam Ratbodi Ducis gentilis : eratque ipse Grimoaldus Major-domûs pius, modestus et justus. Eodem enim tempore ægrotante Pippino Duce genitore suo, dum ad eum visitandum accessisset, nec mora, in Basilica S. Landeberti (g) Martyris Leodosio peremptus est à Rangario gentile filio Belial *. Theudoaldum verò filium ejus, jubente Pippino avo, in aula Regis honore patris sublimem statuunt.

An. 711.
* *al.* XIX.
DAGOBERTUS III.
An. 714.
* *al.* Beluabi.

LI. Eo tempore Pippinus febre valida correptus, defunctus est : obtinuitque Principatum sub suprascriptis Regibus annos XXVII. (h) Plectrudis quoque cum nepotibus suis vel Rege cuncta gubernabat sub discreto regimine. In illis diebus, instigante diabolo, Franci denuò in Cotia (i) silva in Francos invicem inruunt, ac se mutuò durissima cæde prosternunt. Theudoaldus autem per fugam elapsus ereptus est.
C Fuitque illo tempore valida persecutio. Theudoaldo enim fugato, Ragenfredum (k) in Majoremdomatum elegerunt. Qui commoto cum Rege exercitu, Carbonariam silvam transeuntes, usque Mosam fluvium terras illas vastantes succenderunt : cumque Radbodo (l) Duce gentili amicitias feriunt. Carolus his diebus, cùm captus à Plectrude femina sub custodia teneretur, auxiliante Domino vix evasit.

An. 715.

LII. Sequente tempore Dagobertus Rex ægrotans mortuus est, regnavitque annos V. Franci posthæc Danielem quondam Clericum, cæsarie capitis crescente, in regno stabiliunt, eumque Chilpericum nuncupant. Quo etiam tempore denuò exercitu (m) commoto, usque ipsum fluvium Mosam veniunt contra Carolum aciem dirigentes : atque ex alia parte Frigiones cum Ratbodo Duce consurgunt : Carolus quoque super ipsos Frigiones inruit : ibique maximum dispendium de sodalibus suis per-
D pessus est, atque per fugam dilapsus abscessit.

An. 715.
CHILPERICUS II.
An. 716.

LIII. Succedente igitur tempore iterùm ipse Chilpericus cum Ragenfredo, hoste commoto, Ardennam silvam ingressus, usque Rhenum fluvium vel Colonia civitate pervenerunt, vastantes terram. Multoque thesauro à Plectrude matrona accepto (n) revertebantur gaudentes : sed in loco quodam, qui dicitur Amblava, maximum, Carolo super eos inruente, perpessi sunt dispendium. Quo etiam tempore prædictus vir Carolus, exercitu commoto, iterùm contra Chilpericum vel Ragenfredum ad bellum (o) surrexit. Illi etiam econtra hostem colligunt, bellumque parantes accelerant. Sed Carolus pacem fieri postulat. Illisque contradicentibus, ad prælium egressi sunt in loco nuncupante Vinciago (p), Dominico die inlucescente, XII. Kal. Apr. in Quadragesima. Illisque fortiter bellantibus, Chilpericus cum Ra-

An. 717.

(a) Aliàs, *Rotilde*. Cod. Crass. *Chrodchilde*. Remig. *Baltide*. Chron. Ademari, *Crochilde*.

(b) Ita codd. mss. sed corrigendum, *annos V*. Hi enim duo numeri II. et V. propter similitudinem facilè à Librariis commutantur.

(c) Cod. Crass. *statutus est. Attamen et Nordebertus mortuus est. Grimoldus..... Childeberti Majorum-domus effectus est. Pippinus quoque multa.*

(d) Idem, *Habensque Pippinus præfatus Princeps ex alia uxore, nomine Chalpiade, Carlum, virum..... Tunc enim bonæ memoriæ.*

(e) Aliàs, *Causiaco*. Codd. Crass. et Remig. *Cauciaco*.

(f) Cod. Crass. *Theotsindam, filiam Ratbodis..... Grimoldus Majorumdomus pius, modestus, mansuetus et justus. Procedente enim.*

(g) Idem, *S. Lantberti Martyris Leudico* (al. *Leodico*) *peremptus est à Rantgario..... Theoaldum verò, jubente avo.*

(h) Cod. Crass. *annis XXVII. et dimidio.*

(i) Idem, *denuò Cosia silva.*

(k) Idem, *Theodoaldo enim fugato, Ragamfredum in principatum Majorum palatii.* Cod. Remig. *in Principem palatii.* Chesnius in margine, *in principatu Majoris palatii.*

(l) Cod. Crass. *Cum Ratbode..... Carlus.* Et sic deinceps.

(m) Idem, *Eo nempe tempore denuò exercitum movent..... Mosam contra Carlum dirigunt : ex alia parte Frisones.*

(n) Idem, *accepto reversus est : sed in loco quidem Amblava, maximum Carlo eis inruente.*

(o) Idem, *Ragamfredum consurgens : contra quem illi hostem colligunt, bellum præparant, accelerant.*

(p) Aliàs, *Vicieco*. Cod. Crass. et Remig. *Vinciaco*.

CHILPERICUS. II. genfredo terga vertit : Carolus victor extitit : regionibusque illis vastatis (a) atque captivatis, iterum cum multa præda in Austria reversus, Coloniam civitatem venit ; ibique seditionem intulit : cum Plectrude matrona disceptavit, et thesauros patris sui sagaciter recepit, Regemque (b) sibi statuit, Chlotharium nomine. Chilpericus itaque et Ragenfredus Eudonem Ducem expetunt in auxilium : qui movens exercitum, contra Carolum perrexit. An. 719. At ille constanter occurrit ei intrepidus. Sed Eudo fugiens, Parisius civitatem regressus est. Chilpericus quoque cum thesauris (c) regalibus sublatis ultra Ligerem secessit, quem Carolus persecutus, non reperit. Chlotarius quidem memoratus Rex eo anno obiit. Carolus anno insecuto legationem ad Eudonem direxit, amicitiasque cum eo fecit : An. 720. illo verò Chilpericum Regem cum multis muneribus reddidit ; sed non diu in regno resedit. Mortuus quidem est post hæc, et Noviomo civitate sepultus : regnavitque annos v. et dimidio. Franci verò THEODORICUS IV. Theudericum Cala Monasterio enutritum, filium (d) Dagoberti junioris, Regem super se statuunt ; qui usque nunc (e) in regno subsistit.

(a) Cod. Crass. *regiones illas vastatas atque captivatas.* Accusativus pro Ablativo ; quod frequenter occurrit in scriptoribus istius ævi.

(b) Chron. Ademari. *Regemque sibi statuit Clotarium consanguineum suum, filium Clodovei, qui fuit filius Dagoberti. Chilpericus itaque et Raënfredus Eudonem Ducem Aquitaniæ expetunt in auxilium, et munera multa ei tribuunt. Ille, hoste Wasconorum et Aquitanorum commoto, contra Carolum Martellum perrexit. At ille constanter occurrit ei intrepidus. Eudo territus resistere non valens, fugit, et reversus est fugiendo usque Parisius ; inde Sequanam fluvium transiit, et ad urbem Aurelianis venit ; et Chilpericum cum thesauris regalibus adduxit secum : et ultra Ligerim accedens, vixque evadens, terminos regionis suæ cum Chilperico penetravit. Carolus persecutus eum usque Turonis, non reperit, et reversus est. Eo anno Clotarius Rex consanguineus ejus obiit. Sequenti anno Karolus legationem ad Eudonem direxit, et amicitias cum eo fecit, Chilpericum mandans ut redderet. Eudo Chilpericum ei reddidit cum multis muneribus. Et Karolus Martellus, Chilperico recepto, Regem eum constituit, oblitus cunctorum quæ in eo fecerat malorum : sed cum Raënfredo amicitias facere noluit. Rex Chilpericus urbe Noviomo veniens, morbo obiit, et regnavit annos sex. Franci verò Theodericum filium Dagoberti junioris, in monasterio Cala enutritum, super se Regem statuunt consensu Karoli Martelli.* Ademarus qui ultrà progreditur, omittit ista verba, *qui usque nunc in regno subsistit*, quibus gesta Francorum à Frehero et Chesnio edita clauduntur.

(c) Cod. Crass. *civitatem, reversus Chilpericum cum thesauris regalibus sublatum, ultra Ligerem recessit : Carlus eum persecutus.*

(d) Perperàm igitur Theodericus dicitur frater Chilperici Danielis in Chronico Wirsib. scripto sæculo XI. atque edito à Baluzio Tom. 1. Miscell. pag. 502.

(e) Cod. Crass. *qui nunc anno sexto in regno subsistit.* Desunt omninò hæc verba in codice Remigiano.

APPENDIX

A THEODORICO IV. USQUE AD PIPPINUM REGEM,

Primùm adjecta ab Andrea Chesnio Tom. 1. Script. Franc. pag. 720.

Ex Cod. Ms. Bibliothecæ Alex. Petavii Regii Senatoris.

An. 741. CAROLUS MARTELLUS. EO (a) etenim tempore ab urbe Roma Papa Gregorius claves venerandi sepulchri, cum vinculis sancti Petri, et muneribus magnis et infinitis, Legationem, (quod antehac numquam accidit, neque unquam auditum fuit) ad memoratum Principem Carolum destinavit : eo pacto patrato, ut à partibus Imperatoris recederet, et Romano consulto præfato Principi Carolo sanciret. Ipse itaque Princeps magnifico honore ipsam Legationem recepit, munera preciosa contulit, atque cum suis Nunciis Romam remisit. Itemque memoratus Princeps, consilio Optimatum suorum expetito, filiis suis regna dividit. Idcircò primogenito suo Carlomanno nomine Austrasiam, Sueviam, id est Alemanniam, Turonicam (b) tradidit. Alteri verò filio minori, Pippino nomine, Burgundiam, Austriam (c) atque Provinciam commisit.

Eo anno Pippinus commoto exercitu cum avunculo suo Hildebrando Duce, et multitudine Primatum, et agmine satellitum plurimorum, in Burgundiam dirigunt, fines regionum præoccupant. Interim in Sole et Luna et Stellis nova signa appa-

(a) Quæ hîc de Carolo Martello et Pippino ejus filio narrantur, ea ferè ad verbum descripta sunt ex parte tertia Continuationis Chronici Fredegariani. Vide suprà, pag. 457.

(b) Leg. *Turingiam.*

(c) Corrig. *Neustriam.*

A ruerunt, et Paschalis quoque ordo sacratissimus turbatus fuit. Carolus itaque Princeps Parisiis basilicam sancti Dionysii Martyris multis muneribus ditavit. Veniens Carriacum * villam Palatii super Isira fluvium, valida febri correptus obiit. Obtinuit Principatum annis XXVII. obiit XI. Kal. Novemb. sepultusque est in basilica sancti Dionysii Martyris. Hiltrudis filia ejus, faciente consilio novercæ suæ, fraudulenter per manus sodalium suorum Rhenum transiit, et ad Ottilonem Ducem Baucoarias (a) pervenit. Ille verò eam ad conjugium copulavit contra voluntatem vel consilium fratrum suorum.

* *al.* Carisiacum.

Intereà rebellantibus Wasconibus in regione Aquitaniæ, cum Hunoaldo Duce filio Eodonis quondam, Carlomannus atque Pippinus Principes et germani, congregato exercitu, Ligeris alveum apud Aurelianas urbem transeunt, Romanos proterunt, usque Bituricas urbem accedunt, suburbana ipsius igne comburunt, Hunoaldum Ducem per- B sequentes fugant, multa præda capta,.... inde victores circa tempus autumni reversi sunt. Eodem anno iterum exercitum moverunt contra Alemannos, supra fluvium Danubium castra metati sunt. Ibique residentes, quousque ipsi Alemanni victos se viderunt, obsides donant, jura promittunt, munera offerunt : et pacem petentes, eorum ditioni sese submittunt.

An. 742. CARLOMAN. PIPPINUS.

Inde reversi, anno secundo in Bavoariam commovent exercitum contra Ottilonem cognatum ipsorum rebellantem. Venientesque castra metati sunt super fluvium qui dicitur Lech; Bavoariorum exercitus ex alia parte. Hinc inde se mutuò videntes, usque ad XI. diem (b) Franci provocati irrisionibus gentis illius, periculo se dederunt per loca deserta et invia, ubi nullum iter unquam patebat cuiquam mortalium : nocteque irruentes super eos, divisis exercitibus, commissum est bellum. Prædictus C Dux Ottilo cæsum exercitum suum videns, vix cum paucis turpiter ultra Ignem fluvium fugiendo evasit. His triumphis peractis, prædicti Principes victores ad propria sunt reversi.

An. 743.

Evoluto itaque triennio, iterum Carlomannus confinium Saxonorum, ipsis rebellantibus, cum exercitu irrupit : ibique captis habitatoribus, qui suo regno affines esse videbantur, absque belli discrimine feliciter acquisivit. Plurimi eorum Christiani effecti, baptizati sunt. Per idem tempus, rebellante Theodobaldo filio Godfridi Ducis, Pippinus cum virtute exercitûs sui eum à patria expulit : illoque fugato, renovavit sibi ejusdem loci Ducatum, atque exinde victor rediit.

An. 744.

Sequenti anno præcelsi germani provocati coturno Wasconorum, iterum usque ad Ligerim fluvium pariter adunati venerunt. Quod videntes Wascones, præoccupaverunt pacem petere, et voluntatem Pippini in omnibus se exequuturos pollicentes, mune- D ratum eum à finibus suis ut rediret precibus obtinuerunt.

An. 745.

His ita transactis, sequenti anno dum Alemanni contra Carlummannum eorum fidem fefellissent, ipse cum magno furore et exercitu in eorum patriam peraccessit : et plurimos eorum, qui rebelles extiterant, gladio trucidavit.

An. 746.

His ita gestis, sequenti anno Carlomannus devotionis causâ instinctu succensus; regnum unà cum filio suo Drocone manibus germani sui Pippini committens, ad limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli Romam in monastico ordine perseveraturus advenit. Qua successione Pippinus roboratur in regno.

An. 747.

Eodem anno Saxones rebellare conati sunt. Qua de causa Pippinus cum exercitu eos prævenire compulsus est. Cui etiam Reges Winidorum et * Frisinorum ad auxiliandum uno animo occurrerunt. Quod videntes Saxones, timore compulsi sunt. Multi ex eis fuere trucidati, plures in captivitatem abducti, regiones eorum E igni concrematæ. Pacem petierunt, juri Francorum, ut mos fuerat, se submiserunt, et ea tributa, quæ Chlothario quondam solvebant, plenissima solutione ab eo tempore et deinceps se reddituros promittunt. Ex quibus quoque plurima multitudo videntes se contra impetum Francorum rebellare non posse, propriis viribus destituti, petierunt sibi Christianitàtis sacramenta conferri. Quo peracto tempore, Bajoarii fidem, quam antea promiserant, fefellerunt. Qua de re Princeps Pippinus, commoto exercitu eorum patrias accessit. Ipsi verò ultra fluvium Igni cum uxoribus ac liberis fugerunt. Præfatus Princeps super ripam Igni castra-metatus, navale prælium præparavit, qualiter eos usque ad internitionem persequeretur. Hoc videntes Bajoarii se evadere non posse, Legatos cum multis muneribus transmittunt, et ejus ditioni se subdunt, et sacramenta vel obsides donant, promittentes

* Frisionum.

An. 749.

(a) Leg. *Baucoariæ*, seu *Bajoariæ*. (b) Apud Continuatorem Fredegarii, *usque ad dies XV*.

se ulteriùs rebelles non exstituros. Ipse verò Princeps in Franciam remeavit, et quievit terra à prœliis duobus annis. Quo tempore cum consilio Francorum missa relatione, Sedis Apostolicæ auctoritate percepta, ipse Pippinus cum consensu Francorum et consecratione Episcoporum sublimatur in regno. An. 752.

Hactenus Codex Ms.

ALIA APPENDIX

EX (a) ADEMARI CHRONICO.

Apud Labbeum Tom. 2. *Novæ Bibl. Libr. mss. pag.* 153.

Carolus Martellus. KArolus verò Princeps Raënfredum (b) insecutus, Andegavis civitatem obsedit, et vastata regione eadem, cum plurimis spoliis reversus est : et Major-domûs effectus est ipse Karolus Martellus in regno Francorum. Sequenti anno Andegavis civitatem fortissimè debellans cepit, et Raënfredo interfecto, reversus est.

An. 724. Per idem tempus rebellaverunt Saxones : et Karolus Princeps contra eos hostem commovit, ac debellans eos, victor reversus est. Evoluto anni circulo, coacta An. 725. agminum multitudine, Karolus Martellus Rhenum transiit, Alamanniam et Sueviam penetravit, et usque ad Danubium accessit : et transmeato Danubio, fines Baugarenses occupavit, et sublata regione illa, cum multis thesauris et uxore patris sui (c) C Plectrude, quæ timore ejus illuc fugerat, et cum nepte sua Sonichilde victor in Franciam reversus est. Per idem tempus Eudo Dux cernens se superatum atque derisum, An. 731. gentem perfidam Sarracenorum ad auxilium convocat contra gentem Francorum. Qui egressi de Hispania cum Rege suo, nomine Abderama, Garonnam transeunt, Burdegalam urbem perveniunt, Ecclesias concremant, populos consumunt gladio, et usque Pictavis profecti, basilicam S. Hilarii igne concremant, et ad domum S. Martini Turonis evertendam properant : contra quos Carolus Princeps audacter An. 732. aciem ministravit, et super eos irruens, non longè à Pictavis tentoria eorum subvertit, et cunctum exercitum eorum sternens, in ore gladii Regem eorum Abderama peremit, et victor Franciam rediit. Et extunc omnes cœperunt eum cognominare Martellum ; quia sicut martellus cunctum ferrum subigit, sic ipse, Domino adjuvante, cuncta prælia frangebat. D

Sequenti anno idem egregius bellator Karolus regionem Burgundiæ sagaciter penetravit. Fines regni illius leudibus suis probatissimis viris illustribus ad conterendas An. 733. gentes rebelles in fide statuit, et pace patrata, Lugdunum civitatem suis fidelibus tradidit, et firmatis fœderibus judiciariis, reversus est victor fiducialiter agens. In illis An. 735. quippe diebus Eudo Dux mortuus est. Quod audiens Karolus Martellus, inito consilio procerum suorum, denuò Ligerim transiit usque Garonnam et Burdegalam civitatem, et castrum Blavia cepit obsidione, et totam illam regionem subjugavit An. 733. et 734. cum urbibus ac suburbanis, et victor cum pace remeavit. Deinde ad crudelissimam gentem Frisonum maritimam, nimis crudeliter rebellantem, navali evectione certatim properavit, et altum mare intrans, penetravit insulas eorum, Amniam (d), Strachiam et Astracham ; et super Buronem (e) fluvium castra ponens, Bobonem Ducem illorum fraudulentum Consiliarium interfecit, et omnem exercitum Frisonum E gladio prostravit : fana eorum idololatra contrivit et combussit igne, et cum magnis spoliis et præda victor reversus est in regnum Francorum.

An. 736. Iterùm commoto exercitu [ad] Burgundiam dirigit, et de Lugduno usque Massiliensem urbem vel Arelatum cuncta in suam potestatem subegit, et cum magnis thesauris et muneribus in sedem Francorum remeavit.

An. 738. Item contra Saxones paganissimos rebellantes, qui [ultra] Rhenum fluvium con-

(a) Quæ de Carolo Martello, ea ex Continuatoribus Fredegarii ; quæ verò de Pippino ejus filio narrantur, ea desumsit Ademarus ex Annalibus vel Tilianis vel Loiselianis, quos edidit Chesnius Tom. 2. Script. Franc. pagg. 11. et 24. et quorum partem infrà daturi sumus. Florebat Ademarus anno 1029.

(b) Rangrefidus anno 719. in prælio Suessionensi victus, Andegavum fugit ; quam civitatem ipsi concessit Carolus anno 724.

(c) Non Plectrudem secum adduxit Carolus, sed Bilitrudem incestam uxorem Grimoaldi Bajoariæ Tetrarchæ.

(d) Leg. *Westrachiam et Austrachiam.*

(e) Leg. *Burdinem*, vulgò *Burden.*

A sistunt, strenuus vir Karolus hostem commovit Francorum in loco, ubi Lippia fluvius Rhenum intrat. Quo transmeato, maximam partem regionis illius prostravit, et gentem illam sævissimam tributariam fecit, et plures obsides ab eis accepit: sicque victor, opitulante Domino, remeavit ad propria. CAROLUS MARTELLUS.

Eo tempore gens fortissima Hismaëlitarum, quos Saracenos corrupto vocabulo nuncupant, irruperunt Rhodanum fluvium consentientibus infidelibus Christianis; et per dolum et fraudem cum Rege suo Mauronto Avenionem urbem munitissimam ac montuosam ingrediuntur, et collecto multo agmine Saracenorum, vastabant per circuitum omnes regiones. Tunc vir egregius Karolus Dux germanum An. 737.
suum Childebrandum Ducem, virum industrium, cum reliquis Ducibus et Comitibus, cum apparatu hostili illuc direxit: qui properè ad eandem urbem pervenientes, tentoria instruunt undique circa ipsum oppidum, et suburbana præoccupant,
B et aciem instruentes, munitissimam civitatem obsident. Et Karolus belligerator mox insecutus est eos cum fortiori hoste, et prædictam urbem aggreditur, murum circumdat, obsidionem coacervat. Tunc jubente Domino, in modum Hierico, cum strepitu Francorum et sono tubarum, cum machinis et restium funibus muros arripiunt, et mox mœnia corruunt: et urbem munitissimam ingredientes succedunt, omnes Saracenos trucidant, et in suam ditionem cuncta restituunt. Victor igitur atque bellator insignis Karolus Rhodanum fluvium transit, Gothorum fines penetravit, et Narbonam celeberrimam et metropolim urbem eorum super Adicem fluvium, et munitionem in gyro in modum arietum construxit, et Regem Saracenorum, nomine Atimot, cum satellitibus suis ibidem reclusit. Hæc audientes majores natu et Principes Saracenorum, qui commorabantur in regione Hispaniarum, coadunato exercitu hostium, cum alio Rege, Amorre nomine, viriliter armati
C consurgentes, præparant se ad prælium contra Karolum Martellum. Contra quos Carolus occurrit super fluvium Birram in Pallatio Valle Corbaria: illisque mutuò confligentibus, Saraceni devicti atque prostrati sunt; et cernentes Regem suum interfectum, in fugam lapsi terga verterunt: et qui evadere potuerunt, cupientes navali evectione fugere, in stagnum maris natando mutuò se cohortantes insiliunt. Et mox Franci cum navibus præoccupatis, jacula armatoria super eos projiciunt, et suffocatos in aquis interimunt: sicque Franci triumphantes de hostibus, prædam magnam et spolia capiunt, et capta multitudine Saracenorum captivorum, Carolus regionem Gothicam depopulat: et civitates famosissimas Narbonam et Nemausum, Agatem et Beteris funditus destruunt mœnia et muros confringentes, et igne supposito concremant Franci; et omnia castra et suburbana ejusdem regionis exterminaverunt: et devicto adversariorum agmine, Christo in omnibus præsule, qui est
D caput salutis et victoriæ, salubriter remeavit Karolus cum Francis in solio principatûs sui.

Sequenti anno, mense Februario, prædictum germanum suum Karolus cum plurimis Ducibus et Comitibus, commoto exercitu, in partes Provinciæ direxit: et posteà An. 739.
insecutus est eum, ad urbem Avenionem accedens, cunctam regionem usque littus maris magni dominationi suæ subdidit: et fugato Rege Saracenorum nomine Aronto *, * Mauronto.
in interioribus tutissimis rupibus maritimis, omni regione acquisita, Karolus victor regressus est, nullo contra eum rebellante. Et reversus Karolus in Franciam, ægrotare cœpit in villa Vermeria super fluvium Iseram *. Tunc mortuus (a) est Theoderi- * Isaram.
cus Rex, filius Dagoberti junioris: et Karolus Martellus in infirmitate sua jussit ele- An. 737.
vare in Regem Hildericum fratrem Theoderici, qui vecors erat, sicut et frater ejus
E fuerat: sed meliorem illo non poterant Franci invenire de prole regali.

Eo tempore beatus Gregorius Papa secundus misit Karolo Principi claves vene- An. 741.
randi sepulcri sancti Petri, cum vinculis ejusdem Apostoli, et cum muneribus magnis et infinitis per legationem, (quod anteà in nullis temporibus visum aut auditum fuit) eo pacto ut Romanos defenderet de Longobardis, qui multa mala in terra sancti Petri faciebant. Ipse itaque Karolus mirifico honore ipsam legationem recepit, et per Missos suos, id est, Grimonem Abbatem Corbonensis * * Corbeien-
monasterii et Sigebertum reclusum basilicæ S. Dionysii Martyris, ad limina SS. Petri sis.
et Pauli misit multa munera pretiosa cum ipsis legatis Gregorii Papæ. Igitur Karolus, consilio Optimatum suorum expetito, filiis suis regna divisit, et primogenitum

(a) Mortuo Theodorico Rege anno 737. solus sine Rege imperavit Carolus Martellus, et post eum filii ejus Carolomanus et Pippinus, qui anno 742. in solium regium elevarunt Childericum, qui non erat Theodorici frater, sed Chilperici II. filius.

CAROLUS MARTELLUS. * Dux.

suum Carlomannum sublimavit in Alamannia atque Toringia ; alterum Pippinum misit in Burgundiam et Neustriam, Franciam et Aquitaniam. A

Ipso anno Pippinus Rex *, commoto exercitu, cum avunculo suo Childebrando Duce et multitudine satellitum Francorum, Burgundiam dirigit, et fines regionum præccupat. Interim (quod dici dolor est) nova signa in sole et luna et stellis apparuerunt, et ordo sacratissimus Paschalis turbatus est per multas regiones per errorem et ignorantiam Calculatorum, qui bene nesciebant terminum Paschalem reperire : et per multas civitates celebratum est Pascha vel in Martio, vel in Aprili, vel in Maio. Tunc Karolus Martellus basilicam S. Dionysii Martyris Parisius muneribus multis ditavit, veniensque Carisiaco villa Palatii super Iseram * fluvium, valida febre correptus obiit in pace anno DCCXLI. ab Incarnatione Domini. Et retrò in alio anno, dum turbatio fuit de Pascha, debuit esse Dominicus dies Resurrectionis Christi VIII. B Kal. Maii, quod fuit in ultimo anno Cycli decennovalis ; fuitque terminus Paschæ Dominica Osanna XV. Kal. Maii. Regnavit autem Karolus annis (a) XXV. sed non est vocatus Rex, quia ipse non permittebat se Regem vocari, nisi Ducem Francorum, quia pueris Regibus deferebat honorem nominis Regalis, Theodorico videlicet et (b) Childerico, quamvis ineptis, prudentia et sensu carentibus. Obiit XI. Cal. Novembris, cunctis in gyro regnis acquisitis, sepultusque est in basilica S. Dionysii Martyris. Pipinus autem Vetulus pater ejus regnavit (c) XVII. annis in puerorum Regum fidelitate.

* Isaram. An. 741.

An. 742. CARLOMAN. PIPPINUS.

Igitur postquàm Karolus Martellus Major-domûs mortuus est, filii ejus Carlomannus et Pipinus Pius Major-domûs duxerunt exercitum contra Hunaldum Ducem Aquitanorum, ceperuntque castrum, quod vocatur Loccas, et in ipso itinere diviserunt regnum Francorum inter se in loco qui dicitur Vetus (d) Pictavis, sicut C pater eorum præordinaverat eis. Eodemque anno Carlomannus Alamanniam vastavit.

An. 743.

Deinde ipsi duo fratres inierunt pugnam contra Odilonem Ducem joariorum, et prostraverunt omnem exercitum ejus cum ipso. Et Carlomannus in Saxonia cepit castrum Hoseoburg, et Theodericum Ducem eorum cepit. Item alia vice

An. 744.

cum Pipino perrexit in Saxoniam, et omnia subjugavit in sua potestate. Tunc à Deo

An. 746.

inspiratus Carlomannus, confessus est Pipino germano suo, quòd voluisset sæculum relinquere : et in eodem anno nullum fecerunt exercitum ; sed præparaverunt se uterque, Carlomannus ad iter suum, et Pipinus quomodo germanum suum honorificè direxisset cum muneribus. Tunc Carlomannus Romam pergens, ibi se totondit

* Soracte. An. 747.

et in Sirapti * monte monasterium ædificavit in honorem S. Silvestri : ibique aliquandiu stetit, et inde propter inquietudinem sæculi et Principum Francorum, qui ad eum veniebant, ad sanctum Benedictum in Cassinum usque pervenit ; et ibi Mona- D chus effectus est.

An. 748.

Eo tempore Grifo Dux fugit in Saxoniam, et Pipinus Pius iter faciens per Toringiam in Saxoniam intravit usque ad fluvium Missala *, in loco qui dicitur Scannigi.

* Missaha. An. 749.

Et Grifo fugiens in Bajoariam venit, ipseque Ducatum sibi subjugavit, Hiltrudem cum Tassilone adquisivit, et Suitger in solatium Grifonis venit. Pipinus autem cum exercitu iter faciens illuc, totam Bajoariam sibi subjugavit, Grifonem secum adduxit et Lanfredum, et per suum beneficium Tassilonem collocavit in Ducatu Bajoariorum. Grifonem verò in Neustriæ partes misit, et dedit ei duodecim Comitatus. Inde iterum Grifo fugiens, Wasconiam petiit, et ad Waiserium Ducem Aquitanorum pervenit.

An. 751.

Tunc dolentes Franci quia non habebant prudentem Regem, sed jam per multos annos sustinuerant de regali prole insipientes viros, voluerunt elevare in Regem E Pipinum Pium, qui noluit adquiescere ; sed adunatis cunctis Primoribus Francorum, ex parte eorum misit Romæ Burcardum Wirzeburgensem Episcopum et Folradum Capellanum suum ad Papam Zachariam : qui ex parte Francorum interrogaverunt de Regibus in Francia, qui propter suam amentiam illis temporibus non habebant regalem potestatem, si bene fuisset, an non. Et Zacharias Papa cum consilio nobilium Romanorum mandavit Francis, ut melius esset vocari Regem

(a) Nimirum à pugna Vinciacensi anno 717. habita : nam ab eo tempore Majoratum Austrasiæ simul et Neustrasiæ possidere cœpit.

(b) Nonnisi post mortem Caroli, ut jam notavimus, Rex creatus est Childericus.

(c) Corrig. *XXVII.*

(d) Vulgò *Vieux-Poitiers*, locus ad Clennum positus, non longè ab ejus et Vingennæ confluentibus ; in quo Carolomannus et Pippinus inter se diviserunt de integro regnum totius Franciæ, id est portionem illam, qua fratrem suum Grifonem spoliaverant.

illum,

A illum, qui haberet prudentiam et potestatem, quàm illum qui sine regali potestate solo nomine Rex erat. Et ut non conturbaretur ordo regalis, jussit per authoritatem Apostolicam Pipinum fieri Regem, qui erat de sanguine regali Francorum. Tunc Pipinus Pius filius Karoli Martelli à cunctis Francis unanimiter gaudentibus electus est invitus ad Regem, et unctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi; et elevatus est in regnum Suessionis civitate. Childericus verò, qui falsò Rex vocabatur solo nomine, tonsuratus est et in monasterium missus. An. 752.

MONITUM

IN GESTA DAGOBERTI.

HÆC *Gesta ex codice ms. Bibliothecæ Alexandri Pictavii Senatoris Paris. primus edidit Andreas Chesnius tom.* 1. *Script. Franc. pag.* 572. *Ea quoque vulgavit ex codice ms. Bibliothecæ Salanæ Burcardus Gotthelfius Struvius in Fasciculo primo Actorum Litterariorum ex manuscriptis erutorum. Non tantùm Dagoberti, sed etiam filii ejus Chlodovei Vitam continent. Horum Auctorem, qui Monachus erat S. Dionysii, contemporaneum facit Chesnius : illum etiam sub Chlodoveo secundo vixisse putat Petrus de Marca lib.* 1. *Histor. Bearniæ cap.* 26. *Verùm Auctor ipse cap.* 42. *se multò juniorem prodit, cùm Chartam,* quam beatus Audoënus Episcopus scripserat, *vetustissimam appellat. Hinc Valesius, Cointius et Felibianus illum ineunte sæculo nono floruisse existimant. Monachus iste rebus tam fabulosis tàmque vero abhorrentibus suam maculavit historiam, ut non immeritò à quibusdam* Anonymus fabulator *vocetur, nullamque fidem vix mereatur, nisi in iis quæ à Fredegario mutuatur. Non dubitandum tamen est, quin ipsi donationes, quas monasterio S. Dionysii à Dagoberto factas refert, notæ atque perspectæ fuerint, cùm earum exemplaria in Archivo hujus monasterii sua ætate servari testetur. Editionem Chesnianam sequimur, quam cum codice Bibliothecæ Salanæ et cum alio codice ms. monasterii S. Remigii Remensis comparamus.*

GESTA
DOMNI DAGOBERTI
REGIS FRANCORUM,
FILII CHLOTHARII II.

Scripta à Monacho Cœnobii sancti Dionysii.

INCIPIUNT CAPITULA ISTIUS LIBELLI.

I. De Clothario patre Dagoberti.
II. De infantia Dagoberti.
III. De beato Dionysio Martyre, et sociis ejus, et Ecclesia quam beata Genovefa super ipsos construxerat.
IV. De cervo, qui insequente Dagoberto in ædem Martyrum fecit confugium.
V. De morte matris Dagoberti.
VI. De Sadregiselo Duce, quomodo eum Dagobertus dehonestaverit.
VII. Quomodo Sadregiselus dehonestatus Clothario se obtulit, et quomodo Dagobertus in ædem prædictam Martyrum confugium fecit.
VIII. Quomodo Clotharius Missos, qui eum inde abstraherent, miserit.
IX. Quomodo Dagoberto in somnis Martyres apparuerunt.
X. Quomodo Clotharius per semetipsum exinde abstrahere voluerit, et minimè potuerit.
XI. Quomodo Clotharius filio culpam ignoverit, et eumdem locum venerabiliter honoraverit.
XII. Quomodo Clotharius Dagobertum consortem regni fecerit.
XIII. Quomodo Dagobertus Gomatrudem in conjugium acceperit, et qualiter inter ipsum et patrem orta contentio fuerit.
XIV. Quomodo Dagobertus à patre in Austria directus contra Bertoaldum pugnaverit, et qualiter Clotharius ei in auxilium veniens ipsum Bertoaldum interfecerit.
XV. De morte Clotharii Regis, et qualiter ei Dagobertus in regnum successit.
XVI. De Hirberto fratre Dagoberti, et qualiter ei Dagobertus partem regni concesserit.
XVII. Quomodo Dagobertus Rex sanctorum Martyrum Dionysii sociorumque ejus corpora requisierit, atque Ecclesiam ornaverit, et de absida infra quam requiescunt, qualiter eam desuper ex argento cooperuerit.
XVIII. Quomodo de teloneo ex Massilia centum solidos in luminaribus ipsius Ecclesiæ annuatim concesserit.
XIX. De gazophylacio quod ante cornua altaris ipsius Ecclesiæ fieri jussit, et annuatim inibi centum solidos solvi præcepit.
XX. De cruce aurea, quam idem Rex inibi fieri jussit.
XXI. De ingressu ipsius in Burgundiam, et timore Procerum, et gaudio pauperum, seu morte Brunulfi.
XXII. Quomodo Gomatrudem reliquerit, et Nanthildem in conjugium sumpserit.
XXIII. Qualis idem Rex Dagobertus fuerit.
XXIV. Quomodo Ragnetrudem stratu suo adsciverit, et filium ex ea genuerit : et qualiter legationem ad Heraclium Imperatorem direxerit.
XXV. De morte Hariberti, et quomodo Dagobertus regnum et thesauros ipsius suæ ditioni redegerit.
XXVI. De morte Landegiseli, qui fuerat germanus Nanthildis Reginæ.

XXVII. De initio scandali inter Dagobertum Regem Francorum, et Samonem Regem Sclavorum.

XXVIII. De contentione Avarorum et Bulgarorum, et qualiter Dagobertus Bulgares qui ad eum venerant interfici jusserit.

XXIX. De morte Sisebodi Regis Hispaniæ, et de missorio aureo quem Sisenandus Dagoberto Regi promiserat.

XXX. Quomodo Dagobertus contra Winidos cum exercitu perrexit, et qualiter Saxonibus tributum indulserit.

XXXI. Quomodo Dagobertus Sigebertum filium suum in regnum Austriæ sublimavit.

XXXII. Quomodo Hludowicus eidem ex Nanthilde natus fuerit, et qualiter inter ipsum et Sigebertum regnum suum diviserit.

XXXIII. Quomodo Ecclesiæ Christi Martyrum Dionysii ac sociorum ejus quasdam arcas infra extraque Parisius atque portam ipsius civitatis cum omnibus teloneis contulerit.

XXXIV. Quomodo annuale mercatum, quod fit post festivitatem Martyrum, Fratribus inibi commorantibus concesserit.

XXXV. De morte Sadregiseli, et quomodo Rex omnes res ipsius, quæ ad fiscum receptæ fuerant, supradictæ Ecclesiæ tradiderit.

XXXVI. De exercitu quem in Wasconiam transmisit.

XXXVII. Quomodo de quibusdam villis Ecclesiam supradictorum Martyrum heredem fecerit, et qualiter fratribus inibi consistentibus ex Ducatu Cinnomannico centum vaccas annis singulis concesserit.

XXXVIII. Quomodo ad Judicaila Missos suos in Britanniam transmiserit.

XXXIX. Quomodo omnia penè Monasteria regni sui per suum testamentum ditaverit, per quod etiam Brunadum villam S. Dionysio tradidit.

XL. Quomodo plumbum ipsi ex metallo censitum ad cooperiendam Ecclesiam donaverit.

XLI. Quomodo Wascones cum suo Duce ejus se ditioni subdiderunt.

XLII. De obitu Dagoberti Regis, et quid in infirmitate ipsa positus fecerit.

XLIII. De sepultura ipsius in Ecclesia C. Dionysii, et qualiter ibidem psallentium ordinem adhuc vivens instituerit.

XLIV. De legatione Ansaldi, et revelatione cujusdam servi Dei qualiter animam Regis Dagoberti Sancti Dei liberaverint.

XLV. De Hludowico filio ipsius, quomodo illi in regnum successerit.

XLVI. De thesauris ipsius, quo ordine inter filios divisi sint.

XLVII. De morte Pippini et Ega, qui fuerant Consiliarii Regis Dagoberti.

XLVIII. De Erchinoaldo et Flaucato, qui post Egam Majores-domûs fuerunt.

XLIX. De testamento Nanthildis Reginæ, et morte ipsius.

L. De Hludowico, qualiter præcepta quæ pater suus sancto Dionysio tradiderat renovaverit, et quomodo argentum supradictæ absidæ pauperibus largiri jusserit.

LI. De eo quòd præfatum locum idem Rex Hludowicus à dominatione Parisiaci Antistitis per privilegium et confirmationem sanctorum Episcoporum liberaverit.

LII. De eo quòd os brachii S. Dionysii fregit, et ob hoc priùs sensum et posteà vitam cum regno amisit.

A

GESTA DAGOBERTI

FRANCORUM REGIS.

B

DAGOBERTUS I.

I. QUartus ab Chlodoveo (a) qui primus Regum Francorum ad cultum Dei, docente beato Remigio Remensi Episcopo, conversus est, Chlotarius filius Chilperici regnum sortitus est. Qui elaborata à majoribus dignitate potius, cùm et plurima strenuè gesserit, tum præcipuè illud memorabile suæ potentiæ posteris reliquit indicium, quòd rebellantibus adversùm se Saxonibus, ita eos armis perdomuit, ut omnes virilis sexûs ejusdem terræ incolas, qui gladii, quem tum fortè gerebat, longitudinem excesserint (b), peremerit : quippe ut junioribus tumoris ausum recordatio illius vitalis seu mortiferi gladii amputaret. Tanta cum Francorum potentia, tanta Regum animositas erat. Quomodo autem aut qualiter hoc peregerit, in subsequentibus suo ordine pleniùs intimabitur. Fuit nempe idem Rex Clotharius patientiæ deditus, literis eruditus, timens Deum, Ecclesiarum et Sacerdotum magnus ditator, pauperibus eleemosynam tribuens, benignum se omnibus C et pietate plenum ostendens, belligerator insignis, venationibus ferarum nimiùm assiduè utens.

II. Huic fuit filius, nomine Dagobertus, quem ex Bertedrude (c) Regina susceperat, qui patri succederet et industriâ dignus et viribus. Hic denique in annis puerilibus positus, traditus est à genitore venerabili ac sanctissimo Arnulfo Metensium urbis Episcopo, ut eum secundùm suam sapientiam enutriret, eique tramitem Christianæ Religionis ostenderet, atque ei custos (d) et bajulus esset. Cùm autem adolescentiæ ætatem, ut genti Francorum moris est, venationibus exerceret, agere (e) cervum quadam die instituit. Qui facilè repertus, oblatrantibus atque certatim insequentibus canum agminibus, ea pernicitate qua illud animal fertur, silvas montesque, et si qua occurrêre flumina, transcurrens, canum industriam effugere conabatur. Tandem ergo victus ad vicum, qui Catulliacus (f) dicitur, se contulit. Hic D ab urbe, qaæ Lutetia sive Parisius vocatur, quinque fermè millibus abest. Siquidem in ea urbe Reges Francorum maximè sceptra tractare consueverant.

III. In eo sanè vico temporibus Domitiani, qui secundus ab Nerone in Christianos arma corripuit, primum memoratæ urbis Episcopum beatissimum Dionysium, cumque eo Rusticum et Eleutherium, quorum alter Presbyter, alter Diaconus erat, pro Christi nomine in prospectu ipsius civitatis interemptos quædam materfamilias, vocabulo Catulla, à qua et vico deductum nomen dicunt, quia palam non audebat, clam sepulturæ mandavit. Signavit tamen loculum (g), ut rei gestæ junioribus constaret notitia. Sic incomparabilis thesaurus diu latuit, nec præter famam locus ille quicquam habebat conspicuum. Et quamvis quædam inibi ab anterioribus Regibus propter assidua, quæ ibidem agebantur miracula, conlata fuissent ; tamen quia locus ipse eo tempore sub potestate Parisiaci Antistitis constitutus erat, et cui vellet Clericorum, eum jure beneficii tradebat : illeque, cui E concedebatur, non honestatem loci, sed terrenum lucrum, quemadmodum in quibusdam locis hodieque cernitur, sibi inde in proprios usus accumulari videbatur : ob hoc, ut diximus, locus ille nimiùm negligebatur. Vilis quippe tantùm (h)

(a) Codex Sal. *à Hlodovæo*. Mox, *Hlotharius filius Hilperici*. Sic semper *Hlotharius*.

(b) Codd. Remig. et Sal. *excessissent*.

(c) Cod. Remig. *Bertrude*. Sal. *Bertechrude*. Et sic. infrà.

(d) Iidem codd. *ejus custos*. Bajuli nomine hîc præfectus morum designatur. Lupus Ferrar. Epist. 64. *Non admittantur à vobis monitores, quos Bajulos vulgus adpellat*.

(e) Quæ hîc de cervo in Ecclesiam admisso, exclusis canibus, de Sadregisilo Duce, illataque ipsi à Dagoberto injuria, de Dagoberti fuga, ejusdemque cum patre in gratiam reditione narrantur, ea fictitia esse consentiunt eruditi. Vide Hadr. Valesium lib. 18. Rer. Franc. pagg. 18. et 19.

(f) *Catulliacus*, seu *Catolacus* vicus, ubi monasterium S. Dionysii, quod oppido nomen dedit.

(g) Codd. Remig. et Salan. *locum*.

(h) Jam ante tempora Dagoberti illustris erat hæc Ecclesia tumulo Dionysii Martyris, ut probat Hadr.

A ædicula, quam, ut ferabatur, beata Genovefa super sanctos Martyres devotè construxerat, tantorum Martyrum corpora (a) ambiebat, quoad, sicut in processu expediam, profuturum orbi eorum nomen enituit ; et procurante Deo, ad singularem excellentiam locus, qui tam magnis, tam certis, tam denique antiquis illustrabatur, quamvis occultè, patronis, provectus est.

IV. Sed ut ad propositum redeam, cervus diu huc illucque per vicum oberrans, ædem beatorum Martyrum ingreditur, seque ibi componit. Instabant canes, et licèt idem eis, quod et cervo, pateret ostium, et qui eos abigeret, nemo visibilium custodum adesset, attamen sancti Martyres suum domicilium non patiebantur immundorum violari ingressu. Videres hinc cervum tutum reperisse perfugium, inde canes ejus præsentiam latratibus indicare, seque ab introitu ædis divina virtute arceri. Dagobertus citato cursu pervenit, rem spectaculo dignam admiratur, stu-
B pet, amplectitur. Finitimos tum rumor iste vulgò sollicitat, et cùm maximè Dagobertum, tum etiam eos ad amorem et venerationem Sanctorum instigat. Et ut verè fatear, ut ex gestis postmodùm claruit, nullus Dagoberto locus aut dulcior, aut jocundior fuit.

V. Igitur anno XXXVI, regni Clotharii, Bertedrudis Regina mater (b) Dagoberti moritur, quam unico amore Clotharius dilexerat, et omnes Duces bonitatem ejus probantes vehementer amaverant. Post cujus obitum Clotharius Rex aliam accepit uxorem, nomine Sichildem, de qua habuit filium, nomine Hairbertum. An. 619.

VI. Itaque Dagobertus sic probitate, ut ætate, in dies crescebat, spemque futuri Regis optimam subindè (c) indiciis operum ingerebat. Et pater Clotharius quendam, ut putabat, spectatæ fidei Sadregisilum rebus sub se tractandis præfecerat, Aquitaniæ Ducatu specialiter ei commisso. Hic tanto dignitatis fastu elatus,
C Regis filium Dagobertum partim collatæ potestatis superbia, partim spe regni laborans, non æquo animo prosperiùs agere ferebat. Nec quid moliretur, simulato saltem amore, obtegere diu valuit. Sed quia metu patris manifestus (d) non poterat, occultum se ei inimicum crebro contemptu aperuit. Excusatio sanè juvenilis erat ætatis, ne rubis adhuc animus tumorem ex subjectione Principum contraheret, ne dominatione (e) immaturè adepta fastigia impubem ab exercitationis studio revocarint. Fit igitur ad Dagobertum tam invidiosa relatio. Et quamvis sua ipse industria id jam deprehendisset, aliorum sententiâ in rem pleniùs inducitur. Verùm, quia eum in ordinem redigere non sufficeret, duxit satius opportunitatem opperiri, qua et causam efficaciùs exploraret, et in æmulum quod meruisset temptaret. Clotharius igitur quadam die venatum iit, longiùsque fortè recessit. Contigit autem et
D Dagobertum, et memoratum Ducem domi recedisse. Tum Dagobertus exoptabilem sibi nactus occasionem, Ducem ad se evocat, jubetque secum prandere. Ille nihil minùs quàm quod futurum erat cogitans, remissiùs (f) habere, et futuro, imò jam domino debitum honorem non exhibere : terque ab eo porrecta sibi pocula, dignus in quem prioris contumaciæ vindicta recideret, non sicut à domino, sed velut à socio infaustè oblata præsumit. Deinde Dagobertus, ut patri infidelis, ut sibi æmulus, utque sociis invisus foret, orsus est exponere, non oportere serviles quidem molestias diu differri, et ne in immensum tumorem tanti fastus procederent, suas injurias non ulcisci. Flagellis ergo eum adfici imperat. Post verò barbæ rasione (ea enim tum præcipua erat injuria) deturpat. Sic ex improviso qui secundarum rerum successu futurum se Regem auspicabatur, quàm longè ab illa dignitate abesset, admonitus intellexit.

VII. Revertenti igitur Clothario hiis contumeliis dehonestatus Sadregisilus (g) se offert, et quid (h) prætereà, quæ palam erat passus, vel à quo fuerat, inlacrymans indicat. Rex itaque Ducis sui motus injuriis, filioque multa furibundè in-

Valesius in disceptatione de Basilicis cap. 8. Jam ibi erat monasterium, cui Dodo Abbas præerat, anno 43. Chlotharii, qui annus ejus regni ac vitæ penultimus fuit. Nam eo anno Theodetrudis sive Theodila, præpotens matrona, multa prædia largita est *Dodoni Abbati et fratribus ejus, basilicæ sancti Dionysii deservientibus*, apud Dubletum pag. 653.

(a) Ita codd. Remig. et Sal. Malè in Edit. *non ambiebat*.

(b) Valesius lib. 18. Rer. Franc. pag. 15 censet Bertetrudem non Dagoberti matrem fuisse, sed Chariberti. Et certè Sichildis Chariberti mater haberi non potest. Nam Chlothario non nupsit nisi post mortem Bertetrudis, quæ 36 regni Chlotharii anno contigit, Christi 619. At Charibertus obiit anno 630. relicto parvulo filio, nomine Chilperico. Jam igitur anno ætatis undecimo filium procreasset, si matrem Sichildem habuisset. Quod quis dixerit ?

(c) Cod. Remig. *sub indiciis*.

(d) Cod. Sal. *manifestò*.

(e) Codd. Remig. et Sal. *ne dominationis immaturæ adepta*. Paulò pòst deest *igitur*.

(f) Cod. Sal. *remissiùs habet* [*futuro*] *immò jam domino debitum honorem exhibere*.

(g) Aliàs *Sadregiselus*.

(h) Cod. Sal. *et quidem præter ea*.

DAGOBERTUS I.

terminans, accersiri eum ad se jubet. Quo præcognito, Dagobertus, quia (a) resistere nec fas nec possibile erat, in eo se illi obniti posse justè credidit, si in ædem præfatam beatorum Martyrum iram patris (b) inclinans concederet. Iniit itaque tutissimam fugam, et quò se insequente cervum viderat, ipse quoque patre persequente se confert. Persuasum sibi hoc facto demonstrans, ut qui canes ab ingressu suæ ædis removerant, se quoque à Regis insectatione protegere possent. Nec spem eventus elusit. A

VIII. Quippe Clotharius ut eum Sanctorum tutelam expetisse audivit, adhuc in majorem tollitur iram, mittitque satellites qui inde eum abductum sibi ocissimè præsentarent. Maturabant illi quod fuerat jussum implere. Cùmque ad sanctum locum tendentes, non plus uno miliario abessent, ultrà aspirare viam tendentes divino nutu prohibentur. Redeunt ad dominum, et quid passi fuerant pandunt. Quorum fidei derogans, quippe qui suo imperio amorem filii prætulissent, delegit alios, qui quod hi neglexerant sagaciter implerent. Rursum illi similia patiuntur, et regressi eandem rem iteratò ingeminant. Sed nec sic animositas Regis deferbuit, et quod per ministros nequiverat, per se implere contendit. B

IX. Intereà dum hæc aguntur, Dagobertum Martyribus humili corde prostratum somnus repentè corripit. Eique prono ita conjacenti adstant tres viri, et corporum liniamentis, et vestium nitore conspicui. Cùmque in eos stupefactus intenderet, unus eorum, qui socios præstare veneranda canicie et auctoritate videbatur, sic eum affatus est : *Scias, ô juvenis, nos esse, quos pro Christo passos fama asseverante audisti, Dionysium, Rusticum et Eleutherium, et nostra hîc corpora tegi. Sed quia famam nostram sepultura* (c), *quam vides, et domûs hujus vilitas obscuravit; si memoriam nostri te ornatum ire promittis, hac te possumus quam pateris liberare angustia, et in cunctis auxiliante Deo præstare suffragium. Et ne putes somnii te illusum fantasia, accipe signum veritate subnixum. Egesta humo, qua monumenta nostra teguntur, quem quod sepulcrum contineat, literæ in singulis expressæ docebunt.* Ilicò expergefactus nomina quæ audierat describit, et ex Martyrum alloquio ingenti exultatione tripudians, vota se, quod posteà studiosissimè reddidit, obligat. C

X. Posthæc Clotharius filium, ut prætuli, à Sanctorum memoria per se avellere cupiens, comitantibus plurimis adpropinquabat. Sed quia non minùs in Reges quàm in alios homines divina quod vult exercet potentia, qui inertes alios arguerat, fit ipse iners. Ut manifestè intelligeret, quamvis ipse esse potens, potentioribus concedendum (d). Quippe Martyres fugitivum tuebantur, et econtrà hostes longè à suis penetralibus arcebant.

XI. Victus ergo Clotharius, et rei magnitudine stupefactus, ponit furorem, filioque redit in patrem, ignoscit culpam, de securitate pollicetur. Ita demùm abeundi copia concessa, ædi beatorum Martyrum succedit, eosque patronos humili prece asciscit, quorum expertus fuerat manifestum virtutis indicium, utque quàm probata sibi eorum merita essent agnovit, plurimùm auri et argenti ad exornandas eorum memorias obtulit, et ad exaltandam loci magnificentiam numerosa et optima prædia dedit. D

Fredeg. Chron. c. 47. An. 622.

XII. Anno verò XXXIX. regni sui Clotharius Dagobertum filium suum consortem regni facit, eumque super Austrasios Regem statuit, retinens sibi quod Ardenna et Vosagus versùs Neustriam et Burgundiam excludebant.

Id. c. 53. An. 625.

XIII. Igitur anno XLII. regni Clotharii Dagobertus cultu regio ex jussu patris honestè cum Ducibus Clippiaco procul (e) Parisius venit. Ibique germanam Sichildis Reginæ, nomine Gomatrudem, in conjugium accepit. Transactis itaque nuptiis, die tertia inter Clotharium et filium ejus Dagobertum gravis orta fuit intentio (f). Petebatque Dagobertus, ut cuncta quæ ad regnum Austrasiorum pertinebant suæ ditioni reciperet. Sed Clotharius vehementer denegabat, eidem ex hoc nihil volens concedere. Electis igitur ab his duobus Regibus duodecim Francis, ut eorum disceptatione hæc finiretur intentio, inter quos et domnus Arnulfus Pontifex Mettensis cum reliquis Episcopis eligitur, ut benignissimè, sicut sua erat sanctitas, inter patrem et filium pro pacis loqueretur concordia. Tandem à Pontificibus vel sapientissimis viris Proceribus pater pacificatur cum filio : reddensque ei E

(a) Codd. Remig. et Sal. *ad se jubet..... quia patri resistere.*
(b) Cod. Sal. *iram Principis declinans.*
(c) Codd. Remig. et Sal. *sepulturæ.*
(d) Cod. Sal. *cedendum.*
(e) Idem, *non procul.* Vide Chron. Fredegarii cap. 53. unde hæc desumta sunt.
(f) Codd. Remig. et Sal. *contentio.*

A solidatum, quod aspiciebat ad regnum Austrasiorum ; hoc tantùm exinde, quod citra Digerim vel Provinciæ partibus situm erat, suæ ditioni retinuit.

DAGOBERTUS I.

XIV. Dagobertus itaque pulcherrimus juvenis, efficax atque strenuus, in omnibus sollerter ingeniis probatissimus, cum Pippino Duce in (a) Austria regnaturus à patre dirigitur. Austrasii verò Franci superiores congregati in unum, Dagobertum super se Regem statuunt. In illis quoque diebus Saxones nimiùm rebelles cum Bertoaldo duce commoverunt exercitus gentium plurimarum contra Dagobertum Regem Austrasiorum. Dagobertus verò et ipse, collecto hoste plurimo, Renum transit, contra Saxones ad pugnam exire non dubitat. Illisque valde pugnantibus, Dagobertus super (b) galea capitis sui percussus est, atque abscissa particula de capite cum capillis ad terram decidit. Adtira (c) autem armiger ejus à retro stans collegit eam. At ille læsum cernens exercitum suum, dixit ad ipsum juvenem : *Gesta Reg. Franc. c.* 41.

B *Perge velociter festinus deferens crines capitis mei, nuntia patri meo, quatinus veniens succurrat nobis, antequàm cunctus corruat exercitus.* Qui statim cursum arripiens, Renum transiit, atque in Ardennam silvam, eò quòd Rex Clotharius eo tempore inibi moraretur, Longolarium (d) usque pervenit. Cùmque nunciasset ea quæ contigerant, et deferens Regi abscissam particulam de capite filii sui adpræsentasset, Rex nimio dolore commotus, cum strepitu tubarum, et exercitu Francorum illicò de nocte consurgens, velociter Renum transiit, atque in auxilium filii sui celerrimè pervenit. Cùmque simul conjuncti in unum hilari corde manibus jocundissimè plauderent, supra Wisera (e) fluvium tendentes, fixêre tentoria. Berthoaldus verò Dux Saxonum ex alia parte ripæ fluminis stans, paratus ut ad pugnam procederet, audiens tumultum Francorum interrogabat quid hoc esset. At illi responderunt, di-

C centes : *Dominus Clotharius Rex advenit, et ob hoc lætantur Franci.* Quibus respondit cum cachinno dicens : *Formidantes vos nimiùm, mentimini delirantes. Clotharium enim, quem vobiscum habere dicitis, nos mortuum esse auditum habemus.* Rex autem super ripam fluminis stans, galea induto capite, crinesque cum canitie variata obvolutos habens, et hæc audiens, galeam celerrimè a suo capite deposuit. Cùm nudatum à galea apparuisset caput Regis, agnovit eum Bertoaldus Regem esse, et irridens ait : *Tu hîc eras* (f) *bale jumentum?* Rex verò hæc audiens, valde indignatus, et hoc convitium graviter ferens, Wisera fluvium impatienter ingressus, cum equo velocissimo transnatavit, atque ferus ut erat corde, Bertoaldum persequebatur. Francorumque exercitus sequentes Regem, natando vix fluvium cum Dagoberto transibant per gurgites immensos. Rex itaque Clotharius persequutus Bertoaldum, certabat valde cum eo. Dixitque ei Bertoaldus : *O Rex, recede à me, ne fortè*

D *interficiam te. Qui si prævalueris adversùm me, ita omnes homines dicent, quòd servum tuum Bertoaldum gentilem interemeris. Si autem ego interfecero te, tunc rumor magnus in cunctis gentibus audietur, quòd fortissimus Rex Francorum à servo sit interfectus.* Rex verò nequaquam adquievit dictis ejus, sed fremens ira, magis magisque insurgebat super eum. Equites itaque à longè sequentes Regem, clamabant dicentes : *Confortare contra adversarium tuum, domine Rex.* Erantque manus Regis valde graves : erat enim Rex loricatus, et aqua sinum ejus, dum transnataret fluvium, replens, indumenta omnia nimiùm adgravaverat. Sed diu multùmque decertantes, tandem insurgens Rex super Bertoaldum, interfecit eum. Tollensque caput ejus in conto, reversus est ad Francos. Illique lugentes, (nesciebant enim quid Regi contigisset) viso eo gavisi sunt gaudio magno. Rex verò totam terram Saxonum devastans, et om-

E nem populum interficiens, non ibidem majorem hominem viventem reliquit, quàm longitudo gladii sui, quem spatam vocant, habere videbatur. Hoc itaque signum in regionem illam statuit, scilicet ut posteri discerent, quanta Saxonum perfidia extiterit, et quanta Francorum polleret potentia, quantaque Regum provocata prævaleret animositas.

XV. Anno igitur XLV. regni sui Clotharius magnus Rex moritur, et suburbano Parisius in Ecclesia sancti Vincentii sepelitur. Dagobertus ergo audiens genitorem suum defunctum, universis Principibus, quibus imperabat in Austria, jubet exercitum *Fredeg. cap.* 56. An. 628.

(a) Sic habent iidem codd. Malè in Edit. *in Hoste.*
(b) Iidem, *super galeam... de capite ejus.*
(c) Cod. Remig. *Adthyra.* Sal. *Attira.* Vide quæ suprà notavimus ad cap. 41. Gestorum Franc. unde hæc desumta est fabula.
(d) Vicus est in diœcesi Leodicensi, non procul à monasterio S. Huberti : qui vicus nunc truncato nomine *Glare* vocatur.
(e) Cod. Sal. *supra Wisseram.*
(f) *Bale jumentum,* hoc est, animal falsarium vel perfidum. *Bal* enim falsatorem significat. Unde *Ballomer,* pseudo-princeps.

DAGOBERTUS I.

promovere, missosque in Burgundiam et Neustriam dirigit, ut regni ei regimen indubitanter deberent statuere. Cùmque Remis pervenisset, suggestio (a) peraccedens, omnes Pontifices et Duces de regno Burgundiæ inibi se tradidisse noscuntur. Sed et Neustrasii Pontifices et Proceres, plurimaque pars regni, Dagobertum visi sunt expetisse, A

XVI. Hairbertus autem frater ejus nitebatur si posset regnum assumere. Sed illius voluntas pro simplicitate parùm sortitur effectum. Brunulfus (b) verò, qui frater fuerat Sichildis Reginæ, volens nepotem suum Hairbertum stabilire in regnum, adversùs Dagobertum muscipulare (c) cœperat. Sed hujus rei vicissitudinem posteà probavit eventus. Cùmque regnum Clotharii, tam Neptricum, quàm Burgundia, à Dagoberto fuisset occupatum, captis thesauris et suæ ditioni redactis, tandem misericordia et pietate motus, consilio sapienti usus, citra Ligerim et limitem quod (d) tenditur partibus Wasconiæ, seu et montes Pyrenæos, pagos et civitates, quod fratri suo Hairberto ad transagendum, et ad instar privato habitu convivendum posset sufficere, placuit concessisse : pagum scilicet Tolosànum, Caturcinum, Agennensem, Petrogoricum et Sanctonicum, vel quod ab his versùs Pyrenæos montes excluditur ; hoc tantùm Hairberto fratri suo regendum concessit : quod et per pactionis vinculum firmavit, ut ampliùs Hairbertus nullo tempore adversùs Dagobertum de regno patris repetere præsumeret. Hairbertus verò sedem Tolosanam eligens, regnabat in partibus provinciæ Aquitaniæ. Qui post annos tres cùm regnare cœpisset, totam Wasconiam cum exercitu superans suæ ditioni redegit, et aliquantulum regni sui spatium (e) largiorem fecit.

Id. c. 57.

An. 630.

B

XVII. Dagobertus denique, Deo annuente, regnum paternum retinens, inter alia quæ laudabiliter gessit, memor voti jam dicti, accessit ad suprà memoratum locum ; et sicut in somnis præmonitus fuerat, sanctorum Martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii corpora requirens, digesta eorum in sarcophagis nomina repperit, quæ et in alium ejusdem vici locum summa cum veneratione x. Kal. Maias transtulit, eorumque memorias auro puro et pretiosissimis gemmis exornavit. Et quamvis Ecclesiam, quam ipse à fundamento construxerat, intrinsecùs miro decore fabricavit, foris quoque desuper absidam illam, infra quam veneranda Martyrum corpora tumulaverat, ut pleniùs devoti animi expleret desiderium, ex argento purissimo mirificè cooperuit. C

XVIII. Nam et de proprio teloneo, quod ei annis singulis ex Massilia solvebatur, centum solidos in luminaribus ejusdem ecclesiæ eo tenore concessit, ut oleum exinde Actores regii, secundùm quod ordo cataboli esset, quasi ad opus Regis studiosè emerent, et sic demum missis ipsius loci annuatim traderent. Præceptumque exinde taliter firmare studuit, ut tam in ipsa Massilia, quàm Valencia, Fossas (f), et Lugdunum, vel quocumque per reliqua loca transitus erat, omne teloneum de sex plaustris, quibus hoc videbatur deferri, usquequò ad ipsam basilicam peraccederent, omnimodis esset indultum. D

XIX. Gazofylacium quoque ante cornu altaris ejusdem Ecclesiæ ex argento fieri jussit, ut introducta ab offerentibus alimonia, per manum Sacerdotis ipsa pauperibus erogaretur substantia, quatinus juxta illud Evangelicum hujuscemodi eleemosyna fieret abscondita ; et omnipotens Dominus, qui occulta omnia conspicit, centuplicata in æterna retributione unicuique restitueret. In quo etiam centum solidos annua inlatione idem Rex pro æterna recompensatione intromitti * de Kalendis in Kalendas Septembris destinavit, indeque tale præceptum edidit, ut deinceps tam ipse quàm filii sui, vel qui postmodùm Reges Francorum succederent, recurso anni circulo, præfinitum solidorum numerum ex ærario publico inibi inferre tempore inlibato non obmitterent. Ipsi autem centum solidi non alibi, nisi in omnibus distribuerentur pauperibus ; nullusque hoc præsumeret abstrahere : sed quamdiu regnum consisteret, à Regibus succedentibus suo tempore in prædicto gazofylacio inferrentur, ut de ipsa collatione, et quod Dominus ab aliis hominibus ibidem voluisset adhuc augeri, pauperes et peregrini exinde valerent per inconvulsa tempora recreari.

* *al.* immiti.

E

XX. Crucem etiam magnam, quæ retro altare aureum poneretur, ex auro puro

(a) Legendum, *Suessionas peraccedens*. Vide Fredegarii Chronicon cap. 56.

(b) Valesius loco suprà citato vult Brunulfum fratrem fuisse Bertetrudis.

(c) Cod. Remig. *muscipulam receperat*.

(d) Idem, *qui tenditur*. Infrà *Petrocoricum*.

(e) Cod. Rem. *spatium longius*. Sal. *spatia largiora*.

(f) *Fossæ*, nunc vicus *Fos* dictus, quem à Fossis Marianis proximis nomen accepisse putat Valesius in Notitia Gall. pag. 316.

et

A et preciosissimis gemmis insigni opere ac munitissima artis subtilitate fabricari jussit, quam beatus Eligius, eò quòd illo in tempore summus aurifex ipse in regno haberetur, cùm et alia, quæ ad ipsius basilicæ ornatum pertinebant, strenuè præpararet eleganti subtilitatis ingenio, sanctitate opitulante, mirificè exornavit. Nempe moderniores aurifices asseverare solent, quòd ad præsens vix aliquis sit relictus, qui quamvis peritissimus in aliis extet operibus, hujuscemodi tamen gemmarii et inclusoris subtilitate valeat per multa annorum curricula, eò quòd de usu recesserit, ad liquidum experientiam consequi. Nam et per totam ecclesiam auro textas vestes, margaritarum varietatibus multipliciter exornatas, in parietibus et columnis atque arcubus suspendi devotissimè jussit : quatinùs aliarum ecclesiarum ornamentis præcellere videretur, et omnimodis incomparabili nitore vernans, omni terrena pulcritudine compta, atque inæstimabili decore irradiata splendèsceret. Utque divina laus B perpetuò à Dei cultoribus ibidem ageretur, plurima et ingentia prædia addidit. DAGOBERTUS I.

XXI. Igitur cùm jam anno VII. in maximam partem paterni regni, ut suprà memini, regnaret, plurimorum comitatu vallatus, Burgundias ingreditur. Tantum autem timorem Pontificibus et Proceribus in regno Burgundiæ consistentibus, seu et ceteris Ducibus, adventus ipsius incusserat, ut cunctis esset admirandus. Pauperibus namque justitiam quærentibus gaudium vehementer irrogaverat. Cùmque Lingonas civitatem venisset, tantam universis sibi subditis tam sublimibus quàm pauperibus judicabat justitiam, ut crederetur omninò fuisse Deo placabilis. Apud quem nullum intercedebat præmium, nec personarum acceptio, sed sola dominabatur justitia, quam diligebat Altissimus. Deinde Divionna, immòque Latona residens aliquantis diebus, tantam intentionem cum universo regni sui populo justitiæ judicandæ posuerat, ut hujus benignitatis desiderio plenus, nec somnum caperet, nec cibo C satiaretur : intentissimè cogitans, ut omnes cum justitia recepta de conspectu suo remearent. Eodem autem die quo ab Latona Caballonnum (a) deliberare properat, priusquàm lucesceret, balneum ingreditur, ibique Brunulfum avunculum fratris sui Hairberti propter infidelitatem suam interfici jussit. Qui ab Amalgario et Arneberto Ducibus, et Willibado Patricio interfectus est. *Fredeg. c.* 58. An. 628.

XXII. Cùmque Caballonnum justitiæ amore quæ cœperat, perficienda ipsa intentione pergeret, pòst per Augustidunum (b) Autissiodorum pergens, indeque per civitatem Senonas, Parisius venit. Ibique Gomatrudem Reginam Romiliaco villa, eò quòd esset sterilis, cum consilio Francorum relinquens, Nanthildem quamdam speciosissimi decoris puellam in matrimonium accipiens, Reginam sublimavit. Usque ad illud tempus, ab initio quo regnare cœperat, consilio primitus beati Ar- D nulfi Mettensis urbis Pontificis, et Pipini Majoris-domûs usus, tanta (c) prosperitate regale culmen in Austria regebat, ut à cunctis gentibus immensi honoris laudem haberet. Timorem verò tam fortem sua concusserat judicialis potentia, ut etiam devotione concurrerent ejus se tradere ditioni : quatinus gentes etiam, quæ circa limitem Avarorum et Sclavorum consistunt, eum promptè expeterent, ut ille post tergum eorum iret feliciter, in tantum ut Avari et Sclavi, ceterarumque gentium nationes manu publica ipsius ditioni se subiciendas fiducialiter sponderent. Post discessum verò beati Arnulfi, adhuc consilio Pipini Majoris-domûs et Chuniberti Pontificis urbis Coloniæ utens, et ab ipsis fortiter admonitus, prosperitatis et justitiæ amorem complexùs, universarum sibi gentium subditarum, usque dum Parisii (d), ut suprà memini, pervenisset urbem, adeò favoribus extollebatur, ut nullus de præcedentibus Francorum Regibus illius laudibus fuisset præcellentior. Veniensque E ad veneranda sepulcra beatorum Martyrum Dionysii sociorumque ejus, Dominum precabatur, ut ea quæ cœperat, ipsis Martyribus intercedentibus, in eo vota perficeret. Ut autem eosdem Martyres sibi pleniùs conciliaret, * Stirpiniacum villam in pago Wilcassino præsentaliter per firmitatis suæ præceptum eorum basilicæ tradidit. *Ibidem.* * *Estrepigny.*

XXIII. Erat siquidem ipse præcellentissimus Princeps atque Rex Dagobertus satis admodùm cautus, et ingenio astutus, circa benivolos et sibi fideles mansuetus, rebellantibus verò seu perfidis nimiùm videbatur in regno terribilis. Qui optimè regalia sceptra gubernans, et piis semetipsum benignissimum exhibens, ut leo tamen fervidus rebellium colla deprimens, exterarum gentium feritatem, vallante forti-

(a) Cod. Remig. *à Latona Cabilonum deliberat properare.* Mox etiam, *Cabilonum.*
(b) Idem, *Augustudunum.* Cod. Sal. *Augustodunum.*
(c) Codd. Remig. et Sal. *tantæ prosperitatis..... ut jam devotione.*
(d) Cod. Remig. *Parisius.*

DAGOBERTUS I.

tudine animi, sæpissimè triumphabat. Ecclesiarum verò, et Sacerdotum atque pauperum, seu peregrinorum ditator supra modum largissimus, extiterat. Exercitiis viritim (a) et venationibus assiduè utens, in omni agilitate corporea strenuus atque incomparabilis erat. Nempe etsi aliqua more humano reprehensibilia circa Religionem, gravatus regni pondere, ac juvenilis inlectus ætatis mobilitate, minùs cautè secus quàm oportebat exegit, quia nemo in omnibus perfectus esse potest ; credendum est tamen quòd tantarum erogatio eleemosynarum, atque Sanctorum oratio, quorum memorias ornare, et basilicas ditare, ob redemptionem suæ animæ, supra omnes anteriores Reges incessanter studebat, apud misericordissimum Dominum ut hoc ei clementer indulgeret, facillimè impetrari posse.

Fredeg. c. 59. An. 629. XXIV. Denique anno VIII. regni sui, cùm Austriam regio cultu circumiret, mœstusque esset nimiùm, eò quòd filium, qui post eum regnaret, minimè habere potuisset ; quamdam puellam, nomine Ragnetrudem, stratu suo ascivit, de qua eo anno, largiente Domino, habuit filium, multis precibus atque eleemosynarum largitionibus adquisitum. Hairbertus itaque Rex frater ejus Aurelianis veniens, filium ipsius de sancto lavacro excepit. [Namque (b) dum eumdem puerum venerabilis vir Amandus Trajectensium urbis Episcopus benediceret, eumque catechumenum faceret, finitaque oratione, nemo de exercitu tantæ multitudinis respondisset, *Amen*, aperuit Dominus os pueri, qui non ampliùs quàm XL. dies à nativitate habebat, atque audientibus cunctis, respondit, *Amen*. Statimque eum regenerans sanctus Pontifex sacro baptismate, impositoque nomine Sigeberto, Reges et utrumque exercitum magno replevit Dominus gaudio atque admiratione, hujusmodi signo.] Igitur Ega quidam de primoribus cum ceteris Neustrasiis consilio Dagoberti erat assiduus. Eo anno Legati Dagoberti Regis, quos Eraclium Imperatorem direxerat, his nominibus, Servatus et Paternus, ad eum revertuntur, nunciantes pacem se cum Eraclio firmasse. Cùm autem esset Eraclius Imperator litteris nimiùm eruditus, peritissimus ad ultimum Astrologus efficitur. Qui cognoscens in syderum signis, quòd à circumcisis gentibus divino nutu ejus Imperium esset vastandum, ad Dagobertum Regem Francorum dirigit, petens ut omnes Judæos regni sui secundùm fidem Catholicam baptizari præciperet. Rex verò Dagobertus hac occasione nactus, et Dei zelo ductus, cum consilio Pontificum atque sapientium virorum omnes Judæos, qui regenerationem sacri baptismatis suscipere noluerunt, protinus à finibus regni sui pellere jussit. Et Rex quidem hoc summo peregit studio. Sed Eraclio non de Judæis, sed de Agarenis, id est Sarracenis circumcisis gentibus, fuerat denunciatum ; quoniam ab ipsis ejus Imperium postmodùm noscitur esse captum, atque violenter vastatum.

Idem. c. 67. An. 630. XXV. Anno itaque nono Regni Dagoberti, Hairbertus frater ejus moritur, relinquens parvulum filium, nomine Chilpericum : quippe etiam nec post moram defunctus est. Omneque regnum Hairberti unà cum Wasconia Dagobertus Rex protinus suæ ditioni redegit. Ad adducendos quoque thesauros Hairberti, et sibi præsentandos, Barontum quemdam Ducem direxit. Barontus autem grave dispendium fecisse dignoscitur, fideliter (c) unà cum thesauris furtum faciens, nimiumque exinde fraudulenter subtraxit.

XXVI. Eodem tempore germanus Nanthildis Reginæ nomine Landegiselus defunctus est, atque in ecclesia beatorum Martyrum Dionysii sociorumque ejus, jubente Rege, honorificè sepultus. Regina verò deprecante, ut pro sepultura sui fratris Alateum-villare situm in pago Parisiaco, basilicæ prædictorum Martyrum delegaret ; eò quòd prædictus Landegiselus, dum viveret, per Præceptum regale eamdem villulam promeruerat ; Rex libentissimè concedens annuit, Præceptumque insuper de supradicto Alateo-villare fieri præsentialiter jussit, atque propria firmitatis auctoritate subscripsit, et annuli impressione signari præcepit.

Idem. c. 68. XXVII. Eo igitur anno Sclavi, cognomento Winidi, quorum regnum Samo tenebat, negociatores Francorum cum plurima multitudine interficiunt, et rebus exspoliant. Hæc autem res fuit initium scandali inter Dagobertum Regem Francorum et Samonem Regem Sclavorum. Dirigens itaque Dagobertus Sicharium Legatarium ad Samonem, rogabat ut negociatores, quos sui interfecerant, et res eorum inlicitè usurpaverant, cum justitia faceret emendare. Samo autem nolens

(a) Cod. Sal. *viriliter*.

(b) Quæ uncinis includuntur, ea desumta sunt è Vita sancti Amandi à Baudemundo ejus discipulo scripta.

(c) Codd. Remig. et Sal. *infideliter unà cum thesaurariis*.

A Sicharium videre, Sicharius veste indutus ad instar Sclavorum, cum suis ad conspectum pervenit Samonis, atque universa quæ sibi fuerant injuncta, eidem nunciavit : de his et aliis contentionibus, quæ inter partes ortæ fuerant, rogans ut justitia redderetur in invicem, eò quòd Samo et populus regni sui Dagoberto Regi deberent servitium. Samo verò respondens jam saucius dixit : *Et terra, quam habemus, Dagoberti est, et nos sui sumus, si tamen disposuerit nobiscum amicitias conservare.* Sicharius dixit : *Non est possibile ut Christiani et Dei servi cum canibus amicitias conjungere possint.* Samo è contrario dixit : *Si vos estis servi Dei, et nos Dei canes, dum vos assiduè contra ipsum agitis, nos permissum habemus vos morsibus lacerare.* Statimque ejectus est Sicharius de conspectu Samonis. Cùmque hæc Dagoberto Regi nunciata fuissent, illicò jubet de universo regno Austrasiorum contra Samonem et Winidos movere exercitum. Igitur cum tribus turmis legionum super Winidos exercitus ingreditur. Etiam et Langobardi ad
B solatium Dagoberti hostiliter in Sclavos perrexerunt. Sclavi autem his et aliis locis se è contrario reparantes, Alamannorum exercitus cum Rodoberto Duce in parte qua ingressus est victoriam obtinuit. Langobardi item cum Dagoberto victoriam obtinuerunt, et plurimum numerum captivorum de Sclavis Alamanni et Langobardi secum duxerunt. Rex verò terram illam devastans, ad proprium regnum reversus est. DAGOBERTUS I.

XXVIII. Siquidem eodem anno inter Avaros, cognomento Chunos, et regnum Hispaniæ (a) vehemens surrexit contentio, eò quòd certarent inter se, cui deberetur regnum ad succedendum : altera pars ex Avaris, et altera ex Bulgaris. Collecta itaque multitudine, cùm utrique se invicem impugnarent, tandem ab Avaris Bulgari superantur. Qui devicti, novem millia cum uxoribus et liberis de Pannonia expulsi, Regem Dagobertum expetunt, petentes ut eos in terram Francorum ad manendum
C reciperet. Rex autem ad hiemandum eos in Bajuvariam recipere præcipit, dummodò pertractaret cum Francis quid exindè faceret. Cumque dispersi per domos Bajuvariorum, ad hiemandum fuissent, sapienti consilio Francorum Rex Bajuvariis jubet, ut Bulgares illos cum uxoribus et liberis unusquisque unumquemque in domo sua in una nocte interficeret. Quod protinus à Bajuvariis impletum est, nec quisquam ex illis remansit. *Fredeg. c.* 72. An. 630.

XXIX. Eodem verò anno quid partibus Hispaniæ vel eorum Regibus contigerit, non prætermittam. Defuncto Sisebodo Rege clementissimo, cui Sentila ante annum circiter successerat in regnum, cùm esset Sentila nimium in suis iniquus, et omnium regni sui Primatum incurreret odium, cum consilio ceterorum Sisenandus quidam ex Proceribus Dagobertum Regem expetiit, ut ei cum exercitu auxiliaretur, qualiter Sentilam depelleret regno. In hujus verò beneficii recompen-
D sationem missorium aureum nobilissimum ex thesauris Gothorum, quem * Thuresmodus Rex ab Etio Patricio susceperat, Regi dare promittit, pensantem auri pondera quingenta (b). Rex autem Dagobertus, ut erat in prælìis strenuus, exercitum in auxilium Sisenandi totum regni (c) Burgundiæ jure prælii convocari præcepit, eidemque Abundantium et Venerandum Duces instituit. Cùmque in Hispania divulgatum fuisset, exercitum Francorum ad auxiliandum Sisenandum * adgregari, omnis Gothorum exercitus se ditioni Sisenandi subegit. Abundantius verò et Venerandus Duces Dagoberti Regis unà cum exercitu Tolosano tantùm usque Cæsaraugustam civitatem cum Sisenando accesserunt : ibique omnes Gothi de regno Hispaniæ conglobati, Sisenandum sublimant in regnum. Abundantius autem et Venerandus cum exercitu Tolosano muneribus honorati, reversi sunt ad proprias sedes. Rex denique Dagobertus legationem ad Sisenandum Regem per Amalgarium Du-
E cem et Venerandum dirigit, ut missorium illum, quem promiserat, eidem transmitteret. Cùmque à Sisenando missorius ille Legatariis fuisset traditus, à Gothis per viam tollitur, nec eum exinde abstrahere permiserunt. Postea verò discurrentes Legati, ducenta millia solidorum missorii ipsius pretium Rex à Sisenando accepit. Fertur enim quòd ipsum argentum ad opus fabricæ Ecclesiæ S. Dionysii Martyris cum aliis pluribus ornamentis Dagobertus Rex devotissimè obtulerit. Eo namque tempore tam creberrima erat inibi obtentu Martyrum frequentia miraculorum, ut quibuscumque infirmitatibus oppressi undique adventantes, devoto animo eumdem locum expeterent, sanitate reddita, cum gaudio ad propria remearent. Quod cernens Rex, quicquid in thesauris suis preciosius inveniri poterat, ad exornandum *Idem. c.* 73. An. 630. * *al.* Turismundus. * Sisenando.

(a) Leg. *Pannoniæ.*
(b) Cod. Sal. *quinquaginta.*
(c) Codd. Remig. et Sal. *totum regnum.*

DAGOBERTUS I.

ipsum locum indubitanter offerebat. Nam et Matriculam et Xenodochium, ceteraque diversa loca ad hoc ibidem instituit, ut pauperes utriusque sexûs, sive etiam qui Sanctorum ope sanitate donari digni fuissent, in reliquum ipsius eleemosynis sustentati, qui vellent, in servitio Ecclesiæ, ac si pro gratiarum actione, permanerent. A

Fredeg. c. 74. An. 631.

XXX. Denique anno x. regni sui, cùm ei nunciatum fuisset exercitum Winidorum Toringam (a) fuisse ingressum, cum exercitu nil moratus, ex regno Austrasiorum ab urbe Mettis promovens, transita Ardenna, Magontiam adgreditur; disponensque Renum transire, scaram de electis viris fortibus ex Neustria et Burgundia cum Ducibus et Grafionibus secum habens, Saxones missos ad eum dirigunt, petentes ut eis tributa, quæ fiscorum ditionibus desolvebant, indulgeret. Ipsi verò studio suo et utilitate Winidis resistendum spondent, et Francorum limitem de illis partibus custodire promittunt. Rex itaque Dagobertus consilio (b) Neustrasiorum adeptus, eis quod poscebant præstitit. Saxones autem, qui hujus petitionis suggerendi causa venerant, sacramentis, ut eorum mos erat, super arma patratis, pactum pro universis Saxonibus firmant. Sed parum (c) hæc promissio sortitur effectum. Attamen Saxones tributum, quod reddere consueverant, per præceptionem Dagoberti hactenus habent indultum. Quingentas enim vaccas inferendales annis singulis à Chlothario seniore censiti reddebant. Quod tunc à Dagoberto Rege cassatum est. B

Idem. c. 75. An. 632.

XXXI. Anno itaque XI. regni sui, cùm Winidi jussu Samonis iterùm fortiter sævirent, et sæpe transcenso proprio limite, regnum Francorum vastandum, Toringam et reliquos pagos ingrederentur; Dagobertus Rex Mettis urbem veniens, cum consilio Pontificum seu et Procerum, omnibusque Primatibus regni consentientibus, Sigebertum filium suum in regno Austriæ sublimavit, sedemque Mettis civitatem habere permisit. Chunibertum verò Coloniæ Pontificem, et Adalgisum Ducem Palatii ad regnum gubernandum instituit, thesaurumque, quod (d) sufficeret, filio tradidit. Et condignè, ut decebat, eum hujus culminis honore sublimavit, et quodcumque eidem largitus fuerat, præceptionibus roborandum decrevit. Deinceps enim Austrasiorum studio (e) limitem et regnum Francorum contra Winidos utiliter defensare noscitur. C

Idem. c. 76. An. 633.

XXXII. Cùmque anno XII. Dagoberti Regis eidem filius, nomine Hludowius (f), de Nantilde Regina natus fuisset, consilio Neustrasiorum, eorumque admonitione per pactionis vinculum cum Sigeberto filio suo firmasse cognoscitur : atque Austrasiorum omnes Primates et Pontifices, ceterique Duces Sigeberti manus suas ponentes, insuper sacramentis firmaverunt, ut Neptricum et Burgundia solidato ordine ad regnum Hludowii post Dagoberti Regis discessum aspiceret. Austrasia verò eodem ordine solidata, eò quòd et de populo et de spatio esset coæquans, ad regnum Sigeberti, eidemque in integritate deberet aspicere, et quicquid ad regna Austrasiorum jam olim pertinuerat, totum Sigebertus Rex suæ regendum ditioni reciperet, et in perpetuo dominandum haberet, excepto Ducatu Dentilonis, quod ab Austrasiis nequiter ablatum (g) fuerat, iterum ad Neustrasios subjungeretur, et Hludowii regimini subjiceretur. Sed has pactiones Austrasii terrore Dagoberti Regis coacti, vellent nollentque, firmasse visi (h) sunt : quas et pòst temporibus Sigeberti et Hludowii Regibus (i) conservatas fuisse constat. D

XXXIII. Per idem tempus Dagobertus Rex Parisius rediens, atque in amore sæpe dictorum Martyrum Dionysii sociorumque ejus, propter magnificas, quas ad eorum veneranda sepulcra cotidie Dominus operabatur, virtutes, magis ac magis gliscens, areas quasdam infra extraque civitatem Parisii (k), et portam ipsius civitatis, quæ posita est juxta carcerem (l) Glaucini, quam negociator suus Salomon eo tempore prævidebat, cum omnibus teloneis, quemadmodum ad suam cameram deserviri videbatur, ad eorum basilicam tradidit, et per præcepti sui auctoritatem perpetualiter id mansurum esse, proprii nominis subscriptione, atque annuli impressione firmavit. E

XXXIV. In ipso quoque tempore annuale mercatum, quod sit post festivitatem ipsorum excellentissimorum Martyrum prope idem Monasterium, eidem san-

(a) Cod. Sal. *Toringiam..... Mogontium.*
(b) Cod. Remig. *consilium.*
(c) Idem, *parvum hæc.*
(d) Idem, *qui sufficeret.*
(e) Codd. Remig. et Sal. *Austrasiorum studium.*
(f) Cod. Remig. *Ludowicus.* Sal. *Ludovicus.* Fredegarius, *Chlodoveus.* Sic infrà.
(g) Cod. Remig. *qui..... ablatus.*
(h) Cod. Sal. *jussi sunt.*
(i) Cod. Remig. *Ludovici Regum.*
(k) Idem, *Parisius.*
(l) Cod. Sal. *arcem Glaucini quam..... providebat.*

A cto loco et fratribus Deo et sanctis Martyribus ibidem deservientibus concessit, et exinde hujusmodi præceptum firmare studuit, ut omne teloneum, vel quicquid ex eo fisci partibus sperare poterat, et quod in ipsa civitate, seu in omnibus locis reliquis infra ipsum pagum Parisiacum inibi denominatis, ab ipsa festivitate, usque dum illud mercatum finiretur, jure exigi quacumque judiciaria potestate valuisset, pro æterna retributione, atque ut eisdem Dei servis devotiùs pro eo omni tempore futuro divinam delectaretur exorare clementiam, totum ex integro, absque ulla exceptione sive diminutione, in eorum usibus perpetualiter sanciret esse indultum. DAGOBERTUS I.

XXXV. Anno itaque XIII. regni sui, cùm Sadregiselus Dux Aquitanorum * à quibusdam hominibus interfectus esset, de quo suprà mentionem fecimus, quòd propter contemptum sui eum flagellis affici, et barbæ rasione deturpari in sua infantia Dagobertus jusserit, et ob hoc patrem metuens tutelam sanctorum Martyrum expetierit: et cùm haberet ipse Sadregiselus filios in Palatio educatos, qui cùm facillimè possent, mortem patris evindicare noluerunt, propterea posteà secundùm legem (a) Romanam à regni Proceribus redarguti, omnes paternas possessiones perdiderunt. Cùmque omnia ad regalem fiscum fuissent recepta, præcellentissimus Rex Dagobertus ecclesiæ Christi Martyrum Dionysii sociorumque ejus, easdem villas jam dicti Sadregiseli, id Novientum in pago Andegavense, Parciacum (b), seu Nuiliacum, necnon Podentiniacum, et Pascellarias, atque Anglarias in pago Pictavense, aliasque quamplures cum salinis supra mare, quarum nomina hîc recensere longum duximus, devotissimè tradidit: medietatemque earum in stipendiis fratrum Deo ibidem servientium contulit, atque eos turmatim ad aliam medietatem matricularis ac servitoribus ipsius ecclesiæ concessit, nihil exinde ad suum opus re- C tinere volens. Easdem autem villas infra unius præcepti conclusionem nominatim inserens, proprii nominis subscriptione atque annuli impressione firmavit. Quarum nomina si aliquis diligentiùs perquirere voluerit, ipsam præceptionis Cartam in archivo ipsius Ecclesiæ requirat, et ut reor, viginti et septem villarum nomina inibi inserta inveniet. * *al.* Equitaniorum. An. 634.

XXXVI. Anno denique XIV. regni sui, cùm Wascones fortiter rebellarent, et multas deprædationes in regno Francorum, quod Haribertus (c) tenuerat, facerent, Dagobertus Rex de universo regno Burgundiæ exercitum promoveri jubet, statuens in capite Adoindum Referendarium, qui temporibus Theoderici quondam Regis in multis præliis probatus est strenuus. Cum quo X. Duces unà cum exercitibus missi sunt: id est, Harimbertus, Amalgarius, Leudobertus (d), Wandalmarus, D Waldericus, Ermenricus, Barontus, Hairhardus, ex genere Francorum; Ramelenus ex genere Romano; Willebadus Patricius ex genere Burgundionum; Agino ex genere Saxonum, exceptis Comitibus plurimis, qui Ducem super se non habebant. Qui omnes in Wasconiam unà cum exercitu perrexerunt. Cùmque tota Wasconiæ patria ab exercitu Burgundiæ fuisset repleta, Wascones de inter montium rupibus egressi, ad bellum properant. Et cùm præliari cœpissent, ut eorum mos est, terga vertentes, dum cernerent se esse superandos, in fauces vallium montiumque pinnas latebram dantes, se locis tutissimis per rupes ejusdem montis collocantes * latitarent; exercitus post tergum eorum cum Ducibus insequens, plurimum numerum captivorum vinci (e), Wascones superatos, seu ex his multitudine interfecta, omnesque domos eorum incensas, peculiis et rebus expoliant. Tandem Wascones oppressi atque perdomiti, veniam et pacem à supradictis Ducibus pe- E tentes, promittunt se gloriæ et conspectu Dagoberti Regis præsentatos (f) seque ipsius ditioni traditos, cuncta ab eodem injuncta impleturos. Feliciter autem Regis exercitus absque ulla læsione ad patriam esset reversus, si Harimbertus Dux maximè cum senioribus et nobilioribus exercitûs sui per negligentiam à Wasconibus in valle Robola (g) non fuisset interfectus. Exercitus verò Francorum, qui de Burgundia in Wasconiam accesserat, patrata victoria, rediit ad proprias ædes (h). *Fredeg. c.* 78. An. 635. * latitarunt.

XXXVII. Eodem autem tempore devotissimus Rex Dagobertus Ecclesiam

(a) Valesius lib. 19. Rer. Franc. pag. 118. notat Sadregiselum, si quis unquam fuit, totius Aquitaniæ Ducem omnino non fuisse: ejusque filios, cùm Franci Francoque patre nati essent, non lege Romana, qua Galli tantùm et Clerici utebantur, sed Salica patriaque damnari debuisse.

(b) Cod. Sal. *Parciacum seu Juliacum.* Remig. *Parciacum et Noviomum, atque Prudridoctium, vel Albiniacum, seu Nuiliacum, necnon etc.*

(c) Codd. Remig. et Sal. *Hairbertus.*

(d) Remig. *Leudebertus.*

(e) Idem, *vinciens.*

(f) Codd. Remig. et Sal. *præsentandos..... tradendos.*

(g) Ita habet Aimoinus: legendum cum Fredegario, *Subola.*

(h) Codd. Remig. et Sal. *proprias sedes.*

DAGOBERTUS I.

Christi Martyrum Dionysii ac sociorum ejus heredem propriorum fecit præceptorum subscriptionibus de Campania villa, quæ sita est in pago Camliacense, quam eidem Regi quædam mater familias, nomine Theodila, tradiderat : et de Tibernione *, quæ sita est in pago (a) Aurelianensi, quam idem Rex cum sancto Ferreolo Augustidunensi Episcopo commutaverat : necnon et de Clippiaco superiore, et Idcina, atque Salice, seu Aquaputta, quæ omnes constant in pago Parisiaco : seu etiam de Latiniaco, quæ sita est in territorio Meldico, quam ipse Rex cum Bobone (b) Duce, et Tacilone Comite Palatii, de suo proprio fisco commutaverat, Sanctorum semper auxilium contra visibiles et invisibiles adversarios expetens : ut sicut ei tempore pubertatis in somnis prædicti Martyres promiserant, ab imminentibus angustiis eum eriperent, atque ei et in vita et post mortem pollicita suffragia ferrent. Super hæc verò centum vaccas inferendales, quæ ei de Ducatu Cinomannico annis singulis solvebantur, Fratribus inibi Deo servientibus per proprii præcepti subscriptionem, ut eisdem pro eo Dominum et sanctos Martyres devotiùs delectaretur exorare, visus est omni futuro tempore annuatim concessisse. A B

* Tivernione.

Fredeg. c. 78. An. 635.

XXXVIII. Post hæc itaque Dagobertus Rex Clippiaco Palatio residens, mittit nuncios in Britanniam, ut quæ Britanni contra suos admiserant, emendarent, et ditioni ejus se traderent. Alioquin exercitus supradictus Burgundiæ, qui in Wasconiam fuerat, præsentialiter in Britanniam irrueret. Quod audiens Judicaïl (c) Rex Britannorum, cursu veloci Clippiaco (d) cum multis muneribus ad domnum Dagobertum Regem pervenit. Ibique veniam petens, cuncta quæ sui regni Britanni contra Duces Francorum inlicitè perpetraverant, emendandum spondet : et semper se et regnum Britanniæ, quod ipse regebat, subjectum ditioni Regis Dagoberti esse, et postmodùm omni tempore Francorum Regibus, jurejurando promittit. Sed tamen cum Dagoberto Rege ad prandium discumbere noluit, eò quòd esset Judicaïl egrediens de Palatio ad mansionem Dadonis Referendarii, qui alio vocabulo Audoënus dictus est, posteaque Episcopus Rotomorum (e) extitit, quia cognoverat eum Judicaïl sanctam Religionem sectantem, cum eo accessit ad prandium. Indeque in crastinum Judicaïl Regi Dagoberto, vale dicens, in Britanniam repedavit ; condignè tamen à Rege muneribus honoratur. C

An. 635.

XXXIX. Eodem siquidem anno Dagobertus Rex postquàm omnes gentes, quæ in circuitu regni sui erant, subjugaverat, et opitulante Domino jam pace firmata, filiosque suos Sigebertum et Hludowium, ut suprà diximus, Reges designaverat, concilio divinitùs inspirato, convocatis filiis, omnibusque totius regni Primatibus, x. Kal. Junias in Palatio Bigargio (f) Placitum generale instituit. Cùmque, ut Francorum Regibus moris erat, super solium aureum coronatus resideret, omnibus coram positis, ita exorsus est : « Audite me, ô vos Reges et dulcissimi » filii, omnesque Proceres, atque fortissimi Duces regni nostri. Priusquàm subita- » nea transpositio mortis eveniat, oportet pro salute animæ vigilare, ne fortè inve- » niat aliquem imparatum, eique sine aliquo respectu præsentem lucem auferat, » atque perpetuis tenebris et æternis eum tormentis tradat : quin potiùs, dum pro- » prio libertatis jure subsistit, ex caducis substantiis in æterna tabernacula vitam » quærat mercari perpetuam ; ut inter consortium justorum desiderabilem valeat » adipisci locum, et retributorem sibi præparet Dominum, atque ex rebus transi- » toriis ad loca venerabilia Sanctorum in alimoniis pauperum curet impendere, » quatenus ab ipso Domino fructum (g) indeficientis paracliti inter astra matutina » mereatur (h) refoveri. De cujus fonte vivo perfecta fide poscenti nec subtrahi- » tur poculum, nec minuitur alveus, sed potiùs quisquis hauserit, irrigatur dulce- » dine cælitus, atque suavis ei fragrat odor balsami paradisi. Et ideò ego discutiens » conscientiam ac mei cordis excessum, atque considerans examinationem superni » Regis, judiciumque ipsius metuens, necnon etiam verens pœnas hominum in- D

(a) Codd. Remig. et Sal. *in territorio Aurelianensi... Augustudunensi.*

(b) Cod. Sal. *Bovone Duce et Catilone.*

(c) Cod. Remig. *Judicaïla*, et sic deinceps.

(d) Cod. Sal. *Clippiacum.*

(e) Cod. Remig. *Rotomagorum.*

(f) *Bigargium* nunc truncato nomine vocari vel *Garges* non procul à Bonogilo, vel *Garches* prope Versalias putat Valesius in Notit. Gall. pag. 410. Hunc Conventum Bigargiensem Hadr. Valesius lib. 19. Rer. Franc. pag. 122. et Cointius ad an. 635. num. 8. inter fabulas rejiciunt, propter rationes apud ipsos legendas. Mabillonius tamen lib. 1. de Re diplom. cap. 7. num. 5. et lib. 4. pag. 231. minimè dubitat quin generalis ille populi Conventus Bigargii, quod agri Parisiensis palatium erat, re vera habitus fuerit, et quin testamentum Dagoberti germanum sit ac legitimum.

(g) Cod. Sal. *fructu indeficientis Paradisi.*

(h) Cod. Remig. *percipere mereatur.*

A » felicium, maximè autem concupiscens gloriam infinitam justorum, et præca-
» vens illud, ne ultimus dies juxta dispensationem Domini, nos de memoria Sanc-
» torum, vel consolatione egentium pigros inveniat, ita nobis sana mente sano-
» que consilio placuit, et ut jam diximus, devotio animæ admonuit, pro æterna
» retributione testamentum condere, in quo Basilicas Sanctorum penè omnes re-
» gni nostri temporibus nostris nominatas propriis nostris donationibus heredes fieri
» præciperemus, et pro immutabili beneficio quatuor uno tenore (a), unoque
» temporis momento, vobis omnibus conscientibus (b), firmare decrevimus, et
» quicquid ubique ad loca Sanctorum per eadem nunc ad præsens contulimus, infrà
» simili adnotatione conteximus. Ex quibus unum Lugduno Galliæ dirigimus;
» alium (c) verò Parisius in archivo Ecclesiæ commendamus; tertium Mettis ad
» custodiendum domno Abboni donamus; quartum autem, quem et in manibus
B » tenemus, in thesauro nostro reponi jubemus. Hæc igitur propria extat nostra de-
» votio, et hæc Domini nostri consolatio (d), qui perfecta vota dignanter excipit:
» quia videlicet illi certa fiducia in die necessitatis manebit, quisquis locis Sancto-
» rum, atque Sacerdotibus et egenis hîc alimoniam tribuit; quoniam, Scriptura
» teste, fœneratur Domino, qui miseretur pauperi, et ipse regnator Olympi vicissi-
» tudinem reddet ei. Unde, sicut diximus, pro remedio animæ nostræ nos ipsa
» conditio admonuit, ut post discessum, quandoquidem Deus jusserit, nostrum,
» Sacerdotes qui in illo tempore in locis infrà scriptis officii curam gesserunt, sicut
» in præsenti pagina continentur, absque ullius expectata traditione præsentialiter
» cum omni integritate recipiant, atque ad suprà scripta loca Sanctorum in reli-
» quum cuncta aspiciant, et sub integra emunitate pro nostra mercede ibidem in
» perpetuum proficiant. Cumque unusquisque eorum sibi collata tempore illo rece-
C » perit, nomen nostrum in libro vitæ omnimodis inferat, et omnibus Dominici-
» cis diebus, seu præcipuis Sanctorum sollemnitatibus per omnia recenseat. Illud
» verò, quod ad medelam animæ nostræ pleniùs pertinere confidimus, per hanc pa-
» ginam vos Sacerdotes temporibus illis in ipsis sanctis locis consistentes, et offi-
» cia inlibata procurantes, per cælestem Regem conjuramus, cùm sibi collata
» unusquisque perceperit, insequentibus diebus tribus annis Missas pro nobis cele-
» brent, et sacrificia misericordissimo Regi pro sarcina commissa peccaminum
» solvenda omnimodis offerant. Hoc verò testamentum, Domino judice ac teste,
» præcipuè per hanc paginam, omnibus qui adestis consentientibus, committimus
» dulcissimis filiis nostris Sigeberto et Hludowio Regibus, quos nobis Christi lar-
» gitio concessit habere in prolem, aut quos adhuc Dominus dederit filios, qui
» nobis succedere debeant, ut hoc commune nostrum decretum faciatis in omni-
D » bus conservare, et hæc collata nostra non præsumatis convellere. Sed per omni-
» potentis nominis Trinitatem, vel virtutes Archangelorum, Patriarcharum et
» Prophetarum, Apostolorum atque Martyrum, omniumque Sanctorum, et tre-
» mendum diem judicii, seu adventum Domini nostri Jesu Christi, ante cujus
» conspectum resurgere (e) videmur, conjuramus, quatinus statuta nostra, quæ
» præsens declarat scriptura, stabili firmitate perpetim faciatis custodire. Nos autem
» præsentes Cartas testamenti pro nostra in perpetuum mercede propria studemus
» roboratione firmare, et omnibus qui adestis Episcopis, Abbatibus, Proceribus,
» atque magnificis viris ad præsens jubemus vestris subscriptionibus vel signaculis ad-
» firmare. Et iterùm iterùmque, sicut suprà diximus, vos Reges et dulcissimi filii,
» vel qui postmodùm nobis successuri sint (f), admonemus, quatinus facta nostra
» nullo modo præsumatis convellere, si ea, quæ post nostrum discessum statueritis,
E » inconvulsa manere vultis : quia illud nolo dubitetis, quòd successores et vos habi-
» turi eritis, et si nostra non conservaveritis, nec vestra statuta stabilia esse credatis.»
Cùmque hoc Rex, omnibus intentè audientibus, prudentissimè perorasset, cuncti longævam ei vitam pacemque regni gratanter optantes, prædictum testamentum tam ipse Rex quàm omnes regni Primates alacriter firmaverunt. In quo etiam non immemor peculiaris patroni sui domni Dionysii, quamvis eidem jam plurima prædia contulerit, villam nomine Braunadum inserere studuit. Ordinatisque ritè omnibus, quæ ad regni honorem pertinebant, omnes cum gaudio ad propria remeare concessit. Illud verò testamentum, quod in Thesauro suo reponi jusserat, usque

(a) Cod. Remig. *uno tempore.*
(b) Cod. Sal. *consentientibus.*
(c) Cod. Remig. *aliud verò... quartum autem quod.*
(d) Codd. Remig. et Sal. *nostri collatio.*
(e) Cod. Sal. *resurgemus, conjuramus.*
(f) Cod. Remig. et Sal. *successerint.*

DAGOBERTUS I.

hodie in archivo ecclesiæ beatorum Christi Martyrum Dionysii ac sociorum ejus venerabiliter custoditur. A

XL. Denique eodem tempore plumbum, quod ei ex metallo censitum in secundo semper anno solvebatur, libras octo millia ad cooperiendam eandem supradictorum beatorum Martyrum Ecclesiam eo ordine concessit, ut tam per regales, quàm et per easdem villas, quas ipse antè eidem sancto loco contulerat, in alio semper anno adduceretur, et à gentibus vel Thesaurariis ipsius venerandi monasterii traderetur : quatinùs sicut ipse basilicam eorumdem Martyrum devotissimè tegere videbatur, ita, ipsis intercedentibus, eum omnipotens Deus umbrâ suarum protegeret alarum. Nam et præceptum exinde taliter firmare studuit, ut omni pòst futuro tempore à Regibus succedentibus eadem traditio inviolabiliter observata custodiretur.

Fredeg. cap. 78. An. 636.

XLI. Anno igitur XV. regni Dagoberti, Wascones omnes seniores terræ illius cum B Hamando Duce ad Regem Clippiaco venerunt, ibique in Ecclesiam sancti Dionysii Martyris regio timore perterriti confugium fecerunt. Clementiâ verò Regis Dagoberti ob reverentiam sancti Dionysii vitam habent indultam. Ibique ipsi sacramenta firmantes, simul et promittentes omni tempore Regi et filiis ejus, Francorumque regno se esse fideles, quod more solito, sicut semper fefellerant, posthæc probavit eventus, permissu Regis regressi sunt in terram Wasconiæ.

XLII. Longum est enarrare quàm providus idem Rex Dagobertus in consilio fuerit, cautus judicio, strenuus militari disciplina, quàm largus eleemosynis, quàmque studiosus in componenda pace Ecclesiarum, præcipuèque quàm devotus extiterit in ditandis Sanctorum Cœnobiis, præsenti opere declarare, minùsque necessarium, et maximè ob fastidientium lectorum vitandum tædium : præsertim cùm C nullis abolenda temporibus luce clariora earum rerum extent indicia. Idcircò nunc ad obitum ipsius describendum vertens articulum, quid in ipsa infirmitate positus gesserit, et unum quod in quadam vetustissima repperi Charta, quam, ut ferebatur, beatus Audoënus Episcopus scripserat, quodque memorato Regi post mortem contigit, breviter narrabo miraculum. Post gloriosam regni administrationem, XVI. postquam regnum sortitus fuerat anno, profluvio ventris Spignogilo villa super Sequanam fluvium, nec procul (a) Parisius ægrotare cœpit. Exinde verò ad basilicam sancti Dionysii Martyris à suis defertur. Post paucos autem dies, cùm vitæ suæ sentiret periculum imminere, Egam Consiliarium suum sub celeritate ad se venire præcepit. Reginam verò Nanthildem et filium suum Hludowium eidem in manu commendans, seque jam discessurum sciens, consilium tamen ejus pergratum habebat, quòd cum ipsius instantia regnum filius suus strenuè gubernare posset. Convocatis deinde primoribus Palatii, filiumque et uxorem eis (b), et ipsos D eidem cum fidelitatis sacramento, ut moris est, commendans, matricularis quoque jamdictæ basilicæ beatorum Martyruum de villis Acuciaco et Cusduno, immòque Magno-villare, et Mediano-villare, atque Gellis præceptum fieri jussit. In quo etiam Saclidas, quam anteà isdem contulerat, inseruit. Omnibusque Optimatibus dolore consternatis, virtute qua potuit benignissimè consolatus est, et inter cetera quæ ad memoriam reducere longum est, hæc intulit : « Quamvis miserrimus homo, » quamdiu incolumis est, semper præ oculis debeat habere futuram omnipo- » tentis Dei discussionem judicii, in ægritudine tamen positus de illius piissima » misericordia nullo modo debet desperare, sed pro salute animæ suæ attentiùs eum » oportet invigilare, et de propriis rebus, quantùm possibile est, in alimoniis pau- » perum semetipsum redimere, quatenus apud misericordissimum judicem æter- » nam post obitum valeat retributionem adquirere. Idcircò ego pro remedio animæ E » meæ matricularis basilicæ domni Dionysii peculiaris patroni nostri ; in qua ipse » pretiosus Martyr cum sociis suis corpore quiescit, et nos sepeliri optamus, villas, » quæ in præsenti continentur præcepto, præsentialiter cum omni integritate » conferimus : et sicut à fisco nostro hactenus fuerunt possessæ, ita ex nostra indul- » gentia propter adquirendam animæ nostræ salutem, vel pro filiorum nostrorum » stabilitate, prædictis matricularis, qui in præfata basilica vel atrio ejus deser- » viunt, præsenti et futuro tempore in perpetuum proficiant ; nullusque de filiis » aut Regibus umquam nostris successoribus, nec Pontifex, nec Abba ipsius Mo- » nasterii prædictus villas, et Sarclidas, quam anteà iisdem fratribus contulimus,

(a) Cod. Remig. *non procul à Parisius*. Hîc desinit Codex iste ob lacera folia.
(b) Cod. Sal. *uxores eis et ipsos eisdem*.

» ab

A » ab eis auferre præsumat, si iram Dei et offensam domni Dionysii non optat in- » currere. Quòd si quis præsumpserit, ante tribunal Domini nostri Jesu Christi cum » sancto Martyre et ipsis matriculariis exinde rationem deducat. Annualis enim vi- » ctus inde, Deo donante, ut credimus, sæpe dictis pauperibus poterit sufficere, » ut semper pro anima nostra et ipsos et successores eorum nostra pasti (a) eleemo- » syna pleniùs atque devotiùs delectet orare. Nos verò præsens præceptum jam mi- » nimè valemus subscribere, qui, invalescente ægritudine, calamus in manu nostra » trepidat. Et propterea rogamus dulcissimum filium nostrum Hludowium Regem, » ut per signaculum sui nominis istam Cartam adfirmet, et Dado eam offerat, et » Optimates nostri illam subscribant. » Cùmque Rex hîc loquendi finem fecisset, filius ejus Rex Hludowius ipsum præceptum secundùm jussionem patris, offerente Dadone Referendario, subscripsit, omnesque Proceres, qui in præsenti aderant, B propriis eundem subscriptionibus firmaverunt. His taliter explosis, post paucos dies XIV. Kal. Februarias Christianissimus Rex Dagobertus humanis rebus exemptus est. Intolerabilis autem luctus subitò replevit Palatium, universumque regnum ob ipsius mortem acerbissima occupavit lamentatio.

DAGOBERTUS I.

An. 638.

XLIII. Conditus autem aromatibus, cum ingenti populorum dolore atque frequentia translatus est in basilicam beatissimorum Martyrum, quam ipse, ut suprà diximus, condignè ex auro et gemmis et multis preciosissimis speciebus ornaverat, et condignè in circuitu fabricare præceperat, atque juxta eorum tumulum in dextro latere honore merito sepultus. Tantæ verò opes ab eodem, et villæ ac possessiones multæ per plurima loca ibi fuerant conlatæ, etiamque hîc minimè ob fastidium, ut jam dixi, quorundam vitandum recensentur, ut hodieque devotio animi ipsius miretur à pluribus. Ordinem autem psallentium ibidem ad instar Monasterii Agaunensium, et sancti C Martini Turonis instituerat; sed facilitas Abbatis Agiulfi * eandem institutionem noscitur refragasse.

Fredeg. cap. 79.

* Haigulfi.

XLIV. Legationem tum fortè illustris defensor Pictavensis Ecclesiæ Ansoaldus in partes Siciliæ agebat. Ea peracta, cum navali reverteretur subsidio, applicuit ad quandam brevem insulam, in qua reverentissimus quidam senex, cui nomen erat Johannes, solitariam ducebat vitam : ad quem mare commeantium, ut orationis ejus fulcirentur solatio, plurimi ventitabant. In hanc ergo insulam tanti viri meritis redimitam appulsus divino nutu Ansoaldus, dum de cœlestibus gaudiis cum eo sermocinaretur, interrogat senex, unde vel cur venisset. Igitur cognito de Galliis qua de causa missus fuisset, rogat senex ut Dagoberti Regis Francorum sibi mores studiumque exponat. Quod cùm ille diligenter fecisset, senex addidit, quòd dum quadam die, ut pote jam fractus ætate, et fatigatus vigiliis, quieti paululùm D indulsisset, accessisse ad se virum quendam canitie venerandum, seque expergefactum admonuisse, quatinus properè surgeret, et pro Dagoberti Regis Francorum anima divinam clementiam exoraret, eò quòd ipso die spiritum exhalasset. Quod dum facere maturaret, apparuisse sibi haud procul in pelago teterrimos spiritus vinctum Regem Dagobertum in lembo per spatium maris agitantes, atque ad Vulcania loca, inflictis insuper verberibus, trahentes, ipsumque Dagobertum beatos Dionysium et Mauricium Martyres, et sanctissimum Confessorem Martinum ad sui liberationem continuis vocibus flagitantem. Nec mora intonuisse cœlum, fulminaque per procellas disjecta, interque ea repente apparuisse præcellentissimos viros niveis comptos vestibus, seque tremefactum ex eis quæsisse quinam essent, illosque respondisse, quos Dagobertus in adjutorium vocaverat, Dionysium scilicet et Mauricium ac Martinum esse, ut eum ereptum in sinu Abrahæ collocarent. Itaque hostes humani E generis velociter insequentes, animam, quam verberibus minisque vexabant, exemptam ad æthera secum levasse canentes : *Beatus quem elegisti et assumpsisti, Domine, inhabitabit in atriis tuis. Replebimur in bonis domûs tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Hæc in memorata Charta inter alia ferebantur, quæ non tam verisimilia, quàm verissima, ut arbitror, videri possunt; quoniam idem Rex cùm et alias longè latèque ecclesias ditasset, tum præcipuè horum copiosissimè locupletavit. Unde et eorum post mortem flagitabat auxilium, quos præ ceteris se dilexisse meminerat.

Psal. 64. 4. *et* 5.

XLV. Itaque post Dagoberti Regis discessum, filius Hludowius sub tenera ætate sibi regnum patris ascivit, omnesque Duces de Neustria et Burgundia eum Massollaco villa sublimant in regnum. Ega verò, qui fuerat Consiliarius Regis Da-

CLODOVEUS II.

Fredeg. cap. 79. *et* 80.

(a) Idem, *et ipsis et successoribus eorum nostra pastis.*

CLODOVEUS II.

goberti, cum Regina Nanthilde, quam idem Rex reliquerat, anno primo regni A
Hludowii, et secundo imminente regni, condignè Palatium gubernabat et regnum. Ipse namque inter ceteros Primates Neptrici prudentiùs agens, et plenitudine patientiæ imbutus, cunctis erat præcellentior. Eratque genere nobilis, opibus abundans, justitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis. Tantummodò à plurimis blasphemabatur, eò quòd esset avaritiæ deditus.

XLVI. Igitur post obitum Dagoberti Regis, quo ordine ejus thesauri inter filios divisi fuerunt, non obmittam, sed dilucidato ordine serie (a) libelli inserere procurabo. Cùm Pipinus Major-Domûs post discessum Regis, et ceteri Austrasiorum
Id. c. 85. Duces, qui usque in transitu Dagoberti ei fuerant (b) ditione detenti, Sigibertum unanima conspiratione expetissent, Pipinus cum Chuniberto, sicut et priùs amicitiæ cultu invicem conjuncti fuerant, et nuper inter se, sicut et anteà, amicitiam vehementer firmiterque perpetuò conservandam ligant : omnesque Duces Austra- B
siorum secum uterque prudenter et cum dulcedine attrahentes, eosque benignè gubernantes, eorum amicitiam constringunt semper servandam. Igitur discurrentes Legati, partem Sigeberti debitam de thesauris patris Dagoberti Nanthildi Reginæ et Hludowio, Sigeberto habendam requirunt : ad quam reddendam Placitus instituitur. Chunibertus itaque Pontifex urbis Coloniæ et Pipinus Major-domûs, cum aliquibus Primatibus Austriæ, à Sigeberto directi villam Compendium usque perveniunt, ibique thesauri divæ memoriæ Dagoberti Regis, jubente Nanthilde et Hludowio Rege, instantiâ Egani Majoris-domûs præsentantur, et æqua lance dividuntur. Tertiam tamen de omnibus, quæ Dagobertus Rex adquisierat, postquàm Nanthildis Regina regnare cœperat, eidem reservant. Chunibertus verò et Pipinus Major-domûs partem Sigeberti Mettis faciunt perduci, ibique Regi Sigeberto præsentatur atque describitur. C

An. 639. *Id. cap.* 83. XLVII. Post ferè evoluto anni circulo Pipinus moritur, nec parvum dolorem ejus transitus cunctis generavit in Austria, eò quòd ab ipsis pro justitiæ cultu et bonitate nimiùm dilectus fuisset. Ega quoque anno tertio Hludowii Regis Clippiaco villa febre
An. 640. vexatus, et ipse moritur.

Id. cap. 84. XLVIII. Post discessum verò ejus Herchinoaldus, qui ex parte genitricis Dagoberti Regis consanguineus fuerat, Major-domûs in Palatio Hludowii efficitur. Erat enim homo patiens, bonitate plenus, cautus ingenio, servos Dei omnesque Sacerdotes humiliter venerans, rebus admodùm mensuratè ditatus, qui ab omnibus regni Primatibus miro venerabatur affectu. Anno verò IIII. regni Hludowii, cum Nan-
Id. cap. 89. thildis Regina post discessum Egani unà cum filio Aurelianis in Burgundiæ regnum
An. 641. venisset, ibi omnes seniores Pontifices cum Ducibus et primoribus ipsius regni ad se venire præcepit, cunctosque sigillatim benignissimè attrahens, Flaucatum genere Fran- D
cum Majorem-domûs statuit in regno Burgundiæ ; Pontificum et Ducum electione hujusmodi honoris gradu eum stabiliens, neptemque suam, nomine Ragnebertam, ipsi desponsavit.

XLIX. Testamentum autem de villis, quibus eam Rex Dagobertus et filius ipsius Hludowius ditaverant, eodem tempore ad loca opportuna Sanctorum fieri ordinavit : in quo etiam Latiniacum villam, quæ sita est in Brieio, ad basilicam domni Dionysii tradens, inserere jussit. Tria siquidem exemplaria uno tenore exinde scribi præcepit, ex quibus unum in scriniis sæpedictæ Ecclesiæ usque hodie custoditur. His ita compositis, et rebus prosperè ab ea gestis, filioque jam utiliter in
Eodem an. Neptrico et Burgundia regnante, Nanthildis Regina moritur, atque in Ecclesia beatorum Martyrum Dionysii ac sociorum ejus juxta Dagobertum Regem in eodem sepulchro sepelitur. E

L. Deinde Hludowius filius eorum, parentibus, ut prædiximus, à seculo decedentibus, in regnum successit : et præcepta quæ gloriosus rex pater suus propria auctoritate firmans, sanctorum sæpedictorum Martyrum Ecclesiæ contulerat, ipse
An. 651. quoque, suo tempore studuit renovare, atque propriæ manûs subscriptione, et annuli item impressione firmare. Anno verò XIIII. regni sui absidam, infra quam prædictorum Christi Martyrum Dionysii ac sociorum ejus corpora requiescunt, quam inclytus Rex pater suus desuper argenteo, ut prætuli, tegumento devotissimè foris operuerat, quorundam suasione et consilio ipsum argentum desuper prædicta absida pauperibus Christi et egenis atque peregrinis, quia (ut fertur) eo tempore fames valida inerat, erogari præcepit, et insuper Aigulfo Abbati, cui tunc cura Mona-

(a) Cod. Sal. *in hujus seriæ libelli.* (b) Idem, *ejus fuerant.*

A sterii ipsius commissa erat, præceptum hujusmodi dedit, quatinus ipse Abba hoc cum timore Dei fideliter studeret adimplere, nullamque requisitionem nec à suo Pontifice, eò quòd adhuc illo tempore Monasterium illud sub potestate Pontificis Parisiorum Ecclesiæ videbatur esse subjectum, nec à quolibet unquam hominè pertimesceret.

LI. Succedente verò tempore, XVI. anno regni sui Hludowius Rex Clippiaco residens, convocatis Pontificibus, necnon et regni Primoribus, regio stemmate ex more comptus, inter ceteras principalium rerum actiones, ob quas pro salute regni tractandas Optimates, ut diximus, congregaverat, divino impellente nutu ita cœpit : « Oportet nos sedulè secundum paternam institutionem locis venerabili- » bus Sanctorum reverentiam exhibere, ut eos in die necessitatis patronos et defen- » sores contra invisibiles hostes possimus habere. Ideòque consilium, quod, ut credo, B » omnipotens Dominus cordi nostro dignatus est inserere, vos domni et sanctis- » simi Sacerdotes, necnon regni et palatii nostri Principes, intenta aure percipite, » et si probaveritis esse utile, unà mecum, Christo protegente salubriter pertrac- » tate. Siquidem omnipotens Pater, qui dixit de tenebris lumen splendescere, per » Incarnationis mysterium unigeniti filii sui Domini nostri Jesu Christi, vel inlustratio- » nem sancti Spiritûs inluxit in corda Sanctorum Christianorum pro cujus amore » et desiderio inter gloriosos triumphos Martyrum beatissimus Dionysius, Rusticus » et Eleutherius meruerunt palmam victoriæ et coronam percipere gloriosam. In » quorum basilica, ubi requiescere videntur, per multa tempora non minima mira- » cula ad laudem sui nominis Christus dignatus est operari. In quo etiam loco geni- » tores nostri domnus Dagobertus et domna Nanthildis videntur requiescere, ut per » intercessionem sanctorum illorum in cœlesti regno mereantur participes esse, et C » vitam æternam possidere. Et quia ab ipsis Principibus, et à ceteris priscis Regibus » vel à Deum timentibus Christianis hominibus ipse sanctus locus in rebus propter » amorem Dei, et adipiscendam vitam æternam, cernitur esse ditatus, nostra inte- » gra devotio atque petitio extat, ut Apostolicus vir Landericus Parisiacæ Ecclesiæ » Episcopus privilegium ad ipsum sanctum locum Abbati vel fratribus ibidem consis- » tentibus facere et confirmare, si vobis ita videtur, pro quiete futura debeat; quò » faciliùs congregationi ipsi liceat pro stabilitate regni nostri ad limina Martyrum » ipsorum divinam clementiam jugiter exorare. Hoc autem et ipse Pontifex juxta pe- » titionem devotionis nostræ promptissima voluntate præstare, et confirmare dinos- » citur. Nos verò pro reverentia ipsorum Martyrum, vel nostra confirmanda mer- » cede, hujuscemodi præceptum præsentialiter unà vobiscum confirmare volumus, » ut si qua ad ipsum sanctum locum in villabus, mancipiis, vel quibuscunque rebus D » à priscis Regibus seu genitoribus nostris, vel Deum timentibus hominibus propter » amorem Dei ibidem delegata, aut deinceps fuerint addita, dum ex munifi- » centia parentum nostrorum, ut diximus, ipse sanctus locus videtur esse ditatus, » nullus Episcoporum, nec qui præsens, nec qui futuri erunt successores, aut eo- » rum ordinatores, vel qualibet persona possit quoquo ordine de loco ipso aliquid » auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio usurpare, aut aliquid » quasi per commutationis titulum absque voluntate ipsius Congregationis vel nostro » permissu minuere, aut calices, vel cruces, seu indumenta altarium, sive sacros » codices, argentum aurumve, vel qualemcumque speciem, quicquid ibi conlatum » fuit aut erit, auferre, nec ad civitatem deferre præsumat. Sed liceat ipsi sanctæ » Congregationi, quod inibi per rectam delegationem conlatum est, perpetim pos- » sidere, quatinus eidem pro animabus parentum nostrorum, et pro stabilitate E » regni nostri Dominum attentiùs jugiter delectet exorare. Nos enim propter Dei » amorem et reverentiam ipsorum sanctorum Martyrum, atque adipiscendam vitam » æternam, hoc beneficium ad ipsum sanctum locum cum vestro consilio gratissimo » animo et integra voluntate volumus præstare : eo scilicet ordine, ut sicut » ibidem tempore domni et genitoris nostri psallentium ordo per turmas fuit insti- » tutus, vel sicut in Monasterio S. Mauricii Agaunis, et santi Martini Turonis die » noctuque tenetur, ita in loco ipso per omnia futura tempora celebretur. » Itaque dum Regem omnes regni Principes hæc concionantem attonitis auribus diligenter intenderent, Pontifices, qui aderant, optimam devotionem Regis adprobantes, præceptum ab ipso Rege modo suprà scripto factum, tam Rex quàm Pontifices et Principes qui præsentes aderant, firmaverunt. Inter quos nonnulli Pontifices extiterunt, quos hodie sancta Ecclesia sanctissimos esse non dubitat, eò quòd ad

An. 653.

CLODOVEUS II.

eorum venerabilia sepulchra virtutes non modicas usque in præsens Dominus operetur; A scilicet beatus Audoënus, et sanctus Rado (a) frater ipsius, nec non beatus Palladus, et sanctus Clarus, atque domnus Eligius, vel sanctus Sulpicius, beatus quoque Aubertus, et domnus Castadius, sanctusque Etherius, aliique quamplures, et venerabilis Landericus Parisiorum Episcopus, qui prædictum privilegium sua sponte consensit et confirmavit.

LII. Hludowius itaque Rex cunctis diebus absque bellis in regno pacem habuit : sed fortuna impellente, quondam in extremis vitæ annis ad supradictorum An. 654. Martyrum corpora quasi causâ orationis venit, volensque eorum pignora secum habere, discooperire sepulchrum jussit. Corpus autem beati et excellentissimi Martyris atque Pontificis Dionysii intuens, minùs religiosè, licèt cupidè, os brachii ejus fregit et rapuit, confestimque stupefactus in (b) amentiam decidit. Tantusque terror et metus ac tenebræ locum ipsum repleverunt, ut omnes, qui aderant, B timore maximo consternati, fugæ præsidium peterent. Post hæc verò ut sensum recuperaret, villas quasdam ad ipsum locum tradidit : os quoque, quod de sancto corpore tulerat, auro ac gemmis miro opere vestivit, ibique reposuit. Sed sensum ex aliquantula parte recuperans, non autem integrè recipiens, post duos annos vitam An. 656. cum regno finivit.

Expliciunt Gesta domni Dagoberti Regis feliciter.

(a) Radonem memorat Auctor Vitæ S. Agili Abbatis, memorant quoque Aimoinus ac Sigebertus, eique Radoliensis monasterii primordia tribuunt. Verùm Jonas in Vita S. Columbani, Authario viro illustri duos tantùm fuisse filios testatur, Adonem majorem natu, minorem Dadonem, seu Audoënum. Dado ipse tantummodò germani sui Adonis, nusquam Radonis mentionem facit.

(b) Amentiam quoque Chlodoveo affingunt Fredegarii Continuator cap. 91. Hermannus Contractus et Sigebertus. Id, si verum est, ob fractum et raptum os C brachii sancti Dionysii accidisse negat Hadr. Valesius Rer. Franc. lib. 20. pag. 212.

EPITAPHIUM DAGOBERTI REGIS.

Ex Cod. veteri Alex. Petavii Senat. Paris.

Hac Dagobertus humo Francorum gloria Princeps
Cum Narchil * decubat conjuge pacis apex.
Quem meritis sceptro Dionysius extulit alto, D
Cujus ope et gazis hic stat in arce locus.
Nonum Janus agens decimumque per æquora solem,
Vicesimo lustro reddidit ossa solo.
Dives, inops, proceres, populus, Rex, advena, civis,
Sint horum memores, dent at in astra preces.

* *al.* Nanhil.

VERSUS ALII DE DAGOBERTO,

Apud sanctum Dionysium scripti ineunte sæculo IX.

Apud Mabillonium Annal. Bened. lib. 13. *N.* 9. E

Egregii proceres, Chlotharius ac Dagobertus,
Filius et pater, hîc memorantur laude perenni.
Sed magis Ecclesiam ditavit hanc Dagobertus
Cum Nanthilde sua, quam exornant aurea busta.

VERSUS ALII.

Ex Cod. ms. Monasterii S. Remigii Remensis. N. 165.

Cujus in hac fossa carnes tumulantur et ossa,
Rex fuit Ecclesiæ providus et patriæ.

A Dum fuit in sceptris, sic crevit Gallica virtus,
Quòd sibi succubuit gens ea quæ voluit.
Imperiumque suum tali moderamine rexit :
Nec bonus immeritus, nec malus ullus erat.
Istam basilicam tanto fundavit honore,
Vivus ut ad sedem, mortuus ad requiem.
Unde promeruit quòd dicat quisque fidelis:
Sit sine fine tibi, Rex Dagoberte, quies.

VERSUS ALII,

Qui (a) *extant in Claustro Monasterii sancti Dionysii, statuæ ejusdem*
B *Regis basi insculpti.*

Fingitur hac specie bonitatis odore refertus,
Istius Ecclesiæ fundator Rex Dagobertus.
Justitiæ cultor, cunctis largus dator æris,
Affuit et sceleris ferus ac promptissimus ultor.
Armipotens bellator erat, velutique procella
Hostes confregit, populosque per arma subegit.

(a) Dagobertus sedet in solio, cum duobus hinc inde filiis, Clodoveo et Sigeberto. Hæ tres statuæ lapideæ sunt, exsculptæque videntur tempore S. Ludovici.

C

VITA S. SIGEBERTI

REGIS AUSTRASIÆ,

Auctore Sigeberto Monacho Gemblacensi.

Apud Bollandum 1. *Febr.*

D

CAPUT I.

S. Sigeberti Majores. Nativitas.

1. Anno Dominicæ Incarnationis quingentesimo octogesimo-sexto (a) Lotharius secundus, Chilperici Regis et Fredegundis filius, in Francia admodùm puer regnare cœpit. Qui postquàm ad intelligibilem ætatem venit, honestati morum studere cœpit. Unde à Deo exaltatus, eò usque processit, ut Monarchiam regni Francorum mereretur accipere solus. Hic anno regni sui tricesimo-nono Dagobertum filium suum in consortium regni adscivit : et ne regiæ potestatis licentiâ, et juvenilis ætatis intemperantiâ exorbitaret à via rectitudinis, ei viros potentia et sanc-
E titate claros substituit, sanctum scilicet Arnulphum, ex Majore-domûs Metensem Episcopum, et Pippinum Majorem-domûs tunc temporis cunctis aulicis præeminentem potentia et prudentia. Istis Dagobertus utens tutoribus, regnum Francorum propagavit latiùs, et maximè ad debellandos (b) Saxones laboravit intentiùs, qui fines regni sui crebris fatigabant excursibus. Quos auxilio patris sui Lotharii ita devicit, ut et Regem eorum Berthoaldum perimeret, et omnes Saxones, mensuram gladii sui excedentes, gladio trucidaret. An. 584. An. 613. An. 622.

2. Tam bonis Dagobertus Rex usus principiis, post mortem patris sui cœpit paullatim resilire à proposito æquitatis, et consiliis Pippini Principis et Cuniberti Archiepiscopi Coloniensis, quem idem Pippinus post decessum S. Arnulphi unani- An. 628.

(a) Chlotharius II. anno 584. regnare cœpit, et anno 613. Francorum Monarchiam obtinuit.

(b) Hanc Saxonicam expeditionem, quam fusioribus verbis referunt Auctores Gestorum Francorum ac Dagoberti, falsam fictamque ac fabulosam, judicat Hadr. Valesius Rer. Franc. lib. 18. pag. 59.

mem sibi amicum et intimum suis elegerat consiliis. Nam quamvis Dagobertus Rex esset egregius bellator, Sacerdotum Dei et Ecclesiarum pius amator, pauperum Christi largus sublevator, et multarum bonarum artium executor; tamen carnalis incontinentiæ morbo nimis laborabat, unde et claritudini nominis sui fœdam infamiæ notam contraxerat, et (quod gravius erat) Regis Regum iram contra se accenderat. Reginas enim suas fictis ex causis alias pro aliis repudiabat, ipsis quoque desponsatis pellicum amores superducebat. Et quamvis adeò deditus esset carnali commercio, nullam tamen spem propagandæ posteritatis habebat, ex nulla tot uxorum filio suscepto. A

3. Permaximè ergo Rex dolebat, quia se Dei offensam incurrisse sentiebat : præsertim quòd ex regio patrum suorum semine nullum sciebat superesse, præter se et fratrem suum Charibertum : qui Charibertus propter simplicitatem nimiam minùs idoneus erat ad regni gubernaculum. Sed quamvis de prolis prosperitate, non tamen desperans de Dei miseratione, præcordialiter eum deprecabatur, ut sibi ex ejus nutu filius daretur, qui sibi in regimine regni subrogaretur. Justus et pius Dominus, qui hominum erratibus ad iram attrahitur, precibus etiam humilium ad misericordiam reducitur. Rex siquidem Dagobertus, dum circuiret Austrasiam nono (a) anno regni sui, puellam quamdam, Ragentrudem (b) nomine, vultûs elegantia laudabilem, genere etiam inter Austrasios non ignobilem, cum regii cultûs honore sibi uxorem junxit : quæ Deo volente, eodem anno ei genuit filium. B

An. 630.

CAPUT II.

Baptismus. Educatio.

C

4. Rex hoc lætificatus nuntio, volvere cœpit animo, cui sanctorum virorum potiùs hunc puerum traderet, qui eum sacro baptismate regenerare deberet. Erant eo tempore in Francorum regno multi apud Deum et homines sanctitate prædicabiles et virtutibus. Inter quos S. Amandus Elnonensis clarebat gloriosiùs : qui ex Aquitania oriundus, Christum relictis omnibus sequebatur, et labores voluntariæ peregrinationis instantiâ divinæ prædicationis consolabatur, et ejus cultu seges uberrima per Franciam in horrea Christi congregabatur. Ad hunc perquirendum per diversa discurrunt nuntii, ad festinantis Regis edictum. Is Amandus jamdudum, quia solus omnium Sacerdotum non timuerat Regem redarguere pro capitalibus criminibus, jubente eo, cum injuria de regno ejus fuerat expulsus, et in remotioribus Franciæ locis verbum Dei prædicabat gentibus. Tandem reperitur, et ut Regem adeat quantociùs admonetur (c). Ille memorans præceptum Apostoli, quòd omnis anima potestatibus sublimioribus debeat subjici, venit ad Regem in villa Clippiaco morantem. Viso Rex beatissimo Amando, magno repletus est gaudio, prostratusque pedibus ejus, deprecabatur ut tanto sceleri, quod in eum perpetraverat, veniam largiri dignaretur. At ille, ut erat mitissimus, citiùs eum elevavit à terra, atque clementissimè indulsit. Tunc Rex ad sanctum ait : *Pœnitet me, quòd stultè adversùm te egerim. Precor ergo, ut ne memineris injuriæ, quam tibi irrogavi, atque precem meam, quam à te postulo, non dedigneris annuere. Dedit Deus mihi filium, non meis præcedentibus meritis, precorque ut eum sacro digneris abluere baptismate, atque in filium tibi spiritualem accipere.* Quod vir Domini vehementer renuit, scilicet sciens scriptum esse, militantem Deo non oportere implicari sæcularibus negotiis : et quietum atque remotum, non debere regia frequentare palatia, et è conspectu Regis abscessit. Rursùm Rex misit ad eum viros illustres, tunc in laïcali habitu palatio deservientes, Audoënum scilicet, post Rothomagi Episcopum, et Eligium pòst Noviomi Episcopum. Hi humiliter virum Dei petierunt, ut precibus Regis daret assensum, atque filium ipsius sacro dignaretur diluere fonte, et ut eum enutrire, atque lege imbuere divina quantociùs assentiret; dicentes, quòd si hoc vir Domini non renueret, per hanc familiaritatem libentiùs in regno illius, vel ubicumque eligeret, licentiam prædicandi haberet, seu nationes quamplures per hanc gratiam se posse conquirere fatebantur. Tandem ergo fatigatus precibus amborum, facturum se esse promisit. D E

(a) *Anno octavo* apud Fredegarium c. 59. aliosque.

(b) Ragnetrudem vocant alii, quæ pellex erat, non uxor Dagoberti, qui Nanthildem in matrimonium duxerat.

(c) Hæc ferè ad verbum expressa sunt ex Baudemundo Vitæ S. Amandi Auctore.

A 5. Audiens autem Rex, quòd vir sanctus précibus ejus annuerat, puerum adduci præcipit : ipse verò Aurelianis (a) contendit : ubi ei frater suus Charibertus ad hoc ipsum, ut filium ejus de sacro lavacro susciperet, occurrit. Ibi puer affertur, qui non plusquàm quadraginta dies ab ortu suo habere ferebatur. Quem accipiens vir sanctus sacris mysteriis initiandum, cum benedictione solemni eum fecit catechumenum. Cùmque finita benedictione nemo ex circumstantibus respondisset, *Amen;* aperuit Deus os infantis, atque cunctis audientibus clara voce respondit, *Amen*. Statimque eum regenerans sacro baptismate, Sigebertum eum nominavit, eumque (b) ipse cum Chariberto fratre Regis de sacro fonte suscepit. Super hoc Rex cum omni exercitu magno triumphans gaudio, dehinc sanctum virum habitum in magnæ venerationis loco, non multò pòst inthronizavit eum in Trajectentis Ecclesiæ solio. O miram Dei gratiam ! ô prædicabilem ejus potentiam ! quis non in ejus laudem exclamet? quis non
B super divitiis bonitatis ejus exsultet? Qui olim Jeremiam Prophetam in utero matris sanctificavit : cujus spiritu afflatus cum matre sua, plusquàm Propheta Joannes exsultavit, et nondum natus præco nasciturum Regem prævidens gratulando salutavit, ipse etiam modò recens nato puero per os sancti Præsulis charisma spiritualis benedictionis infudit, et quòd sibi vas electionis esset futurus, per ejusdem ostendit miraculum : quem mox, ut originalis peccati ablutus est macula, Spiritûs sancti perfudit gratiâ. Verè benedictus per omnia, per quem nomen Domini adhuc benedicitur in Ecclesia, et benedicetur in sæcula.

6. Aut vix, aut nunquam invidiam effugit gloria. Pipinus Major-domûs, qui cautè et prudentèr se agebat in cunctis regni vel palatii negotiis, bonus in consiliis, fortitudine terribilis, cultu justitiæ et fidei proposito per omnia laudabilis, quò magis omnes gloriâ anteibat, eò majorem omnium pene Austrasiorum contra se invidiam conflaC verat, observantibus æmulis, ut amoverent eum à latere Regis : ut aut disjungerent eum à Regis corde, aut facerent eum plecti morte. Sed ille callens moderari animo suo, noluit vinci à malo, sed vicit malum in bono. Nam ut se et omne regnum absolveret discordiæ scandalo, arrepto ad nutriendum Sigiberto Regis filio, invidorum factioni cessit, et ad (c) Charibertum Regis fratrem in Aquitania morantem contendit. Non multò pòst transeunte nubecula hujus tempestatis, lætior rediit per concordiam aura serenitatis.

CAPUT III.

Regnum Austrasiorum. Obitus Dagoberti.

D 7. Sammon (d) quidam Francus genere, negotiator arte, cùm ad gentem Winidorum (e) se contulisset, et per fortitudinem et industriam suam ab eis in Regem promotus fuisset, inter se et Dagobertum Regem orta simultate, sæpe regni sui transgresso limite, Thuringiam et reliquos sibi vicinos Francorum pagos vestabat acerrimè. Hac de causa Rex Dagobertus anno regni sui undecimo Metis adiit, ibique Procerum et Pontificum conventum adesse jussit, eorumque consilio et consensu filium suum Sigibertum in regnum Austrasiorum sublimavit, sedemque Regis Metis urbem habere permisit : partem etiam thesaurorum sufficientem tradidit, et hoc totum edicto regali et Procerum attestatione authorizavit. Tutelam verò Regis, cujus pueritiæ timebat, commisit Cuniberto Archiepiscopo Coloniensi, et Adelgiso Duci : curam verò regni Austrasiorum et providentiam omnium imposuit Pi-
E pino (f) Principi. Ex illo die repressa est insolentia Winidorum, obviante eis for-

An. 625.

An. 633.

(a) Dagobertus Aurelianos non contendit, sed Sigibertum filium suum Pippino Aurelianos ducendum commisit.

(b) S. Amandus Sigibertum baptizavit, eumque solus Charibertus de fonte suscepit. *Charibertus*, inquit Fredegarius cap. 62. *Aurelianis veniens Sigebertum de sancto lavacro excepit.*

(c) Hadr. Valesius lib. 19. pag. 98. observat, Pippinum cum Sigiberto non in Aquitaniam, sed Aurelianos jussu Dagoberti profectum esse, nec ut æmulorum insidiis se subduceret, sed ut infantem patruo excipiendum offerret.

(d) Fredegarius in Chronico cap. 75. narrat, anno 40. regni Chlotharii Samonem natione Francum, de pago Senonago (corruptè pro *Senonico*, *le Senonois*) à Sclavis cognomento Winidis Regem electum. Annus regni Chlotharii quadragesimus, secundus Dagoberti, Christi est 624.

(e) *Winidi*, veteribus *Venedi* dicti, pro variis familiis ac locis, ut scribit Jornandes, nomina mutare consueverunt : inter quos illustriores fuere *Sclavini* et *Antæ*. Vide Valesium lib. 18. pag. 38.

(f) Tutela Sigiberti Regis Chuniberto Antistiti et Adalgiso Duci credita est, non verò Pippino, qui, ut Fredegarius et Aimoinus produnt, à Dagoberto Rege, dum vixit, in Neustria retentus est, et sub eo assiduè palatium incoluit. Vide eumdem Valesium lib. 19. pag. 114.

titer et feliciter fortitudine Austrasiorum, et frequentibus præliis reprimente excursus illorum. A

An. 634. 8. Post annum nascitur (a) Regi Dagoberto filius, qui Clodoveus est nominatus. Qui iterùm cunctis primatibus Austrasiæ et Neustriæ in generali conventu congregatis, iterùm divisionem regni inter duos filios ordinavit coram eis eorum assensu et consilio, et confirmavit, datis et acceptis invicem pactis et sacramentis, ut scilicet determinato utriusque regni certo limite, Sigebertus regnare super Austrasiam, Clodoveus verò regeret Neustriam. Eam partem Franciæ, quæ spectat ad Meridiem (b) et Orientem, vocabant Austrasiam : eam, quæ vergit ad Aquilonem et Occidentem, vocabant Neustriam. Rex Dagobertus tam justè et prudenter regno utroque ordinato, ne aliquando aliquo modo vel fratres inter de fraterno dissiderent odio, vel regnum in se ipso
An. 638. divisum civilis belli desolaretur scandalo ; anno regni sui decimo-septimo (c) mortuus, B et Parisiis in basilica S. Dionysii sepultus, regnum dimisit ab exteris pacatum gentibus, et in nullo diminutum à suis finibus.

9. Post cujus obitum duo Reges et fratres, Sigebertus et Clodoveus, se quisque in regno suo agebat prudenter, et inter suos valebant potenter, subjectis se exhibendo placabiles, adversantibus terribiles. Et cùm in omnibus inter se Deo placita
An. 639. vigeret concordia, pro uno tamen negotio pene voluit introrepere discordia. Sigeberto enim Rege repetente sibi debitam partem paterni thesauri, nitebantur ei contraïre proceres, qui erant ex parte Clodovei. Sed Pipino (d) Principe, et Cuniberto Archiepiscopo fortiter et rationabiliter instantibus, pro sui potentia ab invitis Neustriæ primatibus extorserunt, mediante justitia, ut ex condicto ad villam Compendium veniretur, ibique thesaurus Regis æqua lance divideretur, suaque cuique pars competenter daretur. Ventum est illò : thesaurus dividitur ex æquo, pars debita repræsentatur C Metis Regi Sigeberto.

CAPUT IV.

S. Pipini obitus. Major-domûs Grimoaldus. Bellum Thuringicum.

An. 639. 10. Sequens annus luctum maximum intulit Regi Sigeberto ejusque regno, Pipino (e) Majore-domûs ex hac luce subtracto, qui ipsum Sigibertum paternè nutrierat à puero, et imbecillitatem pueritiæ et adolescentiæ ejus validi sui auxilii sustentaverat brachio. Hic omnimodis regno utilis, genere, potentia, prudentia et fortitudine super omnes nominabilis, Grimoaldum filium suum rerum suarum hæredem fecit : duas quoque filias, Gertrudem et Beggham, ad laudem et gloriam generis sui post se reliquit. Quarum una Gertrudis Christo, quàm sponso carnali, D malens nubere, sanctæ religionis proposito inserviens in Nivellensi Cœnobio à sua fundato matre, spiritualem prolem adhuc non desinit Deo gignere. Soror ejus Beggha nupta Ansigiso S. Arnulphi Metensis Episcopi filio, regiæ dignitatis decus, quod penitùs deperierat per Regum Francorum inauditam desidiam, per suam reparavit prosapiam. Ipsa siquidem genuit Pipinum, Pipinus Carolum, qui Tudetes, id est Martellus, est agnominatus : Carolus Pipinum Regem : Pipinus Carolum cognomento Magnum, Francorum Regem et Imperatorem Romanorum : qui eò honoris et potentiæ processit, ut nullus de Regibus Francorum, vel ante eum, vel post eum, ei comparari potuerit. Quia aliquantulùm excurrimus, citò undè digressi sumus redeamus.

11. Grimoaldus pro patre suo Pipino constitutus Major-domûs, potenter in aula Sigeberti Regis principabatur, et domi militiæque viriliter tutabatur. Omnia in tuto esse putabantur, et compressis vicinarum gentium motibus, nihil metuebatur. Invenit tamen noverca bonorum invidia, quomodo in ipsis regni visceribus sereret discordiæ zizania. Otho Uronis (f) domestici filius, qui Sigeberti Regis

(a) Nimirùm è Nanthilde legitima Dagoberti uxore.

(b) Imò *versùs Septentrionem et Orientem*. Nec vox *Austria* seu *Austrasia* ab Austro vento meridionali derivata est, sed à voce Germanica *Oosten*, id est *Oriente*. Et contrà Neustria est versùs Meridiem et Occidentem, deduciturque à *Niew Westen, à novis Occidentalibus incolis. Henschenius.*

(c) Potiùs *anno decimo sexto*. Nam Dagobertus vivente patre regnum iniit anno 622. obiit anno 638. 14. Kal. Februarias.

(d) Illud de Pippino falsò scriptum esse in gratiam Austrasiorum asserit Valesius Rer. Franc. lib. 20. pag. 161.

(e) Hic est Pippinus, quem veteres Seniorem, recentiores à villa Landino Landinensem cognominant.

(f) Fredegario *Beronis*. Othonem Grimoaldus anno 642. per Leutharium Alamannorum Ducem interfecit. Valesius loco cit. pag. 163. existimat Othonem post mortem Pippini aliquamdiu Majorem-domûs egisse, nec ante mortem ejus Grimoaldum Præfecturam palatii obtinuisse.

ab

A ab adolescentia fuerat bajulus, zelo invidiæ ducebatur contra Grimoaldum Majorem-domûs, et traductis ad se Procerum aliquibus, arrepebat in spem invadendi principatûs ejus.

12. Radulphus quoque Dux Thuringiæ, vir bellicosus, prosperis intumescens eventibus, cùm Winidos crebris vicisset congressibus, contra Sigebertum dominum suum et Regem agebat insolentiùs, ejusque despiciens adolescentiam, magnam intulit regno molestiam : et eò vecordiæ processit, ut exercitu Sigiberti insidiis excepto, non minimam de Francis stragem facere præsumpserit. Quod infortunium nimium Sigeberto Regi intulit luctum, tunc agenti (a) annum regni nonum, ætatis verò duodecimum. Sed quia cum ætate ei robur et industria accrevit, non anteà ab inimicorum insecutione destitit, quàm superbiam eorum domuit, et Thuringos, qui instinctu Radulphi rebelles erant, sub jugo dominii sui victos et confusos reflexit : Otho etiam, qui potentiam B Grimoaldi obliquo oculo limans, eam ad se trahere nitebatur, factione Grimoaldi à Leutherio Alamannorum Duce in gratiam ipsius trucidatur, atque ita Grimoaldus in Principem corroboratur. An. 640. An. 642.

CAPUT V.

Monasteria dotata. Eleemosynæ. Mors. Sepultura.

13. Pax alta et quies erat in cunctis Austrasiorum terminis, sedatis undique exteris et domesticis adversariis, virtute Dei promovente virtutem Sigeberti Regis, quem sibi placiturum monstravit à primo rudimento ætatis. Qui enim Salomoni in tenera ætate dedit sapientiam, divitias et potentiam, dedit etiam huic sapientiam, divitias C et potentiam. Ego quidem, si verbis Domini uti audeam, fidenter dicam, quia *plusquàm Salomon hîc.* Salomon enim sapientiam, quam in nocte et per somnium accepit, transgrediendo Dei cultum perdidit ; divitias et potentiam, quas plus cunctis habuit, in perniciem animæ suæ vertit, et ut in posteris suis minueretur, peccando meruit. Hic verò pacificus noster Salomon, quicquid sapuit, quicquid habuit, quicquid potuit, ad animæ suæ commodum convertit, et ut in posteris suis spiritualiter multiplicaretur, bene agendo meruit. Solet enim fieri in pacatis regnis, ut per otium et desidiam moribus corruptis, abutantur securitate pacis. Hic contrà gaudens diuturnitate temporalis pacis, laborabat obviàm ire aëreis catervis : et colluctaturus contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, conducere sibi spirituales, qui secum bellarent, exercitus. *Luc.* 11. 31.

14. Duodecim enim Monasteria in diversis regni sui partibus ædificavit, eisque D ex suis redditibus regia liberalitate necessaria suppeditavit, ut illic sub Apostolicæ vitæ viventes regula, dum sua meterent carnalia, sua sibi seminarent spiritualia. Inter quæ eminent in nostra vicinia Stabulaus et Malmundarium (b) cœnobia, infra silvam Ardennam sita : quæ idem Rex, cooperante sibi Majore-domûs Grimoaldo, constructa, S. Remaclo Tungrensi Episcopo tradidit ordinanda. Illius enim et Cuniberti Coloniensis Episcopi præcipuè innitebatur consilio, et ad talia facienda sanctorum virorum animabatur exemplo. Et ut ab uno plura discamus, quanta pii Regis liberalitas fuerit in sanctorum locis ditandis, ex his duobus colligamus. Audiens in locis S. Remaclo delegatis fervere cultum sanctæ religionis, præsertim quòd idem præsul, abjecta Episcopali sarcina, se ibi mancipaverat arctiori vitæ, tradidit ei ex ipsa foresta duodecim leucas in latitudine, et totidem in longitudine : in quo spatio nullus E ei vel sibi succedentibus contradiceret : affirmaveruntque illud testamento cum adstipulatione imperiali.

15. Rex Sigebertus, revera Regis nomine dignus, quia se ipsum bene regere norat, magnopere terrena bona minimis Christi distribuere curabat, ut ad summum bonum tandem pertingere posset, quod non constare nisi in æterna beatitudine claret. Expertus enim erat, quia terrena felicitas in aliquo semper curratur, ne ad perfectionem boni perveniat. Cùm enim sibi opes, honores, potentia, gloria affatim pro regia affluerent magnificentia, multùm tamen felicitati suæ deesse dolebat, pro eo quòd liberorum dulci affectu carebat. Et ideò in ædificandis ad ædificationem animarum cœnobiis instabat liberiùs, et sua Christo distribuebat liberaliùs : quia

(a) Annus erat regni Sigeberti octavus, ætatis decimus.
(b) De his duobus Cœnobiis alibi dicimus.

præter Christum, cui hæc cederent, non erat (a) ei hæres legitimus. Quia verò A
Grimoaldum Majorem-domûs sibi in omnibus fidelem, morigerum et cooperatorem eatenus expertus erat, filium ejus (b) Childebertum regni Austrasiorum hæredem delegat : hoc tamen proposito conditionis tenore, si ipsum contingeret sine liberis obire. Rex quidem, utpote futurorum nescius, quod tunc sibi videbatur, ex temporis convenientia fecit : posteà verò filium genuit, quem nomine patris sui Dagobertum vocavit : et priori testamento ad irritum redacto, hunc nutriendum commisit Majori-domûs Grimoaldo, ut ejus potentiâ contra omnes tutus sublimaretur in Austrasiorum regno.

16. Talis erat Sigeberti Regis vita, quam apud homines et temporalis magnificabat potentia, et grata Deo in omnibus commendabat justitia : apud Deum verò eam acceptabilem faciebat columbina simplicitas; cùm tamen ei adesset etiam ser-
Prov. 25. 4. et 5. pentina callĭditas. Quia verò dicit sapientia ex ore Salomonis : *Aufer rubiginem de* B
argento, et egredietur vas purissimum : aufer iniquitatem de vultu Regis, et firmabitur justitiâ thronus ejus ; Rex ille, in cujus manu sunt corda Regum, de famulo suo Sigeberto, qui per vitæ puritatem et sapientiæ venustatem splendebat ut argentum, abstulit in præsenti sæculo rubiginem peccatorum, et fecit sibi vas misericordiæ pu-
Luc. 11. 41. rissimum. Et cùm Deus dicat nobis : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis ;* quis discredat peccata hujus Regis, ex terrena contagione et regni occupatione ei adhærentia vice pulveris, Deum eluisse tot eleemosynis, quæ ad laudem et gloriam nominis Christi expensæ sunt per eum, et adhuc quotidie expenduntur in tot ab eo structis cœnobiis? Abstuli nimirum iniquitatem de vultu Regis, ut firmaretur justitiâ thronus ejus : ut quia justus ex fide vivens, vilipenderat terreni regni fastus, coronatus corona justitiæ, et ornatus palma victoriæ, conregnaret Christo in cœlestibus. C

17. Rex ergo terribilis apud omnes Reges terræ qui aufert spiritum principum, ne malitia mundi mutaret militis sui intellectum, in flore juvenilis ætatis eum acerba morte rapuit de præsenti sæculo nequam, et in cœlesti curia ei contulit veræ dignitatis gloriam. Obiit autem (c) Calendis Februarii ætatis suæ anno fere tricesimo primo, regni vicesimo octavo, ab Incarnatione Domini anno (d) sexcentesimo sexagesimo secundo; à transitu sancti Martini anno ducentesimo sexagesimo tertio. Et qui in multis locis insignia sui monimenta reliquerat, sepeliri eligit in urbe Metis, quæ regni sui sedes fuerat, in basilica, quam ad gloriam et laudem Dei in honore sancti Martini gloriosi confessoris Regia liberalitate construxerat.

(a) Ex Vita B. Remacli à Notgero Episcopo Leodiensi scripta apparet monasteria Stabulense et Malmundariense ante decimum quartum regni Sigeberti annum structa fuisse. Quomodo igitur fieri potuit, ut adolescens quindecim aut sexdecim annos natus, ideò ea ædificaverit monasteria, quòd nullus ipsi esset hæres legitimus ?

(b) Hujus delegationis, ut observat Valesius lib. 20. pag. 188. nullam veteres nostri Historici mentionem faciunt : nec verisimile est, Sigebertum in ipso flore adolescentiæ testamentum fecisse, et in ea ætate, qua plerique nondum uxores ducunt, de prole desperasse.

(c) Hic character de die emortuali Sigeberti solus verus est, alii characteres falsi.

(d) Meliùs Sigebertus in Chronico Sigeberti Regis mortem consignat anno 656. Sigebertus enim anno 633. Franciæ Orientalis Rex renunciatus est, regnavitque annis 23. ut habet antiquissimus Index Regum Francorum, quem edidit Chesnius Tomo 1. pag. 781. quemque infrà edemus.

VITA BEATI PIPPINI DUCIS,

Bolland. XXI. Febr. pag. 260.

QUI FUIT MAJOR-DOMUS AUSTRIÆ SUB CLOTHARIO, DAGOBERTO, ET SIGEBERTO, POTENTISSIMIS REGIBUS.

Ex Cod. Ms. Claudii Doremieux Atrebatensis.

Apud Chesnium Tom. I. Script. Franc. pag. 594.

NOtissimum (a) est, ac celebri fama pervulgatum, patrem beatissimæ Dominoque dilectæ virginis Gertrudis Pippinum exstitisse. Sed præter nomen, cetera vitæ gestorumque ejus cunctis pene Historias ignorantibus manent incognita. Nos quidem pauca in gestis Francorum sparsim inventa colligentes, nostro stylo continuam facere narrationem curavimus. Quam idcircò volumus in propositi nostri operis exordio præmittere, ut si quis nobilissimæ virginis genus nosse cupiat, de ipsius hoc vita familiariùs, quàm aliunde petat. Fuit igitur Pippinus (b) Carolomanni filius Dux et Major-domûs sub Clothario, Dagoberto et Sigeberto potentissimis Regibus. Qua dignitate modicè differente à sublimitate Regia præditus, omnia prudentissima dispositione ordinabat, præstabatque tam in bello fortitudine, quàm justitia in pace. Erat erga Regem fidei servantissimus, erga populum verò tenacissimus æquitatis, et in disceptanda utrorumque causa firmissimo animi judicio persistens. Nec munera populi ad subvertendum jus Regium respiciebat, nec gratiam Regis ad obruendam populi justitiam attendebat. Siquidem Regem Dominum Regi hominum præferebat: cujus mandato prohibitum noverat, vultum potentis honorare, vel personam pauperis in judicio attendere. Tam ergo quæ plebis erant plebi defendebat, quàm quæ Cæsaris Cæsari restituebat. Studebat ad lineam divinæ Justitiæ omnes judiciorum suorum sententias dirigere; quæ res tum totius plebis testimonio, ut pòst docebimus, tum verò vel maximè hinc arguitur, quòd beatum Arnulphum Metensium Pontificem, quem in timore et dilectione Domini noverat excrevisse, omnium consiliorum suorum vel negotiorum socium assumebat. Si quid enim ipse litterarum ignorantia minùs cerneret, ille quasi fidelissimus divinæ voluntatis interpres rectissimè enuntiabat: qui et sacrarum scripturarum sententia eruditus erat, et ante Pontificatum hanc eamdem dignitatem irreprehensibiliter administraverat. Hoc adjutore fretus, Regem ipsum æquitatis fræno cohibebat, si quando neglecto jure, potestate Regia abuti voluisset. Defuncto quoque prædicto viro, beatum Cunibertum Coloniensium Antistitem, pari sanctitatis fama illustrem, curabat in hac negotiorum administratione participem habere. Perpendere potes quo æquitatis ardore accensus fuerit, qui tam circumspectos custodes, tamque incorruptos arbitros consiliis delegerit. Quia enim à pravitate aversus, rectis et honestis studiis attentissimus exstitit, semper usus est in exercitio sancti operis sanctorum virorum consiliis.

Quomodo Dagobertum Regem adolescentem in tutelam suam receperit.

Primùm ergo hic egregius Princeps sub Clothario Rege patre Dagoberti Major-domûs effectus, præcipuam potestatem summumque venerationis locum apud ipsum obtinuit, eò quòd eum idem Rex erga Dominum Deum pietate, erga se verò devotissimum fide cognovit. Qui cùm proposuisset filium suum Dagobertum in amplissimi regni parte Regem ordinare, sed in infirmis annis, immaturis sensibus parùm fideret, hunc talem virum præ cunctis Principibus credidit, quem teneræ ætatis rectorem, ac Regiæ administrationis provisorem statueret. Commisit ergò adolescentem in manum ejus, fretumque consiliis et industria prudentissimi monitoris

DAGOBERTUS. An. 622.

(a) Ea quæ sequuntur usque ad Capitulum *de nobilitate beatæ Ittæ*, reperiuntur in Vita tripartita sanctæ Gertrudis, quam Josephus Geldolphus à Rychel Abbas sanctæ Gertrudis Lovanii anno 1632. vulgavit.

(b) Carolomannum Pippini patrem Hasbaniæ Principem quidam appellant: hunc quidem multas in Hasbania possessiones habuisse, non verò Hasbaniæ Principem fuisse existimat Hadr. Valesius Rer. Franc. lib. 18. pag. 34. quia tunc temporis nullus præter Regem cujusquam in Francia pagi atque regionis Princeps aut Dominus dicebatur.

eum ad regnandum in Austriam direxit. Susceptum itaque juvenem studuit Pippinus A
quàm optimis moribus adornare, timorem Domini et amorem, justitiæ inculcare,
Prov. 29. 14. docens quod scriptum est : *Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus firmabitur in æternum.* Ejus verò prudentia Dagobertus non solùm hanc partem prosperè administravit, sed totum patris regnum, quod latissimum erat, post decessum ejus obtinuit : cùm tam frater ejus Charibertus, quàm plerique Principes, summo studio contrà niti vellent, ac potestatem Regiam in se quisque reflectere certarent. Sed citò oppressa
An. 629. est factio illorum sanis consiliis prudentissimi Ducis. Dagobertus igitur brevi confirmatus in regno, liberalitate, justitia, mansuetudine, aliisque artibus, quibus Regem decebat, cunctos sibi arctissimo amore devinxit, ac boni monitoris industriâ eo celebritatis splendore enituit, ut cunctis ante se Regibus nobiliore fama præcelleret, omnesque eum immensis laudibus prædicarent. Sed hanc regiam viam, hanc virtutis B
lineam tenuit, quamdiu sanam doctrinam sapientissimi præceptoris sustinuit, et non ad sua desideria coacervavit sibi Magistros. Felix, si secundùm viri sapientis monitum de mille pacificis suis unum hunc elegisset Consiliarium. Sed demum Salomonis exemplo depravatum est ad tempus cor ejus per mulieres : utque solet in magna rerum copia et soluta libertate prona esse in consensum peccati natura mortalium, ob divitiarum affluentiam ac secundos rerum successus, à bono honestoque in pravum abstractus, salubribus monitis aures occlusit. Cœpit ergo tam avaritia quàm libidine æstuare, rebus Ecclesiarum novos thesauros implere, et præter concubinas, quarum multiplex erat numerus, contra jus Canonicum et decus Regium, trium Reginarum incestis abuti amplexibus. Quo dolore Pippinus permotus, eum liberrimo ore increpabat, exprobrans quòd maximis Domini beneficiis ingratus exsisteret. Sed ille obscœnis libidinibus potiùs, quàm sanis monitis obtemperans, malebat more phre- C
netici medicum quolibet modo exstinguere, quàm à pravitatis suæ furore resipiscere. Ad quod scelus non parum incitabatur perversis suggestionibus reproborum hominum, virtuti Pippini invidentium malitiosè. Sed Pippinus, in modum sancti animalis habentis oculos antè et retrò, undique circumspectus, prudenter agebat in cunctis. Verumtamen ut ipsis verbis historiæ Francorum utar, amor justitiæ, ac timor Domini, quem diligebat, ipsum liberavit à malis. Nec mirum si, depravante tanta rerum gloria, Rex minùs in via Domini adhuc perfectus, ab ejus magisterio in domum fornicationis, et homicidii cupiditatem incidit : cùm ipse David, qui secundùm cor Domini electus fuerat, quique Prophetas suos eruditores habebat, mox ut pressuræ pondere caruit, ea lascivientis animi levitate captus est, ut in illicitos amplexus alienæ conjugis primò rueret, pòst ad obruendam infamiam perpetrati flagitii, D
devotum militem exstinguens, adulterium homicidio cumularet. Sed benignus Deus, qui David à commisso scelere per pœnitentiam purgavit, hunc quoque ab effusione justi sanguinis desperata opportunitate innoxium servavit. Nam videns Dagobertus minimè eum insidiis capi posse, simul etiam saniore consilio reputans dignitatis suæ statum labefactari, si virum nobilem, potentem, fide ac justitia popularibus acceptum perimeret, paulatim animum reflexit, cœpitque egregium Ducem magis revereri.

Quomodo Sigebertum Dagoberti filium in tutelam suam susceperit.

An. 633. Denique conceptam malitiam ita in pacem et gratiam commutavit, ut filium
Sigebertus III. suum Sigebertum (a) illi absque suspicione commendans in Austriam ad regnandum mitteret, expertus in se ipso fidem ejus, et efficacem industriam, qua pros- E
perè hanc ipsam regni partem, adhuc patre suo superstite, administraverat, eoque defuncto, ad totius regni obtentum, revictis omnibus adversariis, pervenerat. Transfusa est ergo per ejusdem Rectoris prudentissimum consilium eadem prosperitas in filium, ita ut Sigeberto regnante, sed Pippino regente, et accommodante operam suam, deinceps Austrasii terminos suos contra barbaros strenuè defenderint, quorum creberrimis incursibus eatenus impugnari solebant. Sed et mortuo
An. 638. postmodùm Dagoberto, omne regnum Francorum ad Sigebertum transtulisset, nisi priùs facta descriptione totius regni, pater cum Sigeberto pactum firmasset, ut ipse Austria contentus, juniori fratri Clodoveo Franciam permitteret. In hujus verò Clodovei potestate, matrisque ejus Nantildis Reginæ, copiosissimi thesauri Dago-

(a) Jam suprà ad Vitam Sigeberti monuimus, Pippinum à Dagoberto non missum fuisse in Austriam cum Sigeberto.

A berti Regis indivisi fuerant relicti. Quorum divisionem Pippinus cum Cuniberto Pontifice expostulans, ex arbitrio suo obtinuit, justamque partem receptam Sigeberto Regi Mettis deportari fecit. Sed eodem anno expleto, egregius Dux, ac verissimus pater patriæ, rebus humanis excessit. Cujus mors tanto dolore totam Austriam perculit, ut planctui ejus planctus Regum nequaquam conferri possit. Fuit namque probatissimæ vitæ ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controversiarum finis, munimentum patriæ, Curiæ decus, via Ducum, et disciplina Regum. Qui profectò si beati Job exemplo suas laudes prædicare voluisset, ex persona sapientiæ, quæ eum uberrimè repleverat, verissimè et absque vitio dicere potuisset : *Per me Reges regnant, et conditores legum justa decernunt.* An. 639. Prov. 8. 15.

B *Testimonia bonitatis ejus de gestis Francorum collecta.*

Sed ne videar de vita beatissimi Ducis novum attulisse figmentum, non abs re erit, si in testimonium sanctitatis ejus eadem verba, quæ in gestis Francorum diversis in locis inserta sunt, hîc in unum collecta sub oculis posuero. Sunt ergo in hunc modum sese habentia. « Usque ad id tempus ab initio quo regnare cœpit Da» gobertus, consilio beatissimi Arnulfi Metensis urbis Pontificis, et Pippini Majo» ris-domûs usus, tanta prosperitate regale regimen in Austria regebat, ut à cunctis » gentibus immensam laudem haberet. Et paulò infrà : Post decessum beati Arnulfi, » adhuc consilio Pippini Majoris-domûs, et Cuniberti Pontificis urbis Coloniæ » utens, et ab ipsis fortiter admonitus, tantæ prosperitatis et justitiæ amorem com-
C » plexus, universas sibi gentes subditas sic regebat, ut nullus de Francorum Regi» bus præcedentibus sua laude fuisset præcellentior. Item post narrationem de tribus » Reginis et concubinis Dagoberti : Hæc cernens Pippinus, cùm esset cautior » cunctis, et consiliosus valdè, plenissimus fide, ab omnibus est dilectus pro ju» stitiæ amore, qua Dagobertum instruxerat, dum suo usus fuerat consilio : sibi ta» men nequaquam oblitus justitiam, neque recedens à via bonitatis, cùm ad Da» gobertum accederet, prudenter agebat in cunctis, et cautum se in omnibus osten» debat. Zelus Austrasiorum vehementer in eum surgebat, ut etiam ipsum cona» rentur Dagoberto odiosum facere, ut potiùs interficeretur. Sed justitiæ amor, et » Dei timor, quem diligenter amplexatus fuerat, ipsum liberavit à malis. Et aliquanto » infrà : Dagobertus Mettis urbem veniens, cum consilio Pontificum seu Proce» rum Sigebertum filium suum in Austriæ regno sublimavit, et Cuniberto Pontifici,
D » et Adagisilo Duci, et Pippino Majori-domûs regnum gubernandum constituit, » quorum studio deinceps Austrasii limitem et regnum Francorum contra Winidos » utiliter defensasse noscuntur. Item post pauca : Cùm Pippinus Major-domûs » post Dagoberti obitum, et ceteri Duces Austrasiorum cum Sigeberto unanimiter » conspirationem expetissent, Pippinus cum Cuniberto, sicut et amicitiæ cultu invi» cem colligati fuerant, et nuper sicut et priùs amicitiam perpetuò se firmiter conser» vaturos obligaverant, omnesque leudes (a) Austrasiorum secum uterque prudenter » et cum dulcedine attrahentes benignè gubernabant. Ac deinceps : Cunibertus Pon» tifex et Pippinus Major-domûs à Sigeberto directi villam Compendium usque per» veniunt, ibique thesaurus Dagoberti jubente Nanthilde et Clodoveo præsentatur, » et æqua lance dividitur. Cunibertus et Pippinus partem Sigeberti Mettis faciunt » perduci, et Sigeberto præsentatur et describitur. Ultimum verò laudabilis et ho-
E » nestissimæ vitæ præconium eadem Historia his verbis concludit : Post anni cir» culum Pippinus moritur, nec parvum dolorem ejusdem transitus cunctis generavit » in Austria, eò quòd ab ipsis pro justitiæ cultu et bonitate ejusdem dilectus fuisset. » Quis plura testimonia industriæ, potentiæ ac bonitate ejus desideret? Quia hæc de vita præclarissimi Ducis Pippini retulimus, pauca etiam de uxore ejus ac liberis et nepotibus retexamus.

De nobilitate beatæ Ittæ.

Uxor igitur ejus venerabilis Itta ex clarissima nobilitate Aquitaniæ oriunda fuit, sicut ex possessionum ejus traditione ad nos facta indubitatè cognoscimus. Quas

(a) Leudes, id est clientes.

SIGEBERTUS III.

quidem per multa tempora, quamdiu pax viguit, Ecclesia nostra tenuit, mul- A
tamque inde pecuniam per annos singulos exactores nostri referre solebant. Sed demum ingravescente bellorum tumultu, quia res longè remota erat, et sine legatorum periculo adiri non poterat, paulatim negligi cœpit, donec tandem in jus alienum cessit. De hac igitur sancta muliere satis quid erit dicere, quomodo post obitum pii consortis vixerit, ut ex quo quid sanctè egit in libertate sua, notum sit quàm religiosè se habuerit sub mariti disciplina. Viduata itaque beata Itta pii consortio conjugis, statuit non ultrà alium amatorem admittere, qui eam abstraheret à prioris sponsi affectu, et in novos mores vel amores traheret. Elegit sanctæ continentiæ propositum, ut quia primam illam virgineæ integritatis palmam assequi non poterat, proximum saltem virginitati ac penè conjunctum viduitatis meritum obtineret. Sed cautè considerans tam sanctæ deliberationis votum his modis impugnari solere, vel quia mulier naturali in se concupiscentia victa virum appetere cogitur, B
vel quia in se intus libera, foris tamen à concupiscente viro in amplexus allicitur; utriusque tam intimæ quàm extimæ temptationis occasionem voluit amputare, illam afflictione carnis, hanc verò impositione sacri velaminis. Illam tamen interioris concupiscentiæ flammam dudum consueta lacrymarum affluentia funditùs restinxerat, sed per eorum temptamenta majorem tutandæ castitatis sollicitudinem ingerebant. Nam aliqui eam propter morum honestatem, aliqui propter generis excellentiam, aliqui verò ob multiplices prædiorum possessiones et numerosam familiam petebant. Sed mulier sancta soluta à viro ex consilio Apostoli nolebat ultrà alligari : quæ quidem sic virum habuerat tamquam non haberet, et sic usa fuerat hoc mundo tamquam non uteretur. Dum igitur contra hæc assidua intentione cogitaret, contigit beatum Antistitem Amandum verissimè tam à Deo quàm ab hominibus amari dignum, ad domum ejus consolandi gratia divertere. Hic eximiæ sanctitatis Antis- C
tes ex nobilibus Aquitaniæ fuerat oriundus. Qui cùm orationis studio Romam adisset, beati Petri Principis Apostolorum visione jussus est in Galliam transire, et inculta adhuc Gallorum corda cœlestis prædicationis semine fœcundare. Mox huic jussioni humiliter obtemperans, commigravit in hanc viciniam, atque ita injunctum sibi officium prædicandi fideliter ac devotè exercuit, ut audita hujus sancti studii fama ad Aulam invitatus, jussu Dagoberti Regis Trajectensis Ecclesiæ ordinaretur Episcopus. Hunc itaque sanctum virum ad se introëuntem beata Itta lætissimè suscepit. Jam enim etiam in vita mariti assueverat hospitio pauperes recipere, sanctorum pedes lavare, tribulationem patientibus subministrare, ceteraque exercere pietatis opera sanctis viduis ab Apostolo injuncta. Hunc itaque pio consolatori sanctum animi propositum aperuit, et de manu ejus sacrum velamen in signum castæ viduitatis, et devotæ continentiæ accipere postulavit. At ille sublatis in cœlum manibus oculos attollens be- D
nedixit Domino, qui ancillæ suæ tam sanctum desiderium jecisset, quique eum in eo quod hortari venerat prævenisset. « Gratias, inquit, ago Deo et Domino Jesu Christo,
» qui respectu amoris sui gloriam mundi hujus in oculis tuis despectam fecit, et evulso
» affectu carnalis concupiscentiæ dilectionis suæ radicem in corde tuo fixit. Age
» mulier sancta, quod divina inspiratione cœpisti. Transiit denique tempus am-
» plexandi, subiit tempus longè fieri ab amplexibus. Præterit enim figura hujus
» mundi. Quocirca sanissimo consilio delegisti, ô mater sancta, Christi conjugium
» petere, et sine sollicitudine esse. Namque teste Apostolo, mulier innupta cogitat
» quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat
» quæ mundi sunt, quomodo placeat viro. Quod jam esse non magis credis, quia ab
» Apostolo audisti, quàm quia in temetipsa id experimento didicisti. Perfice ergo,
» beata vidua, quod animo concepisti, et misericordia Dei, quæ aspirando prævenit E
» ut continentiam vovere velis, ipsa adjuvando subsequatur, ut votum hoc integrum
» conservare possis. »

Quomodo à sancto Amando velamen suscepit.

Hac viri exhortatione venerabilis Itta confirmatiorem animum erga Deum, et propensius assumens votum, non solùm se divinæ servituti mancipavit, sed largiore benevolentia omnia quæ habere potuit Domino devovit. Primùm ergo consecratione adhibita, in Ecclesias mutavit propriæ domûs fastigia, eamque tam donavit prædiis, quàm diversi generis decoravit ornamentis. Deinde inter Missarum sollemnia de manu reverendi Pontificis sacrum velum et religionis habitum suscepit,

A seseque redigens in numerum Sanctimonialium, quas ibidem ad serviendum Deo de suo ordinavit, nobilissimæ cervici jugum nobilius Dominicæ servitutis imposuit. Verè admirabilis, et immensis laudibus dignissima prædicari hæc femina, quæ tantam mundi gloriam, qua Regum uxores æquabat, tam forti animo abjecit, ut his se consortem faceret, quarum famulatum in priore statu pro dignitatis magnitudine dedignari potuisset. Taliter ergo illis qui eam sibi matrimonio jungere concupiverant, spem omnem nuptiarum abstulit. Sed quas persecutiones ab illis ob sanctæ professionis votum pertulit, quia eas communiter sustinuit cum filia sua beatissima Gertrude, tunc commodiùs explicabo, cùm ad vitam gloriosæ Virginis describendam divinæ pietatis ductu venero. SIGEBERTUS III.

B *Quàm sanctè in viduitatis habitu vixerit.*

In hoc ergo sanctitatis habitu quamdiu vixit, Deo servire non destitit. Erat autem spe longanimis, caritate dilatata, fide sublimis, humilitate summissa, in jejuniis et orationibus longissima, habens perseverantiam in assidua psalmorum meditatione, ac jugi affluentia lacrymarum præmaximam sortita gratiam. Habebat semper præ oculis sanctam Annam, à qua in novo testamento vidualis continentiæ cœpit origo, quæ vidua usque ad annos octoginta non discedebat de templo, jejuniis et orationibus serviens die ac nocte : sic et ipsa mortificationem Jesu in corpore suo circumferebat, summo studio Apostolorum illud devitans obprobrium, *Vidua quæ in deliciis est vivens mortua est.* In largitione eleemosynarum, ac peregrinorum susceptione, non alium modum tenebat, nisi ut tanti pauperes rebus ejus participarent, quanti et
C illarum participes esse potuissent. Quippe quæ sua omnia Deo devoverat, nihil in his suum potiùs, quàm omnium indigentium recognoscebat. Tanta itaque in ea accumulata est virtutum omnium perfectio, ut sorores quæ ab annis puerilibus illius angelicæ conversationis exercitium cæperant, vitam ejus attentis animis considerarent; et inde vivum sibi sanctitatis exemplar sumerent. Hanc igitur beatæ actionis semitam annis XII. post obitum pii conjugis indefesso gradu cucurrit. Quibus transactis, excurso stadio hujus vitæ pervenit ad bravium felicitatis æternæ : migransque sexagesimo ætatis anno ad Dominum, recepit debitum sanctæ viduitati sexagesimum fructum. Sepulta est ergo in basilica beati Petri Apostoli, religiosa devotione fidelium defleta ut vera ac pia mater à fratribus et sororibus, viduis et orphanis, cæcis et claudis, omnique genere pauperum ac debilium. Hæc de vita beatissimi Pippini, et beatæ uxoris ejus Ittæ diximus. Nunc divina persequente gratia ad liberos et nepotes eorum transi-
D tum faciamus.

De Grimoaldo fratre beatæ Gertrudis.

HOrum itaque liberi exstitere Grimoaldus et Begga, et virgo Gertrudis electissima Regis Angelorum sponsa. Grimoaldus sese cum sancto Cuniberto Pontifice in amicitia fortiter strinxit, cùmque esset vir strenuus, et instar patris diligeretur à pluribus, factus est Major-domûs in Palatio Sigeberti, et omne regnum Austrasiorum in manum ejus confirmatum est vehementer. Cujus dignitatem cùm Otto quidam æmulus ejus superbia tumidus cæca ambitione præripere, et in se transferre conaretur, in gratiam ipsius à Leutherio Alemannorum Duce interfectus est. Aliud quoque judicium tam potentiæ suæ inter homines, quàm et devo- An. 642.
E tionis erga Deum exhibuit, in eo quod cum Sigeberto Rege communiter jussit, ut in Dei cultum ædificarentur duo templa præclara illa Monasteria Stabulaus et Malmundarium. Quæ administratione sua ædificata et exornata omni plenitudine et pulcritudine, peracta dedicationis ac Missarum celebratione, tradidit idem Major-domûs Grimoaldus in manibus Pontificis Remacli, ut Monasticam vitam illic institueret. Hanc occasionem effugiendi tumultum secularium rerum, solique Deo vacandi, vir sanctus arripiens, substituto pro se in cura Episcopali beato Theodardo postmodùm Martyre, ad hæc loca secessit, et continentioris vitæ, disciplinæ, ac promotioris virtutis exercitio sese devovit. Cujus doctrinis et exemplis dum Grimoaldus sanctæ conversationis studium cotidianis incrementis proficere cerneret, annuente Sigeberto ex circumjacentibus terris cultis et incultis XII. lewas in longum, totidemque in latum ei tradidit in usum fratrum ibidem Deo famulantium, et traditionem hanc testamento, ac Regii sigilli impressione signavit.

SIGEBERTUS III.

Hæc de Grimoaldo dixisse sufficiat. Sed in filias reverendum paternæ ac materA
næ virtutis meritum uberiùs transfusum, cumulatiorem reddidit tam carnalis quàm spiritualis propaginis fructum. Nam ut interim de gloriosa sponsa Christi omittamus Gertrude, soror ejus Begga Duci Ansigiso felici matrimonio conjuncta, generosæ familiæ ac nobilissimorum Regum mater exstitit. Genuit siquidem Pippinum ex se juniorem, sicut nomine, ita factis quoque et moribus, omni honestate vitæ avo con-
An. 673. similem. Hic mortuo sine liberis Hilderico Rege, sub quo beatus Lambertus eximia sanctitate claruit, etsi non Regio nomine, tamen Regia potestate in Austria regnare cœpit, belloque adortus Theodericum Regem Francorum, eum cum Ber-
An. 687. chario Duce suo ingenti prælio vicit, et in fugam vertit : nec multò pòst interempto à suis Berchario, Principatum ejus à Rege pactione pacis extorsit. Quem filio suo Drogoni (a) tradens, ipse in Austriam victor remeavit. Posteà quoque multa alia bella gessit contra Rathbodum Ducem gentilem et alios Principes, contra Suevos, aliasque B
quamplurimas nationes, in quibus omnibus victor exstitit. Quæ si quis pleniùs nosse desiderat, de gestis Francorum ea latiùs conscripta petat. Sed et beatum Lambertum factione Faramundi de Episcopatu ejectum in Cathedra sua decentissimè relocavit.

An. 714. Is Pippinus, aliis ante se prædecedentibus filiis, Karolum superstitem, non solùm dignitatis suæ heredem, sed et virtutis reliquit, herculè virum bellicosum, Ducem invictum, imò victoriosissimum. Qui patrios limites transiliens, paternasque victorias suis nobiliter exaugens, honestissimos triumphos de Ducibus ac Regibus, de populis ac barbaris nationibus reportavit, ita ut à Slavis et Frisonibus usque ad Hispanos et Sarracenos nihil contra se erectum dimitteret, quod non imperio suo substratum dominatione premeret. Francorum Regem bis devicit, Francisque Regem ex arbitrio suo imposuit, gloriosius ducens regnum habentibus imperare, quàm regnum habere. C
Sarracenos tribus eorum Regibus devictis usque ad internicionem cecidit. Narbonam et Burdegalam expugnavit, Gottosque devincens, famosissimis urbibus eorum incensis et domibus, dirutisque muris usque ad fundamenta subvertit. Post multiplices alias et insignes victorias, quas ob prolixitatis fastidium silentio supprimo, divisit regnum duobus filiis suis, ac deinde bellicosissimus ac victoriosissimus Princeps in pace quievit.

De Karolomanno et Pippino Rege.

Filii ejus exstitere Karolomannus et Pippinus. Ex quibus Karolomannus post bella plurima, et nobiles triumphos, reliquit secularem militiam, factusque Monachus
An. 747. in Monte-Cassino mancipavit se divinæ militiæ. Pippinus verò in potestate persistens, D
judicio et auctoritate domini Papæ Zachariæ, deposito Hilderico, qui ultimus de stirpe
An. 752. Clodovei Francis imperavit, primus in hac familia Regum nomen obtinuit, cùm tam ipse quàm alii ante eum officium et administrationem sine nomine regio habuissent. Unctus est ergo in Regem ipse primùm à beato Bonifacio Maguntiacensi Archiepiscopo et Martyre, deinde tam ipse quàm et uxor ejus, quàmque liberi eorum, iterata unctione confirmati sunt.

(a) Drogo solius Campaniæ Dux fuit.

IN VITAM

A

IN VITAM
SANCTI LEODEGARII *

* S. Leger.

OBSERVATIONES MABILLONII.

B 1. SAnctus Leodegarius *seu* Leudgarius *inclytus Christi Martyr, tres habuit vitæ suæ Scriptores antiquos, Ursinum scilicet, et anonymos duos : de quibus nonnulla prænotanda sunt.*

2. *Primus Auctor, aliis utique præferendus, Monachus fuit Augustodunensis, et quidem, ut videtur, S. Symphoriani in urbe, qui scriptionem suam nuncupavit* Hermenario, *ex Abbate Monasterii S. Symphoriani Augustodunensi post Leodegarium Episcopo, quem alii* Hermenarium *et* Hermenacarium *vocant. Auctor iste se Monachum prodit tum in Prologo, tum etiam cap.* 13. *dum* Winobertum Abbatem unum è suis fratribus *appellat ; et quidem Augustodunensem, dum præclara monimenta à Leodegario Augustoduni relicta cap.* 1. *commemorat. Testis fuit in pluribus oculatus. Nam et cap.* 11. *satis innuit audisse se ex ore Ebroïni, Leodegarium* famis inedia *consumendum esse ; et cap.* 13. verba se vidisse ultra solitum effluere ex ore Leodegarii *post linguæ restitutionem.*

C *Hanc lucubrationem aggressus est impulsu* Ermenarii Augustidunensis Episcopi, et spiritualium fratrum flagitatione, *quemadmodum in Prologo scribit.* Ermenanam *etiam Abbatissam Cadurcensem id à se exegisse testatur cap.* 17. *ubi agit de miraculis in S. Leodegarii Translatione patratis, quæ priùs ab* Audulfo *Monasterii S. Maxentii Abbate scripto mandata fuisse tradit.*

3. *Secundus Auctor est* Ursinus *ætate æqualis, qui petentibus* Ansoaldo *Pictavensi Episcopo et* Audulfo *mox laudato (quorum ille Translationis auctor, hic exsecutor exstitit) S. Leodegarii gesta calamo etiam excepit. Hic nonnumquam dissentit, nonnumquam verbis tenus consentit cum alio Auctore, qui Hadriano Valesio meritò præferendus videtur, tametsi hactenus Ursino minùs notus. Utrumque Auctorem jam vulgavit V. C. Andreas Chesnius, primum quidem ex Codice ms. Jacobi Sirmondi, alterum ex interpolatione Suriana : nos etiam dabimus utrumque, primum ad apographum Chesnianum iterùm exactum, alterum ad mss. Codices Monasteriorum S. Germani Pratensis et S. Cornelii Com-*

D *pendiensis genuinæ phrasi restitutam. Distinctiones capitum à Surio et Chesnio appositas retinebimus.*

4. *Tertium Auctorem à nobis omissum invenimus in Legendario manu exarato Bibliothecæ Fuliensis inclyti Cœnobii S. Bernardi apud Lutetiam Parisiorum ; qui Auctor anonymus non multo post S. Leodegarium tempore Ursini lucubrationem interpolavit. Ætatem suam indicat ab initio Vitæ, dum de Leodegarii parentibus etiam suo tempore claris loquitur his verbis :* Illum etenim clarissimi inter Francorum Principes non mediocris potentiæ parentes genuerunt, de quorum ingenuitate, quoniam adhuc plures ejusdem prosapiæ principantur in glorioso regno Franciæ, non fuit opus hîc plura dicere. In illis enim si cupit quis, valet experiri quàm nobili ortu vir beatus, de quo loquimur, enituerit. *Causam suæ scriptionis declarat in Prologo ad quemdam* Patrem *seu Abbatem in hunc modum :* Præcepisti ut B. Leodegarii venerabiles actus cele-

E brandamque passionem ad lucidiorem ordinatioremque modum scribendo reducerem. Sæpius etenim seu negligentiâ transcribentis, seu fortè ignorantiâ dictantis, sive utroque, non bene ordinatam minùsque intellectum admittentem solitus eras habere conquestionem. In qua, ut fatebaris, maximè te offendebat, quòd antiquus ille ejusdem passionis scriptor (*Ursinus scilicet, neque enim alium agnovisse videtur hic Auctor*) injustè et sine discretionis temperamento B. Leodegarium, nefariumque illius persecutorem Hebroïnum pluribus in locis æquales facere non dubitaverit. Dicebas enim fraudulentiam nequissimi carnificis, justi hominis sanctitati nullo modo potuisse coæquari. Virtutem namque cum vitio amentis est credere uti umquam amicabili consortio. Tam obsequendæ siquidem præceptioni nil anteponendum commodè existimavi. *Opus suum Auctor in libros partitur duos, Vitæ scilicet ac Miraculorum. Primum sic orditur :* Sancti Leodegarii, Fratres carissimi, veneran-

dam passionem dilectioni vestræ relaturus, etc. *Ubi singulare nihil habet præter colloquia ab ipso subinde inserta, præterquàm quòd cùm Ursinus scribat, Leodegarium Luxovium accedentem ab Ebroïno* petiisse veniam, *confessum* se aliquid in eo peccasse; *hic nihil simile commemorat, ne Leodegarium cum Ebroïno comparare videatur. Ex secundo ejus libro quis fuerit iste Auctor, discimus his verbis:* Audistis, Patres venerandi et Domini quâ constantiâ benignitas Salvatoris Martyrem suum corroboravit; dehinc cognoscatis miraculorum suavitatem... omissa fastidifera multiplicitate, dicemus pauca de illis miraculis quæ legimus esse facta in partibus Aquitaniæ, ubi corpus S. Martyris colitur summa veneratione: dicemus et de illis pauca quæ vidimus dum moraremur in Gallia.... pòst habemus illa narrare, quæ videndo didicimus in finibus Alamanniæ, ubi gloriosum caput inclyti Martyris dignis laudibus, sancti Patres, veneramini. *Hinc apparet, Monachos illos ad quos scribit Alamannos fuisse, qui caput S. Martyris penes se esse dicerent. Apud Johannem Ruyrium in Vosagi sacræ lib. 5. post cap. 22. legimus, S. Leodegarii caput* (*qua de re posteà*) *adversari apud* Murbacenses Monachos, *quos hîc designari non dubitamus. In Codice Fuliensi desiderantur illa miracula, quæ tum in Gallia, tum in Alamannia à se visa fuisse Auctor affirmat.* A B

5. *Ad hæc venit in manus nostras S. Leodegarii Vita duplex à prædictis paullo diversa: una scilicet à V. C. Blasio le* Feron *Doctore ac Socio Sorbonico, Canonico Carnotensi, ex Ecclesiæ Carnotensis apographo antiquo descripta ac transmissa, alia in Codice Mosacensi, qui nunc est V. C. Claudii Jolii Canonici Parisiacæ Ecclesiæ. At prima est ipsa Ursini lucubratio locis aliquot expolita et aucta, uti quibusdam exemplis ostendemus; altera est fragmentum Monachi anonymi, qui opus suum Ermenario Episcopo dedicavit: quod fragmentum Officiis Divinis aptatum incipit ab his verbis:* Audite, Fratres, et intelligite quomodo diabolus festinat pugnare contra genus humanum, etc. C

6. *Monachorum pater ac Monachus fuit S. Leodegarius: nulli enim ante Caroli Martelli Principatum Monachis præficiebantur Abbates nisi Monachi, non Clerici quidem, quos Gregorius Magnus non semel in epistolis suis ab Monachorum regimine excludit. Si quis tamen ex Clerico Monachorum Prælatus ordinabatur, is Monastico habitu assumpto Ordinem profitebatur. Insignis est hanc in rem Venantii Fortunati locus de S. Germano, qui antequàm Parisiorum Episcopus esset, creatus fuerat ex Augustodunensis Ecclesiæ Presbytero Abbas Monasterii S. Symphoriani, ob idque Monachum induerat. Nam* adeptus gradum curæ pastoralis *Parisiacæ scilicet Ecclesiæ*, de reliquo Monachus persistebat. *Idem de Leodegario cogita, cùm ex Archidiacono Pictaviensi factus est Monasterii S. Maxentii Abbas. Hinc illi jam Episcopo studium fuit de restituenda S. Patris Benedicti Regula in nonnullis Cœnobiis, quæ ad laxiora suo tempore deficiebant: id quod Synodus Augustodunensis eo præsidente habita manifestè declarat.*

A

VITA (a)

SANCTI LEODEGARII

EPISCOPI AUGUSTODUNENSIS

B

ET MARTYRIS.

Auctore anonymo Monacho Augustodunensi, æquali.

Inter Acta SS. Ord. S. Bened. sæc. 2. *pag.* 680.

PROLOGUS AUCTORIS

AD ERMENARIUM EPISCOPUM.

C

D*Omino verè sancto et Apostolica veneratione colendo Ermenario Augustidunensis urbis Episcopo.* Persæpe à vobis jussus, et spiritualium Fratrum flagitatione compulsus, Gesta beati Leodegarii Martyris atque Pontificis tandem scribere sum aggressus. Ideò enim diu implere jussa vel petita distuli, quia duplicem pœnam contra me videbam consurgere, unam ignorantiæ caliginem metuens et ignaviæ, aliam prudentibus inde risu * verens patescere. Oro ergo vestram fidelem devotionem in primis, ut meæ rusticitati veniam detis, et tantummodò quæ vobis placuit, clam soli interim lectitetis, donec aut D altiori sermone ea, quæ nos vobis jubentibus usurpavimus, reparetis, aut aliorum sapientum correcta judicio inreprehensibilis, quam pòst legatis, à vobis probata placeat dictio. Hoc autem specialiter peto, ut vires ad hoc opus exsequendum, quas mihi conscientiæ denegat imperitia, vestrarum precum sollerti studio apud Dominum obtineant opportuna suffragia.

* tisui.

INCIPIT VITA, SEU PASSIO.

I. GLoriosus igitur ac præclarus Leodegarius urbis Augustidunensis Episcopus, E qui Christianorum temporibus effectus est Martyr novus, ut terrena generositate nobiliter est exortus, ita divina gratia comitante, dum à primæva ætate in virili robore accresceret, in quocumque gradu vel ordine provehebatur, exstitit præ cæteris rectus. Cùmque à Didone * avunculo suo Pictavis urbis Episcopo, qui ultra adfines suos insigni copia prudentiæ divitiarumque opibus erat repletus, fuisset strenuè enutritus, et à diversis studiis, quibus sæculi potentes studere solent, adplenè in omnibus disciplinæ lima esset politus, in eadem etiam urbe ad Archidiaconatum fuit electus. Tantæ in eo subitò fortitudinis atque sapientiæ robur emicuit, ut impar præ suis antecessoribus appareret, præsertim cùm mundanæ legis censuram non ignoraret, sæ-

* *al.* ab Adone.

(a) Hanc Vitam ex vetusto Cod. ms. Jacobi Sirmondi primus in lucem edidit Chesnius tom. 1. Script. Franc. pag. 600. Eam ad apographum Chesnianum iterùm exegit Mabillonius, cujus emendationes ac notas usurpamus : nostras asterico distinguemus.

CLOTHARIUS III.

cularium terribilis judex fuit : et dum canonicis dogmatibus esset repletus, exstitit Clericorum doctor egregius. Erat quoque in disciplina delinquentium vividus, qui carnis luxu numquam exstitit resolutus : sagaci cura pervigil in Ecclesiasticorum officiis, strenuus in ratiociniis, prudens in consiliis, rutilans in eloquiis. Incubuit interim causa necessitatis, ut in Augustudunensi urbe eum ordinare deberent Episcopum (a). Siquidem nuper inter duos contentio de eodem Episcopatu exorta fuerat, et usque ad sanguinis effusionem certatum. Cùmque unus ibidem occubuisset in morte, et alter pro perpetrato scelere datus fuisset in exsilii extrusionem : tunc
AN. 661. Balthildis Regina, quæ cum Chlothario filio Francorum regebat Palatium, divino, ut credimus, inspirata consilio, ad memoratam urbem hunc strenuum direxit virum ibidem esse Episcopum : quatinus et Ecclesia, quæ penè biennio jam quasi viduata in sæculi fluctibus remanserat, hujus gubernatione vel fortitudine tueretur, et ab iis quibus impugnabatur defensaretur. Quid multa ? ita in adventu ejus territi sunt omnes Ecclesiæ vel urbis illius adversarii, necnon et hi, qui inter se odiis et homicidiis incessanter certabant, ut memoriam transacti scandali nollent audire : quia quos prædicatio ad concordiam non adduxerat, justitia et horror cogebat. Jam enim ad Episcopatum dispensante Domino elevatus, quantùm in alimonia pauperum ejus exstitit præcipua cura, longum est enarrare per singula. Sed nobis ita tacentibus ejus testantur opera, vel matricula, quæ ab eodem instituta residet ad Ecclesiæ januam ; vel specierum pulchritudo, quæ aureo fulgore rutilant in Ecclesiæ ministerio ; necnon et Baptisterii ornamenta miris operibus fabricata ; quantùmque in amore Martyrum ejus mens fuit devota, silentibus indicat sancti Symphoriani Martyris sepultura seu translatio sancti corporis gloriosa. Prætereà innuunt ejus industriam Ecclesiæ pavimenta, vel laquearia aurea, et atrii constructio nova, et murorum urbis restauratio, et domorum reparatio, et quæ erant nimia vetustate consumpta, per se erecta reddunt vera videntibus testimonia. Sufficiant hæc imprimis pauca de plurimis. Ad illud tempus convertamus eloquium, quo athleta Christi contra diabolum dimicandi sumpsit exordium.

II. Sanctus itaque Pontifex Leodegarius dum in Augustudunensi urbe felix in pace conversatus est Episcopus, postquàm omnia quæ diruta fuerant innovasset, et divinis officiis Clerum erudisset, prædicationeque assiduus cœlestia alimenta populum commoneret, et eleemosynarum largitate foveret, et in Dei custodiendis mandatis ejus animus esset totus intentus ; ita fuit efficax illius voluntas in omnibus ut quæque implere decrevisset, ei à Domino absque difficultate tribueretur effectus. Nec enim immeritò suam Omnipotens illi contulit gratiam, quia priùs ipse se totum devoverat custodire ejus mandata. Sed quia à bona voluntate semper discordat malitia, et antiquus serpens invidus semper invenit per quos scandalum seminet ; aliqui honorati spiritalia nescientes, sed potiùs potentiam sæcularem timentes, videntes hunc virum inflexibilem per justitiæ culmen exsistere, invido cœperunt livore torqueri, et statuunt, si sit aditus, ejus obviare profectibus. Erat in illis temporibus Hebroïnus, ut diximus (b), Major-domûs, qui sub Rege Chlothario tunc regebat Palatium. Jam Regina, quam suprà diximus, in monasterio, quod sibi anteà præparaverat, residebat : propterea memorati invidi adeunt Hebroïnum, et contra Dei virum ejus in furore suscitant animum : et dum veritatis accusationem non invenerunt, mendacium falsitatis confingunt, quasi dum omnes jussionibus Hebroïni obedirent, solus Leodegarius Episcopus ejus jussa contemneret. Erat enim memoratus Hebroïnus ita cupiditatis face succensus, et in ambitione pecuniæ deditus, ut illi coram eo justam causam tantùm haberent, qui plus pecuniæ detulissent. Cùmque alii causâ timoris, alii pro redimenda justitia eum auri argentique replessent pecunia ; quorumdam animi ob hujus causam exspolii dolore tacti, contra eum fuerant jam commoti. Et quia non solùm rapacitatis exercebat commercium, pro levi offensa sanguinem nobilium multorum fundebat innoxium.

III. Sanctum itaque Leodegarium Episcopum ideò habebat suspectum, quia eum superare non valebat in verbo, nec adulationis, ut ceteri, ei impendebat obsequium, et contra omnes minas suas semper eum cognoverat permanere intrepidum. Tyrannicum enim dederat tunc Edictum, ut de Burgundiæ partibus nullus

(a) Omisit iste Auctor commissam Leodegario curam Abbatialem in S. Maxentii Monasterio ; id quod ex secunda Vita repetendum est. Ferreolo Episcopo Augustodunensi mortuo contentio hîc descripta exorta est : tandemque post biennium suffectus Leodegarius anno regni Chlotharii IV, ut in alia Vita dicitur, Christi verò DCLVIII, aut insequenti.

(b) Nihil suprà de Ebroïno.

A præsumeret adire Palatium, nisi qui ejus accepisset mandatum. Tunc de metu prioris fuerunt omnes suspecti, quòd hoc excogitaret ad suum facinus cumulandum; ut aut quosdam capitis amissione damnaret, aut dispendia facultatum infligeret. Interim donec causa suspenditur, Rex Lotharius à Domino vocatus de hac luce migravit. Sed cùm Hebroïnus ejus fratrem germanum, nomine Theodericum, convocatis Optimatibus sollemniter, ut mos est, debuisset sublimare in regnum, superbiæ spiritu tumidus eos noluit deinde (a) convocare. Ideò magis cœperunt metuere, quòd Regem, quem ad gloriam patriæ publicè debuerat sublimare, dum post se eum retineret pro nomine, cui malum cupierat ille audenter valeret inferre. Cùmque multitudo nobilium, qui ad Regis novi properabant occursum, mandante Hebroïno itineris accepissent repudium; inito in commune consilio, relicto eo omnes expetunt Hildericum ejus fratrem juniorem, qui in Austro sortitus erat re-
B gnum. Quorum consilio qui tunc noluit adquiescere, aut fugaciter evasit, aut cum vitæ periculo incendio communicatus adquievit invitus. Cùm enim omnes ob Hebroïni tyrannicum metum Hilderico induxissent tam Neustricum quàm Burgundiæ regnum; agnoscens tyrannus suum hoc facinus perpetratum, ad Ecclesiæ confugit altare, ejusque in multis partibus subitò thesaurus fuit direptus : et quod iniquus diu congregaverat malè, dispersum est subitò bene. Episcopis tunc quibusdam intercedentibus, et præcipuè interventu Antistitis Leodegarii, eum non interficiunt : sed Luxovio monasterio dirigitur in exsilium, ut facinus quod perpetraverat evasisset pœnitendo. Sed quia terrenæ cupiditatis pulvere oculos cordis habuit cæcos, ideò in animam malevolam spiritalis non profuit sapientia. Cùm enim Hildericus germanum suum supra quem petitus venerat, sibimet præsentari jussisset, ut colloqui ei deberet; tunc quidam, qui in regno videbantur esse primarii, et Hilderico cupie-
C bant placidè adulando placere, crinem sui domini temeritatis ausu jusserunt amputare; sicque fratri suo eum studuerunt præsentare. Sed cùm Rex ab eo interrogaret, quid de se agere vellet, ille verò hoc solùm, quòd injustè fuerat de loco regni dejectus, judicem sibi Deum cœli est exspectare professus. Tunc ad monasterium sancti Martyris Dionysii residere est jussus, ibique est salvatus, donec crinem quem amputaverant enutriret; et Deus cœli, quem se judicem est habere professus, feliciter postmodùm ipsum permisit regnare.

IV. Intereà Hilderico Regi expetunt universi, ut talia daret decreta per tria quæ obtinuerat regna, ut uniuscujusque patriæ legem vel consuetudinem observaret, sicut antiqui Judices conservavere, et ne de una Provincia Rectores in aliam introirent; neque ullus ad instar Hebroïni tyrannidem assumeret, et postmodùm sicut ille contubernales suos despiceret : sed dum mutua sibi successione culminis ha-
D bere cognoscerent, nullus se alii anteferre auderet. Ut verò ille libenter petita concessit, stultorum et penè gentilium depravatus consilio, ut erat juvenili ætate præventus, subitò quod per sapientum consilia confirmaverat refragavit. Sanctum igitur Leodegarium, eò quòd cognoverat præ omnibus sapientiæ luce esse conspicuum, secum assiduè retinebat in Palatio. Hujus rei causâ malorum crevit rediviva invidia, atque contra eum rursùm accusationum exquirebant initia, ita ut quæque Rex ageret aut justo injustove judicio, dicerent illius crimine factum : cujus si obtemperasset consiliis, in mandatis ambulasset divinis. Sed quia cœlitus jam supervenerat data sententia, ideò cor ejus non valuit apprehendere justitiæ disciplinam : sed judicium, quod Theodericus se à Deo exspectare professus est, celeri meruit sententiâ terminari. Vir autem Domini ut cognovit contra se invidiam diaboli recalescere, tunc juxta Apostolum sumens loricam fidei et galeam salutis et gladium
E spiritûs, quod est verbum Dei, contra antiquum hostem inivit singulare certamen. Et quia sacerdotalis integritas minas Regis nescit metuere, Hildericum cœpit arguere, cur consuetudines patrias, quas conservare præceperat, tam subitò immutasset : simulque fertur dixisse, quòd Regina (b), quam habebat conjugem, filia sui esset avunculi; et nisi hæc facinora cum reliquis illicitis sceleribus emendatione corrigeret, divinam certè sibi ultionem subitò imminere cognosceret. At Hildericus quidem primitus libenter cœpit auscultare; sed satellitum præventus consiliis,

(a) Quippe tum solebant Optimates Francorum ad constituendum Regem convenire, ac in electi singuli verba jurare, traditaque in manum hasta pro sceptro, excelso solio impositum debito honore venerari, quemadmodum Hadr. Valesius in Rerum Franc. l. 21. observavit.

(b) * Belichildis erat, filia Sigiberti Regis : nam Chlodoveus II. nullum habuit fratrem præter Sigibertum, et Bathildis quæ alienigena erat, nullum etiam in Galliis fratrem habuit. Quare Himnichildis Regina, Dagoberto filio in Hiberniam relegato, Childericum loco filii habuit, qui erat gener suus ac mariti sui nepos.

CHILDERICUS II.

dum verba ejus debuerat ad emendationem aptare, de illius morte occasione cœpit A inquirere, suadentibus hoc illis, qui justitiam cupiebant evertere, et indisciplinati juvenilia opera (a) Regi favebant exercere, necnon et his qui suum decretum ei elicuerant irrupisse. Metuebant enim hi omnes et horum similes in voluptatibus sæculi conversantes, à Dei homine sua opera destrui, dum eum jam noverant per justitiæ callem inflexibiliter gradi : virilitatem enim cœlestis civis senescens mundus gravatus vitiis non valuit sustinere.

An. 673. V. Affuit enim tunc in illis diebus vir quidam nobilis Hictor vocatus nomine, qui tunc regebat in fascibus Patriciatum Massiliæ, quique generis nobilitate et prudentia sæculari, ut claro stemmate ortus, ita erat præ ceteris prædítus. Hic enim ad Hildericum Regem pro quadam causa (b) advenerat, et per viri Dei intercessionem obtinere petita sperabat, eumque gratiâ hospitalitatis in urbe sua Dei sanctus receperat, donec sicut petierat suis intercessionibus eum Regi commendaret. Nam sæpedictum Hil- B dericum in Ecclesia urbis suæ in Paschali sollemnitate rogaverat advenire. Hanc invidi reperiunt occasionem, per quam nequitiam, quam nuper in cor Regis effuderant, adimplerent. Majorem-domûs tunc nomine Wolfaldum (c) in sua accusatione conjungunt, mendacem fabulam de Leodegario et Hictore confingunt, quasi ideò insimul fuissent conjuncti, ut regiam dominationem everterent, et potestatis jura sibimet usurparent. Aderat etiam tunc quidam sub Religionis habitu ad monasterium sancti Symphoriani Martyris corpore, non mente Reclusus, nomine Marcolinus (d) ; sed ut posteà publicè patuit, potiùs pro ambiendis humanis laudibus vel honoribus specie Religionis cupidus nimiùm. De cujus conversatione, maximè dum omnibus patuit, melius puto silere, quàm loqui. Hunc ergo sæpedictum Rex ignorans, quasi Dei Prophetam habebat in omnibus, eò quòd de viri Dei accusationibus ejus voluntati favendo adulabat præ omnibus. Ea igitur nocte, C qua S. Paschæ vigiliæ celebrabantur in urbe, Rex jam quasi suspectus ibidem (e) noluit advenire : sed cum paucis tunc fautoribus ad præfati hypocritæ recurrens consilium, jam contra Dei famulum malignum gestans animum, illic temporaneum non metuit Paschale recipere sacrificium. Posteà verò cum dedecore jam à vino temulentus, aliis jejunis sancta sollemnia præstolantibus, cùm Ecclesiam fuisset ingressus, Leodegarium clamitans requirebat ex nomine, ut eum quasi in fugam verteret, dum gladii percussione jam inter nuntios minitans terruisset. Cùmque eum sæpiùs clamitans esse in Baptisterio cognovisset, ibi quoque introiens, ad tanti luminis claritatem, seu odorem chrismatis, quæ illic in baptizatorum sanctificatione gerebantur, obstupuit. Sed cùm ad clamorem ejus ipse responderet, *Adsum ;* ipsum nullatenus recognoscens pertransiit, atque in Ecclesiæ domum, ubi paratum erat, resedit. Episcopi verò alii, qui cum Dei viro vigilias celebraverant, redierunt ad D hospitia. Ipse verò, ut sacrum peregit officium, intrepidus Regem adiit, iratumque eum verbis mitibus requisivit, cur ante vigilias non venisset, vel in tam sacratæ noctis sollemnia repletus irâ persisteret. Nam dum illius ineffabili sapientiæ aliud turbatus non valuisset respondere, suspectum se eum quadam de causa dixit habere. Igitur vir Dei Leodegarius cernens apud animum ejus esse defixum, quòd suadentibus satellitibus eum unà cum Hictore, sicut decreverat, redderet interfectum, aut Hictor in angustia sicut timebat contra Regem subiret contemptum ; non de sua veritus morte, sed de illorum, qui ad eum causa tuitionis advenerant, pertractans salutem ; elegit potiùs interim latere per fugam, quàm occasionem præbere, ut per ejus martyrium Resurrectionis Dominicæ sollemnia cruentarentur, vel diriperetur Ecclesia : ut ne hi (f), qui ad eum convenerant, inconsultè amitterent E suam vitam. Nec enim quis eum æstimet formidasse adeò usque martyrium. Nam cùm pridem per quemdam Monachum, nomine Bercharium, et in Dominica Cœna de suo interitu fuisset nuntiatum, die Passionis Domini crastino Regis adiit Palatium, et ultrò se ingerens, in eo die sanguinem voluit offerre Christo, quo pro mundi salute sanguinem Christus effuderat suum. Nam et Rex eadem die ipsum propria manu percutere voluit, sed ob Dei reverentiam Optimatum quorumdam

(a) Apud Chesnium, *indisciplinati juvenilia opera Regis faciebant exercere.*

(b) Nempe ad repetendam à Rege Claudiæ socrûs suæ hereditatem, quam Claudia Arvernensi Ecclesiæ, frustrata filia, reliquerat. Lege Vitam S. Præjecti.

(c) Chesnio *Volfoaldum.*

(d) Chesnio *Marcolmus.*

(e) Et tamen in alia Vita *communionem sanctam* cum Rege percepisse legitur : quod fortè non in eadem Ecclesia, sed in eadem urbe factum intelligere licet. S. Præjectus Arvernorum Episcopus coram Rege sacra celebrasse in propriis Actis dicitur.

(f) Apud Chesnium : *ut ne id, quod contra se fiebat, in Consulem verterent, et sic idem Consul vitam amitteret.*

CHILDERICUS II. An. 673.

A sapientum consilio prohibitus fuit. Indubitanter verò credendum ad hoc eum divinitùs tunc fuisse servatum, ut si quid humana conversatione, quæ sine culpa non ducitur, aliquid contrarium fortassis attraxerat, longæ persecutionis fornax exureret, ut posteà velut aridum mundum in ea de manu sui Regis impositus (a), ad instar gemmarum fulgentium miraculorum virtutibus coruscaret. Cùm autem ab his, qui occasionis hujus exspectabant eventum, persecutio velox fuisset commota post eum, prædictus Hictor ibidem est interfectus. Et quia viriliter se fuerat defensare conatus, permittente Domino fuit à multitudine oppressus cum aliquibus, qui comitabantur cum eo. Nec enim impossibile creditur sancti Martyris meritis posse apud Deum illis animabus veniam obtinere, qui cum eodem innocenter persecutionis procellam voluerunt declinare.

B VI. Igitur Leodegarius Dei famulus cùm à quibusdam fuisset detentus, Hilderico subitò nuntiant factum. Maximam Regis gratiam se credidit habiturum, qui valuit comprehendere Leodegarium. Per consilium tunc Optimatum vel Episcoporum jubetur interim duci Luxovio monasterio, donec in commune consulerent, quid facerent de tanti nominis viro. Intereà cùm hi, qui primi videbantur esse Palatii, cùm simul ab Hilderico fuissent conquisiti quod judicium de sancto Dei decernerent, hoc consona responderunt voce, ut si ei vitam concederet, sub perpetuo exsilio eum in Luxovio permanere juberet : confirmans subitò decretum Judicum, Episcopis verò aliquibus vel Sacerdotibus ideò consentientibus, ut ad præsens eum ab ira Regis redderent liberum. Nam sæpedictus Rex pravorum illectus consilio, eum adduci jusserat de Luxovio, ut ad voluntatem causantium cum irrisione depositum, prout voluissent, redderet interfectum, sicut quondam Herodes disposue-
C rat Judæis facere Petrum. Aderat autem venerabilis vir Abbas sancti Symphoriani Basilicæ, nomine Hermenarius (b), cui post discessum viri Dei Rex petitionibus populi Augustudunam commendaverat urbem : cum immensis precibus crebrò Regis pedibus est provolutus, ut eum in Luxovio residere permitteret, ne ad exspectationem crudelium, quos diabolus contra eum in furore succenderat, juberet adduci. Taliter ab hujuscemodi precibus et tunc ab interfectione salvatus : falsò quidam opinantes quasi ideò Regis habitacula frequentaret, ut accusantium primus esset, quò faciliùs ei Episcopatum illius tenere liceret. Nam longè aliter exstitit, et quia carnalis oculus spiritualem dilectionem non vidit, testes ei posteà exstiterunt illius opera, quia quousque præsenti superfuit vitæ, ejus necessitatibus in quo valuit caritate ministravit devota.

VII. In illis igitur diebus adhuc exsul in Luxovio residebat Hebroïnus Mona-
D chili habitu tonsoratus, simulatam gerens concordiam, quasi dum uterque unam, sed disparem exsilii accepissent sententiam, concordem ducerent vitam. His interim ita gestis, divina non distulit ultio suum de Hilderico dare judicium. Nam ejus dissoluta conversatio omnibus increverat Palatinis Optimatibus. Tunc unus ex eis hoc molestiùs ferens præ ceteris, dum venationem in silva (c) securus exerceret, eum vulnere mortis percussit. Igitur priusquàm hæc evenissent, dum Duces quidam duo, quibus jussum fuerat, S. Leodegarium adduci de Luxovio eatenus demorassent, conspiraverat unus eorum minister, ut si famulum Dei extra Luxovium cerneret, ipsum gladii percussione occideret. Ut autem ad hoc perventum fuit, ita cor ejus intolerabilis pavor perfudit, ut non solùm dixisse, sed cur etiam de Dei famulo tam gravia cogitasset, voce publica confiteretur : et tremens ejus pedibus provolutus, indulgeri sibi ab eo hanc nequitiam deprecaretur. Igitur cùm Hilderici mors subitò nun-
E tiata fuisset, tunc hi, qui ob ejus jussionem exsilio fuerant condemnati, tamquam veris tempore post hiemem solent de cavernis serpentes venenati procedere, quidam sine metu fuerunt reversi. Quorum debacchante furore surrexit magna turbatio patriæ, ita ut manifestè crederetur adventus imminere Antichristi. Hi verò, qui Rectores regionum esse debuerant, continuis odiis se invicem cœperunt lacessere : et dum Rex tunc non erat stabilitus in culmine, quod unicuique rectum videbatur in propria voluntate, hoc agebat sine formidine disciplinæ. Adeò tunc iram Dei

(a) Chesnius legit, *ut post arido mundo despecto, in diadema sui Regis impositus*. Legendum videtur, *ut posteà velut aurum mundum, in ea* (id est persecutione) *de manu sui Regis impositus*.

(b) Chesnio *Ermenarius*.

(c) Nempe in silva Lauconia Calæ villæ Regiæ proxima, ubi cùm Childericus in palatio moraretur, à Bodilone armato, quem paullò antè fœdè virgis ceciderat, aliisque satellitibus crudeliter interimitur cum Bilichilde uxore prægnante anno regni quarto, Christi 673. quæ res in Gestis Franc. cap. 45. describitur : quorum corpora in Basilica S. Vincentii, quæ nunc S. Germani Pratensis dicitur, sepulta, anno 1656. detecta sunt.

THEODORICUS III. An. 673.

manifestè cognovimus evenisse, ut etiam stella appareret in sidere, quam Astrologi A
Cometem (a) vocant, in cujus ortu asserunt fame terram turbari, mutationem Regum,
vel commotionem Gentium, percussionis gladium imminere. Hæc enim omnia
manifestè tunc constitit evenisse. Sed quia, ut scriptum est, stulti non corriguntur
verbis, quantùm minimè signis; hi qui cum malevolo animo redierunt de exsilio,
quidquid propter sua pertulissent facinora, Leodegarii factionibus hæc se incusant
fuisse perpessos.

VIII. His enim diebus vir Domini à commemoratis Ducibus erat ob salvatio-
nem detentus, à quibus nuper de Luxovio fuerat jam eductus. Tunc enim famulo
suo gratia superna concesserat venerabilem dignitatem, ut in illis locis tam prædicti
Duces, quàm eorum matronæ, simulque ministri universæque familiæ, necnon et
vulgus populi ita imminerent, ut semetipsos pro eo non dubitarent offerre. Cùmque
illi, qui secum Dei famulum retinebant, circa se manentibus potestatibus aliis nun- B
tiassent, eò quòd divinam gratiam super Dei famulum, Leodegarium cognovissent;
religioso Christianitatis amore ita in ejus auxilium fuerunt sociati, et conspirantes
inter se confirmaverunt : ut dum indisciplinata hæc dominata erit exorta turbatio,
si priusquàm Theodericum pariter sublimassent in regno, aliqui forsitan sanctum
voluissent lædere Leodegarium, eorum protegeretur exsilio. His enim diebus
egressus est de Luxovio etiam Hebroïnus Juliano similis, qui vitam fictam Mona-
chorum tenuit. Etenim cùm ipse tam amicorum quàm famulorum constiparetur su-
bito comitatu, prædicti exsules ejus expetentes obsequium, malum. quod de sua
accusatione confinxerunt, ipsum in caput constituunt; ut ejus auxilio vel consilio
usi, in Dei hominem valerent unanimiter vindicare. Ipse enim Hebroïnus caput
relevavit venenosum, et quasi vipera restaurans venena sua, simulans se esse tunc
Theoderici Regis fidelem, et ob hoc ad eum cum sociis quantociùs festi- C
nare. Cùm enim vir Domini cum sociis suprascriptis eodem festinarent itinere,
quantùm nec unius diei factum est itineris spatium; antequàm Augustidunum ur-
bem accederent, urgentibus fautoribus Hebroïnus immemor amicitiæ dudum
promissæ, eum ibidem voluit comprehendere, nisi Genesii Metropolis Lugdu-
nensis Episcopi consiliis fuisset prohibitus, aut manu valida, quæ cum eo aderat,
perterritus; et fictam rursus amicitiam simulans, mixto agmine pariter pervenerunt
in urbem. Lætatur civitas et omnis Ecclesia de Pastoris præsentia rediviva; plateæ
ornantur, aptant Diaconi cereos, Clerici tripudiant cum Antiphonis, gaudet ci-
vitas tota de adventu sui Pontificis post persecutionis procellam. Nec immeritò lau-
* præsciente. dum exhibebantur excubiæ, quia præsente * Domino ad coronam properabat martyrii :
ibique pro adventu Præsulis delicias paraverunt etiam adversariis. Crastina verò die
exindè pariter promoventes, ut ad occursum Theoderici Regis Francorum pervenі- D
rent uniti. Interim dum isti cœpto itinere pervenissent ad Regem, de ipso itinere
penè jam medio Hebroïnus tyrannus eorum deserens comitatum, ad suos usque
pertransiens, Clericatum (b) abjiciens, ad mulierem (c), ut canis ad vomitum, post
sacrum velamen rediens : et quia in castris Christi militare non potuit, cum adversa-
riis sæcularia arma arripuit. Et dum jam dereliquerat fidem et Deum, contra terre-
num dominum etiam apertum se prodidit adversarium. Noviento (d) enim villa
jam recuperato regno tunc Theodericus residebat securus, cùm repentino superventu
venit Hebroïnus cum Austrasiis. Quis enim enumerare plenè valeat, quæ tunc fuit
direptio de Regali thesauro, vel Ecclesiæ ministerio, quod ob amorem Christiani-
tatis Catholici retrò Principes devoti in Dominicum contulerunt Sanctuarium,
An. 674. Majore-domûs (e) tunc etiam interfecto? Ideò autem perpetravit hoc malum,
quia à diabolicis viris invido armabatur consilio. Dolebant enim se abjectos esse E
per meritum, dum populum universum fideliter cernebant declinare post Theo-
dericum, eumque jam confirmatum in regno, et Dei famulum Leodegarium cum
illius gratia in sua urbe residentem; livore invidiaque uri iterùm cœperunt : quia
dum justi stabant erecti, ad recuperationem accedere non valebant perversi. Et

(a) Venerabilis Beda in lib. 4. Hist. cap. 12. *Anno Domin. Incarn.* 677. inquit, *apparuit mense Augusto stella, quæ dicitur Cometa, et tribus mensibus permanens etc.* Quo circiter anno Theodoricus cum Dagoberto Sigiberti filio, Dagoberti senioris nepote, de regno apud Lingonas decertasse legitur in Actis S. Salabergæ. * Hîc Anonymum loqui de Iride, quæ mense Martio anni 673. visa est, putat Pagius ad hunc annum num. 8.

(b) Id est, *Monachatum*, seu *Monasticam vestem*.

(c) Ebroïni uxor fuit Leudutrudis; quæ marito auctor fuit condendi Parthenonis B. Mariæ apud Suessionas, ubi sine dubio velum, tonso Ebroïno, acceperat. Chesnio vox *velamen* deest.

(d) Apud Chesnium *Novigento*.

(e) Is fuit Leudesius Erchinoaldi quondam Majoris-domûs filius, de cujus nece lege Gesta Reg. Franc. cap. 45.

quia

THEODORICUS III. An. 674.

A quia suadente diabolo, qui eos fide nudaverat, dum veritatis consilio jam cæcati, non invenerunt per quod destruerent Dei sanctum, declinant ad majorem interitum per falsitatis commentum, per quod in regnum intulerunt magnum malum et stragem depopulationis in persecutione multorum. Denique acceperunt quemdam puerulum, quem Chlotharii (a) fuisse confinxerunt filium, hanc in partibus Austri secum levantes in regnum. Qua de re multum collegerunt hostiliter populum, eò quòd verisimile cunctis videbatur esse. Etenim cùm depopulando patriam subjugarent, etiam in nomine sui regis, quem falso fecerunt, præcepta Judicibus dabant. Tunc qui eis volens noluit adquiescere, aut jura potestatis amisit, aut si non fuga latenter discessit, gladii internecione deperiit. Quanti enim per hoc calliditatis figmentum Theodericum tunc defunctum, et Chlodoveum Chlotharii esse filium crediderunt? Erant enim in hoc mendacium primi et quasi Rectores Palatii, De-
B sideratus cognomento Diddo, qui in urbe Cabilone quondam habuerat principatum, necnon et ejus collega Abbo (b), qui civitatem Valentiam habuerat in dominium. Nec enim digni sunt ut hi nominentur Episcopi, qui magis terrenis desideriis vel lucris temporalibus augenda pecunia vigilant, dum de animabus sibi commissis, unde districto Judici reddituri sunt rationem, nil curant. Horum talium Sacerdotum et similium Optimatum Hebroïnus tyrannus usus consilio, adeò usque elevatus et excæcatus est in hoc sæculo, quousque impœnitens præcipitatus est in inferno. Redeamus ad opus cœptum.

IX. In illis diebus ita gestis et per singula volutis, postquàm Childericus est interfectus, postquàm Episcopi vel Patricii cum Optimatibus de Neustrico vel præsentia Theoderici partibus rediissent Burgundiæ, etiam in regno confirmato ad propria residerent securi; interim invidi hostem (c) moverunt ex adverso, primòque
C circa eum cum quo Regem Childericum egisse putabant. Tunc adjunctis sibi in consiliis nequissimis inimicorum sociis, consulere cœpit, quemadmodum eumdem Pontificem destruere potuisset. Ex his enim Consiliariis duo, videlicet Diddo (d) et Waimerus ex nomine, caput effecti malitiæ, dixerunt posse se eum rapere de civitate, et in eum facere vindictam, ex qua malitia Hebroïni esset satiata. Gavisus namque Hebroïnus de eorum responso, dedit eis exercitum copiosum valde: qui festinè perrexerunt ad civitatem Augustidunum. Vir autem Domini Leodegarius cùm ad suam plebem restaurandam resideret urbe sua, ubi destinatum contrà hostium sensit impulsum, non est passus ut ultrà fugaciter tenderet gressum, sed intrepidus de se Domini exspectabat judicium. Cùm enim tam familiares quàm clerici vel fideles imminerent, ut thesauros quos sibi ipse contulerat auferret, et abscederet; quatenus hostes hoc audito à perditione civitatis, vel illius persecutione desisterent: ille hæc nullatenus
D adquiescens, sed eos continuò in thesauros convocans, omnia quæ ibi addiderat adsignans, talia prosequens verba: *Hæc omnia quæ cernitis, fratres, quamdiu terrenorum hominum me voluit gratiam Deus habere, ad communem ornatum, prout potui, huc fideliter contuli. Nunc verò forsitan ideò mihi irati sunt homines terreni, quia Dominus nos vocare dignatur ad gratiam cœli. Ut quid enim hæc hinc auferam, quæ mecum in cœlum non tollam? Ergo si vobis placet, ego eligo consilium, hæc potiùs dare in usus pauperum, quàm cum turpi sarcina huc illucque oberrare per sæculum: ut imitemur beatum Laurentium, qui pro eo quod dispersit et dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, et cornu ejus exaltatum est in gloria.* Statimque jussit custodi discos argenteos reliquaque vasa quamplurima foras ejicere, et argentarios cum malleis adesse, qui minutatim cuncta confringerent, quæ per fidelium dispensationem jussit pauperibus erogari. Quæ autem exinde fuerunt Ecclesiasticis usibus
E apta, Ecclesiæ addidit ministerio. Monasteriorum sanè tam virorum quàm virginum infra urbem vel territorium de eodem argento consolatus est paupertatem multorum. Quæ fuit, tunc vidua vel orphana, vel omnis in commune paupertas quæ ibi affuit, quæ de ejus largitate consolationem non habuisset? Vir autem Domini, ut erat plenus spiritu sapientiæ, hæc verba locutus est fratribus: *Ego, fratres, decrevi jam de hoc sæculo nihil penitus cogitare, sed magis spiritalem nequitiam quàm terrenum hostem metuere. Terrenus homo si talem à Deo accepit potestatem, ut persequatur, com-*

(a) Hinc rectè colligit Hadr. Valesius, Chlotharium moriente patre vix quadrimum, non annos tantùm quatuor, ut quidam scribunt, sed quatuordecim regnasse, ut ei filium Ebroïnus substituere potuerit, idque populo persuadere. * Hinc etiam corrigendi sunt omnes ferè Historici nostri, qui Chotharium puerum obiisse falsò arbitrati sunt.

(b) Chesnio *Bobc.*

(c) Ebroïnum scilicet.

(d) Chesnio *Dido et Waymirus.*

THEODORICUS III. An. 674.

prehendat, perdat, incendat, interficiat, hæc nullatenus possumus declinantes effugere. A *Et si hîc trudimur* (a) *de rebus transitoriis ad disciplinam, non desperemus, immò potiùs gaudebimus in futuro de venia. Muniamus ergo virtutibus animam simul et civitatis custodiam, ne inveniant utrique hostes aditum per quod inferre possint periculum.* Commovens igitur universum urbis illius populum, cum triduano jejunio, cum signo crucis et reliquiis Sanctorum, murorum circumiens ambitum, per singulos etiam aditus portarum terræ adhærens, Dominum, deprecabatur cum lacrymis, ut si illum vocabat ad passionem, plebem sibi creditam non permitteret captivari : et ita præstitum est evenisse. Itaque cùm ob metum hostium certatim populi undique se recepissent in urbe, et meatus portarum forti obturassent seratu, et super omnia stabilissent in ordine propugnacula, jussit vir Domini universos ingredi in Ecclesiam, cunctorum insimul postulans indulgentiam ; ut si quempiam illorum, ut assolet, dum pro zelo rectitudinis increpasset, aut in verbo læsisset, ei indulgentiam darent. Scie- B bat autem vir Dei iter passionis ingrediens, non prodesse martyrium, ubi livore deterso non priùs fuerit cor emundatum, vel caritatis lampade illustratum. Nullus fuit tunc ibidem tam ferreum possidens pectus, qui etiam si fuisset graviter læsus, non omnem cordis malitiam indulsisset devotus. Posthæc nec diu vallatur civitas ab exercitu, eodemque die ab utroque populo fuit fortiter usque ad vesperam dimicatum. Sed cùm ab agmine hostium esset civitas obsidione validâ circumdata, et die noctuque vociferantes ut canes circumirent urbem, prospiciens vir Domini civitatis imminere periculum, compescuit omnem super murale (b) conflictum, et his verbis suum exorare aggressus est populum : *Sinite, quæso, contra hos pugnando confligere : si mei tantùm causâ huc isti advenerunt, de me ipso paratus sum eorum satisfacere voluntati, eorumque mitigare furorem. Tamen ne inauditi videamur egredi, mittatur unus e fratribus eos inquirere, qua de causa hanc obsederunt civitatem.* Cùm subitò hi Meroaldo Ab- C bati per muri repagulum (c) parassent descensum, perveniens ad Didonem, ait ei : *Si hæc nostra commiserunt facinora, peto ut interim Evangelicam recorderis sententiam, ubi Dominus dixit : Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet peccata vestra : et illud, In quo enim judicio judicaveritis, judicabimi :* simulque deprecans ut hostem compesceret, et redemptionem quam volebat acciperet. Sed quia tamquam lapidis duritia, sicut quondam Rex Ægyptius obduraverat cor, ad verba divina nullatenus potuit emolliri : comminatus est quippe non se ab impugnatione civitatis discedere, quoadusque Leodegarium valeret comprehendere, et sui furoris vesano desiderio satisfacere ; et nisi Chlodoveo, quem falsò Regem fecerant, promitteret fidem. Hæc enim erat simulata occasio, quia omnes cum sacramento Theodericum Regem asserebant fuisse defunctum. D

Matth. 6. 15. *Id.* 7. 2.

X. Auditis itaque vir Domini his verbis, hæc dedit illis responsa : *Hoc vobis notum sit omnibus tam amicis et fratribus, quàm inimicis et hostibus ; quia quousque me Deus in hac vita jusserit superesse, non mutabor à fide quam Theoderico promisi coram Domino conservare. Corpus meum decrevi potiùs in mortem offerre, quàm animam pro infidelitate turpiter denudare.* Hostes verò, his auditis responsis, cum telorum jaculis ac cum incendio festinanter undique insistebant irrumpere civitatem. Ipse verò universis fratribus valedicens, panis et vini participatione communicans, eorumque dubia corda confirmans, suam eis, ut Christus discipulis, memoriam passionis commendans, ad portarum aditus perrexit intrepidus, apertisque claustris sponte se obtulit pro civibus inimicis. Adversarii verò gavisi, tamquam ovem innocuam ipsum ut lupi susceperunt in prædam. Qui exclamans fertur dixisse : *Gratias ago omnipotenti Deo qui me dignatus est hodie glorificare.* Illi autem iniquissimum penè exco- E gitantes commentum, ab ejus capite lumen evulserunt oculorum : in qua evulsione ultra humanam naturam incisionem ferri visus est tolerasse. Testes enim sunt multi illustres viri, qui aderant in præsenti, quia nec vinculum in manibus est passus imponere, nec gemitus processit ab ore, dum ejus fuerant oculi abstracti à capite, nisi glorificans Dominum semper modulamina studuit canere Psalmorum. Inter ceteros Dux quidam erat Campaniæ, Waimerus vocatus in nomine, qui ad hoc malum perpetrandum à finibus Austri venerat cum Diddone. Hi duo cuidam Boboni, qui nuper cum anathemate fuerat de Episcopatu Valentiæ urbis dejectus, Augustidunum adsignaverunt in dominium, immò potiùs devastandum. Cives verò oppressi receperunt adversarium, qui jam pastorem amiserant suum, per cujus dispensatio-

(a) Chesnio *tradimur.* (b) Eidem *supermuralem conflictum.* (c) Eidem *repugnaculum.*

A nem penè omne præsidium asportaverunt Ecclesiæ. Nam pro civitatis redemptione, occasione reperta, in quinque millibus solidorum fuit Ecclesiæ argentum distractum, præter spolia civium. Et quamquam Ecclesia pertulisset de transitoriis rebus dispendium, nullum exinde permisit Dominus abduci captivum.

XI. Igitur cùm hostes lætanter divisissent spolia, suprascripto Waimero Dei hominem tradiderunt in custodiam, qui cum eodem vel exercitu repedavit ad patriam. Desideratus verò, cognomine Diddo, unà cum Bobone et cum Adalrico (a) Duce, quem ipsi volebant Patricium esse Provinciæ, ad Patriciatum (b) subjugandum perrexerunt usque ad Lugdunum, ut ita exinde abducerent Genesium, sicut de Augustiduno dudum expulerant Leodegarium. Sed manu valida populi undique collecti urbem hanc maximam Deo præsule non permiserunt irrumpere. Hi verò, qui Dei famulum duxerunt Leodegarium, ut nuntiaverunt Hebroïno quod
B factum fuerat, in silvarum secreta eum jubet retrudi, et de ejus morte quasi enecati in aquis, fabulam mendacem confingi, etiam tumulum sepulturæ ejus constitui, donec ipsum longæ famis inedia deberet consumere. Quod qui audire potuit, aut videre (c), verum credidit esse. Sed qui Heliam per corvum pavit in eremo, nec suum ibidem deseruit famulum. Etenim post longam, quam Dei Martyr pertulit, famis inediam, reminiscens Waimerus humanam in eo naturam non aliter ita posse durare, nisi eum Christi gratia sustentaret, in domum suam eum jubet perduci : dura etenim viscera pietate cœperunt emolliri. Cùm enim in familiari colloquio ei fuisset adsuetus, ita feritatem illius in parvo tempore prostratam edomuit, et tam ipsum quàm conjugem ad Dei timorem convertit, ut argentum Ecclesiæ, quod nuper pro redemptione civitatis Augustiduni receperat, ei devotus offerret,
C ut faceret quidquid exinde facere decrevisset. Quod vir Dei acceptum per quemdam fidelem Abbatem nomine Bertonem ad prædictam redirigens urbem; ipsumque juxta Apostolum ad domesticos fidei dividens, voluntatem ejus opere caritatis fideliter adimplevit.

XII. Igitur cùm, sicut suprà dictum est, facinus suum diutiùs Hebroïnus perditus occultare non posset, de Rege, quem falsò fecit, declinat ingenium, ut in Theoderici rediret Palatium. Quorumdam factione suscipitur, et iterùm subitò Palatii Major domûs efficitur. Sed cùm eum alii gaudentes, alii timentes in culmine sublimassent honoris, continuò tale dedit Edictum, ut si quis quid cuiquam, dum in turbatione fuerat, intulisset dispendium vel prædam, nullius ex hoc generaretur calumnia. Hæc fuit occasio, ut non redderet spolium, quod ministri sui ei contulerant de prædatione multorum. Cùm autem in rediviva (d) cœpisset superbia, dolens simul et metuens ne superstites haberet æmulos, quorum parentibus
D intulerat malum : jam enim jura potestatis adeptus, duplicavit malitiam cum invidia. Nam priores Optimates cœpit instanter persequi, quos autem comprehendere valuit, aut gladii interfectione prostravit, aut ad gentes extraneas ablatis facultatibus effugavit. Sanè feminarum nobilium Monasteria destruens, earumque Religionis primarias in exsilium dirigens : et quia margaritarum ornamenta conculcandi acceperat potestatem, ideò sine ulla miseratione ut porcus non timuit thesaurorum ornamenta conculcando irrumpere Christi. Et quoniam non valebat respicere cœlum, ideò cor ejus in terrenæ cupiditatis luto ultra modum fuit defixum. Etenim cùm Hebroïnus crudelis de supradictis rebus suum satiasset furorem, rursum occasiones cœpit exquirere, ut blasphemiam suæ crudelitatis valeret ab oculis humanis auferre. Tunc Childerici mortem simulabat se velle vindicare, cùm nullus eum
E prior quàm ipse voluisset interire; (publicè enim aliter quem odisset non audebat persequi) jusserunt Principes unà cum germano suo sanctum Leodegarium ex Monasterio, in quo tenebatur absconditus, egredi, et in præsentia Regis jussus est accersiri. Qui conversus ad Hebroïnum dixit : *Dum superare cupis omnes habitatores in tota Francia, tuam potiùs aufers quam indignus accepisti gloriam.* Hoc audiens (e) Hebroïnus nequissimus, furore magno repletus jussit ministri Gairinum fratrem ejus foras abstrahi, et à germano separari, ut separatim juberentur puniri, ne simul eos delectaret talia verba fari. Cùm autem duceretur, beatus Leodegarius fratrem

(a) Aliàs *Chaldarico.*

(b) Apud Chesnium, *ut patriam subjugarent.*

(c) Hîc seipsum Auctor designare videtur eum ad modum, quo S. Johannes in Evang. cap. 14. *Et qui vidit, testimonium perhibuit.*

(d) Apud Chesnium, *Cùm autem tumere in redivivam cœpisset superbiam.*

(e) Hic articulus cum sequenti ad verbum secundo Scriptori concordat, uti capita 11. et 12. Vitæ sequentis conferenti patebit.

THEODORICUS III.

suum alloquitur, dicens : *Æquo animo esto, frater carissime, quoniam oportet nos hæc pati, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Peccata etenim nostra multa sunt, sed misericordia Omnipotentis supereminens, magnaque ad abluenda delicta se laudantium semper est parata. Hæc ad tempus patimur, quia morti debitores sumus. Sed illa nos exspectat, si patienter ferimus istam pœnam, ubi sine fine lætabimur in cœlesti gloria.* A

An. 676. XIII. Tunc ministri ligatum ad stipitem Gairinum lapidibus obruere cœperunt. Ille verò deprecabatur Dominum, dicens : *Domine Jesu bone, qui non venisti vocare justos, sed peccatores, suscipe spiritum servi tui, ut qui dignatus es ad similitudinem Martyrum lapidibus à me vitam istam mortalem auferre, jubeas clementissime veniam scelerum meorum tribuere.* Hæc dicens, orando ultimum efflavit spiritum. Beatus itaque Leodegarius cupiebat cum germano vitam finire, ut simul mererentur futuram ac beatam participare. Sed Hebroïnus tyrannus differre volens ejus exitum, ut per pœnas longè B dilatas ei præpararet æternas, et ne coronam acciperet martyrii, quin potiùs careret præmiis gloriæ sempiternæ : tunc jussit eum nudis gressibus per quamdam piscinam transduci, in qua erant petræ quasi clavi incidentes acutæ. Quamobrem labia ejus et faciem concavam crudeliter jussit incidi ferro, necnon et linguæ plectrum ferro secante auferri : ut dum oculi ablati, pedes jam forati, lingua ac labia essent incisa, et dum sibi cernebat omnem felicitatem ablatam, corporisque pariter vires undique defecissent negatæ, dum nec oculis cernere viam, nec pedibus incedere callem, nec lingua officium dante laudare quiverit viris undique Creatorem, ac per hoc caderet in blasphemiam desperans, auferendo sibi salutem, quam laudando cœlitus adipisci meruisset ingentem. Sed qui absque vocibus cordium auditor est Deus, magis amat cor contritum, quàm elatione superbum; et suscipit vocem tacentis magis quàm elatè loquentium, non postulat sibi auxilium vocis, sed humi- C litatem cordis. Nam cùm se cognovisset præsidium omne amisisse humanum, totis viribus sibi petiit adesse divinum : nam quantùm impietas humana revocare cupivit ab alto, tantùm pietas divina sociari eum fecit cœlo. Sanctum itaque Domini Leodegarium diutiùs ad vindictam servaverunt vivum, et turpiter denudatum per platearum palustria jusserunt pertrahi nudum, eumque ad vindictam quasi deformatum tradiderunt viro nomine Waringo (a), ut sub ejus gravi dominio emitteret cruciatus spiritum. Cui ait iniquus Hebroïnus : *Accipe*, inquit, *Leodegarium, quem aliquando vidisti superbum virum, et constitue sub tuta custodia. Erit enim tempus suæ vocationis, ut recipiat quod meritus est à suis inimicis.* Cùm autem longè ejus esset hospitium, sanctum Dei Martyrem imposuerunt super vile jumentum. Et ut cognovit ita esse impletum, arripiens hunc Psalmi versiculum : *Ut jumentum*, inquit, *fac-* D
Ps. 72. 23. *tus sum apud te, et ego semper tecum.* Et cùm labia jam non haberet et linguam, laudes Dei silere non potuit; sed mens devota voce qua valuit, de cordis arcano insonuit. Cùmque omnes eum cruentatum graviter cernerent, crediderunt ut ob hoc dimitteret spiritum. Etenim cùm unus è nostris fratribus Abbas, nomine Winobertus, prædictum sanctum Dei usque ad hospitium à longè secutus fuisset, deprecans custodes, ut sibi latenter ad ipsum accedere liceret, invenit eum jacentem in stramine, opertum de vetusto panno tentorii, tenui spiritu palpitantem. Et dum illum ad præsens crederet exspirare, insperatum invenit miraculum. Nam inter sputamina sanguinum incisa lingua sine labiis solitum reddere cœpit eloquium. Et quia defectio labiorum ordines nudaverat dentium, ab intus afflatum tantùm sonitum reddiderunt verborum. Tunc is, qui ei excubias venerat exhibere ad transitum, cœpit flere præ gaudio, et concito gradu Hermenario Episcopo nuntiat factum. Ipse quoque audiens, Waringum postulat, ut ad Dei martyrem se intromittat. Cùm- E que etiam sui merito ei fuisset concessum (omnes enim ut leonem iratum metuebant (b) Ebremerdum, id est Hebroïnum, filium perditionis et stipulam inferni, sævum tyrannum) idem bonæ memoriæ Hermenarius, qui post eum (sicut suprà taxavimus) Episcopatûs honore sublimatus est, vulnera ejus diligenter studuit curare, et arte qua valuit potu ciboque reficere, vestemque quam habuit meliorem induere. Non enim ut jam terreno homini, sed ut translato Martyri reverenter impertiuntur honorem. Qua de re non solùm indulgentiam de præteritis, verùm etiam ab eo promeruerunt de futuris. Postquàm enim Waringus eum duxit ad propria,

(a) In secunda Vita *Waningno*, in tertia *Varnigoni.*

(b) Chesnius habet : *metuebant sævum tyrannum, vulnera ejus.* Media desunt.

A Dei comitante gratia, cœperunt velociùs contra naturam ejus labia recrescere similiter unà cum lingua, necnon et verba vidi ultra solitum ab ejus ore effluere. Cùm hoc miraculum cognovisset Waringus, non obdurat animum ei impendere malum, ut à tyranno fuerat jussum : sed versa vice jam Dei Martyrem recognoscens, acceptum eum ad suum perduxit Cœnobium, quod vocatur Fiscamnum, ubi erat Congregatio Virginum, quibus præerat Childemarca (a) famula Christi : in qua multis diebus habitator conversans, sub custodia stetit. Nam et lingua præcisa solitum recepit officium, et magnum doctrinæ suæ semen ostendit in populo : quandoque inter virginum accessit catervam, tantùm, ut fertur, dulci suo fulgebat eloquio, ut mirarentur quicumque audientes quanta Dei esset clementia, et conversi à pravis operibus, velociter peterent pœnitentiæ fructum. Ubi dum intra parvum spatium labiorum, faucium vel linguæ recepisset officium, eò quòd oblatus fuerat ipse jam
B Domino, cotidianum immolare studuit sacrificium : et dum intrinsecus eum lux spiritualis impleverat, de corporeis oculis nil curabat. Nam diebus ac noctibus in Dei laudibus pervigil adstabat, ut vel paullulùm ad necessaria corporis vix aliquando ab Ecclesia procederet, ut vel quippiam somni cibique capere potuisset.

XIV. Igitur cùm post tot flagella, ut decebat Martyrem, fideles populi ei famulatum exhiberent venerabilem, quia non potest sub modio lucerna abscondita non lucere, manifestè omnipotens Deus omnibus declaravit : namque cœpit adversarios ejus ulcisci derepente. Nam dum per biennium ferè ibidem in Dei laudibus resideret, eos illi nuntiaverunt interfectos, aut pro infidelitatis culpa in regionibus aliis effugatos : quos ille graviter deflens, non de ultione gavisus, sed cur sine pœnitentia
C eos comprehenderit mortis occasus. Eodem tempore vir gloriosus Theodericus Rex et idem Hebroïnus Synodum convocaverunt, ad quamdam villam regiam convenientes, multam Episcoporum turbam adesse fecerunt. Ibique inter ceteros Diddonem, qui sanctum virum Leodegarium cum Waimero expulit de sede sui Episcopatûs, et tradidit pœnæ illectus, condemnatum ab ipsa Synodo, calvaria accepta in capite, expulsum segregant à sancta Congregatione. Deindè exsilio condemnatus, morteque secuta, pœnâ capitis exsolvit quidquid doli in sanctum virum exercuit. Alii verò Episcopi tunc à Rege per Hebroïnum in ipsa Synodo penè similem pœnam sortiti, perpetuo exsilio sunt deportati. Waimerus etenim, qui ad supradictum famulum Dei capiendum, et ad explenda Hebroïni dicta socius perniciei exstiterat, posteaquàm ab ipso eò quòd in ejus ultione consenserat, Episcopatûs gradu dolosè fuerat sublimatus, post paullulum intervallo posito in offensam ejus
D decidens, Dei, ut opinamur, nutu multis flagellationibus obrutus est : nempe, ut fertur, laqueo fuit suspensus, ac morte turpissima, ut decebat justi proditorem, condemnatus, transmissus est ad tartarum. Adhuc enim vir Dei sanctus Leodegarius in eodem monasterio Sanctimonialium, in quo ad custodiendum positus fuerat, commorabatur. Igitur ad beati Martyris perfabricandam coronam artifex versutus ex illis Hebroïnus tyrannus superfuit vivus, qui ea quæ passionis ejus gloriæ supererant adimplere deberet. Iterum antiquus serpens invidus, molestè ferens se ab eodem loco ejus orationibus fuisse expulsum, stimulare rursus cœpit Hebroïnum, atque reduci eum præcepit ad Palatium, ut Episcoporum (b) consilio ejus disrumperet (c) vestimentum, quatenus ob hoc ei esset interdictum, ut ultrà non præsumeret offerre sacrificium. Ubi dum deductus fuisset ad medium, inquirebant ab eo verbum, ut de Hilderici morte confiteretur se conscium. Cognoscens per diabolicum commen-
E tum rursum sibi imminere conflictum, ut de humano se non excusaret delicto, ita de hoc facinore nullatenus dixit fuisse se conscium, sed Deum potiùs quàm homines hoc est scire professus. Tunc et ipsum ad eamdem Synodum accersierunt, non tamen infra Concilium confirmatur fuisse, sed seorsum. Eo tempore cum Rege eodem collationem fecisse dicitur, in qua ei multa prædixisse futura, quæ evenisse manifestè conjiciuntur. Et cùm diu flagitantes ei aliud non valuissent elicere, ejus tunicam consciderunt à capite, eumque Chrodoberto cuidam, qui tunc Comes

An. 678.

(a) Chesnio, *Childomarca*.

(b) Eidem, *ut in Episcoporum Concilio*.

(c) Hoc in articulo duos observamus modos redigendi Episcopos in ordinem, scilicet per decalvationem et per tunicæ scissionem. Primi modi specimen habemus in Regula prima S. Fructuosi Episcopi Bracarensis cap. 16. ubi præcipit, *ut Monachus parvulorum aut adolescentium consectator*, exceptis aliis pœnis, *coronam quam gestat capitis amittat, decalvatusque turpiter opprobrio pateat*. Secundi verò modi exemplum exstat apud Gregorium Turon. lib. 5. cap. 19. quem vide suprà, pag. 246.

THEODORICUS III.

erat Palatii, jussit tyrannus impius tradi, et præsentem vitam in gladii percussione auferri. Lætabatur enim Dei Martyr in omni patientia, quia debitam sibi, remunerante Domino, Martyrii sentiebat appropinquare coronam. Acceptum eumdem Chrodobertus ad suam domum deduxit, cernens eum ex itinere ac infirmitate defessum, jussit ei dari ad refocillandum potum. Antequàm ei pincerna adsisteret, lumen magnum quasi in rotæ circulo de cœlo descendens, super caput ejus refulsit. Tunc trementes omnes, qui hoc signum viderunt : *Quid est hoc,* inquiunt, *domine, quod apparet super caput tuum, quasi in circuli modum splendidum de cœlo, quod numquam à nobis simile visum est?* Ille pronus in terra adoravit, dicens : *Gratias tibi ago, omnipotens Deus, consolator omnium, atque refero, qui super servum tuum ostendere dignatus es tale miraculum.* Tunc videntes omnes quasi in excessu mentis positi, tandem quidem resumpto spiritu, simul glorificantes Deum omnipentem, et conversi alter ad alterum, dicebant : *Verè hic homo servus Dei est :* et pollicebantur ad Deum prorsus se tendere pro viribus. Etenim commemoratus vir cùm eum in domum suam perduxisset, ita in ejus adventu benedictionem cœlestem recepit, ut cùm omnes illic habitantes hoc cognoscerent, peccata propria confitentes, certatim ad pœnitentiæ medicamenta confugerint. Hac enim gratia Dominus suum famulum illustraverat, ut ubicumque exsul fuisset traditus, ut ei inferrentur nequitiæ, versa vice famulabilem illi omnes impenderent reverentiam. Tandem pervenit dies muneris, in quo persecutionis ejus jam esset finis. Tunc à Palatio sententia mandatur decreti, Leodegarium diutiùs vivere non debere. Cùm autem impius Hebroïnus vereretur ne à fidelibus Christianis honor ei impenderetur martyrii, in silvarum condensa jubet perquiri puteum, et ibidem corpus ejus immergi trucidatum, quatenus os putei terra vel lapidibus obturatum, incognitum hominibus faceret illius sepulcrum. Præfatus autem Chrodobertus interim, eo prædicante, jam aliquantulùm cœperat esse conversus : ideòque non volens mortem viri Dei conspicere, injunxit quatuor è famulis, ut ea quæ fuerant sibi jussa explerent. Ut enim in illius domum pervenit hoc nuntium, ejus conjux luctu flere cœpit amaro, eò quòd in viri sui ministerium pervenisset tam crudele flagitium.

XV. Igitur ut cognovit vir Domini suum jam adesse terminum, mulierem cœpit consolari lugentem, dicens : *Noli, quæso, mei transitûs causa flere, quia nequaquam tibi mors mea ad vindictam requiretur : sed potiùs benedictio de cœlis dabitur à Deo, si corpusculum meum devotè condideris in sepulcro.* Et cùm hæc dixisset, urgentibus ministris valedicens, in silvam eum ducunt, ut jussionis implerent sententiam. Jam enim anteà quæsierant puteum, ubi corpus ejus absconderent, sicut fuerat jussum ; sed nullatenus fuit ultrà ab eis repertum. Et ducentes eum per loca incognita usque in quemdam locum, in quo adstitit inquiens : *Non necesse habetis, filii, longiùs fatigari ; ad quod venistis citò facite, ut impleatis votum maligni.* Hi verò, qui eum ad perimendum ducebant, erant quatuor numero. Tres autem ex his provoluti ad pedes ejus, deprecati sunt, ut eis indulgentiam daret, et benedictionem suam super eos dignaretur tradere. Quartus (a) verò superbus adstabat evaginato gladio, paratus eum ad interimendum. Postquàm benedictionem super eos tradidit, et suis interfectoribus verbum Dei adnuntiavit, tunc vir Dei incumbens orationi, ait : *Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, per quem tui notitiam accepimus, Deus virtutum, ac totius creaturæ creator, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hanc certaminis diem perducere. Rogo, deprecorque, Domine, ut ipse in me jubeas misericordiam tuam largiri, et meritis Sanctorum tuorum me dignum facias participem, et vitæ æternæ consortem : et tribue indulgentiam his qui me tribulant, quoniam ego per eos credo in conspectu tuo, clementissime Pater, glorificatus fieri.* Et exsurgens, cervicem tetendit, gladiatorem commonuit, ut quod sibi jussum fuerat adimpleret. Cùmque hæc diceret, percussor extendens gladium amputavit caput ejus. Et erectum corpus ejus substitisse quasi unius horæ spatio dicitur. Sed dum non statim eum cadere gladiator cerneret, eum pede percussit, ut sic citiùs in terram decideret. Sed non multò pòst percussor ejus arreptus à dæmonibus, et mente captus, ac Dei ultione percussus, in ignem se projecit, ibique vitam finivit. Tunc jussu conjugis hujus viri Chrodoberti in quamdam villam (b) Sarcinio cum magno fletu plangentium latenter à suis deportatus, et hu-

(a) Auctor tertius scribit. *Quartus nomine Wadardus*, quem Wadhardum codex Carnotensis pingit.

(b) Baldericus Noviomensis ac Tornacensis Episcopus in Chron. Atrebat. lib. I. cap. 20. hanc histo-

A jus feminæ decreto cum vestibus, in quibus trucidatus fuerat, in parvulo Oratorio beatus Martyr est sepultus.

XVI. His itaque diebus Sacerdos quidam, qui hujus Oratorii fungebatur officio, lumen splendidum absque ministerio humano in eodem cognovit noctibus refulsisse loco, et terribiliter cum jurejurando canticum se illic asseruit audisse Angelicum, adeò ut tremens refugeret, ne insolens (a) spiritali visu interesset. Unde rumor magnus emanavit in circuitu loci hujus. Qui venerabilis Martyr multas turbas languentium et diversis infirmitatibus detentas venientes ad ejus venerandas orationes sanavit, claudis etiam gressum dedit, cæcis lumen tribuit, obsessos à dæmonibus mundavit, multisque virtutibus in hujus loci venerando habitaculo emicuit. Hoc ejusdem Ecclesiæ Sacerdos attestatur. Nam et hujus Sacerdotis minister Clericus et ipsius Ecclesiæ custos quadam nocte latrocinium passus est, ita ut à latronibus
B omnis substantia sua fuisset ablata : inter quam caligulam beati Martyris, quam pro reverentia sibi habebat absconditam, latro nesciens secum deportavit. Qui maturè ab Oratorio consurgens, et ad domicilium suum pergens, invenit omnia sua furata. Festinus igitur pergit ad hujus viri sepulcrum, deprecans ut ei redderet quod furtim perdiderat. Nam tota illa die, et sequente nocte in oratione ad ejus tumulum jejunans, et psalmodiæ insistens adstabat. Cùm verò expleta oratione ad suam Cellulam remeasset, omnia quæ perdiderat, et nihil ex eis diminutum, cum caligula beati Martyris salva invenit. Dominus verò latronis qui pro servo jurejurando juraverat, quòd nequaquam hoc malum egisset, reversus domum vitam finivit : servus verò scelus quod fecerat malè consummavit. Tunc magis magisque fama sanctitatis sancti Martyris latebras rumpit, et paullò post ea quæ gesta sunt Hebroïno non latuit. Quo audito, nuntium misit occultè, qui hæc inquirens studiosè, sibi vera nuntiaret. Qui
C nuntius jussis ejus obtemperans, ad ejus accessit tumulum, et interrogans à custode didicit ubinam Leodegarius jaceret. Cùm cæcus, qui visum receperat in virtutibus Dei, huic, ubi Sancti corpus requiesceret, diceret, et cui ipse recepto lumine serviret, hoc nullatenus credidit : sed superbia tumidus accedens, orationi distulit incumbere, quin potiùs despiciens humum pede percussit, et stultè loquutus est eò quòd nesciret virtutem : *Etenim*, inquit, *mortuus virtutes nequaquam faciet.* Nam miser reversus, priusquàm ea nuntiaret huic, à quo missus fuerat, in semetipso cognovit quantùm sanctus Martyr virtutibus polleret. Dum verò iter carperet, ille vitam perdidit, et ei à quo missus fuerat minimè nuntiavit : et quem elatus non credidit, allisus compulsus est cognoscere quem despexit. Sed cùm tantæ rei divulgaretur opinio, et fidelibus provenisset ad gaudium ; his ita cognitis Hebroïnus iniquissimus tacito corde retinebat, et tremens intra se verecundè præter conjugem
D nemini manifestare audebat ; ne fortè crescente gloria Martyris, sua qui tale lumen exstinguere cupiebat, esset diminuta in populis. Nam his spatiis dierum quantùm ille miser hoc bonum latere cupiebat, tantò magis ubique rumor virtutum supradictarum beati Martyris dilatatus radiabat. Mox etiam ut Hebroïno fuit percognitum, noluit corrigere malum : sed corde jam cæco cum suis sequacibus incredulitatis obduratur obstaculo. Jubebat enim minando abscondi, quod Christus Dominus ad confortandum incredulos, ad gloriam sui Martyris supra candelabrum Ecclesiæ positi, ad illustrationem fidelium dignatus est demonstrare. Etenim cùm mens tyranni hæsitans errabunda nutaret, et nullatenus ad humilitatem vel emendationem sui converteretur, etiam ultra solitum in fastu superbiæ cervicem suam contra omnes diabolus eriguisset (b), tunc in eo impletum fuit Salomonis proverbium : *Priusquàm humilietur cor hominis, elevatur, et ante ruinam exaltatur spiritus.* Et ne tanti *Prov.* 16. 18.
E piaculi factum impunitum evaderet, ipse sibi velut phreneticus articulum mortis inquirit. Nam cuidam Optimati, qui tunc functionem fiscalem ministravit, inventa occasione eousque intulit spolium, donec penè auferret omne ejus prædium : insuper minabatur etiam mortis periculum. Cernens autem vir ille jam post exspolium mortis sibi insuper imminere exitium, obfirmat animum, atque ad ejus ostium ante lucem observat egressurum. Dies autem agebatur Dominica, ideòque processurus erat ad (c) Matutinarum sollemnia. Cùm enim ille pedem foras misisset de limine, ecce

riam sic breviter perstringit : *In territorio Atrebatense transductum decollari fecit* Ebroïnus *in loco, qui dicitur silva S. Leodegarii, sepultusque est in villa, quæ dicitur* Sorcin, *quæ est in confinio Cameracensis Episcopii et Morinensis.* In secunda Vita *Sarcingo* vocatur, nunc vulgò *Sercin.*

(a) Fortè, *solus spiritali visui.*

(b) Lege *erexisset.* Breviùs in alia Vita Ebroïni interitus cap. 19. describitur.

(c) Mos ergo tunc temporis erat Christianis quantumvis remissis aut spectabilibus, ut die Dominica Matutinis interessent officiis.

THEODORICUS III.

iste insperatè prosiliens, gladio eum percussit in capite : cujus ictu duplicem decidit in mortem. Et ita est ablatum de regno ejus iniquum dominium, sicut quondam David à filiis Israël abstulit opprobrium (a), prostrato allophylo Philistæo. A

An. 681. XVII. Transacto verò (b) spatio trium penè annorum, in semper lugendo Hebroino, qui hanc lucernam nisus fuerat exstinguere, sermo divinus impletur. Nam qui gladio multos interemit, percussus gladio et ipse periit. Infelix ac miser, qui tantis honoribus sublimatus, in tribus mundi partibus dilatata fama industriæ suæ pollebat inter homines, quoniam noluit suis inimicis mandatum Dei implendo indulgentiam tribuere, ulciscendo eos multos ad regna cœlorum fecit abire. Quamobrem verendum valde est, ut qui tantos Sacerdotes ac Proceres ultionis suæ crudelitate interemit, sibi potiùs pœnam præparasset æternam; et qui tam excelsam, quam nullus Francorum habere meruit, gloriam perdidisset; et beatam vitam, quam per patientiam adipisci quiverat, amisisset. Sed postquàm infelix Hebroïnus vitæ finem B dedit, quod invidia ductus de Dei servo absconderat, magnis laudibus longè latèque percrebuit. Posthæc igitur ut Serenitati Regis ejusque Palatio de virtutibus sancti Martyris veraciter fuit cognitum, quòd Christus Dominus ad titulum suæ laudis eum clarificasset signis virtutum, cum admiratione Rex credidit factum, et cœpit venerari ut Martyrem, quem per accusationem tyranni priùs crediderat fuisse culpabilem. Tunc perlatum est cum laude in Palatio, quod multis diebus ab æmulo latuit abconsum. Erat enim ibi multitudo magna maximorum, Episcoporum scilicet ac Procerum, qui dum collationem de sancto Martyre inter se haberent, et mirarentur quod de eo audiebant; vir magnæ sanctitatis Ansoaldus urbis Pictavensis Antistes verbum intulit, dicens : *Utinam daretur mihi optio, quia notum est meum esse parentem, et ex parochia mihi commissa ad honoris processit gratiam, ut vel ejus corpusculum meruissem habere mecum.* Ibi enim aderat Hermenarius Pontifex, C qui ei successerat in Episcopatu Augustidunensis urbis, et ipse ait : *Jure mihi datur hujus viri corpus, quoniam justum est ibi in eum requiescere, ubi fuit Episcopus.* Tunc etiam Vindicianus Præsul Atrabatensis, in cujus fuerat diœcesi interfectus, dicitur respondisse : *Nequaquam ita fiet, ut vos sancti Pontifices loquuti estis, sed mihi donetur facultas hujus beati corporis habendi, quoniam huic loco datus est, in quo dignatur requiescere.* Adstante verò cunctorum turba Præsulum, decernunt, ut jejunia et orationes in hoc conflictu fierent; ut per hoc dignaretur Dominus ostendere, in cujus diœcesi jure deberet requiescere. Hæc audientes adquieverunt decreto, et facta oratione cum jejunio, in tribus parvis epistolis definitione scripta et super altare positis, ut transacta oratione Dominus declararet, in cujus sorte hoc sanctum beati Martyris corpusculum perveniret. In crastina die oratione completa, D ac Missarum sollemniis consummatis, unus ex ministris jussus à Pontificibus manum incognitam subter pallam posuit, et cognitio veritatis in manu sua venit. Quod cuncti videntes, qui huic spectaculo aderant, cognoscentes conclamaverunt Ansoaldi Pontificis esse justitiam, quoniam hujus rei epistolâ apparuisse declarabatur, quod veraciter teneretur. Jam tunc sine ambiguitate confirmato consilio, cuidam viro Dei Abbati suo, nomine Audulfo, isdem Pontifex Ansoaldus jussit, ut festinus propter hoc sanctum corpus pergeret, et cum reverentia debita ipsum usque solum Pictavense deferret, ut ubi priùs cœperat cultum Dei exercere, ibi ejus lucerna omni tempore emicaret. Tunc vir Dei sancti sui Pontificis jussis obtemperans, gaudens cum festinatione perrexit ad locum, ubi requieverat corpusculum. Quod audientes,

(a) Apud Chesnium, *prostrato Goliath allophylo.*

(b) Idem habet secundus Auctor. Hinc annum quo S Leodegarius obiit, colligere licet. Ebroïnus regni Theodorici anno nono (si Sigeberto credimus) Christi 681. aut insequenti exstinctus est, et quidem post tres ferè annos quàm martyrio affectus fuerat Leodegarius : qui proindè anno Christi 678. necatus est, uti etiam Carolus le Cointe censet. Hic calculus confirmatur ex eo, quòd Ebroïnus palatii præfecturam anno regni Theodorici primo iteratò adeptus est, paullò pòst cœpit vexare Leodegarium, qui Waimeri Campaniæ Ducis custodia per biennium in quodam Monasterio detentus; posteà Waningo commissus, *multis diebus*, hoc est annos ferè duos apud Fiscamnum exsulavit. Tandem post Synodum anno Theoderici sexto, ut Sigebertus scribit, habitam, jussu Ebroïni abductus est à Chrodoberto in pagum Atrebatensem, ubi paullò pòst capite percutitur sexto Nonas Octobris : ipsoque die in antiquis Martyrologiis (si Bedæ fastos excipias) commendatur; apud sincerum Usuardum hoc modo : *In territorio Adartensi Passio B. Leodegarii Augustudunensi Episcopi : quem variis injuriis et diversis suppliciis pro veritate afflictum Ebroïnus Major-domûs regiæ interfecit.* Ado verò; *In Atratis, villa Siricynio, Passio B. Leodegarii etc.* ut Usuardus : addito, *cujus sacrum corpus in diœcesi Pictavorum translatum, in Monasterio B. Maxentii est humatum. Adartenses* seu *Adarctenses* vocabantur olim Atrebates ad Arctum, *Ostrebates* qui ad Ortum, qui verò ad Austrum *Austrebates*, uti Malbrancus in lib. 2. de Morinis cap. 57. rectè observavit. Et tamen *Sarcingum*, Leodegarii sepulturæ locus, uti et locus ubi necatus est, uterque vicus S. Leodegarii dictus; (ille quidem ad fontes Alteïæ fluvii, hic versus caput Quantiæ) Austrebatibus occidentalis est : quamquam posterior locus paullulùm ad Septemtrionem vergens, Adartensibus attribui potest. *Ita Mabillonius in Notis in secundam Vitam.*

dientes,

A dientes, qui inhabitabant in circuitu loci Monachi ceterique viri ac mulieres, devotione magna compuncti, festinantes concurrebant ad locum. Ubi cùm sanarentur multi à languoribus diversis, exultabant, ac lætantes cum magnis laudibus, et turba multorum canentium simul et flentium, ipsius sancti Martyris, sicut jussum erat à glorioso domno Rege Theodorico, promoverunt hoc sanctum corpus. Ergo cùm iter jam pergerent, divulgatum est per itineris loca, cœperuntque undique sponte dextra lævaque concurrere ex Monasteriis, viculis ac villis turbæ Monachorum ac Clericorum per publicum cum crucibus accensisque cereis et suavitatum odoribus obviàm procedentes. Tanta etenim multitudo erat, ut vix quisquam accedere posset ad feretrum, et acceptis cornibus deferre posset scapulis. Nam quisque qua detinebatur infirmitate, etiamsi feretro accedens tangere potuisset manu, statim ad pristinam revertebatur sanitatem. Nulli enim negabatur sanitas,
B si cum fide tangeret hujus feretri opertorii fimbrias. In pago enim Caturcino, quibusdam fidelibus poscentibus Fratribus, et præcipuè petitionibus Ermenanæ Abbatissæ, quæ ad hoc opusculum impatienter inter ceteros nos compulit scribere de sanctis quæ comitabantur virtutibus, relationem veram misit memoratus Audulfus, ubi inseruit quædam pro multitudine non valere scribere, solummodò dum ferretur quanta cooperante Domino viderat miracula coruscare : sed asserens, inquit, si ea quæ viderat quisquam paginæ inserere voluisset, ad magnitudinem rei in scribendo volumen Psalmorum excedere. Nos verò quod per eamdem relationem cognovimus, andire desiderantibus breviter intimanus.

XVIII. In quadam villa, cujus est vocabulum Gaudiacus (a), erat puella quædam nomine Radinga, quæ ab annis septem in parentum domo jacebat cæca, muta et paralytica. Sed cùm allata à parentibus ad feretrum beati Martyris fuisset,
C eadem nocte sopore detenta visu vidisse dicitur duos viros splendidos in equis sibi adsistentes. Sed cùm evigilasset, et secum visionem miraretur, oculi ejus receperunt visum, et pedes gressum, et lingua locutionis officium, ita ut ipsa exclamaverit, dicens : *Gratias tibi ago, omnipotens Deus, quia per sanctum Martyrem Leodegarium ad integram sanitatem restituta sum.* Ab hac laude * erecta, omnibus membris sana, cum parentibus perrexit ad propria, longo tempore postmodùm victura. Deinde cùm in territorium Turonicæ civitatis pervenissent, in vico (b) Solnaco, qui propè erat, quædam mulier à dæmonio vexata à parentibus trahebatur ad feretrum sancti viri : quæ cùm tandem invita atque coacta adveniens tetigisset hujus feretri vestimentum, mundata protinus est à dæmonio, et reversa ad sensum proprium, magis adhuc volebat circa feretrum adsistere, quoniam ab adversario metuebat se iterùm arripi : His ita gestis, perlatum est ad urbem. Hoc audiens
D ejusdem civitatis Pontifex, qui tunc erat vir Dei Bertus (c), processit obviàm cum choris psallentium, cum lampadibus et cum magno honore suscepit feretrum. Et cùm per civitatem transirent, quædam mulier accusata pro morte viri sui, collo ac manibus catenata ducebatur. Illa autem cùm traheretur sic clamabat : *Subveni mihi, beate Leodegari, quia innocens pereo falsis accusatoribus alligata.* Cùm hoc dixisset, illicò confracta catena ex collo cecidit, et manibus suis eamdem catenam mox mulier projecit sub feretro, et apparuit idonea quæ fuerat absque pœna punita. Cùm verò idem Pontifex cum magnis laudibus per suam parochiam hoc sanctum corpus deduxisset, et intravisset Pictavense solum, ad quod erat destinatum, requievit paullulùm in quodam viculo Igorande (d) vocabulo : ubi obviàm occurrens quidam claudus, cùm se in orationibus ad sancti viri corpus in terram projecisset, statim sanus factus, et super pedes suos erectus, ad propria incolumis est regressus. Tunc audiens quædam mu-
E lier, à cujus manibus ablata fuerat species, et facti erant ejus digiti curvi, ita ut medio infixæ essent palmæ, intantùm ut ungues in carne absconsæ propriam amiserant virtutem; ipsa tamen cùm appropinquasset ad feretrum, invocato nomine Domini et sancti Martyris, directa ad pristinam sanitatem, magnas agens gratias Deo, reversa est ad propriam domum. Sed et hoc non est silendum miraculum, quia vir Dei Ansoaldus Pontifex audiens sanctum appropinquasse jam corpus, velocem ministrum direxit, qui ex Interamnis villa sua daret abundantiam vini, unde pauperes et reliquum vulgus, qui comitabantur sanctum corpus, habere potuissent ad refocillandum se refectionem. Sed cùm hoc fuisset actum, non multum post spatium

* *al.* clade.

(a) * Gaudiacus in Carnutibus, vulgò *Joüy*.
(b) * Solnacus in Turonibus, vulgò *Sonay*.
(c) Aliàs *Theodebertus*.
(d) * Igorandis vicus positus est inter Castellum Heraldi et Crosæ ac Vingennæ confluentes : vulgò dicitur *Ingrande*.

THEODERICUS III.

nunciatum est, quòd omnia vascula, quæ intra apothecam, unde ipsum vinum exierat, penè vacua remanserant, tam plena esse videbantur, ut etiam supereffluentia vina in pavimento deciderent, ipsa tamen plena remansissent. Post hæc cùm ad Vigennam (a) fluvium in vicum Sannone vocabulo pervenissent, erat ventus contrarius supereminens ipsum flumen tumidum undis. Unde metuentes nautæ cœperunt prohibere navigantes introire, ne periclitarentur in flumine. Tunc vir Dei Abbas jam dictus, cujus curæ erat deferre Sancti corpus, confidens de meritis sancti Martyris, compulit eos dicens : *Mittite in navim, et transite securi, quia Dominus potens est per hujus Sancti meritum has undas compescere.* Cùm autem positum fuisset in navi, et navigare cœpissent nautæ, statim undæ quieverunt, et prosperè ipsum flumen transierunt. Sed cùm noctu in Ecclesia requievissent, quædam peregrina mulier dum cum infantulo cæco advenissent, tota illa nocte pervigilans in oratione, diluculo infans lumen quod amiserat recepit. Inde recto itinere perventum est ad quamdam villam Gelnacum (b) ad quam vir Dei Ansoaldus Antistes obviàm processit cum multitudine Clericorum, vulgi populorum et pauperum, cum thuribulis ac incensi fragrantia, cum crucibus et cereis accensis, agminibusque multis canentibus ; hoc sanctum corpus suscipiens, pergere cœpit ad urbem. Tunc ibi quædam aderat femina multis jam annis intantùm curva, ut etiam caput inflexum penè adhæreret genibus : cum paullulùm oculos erexisset orans ad sancti Martyris feretrum, reversum est ad pristinum vigorem ejus corpus. Mirante Pontifice, et omnibus cum ipso adstantibus virtutem Dei ac beatissimi Martyris, tunc cum canticis et magnis laudibus perventum est ad urbem. Est in suburbano Basilica, in qua beata Radegundis requiescit, in quam introivit Pontifex cum sancto corpore Martyris, ibique aderat quidam paralyticus qui in ejus adventu sanus effectus est. Sed cùm ad Basilicam (c) sancti Hilarii delatum fuisset beatum corpus, alius paralyticus jacens in via, hujus tangens feretrum, sanus protinus factus est. Paulò pòst quædam puella cæca Sanctum Dei invocans, lumen amissum recepit, quæ secuta usque ad ejus tumulum perveniens, hucusque devota deservit. A B C

XIX. Igitur cùm ipsum sanctum corpus amotum fuisset ab urbe, et ad ipsius civitatis Præsule cum suis Sacerdotibus et ministris propriis humeris fuisset quibusdam spatiis loci deportatum, et usque Zezinoialo (d) quodam viculo cum magno tripudio fuisset delatum ; ibi turba magna Monachorum de sancti Maxentii Monasterio, in quo priùs Abba fuerat constitutus, obviàm processerunt, Pastorem cum magno favore suscepturi, devotione magna et psalmodia in eadem Ecclesia pernoctantes. Diluculo verò quædam accedens mulier, deferens semivivum in brachiis infantulum penè annorum trium, qui priusquàm ad sanctum corpus perveniret, amisisse fertur spiritum, peraccessit. Quem deportando accedens posuit sub feretro, et cum fletu invocavit sanctum virum, dicens : *Domine mi, redde filium meum.* Et cùm ferè horarum trium spatio hæc deprecando clamaret, quasi de gravi somno evigilans infans, voce qua valebat matrem requirens, ait : *Mater, ubi es?* Ipsa gaudens recepit filium redivivum, quem amiserat mortuum. Hoc magnum et mirabile fuit miraculum, ex quo magna fides processit in populo de tam perfecto viro, cujus gloria magna manet in cœlo. Deinde verò sublatum est corpus beatissimi Martyris, et quemadmodum decebat talem virum deferri, perlatum est. Et cœperunt ire ad Monasterium beati Maxentii, in quo priùs pater fuerat Monachorum. Et quia inibi cœperat priùs mentes hominum perversorum mutare ad cultum divinum, justo judicio Dei ac providentia censetur, ut virtutibus fulgendo summis exemplis plurimos adnecteret Dei operibus. Cùm autem deferretur, occurrunt ei in via duo pauperes, vir scilicet cum uxore. Vir enim unum oculum ablatum habens, conjux verò duos, uterque accedentes ad feretrum, mulier fide lumen recepit oculorum, vir ejus dubitans recessit cum uno cæcus. Priùs enim quàm accederent, vir trahebat funiculo cæcam : recedentes verò, uxor reddens vicem viro, trahebat postmodùm cæcum. Nam cùm priùs Monachi ex ipso Cœnobio in ejus properarent occursum, quædam puella, quæ jacebat in atrio B. Maxentii paralytica, omnia membrorum amiserat, ut notum erat, officia. Quæ cùm nomen audisset beati Leodegarii, manus una ei restituta est sanitati. Cùm verò die tertia beati Martyris D E

(a) Apud Chesnium, *ad Vigentiam fluvium in vico Sanoreæ.*

(b) * Gelnacum existimat Hadr. Valesius esse *Jaunay* vicum ad Clenum flumen, ab urbe Pictavis octo circiter millibus passuum distantem.

(c) Auctor tertius *Monasterium sancti Hilarii* vocat.

(d) Aliàs, *Zizolliolo.*

A corpus in ipso perventum fuisset atrio, omnia membra ejus dissoluta, omni infirmitate amissa, in pristinis reversa sunt officiis, ac ipsa tota incolumis est reddita. Hoc videntes qui ibidem aderant miraculum, tanta undique congressa fuit populi multitudo, ut vix Ecclesiæ seu atria capere potuissent omnium advenientium populorum catervas. Intereà mulier alia ex longinquo veniens, lumen oculorum, cùm ad sancti Martyris accessisset tumulum, recepit quod amiserat. Quidam adolescens simul et puella dæmoniis vexati, cùm tremefacti ad locum S. Martyris pervenissent, vomitu sanguinis evulsis dæmonibus, ad suam pervenerunt sanitatem. THEODORICUS III.

XX. Multæ et innumerabiles virtutes illis diebus per eumdem Martyrem operatæ sunt. Nam quicumque venissent multorum languentium, cæcorum, surdorum, mutorum, aridorum, claudorum atque à dæmonibus vexatorum, reddita est eis sanitas
B incolumitatis. Nam dum in itinere deferretur, penè sine numero fuit multitudo portantium. Matronæ verò nobiles vestimentorum ornamenta gestantes, oblatis palliis velamenta ex auro et holoserico et ornamenta offerentes super feretrum Martyris, intantùm ut ea melior in meritis esse gauderet, quæ in honorem Martyris priùs votum suum Domino obtulisset. In ipsius beatissimi Martyris honore, jussu Pontificis domni Ansoaldi, opere Abbatis Audulfi Patris * Monasterii, miræ magnitudinis fabricata est domus : cujus fabricæ ædificatio est dissimilis omnibus Basilicarum constructionibus. Qua supradictus Pontifex votum perficere volens, huic loco accessit cum omnibus suæ Ecclesiæ Sacerdotibus, ac turba magnificorum catervaque populi magna. Et quidem cum magnis laudibus sanctum sepelivit corpus beati Martyris : in quo loco operantur culmina virtutum. Ubi ad laudem nominis Christi perpetuò fit gaudens recursus, ad medelam populi, indulgentiamque peccatorum, ut omnibus, qui ex fide adeunt, precum suarum obtinere concedatur sup-
C plementum, regnante Domino nostro, cui est honor et imperium, virtus et potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen. * S. Maxentii.

XXI. Consummatum est martyrium S. Leodegarii v. Non. (a) Octob. et dedicatio Basilicæ ipsius III. Kal. Novembris, translatio verò sancti corporis medio mense Martii (b).

(a) In secunda Vita, *VI. Nonas Octobris.*

(b) * Martyrium S. Leodegarii anno 678, dedicationem ipsius Ecclesiæ anno 690, et translationem ejus corporis anno 693 collocat Pagius ad an. 681. num. 28. et 29.

D

ALIA (a) VITA S. LEODEGARII,

Auctore Ursino ejus æquali.

Inter acta SS. Ord. S. Bened. Sæc. 2. *pag.* 698.

PROLOGUS AUCTORIS

AD ANSOALDUM EPISCOPUM.

E *DOmino meo sanctoque Pontifici Ansoaldo Præsuli Pictavensi Ursinus peccator.* Jussioni obtemperans vestræ parui, beatissime Papa, insistente maxima ex parte Audulfo patre Monasterii B. Maxentii, ut de vita vel passione B. Leodegarii pauca de multis ejusdem bonis scribendo narrarem. Quod opus tuis imperiis obsequendo edicere cupiebam, sed simplicitas cordis mei et iners facundia non valet explicare tanti viri laudes virtutum. Cujus patientia modernis temporibus quanta sustinuit retrorsùs, quæ nemo novit nisi ille solus, cui protulit intrinsecùs. Qui occultis latibulis privatus oculorum acie, quid et quantum egisset boni, quis enarrare possit, ubi nec adsistebat minister qui hoc cernere valeret, ut quod oculis non videbat nar-

(a) Hanc Vitam ex interpolatione Suriana vulgavit Andreas Chesnius Tom. 1. Script. Franc. pag. 617. Eam ad mss. codices Monasteriorum S. Germani Pratensis et S. Cornelii Compendienses genuinæ phrasi restituit Mabillonius, cujus et Notas, ut plurimùm, adhibemus.

rare quivisset? Nam finis operis ostendit extrinsecùs quanta intus latendo fuisset operatus. Tamen in quo agnita ejus mihi vita fuit, et multorum relatione comperi, quamquam rustico sermone, vobis imperantibus edicere non distuli. Si quid quibusdam longiùs verbis propagare studui, ad disserendam veritatis lineam hunc tramitem posui : sin verò de ejus virtutibus aliquid prætermisi ; nec studiosè gessi, quin verò ignorantia intermittendo præterii. Hoc etenim sciendum puto, quia quamvis quisquis alti sermonis eloquentia ejusdem viri Dei acta disserere cupiat, apertiùs et absque fallacibus verbis fari non valeat. Et forsitan valueram et ego, annuente Deo, clausis ac ab aliquibus incognitis verbis narrare : ideò autem nolui, ut quique rustici et illitterati hæc audierint intelligant ; et devoti appetant ejus imitari exempla cujus intellexerint audiendo miracula. A

INCIPIT PASSIO EJUSDEM. B

I. Igitur beatus Leodegarius ex progenie celsa Francorum ac nobilissima exortus, à primævæ ætatis infantia à parentibus in palatio Hlothario Francorum Regi traditus, ab eodem verò Rege non post multum temporis Didoni * Præsuli Pictavensis urbis, avunculo scilicet suo, ad imbuendum litterarum studiis datus est. Quem idem Præsul cuidam Dei Sacerdoti viro eruditissimo ad erudiendum tradidit : quem per annos plurimos magnis curis edocuit, edoctumque Pontifici reddidit, receptumque secum in suis (a) cubiculis sub custodia disciplinæ retinuit, ut quemadmodum idem Pontifex se castum corpore custodierat (b), eumdem quoque similem sibi effici voluit, dicens ei, monendo summa frequentia, ut se virginem conservaret *, et vas electionis in Ecclesia Dei dignum fieret, quoniam optabat * eum hujus civitatis post se esse Episcopum (c). C

* *al.* Dudoni.

* *al.* consecraret.

* *al.* oportebat.

II. Sed cùm ad hoc opus eum cerneret perspicuum, et cùm ferè viginti esset annorum, ad officium Diaconatûs electus est, atque ab ipso Pontifice consecratus. Deinde non post multum temporis Archidiaconus effectus, cura sub Pontifice omnibus Ecclesiis ipsius diœcesis est prælatus. Erat enim multùm facundiæ honestissimæ deditus, statura procerus, inter plerosque pulcherrimus, adspectu decorus, eloquio suavis, ingenio acutissimus, prudentia providus, zelo Dei et amore fervidus, perpetuæque virginitatis (ut erat monitus) custos. Scripturis sacris ac legum doctrinis simulque canonicis præ cunctis præcellebat in Parochia (d), quam regendam susceperat, habitantibus. Intantùm verò aptissimus omnium seniorum ac coæqualium ac subditorum erat, ut eloquentia sua placeret omnibus sibi colloquentibus, ita ut mœrentibus redderet lætitiam, scelera gerentibus disciplinam. Nam in parvi temporis D spatio, sub Pontificis scilicet imperio, magnam pacem providentia sui regiminis tradidit Pictavensi solo.

III. Deinde cùm quidam Pater ex Monasterio, quod situm est in honore B. Maxentii obiisset, jussu Pontificis idem suscepit regendum : quod per sex ferè annos strenuè rexit, illudque magnis opibus ditavit. Sed cùm juxta monita sui Pontificis idoneum se præpararet, et clarus haberetur præ omnibus ; tunc odor ejusdem suavitatis intantùm processit, ut usque in palatium Regis redoleret. Erat enim eodem tempore minor Hlotharius cum Baltechilde matre Rex regens Francorum regnum. Qui agnita ejus prudentia, cupientes eum secum habere in aula Regia, petierunt Pontificem, ut suam ei daret licentiam secum inhabitare palatium. Qui statim jussa complens, magnis rebus ditatum, et sapientiæ floribus adornatum, obtemperans eorum voluntati, visus est destinare virum. Quem Rex atque Regina videntes honorificè susceperunt, et in paucis diebus dulcia sua verba et bonitatem ostendit intantùm, ut Rex simul et Regina, plerique Pontifices et Proceres supra omnes eum in amorem susciperent. Et quia eum videbant dignum ad suscipiendum honorem, cunctorum consensu præcipui Francorum ad honorem Pontificalem eum esse idoneum proclamaverunt. Quem ad hoc omnes electum, Augustoduni, quæ est Æduorum civitas, creaverunt Pontificem. E

(a) Al. *cum suis cubiculariis.*

(b) Codex Carnotensis addit, *et mente.*

(c) Cod. Carnot. inserit nonnulla in hunc modum : *Inerat autem ei in parva adhuc ætate maturum jam studium, adhærere scilicet dictis majorum : et si quid dignum potuisset auditu percipere, non segniter oblivioni tradebat, sed tenaci potiùs memoriæ commendabat. Hauriebatque jam tunc sitibundo doctrinæ fluenta pectore, quæ pòst congruenti in tempore mellito gutture aliis erudiendo ructaret.* Quæ totidem verbis de Gregorio M. à Paulo Diacono scribuntur : ex quo aliisque locis patet codicem Carnotensem interpolatum esse.

(d) Hîc Parochia pro diœcesi sumitur.

A IV. Quam cùm per annos (a) decem strenuè gubernaret, eodem tempore Rex Hlotarius, qui eum constituerat Episcopum, defunctus est. Tunc idem Præsul hæc audiens, concito cursu in palatium perrexit, ac cum suis similibus de Rege tractare cœpit. Qui audientes Hildericum Austrasiorum Regem in adolescentia regnum juxta sui temporis ætatem optimè disponentem, elegit quædam pars Francorum, volentes eum habere Regem. Nam Ebroïnus, qui Major-domûs fuerat sub Rege Hlothario, Theodericum germanum ejus cupiebat subrogare fratris in regno. Ipse verò Ebroïnus erat tunc odiosus inter Francos : et quia metuebant hujus ponderis jugum, quod per eumdem sustinuerant sub Rege Hlothario, relicto ejus consilio, Hildericum in toto sublimaverunt regno Francorum. Tunc Ebroïnus videns se destitutum, et pro nihilo suum esse consilium, territus pavore Regem petiit, ut relictis omnibus vitam sibi concederet, et in Monasterium abire permitteret. Cui deprecanti et domno Leodegario B intercedente Rex consensit, et in Monasterium Luxovii illicò destinavit, ut monachus effici deberet. Rex verò Childericus confirmatus in regno, germanum suum Theodericum cuidam Dei servo (b) conservandum ad nutriendum dedit. Idem verò S. Leodegarium Pontificem super omnem domum suam sublimavit, et Majorem-domûs (c) in omnibus constituit. An. 670.

V. Qui acceptis hujus regni gubernaculis, quidquid maximè adversùs leges antiquorum Regum ac magnorum Procerum, quorum vita laudabilis constabat, reperit ineptum, ad pristinum reduxit statum. Intantùm verò usquequaque omnia regna Francorum restituit, ut omnes se gratularentur Regem sibi habere Childericum, ac Rectorem palatii Leodegarium. Cùm hæc penè annis tribus cum decore magno agerentur, tunc adversarius, cujus est consuetudinis invidia conditio-C nis suæ bona destruere, cœpit sodales suos, quos secum elegerat idem Pontifex habere socios gubernaculi, per invidiæ malum instigare, et inter ipsum et Regem zizania discordiæ seminare. His itaque diebus jam eminebat celeberrimus Paschalis dies. Tunc flagitante Pontifice, ut apud Augustudunum urbem suam ipsum sanctissimum diem Rex juberet celebrare; ille nequaquam renuens implere nititur votum deprecantis. Qui cùm, appropinquante jam die, ad Missarum solemnia celebranda, quæ est Sabbatorum (ut mos erat antiquis) quæ est in vigilia Paschæ, irent pariter, et malum seminarium odii simul haberent absconditum, tunc instigator utriusque malorum accedens eidem Pontifici dixit : *Observa te*, inquit, *sancte Pontifex quia transacta celebritate Missarum à Rege scias te esse interficiendum, quoniam semen nequam adversus te ab inimicis tuis, quemadmodum et in ejus corde jamquidem olim est seminatum, in hac nocte consummari est decretum.* An. 673.

D VI. Quod audiens Pontifex dissimulando distulit, et se lætum ostendit, nec pro magno ducens, apparuit vultu clarus, et solemnia Missarum quæ cœperat honestissimè consummavit. Sed (d) communionem sanctam cùm ipse ac Rex percepissent, Rex ad palatium pergens abiit pransurus : Pontifex verò cùm suum perconsummasset officium, et merum cum suis accepisset, sicut est fragilitatis humanæ, metuens animositatem Regis, tractare cum suis cœpit, quid in hoc conflictu agere deberet. Cogitans et orans ad Dominum, consilium reperit, melius esse omnia relinquere et Christum sequi, quàm locum Regi dare, et manus Regis sanguine Sacerdotum in tam magno die festo coinquinari, ne fortè fieret regni Francorum opprobrium, et per se unum hominem in tota plebe fieret disceptatio. Tunc relicto Rege et omnium potestatum sublimitate, pro nihilo reputans quod habetur in mundo, eadem nocte procedens cum paucis ire cœpit, ubi pauper Christi fieri potuisset. E Hoc Rex audiens contristatus est valde, ac mœrens quemdam ex suis fidelibus cum exercitu magno post ipsum misit. Et sequutus eum per totam noctem illam diluculo reperit, et juxta jussum Regis eum reduxit. Ipsoque Pontifice deprecante, ad Luxovii Cœnobium, ut ei liceret relicto sæculo vacare Deo, humili poposcit prece se dirigendum : quem protinùs illuc dirigere non distulit. Qui festinus

(a) * Ergo anno Christi 661. Leodegarius in Sedem Augustodunensem assumptus est; siquidem Chlotharius obiit anno 670.

(b) Nimirum Abbati Monasterii S. Dionysii, quod ex Vita prima constat. Attamen Hadr. Valesius Theodoricum Monachum factum negat, sed tantùm in eo Cœnobio custodiri jussum esse affirmat, ibique exspectare, dum coma incisa recresceret. Valesii sententiæ favet primus Auctor : hîc verò Theodoricus Abbati *conservandus ac nutriendus* tantùm dicitur datus.

(c) Hadr. Valesius in Rer. Franc. lib. 21. et post eum Carolus le Cointe ad an. 670. *Majorem-domûs* hoc loco *Consiliarium* interpretantur : contenduntque Majoratum domûs Regiæ fuisse laïcam dignitatem, quæ Pontifici minimè conveniebat.

(d) In prima Vita Rex cum Leodegario Pascha celebrare noluisse dicitur, sed cum Marcolino Recluso apud S. Symphorianum id celebrasse.

in Monasterium perveniens, ibidem Ebroïnum jam Clericum (a) invenit, dicens se aliquid in eo peccasse, vicissimque veniam petentes steterunt concordes. Jubente tamen Abbate sejuncti, aliquod spatium temporis utrique pœnitentiam agentes, inter contubernia Monachorum strenuè habitare quasi perpetui Monachi conati sunt. A

An. 673. VII. Per idem tempus Hilderico Rege defuncto, ejus Germanus Theodericus in regno sublimatur. Hæc audientes utriusque amici, desiderantes adspectum eorum cernere, cum favore magno vota complentes ad propria nituntur reducere, pergentes de utrisque partibus ad supradictum Monasterium, cogebant eos procedere, et ad eorum domos remeare. Qui angore multùm æstuantes, tandem dilectionis amicitiarumque gratia, quia fatigati spatiis terrarum longævis valde fuerant, consentientes adquieverunt deprecantibus. Cum benedictione quippe Patris Monasterii ipsius conglutinati pacis concordia, procedentes venerunt simul Ebroïnus scilicet cum Pontifice Leodegario ad civitatem suam Augustodunum. Quam rem tota civitas audiens, suscitata est in gaudium : et cives procedentes obviàm receperunt eos cum gaudio et magno tripudio lætantes, eò quòd recepissent Patrem, quem amisisse plangebant olim gubernatorem. Quem receptum collocaverunt in sedem pristinam, ut frueretur cum suis lætitia. Qui cùm simul lætati summo gaudio tripudiarent, cupiebant in crastinum ditatum Ebroïnum cum magnis honorum muneribus ad propria destinare. Idem verò Ebroïnus non est passus suos vel modicum requiescere, sed fugaciter noctu ab hac abscessit civitate, et cum Austrasiis, quos aliquando habuerat adversarios, se sociavit ut amicis. Sed non post multum temporis, multis sceleribus gestis, collectis sibi malorum sociis, Francorum per vim penetravit fines : et cum tyrannide crudelissimè se gerens, Theoderici gloriosi Regis se præsentavit obtutui, atque ab eodem Rege restitutus est in priore gradu. B C

VIII. Et cùm (b) Major-domûs effectus esset, cogitare cœpit de ultione inimicorum, qui eum noluerant habere Subregulum. Qui ut leo rugiens inter ceteras feras, resonuit rugitus ejus per Francorum terras. Omnes verò, qui adversùs eum olim cogitaverant mala, tremefacti, qui remanserant ex ejus cæde, perrexerunt in fugam. His itaque diebus vir Dei Leodegarius cùm ad suam plebem restaurandam resideret urbe sua Ædua, reminiscens Ebroïnus omnium malorum, quæ circa eum cum Rege Hilderico egisse illum putabat; tunc adjunctis sibi nequissimis inimicorum sociis, consulere cœpit, quemadmodum eumdem Pontificem destruere potuisset. Ex his Consiliariis duo, videlicet Diddo (c) et Waimerus, ex nomine caput effecti malitiæ, dixerunt se posse eum rapere de civitate, et in eum facere vindictam, ex quâ malitia Ebroïni esset satiata. Gavisus itaque Ebroïnus de eorum responso, dedit eis exercitum copiosum valde. Qui festini perrexerunt ad civitatem Æduorum, et circumdantes eam eodem exercitu, devastabant circa muri circuitum. Hæc vir Dei prospiciens, zelo magno accensus super plebe sibi commissa, Domini sequutus exemplum animam suam malens ponere pro ovibus suis, easque cupiens lucrifacere, quàm suam temporalem quærere salutem; omnem Clerum civitatis aggregare jussit, et cum Reliquis et crucibus et choris psallentium obviàm abiit cum Dei laudibus suis inimicis, et sponte se obtulit ad palmam martyrii, si voluntas non defuisset percussoris. D

An. 674. IX. Qui autem venerant ad eum puniendum, absque reverentia Reliquiarum eum comprehenderunt. Qui exclamans fertur dixisse : *Gratias ago Deo omnipotenti Redemptori, qui me dignatus est hodie glorificare.* Qui pergentes duxerunt eum extra civitatem, et implentes jussa Principis Ebroïni, eruerunt oculos ejus à capite. Sed cùm ei lumen sustulerunt forinsecùs humanum, intrinsecùs incluserunt divinum. Et tradentes custodibus in quoddam eum perduxerunt cœnobium, in quo latuit per annorum circulum duorum, ibique magnum reliquit humilitatis suæ exemplum et patientiæ. E

X. Eodem tempore ejus germanus, Gairinus (d) nomine, qui ob metum supradicti Ebroïni cum aliis, quos fugaverat ex Francorum Proceribus Wacæorum (e)

(a) *Clericum*, id est *Monachum*. Mox in alio codice, *dicens se graviter in eo peccasse.*

(b) * Quæ posteà narrantur, facta sunt antequàm Ebroïnus in Majoratum domûs restitueretur.

(c) Dido seu Diddo *in urbe Cabilone quondam habuerat principatum*, Waimerus verò *Dux Campaniæ* erat, ut dicitur in alia Vita; posteà Episcopus Trecassinus, ex Vita S. Præjecti Episcopi S. Bercharius Abbas Dervensis *adiens Hierosolymam, fertur duxisse secum Waimerum tormentorum S. Leodegarii reum*, inquit Monachus Dervensis in lib. Mirac. S. Bercharii.

(d) Al. *Warinus.*

(e) Id est *Wasconum.*

A lustraverat partes; jussu Regis gloriosi Theoderici ac Principis Ebroïni decretum est, ut ad palatium reverteretur. Tunc etiam B. Leodegarium ex Monasterio, in quo tenebatur absconditus, egredi, et in præsentiam Regis jussum est accersiri. Qui cùm simul conjuncti, et obtutibus Principum fuissent oblati, multis contumeliis affecti et opprobriis ab Ebroïno susceptis, respondisse feruntur : *Hæc dignè patimur, quia Domino peccavimus : sed major est ejus clementia, qui nos dignatus est vocare ad talem gloriam. Sed tu, miser Ebroïne, qui tantam pœnam ingeris Francorum genti, potiùs in te ulciscéris, qui vitam aliis auferre cupis. Multos equidem decepisti, et exsules à solo paterno fecisti : sed magis tu exsulabis, quia et temporalem et futuram gloriam citò perdis : quoniam dum cupis superare omnes habitatores in tota Francia, tuam potiùs aufers quam indignus accepisti, gloriam.*

XI. Tunc audiens hæc Ebroïnus, furore magno repletus, jussit ministris Gairi-
B num abstrahi, et à germano suo separari, ut separatim viderentur puniri, ne simul eos delectaret talia verba fari. Cùm autem duceretur, B. Leodegarius eum alloquitur dicens : *Æquo animo esto, frater carissime, quoniam oportet nos hæc pati, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Peccata enim nostra multa sunt, sed misericordia Omnipotentis supereminet magna, quæ ad abluenda delicta se laudantium semper est parata. Hæc ad tempus patimur, quia morti debitores sumus; sed illa nos exspectat vita, si patienter ferimus istam pœnam, ubi sine fine lætabimur in cœlesti gloria.* Tunc ministri ad stipitem ligatum Gairi- An. 676.
num lapidibus obruere cœperunt. Ille verò Dominum deprecabatur dicens : *Domine Jesu bone, qui non venisti vocare justos, sed peccatores, suscipe spiritum servi tui : et qui mihi dignatus es in similitudine Martyrum lapidibus vitam istam mortalem auferre, jubeas clementissimè veniam scelerum meorum tribuere.* Hæc dicens, orando ultimum efflaC vit spiritum.

XII. Beatus itaque Leodegarius cupiebat cum germano suo vitam finire, ut simul mererentur futuram vitam ac beatam participare. Sed Ebroïnus differre volens ejus exitum, ut per pœnas longè dilatas ei præpararet æternas, et ne coronam acciperet Martyrii, quin potiùs careret præmiis gloriæ sempiternæ; jussit eum nudis gressibus per quamdam piscinam transduci, in qua erant petræ sicut clavi incidentes acuti. Deinde terræ prostrato incidere linguam labiaque præcepit, ut dum oculi ablati, pedes jam forati, lingua ac labia incisa, et dum à se cernebat omnem felicitatem membrorum ablatam, corporisque pariter vires undique paruissent negatæ, dum nec oculis cerneret viam, nec pedibus incederet callem, nec linguæ officio laudare quiret Creatorem, ac per hoc incideret in blasphemiam desperans, auferendo sibi salutem, quam laudando cœlitus adipisci meruisset ingentem. Sed qui absque
D vocibus cordium est auditor Deus, magisque cor contritum quàm elatione superbum complexatur, suscepit vocem tacentis magis quà elatè loquentium; postulantis sibi auxilium, non sono vocis, sed humilitate cordis. Nam cùm se cognovisset præsidium omne amisisse humanum, totis viribus sibi petiit adesse divinum. Nam quantùm impietas humana revocare eum cupit ab alto, tantùm pietas divina sociare fecit eum cœlo.

XIII. Tunc Ebroïnus quemdam accersivit virum, nomine *Waningum* (a), et ait : *Accipe,* inquit, *Leodegarium, quem aliquando vidisti virum tam superbum, et constitue sub tuta custodia. Erit enim tempus suæ vocationis, ut recipiat quod meretur à suis inimicis.* Tunc acceptum ad suum perduxit cœnobium, quod vocatur Fiscamnus, ubi erat congregatio Sanctimonialium Virginum, quibus præerat (b) Childomerga famula
E Christi : in quo multis diebus conversans, habitator stetit sub custodia. Nam et lingua præcisa solitum recepit officium, et magnum doctrinæ suæ semen ostendit in populo. Quandocumque inter Virginum accederet catervam, tanta, ut fertur, dulcia sua fulgebant eloquia, ut mirarentur quicumque audientes, quanta Dei operata sit clementia : et conversi à pravis operibus velociter peterent pœnitentiæ fructus. Nam diebus ac noctibus in Dei cultu pervigilans adstabat, ut vel paullulùm ad necessaria corporis vix aliquando ab Ecclesia procederet, vel quippiam somni ac ciborum perceptionem capere potuisset.

XIV. Eodem tempore vir gloriosus Theodericus Rex et idem Ebroïnus Syno- An. 678.
dum convocarunt, et ad quamdam villam Regiam venientes, multam Episcoporum turbam adesse fecerunt. Ibique inter ceteros Diddo, qui sanctum virum Leo-

(a) In prima Vita *Waringus* dicitur, in tertia *Warnigo*.
(b) In prima Vita, *Childemarca*.

degarium cum Waimero expulit de sede sui Episcopatûs, et penè tradidit illectus; condemnatus ab ipsa Synodo calvariam accepit in capite, et expulsus segregatur à sancta Congregatione. Deinde exsilio condemnatus, morteque secuta pœna capitis gessit quidquid dolosè in sanctum virum exercuit. Alii verò Episcopi tunc à Rege per Ebroïnum in ipsa Synodo penè similem sortiti pœnam, perpetuo exsilio sunt deputati. Waimerus etiam similem excepit sententiam cum ceteris. Tunc Ebroïnus dixit ad B. Leodegarium : *Quid tantos persuades loquendo? Martyr esse suspicaris; ideò te tam temerarium ostendis. Adhuc multùm*, inquit, *dilataberis; frustrà tale desideras habere præmium. Nam ut merueris, ita eris accepturus martyrium.* Optabat enim eum funditus exstinguendum, ut quia à sæculi gloria jam videbat consumptum, revocare potuisset saltem à meritis Sanctorum. Nam unde eum putabat abscidi, inde potiùs eum faciebat Christo quem desiderabat adhærere; quia quantùm protendebatur ejus pœna, tantò magis ei augebantur præmia. A B

XV. Tunc tradidit eum cuidam viro (a) Chrodoberto. *Accipe*, inquit, *eum sub magna custodia servandum : adhuc namque tempus veniet mortis suæ.* Acceptum eumdem cùm ad suam domum deduceret, cernens eum ex itinere ac infirmitate defessum, jussit ei dari ad refocillandum potum. Ante quem cùm pincerna adsisteret, lumen magnum quasi in rotæ circulum è cœlo descendens super caput ejus refulsit. Tunc trementes omnes, qui hoc signum viderunt : *Quid est hoc,* inquiunt, *domine, quod paret super caput tuum, quasi in circuli modum, lumen splendidissimum emissum de cœlo. Nunquam à nobis simile est visum.* Ille protinus in terram cadens, adoravit dicens : *Gratias tibi, omnipotens Deus, consolator omnium, refero, qui super servum tuum ostendere dignatus es tale miraculum.* Tunc videntes omnes, quasi in excessu mentis sunt positi : sed tamen spiritu resumpto, simul glorificantes Deum omnipotentem, conversi sunt C alter ad alterum dicentes : *Verè hic homo servus Dei est.* Et pollicebantur ad Deum prorsus totis tendere viribus. Tunc deinceps ejus prædicationibus penè omnes parentes, conjux ac familiæ domûs ejus sunt conversi ad Dei cultum : ac per hoc ejus famam audientes per circuitum loci, concurrebant ad eum verbum salutiferum audire cupientes. Ille verò non cessabat sua prædicatione cunctos instruere, qualiter ad regna cœlorum valerent pervenire.

XVI. Sed non post multum temporis cùm jam Deus omnipotens pro tantæ patientiæ dono decrevisset remunerare suum fidelem famulum, Ebroïnus jam obstinatus crudelitatem suam volens in eum perficere, velocissimos post eum emisit equites nimiùm perniciosos, qui eum morte perimerent. Qui venientes susceperunt eum de domo viri, cui fuerat traditus ad custodiendum; et ducentes eum per loca incognita usque in quemdam locum, in quo substitit inquiens : *Non necesse habetis, filii,* D *longiùs fatigari : ad quod venistis citò facite, ut impleatis votum maligni.* Hi verò, qui venerant ad eum perimendum, erant quatuor numero. Tres etenim ex his provoluti sunt ad pedes ejus, deprecantes ut eis indulgentiam à Deo daret, et benedictionem suam super eos dignaretur tradere. Quartus verò superbus adstabat evaginato gladio paratus ad eum interimendum (b).

(a) *Chrodobertus* etiam vocatur in prima Vita, *Ruotbertus* in tertia.

(b) Reliqua hujus Vitæ capita prætermittimus, quippe quæ ferè ad verbum reperiantur in prima Vita capp. 15. 16. 17. et sequentibus.

MONITUM

IN PAULUM DIACONUM.

PAULUS, *quem vulgò* Diaconum *Eruditi appellant, natione Langobardus, patrem habuit* Warnefridum *: quæ causa est ut etiam* Warnefridi *cognomento donetur. Forojulii natum esse ipsum* Paulum *auctor est Herkempertus, uno tantùm sæculo ab eo distans, in fusiore Historia Langobardorum, ubi* Diaconum Paulum *laudat,* qui fuit ortus ex Forojuliensi civitate. *At in ejus Epitaphio Hildericus Abbas, discipulus olim Pauli ipsius, ipsum genitum dicit,* nitidos ubi sæpe Timavi annis habet cursus : *quæ verba Aquileiam potiùs designare videntur patriam Pauli. Hinc autem factum ut apud plerosque* Diaconus Aquileiensis *appelletur; quo tamen nomine fortasse non illius patria, sed Ecclesia, cujus Clero se addixit, indicatur. Forum enim Julii æquè ac Aquileia uni Episcopo seu Patriarchæ subest. Adolescens Ticinum profectus, et in regali aula educatus, se literarum studio totum dedit, carus proptereà Ratchisio, Cuniberto et Desiderio Langobardorum Regibus. Si fides Leoni Marsicano in Chronico Casinensi lib.* 1. *cap.* 15. *capta à Carolo M. Papia, et Langobardorum viribus omnino accisis,* Paulus *in Franciam ductus, eidem Regi Carolo familiaris admodùm fuit. At cùm ab æmulis exercita calumnia, accusatus deinde fuisset conceptæ in Carolum conjurationis, et ōbduratæ fidei in Desiderium, in Diomedis insulam relegatus est. Post aliquot exsilii annos inde fugiens, apud Arichisum Beneventi Ducem magno in honore vixit, atque eo tandem Principe è vivis sublato, in sacra Casini Montis religione Monachus factus, ibi reliquum vitæ cursum piissimè consummavit. Mabillonius in Annal. Benedict. ad annum* 777. *inter veterum fabellas hocce* Pauli *exsilium referendum censet. Quod extra dubitationis aleam est, Casinatibus Monachis se adjunxit. Diaconus, atque in eo Monasterio Idibus Aprilis circiter an.* 799. *diem clausit extremum.* Ita Muratorius.

EX PAULO DIACONO

DE GESTIS LANGOBARDORUM.

Inter Scriptores Rerum Italicarum Tom. 1. *Mediolani* 1725.

EX LIBRO I.

Cap. 5. * Thionville. *cap.* 6. EGo autem in Gallia Belgica, in loco qui Totonis villa * dicitur, constitutus, statûs mei umbram metiens, decem et novem et semis pedes inveni.....

Affirmant esse et aliam hujusmodi voraginem inter Britanniam insulam Galliamque provinciam : cui etiam rei adstipulantur Sequanicæ (a) Aquitaniæque litora, quæ bis in die tam subitis inundationibus opplentur, ut qui fortasse aliquantulùm introrsus à litore (b) repertus fuerit, evadere vix possit. Videas earum regionum flumima fontem versùs cursu velocissimo relabi, ac per multorum millium spatia dulces fluminum lymphas in amaritudinem verti.

cap. 21. [Wacho Langobardorum Rex] duxit Austrigosam filiam Regis Gepidorum, de qua habuit filias duas. Nomen uni Wisegarda, quam tradidit in matrimonium Theodeberto Regi Francorum : secunda autem dicta est Walderada, quæ sociata est Cuswald (c) alio Regi Francorum, quam ipse odio habens, uni ex suis, qui dicebatur Garipald, in conjugium (d) tradidit.

cap. 27. Regum jam decimus Alboïn ad regendam patriam cunctorum votis accessit. Qui cùm famosissimum et viribus clarum ubique nomen haberet, Chlotarius Rex Francorum Chlosiundam ei suam filiam in matrimonium sociavit, de qua unam tantùm filiam, Alpsiundam nomine, genuit.

EX LIBRO II.

cap. 2. His temporibus Narsis etiam Buccellino Duci bellum intulit, quem Theudebertus Rex Francorum cùm in Italiam introisset, reversus ad Gallias cum Hamingo alio Duce, ad subjiciendam Italiam dereliquerat. Qui Buccellinus cùm pene totam Italiam direptionibus vastaret, et Theudeberto suo Regi de præda Italiæ munera copiosa conferret, cùm in Campania hyemare disponeret, tandem in loco, cui
An. 553. Tannetum nomen est, gravi bello à Narsete superatus, extinctus est. Hamingus verò dum Widin Gothorum Comiti, contra Narsetem rebellanti, auxilium ferre conatus fuisset, utrique à Narsete superati sunt. Widin captus Constantinopolim exiliatur : Hamingus verò, qui ei auxilium præbuerat, Narsetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum Dux, nomine Leutharius, Buccellini germanus, dum multa præda onustus ad patriam cuperet reverti, inter Veronam et Tridentum, juxta lacum Benacum, propria morte defunctus est.

cap. 6. Alboïn verò ad Italiam cum Langobardis profecturus, ab amicis suis vetulis Saxonibus auxilium petiit . . . . Hoc audientes (e) Chlotarius et Sigisbertus Reges Francorum, Suavos aliasque gentes in locis, de quibus iidem Saxones exierant, posuerunt.

cap. 10. His diebus, quibus Langobardi Italiam invaserunt, Francorum regnum, mortuo jam Rege Chlotario, ejus filii quadrifariè regebant divisum; primusque ex his Aribertus sedem habebat apud Parisios ; secundus verò Guntramnus civitati præsidebat Aurelianensi; tertius quoque Hilpericus cathedram habebat apud Suessionas in loco Chlotarii patris sui; quartus nihilominus Sigisbertus apud urbem regnabat Mettensem..... Eo quoque tempore, comperta Huni, qui et Avares, morte Chlotarii

(a) Cod. Modoëtiensis, *Sequanica Aquitanicaque litora.*

(b) Idem, *ad litora repertus,* aliàs, *ad litora deprehensus.*

(c) Legendum, *Teuwald,* id est Theodobaldo.

(d) Non Theodobaldus, sed Chlotharius Waldradam in conjugium tradidit Garibaldo, qui non erat Regis domesticus, sed Dux tributarius, Bajoariæ Præfectus. Vide Gregorium Turon. lib. 4. cap. 9.

(e) Langobardis expeditionem in Italiam anno 568. parantibus, jam è vivis excesserat Chlotharius, anno nimirum 561.

A Regis, super Sigisbertum ejus filium irruunt. Quibus ille in Turingia occurrens, eos juxta Albim fluvium potentissimè superavit, eisdemque petentibus pacem dedit. Huic Sigisberto de Hispania adveniens Brunichildis matrimonio juncta est, de qua ille filium, Childebertum nomine, suscepit. Rursumque Avares cum Sigisberto in locis, ubi et priùs, pugnantes, Francorum proterentes exercitum, victoriam sunt adepti. An. 566.

Certum est tamen Liguriam et partem Venetiæ, Æmiliam quoque Flaminiamque, veteres Historiographos Galliam Cisalpinam appellasse. Inde est quòd Donatus Grammaticus in expositione Virgilii Mantuam in Gallia esse dixit. Indeque est quòd in Romana Historia legitur Ariminum in Gallia constitutum. Siquidem antiquissimo tempore Brennus Rex Gallorum, qui apud Senones urbem regnabat, cum trecentis millibus Gallorum Senonum ad Italiam venit, eamque usque ad Se- *cap.* 23.
B no-Galliam, quæ à Gallis Senonibus vocitata est, occupavit. Causa autem cur Galli in Italiam venerint, hæc fuisse describitur : dum enim vinum degustassent ab Italia delatum, aviditate vini illecti, ad Italiam transierunt. Horum centum millia non longè à Delphos insula properantes, Græcorum gladiis exstincta sunt. Alia verò centum millia in Galatiam ingressa, primùm Gallo-Græci, posteà verò Galatæ appellati sunt. Et hi sunt quibus Doctor gentium scripsit Epistolam Paulus. Centum millia quoque Gallorum, quæ in Italia remanserunt, Ticinum, Mediolanumque, Pergamum Brexiamque construentes, Cisalpinæ Galliæ regioni nomen dederunt. Istique sunt Galli Senones, qui olim urbem Romuleam invaserunt. Sicut enim dicimus Galliam Transalpinam, quæ ultra Alpes habetur : sic Galliam hac parte, quæ infra Alpes est, vocitamus Cisalpinam.

C EX (a) LIBRO III.

His diebus advenientibus Francis, Anagnis castrum, quod super Tridentum in confinio Italiæ positum est, se eisdem tradidit. Quam ob causam Comes Langobardorum de Lagare, Ragilo nomine, Anagnis veniens deprædatus est. Qui cùm de præda reverteretur, in campo Rotiliano ab obvio sibi Duce Francorum Chramnichis cum pluribus è suis peremptus est. Qui Chramnichis non multum post tempus Tridentum veniens devastavit. Quem subsequens Evin Tridentinus Dux in loco, qui Salurnis dicitur, suis cum sociis interfecit, prædamque omnem, quam ceperat, excussit; expulsisque Francis, Tridentinum territorium recepit. *cap.* 9.

Hoc tempore Sigisbertus Rex Francorum occisus est fraude Hilperici germani sui, cum quo bellum inierat. Regnumque ejus Childebertus ejusdem filius adhuc pue- *cap.* 10. An. 575.
D rulus cum Brunichilde matre regendum suscepit.

Hoc tempore Mauricius Imperator Childeberto Regi Francorum quinquaginta millia solidos per legatos suos ob hoc direxit, ut cum exercitu super Langobardos irrueret, eosque de Italia exterminaret. Qui cum innumera Francorum multitudine in Italiam subitò introivit. Langobardi verò in civitatibus communientes se, intercurrentibus legatis, oblatisque muneribus, pacem cum Childeberto fecerunt. Qui cùm ad Gallias remeasset, cognito Imperator Mauricius, quia cum Langobardis fœdus inierat, solidos, quos ei ob Langobardorum detrimentum dederat, repetere cœpit. Sed ille suarum virium potentia fretus, pro hac re nec responsum reddere voluit. *cap.* 17. An. 584. *Greg. l.* 6. *cap.* 42.

At verò Flavius Rex Authari legatos ad Childebertum misit, petens ejus germaniam suo matrimonio sociari. Cùmque Childebertus, acceptis muneribus à Lan- *cap.* 27. An. 588.
E gobardum legatis, suam germanam eorum Regi se daturum promisisset, advenientibus tamen Gothorum de Hispania legatis, eamdem suam germanam, eò quòd gentem illam ad fidem Catholicam conversam fuisse cognoverat, repromisit. *Greg. l.* 9. *cap.* 25.

Inter hæc legationem ad Imperatorem Mauricium direxit, mandans ei, ut quod priùs non fecerat, nunc contra Langobardorum gentem bella susciperet, atque cum ejus consilio ab Italia removeret. Qui nil moratus, exercitum suum ad Langobardorum debellationem in Italiam direxit. Cui Authari Rex et Langobardorum acies non segniter obviàm pergunt, proque libertatis statu fortiter confligunt. In ea pugna Langobardi victoriam capiunt, Franci vehementer cæsi, nonnulli capti, plurimi *cap.* 28. *Ibid.*

(a) In hujus libri tertii capitibus tertio, quarto, quinto, sexto et octavo varias Langobardorum in Gallias expeditiones narrat Paulus Diaconus. Hæc capita prætermisimus, utpote quæ ad verbum descripta sunt ex Gregorio Turon. lib. 4. capp. 42. 43. 45. aliàs, 36. 37. 39.

etiam per fugam elapsi, vix ad patriam revertuntur. Tantaque ibi strages facta est de A
Francorum exercitu, quanta nusquam alibi memoratur. Mirandum sanè est, cur Secundus, qui aliqua de Langobardorum gestis scripsit, hanc tantam eorum victoriam præterierit, cùm hæc, quæ præmisimus de Francorum interitu, in eorum historia hisdem ipsis penè verbis exarata legantur.

cap. 29. An. 589. Flavius verò Rex Authari legatos posthæc ad Bajoariam misit, qui Garibaldi eorum Regis filiam sibi in matrimonium peterent. Quos ille benignè suscipiens, Theudelindam suam filiam Authari se daturum promisit..... Denique post aliquod tempus, cùm propter Francorum (a) adventum perturbatio Garibaldo Regi advenisset, Theudelinda ejus filia cum suo germano, nomine Gundoald, ad Italiam confugit, seque adventare Authari sponso nuntiavit.

cap. 30. *Greg. l.* 10. *c.* 3. An. 590. Hac etiam tempestate Grippo legatus Childeberti Regis Francorum; cùm à Constantinopoli remeasset, et idem Regi suo, quomodo honorificè ab Imperatore Mauri- B
cio susceptus fuisset, nuntiasset; et quia injurias, quas apud Carthaginem perpessus fuerat, Imperator ad voluntatem Childeberti Regis ultum iri promisisset, Childebertus confestim iteratò in Italiam exercitum Francorum cum viginti Ducibus ad debellandam Langobardorum gentem direxit. E quibus Ducibus Andualdus et Olo et Cedinus eminentiores fuerunt. Sed Olo cùm importunè ad Bilitonis castrum accessisset, jaculo sub mamilla sauciatus cecidit, et mortuus est. Reliqui verò Franci cùm egressi fuissent ad prædandum, à Longobardis irruentibus passim per loca singula prosternebantur. At verò Andualdus et sex alii Duces Francorum ad Mediolanensium urbem advenientes, ibi eminus in campestribus castra posuerunt. Quo loco ad eos Imperatoris legati venerunt, nuntiantes adesse exercitum in solatio eorum, dicentesque: *Quia post triduum cum eisdem veniemus. Et hoc vobis* C
erit signum, cùm videritis villæ hujus, quæ in monte sita est, domus incendio concremari, et fumum incendii ad cœlos usque sustolli, noveritis nos cum exercitu quem pollicemur adventare. Sed exspectantes Francorum Duces diebus sex juxta placitum, nullum ex iis, quos legati Imperatoris promiserant, venisse contemplati sunt. Cedinus autem cum tredecim Ducibus lævam Italiæ ingressus, quinque castella cepit; à quibus etiam sacramenta exegit. Per Placentiam verò exercitus Francorum usque Veronam venerunt, et deposuerunt castra plurima per pacem post sacramenta (b) data, quæ se eis tradiderant, nullum ab eis dolum existimantes. Nomina autem castrorum, quæ diruerunt in territorio Tridentino, ista sunt: Tesana, Maletum, Semiana, Appianum, Fagitana, Cimbra, Vitianum, Brentonicum, Volenes, Ennemase, et duo in Alsuca, et unum in Verona. Hæc omnia castra cùm diruta essent à
Francis, cives universi ab eis ducti sunt captivi. Pro Ferruge verò castro, intercedentibus Episcopis, Ingenuino de Savione, et Agnello de Tridentino, data est D
redemptio, pro capite uniuscujusque viri solidi sexcenti. Intereà Francorum exercitum, cùm esset tempus æstivum, propter inconsueti aëris incommoditatem, dysenteriæ morbus graviter exagitare cœpit: quo morbo plures interierunt ex eis. Quid plura? Cùm per tres menses Francorum exercitus Italiam pervagaretur, nihilque proficeret, neque se de inimicis ulcisci posset, eò quòd se in locis firmissimis contulissent, neque Regem adtingere valeret, de quo ultio fieret, qui se intra Ticinensem urbem munierat; ut diximus, infirmatus aëris intemperantia, ac fame constrictus, redire ad propria destinavit. Qui revertentes ad patriam, in tantum famis penuriam perpessi sunt, ut priùs vestimenta propria, insuper etiam et arma ad coëmendum victum præberent, quàm ad genitale solum pertingerent.

cap. 33. Eod. anno. Intereà Authari (c) Rex legationem verbis pacificis ad Guntramnum Regem E
Francorum, patruum scilicet Childeberti Regis, direxerat, à quo legati iidem jocundè suscepti, sed ad Childebertum, qui ei nepos ex fratre erat, directi sunt, ut per ejus nutum pax cum gente Langobardorum firmaretur. Erat autem Guntramnus iste, de quo diximus, Rex pacificus, et omni bonitate conspicuus. Cujus unum factum (d) satis admirabile libet nos huic nostræ Historiæ breviter inserere, præser-

(a) Childebertus Rex Francorum ea affinitate offensus, ac veritus ne Boii, qui ejus tributarii erant à fide desciscerent, et ad Longobardos hostes inclinarent, Garibaldum bello aggressus est. Cæsus-ne is in acie fuerit, an ad generum fugerit, ambiguum: sed in ejus locum Tassilonem Bajoariorum Ducem à Childeberto Rege constitutum, docet ipse Paulus lib. 4. cap. 7. *Ita Pagius ad an.* 590. *num.* 11.

(b) Codex Modoëtiensis, *Post sacramenta autem data, gentes, quæ se eis crediderant, peremptæ sunt, nullum ab eis dolum existimantes.* Ita etiam Lindenbrogius.

(c) *Aptacharius* dicitur Gregorio Turonensi lib. 10. cap. 3.

(d) Hoc factum, quod etiam post Paulum Regino, Aimoinus ac Sigebertus referunt, tamquam ridiculum et anilis fabellæ simile refellit Valesius lib. 15. Rer. Franc. pagg. 452. et 453.

A tim cùm hoc Francorum Historiâ noverimus minimè contineri. Is cum venatum quodam tempore in silvam isset, et ut solet fieri, hac illacque discurrentibus sociis, ipse cum uno fidelissimo tantùm suo remansisset, gravissimo somno depressus, caput in genibus ejusdem fidelis sui reclinans, obdormivit. De cujus ore parvum animal in modum reptilis egressum, tenuem rivulum propter (a) discurrebat, ut transire posset satagere cœpit. Tunc isdem, in cujus gremio quiescebat, spatham suam vagina exemtam, super eumdem rivulum posuit, super quam illud reptile, de quo diximus, ad partem aliam transmeavit. Quod cùm non longè exinde in quoddam foramen montis ingressum fuisset, et post aliquantum spatii regressum, super eamdem spatham præfatum rivulum transmeasset, rursum in os Guntchramni, de quo exierat, introivit. Guntchramnus posthæc expergefactus, mirificam se visionem vidisse narravit. Retulit enim apparuisse sibi in somnis, quòd fluvium quemdam per pontem ferreum transisset, et sub monte quodam introisset, ubi multa auri pondera
B aspexisset. Is verò, in cujus gremio caput tenuerat, cùm dormisset, quid de eo viderat, ei per ordinem retulit. Quid plura? Effossus est locus ille, et inæstimabiles thesauri, qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse Rex postmodùum ciborium solidum miræ magnitudinis, et magni ponderis fecit, multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum, ad sepulcrum Domini Hierosolymam transmittere voluit. Sed cùm minimè potuisset, idem supra corpus B. Marcelli Martyris, quod in civitate Cavallonno (b) sepultum est, ubi sedes regni illius erat, poni fecit; et est ibi usque ad præsentem diem. Nec est usquam ullum opus ex auro effectum, quod ei valeat comparari. Sed nos his breviter, quæ relatu digna erant, contactis, ad Historiam revertamur.

Interim dum legati Authari Regis in Francia morarentur, Rex Authari apud Ticinum Nonas Septembris veneno, ut tradunt, accepto moritur, postquàm sex re-
C gnaverat annos. Statimque à Langobardis legatio ad Childebertum Regem Francorum missa est, quæ Authari Regis mortem eidem nuntiaret, et pacem ab eo expeteret. Quod ille audiens, legatos quidem suscepit, pacem verò in posterum se daturum promisit. Qui tamen præfatos legatos post aliquot dies promissa pace absolvit.

cap. 34. An. 590. *Greg. l.* 10. *cap.* 3.

EX LIBRO IV.

Confirmata igitur Agilulfi (qui et Ago dictus est) regia dignitate; causâ eorum, qui ex Castellis Tridentinis captivi à Francis ducti fuerant, Agnellum Episcopum Tridentinum in Franciam misit. Qui exinde rediens, aliquantos captivos, quos Brunichildis Regina Francorum ex proprio pretio redemerat, revocavit. Evin quoque Dux Tridentinorum ad obtinendam pacem ad Gallias perrexit, qua et impe-
D trata regressus est.

cap. 1. An. 591.

Childebertus quoque bellum gessit cum consobrino suo Hilperici filio: in quo prælio usque ad triginta millia hominum cæsa sunt. Fuit autem tunc hyems frigida nimis, qualem vix aliquis priùs recolebat fuisse.

cap. 4. An. 593.

Hiis diebus Tassilo à Childeberto Rege Francorum apud Bajoariam Rex ordinatus est.

cap. 7. An. 595.

Hac etiam tempestate Childebertus Rex Francorum ætatis anno vigesimo quinto cum uxore propria, sicut fertur, vi veneni extinguitur. Huni quoque, qui et Avares dicuntur, à Pannonia in Turingiam ingressi, bella gravissima cum Francis gesserunt. Brunichildis tunc Regina cum nepotibus adhuc puerulis Theudeberto et Theuderico (c) regebat Gallias, à quibus accepta Huni pecunia, revertun-
E tur ad propria. Mortuus quoque est Gunthramnus Rex Francorum (d) regnumque illius Brunichildis Regina suscepit, cum nepotibus adhuc parvulis filiis Childeberti.

cap. 12. An. 596.

Hoc etiam tempore Agilulfus cum Theuderico Rege Francorum pacem perpetuam fecit.

cap. 14.

Tunc etiam signum sanguineum in cœlo apparuisse visum est, et quasi hastæ sanguineæ, et lux clarissima per totam noctem. Theudebertus Rex Francorum eo tempore cum Clothario patruele suo bellum gerens, ejus exercitum vehementer afflixit.

cap. 16. An. 600.

(a) Cod. Modoët. *rivulum, qui propè discurrebat.*
(b) Ambros. *Cabillono.* Modoët. *Cabillomno.* Lindenbrogius, *Cabillonensi.*
(c) Cod. Modoët. *Theodeberto et Theoderico,* semper.
(d) Cod. Ambros. *Rex Burgundionum.* Guntramno mortuo anno 593. successisse Childebertum, eique tribus annis superstitem fuisse, constat apud omnes.

cap. 25. Hac tempestate Agilulfi legati regressi à Cacano, pacem perpetuam factam cum Avaribus nuntiarunt. Legatus quoque Cacani cum eis adveniens ad Gallias perrexit, denuncians Francorum Regibus, ut, sicut cum Avaribus, ita pacem habeant cum Langobardis. A

cap. 29. An. 604. Hoc anno Theudebertus et Theudericus Reges Francorum adversùs Clotharium patruum dimicarunt, in quo certamine ex utraque parte multa millia ceciderunt.

cap. 31. Eod. anno. Igitur sequenti æstate mense Julio levatus est Adaloaldus Rex super Langobardos apud Mediolanum in Circo, in præsentia patris sui Agilulfi Regis, astantibus legatis Theudeberti Regis Francorum : et desponsata est eidem regio puero filia Regis Theudeberti, et firmata est pax perpetua cum Francis.

cap. 32. Eodem tempore Francis cum Saxonibus pugnantibus, magna strages ab utrisque partibus facta est. B

cap. 42. An. 612. Rex verò Agilulfus pacem cum Imperatore in annum unum, itemque in alterum faciens, cum Francis quoque iteratò pacem renovat..... Occisus quoque est hiis diebus Theudebertus Rex Francorum, et facta est pugna gravissima inter eos.

EX LIBRO V.

cap. 5. Hac tempestate Francorum exercitus de Provincia egrediens, in Italiam introivit : contra quos Grimoaldus (a) cum Langobardis progressus, hac eos arte decepit. Fugere quippe se eorum impetum simulans, castra sua simul cum tentoriis, et diversis pariter referta bonis, præcipuèque vini optimi copia, abductis hominibus, omnino vacua reliquit. Quò dum Francorum acies advenissent, existimantes Grimoaldum cum Langobardis pavore deterritos castra integra reliquisse, mox læti C effecti certatim cuncta invadunt, cœnamque affluentissimam instruunt. Qui dum diversis epulis, multoque degravati vino somnoque, quievissent, Grimoaldus super eos post noctis medium irruens, tanta eos cæde prostravit, ut vix pauci ex eis elapsi, ad patriam valuerint repedare. Qui locus, ubi hoc gestum est prælium Francorum, usque hodie Rivus appellatur, nec longè distat ab Astensis civitatis mœnibus.

cap. 32. Hac tempestate Francorum regnum apud Gallias Dagobertus (b) regebat, cum quo Rex Grimoaldus pacis firmissimæ fœdus inierat. Cujus Grimoaldi vires Bertaridus etiam apud Francorum patriam constitutus metuens, egressus è Gallia, ad Britanniam insulam, Saxonumque Regem properare disponit.

EX LIBRO VI. D

cap. 16. Hoc tempore apud Gallias Francorum Regibus à solita fortitudine et scientia degenerantibus, hi qui Majores-domûs regalis esse videbantur, administrare regni potentiam, et quidquid Regibus agere mos est, cœperunt; quippe cùm cœlitus esset dispositum, ad horum progeniem Francorum transvehi regnum. Fuitque eo tempore Major-domûs in Regio palatio Arnulfus, vir, ut postmodùm claruit, Deo amabilis, et miræ sanctitatis. Qui post gloriam sæculi Christi servitio se subdens, mirabilis in Episcopatu extitit, ac demum eremeticam vitam eligens, leprosis universa præbens obsequia, continentissimè vixit.

cap. 23. Hoc tempore apud Gallias in Francorum regnum Anchis Arnulfi filius, qui de nomine Anchisæ quondam Trojani creditur appellatus, sub nomine Majoris-domûs gerebat principatum. E

cap. 37. Apud Regnum Francorum tunc temporis Pipinus obtinebat principatum. Fuit autem vir miræ audaciæ, qui hostes suos aggrediendo statum conterebat. Nam supra suum quendam adversarium, Rhenum transgressus, cum uno tantùm satellite suo irruit, eumque in suo cubiculo residentem cum suis trucidavit. Bella quòque multa cum Saxonibus et maximè cum Rathodo * Frisionum Rege fortiter gessit. Hic et alios filios habuit, sed ex his Karolus præcipuus extitit, qui ei pòst in principatu successit.

**al.* Ratbodo.

cap. 42. An. 714. Apud Francorum quoque gentem, Pipino vita exemptò, ejus filius Karolus, de

(a) Grimoaldus regnare cœpit anno 662. obiit autem anno 671.

(b) Jam ante 24. annos obierat Dagobertus I. cùm Grimoaldus Longobardorum regnum arripuit, nec nisi post ejus mortem Dagobertus II. in regnum restitutus est.

A quo præmiseramus, licèt per multa bella et certamina, de manu Reginfridi* principatum sustulit. Nam cùm in custodia teneretur, divino nutu ereptus aufugit, ac primùm contra Reginfridum cum paucis bis terque certamen iniit, novissimeque eum apud Vinciacum (a) magno certamine superavit. Cui tamen unam, hoc est Andegavensem, civitatem ad habitandum concessit. Cunctam verò Francorum gentem ipse gubernandam suscepit. An. 717.

* *al.* Raginfridi.

Eo tempore gens Sarracenorum in loco, qui Septem dicitur, ex Africa transfretantes, universam Hispaniam invaserunt. Deinde post decem annos cum uxoribus et parvulis venientes, Aquitaniam Galliæ provinciam, quasi habitaturi ingressi sunt. Karolus siquidem cum Eudone Aquitaniæ principe tunc discordiam habebat. Qui tamen in unum se conjungentes, contra eosdem Sarracenos pari consilio dimicarunt. *cap.* 46. An. 721.

B Nam irruentes Franci super eos, trecenta (b) septuaginta quinqua millia Sarracenorum interemerunt. Ex Francorum verò parte mille, et quingenti tantùm ibi ceciderunt. Eudo quoque cum suis super eorum castra irruens, pari modo multos interficiens, omnia devastavit.

Circa hæc tempora Karolus Princeps Francorum Pippinum suum filium ad Liutprandum direxit, ut ejus juxta morem capillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regiis muneribus, genitori remisit. *cap.* 53.

Per idem tempus Sarracenorum exercitus rursum in Galliam introïens, multam devastationem fecit. Contra quos Karolus non longè à Narbona bellum committens, eos, sicut et priùs, maxima cæde prostravit. Iteratò Sarraceni Gallorum fines ingressi, usque ad Provinciam venerunt, et capta Arelate, omnia circumquaque demoliti sunt. *cap.* 54. An. 737. An. 739.

C Tunc Karolus legatos cum muneribus ad Liutprandum Regem mittens, ab eo contra Sarracenos auxilium poposcit. Qui nihil moratus, cum omni Langobardorum exercitu in ejus adjutorium properavit. Quo comperto, gens Sarracenorum mox ab illis regionibus aufugit.

(a) Vinciacensis pugna anno 717. data, non ultima fuit : nec Carolus nisi anno 724. civitatem Andegavensem Raginfredo concessit.

(b) Hic Paulus summo errore confundit victoriam, ab Eudone de Sarracenis juxta Tolosam anno 721. reportatam, cum prælio Pictaviensi, in quo fusi et victi fuere Sarraceni anno 732. à Carolo Martello, non ab Eudone. Aliam Sarracenorum in Gallias irruptionem anno 729. recitat Beda coætanus auctor lib. 5. cap. 24. *Anno Dominicæ Incarnationis DCCXXIX. apparuerunt Cometæ duo circa solem.....*

D *Quo tempore gravissima Sarracenorum lues Gallias misera clade vastabat, et ipsi non multò pòst in eadem provincia dignas perfidiæ suæ pœnas luebant.* Quæ ultima verba referenda putat Pagius ad celeberrimam de Sarracenis victoriam anno 732. à Christianis reportatam. Sed cùm Beda anno 731. Historiam suam absolverit, necesse est eum verba illa in eam inseruisse. Quod et aliis Chronographis accidisse notat idem Pagius ad an. 729. num. 3. Occisorum numerum meritò in dubium revocat Valesius Rer. Franc. lib. 24. pag. 489.

EX BREVIBUS (a) ANNALIBUS FRANCICIS,

Qui vulgò Nazariani dicuntur.

ANno DCCVII. Pippinus senior regnare cœpit.
DCCVIII. Drogo mortuus.
DCCIX. Durus et deficiens fructus. Et Gothofridus mortuus est.
DCCX. Pippinus perrexit in Alamaniam.
DCCXI. Aquæ inundaverunt valde. Et mors Hildeberti.
E DCCXII. Mors Heriberti Regis Langobardorum.
DCCXIII. Mors Aliflidæ et Halidulfi Regis.
DCCXIV. Pippinus defunctus est.
DCCXV. Pugna Francorum : et mors Dagoberti Regis.
DCCXVI. Pugnavit Carolus contra Ratboth.
DCCXVII. Pugnavit Carolus contra Ragenfredum in Vinciaco, in Dominica die.
DCCXVIII. Vastavit Karlus Saxonia plagâ magnâ.
DCCXIX. Occisio Francorum ad Suessionis civitatem : et mors Ratbothi.
DCCXX. Pugnavit Karlus contra Saxones.

(a) Annales isti, qui ab anno 707. usque ad annum 790. producuntur, in Monasterio S. Nazarii juxta Rhenum scripti sunt. A Marquardo Frehero primùm sunt publicati, dein ab And. Chesnio Tom. 2. Script. Franc. pag. 3.

DCCXXI. Ejecit Heudo Sarcinos de Equitania. A

DCCXXII. Magna fertilitas ; et bella contra Aquilonem.

DCCXXIII. Duo filii Drogonis ligati (a), Arnoldus, et unus mortuus, et Karlus infirmatus.

DCCXXIV. Levavit contra Karlo : et Karlus perrexit Andegavis.

DCCXXV. Hrothrudis mortua. Betto mortuus. Sarcini venerunt primitus (b).

DCCXXX. Lantfridus mortuus.

DCCXXXI. Karlus vastavit duas vices ultra Ligere. Et Raginfridus mortuus. Et Beda (c) Presbyter Anglorum obiit.

DCCXXX. Karlus pugnavit contra Sarcinos die Sabbato ad Pectavis.

DCCXXXIII. Hildratus mortuus.

DCCXXXIV. Karlus perrexit in Frisiam, et inde usque ad internecionem.

DCCXXXV. Karlus invasit Wasconiam. B

DCCXXXVI. Hatto ligatus (d) est.

* Gothia. DCCXXXVII. Karlus pugnavit contra Sarcinos in Gutia *, in Dominico die.

DCCXXXVIII. Karlus intravit in Saxonia.

DCCXXXIX. Karlus intravit in Provincia usque Massilia.

DCCXL. Sine hostilitate ulla.

DCCXLI. Karlus mortuus est. Et Theodaldus interfectus est.

DCCXLII. Franci in exercitu in Aquitania, et posteà in Beuveria (e) usque Lech.

DCCXLIII. Pippinus quievit. Et Karlomannus in Saxonia cum exercitu.

DCCXLIV. Franci in Beuveria, quando ille Walus fuit. Et Romanus egressus est de Alamania. C

DCCXLV. Karlomannus et Pippinus cum exercitu in Saxonia. Et Theotbaldus in Alsatiam.

DCCXLVI. Karlomannus in Alamaniam, et posteà in Aquitaniam.

DCXXLVII. Karlomannus ivit Romam. Et Eberhardus defunctus est.

DCCXLVIII. Otbertus interfectus est. Et Grifo in Saxonia elapsus.

DCCXLIX. Franci in Saxonia (f) cum magno exercitu. Et Grifo in Beuveria.

DCCL. Franci (g) in Beuveria. Et Grifo reversus est ad propria.

DCCLI. Pippinus Rex (h) elevatus est. Res Ecclesiarum descriptas, quæ et devisas. Baldebertus Episcopus. Benedictus. Zacharias Papa defunctus. Stephanus electus, in die percussus. Alter Stephanus electus atque consecratus. Et Lantfridus mortuus.

DCCLII. Pippinus in Saxonia (i) cum exercitu. Grifo Franciam ingressus, qui et interfectus.

Sequentia suo loco edentur.

(a) *Ligati*, id est *vincti.*

(b) Suprà anno 721. dicuntur Sarraceni ab Eudone de Aquitania ejecti ; non igitur putandi sunt primùm anno 725. montes Pyrenæos præteriisse, sed tantùm hoc anno primùm venisse in regiones Regi Theodorico subjectas, et à Carolo Martello gubernatas, id est in Franciam, quæ tunc temporis ab Aquitania, in qua regnabat Eudo, distinguebatur. Arbitrantur Cointius et Pagius Sarracenos hoc anno Albigensem, Caturcensem et Albigensem diœceses, reliquamque Aquitaniæ partem sibi subjecisse. Verùm hanc eorum opinionem nullo niti fundamento demonstrant Auctores novæ Historiæ Occitaniæ.

(c) Beda nonnisi anno 735. obiit.

(d) *Ligatus*, id est *in carcerem trusus;* vel, ut alii volunt, vinctus seu fœdere junctus Carolo Martello contra Hunoldum fratrem suum. Hatto filius erat Eudonis Aquitaniæ Ducis, et pater Lupi Ducis Wasconiæ.

(e) Per Beuveriam hîc Alamannia intelligitur.

(f) Hoc anno nullum bellum gestum in Saxonia, sed in Bavaria testantur Continuator Fredegarii et Annalista Metensis.

(g) Franci hoc anno nullum bellum habuere. Vide Annales sequentes.

(h) Anno tantùm 752. Pippinus Rex creatus, et Zacharias Papa mortuus.

(i) Hæc in annum 753. refundenda.

A

EX ALIIS (a) FRANCORUM ANNALIBUS,

Qui vulgò Petaviani vocantur.

ANno DCCVIII. Quando Drogo mortuus fuit tempore vernis.
DCCIX. Quando domnus Pipinus perrexit in Suavis contra Wilarium.
DCCX. Item Pippinus in Suavis contra Wilarium.
DCCXI. Tunc aquæ inundaverunt valde. Et Childebertus (b) mortuus est. Et exercitus Francorum in Suavis.
DCCXII. Item exercitus Francorum in Suavis contra Wilarium. Et Heribertus
B Rex Longobardorum mortuus est.
DCCXIII. Mors Agledulfi Regis, et deposito Suitberthi Episcopi.
DCCXIV. Domnus Pipinus mortuus est in mense Decemb. Et Grimoldus (c) similiter defunctus est.
DCCXV. Dagobertus Rex mortuus est. Et Saxones devastaverunt terram Hattuariorum (d).
DCCXVI. Quando Ratbodus venit Coloniam in mense Mart. Tunc pugnavit Karolus contra eum.
DCCXVII. Quando bellum fuit Vinciago inter Karolum et Ragenfridum in die Dominico, die xv. ante Pascha.
DCCXVIII. Fuit autem tunc priùs Karolus in Saxonia, et vastavit eam plaga magna usque Viseram.
C DCCXIX. Ratbodus mortuus est.
DCCXX. Quando bellum habuit Karolus contra Saxones.
DCCXXI. Expugnavit Eodo (e) Saracenos de terra sua.
DCCXXII. Fuit fertilitas magna, et bella contra Aquilonem.
DCCXXIII. Duo filii Drogonis ligati, et unus mortuus ; et Karolus infirmatur.
DCCXXIV. Karolus migravit ad Andegavos, qui rebellabant adversùs eum.
DCCXXV. Quando Karolus primùm fuit in Bawarios (f). Et Chrotrudis moritur. Et Saraceni venerunt.
DCCXXVI. Martinus (g) mortuus est.
DCCXXVII. Danihel (h) in Atiniaco mortuus est.
DCCXXVIII. Item Karolus fuit in Saxonia (i). Et Hidulphus (k) Episcopus mor-
D tuus est.
DCCXXIX. Quando Karolus voluit pergere in Saxonia.
DCCXXX. Quando Karolus perrexit Suavis contra Lantfridum.
DCCXXXI. Quando Karolus fuit Wasconia contra Eodonem. Et Ragenfridus (l) mortuus est.
DCCXXXII. Karolus habuit bellum contra Saracenos in mense Octobri (m), die Sabbato.
DCCXXXIII. Quando venit (n) cum Westri exercitum in Westrigon.

(a) Hos Annales, qui ab anno 708. ducunt initium, et desinunt in anno 799. ex duobus pervetustis codicibus mss. quorum unus fuit Joannis Tilii, alter Alexandri Petavii, edidit Andr. Chesnius Tom. 2. Script. Franc. pag. 6. Eosdem Annales vulgavit Labbeus Tom. 2. Novæ Biblioth. libr. mss. pag. 733. ex codice Masciacensis Cœnobii : in quo tamen codice incipiunt tantùm ab anno 726.

(b) Codex Petavianus, *Hildebertus.*

(c) Idem, *Grimoaldus.*

(d) Idem, *Hazzoariorum.*

(e) Idem, *Eudo.*

(f) Idem, *in Bagoarios..... Et Sarachin venerunt.*

(g) Codex Masciacensis : *Martinus mortuus est. Fuit autem Monachus in Corbeia, vir vitæ continentissimæ, et adprimè eruditus ; quem Karolus Dux in summa veneratione habuit ; et peccata sua ei confitebatur.* In Miscellaneis historicis Bernardi Guidonis editis in Tomo primo Bibliothecæ Labbeanæ pag. 632. legitur : *S. Martinus Confessor, qui fuit Capellanus Karoli, apud S. Præjectum prope Axiam in Domino requiescit.* Locus S. Præjecti oppidulum est, vulgò *Saint Priet*, ad Vigennam fluvium, altero milliari Gallico à civitate Lemovicis, prope Axiam oppidum, *Aixé.*

(h) Hic Daniel non alius est à Chilperico Rege, qui antequàm Rex constitueretur, vocabatur Daniel. Sed hic Princeps sub finem anni 720. jam obierat. Verùm nonnulla in hoc Chronicon inserta fuerunt aliena et imperita manu.

(i) Legendum videtur *in Bajoaria.* Nam nullum hoc anno in Saxonia bellum memorant alii Annalistæ : nisi fortè dicatur duplex fuisse bellum, et Bavaricum et Saxonicum.

(k) Cod. Petav. *Hadulfus.* Masciac. *Adulfus Episcopus mortuus est : fuit autem de Camaraco, et habuit Abbatiam S. Vedasti.*

(l) Masciac. *Raganfredus.*

(m) Idem, *Octobrio, die Sabbati.*

(n) Labbeus ex codice Masciac. hunc versum non exscripsit ; tres tantùm asteriscos substituit. In Annalibus sequentibus, *cum exercitu venit in Wistragon. Cum Westri,* id est, cum classe Westriæ, seu Occidentalis Franciæ, quæ maritima erat.

DCCXXXIV. Karolus perrexit in Frisiam (a) usque internecionem. A

DCCXXXV. Quando Karolus invasit Wasconiam.

DCCXXXVI. Audoinus Episcopus mortuus est. Et Karolus dimicabat contra filios Eodonis.

DCCXXXVII. Quando Karolus bellum habuit contra Saracenos in Gozia (b).

DCCXXXVIII. Karolus intravit in Saxoniam.

DCCXXXIX. Karolus intravit in Provinciam usque Massiliam.

DCCXL. Sine hoste fuit hic annus.

DCCXLI. Karolus mortuus est Idib. Octobr. Et Theodoaldus (c) interfectus est.

DCCXLII. Carolomannus perrexit in Wasconiam.

DCCXLIII. Vastavit Karolus (d) Alamanniam.

DCCXLIV. Pax inter Karolomannum et Odilonem. Et hostes in Saxonia.

DCCXLV. Karolomannus et Pipinus abierunt in Saxoniam. B

DCCXLVI. Karolomannus intravit Alamanniam (e).

DCCXLVII. Karolomannus migravit Romam. Et ipso anno fuit natus (f) Karolus Rex.

DCCXLVIII. Grippo (g) fugit in Saxoniam.

DCCXLIX. Quando Grippo reversus est de exilio.

DCCL. Sine hoste fuit.

DCCLI. Lantfridus mortuus est. Et fuit natus (h) Karolomannus Rex.

(a) Cod. Masciac. *in Frisiam, et delevit eam usque ad internecionem.*

(b) Idem, *in Gotia.* Petav. *in Zolhia.*

(c) Cod. Petav. *Teudaldus.* Masc. *Theobaldus.* Deest *Idib. Octob.*

(d) Codd. Petav. et Masciac. *Carolomannus.* Hæc ad annum præcedentem retrahenda. Vide Annales præcedentes et sequentes et Continuatorem Fredegarii.

(e) Cod. Masciac. addit: *Ubi fertur quòd multa hominum millia ceciderit. Unde compunctus regnum reliquit, et Monasterium in Castro Cassino situm adiit.*

(f) Hæc verba desunt in cod. Masciac. atque manifestò addititia sunt. Nam cùm Carolum Magnum annos 71 vel 72 vixisse, eumque anno Christi 814 obiisse tradant Scriptores coævi, nasci non potuit anno 747; sed ejus ortus in anno 742 necessariò collocandus est. Ita collocatur in Chronico Lamberti Schafnaburgensis, in Epitome Siffredi Presbyteri C Misnensis, in Chronico excerpto de diversis Chronicis post Sigebertum Gemblacensem edito, et in fragmento Vitæ sancti Godehardi Hildeneshemensis Episcopi.

(g) Cod. Masciac. *Grifo.*

(h) Hæc etiam desunt in codice Masciac. atque omninò inserta videntur.

EX ALIIS FRANCORUM (a) ANNALIBUS,

Qui vulgò Tiliani dicuntur.

D

ANno DCCVIII Quando Drogo mortuus est.

DCCIX. Pippinus pugnavit in Suavis.

DCCX. Unde suprà.

DCCXI. Walaricus duxit exercitum Francorum in Suavis.

DCCXII. Anepus duxit exercitum Francorum in Suavis contra Willeharium.

DCCXIV. Depositio Grimoldi, et depositio Pippini in medio Decembrio.

DCCXV. Saxones devastaverunt terram Hatuariorum.

DCCXVI. Ratbodus venit ad Coloniam.

DCCXVII. Bellum fuit inter Carolum et Raginfridum in mense Martio.

DCCXVIII. Karolus primùm pugnavit in Saxonia.

DCCXIX. Quando mortuus est Ratbodus.

DCCXX. Karolus bellum habuit contra Saxones. E

DCCXXV. Karolus primùm pugnavit in Bajoaria.

DCCXXVIII. Karolus secunda vice pugnavit in Bajoaria.

DCCXXIX. Voluit Karolus pergere in Saxonia.

DCCXXX. Karolus pugnavit contra Lantfridum.

DCCXXXI. Karolus pugnavit in Vasconia contra Eodonem.

DCCXXXII. Karolus habuit bellum contra Sarecinos.

DCCXXXIII. Karolus cum exercitu venit in Wistragon.

DCCXXXIV. (b) Karolus cum exercitu pugnavit in Wasconia.

(a) Hos annales, quos Auctor ab anno 708. orsus est, et ad annum 808. quo se vixisse testatur, perduxit, ex antiquo codice ms. Johannis Tilii, edidit Chesnius Tom. 2. Script. Franc. pag. 11.

(b) Quæ hîc gesta narrantur annis 734, 735 et 736, ad annos 735, 736 et 737 referenda sunt.

A DCCXXXV. Karolus dimicabat contra filios Eodonum *. * Eudonis.

DCCXXXVI. Karolus iterùm bellum habuit contra Sarecinos.

DCCXLI. Karolus Major-domûs defunctus est.

DCCXLII. Carlomannus et Pippinus Major-domûs duxerunt exercitum contra Hunoldum Ducem Aquitanorum; et ceperunt castrum quod vocatur Luccas *. Et in ipso * *Loches.*
itinere diviserunt (a) regnum Francorum inter se in loco, qui dicitur Vetus-Pictavis (b). Eodemque anno Carlomannus Alamaniam vastavit.

DCCXLIII. Tunc Carlomannus et Pippinus contra Idolonem * Ducem Bajoariorum * Odilonem.
inierunt pugnam. Et Carlomannus per se in Saxoniam ambulavit in eodem anno, et cepit castrum quod dicitur Saochseburg * per placitum, et Teodericum Saxonem pla- * Hocseburg.
citando conquesivit.

DCCXLIV. Iterùm Carlomannus et Pippinus perrexerunt in Saxoniam. Et captus
B est Teodericus Saxo alia vice.

DCCXLV. Tunc (c) Carlomannus confessus est Pippino germano suo, quod voluisset sæculum relinquere. Et eodem anno nullum fecerunt exercitum : sed apparaverunt se uterque, Carlomannus ad iter suum, et Pippinus quomodo germanum suum honorificè direxisset cum muneribus.

DCCXLVI. Tunc Carlomannus (d) Romam perrexit, ibique se totondit, et in Sarepte * monte Monasterium ædificavit in honore S. Silvestri : ibique aliquod tempus * Soracte.
moram faciens, inde ad S. Benedictum pervenit, et ibi Monachus fuit.

DCCXLVII. Grifo (e) fugit in Saxoniam. Et Pippinus per Toringiam perrexit in Saxoniam.

DCCXLVIII. Pippinus (f) perrexit in Bajoariam, Grifonem et Lantfridum inde adduxit, et Tassiloni Ducatum dedit. Et Grifo in Wasconia fugit ad Waiferum.

C DCCXLIX. Zacharias (g) Papa per Fulradum mandavit, ut Pippinus ad Regem levaretur.

DCCL. Pippinus (h) secundùm morem Francorum electus ad Regem, et unctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacii Episcopi, elevatus à Francis in regno Suessionis civitate. Hildericus verò, qui falsè Rex vocabatur, tonsoratus est, et in Monasterium missus.

(a) Hujus divisionis meminerunt Annales Eginhardi, Loiseliani, Bertiniani et Metenses. Cointius hoc anno num. 21. dicit hanc divisionem, quam Carolomannus et Pippinus inierunt, non aliam esse à paterna, quam Grifo suis tumultibus irritam fecerat. Verùm quid opus fuisset rem actam agere; et
D quomodo potuit Grifo divisionem illam paternam irritam reddere, qui fugam capessere coactus fuerat, et nunc Carolomanni jussu in Novo-Castello Arduennæ proximo custodiebatur? Non itaque Grifo, sed Carolomannus et Pippinus paternam divisionem irritam fecere. Cùm enim, ut scitè scribit Hadr. Vales. lib. 25. pag. 549. illi Grifonem fratrem parte illi à patre relicta privassent, regnum totius Franciæ ipsis de integro dividendum fuit, saltem ut tertiam hanc portionem, quæ ambobus accreverat, ex æquo inter se partirentur. *Ita Pagius ad annum* 742. *num.* 16.

(b) Vulgò *Vieux Poitiers*, vicus positus ad Clennum, non longè ab ejus et Vingennæ confluentibus.

(c) Hæc ad annum sequentem pertinent.

(d) Carolomannus Romam petiit anno 747.

(e) Fuga Grifonis in Saxoniam in annum sequentem rejicienda.

(f) Hæc ad annum 749. referenda.

(g) Gesta sunt isthæc anno 751.

(h) Pippini electio in Regem Francorum anno 752. contigit.

EX BREVI (a) CHRONICO,

Anno Christi DCCCX. scripto.

E A Justiniano usque ad Pippinum seniorem sunt anni duo. A Pippino seniore usque ad Carlum anni XXVII. A Carlo usque ad Pippinum et ad Carlomannum anni XXVII. Et à Pippino et Carlomanno usquedum Pippinus Rex constitutus est, fiunt anni X. A Pippino verò usque ad Carlum et Carlomannum anni XVII. Et à Carlo et Carlomanno usque ad Carlum fiunt anni IV. Et inde domnus Carlus solus regnum suscepit, et Deo protegente gubernat usque in præsentem annum feliciter, qui est annus regni ejus XLII. imperii autem IX. Sunt autem totius summæ ab origine mundi anni usque in præsentem annum IV. M. DCCLXI. An. 809.

(a) Hoc Chronicon, quod à mundi exordio usque ad annum 810. protenditur, ex vetusto codice ms. Bedæ de Ratione Temporum, qui fuit Monasterii sancti Dionysii in Francia, vulgavit Chesnius Tom. 3. Script. Franc. pag. 125. Nos, omissis quinque Mundi Ætatibus, ex sexta desumsimus ea quæ ad Regum Francorum primæ stirpis Historiam spectant, cætera suo loco edituri.

DCXCI. Bellum Pippino in Testricio (a), ubi superavit Francos. A
DCCII. Obitus Hildeberti (b) Regis.
DCCVIII. Quando Drogo mortuus fuit in vernale tempore.
DCCIX. Quando Pippinus perrexit in Suavis contra Vilario.
DCCX. Iterùm Pippinus in Suavis contra Vilario.
DCCXI. Quando Walericus duxit exercitum Francorum in Suavis contra Vilario.
DCCXII. Quidam Episcopus duxit exercitum Francorum in Suavis contra Vilario.
DCCXIII. De post (c) sub Doberto Episcopo in mense Martio.
DCCXIV. De post (d) Grimoaldo in mense Aprili, et de post Pippino in mense Decembrio.
DCCXV. Quando Saxones vastaverunt terram Chatuariorum.
DCCXVI. Quando Radbodus venit in Colonia mense Martio. B
DCCXVII. Bellum fuit inter Karolum et Ragenfredem in Vinciaco mense Martio, media Quadragesima, die Dominica.
DCCXVIII. Karolus primùm fuit in Saxonia.
DCCXIX. Radbodus obiit.
DCCXX. Karlus bellum habuit contra Saxones.
DCCXXV. Karlus primùm fuit in Bajoaria.
DCCXXVIII. Iterùm Karlus fuit in Bajoaria.
DCCXXX. Karlus perrexit ad Suavos contra Lantfredum.
DCCXXXI. Karlus fuit in Vasconia contra Eodonem.
DCCXXXII. Karlus bellum habuit contra Saracinos in mense Octobri.
DCCXXXIII. Karlus cum exercitu venit in Wistragon. C
DCCXXXIV. Iterùm Karlus venit cum exercitu in Wistragon.
DCCXXXV. Karlus cum exercitu fuit in Wasconia.
DCCXXXVI. Karlus dimicavit contra filios Eodone.
DCCXXXVII. Karlus bellum habuit contra Saracinos.
DCCXLI. Karlus Dux Francorum mortuus est Idib. (e) Octobris.
DCCXLII. Karlomannus duxit exercitum contra Chunaldum.
DCCXLIII. Karlomannus bellum iniit contra Bajoarios.
DCCXLVII. Karlomannus perrexit ad Romam.
DCCXLIX. Grippo fuit in exilio.

(a) Textriciana pugna habita est anno 687. Ab hac enim pugna Pippinum totius Franciæ principatum occupasse certum est. Porrò Auctor hujus Chronici Pippini mortem in anno 714. collocat, et à Pippino ad Carolum Martellum annos 27. numerat.

(b) Childebertum anno 711. obiisse testantur Annales Nazariani, Petaviani, Metenses et alii plures.

(c) Legendum videtur, *Depositio Suitberti Episcopi.*

(d) Legendum, *Depositio Grimoaldi..... et depositio Pippini.*

(e) Ita in Annal. Petav. Continuator tamen Fredegarii Carolo coævus et familiaris ejus fratri Childebrando diem XXII. ejusdem mensis huic morti assignat. Verùm cùm anteà scripserit eum apud Carisiacum mortuum esse, hinc colligi posse putant nonnulli, Carolum die XV. Oct. diem obiisse, et septem post dies in Basilica sancti Dionysii sepultum esse.

MONITUM IN ANNALES SEQUENTES.

HOs annales, qui ab anno 714. *ad annum* 817. *producuntur, ex ms. codice Bibliothecæ Cæsareæ, qui inter mss. codices Historicos ducentesimus sexagesimus quintus est, exscripsit Petrus Lambecius Comment. de eadem Bibliotheca lib.* 2. *cap.* 5. *pag.* 366. *Scriptus est hic codex, ut notat ipse Lambecius, antiquis illis literis Gothicis sive Toletanis, ab Ulphila Gothorum Episcopo, qui circa annum Christi* 370. *temporibus Impp. Valentiniani et Valentis floruit, inventis, et in Hispania olim præcipuè usitatis. Annales istos respectu Auctoris sui non solùm* Fuldenses, *verùm etiam* Laureshamenses *cognominandos esse monet idem Lambecius : hic enim Auctor, rerum gestarum Regis Pippini anno XXVI. et rerum gestarum Imp. Caroli anno XLI. utrumque Monasterium, nempe tam Laureshamense quàm Fuldense, vocat* Monasterium nostrum. *Is tamen diversus esse videtur ab Auctore Annalium, ut vocant, Fuldensium, quos infrà edituri sumus : siquidem hic Auctor noster res gestas Regum Francorum cum eorum regni annis, ille verò cum Christi annis illigat. Cæterùm eadem ferè continent utrique Annales, nisi quòd priores pertingunt tantùm usque ad annum Ludovici Pii quartum, seu Christi* 817. *Eos ad verbum descripsit Auctor Chronici Hildensheimensis, quod ab an.* 714. *ad an.* 1138. *sese extendit.*

A

ANNALES FRANCORUM.

PIppinus Dux Francorum filius Anschisi (a), post mortem Wolfohaldi Ducis partem Austriæ (b) regebat, obtinuitque regnum Francorum per annos XXVII. cum Regibus sibi subjectis Hluduwigo, Hildiberto et Dagaberto : moritur anno secundo Anastasii Imperatoris, qui est ab Incarnatione Domini annus DCCXIIII. Hujus Pippini ex Alpheida filius. An. Chr. 714.

I. Karlus regnavit annos XXVII. Hic auxilio Dei de custodia, qua detenebatur à Plicthrude matrona relicta Pippini, liberatur; qui primo certamine adversùs Ratbodum 715.
B Regem Fresonum congreditur, in quo dum fortiter dimicat, plurimum exercitûs sui damnum consequitur. 716.

II. Raginfridus Major-domûs et Hilphricus Rex Coloniam cum exercitu adeunt, regiones illas, quæ contiguæ Rheno, vastantes, acceptisque muneribus à Plichthrude redeunt, atque inde abeuntes (c), Karlus cum exercitu occurrit in loco, qui dicitur Amblava.

III. Sequenti anno Reginfridus et Hilphricus Rex bellum Karlo parant in loco nuncupato Vinciaco die Dominico (d) ante Pascha : in quo prælio vires Francorum conciderunt. Hilphricus Rex et Reginfridus terga vertunt, insequiturque eos Karlus usque Parisius. Inde victor rediens Coloniam petit. 717.

IV. Receptisque à Plihtrude thesauros (e) patris sui, Regem sibi constituit Hlutharium, nomine, non potestate. Hilphricus et Raginfridus auxilium postulant 717.
C Eudonis Ducis Aquitaniarum ; adversùs quos Karlus pergens, hostes in fugam compulit, mortuo Chluthario Rege. 719.

V. Karlus ad Eudonem mittit, et Hilphricum Regem per legatos recipit, quo non post multum temporis mortuo, Theodricum Regem in sedem regni statuunt. 720.

VI. Karlus Raginfridum persequitur ; Andegavis civitatem (f) capit. 724.

VII. Karlus Saxones vastando victor regreditur. 720.

VIII. Karlus Alamannos et Bajoarios armis subegit. 725.

IX. Per idem tempus Eudo pacis jura temerare nititur.

X. Karlus, transito Ligere, Eudonem in fugam vertit, vastata regione. 731.

XI. Eudo Sarracenos in auxilium sui adsciscit, qui venientes cum Rege suo Abdirama, transeunt Garumnam, Burdigalem usque perveniunt, Ecclesias igne crematis 732.
D (g) ; Pictavis Basilicam S. Hilarii incendunt.

XII. Contra quos Karlus auxilio Dei fretus, Sarracenorum infinitam multitudinem simul cum Rege eorum prostravit, devictisque hostibus, cum triumpho regreditur. 732.

XIII. Karlus Burgundiam petens, Lugdunum et civitates reliquas suæ ditioni subegit. Beda (h) Presbyter moritur anno DCCXXX. Incarnationis Domini. 733.

XIV. Eudo Dux hac tempestate moritur : quo mortuo Carlus Aquitaniæ regionem absque bello recipit. 735.

XV. Karlus navali evectione Fresonum regnum penetravit ; interfectis Fresonibus, Popponem Ducem interimit, lucos et fana subvertit ; victor cum præda magna revertitur. 733.

E XVI. Sarraceni, collecta manu valida, Avinnionem urbem capiunt, regiones circumquaque vastantes. 737.

XVII. Adversùs quos Karlus arma corripiens, ad prædictam urbem adcurrit. Civitas obsidione vallata, machinis instructis, capitur, magnaque strages hostium efficitur. 737.

XVIII. Karlus Gothorum fines penetravit, Narbonam obsedit, Rege Sarracenorum Athima intus incluso. 737.

(a) Rectiùs apud Freherum et Lambecium in Annalibus Fuldensibus, *Ansgisi*.
(b) Austriæ, id est, Franciæ Orientalis.
(c) Chron. Hildensheim. *abeuntibus*.
(d) Corrig. *Die decimo-quinto ante Pascha*.
(e) *Thesauros* pro *thesauris*. Eadem loquendi ratio in hisce Annalibus aliàs passim occurrit, ita nempe ut participium præteritum passivum regat accusativum. *Lambecius*. Chron. Hildensheimense, *thesauris*.
(f) Malè hìc et in sequentibus res gestæ cum annis principatùs Caroli componuntur.
(g) Chron. Hildensheim. *cremantes*.
(h) Beda non anno 730. mortuus est, sed anno 735.

737. XIX. Sarraceni in Hispania, qui commorabantur in vicinia, hæc audientes, armati cum Rege suo occurrunt. A

739. XX. Contra quos Carlus dimicans, Regem cum populo suo interficit. Qui gladium evadere poterant, ascendentes (a) navibus in mare demersi sunt.

739. XXI. Francis super eos cum navibus et jaculis infestantibus; sicque Franci de hostibus triumphantes, prædam magnam et captivorum multitudinem capiunt.

739. XXII. Regionem Gothicam, urbesque famosissimas Næmausum, Agatem, et reliquas capiunt, destructis mœniis usque ad fundamenta.

738. XXII. Karlus tributarios fecit Saxones.

739. XXIV. Karlus regionem Provinciæ ingrediens, fugato Duce Mauronto.

XXV. Qui Sarracenos per dolum jam dudum invitaverat; cunctam Provinciam et maritima illa loca suæ ditioni subegit.

XXVI. Karlus post Gothos superatos, Saxones et Fresones subactos, Sarracenos B
741. expulsos, Provinciales receptos, regnum Francorum feliciter possidens, moritur in villa publica Wermbria (b).

XXVII. Anno DCCXLI. Incarnationis Dominicæ : post quem duo liberi ejus regnant annos XXVII. Carlmannus cum fratre Pippino regnavit annos VII.

742. I. Carlmannus et Pippinus Hunoldum res novas molientem obprimunt, et in ipso itinere regnum inter se, quid quisque haberet, dividunt.

742. II. Per idem tempus, rebellante Theotbaldo, Karlmannus vastavit Alamanniam.

743. III. Carlmannus et Pippinus in Bajoariam exercitum ducunt adversùs Huodilonem.

745. IV. Carlmannus adversùs Saxones dimicat, et castrum Onseburg (c) capit.

V. Bonifacius vir sanctus de genere Anglorum, legatus Germanicus Romanæ
745. Ecclesiæ, Mogontiacæ civitatis Episcopus ordinatur; qui prædicatione sua multos C
populos Thuringeorum, Hessorum, necnon et Austrasiorum ad fidem rectam et Christianam religionem, à qua diu aberraverant, convertit; sed et Monasteria Monachorum ac Virginum primus in partibus Austriæ exorsus est, ipse in Castro Wirziburg sedem Episcopalem constituens, annuente Carlmanno, et auctoritate Apostolici Papæ.

741. VI. Burghardus (d) collega Bonifacii Wirziburgæ ordinatur Episcopus; Willibaldus in Eichsteti Episcopus constituitur.

747. VII. Carlmannus regnum temporale pro æterno regno despiciens, fratri regnum dereliquit, et Romam ad limina beatorum Apostolorum devotus pervenit; ibique ton-
* Soracte. suratus, religionis habitum suscepit, et in Serapte * monte Monasterium ædificavit, et non post multum in Monasterio S. Benedicti Monachus efficitur. Gripho frater Pippini in Saxoniam aufugit. Pippinus, qui jam per annos VII. regnaverat, regnat postea D
annos XX.

748. VIII. Pippinus in Saxoniam per Thuringeam ingreditur. Saxones cum Griphone adunati, super fluvium Hobacar (e) in loco, qui dicitur Horoheim, Griphonem cum Pippino pacificare cupiunt. Sororem Pippini cum Thassilone filio parvulo adquisivit.

IX. Idem Gripho non credens se Saxonibus, neque Francis, de Saxonia Bajoariam petit, Bajoaros et Hiltrudem sororem Pippini cum Tassilone filio parvulo adquisivit.

749. X. Pippinus in Bajoariam pergens, Griphonem et Lantfridum inde educit; Tassilonem Ducem constituit ibidem.

XI. Griphoni in partibus Nuistriæ (f) XII. comitatus dedit; Gripho verò nec se ibidem credens, ad Weiferium Ducem Aquitaniæ se contulit. E

751. XII. Anno DCCL (g) Incarn. Dominicæ mittit Pippinus legatos Romam ad Zachariam Papam, ut interrogarent de Regibus Francorum, qui ex stirpe regia erant, et Reges appellabantur, nullamque potestatem in regno habebant, nisi tantùm quòd cartæ et privilegia in nomine eorum conscribebantur; potestatem verò Regiam penitus nullam habebant, sed quod Major-domûs Francorum volebat, hoc faciebant. Cer-

(a) Chron. Hildensheim. *ascensis navibus.*
(b) Idem, *Wrembria.* Continuator Fredegarii Carolum mortuum dicit *apud Carisiacum*, Annales Fuldenses *Parisiis.*
(c) In Annal. Fuldensibus *Ohsburg.*
(d) Sancti Burchardus et Willibaldus jam Episcopi Synodo Germanicæ interfuerunt XI. Kal. Maii anno DCCXLII.
(e) In Annal. Fuldensibus et Metensibus, *Obacra.*
(f) Chron. Hildensheim. *Neustriæ.*
(g) Corrig. *anno* DCCLI. ut in Annal. Fuldensibus.

A to enim die semel in anno in Martis campo secundùm antiquam consuetudinem dona illis Regibus à populo offerebantur : et ipse Rex sedebat in Sella Regia, circumstante exercitu, et Major-domûs (a) coram eo; præcipiebatque is die illo quicquid à Francis decretum erat; die verò alia et deinceps Rex domi sedebat. Zacharias igitur Papa secundùm auctoritatem Apostolicam ad interrogationem eorum respondit, melius atque utilius sibi videri, ut ille Rex nominaretur et esset, qui potestatem in regno habebat, quàm ille qui falsò Rex appellabatur. Mandavit itaque præfatus Pontifex Regi et populo Francorum, ut Pippinus, qui potestate Regia utebatur, Rex appellaretur, et in sede Regali constitueretur. Quod ita et factum est per unctionem sancti Bonifacii Archiepiscopi, Suessionis civitate. Appellatur Pippinus Rex, et Hildricus, qui falsò Rex appellabatur, tonsoratus in Monasterium mittitur. 752.

(a) Chron. Hildensheim. *Majore-domûs.*

MONITUM

IN CHRONICON MOISSIACENSE.

HOC *Chronicon, quod incipit à mundi exordio, et desinit in anno Christi* 818. *ex membraneo codice Moissiacensis Cœnobii, quem Franc. Bosquetus Prætor Narbonensis exscripserat, vulgavit Chesnius Tom.* 3. *Script. Franc. pag.* 130. *iis omissis quæ ad Francorum Historiam minimè spectabant. Idem monet codicis hujus titulum esse,* Liber Chronicorum Bedani Presbyteri, *non quòd Bedanus nomen sit proprium Auctoris, sed quia ipse Auctor multa ex libro Bedæ Presbyteri de sex mundi Ætatibus desumsit. Veteres Francorum Annales Martenius noster Tomo* 4. *suæ amplissimæ Collectionis edidit ex antiquo codice, qui fuit olim Monasterii Rivipullensis, deinde Stephani Baluzii, à quo tandem regiam in Bibliothecam transiit. Codex iste non alius esse videtur ab eo, quem in Bibliotheca Colbertina asservari asserit Baluzius in Notula ad lib.* 3. *Marcæ Hispanicæ cap.* 1. *num.* 8. *Ut ut est, hi Annales, quos edidit Martenius, maximam cum Chronico Moissiacensis Monasterii affinitatem habent, nisi quòd initium duntaxat ducant à morte Childerici filii Chlodovei secundi; et quidam Anonymus Monachus Anianensis multa illis inseruerit desumta ex Caroli Magni Vita ab Eginhardo composita. Chronicon Moissiacense secutus est, illudque, mutato stylo, contraxit Gervasius Tisleberiensis Mareschallus regni Arelatensis in libro de Otiis Imperialibus, quem Ottoni IV. Imperatori nuncupavit. Editionem Chesnianam cum codice olim Rivipullensi, nunc Regio contulimus, cujus ope supplevimus ea quæ in codice Moissiacensi ab anno* 717. *ad annum desiderabantur. Hîc tantùm edentur ea quæ ad primam Regum Francorum stirpem pertinent.*

A

EX VETERI CHRONICO

MOISSIACENSIS

SEU B

MUSCIACENSIS CŒNOBII,

Ab initio regni Francorum ad annum Christi DCCLII.

FRanci verò, quorum originem (a) beatus Hieronymus meminit, qualiter à Troja usque ad Rhenum pervenissent cum Rege suo Francione. Quo mortuo, Duces ex se constituerunt, nec procul à Rheno civitatem ad instar Trojæ ædificare conati sunt, quam Sicambriam appellarunt. Cœptum quidem, sed imperfectum opus remansit : ibique manserunt annis multis usque ad Valentinianum Imperatorem. Quo regnante, C Gens Alanorum atrocissima rebellavit. Imperator Valentinianus, commoto magno exercitu Romanorum, direxit aciem contra eos, et superavit eos. Illi autem super fluvium Danubii fugerunt, et intraverunt in Meotis paludes. Tunc ait Imperator : *Si quis potuerit introire paludes istas, et indè ejicere Gentem hanc Alanorum, concedam eis tributa annis decem.* Tunc Franci feroces adverso per ignota latibula ingressi in Meotides paludes, cum reliquo exercitu Romanorum, ejecerunt inde Alanos. Igitur transactis decem annis, misit Imperator exactores unà cum primario Duce, ut reciperent præterita tributa de populo Francorum. Illi quoquę consilio accepto dixerunt : *Imperator cum exercitu Romanorum non potuit ejicere Alanos de latibula paludarum. Nos autem, qui eos devicimus, cur solvemus tributa Romanis? Consurgamus contra primarium hunc, vel exactores istos et non demus tributa, et erimus jugiter liberi.* Tum insidiantes interfecerunt eos. Hæc audiens Imperator, irâ commotus exercitum movet contra Francos. D Fuitque ibi magna strages de utrumque populum. Videntes Franci tantum exercitum sustinere non posse, fugerunt. Atque egressi è Sicambria, venerunt in extremis partibus Rheni fluminis in Germaniarum oppidis, illicque habitaverunt cum Principibus suis Marcomire et Sunnone. Intereà ante biennium Romæ irruptionis excitatæ per Stiliconem, Castinus Domesticorum Comes expeditionem cepit contra Francos, eosque proterit. Rhenum transeunt, Gallias invadunt, Pyreneum usque perveniunt.

An. 406.

* An. 410. Post captam Romam, et * mortem Alarici, regnum Gothorum bifaria divisione partitur : et qui in Italia consederunt, ditioni Imperii Romani se tradunt : reliqui

An. 412. Aquitaniâ Provinciâ civitatem Tolosam sedem regni sui eligunt, in qua regnavit Ataulphus.

* Gallæciam. An. 411. Anno XVI. Honorii Imperatoris, Wandali Galatiam * occupant, et Suevi in extre- E mitate succedunt. Alani Lusitaniam et Carthaginensem Provincias, Wandali cognomento Silingi Beticam sortiuntur.

An. 414. Anno ab urbe condita MCLXVIII. Constantius Comes Gothos à Narbona expulit, et in Spania ire coëgit, intercluso omni commercio Ataulpho regnante, qui Alarico successerat. Qui exhortante Placidia uxore sua sorore Honorii, pacem cum

An. 415. Romanis facere peroptabat. Qui ob hoc dolo suorum Barcinonam occisus est. Cui successit Segericus, qui cùm ad pacem et hic pronus esset, à suis interfectus est. Huic Valia in loco successit, ob hoc à Gothis electus ut pacem infrangeret, ad hoc ordinatus à Deo ut pacem firmaret : territus judicio Dei ad hoc maximè, quòd superiori anno Gothi cum classe instructa armis in Africam transire moliuntur, in XII. millia passuum Gaditani freti demersi sunt. Pacem cum Honorio datis obsidibus pepigit. Placidiam Honorii sororem honorificè habitam reddidit. Romana se-

(a) Fabulosa hæc origo.

curitate

A curitate periculum suum obtulit, ut adversùs Gentes quæ per Spanias consederant pugnaret, et Romanis vinceret. Alani quoque, Wandali, Suevi mandaverunt Honorio : *Tu cum omnibus pacem habe, obsides accipe, nos nobis confligimus.*

Constantius Comes Placidiam duxit uxorem. Fredobadum Regem Wandalorum sine ullo certamine ingeniosè captum ad Honorium destinat. An. 417.

Anno xxvii. Imperii Honorii Wandali per Beticam à Valia Rege Gothorum plurimi sunt extincti. Alani adeò cæsi à Gothis fortiter vallati, Addaser Regem ipsorum *. Pauci qui superfuerant obliti regni nominis, Gunderico Rege Wandalorum se patrocinio subjugaverunt.

Valia Rege Gothorum defuncto, Theudericus succedit in regnum. An. 419.

Franci multis temporibus cum Ducibus suis externas dominationes negantes transegisse comperimus, usque ad Marcomire, Sunnone, et Genobaudum, Duci-
B bus eorum. Cum quibus temporibus Theodosii Imperatoris in Germania prorumpentes, pagos depopulantes, etiam Coloniæ, metum incusserant. Quòd cùm Treveris perlatum fuisset, Nannius et Quintinus Magistri militum collectum exercitum, Francos de Germania ejecerunt. Apud Carbonariam de Francis strages fuit. Defuncto itaque Sunnone in eodem prælio, accepto consilio in mo..... Primates eorum ut unum haberent Principem petierunt consilium ipsi Marcomiro, ut Regem unum haberent, sicut et ceteras Gentes. Ille dedit eis consilium, ut eligerent Faramundum filium ipsius Marcomiri, et levarent eum in Regem super se ex genere Priami crinitum. Tunc et Legem habere cœperunt, quam Consiliarii eorum priores his nominibus Windogast, Visogast, Arogast, Soligast, in villabus Germaniæ Idsleo, Jubothagin, et Windigagin *, tractaverunt. Circa an. 418.

* *forte corrigendum* sunt in Bothagim.

Mortuo quippe Faramundo, Clodionem filium ejus crinitum in regnum patris
C elegerunt. Venientesque sagaciter in finibus Toringorum in regione Germaniæ, Clodio Rex misit exploratores de Dispargo usque ad urbem Camaracum. Cùmque perlustrassent omnia, ipse cum multo exercitu Rhenum transiit, multo populo Romanorum prostrato fugavit. Carbonariam silvam ingressus, urbem obtinuit, et exinde usque ad Camaracum urbem properavit. Ibique interfecto multo populo Romano urbem capit; pauco tempore repedit, et exinde usque in Sumam fluvium occupavit. Circa an. 428.

Clodione Rege defuncto (regnavit autem annis xx.) Meroveus in regno sublimatus est, à quo Reges Francorum Merovingi vocantur. An. 447.

Anno iii. * Martiani Avitus Gallus ab exercitu Gallicano primò Tholosa, dehinc apud Arelato Augustus appellatur Romanorum. * VI. An. 455.

D Apud Francos mortuo Meroveo successit in regnum filius ejus Childericus. An. 456. Trevirorum (a) civitas factione uni ex Senatoribus nomine Lucio, à Francis capta est et incensa. Cùm Avitus Imperator esset luxuriæ deditus, vi opprimens uxorem Lucii, in crastino surgens de strato Avitus dixit ad Lucium : *Pulchras thermas habes, nam frigido lavas.* Hæc indignato Lucio, sua factione direpta est civitas, et incensa à Francis. His diebus ceperunt Franci Agrippinam civitatem super Rhenum. Vocaverunt eam Coloniam, populo multo interfecto. Egidiusque exinde per fugam elapsum evasit. An. 464. *Greg. Turon. l.* 2. *c.* 18.

Childericus Rex Francorum commoto exercitu usque Aurelianis civitatem perrexit, terras illas vastans. Athovagrius Rex Saxonum cum hoste navale Andegavis
E civitate venit : magna tunc cæde populi (b) vallavit. Athovagrius itaque de Andegavis vel aliis civitatibus obsides accepit. Redeunte Athovagrio, Childericus Rex cum exercitu Francorum ibidem advenit, interfecto Paulo Comite, qui in ipsa urbe præerat, ipsam urbem capit.

Eo tempore mortuus est Childericus Rex Francorum. Regnavit annis xxiv. Regnavitque Clodoveus filius pro eo. An. 481.

Anno secundo Antimii in medio Tholosæ civitatis sanguis erupit de terra, et tota die fluxit : significans Gothorum dominationem sublatam, Francorum adveniente. An. 468.

Apud Tolosam regnavit Eoricus super Gothos post Theodericum. Anno xiv. regni sui Basilicam sancti Juliani Brivate columnis ornatam mirificè construxit. An. 467.

Anno v. Chlodovei Regis Francorum, super Siagrium Regem filium Egidii, qui Saxonias * civitatem, quem pater ejus, tenuerat, Clodoveus irruit. Sia- An. 486. * Suessionas.

(a) Hæc Treverorum eversio ad annum 411. vel 412. retrahenda; et quæ hîc de Avito dicuntur, Jovino tribuenda sunt.

(b) Leg. *populum vastavit.*

grius fugit ad Alaricum, qui regnum Gothorum apud Tolosam habebat. Clodoveus verò Missos suos ad Alaricum transmisit, ut redderet Siagrium. Ille verò Siagrium vinctum Legatis Clodovei tradidit. Qui cùm præsentatus fuisset Clodoveo, custodiæ mancipavit. Regnoque ejus et thesauris acceptis, eum interficere præcepit. Eo tempore multæ Ecclesiæ deprædatæ sunt à Francis, eò quòd Pagani essent. A

An. 491. Anno x. regni sui Clodoveus commoto exercitu, in Toringam abiit, ipsos quoque Toringos plaga magna prostravit : devictoque ipse populo, tributarios fe-
An. 496. cit Francorum. Similiter Alamannos tributarios fecit. Hic Clodoveus primus Rex fuit Christianus ex Regibus Francorum ; baptizataque de populo ejus ampliùs quàm
An. 500. tria millia in Pascha Domini. Posthæc Burgundiones tributarios fecit. Gothos ab
An. 507. Aquitania expulit, interfecto Alarico Rege ipsorum. Regnum suum maximè per totas Gallias dilatavit. B

An. 508. Clodoveus Rex Francorum post interfectum Alaricum ab Aquitania revertens Turonis civitatem, ab Anastasio Imperatore Codicillos accepit, et pro Consulatu tunica blatea indutus in Ecclesia beati Martini, et Coronam auream, ab ea die tanquam Consul apud Augustum est appellatus.

An. 511. Anno v. post Alaricum interfectum moritur Chlodoveus : regnavitque annis xxx. A transitu S. Martini usque ad transitum Clodovei Regis fuerunt anni CXII.

Quatuor filii Clodovei, id est Theudericus, Clodomirus, Childebertus et Clotarius, regnum ejus æquo ordine inter se diviserunt. Sortitus est sedem Theudericus Metis, Clodomirus Aurelianis, Childebertus Parisius, Clotarius Suessionas.

* Chlothildem. Amalaricus filius Alarici regnabat super Gothos. Filiam * quoque Clodovei acceperat in matrimonio : qui posteà apud Barchinonam à Childeberto et Francis
An. 531. occisus est. C

An. 524. Clodomirus post interfectum Sigismundum filium Gumbaldi, ipse posteà acceptus (a), capite truncatus ; regnumque ejus Clotarius accepit, interfectis filiis ejus.

An. 534. Theudericus anno XXIV (b) regni sui moritur : regnavitque Theudebertus filius ejus pro eo.

An. 531. In Spanias post Amalricum Theoda regnum super Gothos accepit. Quo interfecto,
* An. 548. Theodegisilus regnum assumit. Qui dum ad Ernam * lætus cœnaret, extinctis cereis à
An. 549. suis occiditur. Cui Agila succedit in regnum.
An. 534. In Italia post Athalaricum Theudatus regnum ambivit. Quo defuncto (c), Totilla successit in regnum. Contra quem Justinianus misit Narsetem Eunuchum, et
An. 552. Belissarium ; à quibus Totilla interficitur : regnumque Gothorum in Italia destructum est. D

An. 539. Posthæc Theudobertus Rex Francorum cum exercitu in Italiam ingreditur, eamque maritimis terminis cunctam depopulatus, Narsetem Patricium fugavit. Posteà Buccellinus Dux jussu Theodeberti Siciliam occupavit totam, et Italiam dominans. Agilane in Spania regnante, exercitus Imperialis Spanias ingredi-
An. 554. tur. Agila interficitur. Cui successit in regno Athanagildus, qui ab Spania exercitum Imperii expulit.

An. 547. Theodebertus vexatus à febre moritur anno XIV. regni. Cui successit in regno Theobaldus filius ejus.

Buccellinus in Italia apud Belissarium et Narsetem Patricios sæpiùs fortiter dimicans, in fugam vertit, eorumque exercitum proterit. Tandem infirmatus à profluvio ventris exercitus suus, ea infirmitate adtritus, Belissario jam interfecto, à Narsete
An. 553. superatur et interficitur. E

Ipso anno Theudobaldus (d) obiit, regnumque ejus Clotarius accepit anno ab Incarnatione Christi DXXVIII. juxta cyclum verò Victorii anno DXXXII.

An. 558. Childebertus Rex apud Parisios obiit. Cujus thesauros et regnum assumpsit Clotarius.

An. 561. Clotarius Rex apud Compendii villam anno LI. regni sui vexatus à febre obiit.

Aribertus, Gundranus, Chilpericus et Sigobertus regnum patris dividunt. Dedit

(a) Leg. *posteà captus, capite truncatur.*
(b) Corrig. *anno XXIII.*
(c) Theodato anno Christi 536. occiso successit Vitiges ; quo à Belisario capto an. 540. Rex Gothorum creatus est Ildibaldus, cui interemto an. 541. successit Eraricus, qui eodem anno peremtus est : cujus in locum suffectus est Totilas, qui anno 552. interfectus est.
(d) Mortuus est Theodebaldus anno 553. Auctor hujus Chronici malè ut plurimùm annos Christi cum morte Regum Francorum copulat.

A sors Ariberto regnum Childeberti, Parisius sedem habens. Gundranus verò regnum Clodomiri, sedem habens Aurelianis. Chilpericus regnum Clotarii patris sui, cathedram Suessionis habens. Sigobertus quoque regnum Theodorici, sedem habens Metis.

Athanagildo Rege Spaniæ defuncto, Leuvigildus regnum ejus obtinuit. An. 567.

Sigobertus Rex Francorum à duobus pueris dolo Chilperici fratris interficitur anno XIV. regni sui. A transitu Theudeberti usque ad exitum Sigoberti anni sunt XXVIII (a). A principio usque ad obitum Sigoberti juxta LXX, anni sunt V. M. DCCLXVII (b). 575.

Childebertus filius Sigoberti in regno patris sublimatur.

Chilpericus anno XXIII. regni sui interficitur. Cùmque Gundranno fratri ipsius perlatum fuisset, eò quòd frater suus Chilpericus esset interfectus, festinans perrexit 584.
B Parisius, ibique Clotarium filium Chilperici ad se venire præcepit. Quem baptizare jubet, eumque de sancto lavacro suscipiens in regno patris firmat.

Anno XXXIII. regni Gundranni, sub die V. Kal. Aprilis, ipse Gundrannus Rex moritur. Cujus regnum Childebertus assumpsit, qui posteà in Italiam (c) abiit. Et Longobardi se suæ ditioni commendant. Gloriosè exinde Childebertus revertitur. Acceperat enim priùs à Mauricio Imperatore quinquaginta millia aureorum, ut Longobardos de Italia expugnaret. Sed non solùm eis non nocuit, sed amicitias cum ipsis munivit. 593.

Anno III. postquam Childebertus Rex Francorum regnum Gundranni acceperat, defunctus est. Regnumque ejus Theodebertus et Theodoricus filii ejus assumunt. 596.

Anno XII. regni Clotharii, Theodebertus sortitus est Austriam, sedem habens
C Metis. Theudericus autem accepit regnum Gundranni in Burgundia, sedem habens Aurelianis.

Anno XVII. Theuderici Regis Francorum, qui erat XXVIII. Clotarii, Theudericus devictum fratrem suum Theudebertum Cavillonum destinat. 612.

Anno XVIII. Theudericus Metis profluvio ventris moritur. Brunichildis avia ejus cum filiis ipsius Theuderici Metis residens, Clotarius super eam irruens, ea capta cum filiis Theuderici, interfecti sunt. Ipsam Brunichildem per triduum diversis pœnis affectam, jubetque eam camelo sedentem per omnem exercitum perducere; post hæc omnia (d) capitis, uno pede et brachio ad vitiosissimo equo caudâ ligare: ibique calcibus velocitate cursûs membratim disrupitur. Firmatumque omne regnum Francorum, sicut à Clotario fuerat dominatum, cum omnibus thesauris ditioni Clotarii Junioris subjicitur, anno XXVIII. regni sui, quod feliciter post XVI. 613.
D annos tenuit.

Anno XXXV. regni Clotarii, Legati tres nobiles ex genere Longobardorum, Augustus (e), Pompeius et Canto, à Gone Rege ad Clotarium destinati, petentes ut XII. millia solidorum, quos annis singulis Francorum ærariis dissolvebant, cassarentur. Clotarius ipsa tributa ad partem Longobardorum cassavit, et amicitiam perpetuam cum Longobardis sacramentis et pactis firmavit. 618.

Anno XXXVIII. regni sui Clotarius filium suum Dagobertum consortem regni fecit, eumque super Austrasiis Regem constituit. 622.

Anno XLV. regni sui Clotarius moritur, regnumque ejus filii ejus Dagobertus et Airibertus. . . . . frater ejus moritur, omneque regnum Dagobertus suæ ditioni redegit. 628. 630.

Heraclius Imperator, cùm esset litteris minimè eruditus, Astrologus efficitur. Per
E quod cernens à circumcisis Gentibus divino nutu Imperium esse vastandum, ad Dagobertum (f) Regem Francorum dirigens, petiit ut omnes Judæos regni sui ad fidem Catholicam baptizandos præciperet. Quod protinus Dagobertus adimplevit. Heraclius per omnes provincias Imperii sui talem idemque facere decrevit. Ignorabat unde hæc calamitas contra Imperium surgeret.

(a) *XXVIIII.* apud Gregorium in fine libri 3. et apud Fredegarium in Epitome cap. 73.

(b) Apud Fredegarium loco cit. *V. M. DCCLXXIV.*

(c) Jam ante obitum Guntramni abierat in Italiam Childebertus, contra Longobardos pugnaturus, anno scilicet 590.

(d) Corrig. *Posthæc coma capitis uno pede et brachio ad vitiosissimi equi caudam ligare.* Sic habet Fredegarius in Chronico cap. 42.

(e) Apud Fredegarium in Chron. cap. 45. *Agiulfus, Pompegius et Gauto ab Agone Rege.* Verùm Ago Rex Longobardorum jam supremum diem obierat anno 616.

(f) Si Dagobertus Judæos ad baptismum suscipiendum coëgit, id Heraclii Imperatoris rogatu factum non fuisse, probat Pagius ad an. 614. num. 42.

Anno v. Heraclii, et viri religiosissimi Gothorum Principis Sisebuti, in Spania Judæi baptizantur. A

An. 631. Anno x. regni Dagoberti, cùm ei nunciatum fuisset exercitum Winidorum Toringa fuisse ingressum, cum exercitu de regno Austrasiorum de Metis urbe promovens, Mogontiam adgreditur, disponens Rhenum transire. Saxones Missos ad Dagobertum dirigunt, petentes ut eis tributa, quæ fisci ditionibus dissolvebant, indulgeret. Winidis resistere spondent, et Francorum limites de illis partibus custodire promittunt. Quod Dagobertus præstitit. Exinde jam Saxones tributa, quæ reddere consueverant, per præceptionem Dagoberti habent indultum. Quingentas vaccas inferendales annis singulis à Chlotario seniore censiti solvebant.

633. Anno xi. Dagoberti, Sigobertum filium suum in Austria sublimavit, sedemque Metis civitate habere permisit.

638. Anno xvi. regni sui Dagobertus profluvio ventris moritur. B

Post Dagoberti decessum, filius ejus Chlodoveus sub tenera ætate regnum patris adscivit anno ab Incarnatione Christi dcxli. Indictione iv. (a) Omnes Leudes de Neuster et de Burgundia anno ix. Masolago villâ eum sublimant in regnum. Æga verò cum Regina Nantilde, quam Dagobertus reliquerat, condignè Palatium gubernat, et regnum Francorum.

640. Anno iii. regni Clodovei Æga Cligiago villa vexatus à febre moritur. Cui succedunt, Hirchinaldus in Neustria, et Flaucatus in Burgundia. Eo anno Pippinus Ma-

* An. 639. jor-domûs in Palatio Sigoberti moritur *. Otto, qui bajulus Sigoberti fuerat, in loco

642. ejus substituitur. Otto à Leutherio Duce Alemannorum interficitur. Gradum honoris Majorem-domûs in Palatio Sigoberti, et omne regnum Austrasiorum in manum Grimaldi filii Pippini confirmatum est vehementer. Decedente verò tem- C

656. pore, defuncto Sigoberto, Grimaldus Major-domûs filium Sigoberti nomine Dagobertum totondit, volensque filium suum constituere in Regnum. Franci verò valde indignantes, Grimaldo insidias præparant, eamque eximentes ad condemnandum Regi Francorum Clodoveo deferunt. In Parisius civitate in carcere retruditur, ibique moritur.

656. Clodoveus anno xviii. regni sui moritur, regnavitque filius ejus Clotarius pro eo, anno ab Incarnatione Christi dclviii. Indictione ii. Eodem tempore defuncto Herchinoaldo Majore-domûs, Franci Hebroïnum in locum ejus statuunt.

In Francia defuncto Clotario, qui regnavit annis iv. (b), Theodoricus et Childericus fratres ejus sublimantur in regno. Theodoricus in Francia, habens Majorem-

670. domûs Hebroïnum : Childericus verò in Austria, cum Walfardo Duce. Eo tempore Franci adversùs Hebroïnum insidias parant, super Theodoricum consurgunt, D eumque à regno dejiciunt. Crines ejus incidunt, Hebroïnum verò totonderunt, eumque Luxovium Monasterio in Burgundia dirigunt. In Austria propter Childericum Legationem mittentes accommodant, et unà cum Walfardo Duce veniens, in regnum Francorum elevatus est. Erat autem ipse Chilpericus levis, omnia nimis incautè peragebat : donec inter eos odium maximum et scandalum crevit. Francos verò valde opprimens. Ex quibus uno Franco nomine Bodilone ad stipitem tensum cædi valde sine lege præcepit. Hæc videntes Franci irâ commoti, Ingobertus videlicet et Amalbertus, et reliqui majores natu Francorum seditionem contra Childericum concitantes, Bodilo cum reliquis super Regem surgens, eum interfecit,

673. unà cum Regina prægnante. Walfardus quoque per fugam vix evadens, in Austriam reversus est. Franci verò Leudesium filium Hercinaldi Majorem-domatum E Palatii elegerunt. Hebroïnus itaque accepto consilio, capillos crescere sinens, congregatis in auxilium sociis hostiliter è Loxovio Cœnobio egressus, in Francia reversus, cum magno armorum apparatu de nocte surrexit, commoto exercitu usque

* Isaram. Ysiram * fluvium veniens, interfectis custodibus ad sanctam Maxentiam Ysiram transiens, ibi quos reperit de suis insidiatoribus occidit. Leodesius unà cum Theodorico Rege et sociis quam plurimis, per fugam evasit. Hebroïnus eos persequutus est. Baccio villa veniens thesauros regales apprehendit. Deinde Crisiaco veniens

674. regnum recepit, Leodesio data fide, sub dolo ad se venire mandavit. Quo facto, Leodesium interfecit, ipse Principatum sagaciter recepit. Sanctum Leodegarium Augustidunensem Episcopum diversis pœnis afflictum gladio peremit. Gyrinum fra-

(a) Corrig. *Indictione XIV*.

(b) Clotharius annos 14. regnavit; solus quatuor annis Monarchiam obtinuit, post quos Childericus Rex Austrasiæ factus est, anno scilicet 660. Vide Continuatorem Fredegarii capp. 94. 95. etc.

A trem ejus dira pœnâ damnavit. Reliqui verò Franci eorum socii per fugam vix evaserunt. Nonnulli verò in exilio retrusi, aliquanti à propriis facultatibus privati sunt.

Eo quoque tempore, decedente Walfardo de Austria, Pippinus (a) et Martinus, decedentibus Regibus, dominabantur in Auster. Hi Duces in odium versi contra Hebroïnum (b) aciem dirigunt. Contra quos Theudericus et Hebroïnus cum hoste occurrunt loco nuncupato Lucofao, simulque conjuncti se invicem cæde magna prostraverunt. Corruitque ibi infinita (c) turba populi. Austrasii victi, in fugam versi. Hebroïnus eos cæde crudelissima insequutus, maximam (d) partem ex illa regione vastavit. Martinus per fugam elapsus Laoduno (e) regressus, illuc se reclusit. Pippinus verò altrinsecus evasit. Hebroïnus itaque parta victoria, reversus est. Veniens cum exercitu Creiaco (f) villa, ad Martinum Nuntios misit, et data sacramenta ut cum fiducia ad Regem Theodericum veniret, dolosè ac fallaciter super vacuas
B capsas (g) se jurante. Martinus eos credens, ab Erciaco (h) villa veniens, ibique cum sociis suis interfectus est. Hebroïnus itaque Francos magis ac magis crudeliter opprimens, dum Ermenfredo Franco insidias pararet, Ermenfredus quoque per noctem clam super eum consurgens atrociter, præfatum Hebroïnum interfecit. Ad Pippinum in Auster (i) fugiens, evasit. Franci verò, consilio accepto, Waratonem virum illustrem in loco Hebroïni cum jussu Regis Majorem-domûs constituunt. Accepit ipse Warato inter hæc obsides à prædicto Pippino, et pacem cum eo iniit. Erat autem eidem Waratoni filius efficax industriusque, feroci animo et acerbis moribus, insidiator patris sui, eumque ab honore supplantans, eratque nomen ejus Gislamaris *. Cui beatus Audoënus Rotomagensis Episcopus prohibuit, ne hanc nequitiam contra patrem suum faceret : quod ille audire contempsit. Fueruntque inter ipsum Gislamarem et Pippinum bella civilia, et multa discordia. Qui ob injuriam pa-
C tris, et alia crudelia peccata à Deo percussus, iniquissimam exsufflavit animam (k) juxta quod Audoënus prædixerat. Illoque defuncto, Warato iterum honorem pristinum nactus est.

In his diebus beatus Audoënus Rotomagensis Episcopus plenus dierum, ac virtutibus præclarus, Clippiaco (l) villa Regali in suburbana Parisiorum civitate migravit ad Dominum.

Succedente quippe curriculo temporum prædictus Warato defunctus est, Franci in diversa oberrantes, Bercharium [in] Majoremdomatum (m) statuunt.

In illis diebus Pippinus ab Auster consurgens cum exercitu, contra Theudericum Regem Francorum et Bercharium aciem dirigit. Convenientibus ad prælium in loco nuncupante Textricio, illisque inter se belligerantibus, Theudericus Rex et Bertcarius terga verterunt. Pippinus quoque victor extitit. Succedente (n) itaque tempore
D Bertcarius ab adulatoribus suis occiditur. Post hæc Pippinus sub Theodorico Rege cœpit ipse principali regimine Major-domus. Thesauris acceptis, Nordoberto (o) quondam de suis cum Rege relicto, ipse in Auster remeavit. Erat quippe Pipino Principi nobilissima uxor et sapiens nomine Plectrudis. Ex ipsa genuit filios duos. Nomen majoris Drocus, nomen minoris Grimaldus. Drocus Ducatum Campaniæ accepit.

Eo tempore Theodericus Rex obiit, regnavitque annis XIX (p). Clodoveus filius ejus puer regnum suscepit, regnavitque annis II (q); post quem Childebertus frater ejus in regno statutus est. Eo tempore Nordobertus moritur. Grimaldus filius Pipini junior in Aula Regis Childeberti Major-domûs effectus est. Grimaldus quoque genuit filium ex concubina, Theodaldo nomine.

An. 679. et 680.

681.

683.

* Gislemarus.

684.

684.

686.

687.

691. 695.

(a) Sic incipit codex olim Rivipullensis, nunc Regius. *Incipit Genealogia, ortus, vel actus, sive vita Caroli gloriosi atque piissimi Imperatoris. In temporibus illis anno ab Incarnatione Domini DCCLXX. decedentibus Regibus de Gallia, Pipinus et Martinus potentissimi Duces dominabantur in Austria.* Obiit Clotharius anno 670. Childericus anno 673.

(b) Cod. Reg. *contra Ebroïnum Præfectum Galliæ aciem dirigunt : contra quos Theodericus Rex Francorum et Ebroïnus Præfectus cum hoste cucurrerunt loco nuncupante Locustio.*

(c) Ita cod. Reg. In edito, *infima turba.*

(d) Cod. Reg. *maxima parte..... vastata.*

(e) Cod. Reg. *Lauduno regressus, illic..... patrata victoria.*

(f) Corrig. *Erciaco*, ut paulò pòst. Cod. Reg. *Herciaco.*

(g) Sic legimus cum cod. Regio Codex Moissiac. *sacramenta cum..... se jurant.*

(h) Corrig. *ad Erciaco villa*, pro, *ad Erciacum villam.* Cod. Reg. *Herciaco villa*, tantùm.

(i) Cod. Reg. *in Austria :* sic semper *Austria* pro *Auster.*

(k) Cod. Reg. *iniquissimum spiritum exhalavit.*

(l) Idem, *Chilpiaco.*

(m) Idem, *Berthcarium in majorem dominatum constituunt.*

(n) Sic codex Reg. In cod. Moiss. *cedendum itaque tempori. Betgarius.*

(o) Cod. Reg. *Nodverto quodam.*

(p) Sic cod. Reg. Malè in Moiss. *XVI.*

(q) Sic etiam cod. Reg. Corrigendum, annis v. hi enim duo numeri 11. et v. propter similitudinem facilè à Librariis commutantur.

An. 708. Eo tempore Drocus Pipini filius defunctus est. Habebatque Pipinus præfatus Princeps filium ex alia uxore nomine Alpagede (a), Karolum nomine, virum elegantem, egregium atque utilem. A

Pipinus Princeps multa bella gessit contra gentes plurimas.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCX. Pipinus migravit ad Alamanniam.

710. Anno DCCXI. aquæ inundaverunt valde. Tunc enim bonæ memoriæ gloriosus Chil-
711. debertus (b) Justus migravit ad Dominum anno XVIII. regni sui, regnavitque Dagobertus filius ejus pro eo.

Anno DCCXIII. Igitur Grimaldus habebat uxorem, nomine Tudindam (c) filiam Radbodi Ducis Gentilis. Ægrotante (d) quippe Pippino Principe, dum ad eum visitan-
714. dum ipse Grimaldus accessisset, in basilica sancti Lamberti Martyris Leodico peremptus (e) est à Ragngario Gentile. Theodaldus verò filius ejus, jubente avo, in Aula Regis honore patris sublimatur. B

715. Anno DCCXIV. Ab Incarnatione Domini, Pipinus febre valida correptus obiit. Obtinuerat Principatum annis XXVII. Plectrudis relicta Pipini cum nepote suo Theodaldo, vel Dagoberto Rege cuncta gubernabat sub discreto regimine.

Anno DCCXV. Franci denuò in Cottia silva contra Theodaldum et Austrasios irruunt, ac sese mutuò durissima cæde prosternunt. Theodaldus autem per fugam lapsus, ereptus est : Ipsoque fugato, Raganfredum Majorem-domûs elegerunt. Qui commoto (f) à rege Dagoberto exercitus, Carbonariam silvam transeuntes, usque Mosam fluvium terram silvasque vastantes, succenderunt. Cum Rathbode Duce Gentili amicitias feriunt. Karolus verò filius Pipini in his diebus à Plectrude sub custodia tenebatur : sed auxiliante Domino vix evasit.

Eo tempore Dagobertus Rex ægrotans mortuus est, anno II (g) regni sui. Franci C verò Danielem quemdam Clericum, cæsarie capitis crescente, in Regem stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant.

Luitbrandus Rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Heribertus Rex fecerat, et ille repetierat, admonitione venerabilis Papæ Gregorii confirmavit.

711. His temporibus in Spania super Gothos regnabat Witicha, qui regnavit annis VII. et menses III. Iste deditus in feminis, exemplo suo Sacerdotes ac populum luxuriosè vivere docuit, irritans furorem Domini.

720. Sarraceni tunc in Spania ingrediuntur. Gothi super se Rudericum Regem constituunt. Rudericus Rex cum magno exercitu Gothorum Sarracenis obviam it in prælio : sed inito prælio Gothi debellati sunt à Sarracenis. Sicque regnum Gothorum in Spania finitur. Et infra duos annos Sarraceni penè totam Spaniam subjiciunt. D

Soma (h) Rex Sarracenorum, nono anno postquàm Spaniam regressi sunt, Narbonam obsidet, obsessamque capit, virosque civitatis illius gladio perimi jussit : mulieres verò et parvulos captivos in Spaniam ducunt. Et in ipso (i) anno mense tertio ad obsidendam Tolosam pergunt. Quam dum obsiderent, exiit obviàm eis Eudo Princeps Aquitaniæ cum exercitu Aquitanorum vel Francorum, et commisit cum eis prælium. Et dum præliare cœpissent, terga versus est exercitus Sarracenorum, maximaque pars ibi cecidit gladio. Ambisa Rex Sarracenorum cum

(a) Cod. Reg. *Alpaigde.*

(b) Hîc optimè copulatur mors Childeberti cum anno Christi 711. sed reponendus annus XVI. vel XVII. Malè in codice Reg. *anno XII.*

(c) Cod. Reg. *Thusinda.*

(d) Sic cod. Reg. Malè in Moiss. *Excitante quippe.*

(e) Eodem anno interemtus est Grimoaldus, quo ejus pater Pipinus mortuus est. Cod. Reg. *á Raganario.*

(f) Ita cod. Reg. Malè in Moiss. *Regis Dagoberti exercito.*

(g) Corrig. *V.* Malè in cod. Reg. *VI.*

(h) Aliàs, *Zema.* Cod. Reg. *Sema Rex Sarracenorum post nono anno quàm in Spania ingressi sunt Sarraceni, etc.* Ita quoque se legisse in veteri codice Colbertino testatur Baluzius in Nota ad lib. 3. Marcæ Hispanicæ cap. 1. num. 8. additque ita etiam haberi in vetustis Annalibus Ananiensis Monasterii. Pagius, qui putat Sarracenos ex supputatione Isidori Pacensis anno 711. Hispanias in suam potestatem redegisse, et Narbonem anno 721. obsedisse, loco, *post nono anno*, censet legendum, *post undecimo anno;* vel potiùs Chronographum annum illum nonum ab anno 712. exordiri, excluso scilicet anno ingressûs Sarracenorum : qui numerandi modus, inquit, ab aliis scriptoribus etiam usurpatur. Novæ Historiæ Occitaniæ Auctores, Josephum Perezium Benedictinum Hispanum secuti, Sarracenorum ingressum in Hispanias in anno etiam 711. post diem 19. Octobris collocant, atque ideò *nonum annum* auspicantur à die 19. Octobris anni 719. Narbo igitur nec obsessus nec captus anno 721. sed vel exeunte anno 719. vel anno 720. ante diem 19. Octobris. Et certè Omarus II. Sarracenorum Calipha, qui, ut probat Pagius, mortuus est mense Februario an. 720. hujus urbis potiebatur, ut discimus ex Charta relata in Appendice Marcæ Hispanicæ pag. 802. in qua hæc habentur : *Tempore quod regnavit Aumar, Ibin-Aumar regente Narbone.*

(i) Cod. Reg. *Et in mense tertio*, deest *ipso anno.* Si igitur ipso anno, quo captus est Narbo, obsessa est Tolosa, hæc obsidio protracta fuerit usque ad annum 721. ad quem veteres Chronographi cædem Sarracenorum referunt.

A ingenti exercitu post quintum (a) annum Gallias aggreditur, Carcassonam expugnat et capit, et usque Nemauso pace conquisivit, et obsides eorum Barchinona transmisit. An. 725.

Anno ab Incarnatione Domini DCCXVI. Franci exercitum movent usque Mosam fluvium contra Karolum. Ex alia parte Frisones cum Rathbode Duce consurgunt. Karolus quoque super Frisones irruens, maximum dispendium de suo exercitu perpessus, atque per fugam dilapsus abscessit (b). 716

Anno DCCXVII. (c) iterum Chilpericus cum Raganfredo vel Francis hoste commota, Ardinam silvam ingressus, usque Renum fluvium vel Colonia civitate pervenerunt, vastantes terras. Thesauro multo à Plectrude matrona accepto, reversi sunt, sed in loco, qui dicitur Amblava, Karolo in eos inruente, maximum dispendium perpessi sunt. 716.

Eodem tempore prædictus Karolus, exercitu commoto, iterum contra Chilperi- 717.
B cum vel Raganfredum consurgens : contra quem illi hostem colligunt, bellum præparantes accelerant : sed pacem Karolus postulat. Illisque contradicentibus, ad prælium egressi sunt in loco qui dicitur Viciaco (d), Dominica die illucescente, XII. Calendas Aprilis, illisque fortiter bellantibus, Chilpericus cum Raganfredo terga vertit. Karolus victor exstitit, regiones illas vastatas atque captivatas. Itemque cum multa præda in Austria reversus, Colonia civitate veniens, ibique seditionem movit, cum Plectrude matrona disceptans, et thesauros patris sui sagaciter recepit, regemque ibi statuit, nomine Clotarium.

Chilpericus itaque vel Raganfredus Eudonem Ducem expetunt in auxilium, qui movens exercitum, contra Karolum perrexit. At ille constanter occurrit ei intre- 719.
pidus. Sed Eudo fugiens Parisius civitate regressus, Chilpericum Regem cum thesauris regalibus sublatum, ultra Ligerim recessit. Karolus enim persecutus, non
C reperit eum. Clotarius quidem memoratus Rex eo anno obiit. Interea Radbodus Rex moritur. Annoque insequente Karolus legationem ad Eudonem dirigens, ami- 720.
citiasque cum eo faciens : ille verò Chilpericum Regem cum multis muneribus reddidit. Mortuus quidem est Noviomo civitate, regnavitque annis V. Franci verò Theodosium (e) filium Dagoberti Regis junioris super se statuunt in Regem.

Anno DCCXXV. Sarraceni (f) Augustudunum civitatem destruxerunt IV. feria, 725.
XI. Calendas Septembris, thesaurumque civitatis illius capientes, cum præda magna Spania redeunt.

Anno DCCXXXI. Karolus vastavit duas vices ultra Ligerim, et Raganfredus 731.
moritur.

Anno DCCXXXII. Abderaman Rex Spaniæ cum exercitu magno Sarracenorum 732.
per Pampelonam et montes Pireneos transiens, Burdigalem civitatem obsidet. Tunc
D Eudo Princeps Aquitaniæ, collecto exercitu, obviàm eis exiit in prælium super Garonna fluvium. Sed inito prælio, Sarraceni victores existunt : Eudo verò fugiens, maximam partem exercitûs sui perdidit : et ita demum Sarraceni Aquitaniam depræ-dare cœperunt. Eudo verò ad Karolum Francorum Principem veniens, postulavit ei auxilium. Tunc Karolus, collecto magno exercitu, exiit eis obviàm; et inito prælio in suburbio Pictavensi, debellati sunt Sarraceni à Francis : ibique Rex Abderaman cecidit cum exercitu suo in prælio : et qui remanserunt ex eis, per fugam reversi sunt in Spania. Karolus verò, spolia accepta, cum triumpho gloriæ reversus est in Francia.

Anno DCCXXXIV. Karolus ingressus est in Frisia cum exercitu magno, delevit eam 734.
usque ad internecionem, ac suo subjugavit imperio (g). His temporibus Jussephibin Abderaman Narbona præficitur. Alio anno Rodanum fluvium transiit. Arelate civi-

(a) Cod. Reg. *post quinto anno:* nempe à prælio Tolosano, in quo Zama ejus decessor periit. Zama et Ambisa Reges dicuntur : sic enim etiam vocabantur Sarracenorum Præfecti.

(b) Hic in codice Moissiac. multa desunt folia, quæ infeliciter dilacerata fuerunt, ab anno nimirum 717. usque ad annum 776. Ea supplemus ope codicis Regii.

(c) Corrig. *DCCXVI. Hoste*, id est, *exercitu*. Leg. *Ardennam*, vel *Arduennam*.

(d) Corrig. *Vinciaco*.

(e) Corrig. *Theodoricum*. Ita habet Gervasius Tisleberiensis.

(f) Vastationes, quas Sarraceni Burgundiæ ad dextram Araris Rhodanique ripam intulerunt, quasque nostræ ætatis scriptores ad annum 731. referunt, cum hoc anno 725. illigandæ sunt. Annum quidem 731. signat Joannes Monachus Besuensis in Chronico sui monasterii : *Tertia vice*, inquit, *devastatum est Monasterium à Saracenis, quando Augustidunum civitatem destruxerunt ab Incarn. Domini DCCXXXI.* sed potior fides habenda est Chronographo Moissiacensi, qui hujus urbis direptionem tribuit anno 725.

(g) Gervasius Tisleber. *Nec mora Jussepibin Abderamonis Regis in Narbona Præfectus Arelatensem civitatem invadit, et Provinciam vastat.*

tate pace ingreditur, thesaurosque civitatis invadit, et per quatuor annos totam Are- A
latensem Provinciam depopulat atque deprædat.

An. 741. His diebus Papa Gregorius (a) minor Romanæ Ecclesiæ Episcopus claves venerandi sepulcri Petri Apostoli et vincula (b) ejusdem, cum magnis muneribus, legatione ad Karolum Principem Francorum misit : quod anteà nullo Francorum Principi à quolibet Romanæ urbis Præsule missum fuerat. Epistolam quoque et Decreta (c) Romanorum Principum prædictus Papa Gregorius cum legatione etiam munera misit. Quo pacto patrato, sese populus Romanus, relicto Imperatore Græcorum et dominatione, ad prædicti Principis defensionem et invictam ejus clementiam convertere cùm voluissent : ipse verò his omnibus cum gaudio et gratiarum actione Domino repensi, ipsam legationem cum magnis muneribus Romam remisit. Posthæc elegit viros religiosos ex suis fidelibus, Grimonem scilicet Corbeiensis Monasterii Abbatem, et Sigibertum reclusum basilicæ sancti Dionysii Martyris, et cum ma- B
gnis muneribus ad limina beati Petri Principis Apostolorum misit : ac per eos omnia in responsis, quæ sibi et populo Francorum visa fuerunt, Præsuli (d) scriptum remandavit.

737. Posthæc præfatus Princeps audiens quòd Sarraceni provinciam Arelatensem vel ceteras civitates in circuitu depopularent, collecto magno exercitu Francorum, vel Burgundionum, vel ceterarum in circuitu nationum, quæ dominationis illius erant, Avinionem civitatem bellando inrupit, Sarracenos, quos ibi invenit, interemit, et transito Rodano, ad obsidendam civitatem Narbonam properat. Quam dum obsideret, Ocupa Rex Sarracenorum ex Spania Amoribinailet cum exercitu magno Sarracenorum ad præsidium Narbona transmittit. Tunc Karolus partem exercitûs sui ad obsidendam civitatem reliquit, reliquam verò partem sumpta, Sarracenis obviàm exivit in prælio super Berre (e) fluvio. Et dum præliare cœpissent, debellati sunt C
Sarraceni à Francis cæde magna ; maximaque pars ipsorum cecidit in gladio. Et experti sunt Sarraceni Francorum prælio, qui ex Syria egressi sunt, Karolum fortissimum in omnibus repererunt. Ipse verò Karolus, spolia collecta et copiosam prædam cùm reverteretur, Magdalonam destrui præcepit. Nemauso verò arenam civitatis illius atque portas cremari jussit : atque obsidibus acceptis, reversus est in Franciam.

Anno [DCCXLI.] Carolus Princeps obiit, regnavit annos XXIII (f), et menses VI ; obiit XI. Calendas Novembris : filiique ejus Pipinus et Karlmannus Principatum patris inter se dividunt. Karlmannus Austria, Alamannia atque Toringia sortitur. Pipinus verò Burgundiam atque Provinciam accepit. Zacharius natione Græcus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Papa sedit Romæ.

747. Hujus temporibus Karlomannus Rex (g) Francorum, filius prædicti Principis Caroli, frater Pipini, divino amore et desiderio cœlestis patriæ compunctus, sponte D
regnum reliquit, filiosque suos (h) Pipino fratri commendavit. Ipse verò Romam pergens, ad limina B. Petri Apostoli cum plurimis suis optimatibus et donis innumerabilibus pervenit, et ante sepulcrum B. Petri posuit : capitisque coma deposita, habitum clericalem, ordinante B. Zacharia Papa, assumsit, aliquantoque tempore ibidem mansit. Consilio verò accepto ejusdem Pontificis ad Casinum montem et Cœnobium S. Benedicti perrexit, ibique obedientiam regularem Optato Abbati promittens, Monachicam possessionem spopondit. Pipinus verò regnum patris to-
52. tum sibi vindicat, et per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto palatii Rex constitutus.

Reliqua dabuntur in uno è sequentibus Tomis.

(a) Hæc Gregorii legatio ad Carolum in annum 741 refundenda.

(b) Exstant duæ ea de re Epistolæ Gregorii ad Carolum, in quibus nulla mentio vinculorum, sed tantùm clavium.

(c) Annales Mettenses ; *Epistolam quoque Decreto.*

(d) Iidem, *memorato Præsuli scriptis Epistolis destinavit.*

(e) Aliàs, *Birra.*

(f) Corrig. *annis XXVI.* ut in Annal. Metensibus. Error est exscriptoris, non Auctoris.

(g) Id est, *Princeps Francorum.*

(h) Fredegarii Continuator Drogonem tantùm à patre Carlomanno Pippini manibus commissum memorat.

EX

A

EX CHRONICO

FONTANELLENSI,

AUCTORE ANONYMO,

B Qui circa annum DCCCXXXIV. mortuus est.

Apud Acherium Tom. 3. *Spicil. pag.* 188.

WAndregisilus ex nobilissimis Francorum ac ditissimis natalibus oriundus, territorio Vereduni castri, nobiliorem se splendidæ vitæ moribus, ac castæ conversationis exemplis insignem exhibuit. Hujus genitor Walchisus nuncupatus nomine, ut veracium didicimus traditione Seniorum, patruus (a) gloriosissimi Pipini Ducis Francorum filii Anschisi extitit. Denique idem vir Domini adolescentiæ dum polleret ætas in annis, atque in aula gloriosissimi Regis Dagoberti nobilissimè militaribus negotiis ac Aulicis disciplinis educaretur, ab eodem Rege Comes Palatii con- *cap.* 1.
C stitutus; ac deinde Ducatûs officio mancipatur.

[Wandregisilus] possessionem terræ largiente Erchinwaldo Præfecto domûs regiæ Clodovei junioris Regis filii Dagoberti gloriosissimæ memoriæ, hoc Fontanellense Cœnobium, unà cum venerando nepote suo Godone novo opere construit. Erat autem præfatus Erchinoaldus Major-domûs regiæ, insignis bonitate, ac eleemosynarum largissimus; qui post transitum bonæ recordationis scilicet præfati Dagoberti Regis præfecturæ ordinem ac curam maximam regni Francorum, etiam cum filio suo Clodoveo et Batile * Regina, nobiliter administravit. Sub hujus Clodovei Regis tempore præfatus Patricius possessionem, quæ vocatur Botmarias *.... locumque ad construendum Cœnobium, situm prope civitatem Rothomagensem quindecim millia, in valle amœnissima, saltu, cujus vocabulum est Gemmeticus, undique circumdatum (in ipso saltu ædificatum est Cœnobium à B. Philiberto, quod vocatur Gemmeticum)
D per venditionis titulum Godoni contradidit.

* Balhilde.

* Bothmariacas.

Situs ejusdem Cœnobii hujusmodi fertur esse. A tribus enim plagis, id est, à Septentrionali, Occidua atque Australi, montibus arduis ac frugiferis Bacchique fertilissimis, silvisque est obsitum condensis. Ab Oriente item habet fontem uberrimum, qui ab ortu suæ emanationis per millia spatia passuum plùs minùsve trecentorum manat: sicque cursu suo expleto, in alveum Sequanam influit ad Meridianam ejusdem Cœnobii plagam. Ab Occidente item ibi fluvius est mirabilis in Aquilonari ejusdem Cœnobii plaga ab imo progrediens, atque in Meridiana Geon prædicti alvei profunda se demergens. Inter hæc duo mirabilia flumina prata ejusdem Cœnobii sunt amœna atque irrigua..... Ab Austro item maximus fluviorum Geon, qui et Sequana, commerciis navium gloriosus, abundantia piscium præstantissimus, distans ab eodem Cœnobio passus octingentos. In quo scilicet fluvio ex infinito
E Oceano sive mari Britannico bini æstus diurno nocturnove tempore sibimet invicem compugnantes occurrunt, ut versa vice alveus potiùs retrorsum converti, quàm ad ima videatur fluere.

Cœptum est autem hoc opus ab anno Dominicæ Incarnationis DCXLV. (b) sub die Calend. Martiarum Indictione III. qui erat annus Clodovei juvenculi præfati Regis undenus. An. 648.

B. Wandregisilus et nepos ejus venerabilis vir Godo, prædicto Patricio * sub titulo pretii eadem eis locella * largiente, et Domino cooperante, adepti sunt sub anno undeno prædicti Regis, die Calend. Martiarum, Indictione [VI]. Acta erat in Compendio Palatio. Dehinc anno subsequenti et petita et acta est confirmatio

* Erchinoaldo.

* Botmariacas.

(a) In Vita S. Wandregisili *consobrinus* dicitur Pippini. Hanc Vitam videsis in Tomo sequenti.

(b) Corrig. *an.* DCXLVIII. qui currebat cum anno Clodovei undecimo. Hinc reponenda Indictio VI.

præfati Regis super eisdem locellis, porrectaque à Radone scriptore auctoritatum re- A
An. 649. giarum, geruloque annuli regii, prædictis Patribus strenuis. Edita fuit anno XII. sæpe fati Regis Compendio Palatio, Calend. Martiarum die, congregatis Francorum populis in Campo Martii, ubi omnibus annis convenire soliti erant, veluti omnibus notum est.

cap. 2. Bainus Episcopus de civitate Tyroanda * quintus ab almifico..... Sacerdote Wan-
* Teruanna. * Hildeberti. dregisilo regimen assumit Cœnobii, ab anno videlicet septimo Hiliberti * gentis
An. 701. Francorum Regis..... Sub hujus tempore Pipinus gloriosissimus Dux Floriacum Cœnobium unà cum nobili conjuge sua Plectrude ædificat, quod situm est in pago Velio-
An. 703. cassino, anno IX (a) Hiliberti, qui erat exarchatûs sui XXIII. Dominicæ autem Incarnationis DCCVIII. ipsumque Bainum rectorem ibi præfecit, plurimamque turbam Monachorum adunavit. Occasioni autem ædificationis præfato Cœnobio idcircò fuit, B quoniam isdem Princeps per invidorum consulta admirabilem Ansbertum de sede Rothomagensis Ecclesiæ expulerat, atque ad exilium direxerat, in quo isdem Angonista divinus ad æternam migraverat requiem. Cùmque præfatus Princeps multas sanitatum virtutes audiret ab eo fieri, reminiscens culparum suarum, ob ejusdem militis Christi amorem ac reverentiam, simulque ut indulgentiam mereretur accipere, hoc Cœnobium ædificavit, unaque cum omnibus rebus suis huic Cœnobio Fontinellæ perpetualiter tradidit possidendum.

An. 687. Dum Pipinus Princeps singularem Francorum principatum obtinuisset, superato Theodorico Rege et Berthario Majore-domûs, sæpedictus Fraëricus prædictum Floriacum eidem contradidit, ea videlicet ratione, ut in majori elegantia ipsum locum sublimaret, ac Monachorum congregationem ibidem constitueret : quod ita et factum est. Denique evocatum ipsum venerabilem Patrem idem Princeps hoc C Cœnobium ædificare jussit, rectoremque constituit, sicut in largitione, quam de ipso locello huic Monasterio edidit, scriptum fore constat. Sic enim inter cætera insertum illic reperitur : *Ubi constituimus virum strenuum et Dei cultorem domnum Bainum ipsum rectorem Monasterii Fontinellensis, ea videlicet conditione, ut ex præfato Monasterio Fontinella post recessum ejusdem Baini, ipsi Monachi in ipso Floriaco Monasterio consistentes omni tempore rectores et gubernatores habeant, et sub eorum ditione nostris et futuris temporibus permaneant; et sub nostra ac hæredum nostrorum*
An. 706. *defensione ipsa loca perenniter tuenda consistant. Actum est anno XII. regnante Hildeberto Rege.* In quo Conventu interfuit idem gloriosissimus Princeps, et nobilis conjunx ejus Plectrudis, filiique eorum Drogo et Grimoldus, Grippo et alii plurimi nobiles viri.

An. 703. Largitus est autem anno Hildeberti Regis nono ibidem villam, cujus est voca- D
bulum Taricinus, quæ sita est in pago Belloacensi, ipso die tertio Nonarum Martii,
* I. Indictione II *.

An. 705. Anno verò XI. præfati Regis Walmonem villam, quæ sita est in pago Belloacensi, et Luciniacum in territorio Vilcasinensi, eidem delegavit Cœnobio sub die X. Calend. Martiarum.

An. 707. Anno XIII. præfati Regis contulit ipsi Cœnobio idem inclytus Dux villam, cujus est vocabulum Mala, sitam in pago Madriacensi, die XV. Calend. Augusti, Feria V (b), Indictione VI. Eodem anno præfatus gloriosissimus Dux Gamapium villam, quæ sita est in pago Vilcasino, contradidit ipso die Idus Aprilis, Feria V. Indictione VI.

An. 705. Anno XI. jam suprà scripto præfatus Exarchus dedit eidem Monasterio villam, cujus vocabulum est Ecclesiola, sitam in pago Ebroïcino, Cal. Martiarum die, Indic- E
* III. tione IV *. Feria IV.

An. 704. Bannagam insulam anno X. regni sui idem Hildebertus Rex præfato Præsuli Baino et eidem Cœnobio contradidit.

An. 706. Anno XII. ejusdem Regis præfatus Princeps Pipinus Fontanidum villam ipsi Cœnobio largitus est.

Huic admirabili Præsuli largitus est præfatus Hildebertus Rex villam, quæ vocatur
* Alpicium. Adpiecum *, quæ sita est in pago Pinciacensi super alveum Sequanam. . . . anno X. regni sui, qui erat Dominicæ Incarnationis DCCIV. Indictione II. XIII. Cal. Nov.
An. 704. Feria II.

(a) Malè copulatur annus nonus Childeberti regni cum annis et principatûs Pippini et Incarnationis.
(b) Leg. *Feria II. Indict. V.*

A Hic namque Bainus Episcopus inter innumera bonitatis suæ opera quæ gessit, etiam corpora SS. Wandregisili, Ansberti atque Vulfranni in Ecclesiam B. Principis Apostolorum Petri de Basilica S. Pauli Apostoli transtulit..... Facta est autem hæc sancta Translatio anno Dom. Incarn. DCCIV. Indictione II. pridie Kal. Aprilis, Feria II. Nam solemnitas sancti Paschæ III. Kal. Apr. tunc exstitit; qui erat annus decimus gloriosi Regis Hildeberti. An. 704.

Benignus Diaconus et Monachus à patre nomine Maurino editus, matreque Inga, ordinatione divina assumit Cœnobii curam ab anno XVI. Hildeberti Regis..... Tenuit hujus Monasterii curam pastoralem per quatuordecim curricula annorum. Anno autem ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi DCCXVI. jussu Ragenfredi Majoris-Domûs, sive potiùs (quod verius est) tyranni, de regimine Monasterii B projicitur: et Wando Monachus filius Baldrici ejus in loco subrogatur per annos tres. *cap.* 3. An. 710. An. 716.

Eodem denique anno venit Radbodus Dux Frisonum navali ordine usque Coloniam urbem. Contra quem Carolus sagacissimus Exarchus bellum instauravit.

Sequenti quoque anno, id est Dominicæ Incarnationis DCCXVII. Indictione XV. actum est bellum plus quàm civile inter Carolum Exarchum et Ragenfridum Intartam in die Dominico, in loco nuncupante Vinciaco, XII. Kal. Aprilis, die XV. ante solemnitatem sancti Paschæ..... Nam in præfato prælio Wando cum Ragenfrido et Hilperico Rege interfuit. Benignus verò Diaconus partibus Caroli favebat. Cùmque post actam cædem Ragenfridus cum Hilperico fugam arripuisset, tandem post multiplicem fugæ lapsum ad Noviomum (a) hujus nostræ Ecclesiæ villam perveniens, Wandonis equum, quem ibi in pasto constitutum reperit, extemplò assumsit, atque cursu rapido ad portum, qui C vocatur Devenna, penetravit. Illic namque transmisso Sequana ad Andegavis urbem aufugit: insequebatur enim à Caroli satellitibus. Cùm verò comperisset Carolus à sibi dicentibus, quòd scilicet Ragenfridus per equum Wandonis aufugisset, jussit eum illicò de Cœnobii hujus regimine projici, et in Trajecto castro exilio trudi, quod antiquo gentium illarum vocabulo Viltaburg (b), id est oppidum Wiltorum, vocabatur, nunc verò lingua Gallica Trajectum nuncupatur. Benignus denique rursum regiminis hujus Cœnobii sortitur gradum per annos quatuor, id est usque ad annum Theodorici junioris Regis tertium, qui erat Dominicæ Incarnationis septingentesimus vigesimus tertius..... An. 717. An. 723.

Rothmundus ac religiosus famulus Christi Milo (c) tempore conversionis suæ largiti sunt huic Cœnobio patrimonia duo, id est Offiniacas et Bettonis curtem, sita in pago Tellau, anno videlicet tertio Dagoberti junioris Regis, qui erat Pi- D pini senioris Ducis XXVI. Incarnationis autem Domini Salvatoris nostri Jesu-Christi DCCXIII. *cap.* 4. An. 713.

Huic Benigno Abbati largitus est Dagobertus Rex junior quartam partem de Arlauno (d) foreste, anno quinto regni sui, suggerente Theobaldo Majori-domûs regiæ, per loca designata, id est per Quincionem montem, deinde per Petrosam vallem, et exinde per profundam vallem, necnon etiam per Mortuam-vaccam..... Hæc quidem largitio, licèt ab isto Rege sit firmior edita, ab antecessore tamen suo glorioso Rege Hildeberto maxima pars concessa jam fuerat decessori istius Benigni Abbatis almæ recordationis Baino Episcopo. Edita autem est hæc donatio sive confirmatio à præfato Rege Dagoberto anno Incarnationis Domini DCCXV. Indict. XIII. V. Iduum Juniarum, die Dominica. *cap.* 6. An. 715.

Eodem anno ipse Dagobertus Rex mortuus est. Quo tempore terra Hattuariorum à E Saxonibus depopulata est. Sed ipsi non multò pòst dignas suæ perfidiæ pœnas à Francorum populis perpessi sunt; eorumque terra usque Wiseram fluvium incendiis, rapinis, interfectionibus attrita est. An. 715.

Hugo (e) filius Drogonis, vir venerabilis à matre nomine Adaltrude primogenitus *, nepos Caroli sagacissimi Principis, Archiepiscopus Rothomagensis Ec- *cap.* 8. * progenitus.

(a) Erat ergo hæc villa haud procul à Fontanella et Sequana. An Noviomus, *Noyon*, vicus ad Andelam amnem? non longè à Ponte Arcuato, *Pont de l'Arche*, qui forsan hîc *portus Devenna*, ut notat Mabillonius ad Vitam Benigni Abbatis parte I. Sæc. III. Benedict. pag. 439.

(b) Aliàs, *verbo Wiltenburg*. Beda lib. 5. hist. c. 11. Castellum *antiquo gentium illarum vocabulo Wiltaburg* dictum, *linguâ Gallorum Trajectum* vocari asserit. Bedam sequitur Sigebertus ad an. 697. Eos errare censet Cluverius, vultque *Wiltaburgum* esse locum, qui hodieque dicitur *Wiltenburg*, quique tribus millibus passuum et sexcentis distat à Trajecto, *Utrecht*.

(c) Milo Rothmundi filius.

(d) Nunc *la forêt de Bretonne*.

(e) De isto Hugone vide Annales Metenses ad annum 693. ubi ejus mater Austrudis vocatur, quæ Berthario Præfecto palatii anteà nupta fuerat.

clesiæ, post præfatum Benignum regimen hujus Cœnobii suscepit ab anno Domin. A
An. 723. Incarnationis DCCXXIII. Indict. VI. qui erat annus principatûs Karoli nonus..... Rexit-
* VIII. que istud Cœnobium per annos VIII *, menses duos et dies XIII. id est usque ad annum XVI. principatûs ante fati Caroli, Gregorii verò Papæ XVII. Dominicæ quoque Incarnationis DCCXXX. Indict. XIII. Hic etiam Præsulatum Ecclesiæ Parisiacæ, simulque Bajocassinæ cum Rothomagensi tenuit, factione scilicet patrui sui Carolo Principis, extra decreta tamen Canonum : Cœnobia verò nobiliora, Fontinellam et Gemeticum : prædia verò regia, quæ ejus insederunt animo. Non enim causâ perversæ cupiditatis, aut aliquo seculari fastu, à patruo suo Carolo Principe, sive à Regibus Francorum, qui ejus tempore sceptra regni hujus tenuerunt, id est Hildeberto, Dagoberto, Hilperico, Clotario, necnon et Theodorico, ea impetrabat; sed ut statim Ecclesiis Christi contraderet; sciens quod scriptum est, quòd ea hereditas bene reconditur, quæ Deo custode servatur. B

Mater denique ejus Adeltrudis, ut prædiximus, nomine, filia fuerat Warattonis nobilissimi Majoris-domûs regiæ, atque Anfledis conjugis ejus, qui plurima huic Monasterio largiti sunt prædia. Denique prædicta religiosa et strenua matrona Ansfledis avia sua, derelicta Warattonis, ad nutriendum susceperat ipsum Hugonem, patrem demum gloriosissimum.

An. 707. Hujus pater Drogo filius prædicti Pipini Ducis Francorum, frater Grimoaldi et Caroli nobilissimorum fratrum, defunctus est anno ab Incarn. Domini DCCVII (a). Indict. V. tempore veris. Succedit ei isdem vir venerabilis in sede Rathumagensi..... Hic namque vir venerandus Hugo, dum adhuc laïcus foret, largitus est Benigno Abbati Vierlaicum villam, quæ sita est in pago Tellau, super fluvio Eora, quæ ipsi de jure prædictorum parentum suorum legitimè obvenerat. Facta est hæc largitio ab anno Do- C
* XI. minicæ Incarnationis DCCXIII. Indictione XII *. qui fuerat annus Dagoberti junioris
An. 713. Regis III. Pipini autem Ducis XXVI. XI. Calend. Juliarum, Feria IV. Inter reliqua autem prædia ab eo contradicta, etiam Witflanam villam largitus est Wandoni Abbati anno
An. 717. primo Clotharii Regis, quem Carolus post fugam Hilperici ac Ragenfridi Regem sibi statuerat : et possessa est ab hoc Cœnobio usque ad regimen Witlaici Abbatis per annos XLIII. Huic glorioso Præsuli largitus est quidam illustris, nomine Bertus, portionem aliquam de villa Digmaniaco, quæ sita est in pago Osismensi..... Edita est hæc largitio anno XI. Theoderici Regis patris Hilderici (b) demum Regis novissimi ex genere Merovingorum.

cap. 9. Lando Episcopus de urbe Remensi successit Hugoni Præsuli in regimine Cœnobii hujus ab anno XII. Regis Theoderici novissimi, qui erat exarchatûs Caroli annus XVII.
An. 731. Incarnationis autem Dominicæ DCCXXXI. Indictione XIV..... Anno namque regiminis D istius primo Gregorius junior Papa migravit ad Dominum. Cui successit alius Gregorius miræ sanctitatis vir, qui claves ex confessione S. Petri Apostolorum Principis accipiens, Carolo (c) Principi direxit, ut Romanam Rempublicam ab oppressione Longobardorum liberaret.

Eodem anno Carolus perrexit Wasconiam contra Eudonem Principem qui tyrannidem assumpserat. Et Ragenfridus Intarta post annos tyrannidis XIV. mortuus est.

Hic Lando impetravit à præfato Carolo Principe privilegium immunitatis perennis, in quo continetur, quòd Cœnobium istud sub sua defensione ac tuitione idem Princeps specialiùs receptum haberet, etc.

An. 732. Hujus anno secundo, id est Dominicæ Incarnationis DCCXXXII. Eudo Dux Aquitanorum cernens se superatum, et ad defendendam patriam suam contra Carolum E
se viribus esse destitutum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxiliandum sibi invitat. Qui cum Rege suo, Abdirama nomine, Garomnam fluvium transeunt, Burdegalim urbem pervenerunt; ibique Ecclesiis Dei igne concrematis, pluribusque Christianis interfectis, usque ad Pictavem urbem profecti sunt, Basilicamque
* Martini. S. Hilarii igne concremarunt, et ad beatissimi Martini * Ecclesiam subvertendam summo conamine proficisci contendunt. Contra quos Carolus Princeps juxta urbem Pictavem aciem construxit, et super eos, invocato Christi auxilio, intrepidus ir-

(a) Hujus mortem anno 708. collocant tres veterrimi Francorum Annales suprà editi.

(b) Jam tempore Auctoris istius Chronici, id est ineunte sæculo nono, Theodoricus IV. Childerici III. pater putabatur. Eamdem sententiam tuentur Cointius ad annum 743. num. 74. et Henschenius in Exegesi præliminari ad Tom. 3. SS. mensis Aprilis, cap. 4. num. 35. Verùm nunc convenit apud Eruditos Childericum filium fuisse Chilperici secundi.

(c) Anno scilicet 741.

A ruit, et eos cum Rege eorum usque ad internecionem delevit. Acceptisque spoliis eorum, nomen Domini glorificans, totâ jam Aquitaniâ subactâ, cum triumpho ad propria revertitur.

Teutsindus pater Cœnobii S. Martini Turonensis Ecclesiæ sortitur locum regiminis anno Dominicæ Incarnationis DCCXXXIV. Indictione II. qui erat annus præfati Regis Theoderici XV *. *cap.* 9. An. 734. * XIV.

Hujus anno quarto, qui est Incarnationis DCCXXXVII. nunciatum est invicto Carolo Principi, quòd sæva gens Sarracenorum, obtentâ Septimaniâ et Gociâ, in partes jam Provinciæ irruissent, castrumque munitissimum Avinionem per fraudem quorumdam Provincialium Comitatum illum obtinuissent. Quapropter exercitum congregans, illuc iter dirigebat, præmissisque quibusdam exercitûs sui Principibus, qui castrum obsiderent, ipse prosecutus est, prædictamque urbem obsidione circum- An. 737.
B dat, machinisque compositis, urbem munitissimam diruit, ipsamque cum habitatoribus suis igne et gladio consumit. Rodanum dehinc fluvium transiit, Gottorum fines penetravit, Narbonam urbem celeberrimam castris circumcinxit, Regem Sarracenorum, nomine Acluma (a), cum satellitibus suis ibidem reclusit. Hæc audientes Majores natu Sarracenorum, qui morabantur in regione Hispaniæ, collecto exercitu, cum alio Rege, nomine Amormacha, adversùs Carolum arma corripiunt. Contra quos invictus Princeps Carolus, civitate Narbona sub custodia derelicta, in loco qui vocatur Birra (b), septimo ab urbe milliario occurrit intrepidus : ubi, divina misericordia succurrente, pugna acerrima commissa est. Carolus princeps victor extitit, Regem præfatum Sarracenorum interemit, exercitumque ejus penitus usque ad internecionem delevit. Spoliis innumerabilibus ditatus, cuncta depopulata Gothia, diruptisque civitatibus, et devictis universis hostibus præter eos quos in Narbona
C incluserat, urbe eadem sub custodia derelicta, cum magno triumpho remeavit in Franciam.

Sub hujus denique tempore Erinharius Præpositus ejus ædicavit basilicam B. Archangeli Michaëlis, licèt modico, pulcherrimo tamen opere, allatis videlicet petris politis de Juliobona castro quondam munitissimo ac firmissimo, ad construendos arcus seu frontispicium ejusdem templi. Hæc namque civitas fertur ædificata à Gaio Julio Imperatore Romanorum ante adventum Domini, dum Gallias vastando circumiret. Ipsum namque castrum Caletus anteà vocabatur, quod destructum et in majori elegantia reparatum ex suo nomine Juliobona vocare placuit.

Wido sortitur locum regiminis ab anno Dominicæ Incarnat. DCCXXXVIII. (c) qui erat annus primus Hilderici novissimi Regis, Caroli Principis XXVI. (d), per annum unum. Hic namque propinquus Caroli Principis fuit; qui etiam Monaste- *cap.* 10. An. 738.
D rium sancti Vedasti, quod est in Atrebatensi territorio, jure regiminis tenuit anno uno, sicut et istud. Erat autem de secularibus Clericis, gladioque, quem semispacium vocant, semper accinctus, sagaque pro cappa utebatur, parumque Ecclesiasticæ disciplinæ imperiis parebat. Nam copiam canum multiplicem semper habebat, cum qua venationi quotidie insistebat, sagittatorque præcipuus in arcubus ligneis ad aves feriendas erat, hisque operibus magis quàm Ecclesiasticæ disciplinæ studiis se exercebat. Accusatus verò apud Principem Carolum, quòd conspirationem adversùs ipsum cum aliis meditatus esset, jussu ejusdem Exarchi ad regiam domum compellitur migrare. Qui dùm pergeret cum satellitibus regiis, venientes in territorium Viromandiæ, capitis præcisione damnatur, ibidemque digno in loco sepulturæ est traditus. Hæc (e) ex relatione cujusdam Patris, qui ipsum videre potuerat, didici, quòd ita vitâ decesserit.

E Raginfridus Præsul Ecclesiæ Rothomagensis accepit regendi locum sub anno Domin. Incarnat. DCCXXXIX. qui erat annus exarchatûs Caroli * XXVII. Hilderici verò Regis Merovingi annus II. Gregorii Apostolici annus IX. Eodem anno Carolus, commoto exercitu universali, partibus Provinciæ iter dirigit, Avinionemque iterum cepit; totaque Provincia usque ad litus maris peragrata, ad Massiliam pervenit; fugatoque Duce Moronto, qui quondam Sarracenos in suæ perfidiæ præsidium *cap.* 11. An. 739. * XXV.

(a) Acherius in margine, *Aduma. Adthima* dicitur in Annalibus Metensibus, qui eadem habent atque iisdem verbis.

(b) Birra fluvius, non locus.

(c) Post mortem Theoderici Regis, id est ab anno 737. ad annum 742. Francia sine Rege fuit. Hinc mirari subit, Auctorem hujus Chronici, qui ea tempora ferè attingebat, illud interregnum ignorasse, nihilque medium agnovisse inter mortem Theoderici et initium regni Childerici.

(d) Corrig. *XXIV*. Et certè cap. 9. hujus Chronici annus Caroli vicesimus componitur cum anno Christi 734.

(e) Hinc colligitur ætas Auctoris.

asciverat, nullo jam relicto adversario, totam illam regionem Francorum imperio A
subjugavit, et cunctis strenuè dispositis, ad proprias sedes reversus est.

Hic Raginfridus de nobili Francorum prosapia oriundus extitit, licèt opera nefanda generositatem fœdarent illius. Compater etiam spiritualis regenerationis Pipini magni Regis : qui de seculari quidem habitu commutatus, Grimoni Archiepiscopo succedens, Præsul efficitur Ecclesiæ Rothomagensis, rectorque hujus Cœnobii Fontinellensis, parumque dignè hoc administravit..... Milites Christi, sanæ mentis consilio inito, tres ex semetipsis fratres eligunt, qui Pipino Principi suggererent, ut memor propinqui sui B. Wandregisili, ac genitoris sui invicti Caroli, qui locum hunc privilegiis suæ auctoritatis decoraverat, ac defensione fortissima roboraverat, à dominatu tanti prædonis ac tyranni misericorditer eos liberaret. Nec mora, quæ petierant adipiscuntur. Extemplò namque auctoritate regia idem Raginfridus de ordine regiminis hujus Cœnobii depositus est, reservato sibi Episcopatu Ecclesiæ B
Rothomagensis..... Cùmque à præfato Rege, quem sibi rectorem præficere vellent, percontati fuissent, Wandonem sibi præesse velle responderunt. Erat autem in exilio adhuc idem Wando in Trajecto Castro in Monasterio videlicet beati Servatii Confessoris Christi. Quem accersitum, Dominus Pipinus curam illi Cœnobii istius commisit.

An. 741. Hujus Raginfridi anno III. regiminis necdum expleto, Carolus legationem beati Papæ Gregorii bis eodem anno suscepit, virosque Religiosos, Grimonem videlicet Corbiensis Monasterii Patrem, et Sigebertum Reclausum Basilicæ sancti Dionysii Martyris, ad limina beatissimi Principis Apostolorum Petri cum magnis muneribus direxit.

Eodem anno dum ægrotare se cerneret, filiis suis principatum suum æqua lance divisit : primogenito suo Carolomanno Austrasiam, Alemaniam Turingiamque sub- C
jecit ; filio verò juniori Pipino Neustriam, Burgundiam Provinciamque concessit. Correptus autem febre in Carisiaca villa, quæ est super fluvio Isera, in pace obiit. Rexit autem populum Francorum annis XXVI. et mensibus VI. transiit autem XI. Kal. Novembris, sepultusque est haud longè à Parisiaca civitate in Basilica sancti Dionysii Martyris.

Prænominatus autem Raginfridus, pro insolentia morum ac pravitatibus suis, etiam à Clericis Rothomagensibus apud Pipinum Regem accusatur, anno videlicet XIII. postquàm regimen istius Cœnobii Fontanellensis amiserat. Quo ejecto de Episcopatu ejusdem Ecclesiæ, datus est Remigio fratri ejusdem gloriosi Regis Pipini, hoc anno
An. 753. qui est ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi DCCLV.

cap. 12. Wando Presbyter à patre Baldrico nomine progenitus, territorio Tellau ortus, re-
An. 742. gimen assumpsit Cœnobii ab anno Dominicæ Incarnationis DCCXLII. qui est annus pri- D
mus principatûs Carolomanni et Pipini, præsidente Romanæ Ecclesiæ anno primo Zacharia Apostolico.

An. 756. Quodam denique tempore, id est anno Dominicæ Incarnationis DCCLVI. qui erat Pipini Regis annus V (a). Ecclesia beati Petri per culpam incuriæ igne cremata est.

An. 717. Huic venerabili Patri [Wandoni] dedit Ragenfridus Intarta fiscum, qui vocatur Wintlana, anno II. (b) Hilperici Regis, qui erat Dominicæ Incarnationis DCCXVII. Indict. XV. sub die V. Kalend. Octobrium, feria secunda.

Wando decrepitæ jam ætatis senio confectus, præsentis vitæ debitum complens,
An. 756. ad æternam migravit requiem anno ab Incar. Dom. circiter DCCLVI. qui erat Pipini
cap. 13. Regis annus V.

* Princeps. Huic egregio Patri Austrulpho edidit gloriosus Rex * Pipinus privilegium quod- E
dam sacræ suæ auctoritatis..... Editum est anno Dom. Incarnat. DCCL. die VIII.
An. 750. Iduum Juniarum, Vermeria Palatio Regis. Quo (c) anno idem gloriosus Princeps Pipinus ex consultu B. Zachariæ Papæ urbis Romæ à Bonifacio Archiepiscopo unctus, Rex constituitur Francorum, ablato Principis nomine. Unde rumor potentiæ ejus et timor virtutis in universas transiit terras. Et Hildericus Rex, Merovingorum ex genere ortus, depositus tonsusque, ac in monasterio S. Audomari, quod dicitur

(a) Ergo Pippini regni initium ab anno 752. repetendum. Infrà etiam annus 753. dicitur secundus regni Pippini.

(b) Hinc probatur Chilpericum non regnasse ante diem 27. Sept. anni 715.

(c) Non sibi constat hic Auctor. Si enim Pippinus anno 750. unctus est in Regem, quomodo anni Christi 753. et 756. cum annis Pippini secundo et quinto conciliari possunt?

A Sithiu, trusus est. Cujus filius, nomine Theodericus, in hoc Monasterio anno sequenti Clericus effectus collocatus est.

Defuncto verò Austrulpho Patre Monasterii Fontinellensis, statim iste [Wido Laïcus] ad Palatium ire deliberavit, plurima donaria auri argentique secum deferens, quæ Pippino Regi ac suis satellitibus collata, ut optaverat, Abbas constituitur, anno secundo postquàm idem Pippinus regale adeptus fuerat fastigium, qui est annus Domini DCCLIII. Indictione VI. Hoc anno Papa Stephanus venit ab urbe Roma in Franciam, et Carlomannus frater Pipini post illum. Et filii prædicti Carlomanni attonsi sunt; et Grippo frater Pippini occisus est. *cap.* 14. An. 753.

B

CHRONICA (a) REGUM FRANCORUM

BREVITER DIGESTA,

Anonymo Auctore, qui scribebat ante Mensem Septembrem anni DCCCLV.

Apud Labbeum Tom. Novæ Bibl. Libr. mss. pag. 330.

C POst mortem Antenoris, qui capto Ilio, et Ænea in Italiam cum suis profecto, Dux eorum qui Mœotidas paludes ingressi sunt Trojanorum : et deinceps à Valentiniano Imperatore, cùm Alanos rebellantes ab eisdem paludibus fortiter repulissent, ob ferocitatem Franci appellati sunt, extitit.

Hi succedente tempore, sicut in Historiographis legimus fuerunt Duces eorum Sunno, Marcomirus et Gennebodus.

Sunno genuit Ferramundum, qui fuit primus Rex Francorum crinitus. Circa an. 418.

Ferramundus genuit Chlodionem Regem.

Chlodio regnavit annos XX de cujus stirpe ortus est Merovechus, à quo Francorum Reges Merovingi sunt appellati.

Childericus filius Merovechi regnavit annis XXIV. et genuit Chlodovechum, qui primus in Francorum Regibus Christianus fuit.

Chlodovechus filius Childerici regnavit annos XXX. Anastasio Imperatore. A transitu D verò Martini usque ad mortem Chlodovechi supputantur anni CXII.

Chlodovechus genuit Teodericum, Clodomerem, Childebertum et Clotarium. Hi regnum patris, post ejus mortem diviserunt : sed Clotarius omnibus supervixit, regnumque Francorum solus obtinuit.

Clotarius filius Chlodovechi regnavit annos LI. Hic de diversis uxoribus septem filios habuit, id est Guntharium, Childericum, Charibertum, Guntramnum, Sigibertum, Chilpericum et Chramnum. Sed regnum patris hi quatuor, id est Charibertus, Guntramnus, Chilpericus atque Sigebertus, post ejus mortem diviserunt, cæteris eo superstite defunctis.

Chilpericus de Audovera Regina tres filios habuit, Theodobertum, Meroveum et Chlodovechum ; de Fredegunde quatuor, Chlodobertum, Theodoricum, Chlotarium Magnum patrem Dagoberti, et quartum, cujus nomen non reperi.

E Sigebertus filius Chlotarii superioris regnavit annis XIII (b). Guntramnus frater ejus regnavit annis XXXI (c). Chilpericus frater utriusque regnavit annis XXIII.

Clotarius Magnus filius Chilperici regnavit annis XLIV. Hic filium suum Dagobertum supradictum cum Pipino Duce in Austriam regnatorem direxit. Hujus Clotarii temporibus S. Audoënus exortus enituit. An. 622.

Dagobertus filius Chlotharii regnavit annis XXII (d). Hic habuit duos filios, Sigibertum et Clodovechum : quorum Sigibertum in Austriam cum Pipino supradicto 633.

(a) Hæc Chronica edidit etiam Chesnius ex codice ms. viri clar. Johannis Tilii Tom. 1. Script. Franc. pag. 797.

(b) Apud Chesnium, *annos XXIII.* malè. Corrig. *XIV.*

(c) Corrig. *annis XXXII.* vel anni tantùm completi intelliguntur.

(d) Corrig. *annis XVI.* Apud Chesnium, *annis XXXIV.*

Duce regnatorem direxit ; Clodovechum secum retinuit, qui et regnum ejus post eum A
per annos XVI (a). solus obtinuit.

An. 640. Hujus Chlodovechi anno III. Incarnationis Dominicæ DCXXXV (b). sub Martino Papa Audoënus et Eligius apud Rotomagum una die ordinantur Episcopi ; Audoënus Rotomagensis, Eligius Noviomagensis.

Chlodovechus filius Dagoberti genuit tres filios, Chlotarium, Childericum et Theodericum.

656. Chlotharius major natu patri suo successit. Hujus temporibus S. Hermelandus ortus est. Hujus etiam temporibus Ebroïnus, qui B. Leodegarium Episcopum Augustodunensem interfecit, à Francis Major-domûs effectus est.

670. Chlothario autem post quatuor (c) annos defuncto, Theodoricus frater ejus successit. Theoderico verò de regno, Ebroïno autem de honore à Francis ejecto, Childericus frater prædicti Theoderici et Chlotharii in regno successit. Quo B
673. propter levitatem à Francis cum uxore interfecto, rursum Theodoricus jam dictus in regnum statuitur. Contra hunc Pipinus junior filius Ansigisi, qui cum Martino
* degentibus. in Austria decedentibus * Regibus dominabatur, pugnavit secundò, et victor extitit.

687. Hic Pipinus de Plectrude uxore habuit duos filios, Drocum et Grimoaldum : de alia uxore habuit Carolum primum.

691. Theodorico mortuo, cùm regnasset annos XVIII. Chlodovechus filius ejus successit.

695. Huic quoque post duos (d) annos mortuo Childebertus frater ejus vir inclytus in regnum successit. Hujus temporibus B. Hermelandus Abbas efficitur. Tunc etiam Grimoaldus filius Pippini secundi junior Major-domûs in aula Regis Childeberti factus est. C

711. Childeberto defuncto, qui regnavit annos XIII (e). Dagobertus filius ejus successit.

715. Dagobertus regnavit annos V. et mortuus est. Quo mortuo, Franci Danielem quem-
* instituunt. dam Clericum, cæsarie increscente, sibi Regem instruunt *, et Chilpericum nuncupant. Hic cum Raganfredo contra Carolum Pipini filium suprà memoratum dimicavit :
717. sed Carolus victor extitit, et Chlotharium sibi quemdam Regem instituit, qui eodem (f) anno mortuus est. Rursum Chilpericus et Raganfredus contra Carolum, Eudonem
719. Ducem Aquitanum expetunt in auxilium : sed Carolus tam Chilpericum et Raganfredum quàm Eudonem victor existens fugat.

Eudo in Aquitaniam regressus, Chilpericum cum thesauris ejus secum ablatum duxit. Carolus cum Eudone postmodùm amicitias facit, et Chilpericum reducit ; non tamen D
720. in regnum restituitur, sed moritur. Regnavit annos quinque.

Franci verò Theodericum filium Dagoberti junioris Regem super se statuunt.

Carolus supradictus genuit Carlomannum et Pippinum, quorum Carlomannus, relicta regni sui portione, Romæ Clericus efficitur ; Pipinus verò pater Caroli Magni
747. regnum Francorum solus obtinuit, et per auctoritatem Zachariæ Papæ et electionem Francorum, inungente Bonifacio Archiepiscopo, Rex factus est. Childericum
752. verò, qui solus Rex de stirpe superiorum Regum remanserat, regno privatum Clericum effecit.

Pipinus genuit Carolomannum et Carolum Magnum.

768. Pippino mortuo, cùm regnasset annos XXXV (g). Carolus Magnus Imperator Augustus successit.

814. Illo quoque mortuo, cùm regnasset annos plusquàm XLVI. Hludovicus Cæsar regnum E
Francorum per viginti et sex semis annos obtinuit. Cui defuncto, tres filii ejus, Hlo-
840. tarius, Hludovicus et Carolus, quarto Pippino, qui Aquitaniæ regnaverat, ante patrem mortuo, diviso regno successerunt, qui nunc per Indictionem tertiam sextumdecimum
855. annum in isto regno agere videntur.

(a) Corrig. *annos XVIII.*
(b) Annus tertius Clodovei componitur cum anno Christi 640.
(c) Clotharius quatuor annos solus regnavit, et decem cum Childerico fratre.
(d) Corrig. *quatuor* vel *quinque*. Nam Chlodoveus anno quinto regni mortuus est.
(e) Corrig. *annos XVI.* Nam sæpe fit ut quinarius numerus in duas unitates dividatur.
(f) Non eodem anno mortuus est, sed biennio pòst, anno scilicet 719.
(g) A morte Caroli patris annos XXVI. regnavit ; annos verò XVI. ab anno quo Rex electus est.

A

HISTORICA

QUÆDAM EXCERPTA

EX VETERI STEMMATE GENEALOGICO

B

REGUM FRANCIÆ.

Apud Labbeum Tom. 1. *Bibl. mss. pag.* 331.

GEnnobaldus, Marchomerus, Sunno, Theodomeris. Isti Duces vel Reguli extiterunt à principio Gentis Francorum diversis temporibus : sed incertum relinquunt Historici, quali sibi procreationis linea successerunt.

Pharamundus. Sub hoc Rege suo primo Franci legibus se subdunt, quas Priores eorum tulerunt, Wisogastus, Atrogastus, Salegastus. Circa an. 418.

C Chlochilo. Iste, transito Rheno, Romanos in Carbonaria silva devicit, Camaracum cepit et obtinuit. Annis xx. regnavit. Sub hoc Rege Franci usque Summam progressi sunt. Circa an. 428.

Merovechus. Sub hoc Rege Franci Treverim destruunt, Metim succendunt, usque Aurelianum perveniunt. 447.

Childericus. Iste à Francis ob vitia sua regno pulsus, et in Thoringiam fugatus est : et rursus post annos octo revocatus, cùm interim regnasset Ægidius Romanus Magister militum. 456. 464.

Dagobertus Rex in Francia. Iste multa bona contulit Ecclesiis. 622.

Sigebertus Rex in Austrasia. Hujus Dux fuit Pipinus, post quem Grimoldus filius ejus. 633.

Dagobertus. Hunc totondit perfidus Grimoldus : propter quod à Chlodoveo occi- 656.

D sus est.

Chlodoveus. Iste abscidit brachium sancti Dionysii. 638.

Chlotharius. Hujus Major-domûs Ebroïnus, mortuo Archenoldo. 656.

Childericus Rex in Austrasia, Duce Vulfado, occisus à Francis. 660.

Theodericus Rex in Franciâ. Major-domûs Leodegisius. Hoc occiso Ebroïnus ; post hunc Waratho Major-domûs ; post quem Bertharius ; post hunc Audebertus per Pippinum ; postea Grimoldus ; pòst Theobaldus filius ejus ; hoc fugato Raganfridus. 673.

Childebertus optimus Rex. 695.

Daniel Clericus, qui cognominatus est Chilpericus, in Regem usurpatur. 715.

Theodericus annis xvii. 720.

E Hildericus. Iste depositus est à regno, et tonsuratus. 742.

Finis stirpis Chlodovei in regno. 752.

Regnante in Austria Childerico filio Chlodovei, filii Dagoberti, Duces ejus sive Majores-domûs fuerunt hi duo, Martinus et Pipinus junior, filius Ansegisili. Ab hoc progressa est Karoli Magni Generatio hujusmodi : de Pipino et Plectrude Drocus Dux in Campania, Grimoldus Major-domûs in Francia sub Childeberto. De alia matre quàm Plectrude Carlus Martellus : cujus filii, Carlomannus (iste factus est Monachus) Pipinus. Hic primus levatus est Rex de stirpe hac.

A

EX ADONIS (a) VIENNENSIS ARCHIEPISCOPI CHRONICO.

Ex sexta Mundi Ætate.

FRancos lingua Attica Valentinianus Imperator à feritate et duritia atque audacia appellari primus voluit. Qui post paululum cùm tributa Romanis negarent, et Romanorum impetum ferre non possent, egressi à Sicambria, pervenerunt in extremas partes Rheni fluminis in Germanorum oppida : ibique aliquot annos cum Principibus suis Marcomiro et Sunnone resederunt. Ubi primum Regem Pharamundum sibi postmòdum statuunt, legibusque se subdunt, quas Priores eorum Wisogastus, Bodesogastus (b) Adrogastus, Salegastus invenerunt. B

Circa an. 418.

Circa an. 428.

Post Pharamundum Franci Chlodionem ejus filium sibi Regem statuunt. Abhinc Franci in finibus Thoringorum habitantes, crinitos Reges habere cœperunt. Id temporis Romani Gallias tenebant. Citra Ligerim fluvium Gothi : Burgundiones quoque doctrina Arriana infecti cis ultraque Rhodanum (c) habitabant. Primus Rex Francorum Chlodio à castro Thoringiorum Dysporo * profectus, Rhenum transiit ; superato Romanorum populo, Carbonariam silvam tenuit, usque ad Camaracum venit : ibique interfectis Romanis, sedem sibi statuit.

* Dispargo.

An. 447.

Chlodione Rege defuncto, qui viginti annis Francis regnavit, Meroveus (d) successit, à quo Francorum Reges Merovingi sunt appellati. Mettis à Francis succensa, Treveros destructa : Franci usque Aureliam (e) perveniunt. Post Meroveum Childericus regnum adeptus, regnavit annis XXIV. Cui successit Chlodoveus, qui primus Rex Francorum Christianus factus est, à B. Remigio Rhemorum Episcopo instructus, et baptizatus cum populo suo. C

451.
456.
481.
496.

Francis Chlodoveus adhuc paganus regnat. Cujus temporibus Gondoveus (f) Rex Burgundionum, qui ex genere fertur Alarici (g), extitit. Huic fuerunt quatuor filii, Gundobaldus (h), Godegisilus, Chilpericus et Gothmarus. Gondobaldus Chilpericum fratrem suum interfecit, uxoremque ejus, ligato saxo ad collum in flumen demersit : filiasque ejus, unam, quæ Chrona dicta est, exilio relegavit ; alteram verò Chrotildem secum retinuit, quàm posteà uxorem Rex Chlodoveus accepit cujusque industria, orationibus ac monitionibus, Deo inspirante, idem Christianus cum populo suo factus est. D

464. Egidio Patricio in Galliis, Franci Agrippinam super Rhenum ceperunt ; eamque Coloniam (i), quòd ibi coloni inhabitaverint, appellaverunt. Egidio Syagrius filius
465. successit, qui post mortem Childerici Regis Francorum cum Chlodoveo apud Suessio-
486. nem pugnam committens, vincente Chlodoveo ad Gothorum Regem se contulit. Sed mox à Chlodoveo repetitus, ilicòque redditus, occisus est. Sic Romanorum vires intra Gallias ceciderunt. In cujus loco posteà Aëtius Patricius constitutus est : qui maxima prælia cum Wandalis aliisque nationibus gessit. Chlodoveus Rex Francorum institutus; et Chrotildis neptis Gundobaldi Regis Burgundionum per Aurelianum sponsatur, Re-
493. gique Chlodoveo postmodùm per eumdem ipsum Aurelianum adducta, conjungitur. Chlodoveus Rex post victoria Alamannorum XV. anno regni sui credens baptizatur.
496. Inde Burgundiam sibi subegit, et Gundobaldum atque Gondegisilum fratrem ejus ad
500. tributa coëgit.
507. Chlodoveus Rex Francorum milliario decimo ab urbe Pictavis cum Alarico Rege Gothorum pugnam iniit : ibique victor Alaricum occidit. Amalricus filius

(a) Ado anno 860. Archiepiscopus Viennensis factus, diem clausit extremum anno 875. Chronicon suum, in sex mundi Ætates distributum, perduxit usque ad annum 869. Quæ de Regibus Francorum primæ stirpis narrat, ea haurit ex gestis Regum Francorum, quæ in epitomen contrahit. Editiones factas Parisiis annis 1522. et 1561. et Lugduni 1677. in Bibliotheca Patrum, contulimus cum codice ms. Cluniacensi.

(b) Ita codex Cluniacensis. Editi, *Wisovastus*, *Wisogastus*, *Atrogastus*.

(c) Cod. Clun. *infecti ultra Rhodanum habitabant*, deest *cis*.

(d) Idem, *Merovechus..... Merovechi sunt appellati*.

(e) Idem, *usque Aurelianis*.

(f) Gundeucus Gregorio Turon. Is vivere desierat anno 472. ideòque ante regnum Chlodovei.

(g) Athanarici apud Gregorium Turon. et Auctorem Gestorum Regum Francorum.

(h) Cod. Cluniac. *Gundobadus*, et sic infrà. Paulò pòst idem, *Crochildem*.

(i) Jam multò ante isthæc tempora urbs illa Colonia dicebatur.

A Alarici evadens, in Hispanias aufugit. Chlodoveus Francorum (a) Rex Tholosam, Sanctonas, et reliquas civitates, omnemque terram Aquitanicam sibi subjugavit, Gothos Arrianos inde expellens, et Francos ibi Catholicos habitare constituens. An. 508.

Chlodoveus Rex cum Ragnacario propinquo suo pugnam iniit. Comprehensus Ragnacarius, simul et frater ejus, à tergo vinctis manibus Regi præsentati sunt. Chlodoveus Rex Ragnacario dicens; *Cur humiliasti gentem nostram, ut vinciri te permitteres?* bipennem in caput ejus defixit : sicque mortuus est. Fratri quoque ejus ita dixit : *si tu fratri tuo adjutorium præbuisses, vinctus atque ligatus non fuisset* (b) : sicque bipennem in caput ejus librans, occidit illum. Traditores illorum cognoscentes aurum, quod pro fratribus acceperant, vitiatum, Regi Chlodoveo retulerunt. Quibus ipse respondit : *Merito hujusmodi aurum corruptum accipit, qui dominum suum in mortem tradidit : sufficiat*
B *vobis quòd vivitis.* Illi hæc audientes, præ innumera pecunia vitam pretiosius duxerunt.

Hic [Avitus] Sigismundum Regem in fide pietatis erudivit : qui, agente illo, 515.
postmodùm Monasterium (c) SS. Martyrum Agaunensium Mauricii sociorumque ejus
construxit. Quem postmodùm captum et à Francis occisum vehementissimè 524.
doluit.

Anastasius codicillos Chlodoveo Regi pro consulatu misit. Ab ea die et Consul et 508.
Augustus est appellatus, sedemque regni Parisiis (d) constituit. Regnavit autem Francis triginta annos. Fuerunt autem a transitu sancti Martini usque ad transitum Chlodovei Regis anni CXII. . . Mortuo Chlodoveo, Chrotildis Regina cum quatuor 511.
filiis Chlodovei regnum Francorum tenuit, Theoderico, Chlodomiro, Childeberto et
Chlothario. Dani cum multis navibus, Cochilaïco (e) duce, in Gallias transitum 515.
C faciunt. Cum quibus Theudebertus Theoderici filius pugnavit, eosque cum Rege illorum prostravit.

Chlodomirus et Childebertus atque Chlotharius fratres contra Sigismundum et Gothmarum exercitum movent. Cùmque in aciem simul venissent, fugientibus Burgundionibus, Sigismundus cùm ad SS. Martyrum Agaunensium Monasterium fugeret, 523.
comprehensus à Chlodomiro, cum uxore et filiis suis necatur, et in puteum projectus 524.
occultatur . . . . Chlodomirus in provincia Viennensi, in loco, qui dicitur Veseroncia, cum Burgundionibus decertans interfectus est. Franci indignè ferentes, Goth- 524.
marum persecuti interimunt.

Theodoricus, Childebertus et Chlotharius Reges contra Hermenefridum Regem 528.
Thoringiorum exercitum commovent, et victores Hermenefridum fugant. Quem posteà Theodoricus sub fide receptum, de muro urbis, cùm simul loquerentur, præcipitat,
D infantesque ejus interficit. Childebertus quoque pro sorore sua Amalrici Regis uxore in Hispania pugnam iniit. Ibique Amalricus interfectus, ac thesauri illius direpti, Toletum urbs vastata. Childebertus cum sorore sua reversus est, quæ tamen in itinere obiit. Childebertus verò inter reliquum thesaurum calices pretiosissimos LX. detulit, XV. patenas miro opere cælatas, XX. capsas Evangeliorum ex auro purissimo cum gemmis : quæ cuncta Ecclesiis divisit. Childebertus et Chlotharius filios Chlodomiri nepotes suos, quos nutribat Chrotildis, ne regnarent loco patris, interficiunt : unus ex his Chlodoaldus 533.
effugit. Hic posteà, relicto regno terreno, clericus factus, presbyter deinde ordinatus, bonis operibus præditus, plenus virtutibus, migravit ad Dominum, sepultus Noviome (f) in suburbio Parisiacæ civitatis.

Theodoricus Francorum Rex moritur : cui succedit Theutbertus filius ejus. Chil- 534.
debertus et Chlotharius Reges Francorum Hispaniam vastant; Cæsaraugustam cir-
E cumdantes obsident. Sed cives Tunicam S. Vincentii Martyris circumferentes, 542.
misericordiam Domini rogabant. Qua de re flexi Reges Childebertus et Chlotharius, pace composita, in munere Stolam beatissimi Vincentii Martyris à Cæsaraugustanis acceperunt. Parisios reversus Childebertus, Ecclesiâ in veneratione B. Vincentii Martyris ibi constructâ, eamdem ipsam Stolam in eadem ipsa Ecclesia reposuit. Teutbertus Italiam ingreditur, Longobardos superat, atque tributarios sibi 539.
subigit. Reversus XIV. regni sui anno moritur. Sed et Chrotildis plena bonis operibus 547.
apud urbem Turonum migravit ad Dominum. Corpus ejus à filiis sublatum, Parisiis 545.
juxta virum suum Chlodoveum in Ecclesia S. Genovefæ sepultum est. Chlotharius

(a) Ita cod. Cluniac. Editi, *Burgundionum Rex.*
(b) Idem, *non fuisses.*
(c) Agaunense Monasterium, quod jam exstabat, à Sigismundo tantùm instauratum fuit.
(d) Cod. Clun. *Parisius*, et sic deinceps.
(e) Idem, *Cochilaricò.*
(f) Cod. idem, *Novione.* Fortè legendum *Noviento* seu *Novigento,* quod nunc S. Clodoaldi fert nomen, *S. Cloud.*

An. 560. Rex filium suum Chramnum contra se rebellantem, et publica pugna resistentem, cùm priùs idem Chramnus captus et ligatus fuisset, cum uxore et filiis jussit igne cremari. Hoc tempore B. Medardus Episcopus plenus virtutibus migravit ad Dominum. Quem Chlotharius Rex Suessionis civitate gloriosè sepelivit, multas facultates et mu-
561. nera ad sepulturam illius tradens. Ipse autem Rex non multò pòst defunctus, in eadem ipsa Ecclesia B. Medardi à filiis suis sepelitur. Regnavit autem quinquaginta et unum annos.

Quatuor fratres filii Chlotharii regnum inter se dividunt. Charibertus accepit regnum Childeberti, sedemque constituit Parisiis : Guntchramnum regnum Chlodomiri, constituitque sedem Aurelianis : Chilpericus regnum Chlotharii patris sui, Suessionisque civitate sedem sibi statuit : Sigibertus accepit regnum Theodorici,
562. sedemque sibi constituit Rhemis. Octavo (a) regni ejus anno in Gallias Hunni cum Sigiberto prælia committunt. Victi amicitias petunt : sicque in terram suam refugiunt.
564. Sigibertus et Chilpericus fratres inter se decertant : et primùm Chilpericus civitatem Rhemensem pervasit. Sigibertus iterum Suessionas (b) occupat, capto Teutberto Chilperici filio. Sed postmodùm sacramentis inter se datis, aliquot annis in qua-
567. dam pace manserunt. Charibertus Rex moritur, atque in Basilica S. Romani Blavio castello sepelitur. Sigibertus Rex Brunichildem Athanaïldi Regis filiam uxo-
566. rem accepit : eamque sub Arrianis baptizatam in nomine (c) individuæ Trinitatis rebaptizari præcepit. Ejus sororem Chilpericus Rex, ad patrem in Hispaniam mit-
567. tens, Chilsuintam expetiit : et cùm alias uxores haberet, ipsam superduxit : quam tamen posteà, consilio usus Fredegundis, per noctem in lecto suo transgulavit. Jam tunc Chilpericus tres filios habebat de Audovera uxore sua, Teutbertum et Meroveum et Chlodoveum. Absente Chilperico Fredegundis Audoveram Reginam tali fraude decepit, ut filiam, quam de Chilperico habebat Audovera, ex sacro fonte ipsa per se, non per aliam susciperet : quod et ipsa seducta quidem fecit. Ac idcircò postmodùm à marito suo Chilperico dimissa : sicque Fredegundis (d) in connubium transiit. Audovera verò velata, villas et prædia tantùm ad sustentationem sui accepit. Episcopus, qui filiam baptizavit, et matrem eam tenere non prohibuit, exilio damnatus est.

Franci, qui sub ditione Chilperici erant, ad Sigibertum transeunt : sicque Sigibertus Tornacum (e), ubi Chilpericus residebat, obsedit. Eo tempore sanctus Germanus Parisiorum Episcopus Sigiberto Regi mandavit, ut contra fratrem suum nullo modo abiret, neque de interfectione illius cogitaret : quod ille audire contempsit. Sed Francis consentiens, more gentis impositus clypeo, Rex constitutus est, ac regnum
575. fratris sui Chilperici adeptus, qui non longè fraude Fredegundis à duobus juvenibus interfectus est. Namque illi simulantes secretius aliquid ei suggerere, latus illius perfodiunt. Qui à Chilperico fratre in Lambriaco vico sepultus est : inde translatus in Basilicam sancti Medardi, juxta patrem suum Chlotharium positus est. Regnavit autem XIII (f) annis.

576. Meroveus filius Chilperici Brunichildem uxorem avunculi sui in conjugium accepit : pro qua re captus à patre et tonsuratus, ac presbyter ordinatus, in pago Cinno-
* Aninsulense. mannico in Monasterium * missus est. Childebertus junior Brunichildis filius Rex in Austria constitutus : qui Italiam ingressus, eam devastavit, et tributariam fecit.
590. Guntchramnus Rex bonæ satis memoriæ mortuus est, atque in Basilica sancti
593. Marcelli Martyris Cabillone sepultus. Regnavit autem triginta et uno annis. Leu-
584. bigildus (g) Rex filiam Chilperici et Fredegundis, nomine Rinchildem duxit uxorem.

Fredegundis cum Landerico Majore-domûs adulterans, Chilpericum Regem à
584. venatione revertentem dolo per gladiatores interficere (h) fecit : et quasi nescia mali, cum exercitu Parisios deportatum in Ecclesia B. Vincentii Martyris sepelivit. Sic ipsa cum Landerico et Chlothario parvo (i) filio in regno resedit. Contra quam Childebertus Rex Austrasiorum, qui Guntchramno patrueli in regno Burgundiæ
593. successerat; bellum commovit. Sed Fredegundis suis consilium dedit, ut nocte cum lampadibus obviam irent, et præcedentes ramos in manibus ferrent, appensis tin-

(a) Alii Hunnorum irruptionem factam dicunt statim post mortem Chlotharii.
(b) Cod. Clun. *Suessionis.*
(c) Idem, *sanctæ et individuæ.*
(d) Idem, *in Fredegundis connubium.*
(e) Idem, *Tornadium.*
(f) Idem, *quatuor et decem annis.*
(g) Idem, *Leuvichildus..... Richildem.*
(h) Idem, *interfici fecit.*
(i) Idem, *parvulo filio..... Childebertus Rex Austri.*

A tinnabulis ad colla equorum, ne à vigiliarum custodibus sciri possent. Nam tunc temporis tinnitos equos Austrasii ad pastum emittebant : Illic sic cuncta facientes, Austrasios et Burgundiones tali fraude seduxerunt, dum vigiliæ putant juxta silvam equos suos pascere, et tintinnabula equorum suorum resonare. Cæsus itaque Childeberti exercitus : reliqui cum Ducibus in fugam versi sunt. Fredegundis post aliquantum temporis mortua, in Ecclesia beati Vincentii Parisiis sepulta est. An. 598.

Theodebertus et (a) Theodericus filii Childeberti cum avia sua Brunichilde in regnum gloriosi Regis Guntchramni in Burgundiam directi sunt. Theodericus cum Chlothario patruele suo pugnam iniit, eumque cum exercitu suo fugavit. Inde Theodericus, consilio matris suæ Brunichildis, cum Theodeberto fratre pugnam miscuit. Frater ejus Coloniam ingressus, doloque ibi occisus est : caputque illius Theoderico fratri, ut ipse jusserat, delatum. Filii Theodeberti ab ipso sunt interfecti : filiam
B ejus in conjugium sumere volens, à matre prohibitus est. Cuique postmodùm Brunichildis mater, timens ne eam perimeret, venenum porrexit; talique morte obiit, regnans (b) XL. annis. Filios ejus Brunichildis occidit. 596. 600. 612. 613.

Burgundiones et Austrasii, cum reliquis Francis pace facta, Chlotharium in tribus totis regnis super se Regem levaverunt. . . . . Brunichildis Regina pro multis sceleribus suis, in præsentia Chlotharii Regis judicantibus Francis, indomitis equis religata, brachiis et cruribus divaricatis, membratim discinditur; ac igni ossa illius cremata sunt.

Chlotharius Rex Saxonum terram vastavit in tantum, ut non ibi relinqueret hominem viventem longiorem, ut fertur, quàm spatha * ipsius erat. Non longo tempore interjecto, XLIV. regni sui anno moritur. Successitque ei Dagobertus filius ejus, vir strenuus, et in judiciis severus. Habuit autem duos filios, Sigibertum et Chlodo-
C veum : quorum unum Sigibertum in Austriam cum Pippino Duce direxit, Chlodoveum juniorem secum retinuit. Gundolandus (c) Major-domûs moritur : cujus loco Herchenoldus (d) à Dagoberto constituitur. * Clun. *Spada.* 628. 633.

Dagobertus Rex Ecclesias sanctorum ditavit; eisque multa largitus, pacificè et quietè regnum tenuit Francorum. . . . . Dagobertus Rex valida febre ægrotans, mortuus est Spinogilo villa in pago Parisiensi (e), atque in Ecclesia B. Dionysii Martyris sepultus est. Luxeruntque eum Franci diebus multis. Regnavit autem (f) XLIV. annis. Ejus loco constituerunt Franci Chlodoveum filium ejus Regem : cujus uxor Baltildis de genere Saxonum. Sigibertus Rex Austrasiæ (g), Pippino defuncto, Grimoldum filium ejus Majorem-domûs instituit. Non longè pòst defuncto Sigiberto Rege, Grimoldus filium ejus parvum, Dagobertum nomine, totondit, ac Dodoni Pictavensi Episcopo sub custodia dirigit. Franci plurimùm inde indignati, captum
D Grimoldum Chlodoveo Regi tradunt : qui posuit eum Parisiis in custodia; ibique diu excruciatus, vitam finivit. 638. 639. 656.

Chlodoveus Rex temerè agens, brachium B. Dionysii Martyris abscidit. Ab eo tempore, sicut Franci tenuerunt, regnum ipsorum cadere cœpit, variis casibus molestatum. Chlodoveus Rex multis illectus vitiis, tandem ex Baltilde Regina tres filios habuit, Chlotharium, Childericum atque Theodericum. . . . . Chlodoveus Rex nimiùm lubricus decessit, cùm regnasset annis (h) XVI. Franci Chlotharium filium ejus Regem constituunt. Herchinoldo Majore-domûs defuncto; Franci in incertum euntes, Ebroïnum in hac dignitate, ut Major esset in aula regia, constituunt. Chlotharius (i) quatuor annos regnans obiit : cujus loco Franci Theodericum fratrem ejus erigunt : Childericum alium fratrem ejus simul cum Vulfoaldo Duce in Austriam regnare dirigunt. 656.

Franci Ebroïno insidias parantes, Theodericum de regno abjiciunt, Ebroïnum
E Luxovio Monasterio tondent : Childericum super se Regem levant; Majorem-domûs Vulfoaldum. Sed non multò pòst propter levitatem animi sui idem Childericus à Francis interficitur : Vulfoaldus fuga elabitur. Franci Leodesium Archenoldi filium Majorem-domûs constituunt : Theodericum ad regnum (k) advocant. Dicitur in 670. 673.

(a) Solus Theodericus in Burgundiam directus, in qua regnavit. Theodebertus regnum Austrasiæ habuit.
(b) Corrig. *XVIII.*
(c) Aliàs, *Gundoaldus.*
(d) Aliàs, *Erchinoaldus*, qui non Gundoaldo successit, sed Ægæ, anno 640. atque ideò non à Dagoberto Major-domûs constitutus.
(e) Cod. Clun. *Parisiacense.*
(f) Corrig *XVI.* ab anno nimirum 622. ad an. 638.
(g) Cod. Clun. *Rex Austrorum..... Grimaldum.*
(h) Corrig. *XVIII.*
(i) Vide Notas in Gesta Regum Francorum, suprà pag. 569.
(k) Ita cod. Clun. Editi, *in regno.*

consilio fuisse Leodegarius venerabilis Episcopus Augustodunensis, et Gerinus frater ejus. Ebroïnus itaque magnæ impietatis homo clericaturam abjiciens, à Luxovio Cœnobio egressus, seductus sine dubio ab spiritu mendacii, qui dixerat ei quòd duodeviginti (a) annis viveret, in Franciam revertitur. Copiis undecumque sibi agdegregatis, ad Audoënum Episcopum Rothomagensem dirigit (b). Mox responso inde accepto, tyrannicè contra hostes debacchatus, Leodesium fraude captum occidit : ac sic principatum vi sub Theoderico Rege obtinuit. Continuò sanctum Leodegarium Episcopum diversis pœnis affectum gladio (c) percussit ; Gerinum quoque fratrem ejus diu excruciatum peremit; multos cogens in exilium, ablatis facultatibus, quibus Vulbaldus (d) et Ragnebertus illustres viri, multi pressi injuriis, virtute venerabiles occumbunt. A

An. 674.

Vulfoaldo decedente, Martinus et Pippinus junior filius Ansegisili, Regibus decedentibus, dominabantur in Austria. Moto prælio contra Theodoricum Regem et Ebroïnum, Martinus fuga lapsus Lugduno Clavato (e) se recludit : Pippinus quoque è latere evadit. Ebroïnus, datis sacramentis, Martinum ad Regem Theodericum venire suadet : ille credulus, mox cum suis interfectus est. Ebroïnus crudelitate nimia sævus, ab Hermenfrido Franco interfectus est. Hermenfridus in Austrasiorum regnum ad Pippinum fugiens, evasit. Erat tunc temporis vir oculis cæcatus, unus de illis quibus Ebroïnus effoderat lumina, in insula Lugdunensis provinciæ, quæ Barbara dicitur. Qui cùm nocturno tempore super ripam Sicannæ fluminis orandi gratiâ resideret, audivit navigantium impetum, et magna vi brachiorum contra impetum fluminis insurgentium. Cùmque interrogasset, quò navigium illud tenderet, vox in auribus ejus percrebuit : *Ebroïnus est, quem ad Vulcaniam ollam deferimus : ibi enim facti sui pœnas luet.* Hoc idem vir audivit ad consolationem sui, ut sciret quam pœnam persecutores justorum sentirent (f). B

679.

681.

C

Franci Waratonem pro Ebroïno Majorem-domûs faciunt : qui pacem cum Pippino componit. Pippinus cum Gislemaro Warattonis filio, contra voluntatem patris agente, civilia bella habuit. Sed Gislemarus à Deo percussus obiit. Pater ejus Warato principatum recepit. S. Audoënus Episcopus virtutibus clarus migravit ad Dominum.

684.

Post Waratonem Bertharium Majorem-domûs, statura et sapientia pusillum, Franci constituunt. Pippinus cum Theoderico et Berthario bellum iniit, et vicit. . . . . Pippinus Austrasiorum Dux Theodericum Regem cepit, atque thesauris acceptis, Nordebertum quemdam de suis Majorem-domûs sub Rege eodem constituit. Ipse in Austriam remeavit. Habuit autem ex uxore sua nobili duos filios, Drogum et Grimoldum. Drogus Ducatum in Campania accepit.

686. 687.

D

Theodericus Rex Francorum mortuus est, qui regnavit annis XIX. . . . . Chlotharius (g) filius Theoderici puer Francis regnavit annos tres : cui successit Childebertus frater ejus vir inclytus. Defuncto Northberto Majore-domûs, Grimoldus Pippini filius effectus est. Pippinus multa bella gessit contra Rittodum (h) gentilem Frisonum Ducem, similiter contra Suevos, vel alias quamplures gentes. . . . Drogo filius Pippini defungitur hybernali tempore anno Incarnationis Domini DCCVIII. Anepos Episcopus, sæcularis conversationis vir, duxit exercitum Francorum contra Wiliarium in Suevos ; ubi gravissima cædes facta est anno Incarnationis Domini DCCXII.

691. 695.

Bonæ memoriæ Childebertus Rex migravit, regnans XIII (i) annos ; et sepultus est Cauciaco (k) Monasterio in Basilica sancti Stephani protomartyris. Regnum suscepit Dagobertus adhuc puer, filius ejus : Major-domûs Grimoldus, vir modestus et justus, qui habebat Ratbodi Ducis filiam Theusuindam in conjugium : nam ex alia femina Theudoaldum habuerat. Ægrotante itaque Pippino genitore ejus, dum ad visitandum eum venisset, à Rangario Frisone gentili peremptus est in Basilica sancti Landeberti. Pater ejus Theudoaldum in honore defuncti fratris instituit Leodico, anno Incarnationis DCCXIV. in mense Aprili. Nec multò pòst Pippinus pater ejus mortuus est eodem anno, medio Decembri. Obtinuit autem principatum sub

711.

E

714.

(a) Clun. *viginti duobus.*
(b) Idem, *pergit.*
(c) Quæ diversis acta sunt temporibus, una serie narrantur.
(d) Cod. Clun. *Wilbadus et Raimbertus..... obpressi injuriis.*
(e) Ita cod. Clun. Malè in editis *Lugduno cloaca.*
(f) Clun. *haberent.*
(g) Corrig. *Chlodoveus.* Paulò pòst malè in Editis et cod. Clun. *annos III.* Legendum, *annos IV.*
(h) Cod. Clun. *Rothodum* gentilem Frisionum : leg. *Ratbodum.*
(i) Malè in Editis et cod. Clun. *XIII. annos.* Corrigendum *XVI.*
(k) Cod. Clun. *Cautilieco monasterio.*

A nominatis Regibus annis XXVII..... Carolus Pippini filius ex alia uxore, cùm captus à Plectrude Pippini quondam uxore teneretur, auxiliante Domino evasit.

Dagobertus Rex annis quinque regnans, mortuus est. In illis diebus paulò antè Franci mutua cæde se sternunt, ac Theodoaldum Grimoldi Justi filium validè persequendo fugant, electo Raganfrido in principatum Majoris-domûs. Franci Danielem quemdam Clericum, post abjectionem tonsuræ in regno stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Exercitum usque fluvium Mosam contra Carolum commovent. Ex alia parte Ratbodus Dux cum Frisonibus contra eumdem Carolum insurgit : pugna valida commissa cum Frisonibus, Carolus gravi damno afflictus, dilapsus est. Ratbodus usque ad Coloniam cuncta devastans pervenit, mense Julii, anno Incarnationis Domini DCCXV (a). An. 715. 716.

Chilpericus simul cum Raganfrido Arduennam silvam ingressus, magno exercitu
B usque Rhenum civitatemque Coloniam pervenerunt, thesaurum multum à Plectrude accipientes, vastantesque terram, reversi sunt ad Amblaviam (b) : sed subitò Carolo super eos irruente, maximum à copiis suis dispendium sustinent. Iterùm Carolus, exercitu commoto, adversus Chilpericum vel Raganfridum pergit. Illi contrà, hoste parato, bellum accelerant in loco nuncupato Vicieco (c), die Dominica, illucescente die, infra Quadragesimam, XIII. Calendas Aprilis, anno Incarnationis DCCXVII. Chilpericus et Raganfridus fugati, penes Carolum victoria fuit. Coloniam venit, thesauros patris sui à Plectrude recepit : Regem sibi Chlotharium statuit. Chilpericus et Raganfridus Eudonem Ducem in adjutorium expetunt : contra quos Carolus intrepidus pergit. Eudo Parisios fugiendo pervenit. Chilpericus, thesauris regalibus sublatis, trans Ligerim in Aquitaniam se eripuit. Chlotharius Rex eo anno mortuus est. 717. 719.

C Carolus legationem ad Eudonem misit, amicitiasque cum eo componit. Cui Eudo Chilpericum Regem cum multis muneribus reddidit : sed idem non diu in regno resedit : siquidem Noviomo civitate mortuus ac sepultus est. Regnavit autem annis plus quinque. Franci Theodoricum Dagoberti junioris filium Regem super se constituunt. Carolus Major-domûs et Austrasiorum Princeps vastans omnia, et Saxonum agros diripiens, ad Wisorem (d) pervenit. Ratbodus Frisonum Dux moritur : et Carolus cum Saxonibus bellum iniit. Ibi gravissima cædes hominum altrinsecùs morientium facta est. Post aliquot annos in Bajovariam iter irripuit, Bajovariosque cum labore maximo ad deditionem coëgit. Post reluctantibus iterùm occurrit; et secunda vice fortitudine exercitûs sui superdomuit. Iterùm abiit in Saxoniam, deinde ad Suevos contra Lantfridum, quos ab infestatione nimia repressit. Exinde exercitum commovent contra Eudonem Aquitaniorum Ducem,
D ivitque usque in Wasconiam, fugato Eudone. 720. 718. 719. 720. 725. 728. 730. 731.

Sarraceni multis copiis navibusque plurimis longè latèque plurimas urbes tam Septimaniæ quàm Viennensis Provinciæ vastant. Contra quos Carolus expeditionem ducens, graviterque eos fundens, in Hispanias repulit. Facta concertatio mense Octobri : gerens et alia diversis in partibus prælia. Iterùm post aliquot annos perrexit usque in Wasconiam, Aquitaniam depopulatus. Mortuo Eudone, contra filios illius arma corripuit, eosque vehementer afflixit. Sed variante concertatione, cùm ex utrisque partibus plurimi cæderentur, tandem fœdus non diu mansurum ineunt. 732. 735. 736.

Sarraceni penè totam Aquitaniam vastantes, et latè alias provincias igne ferroque superantes, Burgundiam dirissima infestatione deprædantur. Penè omnia flammis exurentes, Monasteria quoque ac loca sacra fœdantes, innumerum populum abigunt, atque
E in Hispanias transponunt. Contra quos Carolus iterùm expeditionem movit : quibus forti manu resistens, cæsa inde maxima multitudine, reliquos, qui superfuerunt, fugere compulit : è quibus pauci evasere. 737.

Anno Incarnationis Domini DCCXLI. Carolus Pippini filius Francorum Dux defunctus est principatum illius obtinente Carlomanno (e) et Pippino fratre ejus. Childericus in regno Francorum substituitur. 741. 742.

Carlomannus et Pippinus contra Hunaldum Ducem Aquitaniorum exercitum movent, ceperuntque castrum quod vocatur Lucas. In ipso itinere positi, divi-

(a) Corrig. *DCCXVI.*
(b) Cod. Clun. *ad Amblava.*
(c) Aliàs *Vinciaco.* Viculus nunc est dictus, *la Cense de Vinci,* in pago Cameracensi, prope oppidum Crepacordium, *Crevecœur.*
(d) Cod. Clun. *Wisorum.*
(e) Idem, *Karlemanno,* et sic deinceps.

serunt sibi regnum Francorum in loco, qui dicitur Vetus Pictavus. Eodem anno A
Carlomannus Alamanniam vastavit.

An. 743. Carlomannus et Pippinus ineunt pugnam cum Odilone Duce Bajovariorum. Eodem anno Carlomannus cum Saxonibus conflictum habuit; çepitque castrum quod dicitur Hochseoburg,et Theotecnum (a) Saxonem placitando sibi conquisivit, anno Incarnationis Domini DCCXLIII.

744. Iterùm Pippinus et Carlomannus expeditionem habuerunt in Saxoniam, anno Incarnationis Domini DCCXIV. Captusque est Theodericus Saxo.

745. Sequenti anno nullam fecerunt expeditionem, eò quòd Carlomannus dispositum haberet sæcularem militiam relinquere. Et ipso anno paravit iter suum, paravitque se frater ejus Pippinus honorificè ad (b) obsequium illius.

747. Anno Incarnationis Domini DCCXLVI. Carlomannus secundùm votum suum Romam
* Soracte. abiit, ibique se totondit; atque Monasterium in monte Sarepte * in veneratione sancti B
Silvestri construxit, ibique sub monastico habitu aliquo tempore vixit. Inde ab sanctum Benedictum in Cassino monte perveniens, Monachis sociatus est.

748. Grifo ante faciem Pippini Ducis fugit in Saxoniam. Pippinus per Thoringiam iter arripiens, introivit in Saxoniam, pervenitque ad fluvium Missaha (c), in loco qui dicitur Scaamgi. Grifo adjungens secum Saxonum multitudinem, super fluvium Oacrum, in loco qui dicitur Horahim : illuc quoque eum est Pippinus insecutus.

749. Sed Grifo arripiens fugam, pervenit usque Bajovariam, Ducatumque ipsum sibi subjugavit : Tassilonem atque Iltrudem captos subdidit. Swidger ad auxilium ei venit. Hoc audiens Pippinus, iter post eum arripiens, captum Grifonem secum adduxit, simul cum Lantfrido atque Swidger. Tassilonem verò in Ducatum Bajovariorum posuit, eique per beneficium Bajovariam commisit. Grifoni quoque in C
partibus Austriæ duodecim Comitatus dedit. Inde pòst Grifo fugiens, Waifario Hunoldi filio Aquitaniorum Duci se conjunxit : ibique ambo contra Pippinum rebellionem parant.

751. Interim dum copiæ parantur, misit Pippinus Utgardum (d) Wisburgensem Episcopum et Fulradum Capellanum suum ad Zachariam tunc temporis Pontificem Romanum, ut interrogarent eum, si ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius potestatis essent, jam solo regio nomine contenti. Quibus Zacharias Pontifex responsum dedit, Regem potiùs illum debere vocari, qui Rempublicam regeret.

752 Reversis legatis, abjectoque Childerico, qui tunc regium nomen habebat; Franci per consilium legatorum et Zachariæ Pontificis electum Pippinum Regem sibi constituunt.

Cætera dabuntur suo loco.

(a) Cod. Clun. *Hocseucburc et Theonecnum :* leg. *Theodericum.*
(b) Cod. Clun. *in obsequium.*
(c) Idem, *fluvium qui dicitur Missaha in loco dicto Scahamngi.*
(d) Aliis dicitur *Burgardus*, *Burchardus* et *Burchartus*. Cod. Clun. *Witburgensem.*

ANNALES

A

ANNALES FRANCORUM (a) FULDENSES.

DCCXIIII.

PIppinus filius Anchisi (b) Dux Francorum post mortem Wolfaldi Ducis partem Austriæ regebat, obtinuitque regnum Francorum per annos xxvii. cum Regibus Ludovico, Hildeberto et Dagoberto. Moritur anno secundo Anastasii Imperatoris, qui est ab Incarnatione Domini dccxiiii. in mense Decembri. Hujus filius Karlus et Alheyde *, quam , posthabita priore conjuge Waltrude, duxit uxorem, sub honore Majordomatûs tenuit regnum Francorum annis xxvii. Hoc eodem anno dccxiiii. Grimaldus similiter mortuus est.

* Altheida.

B

DCCXV.

Post mortem Pippini Plectrudis ejus relicta vidua incomparabili odio contra Carlum succensa, custodiâ eum publicâ observari jubet. Unde ille divino auxilio liberatus, primo certamine contra Ratbodum (c) Regem Frisonum, qui Coloniam usque venerat, mense Martio pugnans, dum fortiter dimicat, magnum exercitûs sui damnum consequitur. Dagobertus Rex mortuus est, et Saxones devastaverunt terram Bazzoarionum *.

* Hattuariorum.

DCCXVI.

Raginfridus Major-domûs et Hilpricus cum exercitu fines Coloniensium et regiones Rheno contiguas vastant, acceptisque à Plectrude muneribus revertuntur.

C

DCCXVII.

Raginfridus et Hilpricus Rex in Vinciaco, die (d) Dominica ante Pascha, cum Carlo pugnantes terga verterunt: quos Carlus fugientes cædendo persequitur usque Parisios. His temporibus Winfridus, qui posteà, cùm Episcopus ordinaretur, Bonifacii nomen accepit, doctor Catholicus, natione Anglus, primùm Romam, deinde cum auctoritate Gregorii Papæ in Franciam ad prædicandum verbum Dei venit (e).

DCCXVIII.

Carlus (f) victor regrediens Coloniam venit, receptisque à Plectrude thesauris patris sui, Regem sibi constituit Hlotharium, nomine, non potestate. Hilpricus (g) verò et
D Raginfridus, auxilio Eudonis Ducis Aquitaniorum instaurata rursus acie, superati fugantur à Carlo.

DCCXIX.

Carlus ad Eudonem mittit, et Hilpricum, qui ad eum confugerat, per legatos recepit. Quo tempore Rex Hlotharius mortuus est. Bonifacius vir sanctissimus à Præside Sedis Apostolicæ Gregorio Mogontiacæ civitati Metropoli Germaniæ Archiepiscopus ordinatur, et Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam mittitur. Qui prædicatione sua multos populos, Thuringorum videlicet, Hessiorum et Austrasiorum, ad fidem rectam, à qua diu aberraverant, convertit. Monasteria quoque Monachorum et Virginum primus in partibus Germaniæ instituit.

E

DCCXX.

Mortuo Hilprico, Carlus Teotricum in sedem regni constituit.

DCCXXI.

Carlus Ragenfridum persequens (h), Andegavis urbem cepit. Posteà Saxones vastando, victor rediit.

(a) Hi Annales in Cœnobio Fuldensi sub ditione Ludovici fratris Caroli Calvi incœpti, et usque ad excessum Arnulphi Imper. continuati sunt. Hinc Fuldenses dicti. Illos primùm edidit P. Pithœus, dein Marquardus Freherus plurimùm auctos vulgavit. Utramque Editionem simul contulit Chesnius Tom. 2. Script. Franc. pag. 531.

(b) Cod. Vindobonensis apud Lambecium, *Ansgisi*. Ita apud Freherum.

(c) Hæc ad an. 716. pertinent.

(d) Corrig. *die XV. ante Pascha*.

(e) Sic cod. Vindob. Editi, *divertit*.

(f) Hæc ad annum præcedentem referenda.

(g) Ista ad annum 719 pertinent.

(h) Illud contigit anno 724. Saxones victi anno 720. Quæ sequuntur usque ad mortem Caroli, annis recitantur non suis.

DCCXXII. A

An. 725. Carlus Alamannos et Bajoarios armis subegit.

DCCXXIII.

* Bajoarii. 728. Iterum Alamanni et Norici * pacis jura temerare nituntur.

DCCXXIV.

731. Carlus transito Ligere, Eudonem fugat, vastata et incensa regione ejus.

DCCXXV.

732. Sarraceni (a) ab Eudone in auxilium suum vocati cum Rege suo Abdirama, Garonnam Burdigalemque perveniunt, cunctis locis vastatis. Et Ecclesiis igne crematis, Basilicam quoque sancti Hilarii Pictavis incendunt. B

DCCXXVI.

732. Carlus Sarracenis cum manu valida occurrens, et auxilio Dei fretus, Regem eorum cum infinita multitudine prostravit, devictisque hostibus, cum triumpho regreditur.

DCCXXVII.

733. Carlus Burgundiam petens, Lugdunum et civitates reliquas suæ ditioni subegit.

DCCXXVIII. C

735. Eudo Dux moritur, et Carlus Aquitaniæ Provinciam absque bello recepit.

DCCXXIX.

733. Carlus navali evectione regnum Fresonum ingreditur, interfectisque quam plurimis, Popponem Ducem eorum interemit, subversisque lucis, fanis, victor cum præda magna revertitur.

DCCXXX.

737. Sarraceni, collecto exercitu, Avennionem urbem capiunt, et circumquaque regiones devastant. D

DCCXXXI.

737. Carlus, assumptis armis, urbem Avennionem obsidione vallat, instructisque machinis capiens, magnam Sarracenorum stragem efficit.

DCCXXXII.

737. Carlus Gothorum fines penetrans, Narbonem obsidet, Rege Sarracenorum Athima intus incluso.

DCCXXXIII.

737. Sarraceni de Hispania audientes urbem obsessam, armati superveniunt. Contra quos Carlus dimicans, Regem cum populo usque ad internecionem delevit. E

DCCXXXIV.

739. Sarraceni à Carlo in bello superati. Qui gladium effugere poterant, ascensis navibus, demersi sunt in mari.

739. DCCXXXV.

Franci Carlo Duce Sarracenos proterunt, prædam magnam ducentes et captivorum multitudinem.

(a) Quæ hîc Annalista annis 725 et 726 consignat, ea unanimi Scriptorum consensu anno 732. gesta sunt.

A DCCXXXVI.

Regionem Gothicam Carlus cum Francis ingrediens, urbes famosissimas, Nemausum, Agaten, et reliqua Castella capit destructis muris et mœniis earum usque ad fundamenta. An. 739.

DCCXXXVII.

Carlus Saxones tributarios fecit. 738.

DCCXXXVIII.

B Carlus regionem Provinciam ingressus, Maurontum Ducem, qui dudum Sarracenos per dolum invitaverat, fugere compulit. 739.

DCCXXXIX.

Carlus Provinciam totam et cuncta ejus maritima loca suæ ditioni subegit.

DCCXL.

Pax et quies regno Francorum per Carlum redditur ad tempus, Gothis superatis, Saxonibus et Fresonibus subactis, expulsis Sarracenis, Provincialibus receptis.

C DCCXLI.

Carlus anno Ducatûs sui XXVIII. moritur Parisiis, et apud sanctum Dionysium sepelitur. Cujus filii Carlmannus et Pippinus, sub obtentu Majordomatûs, totius Franciæ regnum suscipiunt, et inter se dividunt.

DCCXLII.

Carlmannus et Pippinus Hunaldum Aquitaniæ Ducem imperio suo resistentem, bello superatum ad Wascones fugere compellunt : simul et Alamannos, Duce Theobaldo rebellare temptantes, mira celeritate comprimunt.

D DCCXLIII.

Carlmannus et Pippinus Odilonem Ducem Bajoariorum rebellare conantem prælio superant.

DCCXLIV.

Carlmannus cum Odilone Duce Bajoariorum pacem fecit. His temporibus fundari cœptum est Fuldense Cœnobium à sancto Bonifacio in solitudine Boconia.

DCCXLV.

Carlmannus et Pippinus simul Saxonum perfidiam, vastata eorum regione, ulciscun-
E tur, et castrum Ohsburg capiunt.

DCCXLVI.

Carlmannus Alamannos iterum res novas molientes, nonnullis eorum interfectis, compescuit. Bonifacius Archiepiscopus, cum auctoritate sedis Apostolicæ, annuente Carlmanno, duas sedes Episcopales constituit, unam in castro Wirziburg, ubi (a) Burghartum collegam suum ordinavit : alteram in loco qui vocatur Eihstat, cui Willibaldus Episcopus ordinatus.

DCCXLVII.

Carlmannus, relicta quam tenebat potestate, Romam vadit, ibique mutato ha-

(a) Cod. Vindobon. *Burchartum.* Jam Burchardus et Willibaldus Episcopi erant anno 742. quo interfuerunt Concilio Germanico.

bitu religiosè victurus, in Cassinum ad sanctum Benedictum secedit, et Monachus efficitur. A

DCCXLVIII.

Gripho frater Carlmanni et Pippini potestatem quamdam affectans, ad Saxones se contulit. Pippino verò per Thuringiam ingresso Saxoniam super fluvium Obacra, in loco qui dicitur Horoheim, Saxones occurrunt, Griphonem cum eo pacificare cupientes. Gripho autem nec Saxonibus, nec Francis se credens, in Bajoariam fugit.

DCCXLIX.

Pippinus in Bajoariam pergens, Tassilonem nepotem suum, natum ex Hilthrude sorore sua, Ducem ibi constituit, Griphone et Lantfrido inde eductis. B

DCCL.

Pippinus Griphoni in partibus Neustriæ duodecim Comitatus dedit. Sed ille nec ibi securum se esse ratus, ad Waifarium Ducem Aquitaniæ secessit.

DCCLI.

Pippinus, missa Romam legatione, Zachariam Papam interrogat de Regibus Francorum ex antiqua Merovingorum stirpe descendentibus, qui Reges quidem dicebantur; sed potestas regni tota apud Majorem-domûs habebatur, excepto quòd Cartæ et Privilegia Regis nomine scribebantur; et in Martis Campum, qui Rex dicebatur, plaustro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens, semel in anno C populis visus, publica dona solemniter sibi oblata accipiebat, stante coram Majore-domûs, et quæ deinceps eo anno agenda essent populis adnunciante : sicque Rege domum redeunte, cetera regni negotia Major-domûs administrabat. Orat ergo sibi decerni, quis eorum justè Rex debeat dici et esse, is qui securus domi sedeat, an ille qui curam totius regni et omnium negotiorum molestias sufferat.

DCCLII.

Zacharias Papa ex auctoritate sancti Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pippinus, qui potestate Regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hildricus Rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperabat, depositus, et in Monasterium missus est. Pippinus verò in civitate Suessionum à sancto Bonifacio Archiepiscopo in Regem unctus, regni honore sublimatus est. D

ANNALES (a) RERUM FRANCICARUM

In Monasterio S. Arnulfi Metensis scripti.

PIPPINUS. DUX. An. 687.

ANno (b) ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi DCLXXXVII. Pippinus filius Ansegiseli nobilissimi quondam Francorum Principis, post plurima prælia magnosque triumphos à Deo sibi concessos, Orientalium Francorum, glorioso genitori feliciter succedens, suscepit principatum. Cujus memorabilium gestorum commenta, quæ ante principatum seu in principatu perregerit, cunctis Francorum populis declarata coruscant. Principium tamen insignis victoriæ, et perpetuæ laudis cumulus E

(a) Annales istos ab initio regni Francorum orsus est, eosque ad annum usque 904. perduxit Monachus S. Arnulfi Metensis; quos ideò Metenses vocat Chesnius, qui eos ex veteri codice Jacobi Sirmondi Societatis Jesu Presbyteri primus vulgavit Tomo 3 Script. Franc. pag. 262. omissis tamen iis omnibus, quæ annum 687. præcedunt, quippe quæ ex antiquioribus Scriptoribus ad verbum descripta sint. Hic Monachus Metensis, ut observat Hadr. Valesius Rerum. Franc. lib. 23. pag. 432. de Pippino Duce, de Carolo quoque Principe, et de tribus Caroli filiis plurima eximia ac memoria dignissima tradit, quæ frustra alibi quæras : quæ haud dubiè ab Scriptore æquali eorum Principum, sed plerumque nimis adulante, accepta esse necesse est. Ea nunc tantùm damus, reliqua suo loco daturi. In eo etiam peccat Chronographus iste, quòd in temporum notatione non satis accuratus sit.

(b) Hæc et sequentia usque ad annum 692. [vel potiùs 689.] sub nomine Fragmenti insignis de Pippino Ansegisi filio, Orientalium Francorum Principe, edidit Marquardus Freherus pag. 168. Corporis Historiæ Francicæ.

A extat, quòd adhuc in pueritiæ flore positus, indebitam gloriosi genitoris sui necem auxilio divinæ virtutis inæstimabili prosperitate ultus est. Auctorem enim infandi facinoris alienis deliciis affluentem subita inruptione interimens, puerili quidem manu, sed heroïca ferocitate prostravit : haud aliter quàm ut de David legitur, quòd Domino gubernante immanem Goliam puerili ictu proprio gladio vita capiteque spoliavit. Interempto itaque crudelissimo tyranno, nomine Gondowino, cum satellitibus suis, opibusque ipsius suis fidelibus distributis, Pippini virtus atque victoria longè latèque vulgabatur. Intereà Duces ac Optimates Francorum, quos gloriosus genitor ejus nutriverat, magnisque olim honoribus exaltaverat, audita nequissimi tyranni perditione, immenso repleti gaudio ad Pippinum properant, seque cum omnibus, quos gubernabant, suæ ditioni mancipant. Ad solatium autem, præstante Domino, tantæ rei publicæ administrationis erat ei gloriosa genitrix cunctis laudibus
B digna, nomine Begga, filia Pippini præcellentissimi quondam Principis, qui populum inter Carbonariam silvam et Mosam fluvium, et usque ad Fresionum fines vastis limitibus habitantem justis legibus gubernabat. Sanè quia huic masculini sexûs proles defuerat, nepoti suo Pippino superstiti nomen cum principatu dereliquit. Prædicta autem matrona Begga repleta omni prudentia, filium suum Pippinum cottidie salutaribus alloquiis ammonebat, ut sese regno futuro inter adolescentiæ erudimenta sine iniquitatis contagione, Domino adjuvante, servaret. Ipse verò gratia divina præditus, cunctas salubres suæ genitricis ammonitiones strenuis præveniebat moribus. Tanto enim prudentiæ lumine radiabat, ut grandævis et majoribus natu populis ipsi subjectis maximam admirationem ingereret. Nam justitiæ rigor, fortitudinis invicta soliditas, et temperantiæ moderamentum, talem in adolescentis pectore sibi locum sponte adsciverant, ut non solùm naturali insertione, quod ab
C indictissima parentum prosapia possederat, sed etiam divina inspiratione patentes esse crederentur. Ad solidandum quoque ipsius imperii fundamentum, erat ei agnatione avus quidam vir plenus virtutibus, Arnulfus nomine, Mettensis urbis Episcopus. Hic omnium Francorum coram Deo et hominibus patronus præcipuus habebatur. Ipse illum nihilominus sacris monitis, divinis et humanis, frequentissimè, ut ad potiora convalesceret, roborabat disciplinis. Ille verò non tardus auditor in cunctis sese feliciter mandatis et justificationibus Domini exercebat. Porrò matertera ipsius erat virgo Domino consecrata, Gertrudis vocabulo, quæ se ab infantiæ cunabulis, gratiâ Dei repleta, immortalis Domini servicio mancipavit; constructoque Monasterio in loco qui vocatur Nivella in hereditate propria, unà cum genitrice sua Juberga * dignum Domino cum turma plurima virginum servicium rependebat. Hæc ita- * *al.* Iduque adolescentis animum inter primævæ ætatis gaudia exultantem cœlestis disciplinæ berga.
D fructuoso imbre rigabat. Horum igitur, ut ita dixerim, Sanctorum propinquorum monitis sanctissimisque exortationibus confortatus, per justitiæ semitas ad regni gubernacula sine offensione gradiebatur. Confluebant autem ad Aulam ipsius universi Optimates cunctorum Orientalium Francorum, et factus est illis contra omnes æmulos defensor, et justissimus in corrigendis moribus dominator.

PIPPINUS. DUX.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCLXXXVIII. Pippinus successibus prosperis Orientalium Francorum, quos illi propria lingua *Osterliudos* vocant, suscepit Principatum. Hinc Suavos et Bajoarios et Saxones crebris irruptionibus frequentibusque præliis contritos suæ ditioni subjugavit. Hæ enim Gentes olim, et aliæ plurimæ multis sudoribus adquisitæ, Francorum summo obtemperabant imperio. Sed propter desidiam Regum, et domesticas dissensiones, et bella civilia, quæ in multas partes divisi regni ingruerant, legitimam dominationem deserentes, singuli in
E proprio solo armis libertatem moliebantur defendere. Quam obstinationem invictus Pippinus Princeps crebris expeditionibus utilissimisque consiliis et frequentibus populationibus Domino cooperante compescuit, severissimasque Nationes divina comitante virtute propriæ dominationi subegit. Eo tempore Theodericus Rex Occi- An. 670.
dentalium Francorum, quos illi Niwistrios dicunt, regebat Imperium, habens Majorem-domûs Ebroïnum nomine, crudelem scilicet virum, et ad plurima vicia pronum. Qui quondam quadam necessitate cogente Monasterium, quod vocatur Luxovium, adiit, ibique capitis coma deposita, monasticæ vitæ habitum cum voto suscepit. Succedentibus verò annis, cùm Rex (a) alius, qui sibi amicus fuerat, 673.

(a) Ipse est Theodoricus, qui cùm post Clotharii fratris mortem aliquot mensibus regnasset, à regno dejectus est : ac tandem, mortuo fratre Childerico, in regnum restitutus.

PIPPINUS DUX.

Francorum suscepisset Imperium, rursus Monasterium relinquens, habitumque tantummodò tonsuræ retinens, monachalem habitum abjiciens, uxore recepta, honorem iterum Majoris-domatûs arripuit. Sed quantùm inordinatè et illicitè illius officii administrationem subiit, tantùm perversiùs et scelestiùs ipsius gubernationem exercuit. Nam illos, qui sibi in Primi Principatûs amissione adversarii fuerant, ita persecutus est, ut nonnullos vita, libertateque plurimos ac propriis facultatibus spoliaret. In quo furore etiam Leodegarius eximiæ sanctitatis Episcopus, quia ipse solus suam vesaniam redarguere conabatur, martyrio * coronatur. Ea tempestate plurimi nobilium Francorum ob sævitiam prædicti tyranni Niwistriam relinquentes, in Austriam ad Pippinum confugiunt, supplices suam clementiam postulantes, ut sese de manibus crudelissimi hostis eriperet. Quos ille pietatis solitæ affectu commotus misericorditer excipiebat. Sanè, cùm Deus omnipotens huic monstruosæ potestati finem facere decrevisset, Ebroïnus ab Ermenfrido nobili interimitur, prostratoque immanissimo tyranno ad Pippinum confugium fecit. A quo causa perpetrati homicidii agnita, solita pietate suscipitur, et ceteris profugis jure humanitatis cum honore sociatur. Defuncto igitur Ebroïno, Theodericus Rex Waratonem virum strenuum atque illustrem Majorem-domûs instituit. Erat autem eidem Waratoni filius lubricus et callidissimus nimis, nomine Gisilmarus, qui potestatis cupiditate captus, patrem ab honore deposuit, et ipse improbus potestatem arripuit. Inter quem et invictum Principem Pippinum dissensiones plurimæ extiterunt, quas digna mors Gisilmari maturè terminavit. Quo mortuo, genitor ipsius pristino honoratus est officio. Qui etiam non multo pòst tempore vita decessit.

* An. 678.

681.

683.

684.

Igitur anno Incarnationis Dominicæ DCLXXXIX. defuncto Warattone, gener ipsius Bertarius nomine, Major-domûs à Theoderico Rege constituitur, nihil à moribus impii Gisilmari discrepans, præter ingenii calliditatem, et humani consilii sagacitatem. Igitur profugi, quos Pippinus in sua misericordia susceperat, frequentibus eum querimoniis appetebant, obsecrantes ut pro divino amore iujurias suas ulcisceretur. Pippinus verò sedato animo Legatos ad Theodericum pacificè dirigit, suggerens ut profugis, quos Ebroïnus pro sua cupiditate proprio solo expulerat, propriisque facultatibus spoliaverat, jure regio suis sedibus revocatos, æquitatis norma servata, patrimoniis injustè ablatis restitutis, ipsos reverti juberet. Hanc legationem Theodericus, suggerente Berthario, superbè recepit, suosque profugos servos, quos Pippinus contra jus et legem susceperat, quandoque à se requirendos spopondit. Legati verò redeunt, responsumque Theoderici Pippino referunt, superbiam Regis indicant, minas quas ingerebat adnunciant, levitatem atque inconstantiam Bertarii manifestant. Pippinus verò, adunatis Optimatibus suis, rem in medium retulit, superbi Regis responsum per ordinem pandit. Lacrimas profugorum, et miserabiles supplicationes, qui in fidem suam sese crediderant, manifestat; minas improbi Principis ad memoriam revocat; periculum quoque, quod imminebat suæ patriæ pro receptu exulum, ni priùs sapienter quàm veniret vitaretur, exponit; quidque super his agendum sit sciscitatur.

686.

687.

Anno Dominicæ Incarnationis DCXC. Ducibus Pippini omnibus optimè placuit arma capere, pro miseris ac spoliatis, qui dudum tam suam fidem quàm et defensionem quæsiverant, dimicare, patriamque non à populante hoste, sed in suis sedibus deterrente requisito defensare. Pippinus accepto à magistratu consilio, quod apud se versabat in animo, magno repletus gaudio exercitum congregat, quò obstinati Regis jactantiam præveniret, Adunato igitur exercitu, Pippinus ad Carbonariam silvam pervenit : qui terminus utraque regna dividit. Ubi vocatis Optimatibus suis, imò cuncto exercitu, intentionem suam succincta conventione innotuit. « Ne » quis vestrûm, inquit, fortissimi viri, fideles Dei nostri, arbitretur me tyrannidem » in tali itinere exercere velle, vel sævitiam, et non potiùs triplici necessitate co» actus vos ad tale certamen provocare. Sed breviter me loquentem adtendite, et » quid ad hoc me cogit audite. Excitor in primis querelis Sacerdotum et servorum » Dei, qui me sæpiùs adierunt, ut pro sublatis injustè patrimoniis Ecclesiarum, » propter amorem Domini ipsis interpellantibus dimicando subvenirem. Pro quibus » per internuncios humiliter frequentiùs Theodericum exoravi, unde nihil præter » tumidum et superbia plenum responsum recipere merui. Secunda causa me ad ta» lem provocavit laborem. Nobilium siquidem Francorum ad nostram fidem confu» gientium lacrimæ et gemitus, qui tot calamitatum angoribus pressi divinum semper » nos arbitrantur adipisci posse suffragium. Tertia, quia expedit nobis superbissimi

A » Regis obviare sententiis, et vastationem patriæ nostræ, quam minatur injustè, in » suum potiùs caput auxiliante Domino convertamus : nostraque regione adhuc » incolomi permanente, ipsum in propriis sedibus arrogantem, judicium Domini » subituri, requiramus. Pro cujus amore et sanctorum illius hujusmodi certamina » toleramus. » His dictis universus populus roboratus, vocibusque simul et armorum plausu sententiam Ducis firmaverunt. Tunc unanimiter invocato Dei auxilio jam dictam Carbonariam silvam transeunt, hostiliter cuncta vastantes, et ad interiores regni illius partes intrepidi perveniunt, haud procul que ab oppido Vermandorum, juxta villam, cui vocabulum est Textricum, castra posuerunt. Theodericus igitur cùm audisset hostem in sui regni penetralibus commorantem, exercitum congregat, aciem contra Pippinum construit, ex alia parte prædictæ villæ castra ponit. In- B ter quos modicus quidem fluvius, sed difficili trajecto defluebat, qui ab incolis Dalmannio nuncupatur. Pippinus itaque ab Aquilone ejusdem fluminis, Theodericus ab Austro consederat. Pippinus ergo ad Theodericum Legatos dirigit, ea quæ pacis sunt offerens. Causas adventùs sui indicat, ut scilicet pro Ecclesiis Dei apud illum intercederet; ut quod iniqui tyranni illis abstulerant, hoc ille in commune eorum eleemosyna reformaret; ut profugis, qui fidem ipsius expetierant, justitiam de rebus ablatis facere juberet. Multa quoque pondera auri et argenti se sibi dare spopondit, si ejus suggestionibus adquiesceret, et pacem cum ipso magis quàm prælium habere eligeret; ne fortè ipso renuente civile bellum existeret, in quo nobilissimus et cognatus sanguis Francorum sub incerto belli impetu funderetur. Nuncii itaque legationis officio functi. Theodericus Consiliarios suos alloquitur, et quid C super his faciendum sit exposcit. Bertarius more solito iniquo consilio pacem oblatam à Pippino dissipat, hostem armis patria pelli suadet : ut damna, quæ in illo itinere perpetraverant, sanguine piarent. Theodericus ergo bellum indicat, Legatosque pro Pippino protervè alloquens, ad propria reverti jubet, et ea quæ pacis erant abnuit. Legati autem Pippinum de his omnibus certum reddunt. Qui properè hæc omnia suis Proceribus innotescit, et nihil aliud superesse comperit, quàm cum Christi auxilio arrogantem superborum impetum superare. Tota itaque die illa de commissione prælii ex utraque parte non paribus consiliis tractabatur. Nam Theodericus in innumerabilis populi multitudine magis quàm in consiliis prudentiæ confidens, traditum sibi jam Pippinum cum universo exercitu suo manibus et verbis gloriabatur. Et ob hoc nihil aliud Pippinum pacem postulasse affirmabat, nisi quia pavore per- D territus bellum cum ipso committere non auderet. Pippinus contrà Optimates suos dulcibus alloquiis ammonebat, ut sese votis et orationibus Dei omnipotentiæ defendendos commendarent, qui dat honorem et victoriam omnibus timentibus eum, et custodientibus præcepta ejus. Se verò non propter cupiditatem regni, sed propter oppressorum querelas, qui fidem ipsius invocato nomine Domine adierant, et pro defensione ipsorum, talibus ac tantis periculis se non dubitaret opponere. Fiducialiter autem se ad bellum processurum esse denunciat, quod pro ejus amore gerebat, qui potestatem habet salvos facere sperantes in se, et vota omnium et intentiones cordium inæstimabili scientiæ luce rimatur. His igitur et talibus allocutionibus suorum pectora roboravit fidelium, ita ut quasi jam cœlitus patrata victoria, alacri corde grates omnipotenti Domino personarent. Itaque unanimiter sese ad bellum accingunt. Pippinus ergo prudentissima providentia in quodam eminentiori colle locum certamini delegit, et quò ad illum accedendum erat, provida specu- E latione ostendit. Igitur diem illam cum nocte magno curarum æstu Pippinus Princeps transegit, et inlucescente aurora copias ex castris educit, et magno silentio Dalmannionem fluvium transiit, atque ab Orientali parte castrorum Theoderici, prout pridie constituerat, aciem ordinat. Ducibus singulas legiones commendat, et ut patienter ortum solis præstolentur adnunciat, ut cum Dei auxilio reverberantibus radiis solis, hostium obtutus titubaret. Orto igitur jam sole, Theoderico sui nunciant Pippini castra deserta, et ignibus esse consumpta. Quibus ille auditis, copias ad persequendos hostes è castris educit. Cui intrepidus et præstantior consilio et armis Princeps Pippinus occurrit. Commissoque acerrimo prælio, Theodericus cum Consiliario suo Bertario in fugam versus, cunctos optimates in ore gladii interemptos dereliquit. Nec priùs cœptæ fugæ cursum terminavit, quà Sequanæ amnis fluenta transiret. Bertarius quoque vagus et profugus, timore perterritus per diversa loca latitans, ad ultimum à suis suam stultitiam non ferentibus interimitur. Pippinus igitur victor castra hostium invadens, spolia ampla, Deo gratias referens, suis fideli-

PIPPINUS DUX.

An. 687.

PIPPINUS DUX.

bus impertitur. Plurimi autem ex prælio fuga lapsi, Ecclesiis et Monasteriis sese de- A
fendendos crediderunt. Quorum maxima turba ad beati Quintini Martyris limina, nonnulli ad Perronam Scotorum (a) Monasterium, in quo beatus Furseus corpore requiescit, confugium fecerunt. Pro quibus, interventu Abbatum locorum illorum, mitissimus Princeps Pippinus, acceptis ab his tantummodo sacramentis, cunctis vitam et hereditatem donavit. Profectusque inde, Theodericum fugientem persequitur, et Parisius usque civitatem pervenit. Quam subditione in potestatem redactam, Theodericum quoque recipiens, ne tyrannidem videretur exercere, nomen illi Regis inæstimabili pietate reservavit. Ipse verò totius regni gubernacula, thesaurosque regios, et universi exercitûs dominationem propriæ facultatis jure disponenda retinuit.

An. 688. Igitur anno ab Incarnatione Domini DCXCI. Pippinus singularem Francorum ob- B
tinuit Principatum. Correctisque omnibus pravitatibus, quæ in illis partibus per cupiditatem et iniquitatem Principum per multos annos adoleverant, cunctam illam patriam in Christi servicio florentem pacatissimamque reddidit. Ex hoc ergo tempore jam non de Principatu Francorum, sed de diversarum Gentium adquisitione, quæ quondam Francis subjectæ fuerant, invicto Principi certamen instabat, id est contra Saxones, Frisiones, Alemannos, Bajowarios, Aquitanios, Wascones, atque Brittones. Harum enim Gentium Duces in contumaciam versi, à Francorum se dominio per desidiam præcedentium Principum, iniqua se præsumptione abstraxerant. E quibus quosdam præcellentissimus Princeps Pippinus jam subegerat; quidam adhuc rebelles exstiterant. Dispositis autem prudenter omnibus in Occidentalis regni gubernaculis, ad Orientalis Imperii sui sedes cum summa gloria et exultatione revertitur. Ibique prosperis, Christo largiente, successibus Deo protectori suo gratias referens, C
residuum illius anni circuli tempus lætus explevit.

An. 689. vel 690. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCXCII. Pippinus exercitum universalem Francorum adunare præcepit. Tractatisque de utilitate Imperii consiliis, occurrit Radbodi Frisionum Ducis obviare superbiæ, qui tantæ stultitiæ involutus caligine fuit, ut contra Pippinum invictum Principem aciem parare præsumeret. In qua victus atque fugatus, maximam partem exercitûs sui perdidit. Seraque tandem pœnitentia ductus, Legatos ad Pippinum dirigens pacem postulat, seque cum his quos regebat suæ ditioni subdidit. Obsidibus quoque datis, Pippini tributarius efficitur. His itaque peractis, Synodum adunare præcepit. In qua utilitatibus Ecclesiarum, orphanorum ac viduarum consideratis; sese in opinatissimis regni sui sedibus cum suis fidelibus ad hibernandum locavit. Singulis verò annis in Kalendis Martii generale cum omnibus Francis secundùm priscorum consuetudinem Con- D
cilium agebat. In quo ob regii nominis reverentiam eum, quem sibi ipse propter humilitatis et mansuetudinis magnitudinem præfecerat, præsidere jubebat : donec ab omnibus Optimatibus Francorum donariis acceptis, verboque pro pace et defensione Ecclesiarum Dei et pupillorum et viduarum facto, raptuque feminarum et incendio solido decreto interdicto, exercitui quoque præcepto dato, et quacumque die illis denunciaretur, parati essent in partem quam ipse disponeret proficisci. His peractis, Regem illum ad Mamaccas villam publicam custodiendum cum honore et veneratione mittebat. Ipse verò præcinctus robore, comitante divino auxilio, regnum Francorum interiùs justitia et pace, exteriùs prudentissimis consiliis, atque invictis armorum præsidiis, auxiliante Domino, gubernabat. Confluebant autem ad eum circumsitarum Gentium Legationes, Græcorum scilicet, et Romanorum, Langobardorum, Hunorum quoque et Sclavorum, atque Sarracenorum. Exierat enim E
fama victoriæ et triumphorum ejus in omnes Gentes : ut meritò propter virtutem et prudentiam ejus cunctæ circumsitæ Nationes amicitiam illius magnis oblatis muneribus implorarent. Quos ille clementer suscipiens, majoribus remuneratos donis ad propria dirigebat. Ipse quoque haud segniùs opportuno tempore Legatos suos pro utilitatibus Imperii sui per diversas regiones dirigens, pacem et amicitiam circumpositarum Gentium cum maximo favore impetrabat.

Huc usque Fragmentum à Frehero editum.

An. 691. Anno Dom. Incarn. Domini nostri Jesu Christi DCXCIII. Pippini verò singularis Principatus super Theodericum. Qui antequàm vinceretur à Pippino annis (b) XIV. victus

(a) *Scotorum Monasterium* vocabatur, propterea quòd Scotum Abbatem et multos ejusdem nationis Monachos, et Furseum ac Ultanum auctores cum Erchinoaldo conditoresque suos habuit, ut notat Valesius in Notitia Gall. pag. 442.

(b) Anni illi 14. ab anno 673. quo principatum suscepit Theodericus, ad ann. 687. quo commissum est prælium Textriciacense, fluxere, integrique fuere : ab eoque Christi an. ad an. 691. triennio et aliquot mensibus à nostro Annalista neglectis regnavit Theodericus.

verò

A verò sub eodem regnavit III. annis, moritur. Cui, ob jam dictæ pietatis affectum, filius ejus parvulus nomine Chlodoveus à Pippino ordinatur in Regem. Qui dum quartum annum in regno complevisset, innocentem vitam finivit. Pippinus verò nihilominus Regem pro eo fratrem ipsius Hildebertum constituit. Illis quidem nomina Regum imponens, ipse totius regni habens privilegium, cum summa gloria et honore tractabat. Labentibus itaque annorum curriculis, subjectis domitisque vicinis Nationibus, Francorum imperium Pippinus mirifico ordine disponebat. Igitur Drogonem primogenitum suum Ducem posuit (a) Burgundionum, tradens sibi uxorem Austrudem filiam Warattonis quondam illustris Majoris-domûs, derelictam Bertarii, qui de Textriciaco prælio, ut superiùs retulimus, aufugerat, nec multò pòst à suis interfectus interierat. Hæc Drogoni peperit filium, quem vocavit Hugonem. Hunc religiosa et strenua matrona Ansfredis avia sua, relicta uxor siquidem Warattonis, ad nutriendum susceperat. B Hæc igitur prudentiæ et providæ industriæ spiritu plena, animum pueri cottidianis ammonitionibus corroborabat, ut sese cum omnibus quæ habebat Dei servitio manciparet. Unde factum est, ut sacrarum litterarum studio imbutus, cunctos suos sapientia et religione (b) anteiret. Secundùmque sanctam suggestionem præclaræ nutricis suæ cœpit terrena cuncta despicere, et ad regna cœlestia viriliter anhelare. Remorum verò scilicet et Senonum, ceterarumque urbium ad ipsum Ducatum pertinentium, Pippinus juniorem filium suum, nomine Grimoaldum, Majorem-domûs cum Hildeberto Rege constituit. Fuit autem idem Grimoaldus vir mitissimus, omnique bonitate et mansuetudine plenus. Qui, ut à patre didicerat, Francos cum summa vigilantia et pietate regebat.

PIPPINUS DUX. An. 695.

Anno ab Incarnatione Domini DCXCVII. Pippinus Princeps duxit exercitum contra Frisiones, et Radbodem Ducem ipsorum immitem atque paganum, qui verba C Principis Pippini sæpè contempserat, et fines Principatûs ejus crebris inruptionibus vexabat. Adunato igitur exercitu, juxta castrum, quod dicitur Dorestadum, castra metatus est. Cui occurrit cum valida manu, et pugna commissa est. Ubi Frisiones superba manu Radbodi in aciem properantes, valida pugna commissa est, ubi Frisiones magna clade percussi sunt. Fugatoque Duce eorum Radbod, Pippinus victor extitit. Captis itaque innumerabilibus spoliis, victor ad propria reversus est. Hinc annis singulis circumsitas Gentes cum exercitu Pippinus fortiter proterit, et suæ ditioni subegit. An. 695.

Lapsisque posthæc aliquibus annis, anno ab Incarnatione Domini DCCVIII. Drogo filius Pippini primogenitus defunctus est, et sepultus est juxta Mettensem urbem in Basilica beati Arnulfi Confessoris. Cui in Principatum germanus ejus Grimoaldus, Pippino genitore suo ordinante, successit. An. 708.

D Anno ab Incarnatione Domini DCCIX. Pippinus contra Alamannos exercitum ducens, magnificè de illis omnique illa regione triumphavit. An. 709.

Anno ab Incarn. Dom. DCCX. Pippinus iterum contra rebelles Alamannos exercitum duxit. Incensaque eadem regione, captivisque et spoliis multis adeptis, victor ad propria revertitur. Eodemque anno aquæ inundaverunt valde. An. 710.

Anno ab Incarnatione Domini DCCXI. Hildebertus Rex obiit : sepultusque est Cauciaco in Basilica sancti Stephani Martyris : qui gubernante Pippino regnaverat annis XVI. Post cujus decessum Pippinus solita pietate filium ejus Dagobertum in Regem ordinavit. In illo tempore Grimoaldus filiam Radbodi Ducis Frisionum duxit uxorem. An. 711.

Anno ab Incarnatione Domini DCCXII. Pippinus iterum obstinatione Alamannorum motus, Rhenum transiens cum valida manu, totam illam regionem subvertit, suæque E ditioni subegit. An. 712.

Anno ab Incarnatione Domini DCCXIII. Pippinus Princeps infra Principatûs sui terminos ea quæ pacis erant disponens, in nullam partem eo anno exercitum duxit. An. 713.

Anno ab Incarn. Domini DCCIV. ægrotante Pippino in Jopila villa publica, quæ sita est super fluvium Mosam, cùm ad visitandum eum Grimoaldus filius ejus properaret, et ad orationem in Basilica S. Lamberti Martyris processisset, et diutiùs in oratione pronus persisteret, à nequissimo viro, nomine Rangario, gladio percussus occubuit. Pippinus verò Princeps de infirmitate convalescens, omnes qui in illo consilio fuerant justa ultione interemit; in locumque Grimoaldi filium ejus parvulum ex con- An. 714.

(a) Aliis Dux Campaniæ dicitur.

(b) Hugo tamen eodem tempore tres Ecclesias Episcopales, videlicet Rothomagensem, Parisiensem et Bajocensem, ac prætereà duas Abbatias, Fontanellam ac Gemeticum, rexit.

CAROLUS MARTELLUS

cubina natum, nomine Theodaldum, Majorem-domûs cum Dagoberto Rege constituit. Eodem quoque anno Pippinus Princeps iterum molestia corporali correptus, circumsitis Gentibus Francorum dominatione subactis, in pace obiit XVII. Kal. Januar. Rexit autem populum Francorum annis XXVII. et mensibus sex : reliquitque superstitem filium nomine Karolum. Defuncto autem Pippino, maxima conturbatio orta est in gente Francorum. Nam majores natu filii ejus Drogo et Grimoaldus ipso vivente vitæ discesserant : Theobaldus verò Grimoaldi ex concubina filius adhuc puer erat : qui etsi patri in Principatu successerat, minimè tamen tantum regnum dignè gubernare prævalebat. Karolus verò, quem solum pater dignum hæredem tantæ potestatis superstitem reliquerat, novercales insidias graviter tolerabat. Plectrudis etenim relicta Pippini vidua incomparabili odio contra Karolum succensa, custodia eum publica observari jubet; unde ille divino auxilio liberatus est. Ipsa verò Plectru-
An. 715. dis dum nepoti suo Theobaldo favere desiderat, Karolum à legitima paterni imperii gubernatione prohibebat; ipsaque cum infantulo muliebri consilio tanti regni habenas tractare præsumebat. Quod dum crudeliùs quàm oporteret astu femineo disponere decrevisset, iram Niustrium Francorum in nepotis sui interitum, et Principum qui cum eo erant, celeriter convertit. Super exercitum enim Theobaldi in Cotia silva repentino impetu inruentes, cæde maxima trucidarunt. Theobaldus verò cum paucis vix evasit; qui non multo pòst tempore vitam innocentem finivit. Cujus in locum Raginfridum Majorem-domûs sub Dagoberto Rege constituunt. Tunc Gens illa omnium beneficiorum invicti Principis pariter oblita, in Austrasiam toto impetu properantes, usque ad Mosam fluvium totam illam regionem vastaverunt. Fœdus quoque cum Radbodo Duce Frisionum contra Karolum pacti sunt. Sed Dominus, qui dat et non improbat, Karolum de insidiis novercalibus eruens, palam eum trepidantibus manifestum produxit. Tunc veluti cùm sol radios
præclaros eclipsim ad modicum passos cuncto exerit orbi, sic Pippini Karolus dignissimus hæres languentibus et penè desperantibus de salute populis robustissimus defensor illuxit. Ut autem apertè cunctanti plebi apparuit, tanto favore tantaque gratulatione ab universis susceptus est, ac si dominator eorum Pippinus ad eorum consolationem revixisset.

Secundo autem anno post discessum patris sui Pippini, Karolus Austrasiorum sortitus est Principatum. Nam primo anno post obitum Pippini, Raginfridus usque ad Mosam fluvium Austrasios vastavit, et cum Radbodo fœdus iniit. Saxonesque ter-
An. 715. ram Hattariorum vastaverunt. Eodem tempore Dagobertus Rex obiit, qui regnavit annis V. Franci verò nimirum Danielem quemdam Clericum cæsarie capitis crescente in regnum stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Cùm ergo audisset idem
Chilpericus cum Raginfrido, quòd Karolus solium patris magna jam ex parte con-
An. 716. scenderat, invidia, immò terrore ducti, exercitum adversus eum congregant, Radbodoni suggerentes, ut ipse ex una parte super eum inrueret, ipsi verò ex altera parte per Arduennam silvam in Ripuarios exercitum ducerent, ut ipsum ex utrisque partibus cohercerent. Karolus autem præcellentissimus Princeps de adventu Radbodi certior factus, occurrit ei : initoque certamine, magna ex utraque parte clades extitit. Dirimente nocte cædem, hostis uterque suis sese mandavit. Karolo autem visum est ad resistendum hosti copias augere. Indè egressus, missos huc atque illuc dirigens, ad defensionem patriæ congregare exercitum præcepit, ut opportuno tempore hosti occurreret. Dum hæc agerentur, nuncius advolat, et Chilpericum cum Raginfrido Arduennam silvam cum innumerabili exercitu transisse manifestat. Tunc providus Princeps Karolus exercitum suum in multas partes dividens, insidiari utroque exercitui inter iniqua loca disposuit. Ipse verò cum quingentis fermè viris Arduennam silvam, Amblavamque villam ascensu superat, et de summa colle hostium castra copiasque considerans, quid illis damni inferre posset prudentissima meditatione tractabat. Erat autem exercitus grandis nimis, cooperiens planiciem, in qua Amblava villa publica sita est. Erat autem hora prandii, et exercitus Chilperici, æstivum ut suadebat tempus, in tentoriis et umbraculis reficiebat corpora sua. Cùmque invictus Princeps summa de colle imminenti lumine omnia perlustraret, accessit ad eum quidam ex militibus, postulans ut sibi permitteret impetu singulari hostium cuneos perturbare. Cùmque hoc precibus vix tandem impetraret, arrepto cursu medium discumbentium irrupit agmen : arreptoque eminus clypeo, gladium eduxit, et ab interioribus ad exteriora cursum dirigens, omnes quoscumque eminus invenit trucidat, adforeque illis Karolum magnis vocibus proclamat. Concurrunt

A igitur undique hostemque bacchantem trucidare nituntur. Ipse verò ad fidum præsidium domini sui capiendum celerrimo cursu properabat. Karolus verò cernens militem suum in extremis periculis vitæ positum, non passus est ipsum perire. Sed impiger socios arma capere jubet, periclitantique famulo audax liberator occurrit. Ereptumque, hostem prosternens, innumerabilem inimicorum multitudinem in fugam convertit. Ex quibus plures ad Ecclesiam, quæ in eadem villa Amblava sita est, confugerunt. Quam cùm quidem in ipsius fugæ alacritate ingredi properaret, unus ex persequentibus posteriorem pedem foris limen Ecclesiæ gladio celeriter amputavit : quem cùm socii piæ mentis affectu, cur basilicæ septa macularet arguerent, respondisse fertur, id quod Ecclesia contineret se observasse ne contingeret : quod autem extra claustra illius celeritate cursûs invenerat, jure se amputasse firmabat. Concessit autem serenissimus Princeps Karolus vitam his qui ad Ecclesiam confu-
B gerant, eosque post Hilpericum ad planiciem fugientem inlæsos abire permisit. Ipse verò detractis ab hostibus spoliis, in propriis se sedibus ad tempus continuit. Chilpericus verò cum lasso exercitu ad Coloniam urbem (a) perrexit. Quam cùm expugnare temptaret, et in ambiguo exitu certaminis perduraret, Karolique Principis adventus die noctuque deterreret ; acceptis ab oppidanis muneribus, regni sui tutamina non victor, sed profugus celeritate qua potuit penetravit.

CAROLUS MARTELLUS.

Anno ab Incarnatione Domini DCCXVII. Karolus Princeps non immemor injuriæ Chilperici, exercitum ab Oriente commovet, Carbonariamque silvam transiens, Chilperici regnum magna ex parte depopulatus est. Quo comperto, idem Chilpericus cum Raginfrido Majore-domûs ad defendendam patriam sibi in occursum properat. Castrametatus est autem uterque exercitus haud procul à se distantes in pago Camaracense juxta villam quæ dicitur Vinciacus. Karolus autem Princeps more
C majorum Legatos suos ad Chilpericum dirigit, ea quæ pacis sunt postulans : et ne fortè nobilium Francorum cruor inter illos effunderetur, paternum sibi suadet restaurari Principatum. Compertumque omnibus esse dicit, genitorem suum Pippinum omnibus Occidentalibus Francis olim cum justitia et pietate dominasse : nec illum aliquid aliud postulare, nisi ut præesset his quos pater suus quondam justa ditione gubernaverat. Quod ut audivit Chilpericus et Raginfridus, magna indignatione repleti, non solùm sibi hoc imperium denegabant; sed id, quod sibi ex paterno Principatu contigerat, ipsum spoliare minitabant. Illumque, ut crastino die ad bellum præpararet, ammonebant, ut ubi divinæ justitiæ judicium subiret; et quis deinceps regnum Francorum regere deberet, divina potestas declararet. Quo audito, Karolus Princeps Ducibus et Optimatibus superbi Regis responsum manifestat : ipse verò alacri animo bellum, quod Rex edixerat, cum Dei auxilio committere non tardabat. Crasti-
D no itaque die, cùm sol orbi refulsisset, uterque exercitus non æqua multitudine nec audaciâ acie conserta paratus ad bellum constiterat Nam Hilpericus cum innumerabili exercitu, sed vulgari quidem commixta plebe, Karoli adventum expectabat : Karolus verò Princeps cum pauciori quidem agmine, sed probatissimis ad certamen viris aciem in hostem dirigebat. Commissa est autem in illa die crudelissima pugna : quæ diu sub incerta sorte victoriæ utraque ex parte dimicavit. Tandem enim ambiguitas * sui succurrente Karolo divina misericordia, Chilpericus Rex cum suis in fugam versus est. Ragenfridus quoque fuga lapsus, socios suos cruentæ cædi exterminandos dereliquit. Karolus verò Princeps, divino auxilio victoria patrata, spolia innumerabilia suis fidelibus distribuit, et ad persequendum Chilpericum Regem et Ragenfridum iter agere cœpit; persecutusque est eos usque in Parisius civitatem. Cunctaque illa regione subacta, cum magna lætitia et prosperitate
E ad Orientales partes sui Imperii est reversus : Coloniamque urbem ingressus, paternis thesauris à Plectrude noverca sua receptis, in solio regni sui dignissimus hæres resedit. Chilpericus itaque et Ragenfridus legationem ad Eodonem Ducem Aquitaniorum dirigunt, ejusque auxilium postulant, et ut Karolo cum eis resisteret magnis muneribus invitabant.

An. 717.

Anno ab Incarnatione Domini DCCXVIII. Eodo (b) Dux Aquitaniorum, commoto exercitu Wasconum, simul cum Chilperico et Raginfrido adversùs Karolum Principem arma corripit. Karolus autem intrepidus eis occurrere maturavit. Quòd cùm audisset Eodo, Karolum esse in itinere, et paratum esse à finibus regni sui superbum

An. 719.

(a) Ad Amblavam inita est pugna, cùm Chilpericus Colonia rediret, non verò antequàm in hanc urbem perveniret.

(b) Hæc ad annum 719. pertinent. Ita interdum in sequentibus perperàm anni Incarnationis notantur. Veros annos ad marginem apponere satis habuimus.

CAROLUS MARTELLUS.

hostem repellere, territus fugit. Chilpericum secum Regem, thesaurisque regalibus sublatis, evexit. Karolus verò secutus est eum usque Aurelianis civitatem; ibique castra posuit, et legatos ad Eodonem mittit : et ut sibi Regem cum thesauris, quos abstulerat, transmittere non tardaret, mandavit. Ipse verò Eodo terrore perculsus, verba Karoli Principis contemnere non audens, statim sibi Regem Chilpericum cum thesauris direxit. Suscepto autem Rege, Karolus misericorditer erga ipsum egit, sedemque illi regalem sub sua ditione concessit. Eodem autem anno Karolus Princeps

An. 718. vastavit Saxoniam plaga magna, et pervenit usque ad Wiseram fluvium : omnique illa regione subacta, ad propria victor revertitur. His temporibus Winfridus, qui et posteà cùm Episcopus ordinaretur Bonefacii nomen accepit, doctor Catholicus, natione Anglus, primùm Romam, deinde cum auctoritate Gregorii Papæ in Franciam ad prædicandum verbum Dei venit. Idemque Bonefacius à Præsule Sedis Apostolicæ Gregorio Magontiæ civitati metropoli Germaniæ Archiepiscopus ordinatur; et Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam mittitur. Qui prædicatione sua multos populos, Thuringorum videlicet, Hessionum et Austrasiorum, ad fidem rectam, à qua diu aberraverant, convertit. Monasteria quoque Monachorum et Virginum primus in partibus Germaniæ instituit.

An. 725. Anno ab Incarnatione Domini DCCXIX. Karolus congregato exercitu Rhenum fluvium transiit, Alamanniamque lustrat, et ad Danubium usque pervenit. Illoque trajecto, cum thesauris multis et matrona quadam nomine Plectrude *, et nepta sua Sonihilde, adjuvante Domino, victor ad proprias sedes revertitur.

* *al. C.* Bilitrude.

An. 724. Anno ab Incarnatione Domini DCCXXV. transactis fermè v. annorum cursibus, Raginfridus quondam Major-domûs contra Karolum se erigere temptavit. Contra quem Karolus exercitum duxit, et illum in civitate Andegavis inclusit : filiumque ejus obsidem ducens, ipsum Comitatum sibi quamdiu vixit solita pietate habere concessit.

An. 731. Lapsis etiam curriculis annorum VI. anno scilicet DCCXXXI. ab Incarnatione Domini, Eodo Dux Aquitaniorum à jure fœderis, quod Karolo Principi promiserat, recessit. Quo comperto, Karolus Princeps exercitum congregans, Ligerem fluvium transiit. Eodone verò fugato, bis eodem anno Aquitaniam populatus est. Multis quoque thesauris sublatis, ad proprias sedes Principatûs sui cum gaudio remeavit.

An. 732. Anno ab Incarnatione Domini DCCXXXII. Eodo (a) Dux cernens se esse superatum, et ad defendendam patriam suam contra Karolum se viribus destitutum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxiliandum sibi invitat : qui cum Rege suo Abdirama nomine Garonnam fluvium transeunt, et Burdigalam urbem pervenerunt. Ibique Ecclesiis Dei igne concrematis plurimisque Christianis interfectis, usque ad Pictavam urbem profecti sunt. Basilicaque sancti Hilarii concremata, ad beatissimi Martini Ecclesiam subvertendam summo conamine proficisci contendunt. Contra quos Karolus Princeps juxta urbem Pictavam aciem instruxit, et super eos invocato Christi auxilio intrepidus irruit, et eos cum Rege eorum usque ad internecionem delevit. Acceptisque spoliis eorum, nomen Domini glorificans, tota jam Aquitania subacta, ad propria revertitur.

An. 733. Anno ab Incarnatione Domini DCCXXXIII. Karolus Princeps regnum Burgundiæ cum valida manu penetravit, finesque regni illius fidelibus suis Ducibus probatissimis ad regendum dedit. Indeque victor reversus, ad propria rediit, in omnibus sese sapienter et fiducialiter agens.

An. 734. Anno ab Incarnatione Domini DCCXXXIV. Carolus Princeps in Frisiam proficiscitur, omneque rebelles ejus gentes trucidavit, ceterosque, quos vivos reliquit, acceptis obsidibus suæ ditione subjugavit.

An. 735. Anno ab Incarnatione Domini DCCXXXV. Eodo Dux mortuus est. Quod cùm audisset invictus Princeps Carolus, adunato exercitu Ligerem fluvium transiit, et usque Garonnam et urbem Burdegalensem et castra Blavia occupavit : illamque regionem cepit et subjugavit, cum urbibus ac suburbanis eorum. Ducatumque illum solita pietate (b) Hunaldo filio Eodonis dedit; qui sibi et filiis suis Pippino et Carlomanno fidem promisit.

An. 736. Anno ab Incarnatione Domini DCCXXXVI. perfida gens Frisionum fidem, quam

(a) Eadem habet Chronicon Fontanellense. Vide suprà, pag. 660
(b) Hæc in annum sequentem refundenda.

A dudum Karolo promiserat, fraudare conatur. Contra quos (a) Karolus navali evectione præparat exercitum : altumque mare ingressus, navium copia adunata, ad Wistriamchi et Wastrachia insulas pervenit. Super Bordinem verò fluvium castra ponens, Poponem gentilem Ducem illorum interfecit, exercitumque prostravit, fana eorum destruxit, et cum innumerabilibus spoliis Christo auspice ad propria est reversus. Eodem quoque anno Karolus Princeps Burgundiam adiit, Lugdunumque Galliæ urbem munitissimam suæ ditioni subegit, et usque Massiliensem urbem et Arelatem civitatem penetravit, suisque Ducibus omnia in potestate tradens, ad sedem Principatûs sui feliciter remeavit. Collectoque exercitu, Saxoniam bello contrivit, sibique tributarios fecit. CAROLUS MARTELLUS.

Anno DCCXXXVII. Nunciatum (b) est invicto Karolo Principi, quòd sæva gens Sarra- An. 737.
cenorum, obtenta Septimania et Gothia, in partes jam Provinciæ irruissent, castrum-
B que munitissimum Avinionem per fraudem quorumdam Provincialium Comitatum illum obtinuissent. Qua propter exercitum congregans, illuc iter dirigebat : præmissisque quibusdam exercitûs sui Principibus, qui castrum obsiderent, ipse prosecutus est, prædictamque urbem obsidione circumdat. Machinisque compositis, urbem munitissimam diruit, ipsamque cum habitatoribus suis igne et gladio consumit. Rodanum fluvium dehinc transiit, Gothorum fines penetravit, Narbonem urbem celeberrimam castris circumcinxit, Regem Sarracenorum, nomine Adthima, cum satellibus suis ibidem reclusit. Hæc audientes majores natu Sarracenorum, qui morabantur in regione Hispaniæ, collecto exercitu, cum alio Rege, nomine Amormacha, adversùs Karolum arma corripiunt. Contra quos invictus Princeps Karolus, civitate Narbona sub custodia derelicta, in (c) loco qui vocatur Birra, septimo ab urbe milliario intre-
C pidus occurrit : ubi, divina misericordia succurrente, pugna acerrima commissa, Karolus Princeps victor extitit : Regem verò præfatum Sarracenorum interemit, exercitumque ejus penitus usque ad internecionem delevit, spoliisque innumerabilibus ditatus, cuncta depopulata Gothia, diruptisque civitatibus, devictisque universis hostibus, præter eos quos in Narbona incluserat urbe, eadem sub custodia derelicta, cum magno triumpho remeavit in Franciam.

Anno DCCXXXVIII. Karolus Princeps Renum transiens, Saxoniamque hostiliter inva- An. 738.
dens, Saxones, obsidibus acceptis propriæ ditioni restituit, ipsosque iterum sibi tributarios fecit.

Anno DCCXXXIX. Karolus, commoto exercitu universali, in partibus Provinciæ iter An. 739.
dirigit, Avinionemque iterum cepit : totaque Provincia usque ad litus maris peragrata, ad Massiliam pervenit. Fugatoque Duce Moronto, qui quondam Sarracenos in suæ
D perfidiæ præsidium adsciverat, nullo jam relicto adversario, totam illam regionem Francorum imperio subjugavit : et cunctis strenuè dispositis ad proprias reversus est sedes.

Anno DCCXL. Karolus Princeps præcellentissimus, devictis in circuitu Francorum An. 740.
hostibus eo anno interiora regni sui cum pace disponens in nullam partem exercitum duxit.

Anno DCCXLI. Karolus Princeps, domitis circumquaque positis Gentibus, dum ea, An. 741.
quæ pacis erant, infra sui regiminis terminos disponeret, bis eodem anno Legationem beatissimi Gregorii Papæ ab Apostolica Sede directam suscepit. Qui sibi claves venerandi Sepulcri Principis Apostolorum Petri, ejusdem preciosa vincula cum muneribus magnis delatis obtulerunt, quod anteà nulli Francorum Principi à quolibet Præsule Romanæ urbis directum fuit. Epistolam quoque decreto Romanorum
E Principum sibi prædictus Præsul Gregorius miserat, quòd sese populus Romanus, relicta Imperatoris dominatione, ad suam defensionem et invictam clementiam convertere voluisset. Ipse verò, his omnibus cum gaudio et gratiarum actione Domino repensis, cum majoribus muneribus ipsos Legatos ad propria dirigebat. Viros quoque religiosos ex suis fidelibus cum magnis muneribus ad limina beati Petri Apostolorum Principis anno eodem dirigit, Grimonem scilicet Corbiensis Monasterii Abbatem, et Sigibertum reclusum Basilicæ sancti Dionysii Martyris, et per eos omnia in responsis quæ sibi visa fuerant, memorato Præsuli scriptis Epistolis destinavit. Eodem verò anno, dum memoratus Princeps Karolus se ægrotare cerneret, congregatis in

(a) Caroli in Frisios expeditio ad annos 733. et 734. retrahenda.

(b) Vide Chronicon Fontanellense, ubi eadem et iisdem verbis narrantur, suprà, pag. 661.

(c) Hîc locus obtruditur pro fluvio. Vide partem tertiam Chronici Fredegarii ad an. 737. et Eginhardum in Vita Caroli Magni.

CARLOMANNUS ET PIPPINUS.

unum omnibus Optimatibus suis, Principatum suum inter filios suos æqua lance divisit. Primogenito suo Karolomanno Austriam, Alamanniam, Turingiamque subjugavit: filio verò juniori Pippino Niustriam, Burgundiam Provinciamque concessit. His ritè peractis, Pippinus jam Princeps factus pro quibusdam causis corrigendis exercitum in Burgundiam ducit, et ea quæ emendanda fuerant in Principatu Gentis illius solida gubernatione correxit. Eodem anno in Sole et Luna et stellis signa apparuerunt, et sacratissimus ordo Paschalis turbatus fuit. Karolus prætereà Princeps ad Parisiacam civitatem properans, ad sepulcrum beatissimi Martyris Dionysii orationis causâ pervenit: cui multa munera post actam orationem devoto animo contulit. Indè verò veniens ad Carisiacam villam super fluvium Isera sitam perrexit, in qua valida febre correptus in pace obiit, cunctis in giro (a). Gentibus positis Francorum ditioni subactis, rexitque populum Francorum annis XXVI. (b) mensibus VI. Transiit itaque XI. Kal. Novembris, sepultusque haud longè à Parisiaca civitate in Basilica S. Dionysii Martyris. Karolus autem adhuc vivens, cum inter filios suos Karlomannum et Pippinum Principatum suum divideret, tertio filio suo Gripponi, quem ex Sonihilde, quam de Bawaria captivam adduxerat, habuit, suadente eadem concubina sua, partem ei in medio Principatûs sui tribuit, partem videlicet aliquam Niustriæ, partemque Austriæ et Burgundiæ. De hac autem tertia portione, quam Gripponi adolescenti decessurus Princeps tradiderat, Franci valde contristati erant, quòd per consilium mulieris improbæ fuissent divisi, et à legitimis heredibus sejuncti. Consilioque inito, sumptis secum Principibus Karlomanno et Pippino, ad capiendum Gripponem exercitum congregant. Hæc audiens Grippo, unà cùm Sonihilde genitrice sua fuga lapsus, cum his, qui eum sequi voluerant, in Lugduno Clavato se incluserunt. Karlomannus verò et Pippinus eos subsequentes, castrum obsident. Cernens autem Grippo quòd minimè posset evadere, in fiduciam fratrum suorum venit: quem Karlomannus accipiens, in nova castella custodiendum transmisit. Sonihildi verò Calam Monasterium dederunt.

An. 742. Anno DCCXLII. Karlomannus et Pippinus in partibus Aquitaniæ cum exercitu adversùs Hunaldum perrexerunt. Nam eidem Hunaldo Karolus Princeps Aquitaniorum Ducatum tribuit, quando sibi et filiis suis fidem promisit. Defuncto verò Karolo, ab jure fidei promissæ superba præsumptione deceptus recessit. Ipsi verò Ligerem transeunt germani, Aquitaniam vastant, fugientem Hunaldum persequentes. Inter has aliasque firmitates, castrum quod appellatur Lucas viriliter conquisierunt, et misericorditer civibus captis pepercerunt. In ipso autem itinere diviserunt regnum Francorum, in loco qui dicitur Vetus Pictavis. Eodem quoque anno Karlomannus Alamanniam vastavit.

An. 743. Anno Dom. Incarn. DCCXLIII. Ogdilo Dux Bajoariorum, qui Hiltrudem filiam Karoli ad se fugientem in conjugium sibi copulaverat contra voluntatem Pippini et Karlomanni, se et etiam Ducatum suum, quem largiente olim Karolo Principe habuerat, à dominatione Francorum subtrahere nitebatur. Qua de causa compulsi sunt gloriosi germani exercitum contra ipsum ducere. Venientes autem super fluvium qui dicitur Lech, castra metati sunt in planicie super ripam prædicti amnis. Bajoarii quoque ex alia parte contra eos exercitum adunaverunt, conductosque in adjutorium Saxones et Alamannos et Sclavos secum habuerunt. Sedit autem uterque exercitus in eodem loco XV. diebus. Erat autem in eo loco ipse fluvius intransmeabilis. Nam memoratus Ogdilo Dux vallum firmissimum fecerat inter se et hostes. Provocati tandem Franci inrisionibus Gentis illius, indignatione commoti periculo se dederunt, et per loca, per quæ plaustra ducebantur, nocte inruentes, divisis exercitibus inprovisos Bajoarios occupaverunt. Commissoque prælio, Ogdilo Dux, cæso exercitu, vix cum paucis turpiter fugiendo Innum fluvium transiit: et sic manus invictorum Principum evasit. Theobaldus quoque timore perterritus, in aliam partem fugam iniit. Ipsi verò victores cum exercitu suo Bajoariam circumeunt, et moram fecerunt in eadem regione quinquaginta duorum dierum. Captus est autem in eodem prælio Sergius Presbyter missus domni Zachariæ Papæ, qui pridie quàm bellum committeretur ab Ogdilone, Karlomanno et Pippino directus fuerat, falsòque ex auctoritate domni Apostolici bellum interdixerat, et quasi ex præcepto supradicti Pontificis Francos

(a) Continuator quoque Fredegarii ait Carolum obiisse, *cunctis in gyro regnis acquisitis*: quod verum esse contra Cointium Carolo Martello infensiorem probat Pagius ad hunc annum num. 13. Nam, inquit, cum Ducibus aut Præfectis Aquitaniæ, Burgundiæ, Bajoariæ, aliisque coronæ Francicæ beneficiariis, qui supremum dominium affectaverant, feliciter bellum gessit.

(b) Nempe à mense Aprili anni 715. quo Carolus evasit è custodia.

CARLOMANNUS ET PIPPINUS.

A à Bajoariis discedere persuaserat. Patrata itaque victoria, in præsentiam invictorum Principum perductus est, unà cum Gauzebaldo * Episcopo. Cui Pippinus Princeps sedato pectore dixit : *O domine Sergi, modò cognovimus, quia non probaris esse sanctus Petrus Apostolus, nec Legationem illius ex veritate geris. Dixisti enim nobis hesterna die, quòd domnus Apostolicus ex auctoritate sancti Petri et sua nostram justitiam de Bajoariis contradixisset. Et nos diximus tibi, quòd nec sanctus Petrus, nec domnus Apostolicus te istam legationem misisset dicere. Idcirco autem scias, quia si sanctus Petrus cognovisset qnòd nostra justitia non fuisset, hodie in isto belli nobis adjutorium non præstitisset. Nunc verò certus esto, per intercessionem beati Petri Apostolorum Principis, et per judicium Dei, quod subire non distulimus, Bajoariam Bajoariosque ad Francorum Imperium pertinere.* Hæc autem dum apud Bajoarios agerentur, Hunaldus Dux Aquitaniæ Ligerim transiens cum manu valida, ad Carnotis urbem perveniens, ipsa civitate
B diruta, igne eam cremavit, cum Ecclesia Episcopali quæ in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ consecrata fuerat. Hæc autem fecit per suggestionem Ogdilonis Ducis qui per internuncios invicem fœdus inierunt, ut unusquisque eorum inruentibus Francis ferre alter alteri subsidium debuissent. Eodem anno Karlomannus perrexit in Saxoniam, et cepit castrum quod dicitur Ocsioburg, et Theodericum Ducem Saxonum subjugavit.

* *Ratisponensi.*

An. 744. Anno Dominicæ Incarnationis DCCXLIV. Pippinus (a) et Karlomannus non immemores injuriarum Hunaldi perfidi Ducis, et vastationis quam illis in Bajoariam dimicantibus perpetravit, collecto exercitu Ligerim transeunt, et castra in finibus Aquitaniæ ponunt. Videns autem Hunaldus quòd eis resistere non valeret; omnem voluntatem eorum se facere sacramentis, et obsidibus datis spopondit, ipsumque cum
C omnibus quæ habebat, invictorum Principum servicio se mancipavit. Eodem quoque anno rebellantibus Saxonibus, Karlomannus et Pippinus super eos exercitum ducunt, et Theodericum perfidum Ducem illorum, ceteris subactis, altera jam vice ceperunt, captivumque secum in Franciam deduxerunt. Eodemque anno Hunaldus Dux germanum suum, nomine Hattonem, per falsa sacramenta decipiens, de Pictavis ad se venire jussit : cui statim oculos eruit, et sub custodia retrusit. Sed non post multos dies, Hunaldus, corona capitis deposita, et Monachi voto promisso, in Monasterium, quod Radis (b) insolâ situm est, intravit, filiumque suum Waifarium in Principatu reliquit.

An. 745. Anno Dominicæ Incarnationis DCCXLV. Karlomannus adunata manu valida Saxoniam (c) ingressus est. Captisque habitatoribus, qui suo regno adfines esse videbantur, absque ullius belli discrimine feliciter conquisivit; et plurimis eorum Christo
D duce baptizatis, sacramenta baptismatis consecuti sunt. Eodem anno Teobaldo rebellante filio Godefridi Ducis Alamannorum, Pippinus cum virtute exercitûs sui et Dei auxilio in Alamanniam ingressus, viriliter ipsum in fugam convertit, et ad obsidionem Alpium fugientem expulit : revocatoque illo, ejusdem loci Ducatum dedit, et ad propria remeavit.

An. 746. Anno Dominicæ Incarnationis DCCXLVI, Karlomannus cùm vidisset Alamannorum infidelitatem, cum exercitu fines eorum irrupit, et Placitum instituit in loco qui dicitur Condistat : ibique conjunctus est exercitus Francorum et Alamannorum. Fuitque ibi magnum miraculum, quòd unus exercitus alium comprehendit atque ligavit, absque ullo discrimine belli. Ipsos verò, qui Principes fuerunt cum Teobaldo in solatio Odilonis contra invictos Principes Pippinum et Karlomannum, comprehendit, et misericorditer secundùm singulorum merita correxit. Eodem quoque anno Karlo-
E mannus Princeps germano suo Pippino confessus est, quòd vellet seculum derelinquere, et Dei omnipotentis se servicio mancipare. Inde utrinque se germani præparaverunt; unus videlicet, id est Karlomannus, ut pergeret ad limina Apostolorum Petri et Pauli; Pippinus verò laborabat, ut ipsum cum summo honore et muneribus magnis destinaret.

An. 747. Anno Dominicæ Incarnationis DCCXLVII. Karlomannus Princeps suum regnum derelinquens, ad limina B. Petri Apostoli cum plurimis suis Optimatibus et donis innumerabilibus pervenit, capitisque coma deposita habitum clericalem ordinante beato Zacharia Papa adsumpsit, aliquantoque tempore ibidem mansit. Consilio verò

(a) Hoc bellum Aquitanicum rectiùs in annum 745. confert Fredegarii Continuator cap. 114.

(b) Hodie *l'Isle de Ré* nuncupatur, in Oceano Aquitanico posita.

(c) Hoc bellum Saxonicum anno 745. etiam consignant Annales Monasterii S. Nazarii suprà, pag. 640. Continuator Fredegarii cap. 113. illud referre videtur ad annum 744. licèt factum dicat *evoluto triennio* principatûs Carolomanni.

CARLOMANNUS ET PIPPINUS.

accepto ejusdem Pontificis, ad Cassinum Montem et Cœnobium sancti Benedicti A
perrexit. Ibique obedientiam regulariter Optato Abbati promittens, monachicæ vitæ professionem spopondit, et in Soracte monte Monasterium ædificavit in honore sancti Silvestri. Ibique per aliquod tempus moram faciens, exinde ad sanctum Benedictum in Cassinum usque pervenit, et ibi Monachus effectus est. Fertur autem de hoc sancto viro exemplum memorabile. Cùm adhuc Romæ positus in Monasterio quod sibi ædificaverat, ab omnibus propter regiam nobilitatem, et quod majus est, propter contemtum regni terreni, et gloriam præsentis sæculi veneraretur, et laudibus extolleretur, timens vir Deo plenus favorem laudis humanæ, qui tanta pro Christo reliquerat, fugam magis arripere disposuit, quàm vanæ gloriæ subjacere. Et hoc tantummodò uni fido socio confessus, quem ab infantia id omnibus fidelem probaverat, cum eo noctu omnibus insciis aufugit, et ad Cassinum montem usque pervenit, nihil secum portans ex omnibus bonis B
quæ corpori erant necessaria, nudus Christum secutus; et juxta morem portam Monasterii pulsans, colloquium Patris Monasterii expetiit. In cujus præsentia cum venisset, mox in terram corruit, se homicidam esse, reum omnium criminum protestans, misericordiam exposcit, pœnitentiæ locum exquirit. Pater cùm hominem peregrinum esse cognovisset, interrogat cujus patriæ aut gentis esset. At ille confessus est se Francum esse, et ex Francia pro tali scelere migrasse, exilium libenter ferre paratum : tantùm patriam cœlestem non amitteret. Spiritalis Pater ejus precibus annuens, præcepit eum in Cella Novitiorum recipi, unà cum suo collega, ibique probari secundùm quod Regula jubet, et tantò artiùs quantò barbaræ et ignotæ gentis homo erat, implens illud Apostolicum : *Probate spiritus si ex Deo sunt*. Itaque probatus in omni patientia, sociatus est congregationi unà cum collega ; post emensum anni circulum professus stabilitatem, conversatianem morum, obedientiam secundùm Regulam C
sancti Benedicti : cœpit autem inreprehensibiliter inter Fratres conversari, omnibus virtutibus pollens. Accidit autem ut, juxta quod mos est, ad coquinæ officium Hebdomadarius deputaretur. Quod cùm libenter quidem faceret, sed in multis ignoranter offenderet, coquus vino exæstuans ei alapam dedit dicens : *Ita te fratribus deservire oportet?* Cui ille nil motus, placido vultu respondit : *Indulgeat tibi Dominus, Frater, et Karolomannus*. Neque enim cuiquam nomen suum prodiderat, ne ex vocabulo agnosceretur. Rursus cùm in quibusdam cibariis administrandis errasset, iterùm à coquo percussus est : cui eadem quæ suprà imprecatus est. Et cùm tertio à coquo crudeliter cæderetur, indignatus ille comes individuus suæ peregrinationis, quòd tantus vir à tam vili persona tam contumeliosè afficeretur, jam ferre non valens, arripuit pilum unde panis in olera Fratrum mittendus conterebatur, et eum omni annisu percussit dicens : *Nec tibi Deus parcat, serve nequam, nec Karolomannus indulgeat*. Fratres hoc audito, valde commoti sunt, quòd homo alienigena, et D
pro misericordia receptus, talia facere præsumsisset. Protinus itaque custodiæ mancipatur, ut die sequenti talis præsumptio acriùs vindicaretur. In crastinum verò productus de custodia, in medio Conventu sistitur. Percunctatus cur manus extendere in Fratrem ministrum ausus fuisset, respondit : *Quia*, inquit, *vidi servum nequiorem omnibus, virum meliorem et nobiliorem omnium quos in terra conversari scio, non solùm verbis dehonestare, sed etiam plagis afficere*. Furore verò nimio exagitati, quòd eum, qui peregrinus venerat, ceteris prætulisset, interrogant quis esset ille, qui bonitate et nobilitate omnes anteiret, cur saltem Patrem Monasterii non excepisset. Ille verò necessitate compulsus, celare non valens, quod Deus jam manifestare volebat, ait : *Iste est Karlomannus quondam Rex Francorum, qui pro Christi amore regnum et* E
gloriam mundi dereliquit : qui de tanta excellentia ita se humiliavit, ut modò à vilissimis personis non solùm contumeliis afficiatur, verùm etiam verberibus affligatur. Quo audito, tremefacti à sedibus surgunt, pedibus ejus se prosternunt, veniam postulant de contemptu, ignorantiam profitentur. Ille contrà in terram provolutus, cum lachrymis negare cœpit, hæc non esse vera, non se esse Karlomannum, sed hominem peccatorem et homicidam : collegam suum timore perterritum, propter commissum piaculum hæc excogitasse. Quid plura? cognitus ab omnibus, cum magna reverentia est observatus.

Eodem anno Pippinus omnium Francorum generaliter Princeps misericordia motus, fratrem suum Gripponem de custodia, in qua eum germanus suus Karlomannus recluserat, liberavit, et ipsum fraterna dilectione honoratum in Palatio suo habuit ; deditque illi Comitatus et fiscos plurimos.

Anno

A Anno Dominicæ Incarnationis DCCXLVIII. Pippinus Princeps placitum suum habuit in villa quæ dicitur Duria (a) : in qua Synodum congregare jussit pro Ecclesiarum restauratione , et causis pauperum , viduarumque et orfanorum corrigendis , justitiisque faciendis. Grippo verò quem de custodia fraterno affectu Pippinus solverat , tyrannico fastu multos sibi nobilium sociavit , et fuga lapsus , Renum transiens in Saxoniam venit. Quem plurimi juvenes ex nobili genere Francorum inconstantia ducti , proprium dominum relinquentes , Gripponem subsecuti sunt. Pippinus verò , adunato exercitu (b), per Turingiam in Saxoniam veniens , fines Saxonum , quos Nordosquavos vocant , cum valida manu intravit. Ibique Duces gentis asperæ Sclavorum in occursum ejus venerunt , unanimiter auxilium illi contra Saxones ferre parati , pugnatores quasi centum millia. Saxones verò , qui Nordosquavi vocantur , sub suam ditionem subactos contritosque subegit : ex quibus plurimi per manus Sacerdotum baptizati , ad fidem Christianam conversi sunt. In eodem verò itinere cepit B castrum , quod vocatur Hocseburc , et perfidum Theodericum Saxonem tertia jam vice à Francis captum comprehendit. Inde proficiscens , pervenit ad fluvium quod dicitur Obacra , et castra metatus est juxta ripam ejusdem fluminis. Saxones verò cum Grippone ex alia ripa erant , ubi maximam inter se et Francos firmitatem statuerunt. Sed dum viderent quòd eos eadem firmitas minimè defendere posset , per noctem fuga lapsi castra deseruerunt. Pippinus verò cum exercitu suo totam penè Saxoniam per dies XL. vastavit , et castella eorum destruxit ; indeque victor remeavit ad propria. An. 748.

Anno Dominicæ Incarn. DCCXLIX. Grippo videns quòd Saxonum armis minimè defendi posset, in Bajoariam confugit : quorum Dux eo tempore Odilo (c) defunctus fuerat ; cui Tassilo filius ejus successerat. Quem de principatu Grippo abegit , C et sibi ipse Bajoarios subjugavit : cui etiam in solatium Lanfridus (d) venit. Hæc audiens Pippinus , cum exercitu illuc pervenit ; victisque Bajoariis , Gripponem secum et Lanfridum inde abducens, Tassilonem in Ducatu Bajoariorum collocavit. Solita autem pietate Gripponi fratri suo et omnibus his , qui cum eo confugium fecerunt , misericorditer non solùm pepercit , sed etiam beneficiis ditavit. Nam Gripponi Cinomannicam urbem cum XII. Comitatibus dedit. Quibus ille solito more despectis , Wasconiam petiit , et ad Waifarium Ducem perfidum Aquitaniorum pervenit. An. 749.

(a) Olim à Veteribus *Marcodurum* vocabatur , Ubiorum vicus, hodie *Duren,* in Ducatu Juliacensi ad fluvium Ruram.

(b) Alii quidam Annalistæ hoc bellum paulò aliter narrant.

(c) Obiit anno 748.

(d) Is erat Dux Alamannorum.

A

ERCHANBERTI (a)

FRAGMENTUM,

Ex Breviario Regum Francorum et Majorum-domûs.

Apud Chesnium Tom. 1. *Script. Franc. pag.* 780.

An. 614. CHlodharius Rex de Austris, postquàm Theodericus et Theodebertus Reges et B
germani mortui sunt, recepit regnum eorum, consilio et adjutorio Pippini senioris, qui tunc temporis Major-domûs erat. Et sortitus est præfatus Rex trium regnorum Monarchiam XVI. annis, sicut illi sanctus Columbanus Abba in prophetico spiritu anteà prædixit : quia ille Theotericus Rex instigante Brunihilta avia sua de suo Monasterio illum expulerunt. Quam etiam statim ut comprehendit Chlodharius, vitam ignominiosè finire fecit. Major-domûs tunc Gundolandus vir egregius erat.

6[99]. Post non multum Rex præfatum Pippinum in Austris cum filio suo jam adulto Dagoberto misit, ibidem eum Regem constituendum, ipsumque ei in Majorem-domûs ac pædagogum constituens.

628. Dagobertus Rex post mortem patris regnavit annis XVI (b). Hic magnificus Ecclesiis Dei largitor ac distributor fuit. Major-domûs ejus Erchanoldus * vir inluster, C
* *al.* Erchanbaldus. Pippino interim in Auster Duce, ac non post multum mortuo post mortem Dagoberti Regis.

638. Chlodoveus Rex filius Dagoberti regnavit XVI. annis (c), qui omni spurcitiæ deditus fuit. Major-domûs qui suprà.

Chlodharius Rex filius Chlodovei, adhuc in puerili ætate suæ juventutis mortuus est, regnavitque annis IV (d). Major-domûs Ebroïnus.

Theodoricus Rex filius Chlodovei, frater Chlodharii regnavit annis XIX (e). Major-
* *al.* Ansgisi. domûs Bertharius. Quo occiso, Pippinus junior filius Ansegisili * veniens de Austrasiis, successit in Principatum Majorum-domûs.

Exhinc Reges nomen, non honorem habere cœperunt. Quibus tamen ubi constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiaque jugis erga illos habebatur, D
ne aliquid jure potestatis agere possint. Illis namque temporibus ac deinceps Gotefredus Dux Alamannorum, ceterique circumquaque Duces noluerunt obtemperare Ducibus Francorum, eò quòd non potuerunt Regibus Meroveis servire, sicut anteà soliti fuerant. Ideò se unusquisque secum tenuit, donec tandem aliquando post mortem Gotefridi ducis, Carlus ceterique Principes Francorum paulatim ad se revocare illos arte qua poterant studuere.

691. Chlodoveum adhuc puerum filium Theodorici constituunt Regem, qui tantùm regnavit annos II (f). Major-domûs Pippinus qui suprà.

695. Childebertum filium Theodorici, fratrem Chlodovei, statuunt in regnum, qui regnavit annos XVII. Major-domûs constituitur Grimoaldus filius Pippini, quia ipse
* 714. Pippinus ægrotare cœperat; qua infirmitate et moritur *, et interim Grimoaldus occiditur. E

711. Dagobertum filium Childeberti Regem statuunt, qui regnavit annos V. Major-
* *al.* Raginfredus. domûs Thedoaldus filius Grimaldi, post quem Reginfredus *.

715. Illis temporibus Carlus, filius Pippini ex concubina, in custudia à Plectrude matrona ejusdem Pippini tenebatur : auxiliante Domino vix evasit.

Danihelem (g) quondam Clericum, cæsarie capitis crescente, Regem Franci

(a) Erchanbertus scripsit vivente Carolo Martello.

(b) Dagobertus ab anno 622. quo Rex Austrasiorum constitutus est, sexdecim annos regnavit; ab obitu verò Clotharii patris, id est ab anno 628. decem tantùm annos principatum tenuit.

(c) Corrig. *XVIII. annis.*

(d) Clotharius annos quatuordecim regnavit, ex quibus quatuor in tota Francia dominatum obtinuit, reliquos decem in solis Neustrasiæ et Burgundiæ regnis. Hinc Auctores qui illi tantùm quatuor annos tribuerunt, de solis Monarchiæ annis intelligendi sunt, ut jam sæpe monuimus.

(e) Id est ab anno 673. ad annum 691.

(f) Corrig. *annos V.*

(g) Filius erat Childerici secundi.

A constituunt, quem Chilpericum nuncupant : quia deficiente prosapia Regum, illum, quem propinquiorem Meroveis invenire poterant, statuere : quia Merovei (ut aiunt) sicut antiquitus Nazarei, nullo capitis crine inciso erant. Regnavitque annis VI.

Interim prædictus Carlus Princeps ad Austrasios paternarum sedium aufugiens, ibique Principatum arripiens, Regemque sibi nomine Chlodharium constituens, multa bella cum Chilperico Rege et suo Majore-domûs nomine Reganfredo commisit, eosque ut voluit superavit, et thesaurum patris sui à Plectruda recepit, suusque Rex Chlodharius post non multum obiit. An. 717. An. 719.

Theodericum filium Dagoberti * junioris Franci in Regem sibi statuunt, qui nutritus in Cala Monasterio erat, regnavitque annis VI (a). Major-domûs ac Princeps Carolus. Qui jam utraque regna viriliter gubernans, circumquaque cum Regibus ac Ducibus bella semper superando committens, donec eum omnes vincendo, qui ei contrarii B fore videbantur, vincere constabat. * Dagoberti. An. 720.

(a) Corrig. *annis XVI.*

CHRONICON BREVISSIMUM,

A Theodorico III. Rege usque ad Childericum, cui Pipinus successit.

Ex Codice Ms. Cœnobii S. Remigii Remensis. *Ibid. p.* 781.

THeodericus regnavit annos XVII (a).
Clodoveus regnavit annos III (b).
C Childebertus regnavit annos XVII.
Dagobertus regnavit annos V.
Hilpericus regnavit annos V.
Theodericus regnavit annos XVII.
Annos (c) VII. interim alius Rex non regnavit.
Hildericus Rex regnavit annos IX (d).
Sunt in summa numeri annorum, quos isti Reges regnarunt, anni LXXVIII.

(a) Corrig. *XVIII.* (b) Corrig. *IV.* scilicet ab anno 737. ad annum 742.
(c) Annorum tantùm quinque interregnum fuit, (d) Anni tantùm completi numerantur.

D

CHRONICON ALIUD ITIDEM BREVISSIMUM,

A Chlotario II. Rege usque ad Pipini obitum. *Ibid. p.* 781.

Ex Ms. Codice Tiliano.

CHlotarius regnavit annos XLVII (a).
Dagobertus filius suus regnavit annos XVII.
Sigobertus nepus (b) suus regnavit annos XXIII.
Childebertus (c) adoptivus, filius Grimoaldi regnavit annos VII.
Childricus regnavit annos XIV.
Theodericus regnavit annos XVII (d).
Chlodoveus regnavit annos IV. obiit in V.
E Childebertus regnavit annos XVII.
Dagobertus regnavit annos IV. obiit in V.
Hilpericus regnavit annos V.
Theodericus regnavit annos XVII.
Carolus sine alio Rege imperavit annos IX (e).
Childricus regnavit annos IX.
Pipinus regnavit annos XVI. et dimidio.

(a) Corrig. *annos XLIIII.* Facilè enim binarius numerus II. in quinarium V. mutatur.
(b) Id est, *nepos Chlotharii.*
(c) Childebertus filius erat genuinus Grimoaldi, Sigiberti filius adoptivus fingebatur à Grimoaldo. Regnavit tantùm à mense Februario anni 656 usque ad mensem Augustum ejusdem anni. Hinc loco, *annos VII.* legendum *menses VII.* Amanuenses enim menses verterunt in annos, seu M in AN : quem in errorem eos non semel incidisse constat.
(d) In hoc Chronico, sicut in præcedenti, anni tantùm 17. Theoderico tribuuntur, qui quidem completi accipiendi sunt.
(e) Corrig. *annos V.*

A

FRAGMENTUM HISTORICUM

AUCTORIS INCERTI,

A DAGOBERTO I. USQUE AD PIPINUM REGEM.

Ex alio prolixiore Fragmento, quod Alberti Agentinensis Chronico præfixum est in editione Christophori Urstitii.

Ibid. p. 782.

B

An. 628. ANno (a) ab Incarnatione Domini DCXXXI. Dagebertus Rex Monarchiam in tribus regnis, Burgundionum, Austrasiorum, superiorum Francorum, sagaciter accepit. Fuitque Rex fortissimus, enutritor Francorum, severissimus in judiciis, et Ecclesiarum largitor. Pacem in cuncto regno suo statuit. In multis regnis rumor ejus personuit. Timorem universis regnis per circuitum incussit. Pacificus et quietus regnum obtinuit Francorum. Sancto Arnulfo Metensi Episcopo, Pipino Duce, et Erchinoldo Majore-domûs, utens Consiliariis : nimio amore justitiæ flagravit.

An. 646. Anno Domini DCXLVI. Gertrudis virgo, filia Pipini Ducis, soror Grimoaldi, Nivelensis Cœnobii mater, virtutibus claruit. Hujus soror Begga et ipsa religiosa, Angiso sancti Arnulfi filio nupsit. Sanctus quoque Arnulfus, cùm esset in juventute Dux, genuit Angisum Ducem. Angisus de Begga uxore genuit Pipinum Ducem, C
qui Major-domûs regni Francorum erat. Pipinus genuit Carolum seniorem, et Ducem et Majorem-domûs regni Francorum. Carolus genuit Carlomannum et Pipinum. Pipinus genuit Carlomannum et Carolum Regem, posteà Imperatorem cognomento Magnum : et hæc est genealogia Caroli Magni.

Eodem tempore [anno DCLXXIII.] beatus Arbogastus (b) extitit, qui filium Dageberti à morte suscitavit : et Florentius, qui filiam ejusdem Regis à dæmonio vexatam liberavit, Argentinæ vicissim succedentes Episcopi claruerunt.

An. 638. Anno Domini DCLXXIV. Dagebertus (c) Rex obiit, et filii ejus duo regno substituuntur. Sigebertus cum Pipino Duce et Majore-domûs Regiæ, Austrasiam : Clodoveus minor cum Nanthilde matre, et Erchinoldo Majore-domûs Regiæ, Franciam et Burgundiam accepit. Sigebertus Rex Austri, Pipino Duce defuncto, Grimoaldum filium ejusdem Majorem-domûs statuit. Decedente verò tempore, defuncto Si- D
An. 656. geberto Rege, Grimoaldus filium ejus parvulum nomine Dagebertum totondit, et in Scotiam ad peregrinandum direxit, filium suum in regno constituens. Franci hoc valde indignantes, Grimoaldum capiunt, et ad condemnandum Regi Francorum Clodoveo offerunt. Qui in Parisius civitate carceri mancipatus, ut erat dignus morte, quod in dominum suum exercuit, valido cruciatu finivit vitam.

Per idem tempus concidit regnum Francorum casibus pestiferis. Fuit namque Rex Clodoveus omni spurcitiæ deditus, fornicarius, et illusor feminarum, gulæ et ebrietati intentus. De morte hujus et fine nihil historia dignum recolit. Cui vicissim filii ejus Lotharius, Hildericus, Theodoricus, in regno successerunt. Erchinoldo igitur de-
656. functo, Lotharius, qui tunc regnabat, Ebroïnum Majorem-domûs constituit. Qui ob nimia scelera sua à Francis accusatus, ab Hilderico, qui fratri in regno successerat, E
670. in Luxovio Monasterio Burgundiæ recluditur. Et Leudesius (d), quem Germani Luthericum vocant, filius Erchinoldi, consilio Leodegarii Augustudonensis Episcopi Major-domûs Palatii constituitur.

(a) Anni Incarnationis malè cum rebus gestis copulantur. Veros annos in margine restituimus.

(b) In Vita S. Arbogasti legitur Dagoberti filium unicum inter venandum ab equo excussum ac miserè protritum, vitam amisisse, ac tandem Arbogasti precibus ad vitam revocatum esse. Hanc Vitam ad diem XXI. Julii dederunt Bollandi Continuatores, qui nihil in hoc miraculo, quod fidem superet, deprehendunt, si intelligatur de Dagoberti secundi filio. Qui quidem Dagobertus, Sigiberti filius, anno 670. octennem filium habere poterat. Verùm quis putet octennem puerum solum in silvis relictum, eumque equitationi atque venationi habilem fuisse? Res fortè credibilior foret, si peracta diceretur anno 673. ut habet hujus Fragmenti Auctor. At Dagobertus nonnisi anno 674. paterno regno restitutus fuit.

(c) Dagobertus I. Sigeberti et Chlodovei pater, jam ante triginta-sex annos obierat. Dagobertus quidem II. anno 674. vivebat, sed tardiùs mortuus est.

(d) Leudesius nonnisi post mortem Childerici à Theoderico Major-domûs effectus est.

A Rex igitur Hildericus cùm per aliquot annos regnasset, à pestiferis conspiratoribus in Aula, cum uxore sua prægnante, peremptus est. Leudesius verò, qui et Leuthericus, cum Franciæ et Germaniæ Principibus fratrem ejus Theodericum Regem constituunt, suffragantibus sibi Didone Pictaviensi Episcopo, Leodegario Augustudonensi Episcopo, et Gerino Pictavensi Comite fratre ejus. An. 673.

Igitur Ebroïnus de Luxovio egressus, et apostata factus, Theodoricum Regem et Leudesium persequutus, regales thesauros apprehendit, et quoscumque insidiatores suos reperit, crudeli morte damnavit. Posteà in Germaniam cum suis, quasi pacis sub obtentu, pro Leudesio transmisit, ut ejus auxilio in gratiam regni pervenire potuisset, dispositis ei in itinere insidiis. Ille verò, licèt eum omnimodis habuisset suspectum, tamen pro pace restauranda iter aggressus est. Cùmque ad loca insidiarum pervenisset, Ebroïnus cum suis ex improviso consurgens, Leudesio
B cum aliquantis militibus occiso, ipse principatum regni violenter invasit, et cum 674.
conspiratoribus suis Leodegarium (a) Episcopum captivum interemit, Didonem Episcopum avunculum ejus exilio damnavit (b). Leudesius namque cùm Major-domûs esset, duxerat uxorem de prosapia sancti Sigismundi Regis Burgundiæ, genuitque ex ea Athicum seu Adalricum, qui patre adhuc superstite, et Hilderico regnante, uxorem duxerat Berswindam nomine, filiam sororis sancti Leodegarii, sororem videlicet Reginæ. Ob hanc causam consanguinitatis, à præfato Rege Ducatum Germaniæ adeptus est, habuitque sedem in villa regia *Ehenheim*, et in castro quod *Hohemburg* nominatur. Genuitque filiam à nativitate cæcam, nomine Odiliam, quæ à sancto Herhardo Ratisponensi Episcopo, et Hildolfo Treverensi baptizata, in sacro fonte visum recepit.

Ebroïnus igitur dum Francos crudeliter opprimeret, ab Ermenfrido occisus est, et 681.
C Waranto * Major-domûs à Theodorico constituitur. Quo defuncto, Franci in diversa * *al.* Warato.
tendentes, vacillabant, et Berecharium quemdam statura pusillum, sapientia ignobilem, consilio inutilem, Majorem-domûs Palatii oberrantes statuerunt.

Pipinus igitur Dux, filius Angisi, nepos sancti Arnulfi, decedentibus Regibus, qui jamdudum dominabantur in Austria, terram sibi vendicaverat: et consurgens commoto hoste quamplurimo, contra Theodericum Regem et Berecharium aciem dirigit: illisque inter se decertantibus, Theodericus Rex unà cum Berechario terga vertit. Pipinus victor extitit, et Berecharius ab inimicis suis peremptus est. Posthæc Pipi- 687.
nus Dux, Theoderico annuente, cœpit esse in principali regimine Major-domûs: qui multa bella gessit contra Rapotonem gentilem, contra Suevos, et quamplurimas gentes.

D Theodorico decedente, Clodoveus filius ejus regnavit. Post quem Hildebertus, 691.
deinde Dagobertus. Pipinus itaque dum principatum Palatii sub prædictis Regibus annis XXVII. egregiè administrasset, mortuus est anno ab Incarn. Domini DCCXIV.

Ejus temporibus duo Angli Presbyteri Ewaldi, dum Saxonibus prædicarent, mar- 714.
tyrio coronati, et miraculis declarati, ab ipso Coloniæ tumulati sunt anno Domini DCCXXIV. Sequenti anno sanctus Willebrodus à Sergio Papa Archiepiscopus ordinatus, genti Frisonum prædicans, virtutibus floruit.

Igitur Pipino mortuo, Franci Raginfredum in Principatum Majorem Palatii elegerunt. Qui, Dagoberto Rege mortuo, cum Francis Danielem quemdam Clericum, 715.
cæsarie capitis crescente, in regnum statuit, atque Hilpericum nuncupavit. Eodem tempore Carolus Dux, filius Pipini, in Austria semel et iterum exercitu commoto 717.
contra Hilpericum Regem, et Raginfredum Majorem-domûs, pro Principatu decer-
E tantes, Hilpericus cum Raginfrido terga vertit. Carolus victor extitit. Deinde Hil-
perico mortuo, Theodericus ei successit. Quo mortuo (c), Hildericus regnavit, qui 720.
tonsus, et in Monasterium jussu Stephani Papæ reclusus est, ut in sequentibus planiùs dicetur.

(a) Leodegarius quatuor duntaxat pòst annis jussu Ebroïni interfectus est.

(b) Hic ferè tot sunt menda, quot verba. 1°. Leudesius Erchinoaldi filius malè confunditur cum Leuthario Alamannorum Duce, de quo Chron. Fredeg. cap. 88. 2°. Berswinda non erat sororis S. Leodegarii filia, sed Sigradæ Leodegarii matris soror, ut scribit Auctor Vitæ S. Odiliæ. 3°. Berswinda non fuit soror Reginæ, Bilhildæ scilicet, Childerici uxoris. Deceptus est Fragmenti Auctor loco malè intellecto Vitæ S. Leodegarii ab Anonymo æquali scriptæ, in qua Leodegarius Childericum Regem arguisse perhibetur, quòd *Regina, quam habebat conjugem, filia sui esset avunculi*, id est avunculi Childerici: quod tamen Auctor de Leodegarii avunculo perperam interpretatus est, ut observat Mabillonius in observationibus prævis ad Vitam S. Odiliæ, Sæc. 3. Bened. parte 2. pag. 487.

(c) Non statim post mortem Theodorici, quæ contigit anno 737. regnavit Childericus, sed tantùm post interregnum quinque annorum, id est anno 742.

Carolus igitur Dux victrici manu Major-domûs Palatii effectus est, Raginfre- A
An. 718. do deposito. Cujus regiminis IV. anno, qui est à Nativitate Domini DCCXVIII. Sarraceni Constantinopolim obsidentes, tandem divino auxilio fame, peste et ferro repelluntur.

Sequenti anno sanctus Bonifacius à Gregorio Papa Moguntiæ Archiepiscopus ordinatus est, quamvis anteà Moguntini Episcopi suffraganei fuerint Wormatiensium Episcoporum. Et auctoritate Apostolica duos in sua parochia Episcopatus fecit, Wirzeburgensem scilicet, cui sanctum Burchardum, et Eistetensem, cui Willebaldum, comprovinciales primos Episcopos ordinavit. Hic etiam Fuldense Cœnobium in saltu Bochania construxit, ubi posteà, cùm Fresonibus prædicaret, martyrii coronam adeptus, anno Domini DCCLIV. sepultus est.

Carolus igitur Dux et Major-domûs regni Francorum, postquàm Alemanniam, Bavariam et totam provinciam Teutonicorum subegit regno Francorum, genuit Ca- B
rolomannum et Pipinum. Qui diviso post obitum ejus patris regno Francorum, Majores-domûs præfuerunt : Regibus tamen in Francia, sed parva dignitate, regnan-
751. tibus. Igitur Pipinus missis Romam Legatis, Zachariam Papam de regno Francorum et ignavis ejus Regibus consuluit. Cujus auctoritate, et non multò pòst jussu Stephani Pontificis Romani, Hilderico, qui tunc temporis regimen Francorum tenebat, deposito, atque in Monasterium detruso, Pipinus Major-domûs Rex Francorum electus, et Suessionis à sancto Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo unctus est anno
752. Domini DCCLII.

Gens namque Merovingorum, de qua Franci Reges creare sibi soliti erant, usque ad hæc tempora duravit. Quæ licèt in Hilderico finita posset videri, tamen jamdudum nullius vigoris erat, nec quidquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum, præ se ferebat. Nam opes et potentia regni penes Palatii Præfectos, qui Majores- C
domûs dicebantur, et ad quos summa Imperii pertinebat, tenebantur : neque Regi aliud relinquebatur, quàm ut regio tantùm nomine contentus, crine profuso, barba submissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, Legatos undecumque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ erat doctus, vel etiam jussus, ex sua velut potestate redderet : cùm præter inutile Regis nomen, et precarium vitæ stipendium, quod ei Præfectus Aulæ prout videbatur exhibebat, nil aliud proprii possideret, quàm unam præparvi redditûs villam, in qua domum, et ex qua famulos sibi ministrantes, atque obsequium præbentes, paucæ numerositatis habebat. Quocumque eundum erat, carpento ibat, bubus junctis, et bubulco rustico more agente, trahebatur. Sic ad Palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabantur, ire, sic domum redire solebat. At regni admi- D
nistrationem, et omnia, quæ vel domi vel foris agenda vel disponenda erant, Præfectus Aulæ procurabat.

Quo officio tunc, cùm Hildericus deponebatur, Pipinus jam velut hereditario jure fungebatur. Qui honor non aliis dari consueverat, quàm his, qui claritate generis, et opum magnitudine ceteris eminebant. Hunc cùm Pipinus ab avo et patre sibi et fratri Carlomanno relictum, summa concordia divisum, sex annis sub Rege memorato tenuisset; Carlomannus amore conversationis contemplativæ succensus, operosa temporalis regni administratione relicta, in Monte Cassino optata quiete perfruitur.

Pipinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatii Rex constitutus, cùm per aliquos annos Francis solus imperaret, Stephanus Papa pro auxilio contra Haistulphum Longobardorum Regem poscendo, ad eum in Franciam venit, E
754. et filios ejus, Carolum, ob virtutum et meritorum quantitatem cognomento Magnum, et Carlomannum Parisiis Reges inunxit anno Domini (a) DCCLIII.

759. Anno Domini DCCLIX. Sanctus Othmarus, qui Cellæ sancti Galli primus Abbas constitutus, XL. annis præerat, à Warino et Ruthardo, consensu Sidonii Constantiensis Episcopi, iniquè damnatus, in Henisteim relegatus, migravit ad Dominum.

760. Eodem anno Waifarius tyrannidem in Aquitania exercuit. Cui resistens Pipinus Rex Vasconiam seu Aquitaniam invasit; et Tyrannum injustè usurpata reddere coëgit.

(a) Corrig. *anno* DCCLIV.

A

GENEALOGIA
REGUM FRANCORUM
PRIMÆ STIRPIS.

Ex Codice (a) *Ms. Bibliothecæ Regiæ* 4593.

B IN Consularibus namque legitur Theodemirum Regem Francorum filium Ricimiri. De hujus stirpe quidam Meroveum Regem fuisse adserunt, cujus fuit filius Hildericus Rex Francorum. Mortuo Hilderico, Chlodoveus filius ejus regnavit annos xxx. Post eum quatuor filii ejus inter se diviserunt regnum, Teodericus, Hlodomirus, Hildebertus atque Hlotarius. Teodericus regnavit annos xxiii. Post eum regnavit Teutbertus filius ejus annos xiv. Mortuo Teutberto, regnavit Theodoaldus filius ejus annos vii. Mortuo Theodoaldo, Hlotharius frater Teoderici regnum ejus accepit. Defuncto autem Hlodomiro, ejus regnum Hildebertus et Hlotharius inter se diviserunt. Et mortuo Hildeberto, regnum ejus Hlotharius germanus suus accepit. Qui prædictus Hildebertus regnavit annos xlvi. Hlotharius verò germanus Hildeberti regnavit annos li. Cui successerunt filii quatuor in regno, quorum nomina hæc sunt, Haribertus, Guntramnus, Hilpericus et Sigibertus. Sed numerus annorum Hariberti
C et Hilperici, nec gesta declarantur. Guntramnus verò regnavit annos xxxiii. Sigibertus autem regnavit annos xiv. Mortuo autem Sigiberto, Hildebertus filius ejus regnavit pro eo annos xxii. Mortuo namque Hildeberto Teutbertus et Theodericus filii ejus regnum ipsius adsumunt. Teutbertus regnavit annos xvii. Teodericus regnavit annos xviii. Hlotarius filius Hilperici, interfectis duobus filiis Theoderici, Sigiberto et Hildeberto, regnum, quod tenuit Teodericus, pleniter in suam redegit potestatem, et regnavit annos xlv. Cui successit in regno ejus filius, nomine Dagobertus, qui regnavit annos xvi. Mortuo Dagoberto, Hlodoveus filius ejus regnavit annos xix. Post ipsum verò successit filius ejus in regno, nomine Sigibertus, qui regnavit annos x. Iterum tertius Hlotarius filius Hlodovei regnavit annos iv. Cui successit in regno Teodericus frater ejus qui regnavit annos xvii. Quo mortuo Hlodoveus filius ejus successit in regno, et regnavit annos iv. Post ipsum verò
D Hildebertus frater ejus regnavit annos xvi. Et post ipsum Dagobertus filius ejus accepit regnum patris sui, et regnavit annos v. Dagobertus regnavit annos iv. obiit in v. Hilpericus regnavit annos v. Teodericus regnavit annos xvii. Karolus sine alio Rege imperavit annos vii. Hildericus regnavit annos [x.] Pippinus regnavit annos xvi. et dimidium.

(a) In hoc Codice varia sunt variis scripta temporibus. Hæc Genealogia scripta videtur sæculo duodecimo.

GENEALOGIA REGUM FRANCORUM,

E à Faramundo usque ad Pipinum.

Ex vetusto Codice Ms. Conciliorum ac Capitulorum.

Apud Chesnium Tom. 1. *Script. Franc. pag.* 793.

PRimus Rex Francorum Faramundus. Secundus Chludio filius ejus. Tertius Merevius filius (a) Merevei. Quartus Childericus filius Merevei, et regnavit annos xxiv. Quintus Chlodovius filius Childerici, et regnavit annos xxx. et habuit filios iv. Hi sunt, Theodericus, Clodemirus, Hildebertus, et Hlotharius, qui regnum inter se diviserunt. Sextus Rex Hlotharius filius Clodovei, et regnavit annos quinquaginta unum. Septimus Rex Hilpericus regnum Hlotharii

(a) Scriptores ferè omnes recentiores Meroveum putant filium Chlodionis, et in suæ sententiæ confirmationem Prisci Rhetoris *in Excerptis de Legationibus* auctoritatem proferunt. Verùm ex Prisci verbis contrarium erui ostendimus in Tomo præcedenti pag. 607.

accepit. Mortuus est Hilpericus filius Hlotharii, et regnavit annos XXIII. Mortuus est A
Hlotharius filius Hilperici, et regnavit annos XLV. Dagobertus filius Hlotharii mortuus
est, et regnavit annos (a) XXXIV. Hlotharius (b) filius Dagoberti regnavit annos IV.
Theodericus filius Clodovei regnavit annos XVIII. Clodovius filius Theodorici regnavit
annos (c) II. Childebertus filius Theoderici regnavit annos XXVI. Dagobertus filius
Childeberti regnavit annos (d) VI. Theodericus genuit (e) Hildericum, qui in Sithio
Monasterio constitutus est. Pippinus regnavit annos XVI.

(a) Dagobertus regnavit annos XVI. ex quibus sex vivente patre, et decem post ejus obitum.
(b) Leg. *Clodoveus filius Dagoberti regnavit annos* XVIII.
(c) Corrig. *annos* V.
(d) Corrig. *annos* IV.
(e) Nunc constat apud omnes Childericum fuisse Chilperici secundi filium.

B

GENEALOGIA POSTERORUM CLODIONIS REGIS,

qui hactenùs ignoti fuerunt.

Ibid. *Ex veteri Ms. Cod. Legis Salicæ.*

PRimus Rex Francorum Faramundus dictus est. Faramundus genuit Cleno et Cludiono. Chludius genuit Chlodebaudo. Chlodebaudus genuit Chloderico. Chlodericus genuit Childevio et Hlodmaro. Childevius genuit Hildeberto, Theoderico, et Hlothario. Chlotarius genuit Gunthario, Heriberto, Gunthramno, Hilprico, Chranno, et Sigeberto. Sigebertus genuit Hildeberto. Hildebertus genuit Theothberto, Theoderico et Chilperico. Chilpericus genuit Hlothario, C
Flodrio.

GENEALOGIA REGUM FRANCORUM,

à Meroveo usque ad unctionem Pipini Regis.

Ibid. p. 794. *Ex veteri Cod. Ms. Bibliothecæ Serenissimi Britanniarum Regis.*

EX Genealogia Priami fuit Meroveus pater Childerici, qui genuit Clodoveum, quem sanctus Rimigius baptizavit, cujus fuit filius de concubina Theodericus et de uxore Clodomerus, Childebertus et Clotharius; quorum pater regnavit annis D
An. 511. triginta, et mortuus est anno quingentesimo (a) nono-decimo ab Incarnatione Christi. Hujus filii regnum patris diviserunt, et Theodericus sedem habuit Mettis, Clodomerus Aurelianis, Childebertus Parisiis, Clotharius Suessionis. Ex Theoderico natus est Theodebertus. Ex Clodomero nati sunt Theodaldus, Guntarius et Clodoaldus. Theodericus regnavit XXIII. annis, et reliquit regnum Theodeberto. Clotharius genuit Guntarium, Childericum, Aribertum, Guntrannum, Sigebertum, Chilpericum et Chrannum. Childeberto Clotharius successit; Clothario qui regnavit annis (b) XLI. Chilpericus successit. Filius Clotharii regnavit Aribertus pro Childeberto, Guntrannus pro Clodomero, Chilpericus pro patre Clothario, Sigebertus pro Theoderico. Qui Sigebertus Brunechildem duxit uxorem, et Chilpericus ejus sororem, qui jam habebat filios Clodoveum, Theodebertum et Meroveum. Quo E
565. tempore Justinianus Imperator moritur. Chilpericus verò occisa Gausvenda sorore Brunechildis, Fredegundem, quam priùs abjecerat, postquàm illi Clotharium genue-
575. rat reduxit. Cujus ingenio, Sigebertus anno DLXXV. ab Incarnatione Christi periit, qui ex Brunechilde Childebertum filium habuit, qui Mettis regnare cœpit pro patre, qui regnavit annis XIV. Posteà Meroveus filius Chilperici Brunechildem in conjugio accepit, quam ab eo pater separavit, et Clericum effectum, Presbyterum fecit. Annus XVII. Chilperici et Guntranni, fuit tertius Childeberti. Cujus anno IV.
579. Salonius et Sagittarius Episcopi in Synodo Cabillonensi degradantur, et Justinus Imperator amens moritur. Chilpericus tres (c) filios uno anno perdidit, et quartum

(a) Nunc inter Eruditos convenit Clodoveum anno 511. obiisse.
(b) Corrig. *annis* LI.
(c) Duos tantùm filios anno 580. amisit Chilpericus Chlodobertum scilicet et Dagobertum, quorum Epitaphia ex Venantio suprà retulimus, p. 523.

Clodoveum

A Clodoveum factione Fredegundis cultro interfecit. Guntrannus anno XXXIII. regni moritur, relinquens sibi heredem Childebertum. Qui cùm VII. (a) annis regnasset in Austria, quatuor tantùm vixit in Burgundia. Cui successerunt filii, Theodebertus quidem in Austria, Theodericus in Burgundia. Denique anno XII. regni sui Theodericus Ermenbergam ab Hispania duxit uxorem, cùm jam haberet ex concubinis tres filios, Sigebertum, Childebertum et Corbum, atque idcircò sibi incognitam remisit ad patriam. Nam Brunechildis utrumque nepotem ab uxoribus abstinere, ut sola pareret domina, maleficio instigabat; quæ etiam sanctum Desiderium lapidari compulit, et ob hoc regnum Theoderici atque filiorum ejus Deus destruxit, sicut ei sanctus Columbanus prædixit. Tandem post multas pugnas, quas inter se prædicti fratres habuerant, Theodericus XVIII. anno regni sui profluvio ventris moritur. Cui Brunechildis Sigebertum filium substituere nitebatur, sed Arnulphi ac Pippini B factione Clotharius successit. Qui Brunechildem equo indomito alligatam, uno videlicet pede ac brachio cum coma capitis, disrumpi præcepit, eò quòd decem Reges Francorum interfici fecisset, id est, Sigebertum, Meroveum, genitorem quoque suum Chilpericum, Theodebertum, et filium ejus Clotharium, Clothariique filium Meroveum, atque cum tribus filiis suis Theodericum. Posthæc Clotharius anno regni sui XXXIX. Dagobertum filium suum super Austrasios Regem instituit, qui regnavit annis (b) XIII. Nam pater ejus * XLV. anno vitam finivit. Dagobertus itaque duos filios habuit, Sigebertum et Clodoveum. Clodoveus quoque ex Baltilde Regina sua tres filios habuit, Clotharium, Childericum atque Theodericum, et regni sui anno (c) XVI. obiit. Porrò Clotharius regnum paternum VII. (d) annis obtinuit, cui Theodericus frater successit. Childericum verò Franci in Austrasiam dirigunt, quem posteà sibi Regem statuunt, Regis Theoderici detonso crine capitis. Hebroïnum verò C Majorem-domûs similiter adtonsum in Monasterio retrudunt, quod dicitur Luxovium. Sed posteà crescente coma, uterque rediit, alter ad Regnum, alter ad Ducatûs fastigium. Pro qua re sanctus Leodegarius innocenter appetitus Hebreduni martyrio * coronatur, et Lupus pessimus Dux in exilium retruditur, sicut in præcepto ejusdem Theoderici continetur, quòd de hereditate ejusdem Lupi essent in Monasterio sancti Petri constructo in agello Floriacensi. Cùm itaque ex Meroveo tanta creverit seges nepotum, quorum alii simul in diversis Franciæ partibus, alii cum parentibus suis aliquandiu pariter regnum obtinuerint, seriem generationis priùs describamus à prædicto Meroveo usque ad Clotharium patrem Dagoberti, posteà usque ad Theodericum filium Sigeberti.

An. 593. 596. 613. 622. * An. 628. 656. 670. 673. * An. 678.

(a) Corrig. XX. *annis*.
(b) Corrig. *annis* XVI. Nam, ut jam multoties notavimus, binarius et quinarius numeri facilè inter se permutantur. D

(c) Annos decem et octo ac aliquot menses regnavit Clodoveus. Ideò corrig. *anno* XIX.
(d) Corrig. XIV. *annis*.

INCIPIT (a) PROSAPIA REGUM FRANCORUM,

usque ad Childericum ultimum Regem primæ stirpis.

Apud Acherium Tom. 2. *Spicil. pag.* 800.

E PRiamus genuit Faramundum. Faramundus genuit Chlodionem, Chlodio quia sine filio fuit, successit ei in regno nepos ejus Meroveus (b). Meroveus genuit Hildericum. Hildericus genuit Clodoveum, quem S. Remigius baptizavit : et in baptismate, mutato nomine, vocatus est Ludovicus. Ludovicus genuit Clotharium et fratres ejus. Clotharius genuit Chilpericum et fratres ejus. Chilpericus genuit Clotharium Magnum ex Fredegonde. Clotharius genuit Dagobertum et Blithildem sororem ejus. Dagobertus genuit Clodoveum et Sigebertum. Clodoveus genuit Lotharium et Hildericum et Theodoricum. Theodoricus genuit Clodoveum et Hildebertum. Clodoveus quia sine filio fuit, successit ei in regno frater ejus Hildebertus.

(a) Hæc Genealogia et sequens confectæ videntur ab Auctore Chronici S. Medardi Suession. qui florebat sæculo decimo tertio.
(b) Meroveum filium fuisse juniorem Chlodionis multi putant, fulti auctoritate Prisci Rhetoris, qui contrarium statuere videtur. Vide quæ notavimus in Tomo præcedenti pag. 607.

Iste gloriosus Rex justus bonæ memoriæ Hildebertus regnavit annis (a) XVII. Posteà migravit ad Dominum, sepultusque est Causiaco (b) Monasterio in Basilica sancti Stephani Protomartyris. Hildebertus genuit Dagobertum juniorem. Dagobertus junior Rex puer ægrotans mortuus est, regnavitque annis quinque. Franci nimirum Danielem quondam Clericum, cæsarie capitis crescente, in regnum stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Chilpericus verò Rex, qui est Daniel quondam Clericus, in urbe Noviomo mortuus est, regnavitque sex annis. Quo mortuo, Franci Theodoricum Regem in sedem regni statuerunt. Hildericus verò, qui posteà depositus, Theodorico successit in regno. A

(a) Hi septemdecim anni incompleti intelligendi sunt.

(b) Causiam, vulgò *Choisy*, vicus est ad Axonam fluvium positus, non procul ab ejus et Isaræ confluentibus, supra Compendium, olim villâ regiâ et Monasterio insignis. B

INCIPIT GENEALOGIA

ex qua ortus est Carolus Magnus.

Ibid. pag. 801.

PRiamus genuit Faramundum, etc. *ut suprà*. Clotharius genuit Dagobertum et (a) Blitildem sororem ejus. Blitildis verò soror Dagoberti genuit Arnoldum ex Ansberto illustri viro. Arnoldus genuit Arnulphum (b), pòst Metensem Episcopum. Arnulfus, qui posteà fuit Episcopus, genuit Aistulfum Metensem Episcopum, et Gualchisum et Flodulphum et Ansigisum. Ansigisus genuit Pipinum seniorem ex Begga filia Pipini Majoris-domûs. Iste Pipinus senior febre valida correptus mortuus est; obtinuitque Principatum sub suprascriptis Regibus, Theodorico scilicet et Clodoveo filio ejus, et Childeberto fratre Clodovei, XXVII. annis et dimidio. Pipinus verò senior Princeps et Dux regni Francorum, Præfectus palatii et Major-domûs, genuit Carolum seniorem, cognominatum Martellum. Carolus Princeps et Dux regni Francorum, Præfectus palatii et Major-domûs, genuit Pipinum juniorem parvum, et Carlomannum, pòst Monachum. C

Pipinus junior parvus, Princeps et Dux Francorum, Præfectus palatii et Major-domûs, factus Rex Francorum hoc modo. Burghardus Wirceburgensis Episcopus et Folradus Capellanus missi fuerunt ad Zachariam Papam interrogando de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regalem potestatem, si bene fuisset, an non. Et Zacharias Papa mandavit Pipino, ut melius esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum qui sine regali potestate manebat. Sed ut non conturbaretur ordo, per auctoritatem Apostolicam jussit Pipinum parvum Regem fieri anno Domini DCCLI. Pipinus verò parvus secundùm morem Francorum electus est ad Regem, et unctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi; et elevatus est à Francis in regno Francorum in Monasterio sancti Medardi, quod situm est in Suessionis civitate. Hildericus verò, qui falsè Rex vocabatur, tonsoratus est, et in Monasterium missus anno ab Incarnat. * DCCL. D

* DCCLII.

(a) Hæc Blitildis, quam alii filiam Clotharii primi faciunt, fictitia est atque Veteribus incognita.

(b) Cùm Arnulphus, regnante Clothario, Dux Austrasiorum fuerit, deinde Mettensis Episcopus, quomodo hunc Clotharium proavum habere potuerit?

A

DE MAJORIBUS

DOMUS REGIÆ,

LIBELLUS VETUSTI SCRIPTORIS.

Ex editione Cl. Viri Petri Pithœi, quæ cum ms. Codice antiquissimo
B collata est, et ex eo nonnulla quæ deerant restituta.

Apud Chesnium Tom. 2. *Script. Franc. pag.* 1.

EX genere Priami fuit Meroveus, qui genuit Childericum. Childericus genuit Clodoveum, quem baptizavit S. Remigius. Clodoveus genuit Clotharium. Clotharius genuit Chilpericum. Chilpericus genuit Clotharium patrem Dagoberti excellentissimi Regis. Clotharius genuit Dagobertum famosissimum ac dulcissimum Regem. Dagobertus genuit Clodoveum. Clodoveus autem Rex genuit tres filios ex Baltide Regina sua sancta, Clotharium, Childericum atque Theodericum. Theodericus genuit Childebertum. Childebertus genuit Dagobertum. Dagobertus genuit Theodericum. Theodericus genuit Clotharium (a). Clotharius Childeri-
C cum. Et post transmigrationem generationis, ex filia Clotharii Regis Ansbertus (b) genuit Arnoldum. Arnoldus genuit sanctissimum Arnulfum pòst Mettensem Episcopum. Arnulfus quoque sanctus genuit Anchisem. Anchises genuit Pippinum Majorem-domûs. Pippinus genuit Carolum Martellum. Carolus verò genuit Pippinum posteà Regem effectum.

Denique à temporibus Clodovei, qui fuit filius Dagoberti inclyti Regis, pater verò Theoderici, regnum Francorum decidens per Majores-domûs cœpit ordinari. Quorum primus apud Austrasiam Pippinus reliquit filium Grimoldum, qui filium Sigeberti, nomine Dagobertum, Dodoni Pictavensi Episcopo detonsum sub custodia direxit. An. 656.
Quapropter idem Grimoldus sub custodia Parisius diu excruciatus finivit vitam. Post Grimoldum (c) Herginoldus * Major-domûs efficitur. Quo defuncto Hebroïnus succedit, Vulfoaldo apud Austrasiam Ducis officio fungente. Quo decedente, Martinus * Erchenoldus.
D et Pippinus junior filius Ansegisili, qui et alio nomine Anchises dictus est, in Austrasia Majores-domûs fuerunt. Qui etiam moto prælio, contra Theodericum Regem atque Hebroïnum acies dirigunt. Sed Martinus fuga lapsus, dolo Hebroïni apud Laudunum Clavatum interficitur. Pippinus verò in Austrasiam rediit : ad quem Hermenfridus Francus occiso Hebroïno fugiens evasit. Circa an. 680. 681.

Fuerunt autem Majores-domûs, ex quibus generatio Regalis processit, primus quidem Ansbertus Senator, qui ex Blithid * filia secundi Clotharii genuit Arnoldum patrem sancti Arnulfi tandem Mettensis Episcopi, qui genuit Anchisem patrem Pippini. Franci denuò pro Hebroïno Warathonem Majorem-domûs efficiunt. Cujus filius Gislemarus contradicente patre suo Warathone cum Pippino civilia bella habuit. Iterùm Pippinus cum Theoderico et Berthario bellum iniit, vicit, cepit, atque thesauris acceptis Nordebertum quemdam de suis Majorem-domûs constiE tuit : ipse autem in Austrasiam remeavit. Cujus filii fuerunt Drogus *, et Grimoldus. Sed Drogus Ducatum accepit in Campania. Mortuo Theoderico, Clotharius (d) filius ejus regnum puer obtinuit. Quo defuncto, Childebertus frater ejus successit. Nordeberto quoque mortuo, Grimoldus Pippini filius Major-domûs effectus est. Childebertus verò Rex mox ut migravit ad Dominum, regnum ejus suscepit Dagobertus filius ejus adhuc puer. Quo tempore Major-domûs Grimoldus

* *al.* Baltide *seu* Blitilde.

687.

* *al.* Drogo.

691.

695.

711.

(a) Nec Theodoricus filium habuit Clotharium ; nec Childerici pater fuit Clotharius, sed Chilpericus secundus, Daniel appellatus.

(b) Qui Arnulfo avum Ansbertum, aviam Blithildem Clotharii majoris filiam, patrem Arnoldum affingunt, rem Paulo Warnefridi in lib. de Mettens. Episc. et Scriptori Vitæ S. Arnulfi perantiquo incognitam dicunt, nec ante Caroli Calvi Principatum adinventam.

(c) Grimoaldus Major-domûs erat sub Sigeberto Austrasiæ Rege. Erchinoaldus eadem dignitate fungebatur sub Chlodoveo Neustriæ et Burgundiæ. Non igitur Grimoaldo successit.

(d) Leg. *Chlodoveus*.

* Rabbodi. Theudsindam filiam Ratbodi * Ducis in conjugem duxit, qui à Rangario Frisone A
in Basilica sancti Lamberti peremptus est. Pro quo pater ejus Pippinus Teudoaldum filium ipsius, quem ex alia conjuge habuerat, in honore patris constituit. Ipse
An. 714. quoque Pippinus eodem anno, qui est Incarnationis Dominicæ DCCXIV. medio Decembri obiit, postquàm obtinuit Principatum sub nominatis Regibus annis XXVII (a).

Plectrudis Pippini quondam uxor Carolum ex uxore alia Pippini filium captum tenuit, sed Deo auxiliante vivus evasit. Hic enim post mortem Dagoberti junioris,
715. qui quinque annos regnavit, multa prælia commisit contra Ratbodum Frizonum Ducem, contraque Raganfredum, qui pro Teudoaldo Grimoldi justi et modesti filio Major-domûs efficitur. Tunc Franci Danielem quendam Clericum post abjectionem tonsuræ in regno stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Contra quem
717. Carolus pugnam iniit, atque eum in fugam victor compulit. Deinde Coloniam B
veniens, et thesauros patris sui à Plectrude recipiens, Regem sibi Clotharium sta-
719. tuit, qui eo anno (b) mortuus est. Tandem Chilpericus Rex et Raganfredus Eudonem Ducem in adjutorium expetunt : quorum Chilpericus cum thesauris regalibus in Aquitaniam fugit, quem postmodùm Eudo cum multis muneribus Ca-
720. rolo reddidit. Quo non plus v (c). annis regnante, Franci Theodericum Dagoberti junioris filium Regem super se statuunt. Quo tempore Carolus Major-domûs
* *al.* Raganfredum. et Austrasiorum Princeps multa bella contra Ratbodum, et contra Lanfridum *, contra Eudonem, et Bajoarios, contraque Sarracenos impari manu iniit, et semper, Dei gratiâ, victor extitit. Hic res Ecclesiarum propter assiduitatem bellorum
741. laïcis tradidit, atque anno Dominicæ Incarnationis DCCXLI. Dux defunctus est, et in Monasterio S. Dionysii humatus, Principatum obtinentibus filiis ejus, Karlomanno et Pippino fratribus. Quorum alter, hoc est Karlomannus, contra Hunaldum C
Ducem Aquitanorum, ac deinde contra Odilonem Bajoariorum Ducem conflictum
747. habuit : ad ultimum in Serapte (d) monte Monachus effectus, postmodùm in Monte Cassino religiosam duxit vitam. Porrò in Franciam ad fratrem Pippinum Legatus Ste-
754. phani Papæ rediit, unde Italiam repetendo, apud Viennam Galliæ urbem obiit. His temporibus Hildricus (e) in regno Francorum substituitur. De quo Pippinus Dux
751. Legatos ad Zachariam Papam dirigit, interrogans eum si ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius essent potestatis, solo Regio nomine contenti. Quibus Legatis Romanus Pontifex respondit, illum debere Regem vocari, qui Rempublicam regeret. Detonso igitur Hildrico, et in Monasterio detruso, mox Franci
752. Pippinum sibi Regem constituunt. Hic enim rebellantes sibi omnes subegerat, Griphonem videlicet fratrem suum, Tassilonem quoque ex sorore nepotem : quorum alterum Austrasiorum, alterum Bajoariorum Ducem instituit. Denique Zacharia Pon- D
tifice defuncto, Stephanus succedit, qui in Franciam ad Pippinum, urgente necessi-
754. tate, venit, eumque ac duos filios ejus Karolum et Karlomannum pariter suæ benedictionis oleo perunxit.

(a) Nimirum à pugna Textriciana, quæ habita est anno 687.
(b) Clotharius Rex creatus anno 717. mortuus est anno 719.
(c) Chilpericus *regnavit quinque annis et dimidio*, ut scribit Auctor de Gestis Francorum cap. 53.
(d) Leg. *Soracte*.
(e) Jam ab anno 742. Childericus Rex Francorum renunciatus fuerat.

EX S. ISIDORI (a) HISPALENSIS

E

HISTORIA GOTHORUM

Apud Labbeum Tomo 1. *Novæ Biblioth. mss. pag.* 62.

An. Chr. 410. ÆRA 448. anno Imperii Honorii et Arcadii (b) sexto-decimo, Alarico post captam urbem defuncto, Ataulfus Gothis Italiæ regno præficitur annis sex. Iste quinto regni anno de Italia recedens, (c) Gallias adiit, Placidiam
414. Theodosii Imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, conjugem sibi assum-

(a) Florebat ineunte sæculo VII.
(b) Perperam hîc nomen habetur Arcadii, qui jam ab aliquot annis obierat. Errat plerumque Isidorus in Æra cum annis Imperatorum copulanda.
(c) Jam à biennio in Galliis erat Ataulphus.

A psit. . . . . Ataulfus autem dum, relictis Galliis, Spanias peteret, à quodam suorum apud Barcinonem inter familiares fabulas jugulatur. An. Chr. 415.

Æra 454. anno Imperii Honorii et Arcadii 22. post Ataulfum Gothis Sigericus Princeps electus; qui dum ad pacem cum Romanis esset promptissimus, mox à suis est interfectus.

Æra et anno quo suprà, Wallia Sigerico succedens, tribus annis regnum tenuit, belli causâ Princeps à Gothis effectus; sed ad pacem divina providentia ordinatus. Mox enim ut regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit. Placidiam sororem ejus, quæ à Gothis Romæ capta fuerat, ei honorificè reddidit, promittens Imperatori propter Rempublicam omne certamen implere. Itaque ad Spanias per Constantium evocatus, Romani nominis causâ cædes magnas barbaris intulit. . . . . Confecto igitur Wallia bello Spaniæ. . . . . Gallias repetit, datâ ei ab Imperatore ob meritum 416. 419.

B victoriæ secundâ Aquitaniâ, cum quibusdam civitatibus confinium provinciarum usque ad Oceanum.

Æra 457. anno imperii Honorii et Arcadii 25. Vallia Rege defuncto, Theodoricus succedit in regnum annis triginta tribus, qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recusat, municipia Romanorum vicina sedibus suis occupat: Arelas nobilissimum Galliæ oppidum oppugnatur, à cujus obsidione, imminente virtute Aëtii Romanæ militiæ Ducis, non impunitus abscedit. Remoto igitur Valentiniani Imperatoris jussu à sua potestate militari Aëtio, dum Theudericus Narbonensi urbi diutina obsidione ac fame esset infestus, rursùs à Litorio Romanæ militiæ Duce, Hunnis auxiliantibus, effugatur. Litorius autem cùm primùm res prosperas adversùs Gothos gessisset, denuò dæmonum signis Aruspicumque responsis deceptus, bellum cum Gothis imprudenter iniit, amissoque Roma- 419. 425. 436. 439.

C no exercitu, miserabiliter superatus interiit. . . . . Pacem deinde Theodoricus cum Romanis iniit: denuò adversùs Hunnos Galliarum provincias sua depopulatione vastantes, atque urbes plurimas evertentes, in Campis Catalaunicis, auxiliante Aëtio Duce Romano, aperto marte conflixit: ibique præliando victor occubuit. Gothi autem, dimicante Turismundo Theoderici Regis filio, adeò fortiter congressi sunt, ut inter priorem * prælium et postremum trecenta ferme millia hominum prostrarentur. 451. * prius.

Æra 490. anno primo * Imperii Martiani, Torismundus filius Theoderici provehitur ad regnum anno uno. Qui dum in ipsius regni vix exordiis feralis ac noxius hostilia inspiraret, multaque ageret insolentiùs, à Theoderico et Friederico est fratribus interfectus. * tertio. 452.

Æra 491. anno secundo * Imperii Martiani, Theudericus post fraternam necem in * quarto.

D regnum succedens, imperat annis tredecim. Qui pro eo quòd Imperatori Avito sumendi Imperialis fastigii cum Galliis auxilium præbuisset, ab Aquitania Hispanias cum ingenti multitudine exercitûs, et cum licentia ejus Aviti Imperatoris ingreditur. . . . . In Galliis autem Agrippinus Comes et civis, Ægidio Romano æmulus, ut Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theuderico. Pòst aliquot Suevorum à Remismundo Rege missi ad Theudericum venerunt, pacem amicitiamque poscentes. Similiter Theodericus ad Remismundum remittit cum armorum adjectione vel munerum, directa etiam et conjuge, quam haberet. Sallamnem quoque legatum denuò Theodericus mittit ad Remismundum, qui reversus ad Gallias Theodericum ab Eurico fratre suo reperit interfectum. 455. 462.

Æra 504. anno Imperii Leonis octavo (a), Euricus pari scelere, quo frater, succedit in regnum annis decem et septem. . . . . In Gallias autem regres- 466.

E sus, Arelatum et Massiliam urbes bellando obtinuit, suoque regno utraque adjecit. . . . . Sub hoc Rege Gothi legum (b) instituta scriptis habere cœperunt: anteà tantùm moribus et consuetudine tenebantur. Obiit Arelato Euricus morte propria defunctus. 477. 484.

Æra (c) 521. anno decimo Imperii Zenonis. Eurico mortuo Alaricus filius ejus

(a) Initium Eurici regni malè conjungitur cum anno Leonis octavo.

(b) Observat Sirmondus in notis ad Sidonium pag. 42. hoc non sic esse accipiendum, quasi ante Euricum leges Gothicæ nullæ fuerint: sed quòd earum corpus et codicem primus collegerit Euricus.

(c) Malè colligatur mors Eurici cum Æra 521. seu cum anno Chr. 483. Obiit enim Euricus anno 484. Auctor Anonymus Chronici inserti Chronico Victoris Tununensis, *post Consulatum Theodorici*, anno nempe 485. scribit: *His diebus Euricus Rex moritur, et Alaricus filius pro eo Rex efficitur.* Verùm multis in locis mendosus est Auctor iste. Jornandes lib. de reb. Get. cap. 47. eum decimo-nono anno regni sui mortuum esse tradit. Cùm igitur anno 466. regnare cœperit, ad annum 484. vitam propagavit: Isidorus qui ei annos 17. attribuit, annos completos tantùm enumerat.

An. Chr. 507. apud Tolosensem urbem Princeps Gothorum constituitur, regnans annis viginti et tribus. Adversùs quem Hluduicus Francorum Princeps Galliæ, regnum affectans, Burgundionibus sibi auxiliantibus, bellum movit, fusisque Gothorum (a) copiis, ipsum postrenum Regem Pictavos superatum interfecit. Theudericus autem Italiæ Rex, dum interitum generi sui comperisset, confestim ab Italia proficiscitur, Francos proterit, partem regni, quam manus hostium occupaverat, recepit, Gothorumque juri restituit. A

507. Anno septimo-decimo Imperii Anastasii, Gesalicus superioris Regis filius, ex concubina creatus, Narbonæ princeps efficitur regnans annis quatuor, sicut genere vilissimus, ita infelicitate et ignavia summus. Denique dum eadem civitas à
508. Gundebado Burgundionum Rege direpta fuisset, iste cum multo sui dedecore et cum magna suorum clade apud Barcilonam se contulit, ibi moratus quousque regni
509. fascibus à Theoderico fugæ ignominiâ privaretur. Inde profectus ad Africam, B Wandalorum (b) suffragia poscit, quò in regnum posset restitui, qui dum non impetrasset auxilium, mox de Africa rediens, metu Theoderici Aquitaniam petiit, ibique
510. anno uno delitescens, in Spaniam revertitur, atque ab Ebbane Theoderici Regis Duce duodecimo à Barcilona urbe milliario, commisso prælio, in fugam vertitur, captusque trans flumen Druentium Galliarum interiit : sicque priùs honorem, posteà vitam amisit.

511. Æra 549. anno vigesimo primo Imperii Anastasii, Theodoricus junior..... extincto Gesalico Rege Gothorum, Hispaniæ regnum quindecim annis obtinuit; quod superstiti Amalarico nepoti suo reliquit.

526. Æra (c) 566. anno Imperii Justiniani primo, regresso Italia Theoderico, Amalaricus nepos ejus annis quinque regnavit : qui cùm (d) ab Ildeberto Francorum Rege apud Narbonam prælio superatus fuisset, Barcinonam trepidus fugit, effectusque omnium C contemptibilis ab exercitu jugulatus interiit.

* quinto. 531. Æra 569. anno Imperii Justiniani sexto *, post Amalaricum Teudix in Spania creatus in regnum annis decem et septem..... Eo regnante dum Francorum (e) Reges
542. cum infinitis copiis in Spanias convenissent, et Tarraconensem provinciam valde popularent, Gothi Duce Teudiselo, obicibus Hispaniæ interclusis, Francorum exercitum multa cum admiratione victoriæ prostraverunt. Dux idem, prece atque ingenti pecunia sibi objecta, vicem fugæ hostibus residuis unius diei noctisque spatio præbuit. Cætera infelicium turba, cui transitus collati temporis non occurrit, Gothorum perempta gladio concidit..... Nec mora, prævenit mors deinde Principem : vulneratur enim à quodam in palatio, qui jam dudum dementis speciem, ut Regem deciperet, simulaverat. D

* XXII. 548. Æra 586. anno Imperii Justiniani vigesimo-tertio *, interempto Teudi, Teudisclus Gothis præficitur regnans anno uno. Qui dum plurimorum potentum connubia prostitutione publica macularet, et ob hoc instrueret animum ad necem multorum, præventus pari conjuratorum manu inter epulas jugulatur, confossusque extinguitur.

* XXIII. 549. Æra 587. anno Imperii Justiniani vigesimo-quarto *, extincto Teudisclo, Agila Rex constituitur regnans annis quinque. Adversùs quem, interjecto aliquanto temporis spatio, Athanagildus tyrannidem regnandi cupiditate arripiens, dum

(a) In Appendice, quæ exstat in margine Chronici Victoris Tununensis, sub Consulibus Venantio et Celere [corrig. Anastasio et Venantio] legitur : *His diebus pugna Gothorum et Francorum Boglodoreta Alaricus Rex in prælio à Francis interfectus est. Regnum Tolosanum destructum est.*

(b) Videtur Gesalicus, antequam in Africam transiret, cum Clodoveo societatem iniisse : Theodericus enim Italiæ Rex apud Cassiodorum lib. 5. Ep. 43. cum Transmundo Vandalorum Rege expostulat, quòd Gesalicum in suam defensionem suscepisset, *qui nostris inimicis*, inquit, *dum à nobis foveretur, adjunctus est.* Quæ verba *nostris inimicis* nonnisi de Francis intelligi possunt.

(c) Corrig. Æra 564. anno Imperii Justini IX.

(d) Auctor Appendicis ad marginem Victoris Tununensis adjectæ ad annum primum post Consulatum Lampadii et Orestis, hoc est ad annum Christi 531. ait : *Amalaricus Rex cum Zidiberto* [id est Childeberto] *Francorum Rege in Gallia superatus Narbonensi in prælio, Barcinonem fugiens venit, ibique à Franco angone percussus interiit.* Amalaricum quoque in Hispania occisum dicit Gregorius Turon. lib. 3. cap. 10. Procopius tamen lib. 1. de bello Goth. eum intra Galliarum septa occubuisse scribit. Quam sententiam præferendam esse Cointius ostendit ad annum 531. num. 9. Verùm jam suprà observatum est, Hispaniæ nomine in loco Gregorii citato Septimaniam intelligi.

(e) In Appendice eadem ad annum post Consulatum Basilii, hoc est Christi 542. legitur : *Hoc anno Francorum Reges quinque per Pampelonam Hispanias ingressi, Cæsaraugustam venerunt : quam obsessam per tres dies, omnem ferè Tarraconensem Provinciam depopulatione triverunt.* Hi quinque Reges intelligendi sunt Childebertus et Clotharius cum tribus ejusdem Clotharii filiis : qui Regum filii Reges ab Auctoribus Gallicanis appellantur. In hac Appendice nulla mentio victoriæ à Gothis de Francis relatæ, sicuti nec apud Gregorium, nec apud Auctorem de Gestis Francorum. Meminit tamen Chronologia Regum Gothorum ex codice ms. Cœnobii Mossiacensis eruta, mox edenda.

A exercitum ejus contra se Hispalim missum virtute militari prostrasset, videntes Gothi proprio se everti excidio, et magis metuentes, ne Spaniam milites auxilii occasione invaderent, Agilanem Emeritæ interficiunt, et Athanagildi se regimini tradiderunt.

Æra 592. anno Imperii Justiniani vicesimo-nono *, occiso Agilane, Athanagildus regnum, quod invaserat, tenuit annis quatuordecim..... Decessit autem Athanagildus propriâ morte Toleti, vacante regno mensibus quinque. * XXVIII. An. Chr. 554.

Æra 605. anno [tertio] Imperii Justini minoris, post Athanagildum Liuva Narbone Gothis præficitur regnans annis (a) tribus. Qui secundo anno postquàm adeptus est principatum, Leuvigildum fratrem suum non solùm successorem, sed et participem regni sibi constituit, Spaniæque administratione præfecit, ipse Galliæ regno contentus. Sicque regnum duos capit, cùm nulla potestas patiens consortis sit. 567.

B Huic unus tantùm annus in ordine temporum reputatur; reliqui Leuvigildo fratri adnumerantur.

Æra 607. anno [quinto] Imperii Justini minoris, Leuvigildus, adepto Hispaniæ principatu, ampliare regnum bello et augere statuit..... In legibus quoque ea, quæ ab Eurico inconditè constituta videbantur, correxit, plurimas leges prætermissas adjiciens, plerasque superfluas auferens. Regnavit autem annis decem et octo, defunctus propria morte Toleti. 569.

Æra 624. anno tertio * Imperii Mauricii, Leuvigildo defuncto, filius ejus Recaredus regno est coronatus, cultu prædítus religionis, et paternis moribus longè dissimilis... Francis enim sexaginta ferè millibus armatorum Gallias irruentibus, misso Claudio Duce adversùs eos gloriosè triumphavit. Et certè nulla unquam in Hispaniis Gothorum victoria vel major, vel similis extitit. Prostrati sunt enim et capti multa millia hostium: residua exercitûs pars præter spem in fugam versa, Gothis post tergum insequentibus, * V. 586. 589.

C usque in regni sui finibus cæsa est. Sæpe etiam et lacertos contra Romanas insolentias et irruptiones Vasconum movit.

Æra 639. anno Imperii Mauritii septimo-decimo *, post Reccaredum Regem regnat Liuba filius ejus annis duobus: ignobili quidem matre progenitus, sed virtute et indole insignitus, quem in primo flore adolescentiæ Wittericus, sumpta tyrannide, innocuum regno dejecit, præcisaque dextra occidit anno ætatis vigesimo secundo. * XX. 601.

Æra 641. anno Imperii Mauricii (b) vigesimo, extincto Liuvane, Wittericus regnum, quod vivente illo invaserat, vindicat annis septem..... Inter epulas prandii conjuratione quorumdam interfectus est, corpus ejus viliter exportatum est atque sepultum. 603.

D Æra 648. anno Imperii Focatis sexto *, Gundemarus post Wittericum regnat annis duobus. Hic Vascones una expeditione vastavit; aliâ militem Romanum obsedit: morte propria Toleti decessit. * VIII. 610.

Æra 650. anno Imperii Heraclii secundo, Sisebutus post Gundemarum regali fastigio evocatur, regnans annos octo, mensibus sex. Hunc alii proprio morbo, alii immoderato medicamenti haustu asserunt interfectum, relicto Reccaredo filio parvulo, qui post patris obitum Princeps paucorum dierum morte interveniente abiit. 612. 620.

Æra 650. anno Imperii Heraclii decimo *, gloriosissimus Suinthila gratiâ divinâ regni susceptit sceptra. Iste sub Rege Sisebuto Ducis nactus officium, Romana castra perdomuit, Roccones superavit..... Habuit quoque et initio regni expeditionem contra incursus Vasconum Tarraconensem provinciam infestantium. * XI. 621.

E Hujus filius Riccimirus in consortium regni adsumptus pari cum patre solio collætatur: in cujus infantia ita sacræ indolis splendor emicat, ut in eo et meritis et vultu paternarum virtutum effigies prænotetur.

Ex ejusdem Historia Vandalorum.

Æra 444. ante biennium irruptionis Romanæ urbis, excitatæ per Stiliconem, Gentes Alanorum, Suevorum et Wandalorum, tranjecto Rheno, Gallias irruunt, Francos proterunt, directoque impetu ad Pyrenæos usque perveniunt: cujus obice per Didymum et Verunianum Romanos nobilissimos ac potentissimos fratres ab Spania tribus annis repulsi per circumjacentes Galliæ provincias vagabantur. 406.

(a) Johannes Biclariensis, Auctor coævus, Liuvæ tribuit annos regni sex. Isidorus numerat tantùm annos regni in Hispania, unum completum, duos incompletos. (b) Mauricius anno superiori trucidatus est.

A

CHRONOLOGIA ET SERIES (a)

REGUM GOTHORUM

Qui tam in Gothia Gallica, quàm in Hispaniis regnarunt, usque ad Caroli Martelli Francorum Principis tempora.

Ex veteri Codice ms. Cœnobii Moissiacensis.

Apud Chesnium Tom. 1. *pag.* 818.

B

An. Chr. 369. PRimùm in Gothis Attanaricus regnavit annis (b) XIV. Iste primus per Valentem Imperatorem in hæresem Arrianam cum omni Gothorum gente intravit. Sub isto Gothi legem et litteras habere cœperunt, et cum eodem Rege ab Hunnis de terra propria expulsi sunt. Rex quoque Constantinopoli vitam finivit sub Imperatore Theodosio.

382. II. Alaricus regnavit annis XIV. (c) Iste ob vindictam Gothorum CCM. et Radagatso (d) Scita, quos Romani interfecerunt, exercitum movit, et Romam cepit, ibique Placidiam Theodosii Imperatoris filiam cum opibus multis deprædavit. Posteà in Italia obiit, sub Imperatoribus Honorio et Arcadio.

410. III. Ataulfus regnavit annis VI. Iste supradictam Placidiam conjugem accepit, et quinto regni anno de Italia Gallias adiit. Et dum Hispanias petere voluisset, à suis C interfectus est in Barcilona sub Imperatoribus Honorio et Arcadio.

415. IV. Sigericus regnavit annum I. Iste dum pacem cum Romanis habere voluisset, mox à suis est interfectus, sub Imperio prædicto.

416. V. Wallia regnavit annos III. Belligerator fuit. Cum Imperatore Honorio pacem habuit, et sororem ejus Placidiam ei reddidit. Iste Hispanias ingressus, Wandalos et Silinguos in Betica bello extinxit, et Alanos ad nihilum redegit. Ad Africam classicè transire disposuit. Sed Gaditanummare eum non dimisit. In Gallias rediit, ibique finivit vitam sub Imperio Honorii.

419. VI. Teuderedus regnavit annis XXXIII. Iste Littorium Ducem Romanorum, et cum eo multa millia Romanorum extinxit. Ex Hunis CC. milia interfecit, ibique præliando occiditur, sub Imperio Theodosii Junioris.

451. VII. Turismundus filius ejus regnavit annum I. Qui dum feralis et noxius esset, à D Theuderico et Fricdario ejus fratribus est interfectus sub Imperatore Martiano.

452. VIII. Theudericus regnavit annis XIII. Iste dum Gothis Abito Imperatore sumere* auxilium dedit. Et ob hoc inde cum licentia idem Abiti Imperatoris, cum ingenti exercitu Hispanias intravit, et XII. miliario ab Asturica apud Urbicum fluvium Ricciarium Suevorum Regem prælio superavit, eumque persequens in Portugale cepit, atque occidit. Braccaram cepit, sicque inde per Lusitaniam in Gallias rediit, ibique ab Eurico ejus fratre interfectus sub Imperatore Leone.

466. IX. Euricus regnavit annis XXVI (e). Iste Lusitaniam deprædavit, Pampilonam et Cæsaraugustam cepit, et Gothis legem dedit. Arelate obiit sub Imperatore Zenone.

484. X. Alaricus filius ejus regnavit annis XXIII. Quem Clodoveus Rex Francorum apud Pictavem bello interfecit. Ob cujus vindictam Theodoricus socer ejus Italiæ E Rex Francos prostravit, et regnum Gothis integrum restituit sub Imperatore Athanasio (f).

507. XI. Gesalaicus Alarici filius regnavit annis IV. Iste à Gundebaldo Burgundionum Rege Narbona superatus, ad Barcilonam fugit. Inde ad Africam ad Wandalos pro auxilio perrexit, et non impetravit. Inde reversus apud Barcilonam, à Duce Theuderici Italiæ Regis est interfectus sub Imperatore Athanasio.

511. XII. Theudericus supradictus, occiso Gesalaico, regnum Gothorum tenuit annis

(a) Hæc Series perperàm tribuitur Juliano Toletano in ms. codice Thuaneo. Annos Christi, à quibus unumquodque regnum ducit initium, ad marginem adnotabimus.

(b) Corrig. *annis* XIII.

(c) Corrig. *annis* XXVIII.

(d) Leg. *et Radagaisi Scythæ.*

(e) Corrig. *annis* XVII.

(f) Leg. *Anastasio.*

A xv. et superstiti nepoti suo Amalarico reliquit. Ipse Italiam rediit, et ibi vitam finivit sub Imperatore Justiniano.

xiii. Amalaricus regnavit annis v. Iste à Childeberto Francorum Rege superatus, Narbonæ interiit sub Imperatore Justiniano. An. 526.

xiv. Tudis regnavit annos xvii. Iste quamvis hæreticus pacem concessit Ecclesiæ, et Episcopis licentiam dedit in Toletana urbe Concilia peragere. Francorum Reges (a) infra Hispanias usque Minium superavit, eumque in Palatio quidam insaniam simulando interfecit sub Imperatore Justiniano. 531. 542.

xv. Theudiscus regnavit annum i. Qui dum thoros multorum macularet, et ob id multis necem excogitaret, mox inter epulas gladio Ipsalmi jugulatur sub eodem Justiniano. 548.

B xvi. Agila regnavit annos v. Iste dum ad Cordubam urbem pugnaret, in contemptum Christi sepulchrum sancti Martyris Acisceli quodam horrore pollueret : filium ibi cum multa copia interfectum, et omnem thesaurum Regium amisit, et Emeritam fugit, ibique sui eum interfecerunt, sub eodem Imperatore Justiniano. 549.

xvii. Athanagildus regnavit annos xiv. Iste contra milites Justiniani Imperatoris, quos ipse contra Agilanem petierat, diu conflixit, atque eos extinxit. Toleto morte propria decessit sub Imperatore Justiniano. 554.

xviii. Luiba regnavit annos iii. in Narbona. Iste fratri Leovigildo Hispaniæ administrationem dedit. 567.

xix. Leovigildus adepta Gallia et Hispania, regnavit annos (b) xiv. Iste valde hæresi Arrianæ deditus persecutionem Catholicis intulit, et Ecclesiarum privilegia tulit. Massonam Emeritensium Episcopum exilio relegavit, suis perniciosus fuit. Po-
C tentes per cupiditatem damnavit, Suevos superavit, et Galleciæ regnum Gothis admiscuit. Primus regali veste opertus solio resedit. Urbem in Celtiberia fecit, et Recopolim nominavit. Gothorum leges antè correxit, et Toleto propria morte decessit sub Mauricio Imperatore. 569.

xx. Recaredus filius ejus regnavit ann. xv. Iste in exordio regni sui Catholicam fidem adeptus, omnem Gothorum gentem ad cultum rectæ fidei revocavit, et per Synodum Episcoporum Galliæ et Hispaniæ fidem Catholicam confirmavit. Francorum hostes ix. mil. in Hispania bello prostravit, et tempora regni sui omni bonitate ornavit *. Fine pacifico Toleto decessit, imperante Mauricio. 586. * honoravit.

xxi. Luiba filius ejus regnavit ann. ii. Istum præcisa dextra innocuum Vitericus occidit, et regnum sibi suscepit, sub Imp. Mauricio. 601.

xxii. Vitericus regnavit ann. vii. Vir quidem strenuus in armorum arte, sed
D expers victoriæ, quod fecit recepit. Inter epulas enim prandii à suis interfectus est sub Imp. Phoca. 603.

xxiii. Gundemarus regnavit ann. ii. Wascones una expeditione vastavit, et propria morte Toleto decessit sub Imperio Heraclii. 610.

xxiv. Sisebutus regnavit ann. viii. Iste potestate Judæos ad Christi fidem perduxit, et Ecclesiam sanctæ Leocadiæ Toleto opere miro fundavit. Astures et Wascones in montibus rebellantes humiliavit, et suis per omnia benevolus fuit. Hunc quidam proprio morbo, alii immoderato potionis haustu asserunt interfectum sub Imperio Heraclii. Tunc nefandus Mahomet in Africa nequitiam legis stultis populis prædicavit. 612.

xxv. Suintula regnavit ann. x. Victoria et consilio magnus fuit. Wascones devicit. Duos Patricios Romanos cepit. Omnem Hispaniam et Galliam strenuè rexit, et ob
E meritum pater pauperum vocatus est, et fine proprio Toleto decessit sub Imperio Heraclii. 621.

xxvi. Sisenandus regnavit ann. iv. Iste Synodos Episcoporum egit, patiens fuit, et regulis Catholicis orthodoxus extitit. Toleto vitam finivit sub Imp. Heraclii. 631.

xxvii. Chintila regnavit. ann. iii. Synodos plurimos Toleto cum Episcopis egit, et subditum regnum fide firmavit. Toleto decessit sub Imp. Heraclii. 636.

xxviii. Tulga regnavit ann. iii. Blandus in omnia fuit. 640.

xxix. Chindasuintus regnavit solus ann. vi. et cum filio suo Recessuinto ann. iv. Hujus * tempore quievit Hispania, et per Synodos erudivit Ecclesiam. Toleto obiit sub Imperio Constantini noni. 642. * Recessuinthi.

(a) Isidorus in Chronico meminit etiam victoriæ à Gothis de Francis reportatæ. Gregorius contrà lib. 3. cap. 29. et Auctor de Gestis Regum Francorum cap. 26. Childebertum et Chlotharium, *acquisita maxima Hispaniæ parte, cum magnis spoliis in Gallias* rediisse testantur. (b) Corrig. *annos XVII.*

An. 672. xxx. Wamba regnavit ann. ix. Primo regni sui anno rebellante sibi Paulo Duce, A
cum quadam parte Hispaniæ, priùs feroces Wascones in finibus Cantabriæ perdomuit.
673. Deinde cunctis civitatibus Gothiæ et Galliæ captis, ipsum postremò Paulum in Nemausense urbe victum celebri triumpho sibi subjecit. Posteà ab Ervigio regno privatur sub Imperio Constantini noni.

* vii 680. xxxi. Ervigius regnavit an. vi *. Iste Synodos multas Toleto cum Episcopis egit. Filiam suam conjugem dedit Egicani. Toleto obiit sub Imp. Justiniano.

687. xxxii. Egica regnavit ann. xv. Iste dum regnum accepit, filiam * Ervigii cum jura-
* Cixilonem. tione Wambæ subjecit. Filium suum Vittiranem Principem secum regno præfecit. Toleto decessit sub Imperio Leonis.

701. xxxiii. Vittira regnavit ann. x. Toleto vitam finivit sub Imperio Tiberii.

710. xxxiv. Rudericus regnavit ann. iii. Istius tempore æra dcclii. Farmalio terræ Sar-
raceni evocati Hispanias occupaverunt, regnumque Gothorum ceperunt, quod adhuc B
usque ex parte pertinaciter possident, et cum Christianis diu noctuque bella ineunt, et quotidie confligunt, dum prædestinatio usque divina dehinc eos expelli crudeliter jubeat. Reges Gothorum defecerunt. Sunt sub uno anni cccxiv.

* *Mendum.* Alarico regnante ab æra ccci *. ingressi sunt Gothi in Italiam. Post hujus annos Reges Gothi Galliam ingressi sunt. Post septem annos Gothi Hispaniam migraverunt.

* *Mendum.* In æra dcclxv *. regnavit Carolus Francorum Rex ac Patricius Romæ.

EX LIBRO PAULLI DIACONI (a) EMERITENSIS

de Vitis Patrum Emeritensium.

cap. 19. An. 587. EA igitur tempestate apud Galliarum eximiam urbem Narbonam hujuscemodi con- C
tra fidem Catholicam diabolus excitavit seditionem, cujus caussæ seriem enarrare perquàm longum est. Nam si hoc per ordinem persequi voluerimus, tragœdiam magis quàm historiam texere videbimur. Sed breviter summatimque exiguam particulam enarremus. Duò denique Comites, inclyti licèt opibus, et nobiles genere, profani tamen mentibus, et ignobiles moribus, Granista videlicet et Wildigernus, cum Ariano Episcopo, nomine Athaloco (b), vel alii plures compares errorum suorum, graviorem in eandem regionem fecerunt turbationem. Nam resultantes adversùs fidem Catholicam, infinitam multitudinem Francorum in Galliis introduxerunt, quatenùs vi pravitatem Arianæ partis vindicarent ; et, si fieri potuisset, regnum viro Catholico Reccaredo (c) præriperent. Interim per idem tempus innumerabilem Clericorum, Religiosorum et omnium Catholicorum interficientes multitudinem, immensam fecerunt stragem..... Posthæc igitur, nulla mora interveniente, sublimis atque omnipotens Deus D
hostibus suis superno brachio repugnans, precibus excellentissimi Reccaredi Principis, sanguinem innocuum ulciscens, romphæali judicio protinùs de inimicis mirificam fecit ultionem.

(a) Florebat circa an. Chr. 610.
(b) De eo meminit Gregorius lib. 9. cap. 15.
(c) Reccaredus tam in Hispaniis quàm in Gothia Gallica regnavit ab anno 586. ad annum 601.

EPISTOLA PAULI PERFIDI,

Qui tyrannicè rebellionem fecit in Gallia,

WAMBANO PRINCIPI MAGNO TOLETANO.

E

Apud Chesnium Tom. 1. *pag.* 820. IN nomine Domini Flavius Paulus summus Rex Orientalis Wambæ Regi Austri. Si jam aspeꝛas et inhabitabiles montium rupes percurristi, si jam fertosa et sylvarum nemora, ut leo fortissimus, pectore confregisti : si jam caprearum cursum cervorumque saltum, aprorum ursorumque edacitates radicitus edomuisti : si jam serpentum vel viperarum venenum evomuisti, indica nobis, armiger, indica nobis, domine sylvarum et petrarum amice. Nam si hæc omnia accubuerunt, et tu festinas ad nos venire, ut nobis abundanter philomelæ vocem retexas. Et ideò, magnifice vir, ascendit cor tuum ad confortationem : descende usque ad clausuras. Nam ibi invenies Oppopumbeum (a) grandem, cum quo legitimè possis concertare.

(a) Chesnius observat in margine, *Oppopumbeum* esse castrum in Pyrenæis montibus : in quo falsus est vir eruditissimus, ut notat Petrus de Marca. *Oppopumbeum*, inquit, seu *Apopompæum* [ἀποπομπαῖον] se vocat Thraso iste, græco verbo utens ex sacris literis desumpto, ut significet se virum fortem esse, et minas conatusque Wambæ facilè depulsurum.

A

HISTORIA WAMBÆ

REGIS TOLETANI,

Edita à Domino Juliano Toletanæ Sedis Archiepiscopo *, * Sæc. VII.

De expeditione et victoria, qnâ rebellantem contra se Galliæ Provinciam celebri
B triumpho perdomuit.

Ex veteri Codice ms. Cœnobii Moissiacensis.

SOlet virtutis esse præsidio triumphorum relata narratio, animosque juvenum ad virtutis attollere signum, quicquid gloriæ de præteritis fuerit prædicatum: habet enim ipsa humani moris instantia pigrum quendam internæ virtutis affectum. Et inde est quòd non tam citatior ad virtutes, quàm ad vitia proclivior reperitur: quæ enim jugi exemplorum utilium provocatione instructa præstiterit, frigida remanet et torpescit. Hac de re, ut fastidiosis mentibus mederi possit, relationem præteritæ rei nostris temporibus gestum inducimus, per quod ad virtutem
C subsequiva secula provocemus. Adfuit enim in diebus nostris clarissimus Wamba Princeps, quem dignè principari Dominus voluit, quem Sacerdotalis unctio declaravit, quem totius gentis et patriæ communio elegit, quem populorum amabilitas exquisivit, qui ante regni fastigium multorum revelationibus celeberrimè prædicitur regnaturus. Qui clarissimus vir, dum decidentis Rescesuintum Principis morte exequiale funus solveret, et lamentaretur, subitò unà omnes in concordiam versi, uno quodammodo tam animo quàm oris affectu pariter provocati, illum se delectanter habere Principem clamant, illum se nec alium in Gothis principari velle unitis vocibus intonant, et catervatim ne postulantibus abnueret, sub pedibus obvolvuntur. Quos vir omni ex parte refugiens, lachrymosis singultibus interclusus, nullis precibus vincitur, nulloque voto flectitur populorum. Modò non se suffecturum tot ruinis imminentibus clamans, modò senio se confectum pro-
D nuncians: cùm acriter reluctante unus ex officio Ducum quasi vice omnium acturus audacter in medio minaci contra eum vultu prospiciens, dixit: *Nisi consensurum te nobis modò promittas, gladii modò mucrone truncandum te scias. Nec dehinc anteà exibimus, quàm aut expeditio nostra te Regem accipiat, aut contradictorem cruentus hic hodie casus mortis absorbeat.* Quorum non tam precibus quàm minis superatus, tandem cessit, regnumque suscipiens, ad suam eos pacem recepit: tamen dilato unctionis tempore usque in nonum-decimum diem, ne citra locum sedis antiquæ sacraretur in Principem. Gerebantur enim ista in villa, cui antiquitas Gerticos nomen dedit, quæ ferè centum viginti millibus ab urbe Regia distans, in Salmaticensi territorio sita est. Ibi enim uno eodemque die, scilicet in ipsis Calendis Septembris, et decidentis Regis vitalis terminus fuit, et pro subsequentis viri jam dicti electione illa, quam præmisimus, populi acclamatio extitit. Nam
E eundem virum quanquam divinitus abinceps, et per anhelantia plebium vota, et per eorum obsequentiam, regali cultu jam circumdederant magna officia, ungi se tamen per Sacerdotis manus antè non passus est, quàm sedem adiret regiæ urbis, atque solum peteret paternæ antiquitatis, in qua sibi opportunum esset et sacræ unctionis vexilla suscipere, et longè positorum consensum in electione sui patientissimè sustinere: scilicet ne citata regni ambitione permotus, usurpasse potiùs vel furasse, quàm percepisse à Domino signum tantæ gloriæ putaretur. Quod tamen prudenti differens gravitate nono-decimo postquàm regum susceperat die Toletanam urbem ingreditur. At ubi ventum est quo sanctæ unctionis susciperet signum in Prætoriensi Ecclesia, sanctorum scilicet Petri et Pauli, regio jam cultu conspicuus ante altare divinum consistens, ex more fidem populis reddidit. Deinde curvatis genibus oleum benedictionis per sacri Quirici Pontificis manus vertici ejus refunditur, et benedictionis copia exhibetur, ubi statim signum hoc salutis emicuit. Nam mox è vertice ipso, ubi oleum ipsum perfusum fuerat, evaporatio quædam fumo similis in modum columbæ sese erexit in capite, et è loco ipso capitis apis

visa est prosiliisse : quod utique signum cujusdam felicitatis secuturæ speciem portenderet. Et hæc quidem præmisisse ociosum fortè non erit : quippe ut posteris innotescat, quàm viriliter rexerit regnum ; qui non solùm nolens, sed tantis ordinibus ordinatè percurrens, totius etiam gentis coactus impulsu, ad regni meruerit pervenire fastigium. A

Hujus igitur gloriosis temporibus Galliarum terra altrix perfidiæ infami denotatur elogia, quæ utique inæstimabili infidelitatis febre vexata, genita à se infidelium depasceret membra. Quid enim non in illa crudele vel lubricum? ubi conjuratorum conciliabulum, perfidiæ signum, obscœnitas operum, fraus negotiorum, vænale judicium, et quod pejus his omnibus est, contra ipsum Salvatorem nostrum et Dominum Judæorum blasphemantium prostibulum habebatur. Hæc enim terra suo, ut ita dixerim, partu perditionis suæ sibimet præparavit excidium, et ex ventris sui generatione viperea eversionis suæ nutrivit decipulam. Etenim dum multo jam tempore his febrium diversitatibus ageretur, subitò in ea unius nefandi capitis prolapsione turbo infidelitatis adsurgit, et conscensio perfidiæ per unum ad plurimos transit. Hujus enim caput tyrannidis Ildericum fama sui criminis refert, qui Nemausensis urbis curam sub Comitali præsidio agens, non solùm nomen, sed titulum et opus sibimet infidelitatis adscivit, adjunctis pravitatis sibimet suæ sociis, Gumildo Magalonensis sedis Antistite detestando, et Ranimiro Abbate. Hic igitur criminis caput, dum per diversos ignem suæ infidelitatis accenderet, Nemausensis urbis Episcopum beatæ vitæ Aregium ad perfidia notam trahere nitebatur. Quem casto ore, constantique corde repugnantem suis consiliis cernens, et Ordinis et loci dignitate privatum, pondere vinculorum onustum in Franciæ finibus Francorum manibus tradidit illudendum. Dein in sublati Pontificis locum perfidiæ suæ socium Ranimirum inducit Episcopum : in cujus electione nullus ordo attenditur, nulla Principis vel Metropolitani definitio præstolatur : sed erecto quodam mentis superbæ fastigio contra interdicta majorum ab externæ gentis duobus tantùm Episcopis ordinatur. Peracto temeritatis tantæ proventu, trium horum hominum semina virulenta perfidiæ, Ildericus scilicet, Gumildus et Ranimirus, terminos sibimet suæ conjurationis statuunt, et à loco, ubi vocabulum fertur Mons Cameli, usque in Nemausum terram Galliæ dividunt, suæque conjurationi adsciscunt, quò utique infidelitas à fidelitate secerneretur. Collecta dein manu, cives depopulantur, labores exhauriunt, omnisque Provincia Galliæ deprædatur. B C

An. 673. Fama hæc cucurrit ad Principem, moxque ad extinguendum seditiosorum nomen exercitum per manum Pauli Ducis in Gallias destinat. Qui Paulus repenti cursu cum exercitu gradiens, morarum intercapedine exercitum fregit. Ipso quoque bello abstinuit, nec primos impetus in hostem direxit, talique studio animos juvenum ab eo quo ardebant præliandi furore submovit. Sicque Paulus in Sauli mentem conversus, dum pro fide noluit proficere, officere conatus est contra fidem : regni ambitione illectus, spoliatur subitò fide : dimissam religiosi Principis maculat charitatem, præstationis obliviscitur patriæ, et, ut quidam ait, tyrannidem celeriter maturatam secretè invadit, et publicè armat. Agit hæc arcano quodam consilio, ut affectatum fastigium regni antè queat videri, quàm sciri, allectis sibi perfidiæ suæ sociis Ranosindo Tarraconensis Provinciæ Duce, et Hildigiso sub Gardingatûs adhuc officio consistente. Quod votum perversi desiderii incredibili, ut ita dixerim, efficere celeritate intendens, collectis undique populis, simulatè se pugnaturum contra seditiosos enunciat. Diem statuit, locum proponit, quo Gallias expugnaturi accederent. Quod vir vitæ venerabilis, et sollicitudine salvandæ plebis idoneus, Argebadus * cathedræ Narbonensis Antistes, subtilissima quorumdam narratione comperiens, utpote tyranno, illi aditum civitatis intercludere nisus est. Sed nec hæc quoque opinio latuit Paulum. Unde priusquàm Antistes ille quæ cogitaverat effectibus manciparet, subitò præpropero cursu Paulus cum exercitu Narbonensem urbem ingrediens, insidias sui maturatè prævenit, portasque civitatis sub delegato armatorum præsidio obserari præcepit. Ubi dum circumfusa omnis exercitûs multitudo collecta est, vipereum caput perfidiæ cum quibusdam sociis suis Paulus ipse in medio adstitit, objurgans primùm Episcopum, cur illi civitatis aditum intercludere niteretur. Posthæc tyrannidis suæ consilium proditurus, diverso fraudis argumento fidem populorum degenerans, et ad irrogandas jam fato Wambano Principi injurias, animos singulorum inflammans, jurat ipse Paulus primùm omnibus, illum se Regem habere non posse, nec in ejus ultra famulatu persistere : quin potiùs D E

* *al.* Argadus.

A ait : *Caput regiminis ex vobis ipsis eligite, cui conventûs omnis multitudo cedat, et quem in nobis principari appareat.* Cui unus ex conjuratis maligni ipsius consilii socius Ranosindus, Paulum sibi Regem designat, Paulum sibi, nec alterum, populis Regem mox futurum exoptat. At ubi idem Paulus sui consilii accelerationem inspexit, consensionem illicò propriæ voluntatis adhibuit, jurare etiam sibimet omnes coëgit. Posthæc regnum corripuit, et nefaria temeritate conjuratorum catervam illam quam armorum utilitate non cepit, perfidiæ opere ad se traxit. Nam Hildericum, Gumildum, vel Ranimirum non difficili opere suæ perfidiæ sociavit. Quid multa? omnis Galliarum terra subitò in seditionis arma conjurat, nec solùm Galliam, sed etiam partem aliquam Terraconensis Provinciæ sociam rebellionis suæ attemptat. Fit tamen tota Gallia repentè conventiculum perfidorum, perfidiæ spelæum, conciliabulum proditorum : ubi dum Paulus perfidiæ suæ socios numerosiores efficere vellet, perlatis B promissisque muneribus, Francorum Wasconumque multitudines in auxilium sui pugnaturas adlegit, et intra Gallias cum multitudine hostium persistit, opperiens eventum gravissimi temporis, quo posset in Hispanias pugnaturus accedere, perceptumque regni fastigium vendicare. An. 673.

Illo tunc tempore, cùm hæc intra Gallias agerentur, religiosus Wamba Princeps feroces Wasconum gentes debellaturus aggrediens, in partibus commorabatur Cantabriæ. Ubi cùm de his quæ intra Gallias gerebantur fama se ad aures Principis deduxisset, mox negotium primatibus Palatii innotuit pertractandum, utrùmne possent in Gallias exinde pugnaturi accedere, an revertentes ad propria collectis undique viribus cum multiplici exercitu tam longinqui itineris arriperent commeatum. In quo bicïpiti consilio natantes, multos Princeps ipse aspiciens, hac communi admonitione alloquitur : *Ecce,* ait, *juvenes, exortum malum audistis, et quo se munimine incentor* C *seditionis hujus armaverit agnovistis. Prævenire ergo hostem necesse est, ut antè excipiatur bello, quàm in suo crescat incendio. Turpe nobis sit, aut talibus dimicaturos in occursum non ire, aut domos nostras priusquàm intereant repedare. Ignominiosum nobis videri debet, ut qui rebelles nostros suis non potuit subjicere armis, repugnare audeat tantæ gloriæ viris, et qui abjectissimam unius hominis pellem devincere pro patriæ quiete non valuit, hostem audeat se præbere genti ; quasi effeminatos et molles nos usquequaque dijudicans ; qui utique nullis animis, nullis viribus, nullis consiliis ejus tyrannidi resistere valeamus. Quæ est enim perituro illi virtus, si Francorum viribus nobiscum decertando confligat? Notissima eorum nobis, nec incerta pugna est. Ergo turpe sit vobis eorum testudinem has acies expavescere, quorum nostis infirmiorem semper esse virtutem. Sin autem conjuratione Gallorum nititur, vindicare tyrannidem vile putandum est, ut gesta nostra extremo terræ angulo cedant : et ii, in quibus dilatatum regnum porrigitur, horum motibus perturbentur,* D *quos præsidali semper vice defendunt. Sive enim Galli, sive Franci sint, tantæ conjurationis, si placet, vindicandum existimate facinus. Nos tantùm armis ultricibus gloriæ nostræ nomen vindicare debemus : neque enim cum feminis, sed cum viris nobis certandum est ; quamquam notissimum maneat, nec Francos Gothis aliquando posse resistere, nec Gallos sine nostris aliquid virtutis magnæ perficere. Quòd si alimentorum seu vehiculorum necessitudinem opponatis, gloriosius nobis erit, postpositis cunctis, triumphum in necessitatibus conquisiisse, quàm in abundantia bella exquisita conficere : angustior enim semper virtus plus tolerantiæ vires, quàm suffectus rei nobilitat. Exurgite jam ad victoriæ signum, nomen disperdite perfidorum. Dum calor est animi, nulla debet esse remoratio properandi : dum ira animos urget in hostem, nulla nos debet retardatio impedire : quin potiùs, si fieri posset, sine intermissione proficiscendi susceptum iter aggredi oporteret. Multò enim facilli-* E *mè sic poterunt hostium nostrorum castra subverti : nam, ut quidam sapiens ait, Ira præsens valet, dilata languescit. Non igitur opus est retroverti militem, quem impiger accessus belligerandi fecit esse victorem. Directo ergo itinere nos frustrari non opus est. Abhinc ergo Wasconibus cladem illaturi accedamus : deinde ad seditiosorum nomen extinguendum protinus festinemus.* Ad quod dictum incalescunt animi omnium, exoptantque fieri quæ jubentur.

Mox cum omni exercitu Wasconiæ partes ingreditur, ubi per septem dies quaquaversùm per patentes campos deprædatio et hostilitas castrorum, domorumque incensio tam validè acta est, ut Wascones ipsi, animorum feritate deposita, datis obsidibus vitam sibi dari pacemque largiri, non tam precibus quàm muneribus exoptarent. Unde acceptis obsidibus, tributisque solutis, pace composita directum iter in Gallias profecturus ascendit, per Calagurrem et Hoscam civitates transitum faciens. Dehinc electis Ducibus, in tres turmas exercitum dividit : ita ut una pars ad

An. 673. castrum Libyæ (a), quod est Cirritaniæ caput, pertenderet; secunda per Ausonen- A
sem civitatem Pyrenæi media peteret; tertia per viam publicam juxta ora maritima graderetur. Ipse tamen religiosus Princeps cum multiplici bellantium manu præcedentes subsequebatur. Sed quia insolens quorumdam è nostris motio non solùm prædæ inhiabat, sed etiam cum incensione domorum adulterii facinus perpetrabat, tanto disciplinæ vigore jam dictus Princeps in his et talibus patratum vindicabat scelus, ut graviora his supplicia illum putares impendere, quàm si hostiliter contra illum egissent. Testantur hoc præcisa quorumdam adulterorum præputia, quibus pro fornicatione hanc ultionis irrogabat jacturam. Dicebat enim: *Ecce jam judicium imminet belli, et libet animam fornicari? Et credo ad examen pugnæ acceditis. Videte ne in vestris sordibus pereatis: nam ego si ista non vindico, jam ligandus hinc vado. Ad hoc ergo vadam, et justo Dei judicio capiar, si iniquitatem populi videns ipse non puniam. Exemplum mihi præbere debet Heli Sacerdos ille in divinis literis agnitus, qui pro im-* B
manitate scelerum filios, quos increpare noluit, in bello concidisse audivit: ipse quoque filios sequens, fractis cervicibus expiravit. Hæc igitur nobis timenda sunt: et ideò si purgati maneamus à crimine, non dubium erit quòd triumphum capiamus ex hoste. Sub ista, ut præmissum est, disciplina, jam dictus Princeps exercitum gloriosè producens, moresque singulorum sub divinis regulis tenens, principari sibi videbat per incrementa dierum et dispositum belli, et victoriam præliandi. Prima enim ex rebellione omnium civitatum Barcinona in potestate Principis religiosi adducitur; deinde Gerunda subjicitur. Hujus igitur memoratæ civitatis venerabili viro Amatori Episcopo Paulus idem pestifer sub isto sensu scriptam Epistolam miserat: *Audivi ego, quod Wamba Rex cum exercitu ad nos venire disponat: sed cor tuum ex hoc non conturbetur: neque enim hoc puto. Et tamen quem primum de nobis ambobus ibi tua sanctitas cum exercitu viderit accedentem, ipsum te dominum credas habere, et in ejus debeas charitate* C
persistere. Hæc miser ipse scripsit, nesciensque justum contra se judicium protulit. Unde horum scriptorum verba religiosus Princeps sapienter conjiciens, dixisse fertur: *Non Paulus in his scriptis suis à semetipso locutus est. Sed licèt ignoranter, tamen prophetasse illum hîc censeo.*

Egressus igitur post hæc Princeps de Gerunda civitate, belligerosis incursibus
* *al.* Ubi dum per biduum exercitus conquievisset. gradiens, ad Pyrenæi montis juga pervenit. Ubi duobus diebus exercitu repausato *, per tres, ut dictum est, turmas exercitus Pyrenæi montis dorsa ordinavit, castraque Pyrenæica, quæ vocantur Caucoliberi, (b) Vulturaria, et castrum Libyæ mirabili victoriæ triumpho cepit, atque perdomuit, multum in his castris auri argentique inveniens, quod copiosis exercitibus in prædam cessit. Nam in castrum (c), quod vocatur Clausuras, missis ante se exercitibus, per Duces duos irruptio facta est. Ubi quoque Ranosindus et Hildigisus cum cetero agmine perfidorum, qui ad defen- D
sionem castri ipsius conflixerant, capiuntur: sicque devinctis post tergum manibus Principi præsentantur. Wittimirus tamen unus ex conjuratis, qui se in Sordoniam constitutus clauserat, nostros irrupisse persentiens, statim aufugit; et tantæ cladis nuntium Paulo in Narbonam perlaturus accessit. Quæ res granditer tyrannum pavidum reddidit. Princeps verò religiosus prædictorum castrorum subjugato exercitu, in plana post transitum Pyrenæi montis descendens, duobus tantùm diebus exercitum in unum congregaturus expectat. At ubi è diversis partibus collecta in unum exercituum multitudo percrebuit, standi mora nulla fuit. Sed statim per quatuor Duces lectum numerum bellatorum ad expugnationem Narbonæ ante faciem suam mittit, alium exercitum destinans, qui navali prælio bellaturus accederet. Et quidem jam erant parvi admodùm dies, ex quo de Narbona rebellis Paulus serviliter fugiendo E
excesserat, comperto quòd tam felici proventu pars religiosi Principis properaret. Quam civitatem Paulus ipse sui juris potestati adstipulans, multiplici perfidorum præsidio sepsit, summamque prælii Wittimiro Duci suo commisit. Quem cùm nostro-

(a) Corrig. *Libiæ*, seu potiùs *Liviæ*. Ceretani in Julianos et Augustanos distinguuntur à Plinio. Juliani sunt veteres Ceretani, qui Latii jure potiebantur, teste eodem Auctore: istud verò videntur assecuti beneficio Julii Cæsaris; unde eorum oppidum *Julia Livia* dictum. Illis aliquot populos vicinos adjunxit Augustus, quò Ceretaniam faceret ampliorem. *Ita Petrus de Marca*, qui addit superesse veteris Castri *Liviæ* rudera, quod unà cum oppido jacet eversum, in cujus area vicus remansit non ignobilis, qui *Livia* etiamnum dicitur. E ruinis Juliæ Liviæ, pergit idem, emersit circa annum 1500. clarum oppidum ad ripas Sicoris fluvii, in miti colliculo conditum, Podium Ceritanum, vulgò *Puigcerda* dictum.

(b) Vocatur etiam *Vulturarium*, vulgò hodie *Oltrera*, ubi superesse vetusti castri ingentia rudera scribit Petrus de Marca.

(c) Situm erat hoc castrum, ut notat Petrus de Marca, in ipsis faucium angustiis, id est eo in loco qui vocabatur *Portus*, qui est in territorio ejus vici, quem hodie ex veteri appellatione vocant *Clusas*. Fauces enim istæ sive claustra montium vocantur ut plurimùm *clausuræ* à vetustis scriptoribus, quandoque etiam *clusuræ* et *clusæ* à mediæ ætatis auctoribus.

A rum exercitus blanditer exhortaretur, ut civitatem sine sanguinis effusione contraderet, prorsus abnuit, obseratisque civitatis ipsius portis è muro exercitum religiosi ipsius Principis detestatur. In Principem quoque ipsum maledicta congeminat, minisque exercitum perturbare conatur. Quod nostræ partis multitudo non ferens, subita cordium accessione incanduit, et telorum jactu perfidorum ora petivit. Quid multa? immanis ab utrisque pugna conseritur, et vice sagittarum alternatim sibimet utræque partes obsistunt. Sed ubi à nostris desperatum est, non solùm in muro pugnantes seditiosos sagittis configunt, sed tantos imbres lapidum intra urbem concutiunt, ut clamore vocum et stridore petrarum civitas ipsa submergi æstimaretur. Unde ab hora ferè quinta diei usque ad horam ipsius diei octavam acriter ab utrisque pugnatum est. At ubi incalescunt nostrorum animi, victoriæ dilationem ferre non potuerunt : sed ad portas propriùs pugnaturi accedunt. Tunc victoriosa per Dominum B manu portas incendunt, muris insiliunt, civitatem victores ingrediuntur, in qua sibimet seditiosos subjiciunt. Ubi dum Wittimirus armata adhuc manu Ecclesiam peteret, accessu nostrorum turbatus, post aram beatæ Virginis Mariæ se vindicaturum in reverentia loci miser, sed ultore gladio, testabatur, dextrâ tenens gladium, et mortem minitans singulorum. Ad hujus ergo insaniæ rumorem protinus comprimendum, unus è nostris inter ceteros rejectis armis tabulam manu arripuit, et ferocissimo ictu sese ad illum direxit. At ubi tabulam acriter nisus est super eum ingenti jactu percutere, mox in terram tremebundus prosternitur, protinusque capitur, ferrumque illi de manu extrahitur. Moxque viriliter tractus pondere vinculorum arctatur, verberibusque unà cum sociis, cum quibus urbem nitebatur vindicare afficitur.

An. 673.

Posthæc devicta subjugataque civitate Narbona, ad insequendum Paulum, qui se C in Nemausum vindicaturus contulerat, iter dirigit. Deinde Biterris et Agathe civitates illicò subjugantur. In Magalonensi verò urbe Gumildus loci ipsius Antistes, cùm ad obsidionem sui circumfusum videret exercitum, urbemque ipsam non tam ab his qui per terras pugnaturi accesserant, quàm ab his cingi qui navale prælium acturi per maria commeaverant, hujus rei clade perterritus, compendii viam arripuit, Nemausumque se cum Paulo socium contulit. Sed cùm exercitus Hispaniæ Gumildum effugisse persensit, civitatem mox Magalonensem non dissimili victoria cepit. At ubi nostri directa acie Nemausensem urbem debellare contendunt, prima per quatuor Duces præliandi facies cum electo pugnatorum agmine destinata est; quorum lecta juventus triginta fermè millibus Principem anteiret. Hi tam nobili procursione in Nemausum, ubi Paulus cum Galliarum exercitu, vel Francorum conventu se ad dimicandum contulerat, seditiosorum præveniens insidias, cùm nocte tota cursum festinati iti- D neris confecissent, subitò cùm vergentis diei lux orta prodiret, apparuere simul nostrorum acies armorum pariter et animorum apparatu dispositæ. Quas ubi è civitate conspiciunt, utpote cum paucis dimicaturi, in patentes campos armis eos se excepturos definiunt. Sed dolos suspicati insidiarum, eligunt potiùs intra urbem de muris bellum conficere, quàm extra urbem improvisos casus patentis periculi sustinere, opperientes etiam ad auxilium sui adventum gentium aliarum. Sed ubi sol refusus * est terris, consertum est bellum à nostris. Prima facies pugnæ crepitantibus tubarum sonis saxorum nimbo conficitur : mox enim ut tubarum sonus increpuit, confluentes undique nostri cum fragore vocum muros urbis petrarum jactibus petunt, missilibus quibusque constitutos per murum spiculis sagittisque propellunt : cùm tamen et ab illis in nostros ad resistendum multorum generum spicula jacerentur. Sed quid dicam? E acriùs ab utrisque pugna conficitur, æqua lance ab utrisque certatur, æquo etiam certamine præliatur : non à nostris, non ab illis conserto certamini ceditur. Pugnatum est igitur toto illo die sub ancipiti mucrone victoriæ. Unus de incentoribus seditionum acriter instare pugnam aspiciens, è muro nostris insultaturus hæc formans verba, commentat : *Quid hîc*, ait, *instanter pugnantes consistitis morituri? cur lares proprios non repetitis? An fortè casum mortis ante occasum vitæ vestræ excipere vultis? quin potiùs prærupta petrarum quæritis, ubi vos abscondatis; cùm facies auxilii nostri paruerit. Condoluisse igitur me credite vobis, sciens eventum rei, et occursum solatii superventuri : mihi enim res notissima manet, quàm multiplicia nobis auxilia præliandi occurrant. Tertia ergo dies est, quod exinde properans venio : proinde hoc noscens miserabilis pompæ vestræ occasum contristatus expecto : Principem illum vestrum, pro quo pugnaturi venistis, alligatum vobis ostendam, conviciis addicam, insultatione illudam. Non igitur pro eo vobis hic expedit tam immaniter decertare; quem forsan jam constat nostrorum insidiis interiisse :*

* *al.* refulsit.

An. 673. *et quod gravius est, dum victoria patuerit nostra, nulla vobis erit de reliquo venia.* Hæc A dicens, nostrorum animos non solùm non terruit, sed acriùs in præliandi furorem accendit. Propinquantes ad murum acriùs quàm cœperant in bellando consistunt, acriterque consertum innovant prælium.

His igitur peractis, per spatia totius diei nox tandem finem prælio dedit. In ipso tamen primo fervore diei, cùm adhuc nostri infatigabili virtute in præliando persisterent, rem mandant ad Principem, sibique dirigi adjutoria petunt, non mediocri provisione saluti propriæ consulentes : scilicet, ne aut externæ gentis dolo præventi, aut ab his cum quibus decertabant defatigatis viribus subruerent morituri. Et benè res acta est. Nam ubi Princeps cognovit Paulum principem tyrannidis decertare cum nostris, nulla de reliquo mora fit. Mira ergo in ordinando celeritate per Wandemarum * Ducem electos de exercitu ferè decem millia viros ad auxilium pugnantibus B destinavit, qui nocte tota pervigiles maturatum iter conficerent, et superventu sui non tam hostem frangerent, quàm nostrorum animos solaturi ociùs pervenirent. Sed ubi defatigatæ custodum vigiliæ hostem inclusum diu teneri jam quodammodo desperarent, subitò missa sibi auxilia vident, illicò somnus ab oculis fugit, et gratulantibus animis receptis viribus pugna definitur ab occursantibus. Jam solis croceum liquerat aurora cubile, et stipata per murum hostilis multitudo prospiciens videt per serenam aciem luminum multiplices quàm pridiana die viderat excrevisse acies pugnatorum. Jam tunc caput tyrannidis Paulus ad tantæ rei visionem in quodam prominenti speculo conscensurus occurrit. Qui mox ut nostrorum acies dispositas vidit, ilicò, ut fertur, animo decidit, his verbis enuncians : *Recognosco,* ait, *omne hoc dispositum pugnæ ab æmulo meo procedere, nec alium puto : in suis enim eum* C *dispositionibus recognosco.* Hæc et his similia dicens, animum revocans ad virtutem, suos ad bellandum accendit : *Nolite,* ait, *pavore turbari, hæc est tantùm illa Gothorum famosissima virtus, quæ se venire ad superandos nos solita temeritate jactabat. Hîc, hîc Principem, hîc totum ejus exercitum credite nunc adesse : nihil de reliquo est quod timeatis : famosa siquidem virtus eorum anteà fuit, et suis in defensionem, et aliis gentibus in terrorem. Nunc tamen omnis in illis vigor præliandi emarcuit, omnis scientia pugnæ defecit : nullus illis bellandi mos, nulla conflictandi experientia subest. Vel si in unum conserti prælium conferant, ad definita ilicò evolabunt latibula; quia degeneres animi eorum pondus prælii sustinere non queunt. Quin potiùs hæc quæ dico cùm præliari cœperitis, in meis verbis ipsi probabitis. Nihil ergo est majus quod debeatis pavescere, cùm et Regem et exercitum ipsum hîc videatis adesse.* Ad hæc plerique ex suis adstruebant Regem sine signis non posse procedere. Ad quod ille commentabatur, ideò illum cum D bandorum signis absconditis accessisse, ut intellectum suis hostibus daret, alium adhuc exercitum superesse : cum quo ipse adhuc, utpote cum multiplici quàm priùs venerat manu, pòst futurus accederet. Sed hæc dum dicit, illusionem agit, fraudem componit, ut quos virtute non valet devincere, dolo consilii humiliet ad pavorem.

* *al.* Wandemirum.

Necdum hæc adhuc verba expleverat, et ecce subitò è nostris bellorum concrepant tubæ, bellumque adorsi pridianæ diei bellandi renovant faciem. Sed illi plus in muris quàm in viribus confidentiam vincendi locantes, intra urbem positi per murum spicula jactant, et rediviva cum nostris iterum certamina innovant. Efferbuit itaque ab utraque parte incentivum belli : sed acriùs à nostris virtus patuit præliandi. Cùm enim totis viribus decertarent, et hostem intra urbem diverso genere armorum confoderent, plerique de externæ gentis hominibus acriter vulnerati, nostrorum virtutem pariter et constantiam admirantes, Paulum adorsi sunt : *Non illam, quam dicebas,* E *in Gothis præliandi segnitiem cernimus : multam enim in illis audaciam et vincendi constantiam videmus. Hæc quæ excepimus vulnera docent. Inter cetera tam validos jactus in hostem projiciunt, ut antè fragor ipse deterreat, quàm percussio vitam extinguat.* Quorum Paulus deterritus verbis, multiplici jam jamque desperationis jaculo frangebatur. Sed dum nostri constantiùs dimicantes victoriam recrastinari dolerent, acriori animositate insurgunt, victos se per omnia deputantes, si citò non vincerent. Unde ferociori quàm fuerant incensione commoti, usque in horam ferè diei quintam continuis præliorum ictibus mœnia civitatis illidunt, imbres lapidum cum ingenti fragore dimittunt, supposito igne portas incendunt, murorum aditibus minutis irrumpunt : deinde civitatem gloriosè intrantes, viam sibi ferro aperiunt. At ubi feroces nostrorum animos sustinere non possunt, intra Arenas, quæ validiori muro antiquioribus ædificiis cingebantur, se muniendos includunt. Sed ubi visum est illis quosdam è nostris insequi, qui se in prædam involverant, ilicò præventi, antequàm se in castro illo

A illo Arenarum reciperent, jugulati sunt. Plerique tamen nostrorum è vulgo, qui prædæ inhiantes extiterant, gladii prævention̄e occisi sunt : non quò patienti virtute inter plurimos hoc patrarent, sed quasi latrocinantium more, quos claustris Arenarum ob prædam propinq' .sse cognoverant, eò illos faciliùs prosternerent, quos divisos nec duos in unum pariter invenissent. Surgit etiam nova inter seditiosos ipsos seditio, et dum suspicione proditionis cives ipsi vel incolæ ad suorum aliquos refugerunt, gladio vindice, hos, in quibus suspicio vertebatur, interimunt : ita ut Paulus ipse proprium quemdam è suis suorum manibus ante se jugulari prospiciens, suum esse vernulam lamentabili voce clamaret, nec sic morituro in aliquo subveniret. Jam tamen et ipse exsanguis ac trẽmebundus effectus, à suis ipsis contemnitur, ut obsecrare illum potiùs quàm imperare ceteris existimaretur. Nam suspectus jam ipse ab incolis cum ceteris, qui de Hispania cum illo commeaverant, habebatur, ne
B ille ad liberationem sui traditionem eorum excogitaret : Hispani verò ne irrogata incolis morte transirent ad Principem. Quid multa ? fit intra urbem miserabile spectaculum præliandi : utrobique cadit pestilentiorum caterva, utrobique prosternitur, utrobique etiam jugulatur ; quando ipsi, qui nostrorum gladios effugiebant, suorum gladio peribant. Repletur itaque civitas permixto funere, et mortium cadaveribus humanorum : quocumque oculorum visus excurreret, ita humanæ strages ut occisi patebant animalium greges. Compita viarum plena cadavere, reliquum terræ concretum sanguine erat : miserabile funus patebat in domibus, et ubi domorum abdita perlustrasses, jacentes mortuos reperires. Per vias quoque urbis jacere hominum cadavera cerneres, minaci quodam vultu, et ferocitate quadam immani, tanquam adhuc in ipsa bellorum acie positi essent : erat tamen color deformis, lurida pellis, horror immanis, fœtor intolerabilis. Quidam etiam de ipsis jacentibus mortuis, qui lethalia exceperant vulnera, mortis speciem simulabant, ut mortis evaderent causam : cùm tamen et vulneris jugulo et famis confecti clade nec ipsi mortem evaderent, excepto uno, cui simulare mortem, vitam mercasse probatum est. Sed hæc et his similia Paulus, jam tyrannidis immanitate deposita, cum magno cordis suspirio fieri deplorabat cùm nec hosti resistere, nec suis posset ullo modo subvenire. Accessit tamen ad eum insultaturus illi vir quidam è sua ortus familia. *Quid hîc,* ait, *adsistis ? Ubi sunt consiliarii tui ; qui te ad istud perduxere calamitatis ludibrium ? Quid tibi profuit contra tuos insurgere, cùm nec tibi nec tuis nunc valeas in tanta mortis clade prodesse ?* Hæc dicens, insultabat illi non tam conviciandi voto, quàm amaritudinis provocatus studio. Sed cùm illum blandis hortaretur sermonibus, ut dolori ejus parceret, et confusioni confusionem non adderet ; tandem et ipse in gradibus mar-
D moreis consistens, in quibus ista illi insultaturus advenerat, descensum concitum fecit, sicque in oculis ipsius Pauli circumventus à suis jugulatus occubuit. Quibus Paulus : *Quid hinc quæritis ?* aiebat. *Meus est*, inquit, *non pereat.* Et ut reservaretur frequenti vocum lamentatione orabat. Sed jam contemptui habitus, quasi et ipse continuò moriturus, audiri non poterat. Tunc omnimoda desperatione permotus, regalia indumenta, quæ tyrannidis ambitione potiùs quàm ordine præeunte perceperat, tabefactus deposuit ; miro occultoque Dei judicio id agente, ut eodem die perceptum Tyrannus regnum deponeret, quo religiosus Princeps regnandi sceptrum à Domino percepisset. Erat enim dies illa Calendarum Septembrium, in qua Principem nostrum prædictum constabat regale assumpsisse fastigium. Hæc ergo est dies, in qua revoluti anni orbita redeunte, irruptio patuit urbis. In hac præscripta à tyranno regalis deponitur vestis, in hac sanguinea infertur ultio inimicis.

E Tertia igitur posthæc jam dies advenerat, cùm Paulus ipse post noctis alta suspiria ultimum sui funus expectabat. Facto enim mane, cum his, quos adseclas perditionis suæ habuerat, verbum habere cœpit, ut aut vale ultimum sibi dicerent, aut, si possent, saluti suæ adhuc in aliquo consulerent. Tunc Argabadus * Narbonensis Ecclesiæ præsul communi consilio ad Principem mittitur qui vitam rogaret, qui offensis veniam precaretur. Nam oblatis Deo hostiis, jam in ipsis vestimentis, cum quibus Dominici corporis et sanguinis gratiam communionis sanctæ perceperat, in quibus non tam mortis extrema damna excipere, quàm insepultum se obvolvi curaret ; quippe cui sepultura pro merito negaretur, si suæ patrationis exciperet jugulum ; jam Argabadus Antistes rogaturus veniam ab eis exierat. Et ecce progressum celerem Principis cum inæstimabili agmine pugnatorum quarto ferè ab urbe milliario videns, occursurus eidem Principi, de equo desiluit, humo prostituitur *, veniam deprecatur. In cujus occursu Princeps equum paulisper tenuit, et ut erat misericordiæ visceribus affluens, et ipse

* *al.* Argebadus.

* prosternitur.

An. 673.

An. 673. illachrymans, sublevari Episcopum à terra præcipit. Qui vir rursùm erectus, lachry- A
marum singultibus interclusus, lamentabili voce aiebat : *En peccavimus in cœlum et coram te, sacratissime Princeps. Non sumus digni quibus eventus pietatis tuæ occurrat, quibus venia collata subveniat, qui et promissam tibi maculavimus fidem, et in tanto prolapsionis devoluti sumus scelere. Parcat oro tua pietas citò, ne gladius vindex reliquias nostrorum semineces extinguat, ne plusquàm cœpit mucro animas petat. Jube jam exercitum cessare sanguine, cives civibus parcere. Parvissimi quidem evasimus gladium ; sed pro parvis veniam deprecamur. Parce ergo nostris reliquiis, ut quia jam in ceteros nostrorum emanavit jugulum mortis, saltem remaneant quibus miserearis. Si enim prohibere citò nolueris cædem, nec ipsi quidem incolæ remanebunt ad urbis tuitionem.* His dictis, commotus religiosus Princeps, in lachrymis non fuit inexorabilis : quippe qui alto quodam cordis sui arcano sciret, sibi totum perire quicquid dicebatur perisse, si precanti veniam B
non præstitisset. Hæc igitur Princeps imprecanti viro verba respondit. *Certum tene*, ait, *quod dixero. Victus precibus tuis dono tibi animas quas petiisti : non illas ultore gladio perdam : non hodie cujusquam sanguinem fundam, nec quandoque vitam extinguam ; quamquam talium offensa impunita non transeat.* Cui venerabilis vir diutiùs insistebat, ut quorum vitam sibi donasset, nullam in his jacturam ultionis exerceret. Sed Princeps mox percito furore inclementior redditus : *Jam-ne*, ait, *alias atque alias conditiones mihi imponitis, cùm vitam vobis donasse sit satis ? Tibi ergo soli me ex toto pepercisse sufficiat, pro reliquis verò nihil horum promitto.* Ex hoc indignans quadam animi succensione efferbuit, et concita progressione triumpho potiturus victoriæ properabat ; excursus legationum ante se destinans, ut nostri tamdiu à bello abstinerent, quamdiu omne robur exercitûs cum Principe ad capienda interiora urbis accederet.

Festinato tandem profectionis itinere pervenit Princeps ad urbem, cum terribilis C
pompæ exercitum admiratione. Erant enim ibi bellorum signa terrentia : cùmque sol refulsisset in clypeis, gemino terra ipsa lumine coruscabat : ipsa quoque radiantia arma fulgorem Solis solito plus augebant. Sed quid dicam ? quæ ibi fuerit exercituum pompa, quis decor armorum, quæ species juvenum, quæ consensio animorum, explicare quis poterit ? ubi divina protectio evidentis signi ostensione monstrata est. Visum est enim, ut fertur, cuidam externæ gentis homini Angelorum excubiis protectus religiosi Principis exercitûs esse, Angelosque ipsos super castra ipsius exercitus volitatione suæ protectionis signa portendere. Sed paulisper hæc et talia sub silentio relinquentes, suscepti operis ordinem exequamur. Cùm enim in unum congregatum jam Princeps sensisset exercitum, eminus ab urbe ferè uno stadio positus, incredibili animi accensione permotus, disponit Duces, subtegit plebes, dividit acies, et quibus modis pugna conficeretur instruebat. Priùs D
tamen disposita, ut pridem fuerat, virorum fortium acie, per juga montium et ora maritima, quæ Franciæ partibus conjunguntur, ut libera et expedita bellantium manus eò totius decertandi prælii præcepta perficeret, quò nihil adversum ab externis gentibus persensisset. Tunc electos quosque de Ducibus mittit, qui et viribus et animis præstantiores essent, ut Paulum ceterosque incentores seditionum ejus à cavernis Arenarum abstraherent, in quibus se mortem fugientes absconderant. Nec mora, cùm jussa factis explerent, extrahitur subitò Paulus ipse cum sociis de abditis Arenarum : sicque per murum depositus, viliter contrectatur. Dein omnis illa insolens multitudo Galliarum atque Francorum, quæ hinc inde contra nostros pugnatura confluxerat, cum immensis thesauris capta est et detenta. Cùmque caterva illa perfida cum Rege suo capta jam in unum consisteret, dextera lævaque adstante exercitu, duo è Ducibus nostris equis insidentes, protensis manibus hinc inde E
Paulum in medio sui constitutum innexis capillis ejus manibus tenentes, pedissequa illum profectione oblaturi Principi deferunt. Quo viso, Princeps protensis cum lachrymis ad cœlum manibus ait : *Te, Deus, collaudo Regem omnium regum, qui humiliasti sicut vulneratum superbum, et in virtute brachii tui contrivisti adversarios meos.* Hæc et his similia fletibus interclusis Princeps aiebat. Sed mox tyrannus idem erectis oculis faciem Principis ut vidit, statim se humo prostravit, sibique cingulum solvit. Jam quidem exanimis, et nimio pavore turbatus, quid sibi accideret non attendens, spectabile quiddam oculis erat, quomodo de tam sublimi et prærepti ordinis culmine in hac subita humiliatione et plena jam contumelia venisset. Cernere erat magnum aliquid, quàm facilis fuerat rerum ipsa mutatio, tam citò videre dejectum quem pridem audieras gloriosum : et quem præterita dies adhuc Regem tenuerat, tam præcipiti lapsu concidere in ruinam. Impleta satis plenè est in isto prophetalis illa senten-

A tia : *Vidi*, inquit, *impium superexaltatum; et elevatum super cedros Libani*, etc. Quid multa? Cùm jam ante equum Principis Paulus ipse, vel ceteri hujusmodi factionis capti productique consisterent : *Cur in tanto*, ait, *malo vesaniæ prorupistis, ut pro bonis mala mihi responderetis? Sed quid immorabor? Ite, et estote sub custodiis deputati, quousque censura de vobis agitetur judicii. Vivere enim vobis donabo, etiamsi non mereamini.* Tunc divisos per exercitum omnes deputatis sollicitis custodibus tradit : Francorum tamen quique capti essent, dignè tractari jubentur. Erant enim aliquid eorum nobilissimis parentibus geniti pro obsidibus dati. Ceteri verò aliqui ex Francis, aliqui ex Saxonibus erant, quos omnes in unum munificentia regali honoratos * post decimam octavamque diem, qua capti fuerant, remittit ad propria, non debere dicens victorem inclementem victis existere. Primo quippe die Calendarum Septembrium contra Nemausensem urbem à nostris initum est bellum. Sequenti die Calendarum Septem-
B brium civitatis ipsius irruptio facta est. Tertio quoque die, qui fuit quarto Nonarum Septembrium, Paulus tyrannus celebri captus detentione devincitur. Sed posthæc religiosi Principis animus de reparatione irruptæ urbis sollicitus statim murorum cava reformat, incensas portas renovat, insepultis tumulum præstat, incolis ablatam prædam restituens, et exulcerata quæque publico ærario fovens. Jubet tamen thesauri omnem quam ceperant copiam diligentiori servare custodia, non avaritiæ quæstu illectus, sed amore divino provocatus : scilicet ut res sacratæ Deo faciliùs possent secerni, et cultibus divinis restitui. Cumulaverat enim nefandissimus ille Paulus peccato peccatum, dum tyrannidi adjungeret sacrilegium. Nam ut quidam sapiens dicit, nisi sacris Ecclesiis intulisset spolium, non esset unde suum floreret ærarium. Unde factum est, ut vasa argenti quamplurima de thesauris Dominicis rapta, et coronam illam auream, quam divæ memoriæ Reccaredus Princeps ad corpus beatissimi Felicis
C obtulerat, quem idem Paulus insano capiti suo imponere ausus est; tota hæc in unum collecta studiosiùs ordinaret secernere, et devotissimè prout cuique competebat Ecclesiæ intenderet reformare.

An. 673.

* *al.* onustos.

Tertia jam post victoriam victoribus advenerat dies, et Paulus ipse onustus ferro cum ceteris consedenti in throno Principi exhibetur. Tunc antiquorum more curva spina dorsi vestigiis regalibus sua colla submittit, deinde coram exercitibus cunctis adjudicatur cum ceteris cum universorum judicio, ut mortem exciperet qui mortem Principi præparasset. Sed nulla mortis super eos illata sententia, decalvationis tantùm, ut præcipitur, sustinuere vindictam. Ferebatur tamen quorumdam opinione, Francos quantociùs ad ereptionem capti occurrere. Sed Princeps occasionem cum Francis præliandi opperiens, nec solùm istius causæ, sed et præteritas gentis suæ cu-
D piens vindicare injurias, sustinebat quotidie animo forti expectans illorum occursum, cum quibus decertare modis omnibus parabat. Sed cùm nullus è Francis ad bellandum accederet, ipse priùs illis se occursurum devoverat, nisi maturato sui cordis suorumque Optimatum revocaretur consilio, ne disrupta pactionis inter utramque gentem promissio impetendi sanguinis esset occasio. Sed cùm contrà hoc, ut dictum est, bellum conficere moliretur, jam quarta dies effluxerat, ex quo et Paulum ceperat, et adversæ gentis occursum nihilominus sustinebat. Sed nulla hostis præsumptio, nullus eventus, nulla prorsus hostilis conventio monstrabatur. Quippe cùm et Franciæ munitissimæ urbes jam ultimum sui, ut ferebatur, excidium deplorarent, et cives quique earum, ne à nostris prævenirentur, relictis urbibus longè lateque incertis sedibus vagarentur, latebrosis scilicet vitam compendiis munientes. Nam et religiosus Princeps eminus à Nemauso urbe in plana cum exercitu consistebat. Illic castra
E posuit, miraque celeritate muro firmissimo circumdedit. Ubi cùm adventum hostium sustineret, subitò præcurrenti nuntio audit unum è Ducibus Franciæ, nomine Lupum in Beterrensi territorio hostiliter accessisse. Unde quinta jam postquàm Paulum ceperat die, de Nemausensi urbe egressus, concita velocitate cum exercitu properans, delatas inimici nisus est prævenire insidias. Sed Lupus ipse juxta villam, cui Asperiano vocabulum fertur, regressum Principis audiens, ita terrificatus aufugit, ut exercitus Duci, et Dux exercitui videretur deesse. Non enim in fugiendo vel ipse suos sustinuit, vel sui eum potuerunt ullo modo adsequi : quippe quorum ita pavore dissoluta fuerant corda, ut non tam dispersis viarum aditibus, quàm montium præruptis elapsi pariter et currentes, ut pote jam gladios suis imminere cervicibus cernerent, de compendio fugæ vitam se lucrasse monstrarentur. Multas scilicet prædas in hac turbatione nostris exercitibus relinquentes, tam de hominibus qui eos sequi non poterant, quàm etiam de jumentis sive substantiis, quæ multipliciter plaustris

An. 673. sibi adduxerant suffectura. Et utique jam lecta bellantium manus à Principe destinata poterat eos belligerosis excursibus adsequi : sed tam sordida illorum extitit fuga, ac etiam tam citata finium suorum occurrerunt latibula, ut quò fugerent, quò laterent atque consisterent, nullo omninò censeretur vestigio reliquisse. Unde comperto Princeps, quòd Lupum cum ceteris invenire non posset, placida progressione Narbonam contendens, urbem victor ingreditur. Ibi disrupta quæque Narbonensis Provinciæ exesa atque depasta, quæ eidem terræ magis febribus anhelanti deprædatione nostrorum et incursione appulsa sunt, munere placat, dispositione reformat, consiliis instruit : statum quoque rerum mira pace componit. Lecta illic præsidia bellatorum dimittit, radices ab ea omnis rebellionis detersit, Judæos abegit, clementiores urbibus rectores instituit, per quos utique tanti mali placaretur offensa, et constuprata tantis sordibus terra novo judiciorum baptismate depurgata remitteretur ad veniam. Nam in eo quòd erecta Galliarum terra solito superbiæ fastu cothurnosè se attollerat, ita inclementiori deprædatione detrita est, et erasa nummis atque depasta substantiis, ut meritò per hoc credatur quicquid rubiginis seu nequitiarum contraxerat amisisse.

Exhaustis deinde Princeps Galliis, atque domitis, securus directo ad Hispaniam itinere commeavit, nullos post se Gallorum motus formidans, nullas etiam Francorum pertimescens insidias : certò sciens neminem esse, qui aut de suis pugnam, aut de externis gentibus patraret insidias. Tanta enim virtute animi atque constantia positas circum barbarorum gentes non solùm non extimuit, sed contempsit, ut etiam adhuc intra Gallias positus, in locum, qui Canaba nuncupatur, cuncto exercitui, quòd feliciter exissent, relatione gratifica satisfaceret, omnesque ab eo statim absolveret. Ipse quoque Helenam * perveniens, duorum ibi dierum immoratione detentus est. Sicque exinde profectus, secundis potitus successibus Hispaniam rediit, sedemque sui solii sexto postquàm inde commigraverat mense repetiit. Et tamen sub quo celebri triumpho Regiam urbem intraverit de inimicis exultans, explicare necesse est : ut sicut ingentis ejus gloriæ signum sæcula secutura clamabunt, ita seditiosorum ignominia non excidat à memoria futurorum. Etenim quarto ferè ab urbe Regia milliario Paulus Princeps tyrannidis, vel ceteri incentores seditionum ejus, decalvatis capitibus, abrasis barbis, pedibusque nudatis vel squallentibus, veste vel habitu camelorum induti, vehiculis imponuntur. Rex ipse proditionis præibat in capite omni confusionis ignominia dignus, et picea ex coriis laurea coronatus. Sequebatur deinde hunc Regem suum longa deductione ordo suorum dispositus ministrorum, eisdem omnes quibus relatum est vehiculis insedentes, eisdemque inclusionibus acti, hinc inde adstantibus populis urbem intrantes. Nec enim ista sine dispensatione justi judicii Dei eisdem accessisse credendum est : scilicet ut alta ac sublimia confusionis eorum fastigia vehiculorum doceret sessio præ omnibus subjecta : et qui ultra humanum morem astu mentis excelsa petierant, excelsiorem luerent consensionis suæ injuriam. Sunt ergo hæc in secuturis reposita sæculis, probis ad votum, improbis ad exemplum : fidelibus ad gaudium, infidis ad tormentum : ut utraque pars in circuitu * quodam sese lectionis hujus inspiciens, et quod rectis semitis graditur, prolapsionis casus effugiat, et quæ jam cecidit, in horum se hîc semper proscriptionibus recognoscat.

* Elnam.

* contuitu.

FINIT HISTORIA.

JUDICIUM PROMULGATUM

IN TYRANNORUM PERFIDIAM.

Eodem Juliano Archiepiscopo Toletano Auctore.

Ibid. p. 831. PErfidorum denotata transgressio eò debet acriùs percuti, quò illicitis videtur ausibus quædam perpetrare. Habeat ergo confusionis propriæ signum, quibus contingit fidei violare promissum : reportent nomen perditionis in posteros, quos indulgentia principalis fecit esse ingratos : renotentur inter cunæos perfidorum, qui genti suæ paravere excidium, ut reportent in progenies sæculorum titulos infamiæ

A suæ, qui eversores facti sunt patriæ. Nam ecce prodidit se in apertum campum infausta perfidia, quæ nefandorum societatem cruentis sibimet amplexibus socians, commovit, ad scandalum cives, ad suorum perniciem plebes, ad eversionem patriæ gentem, ad interitum Principis non solùm proprias, sed externarum plebium nationes. Testis est horum quæ dicimus terra, quæ ipsorum est exterminatione detrita : teste etiam cœlum, sub quo nobis est à Deo attributum triumphale vexillum. Spontaneum enim promissionis fœdus inrupit, novumque sponsionis jusjurandum constituit, quò voluntaria fidei promissione discissa, electum à Deo Regem nostrum adjiceret, et maturatam illi vel patriæ perniciem exhiberet. Nam novo ritu perjurii non solùm suam, sed et multorum animas populorum decepit, ita ut in his illud prophetale vaticinium impleretur, quod dicitur : *Cadent in retia Principes eorum à furore iræ Dei, et erit subsannatio in omnem terram.* Necnon et illud, quod Esaias in talium narrat excessionibus, dicens : *Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. Sic decipula plena avibus, sic domus eorum plena dolo.* Hæc quidem necessariò præmissa sufficiant. Nam cùm nefandissimum Paulum serenissimus Domnus noster Wamba Rex ad vindicationem Galliæ destinaret, et ut diffidentes quosdam ad fidem suæ gloriæ matura dispositione colligeret, subitò injunctum sibimet negotium in contrarium mutans, non solùm dissidentibus in fide persistendo non obstitit, sed etiam ipse dissidentes plurimos sibi fideles effecit. In tyrannidem enim contra prædictum Principem gentem et patriam vertens, spoliavit se primùm à fide promissa : et textrinii sui ordiens telam, induit se perjurii maculam. Deinde in gloriosum Principem maledicta conjectat, et multimoda detractionum atque injuriarum de eo protestatur convitia. Posthæc, quod nefas est dici, regnum contra Dei voluntatem arripuit, et populos in hac nefaria electione sibimet jurare coëgit; quò et contra fidem sibi redditam agerent, et necem vel dejectionem Principi exhiberent : hunc præcipuè ordinem in ipsa perversarum conditionum serie servans, ut gloriosum Domnum nostrum Wambanem Principem infaustum Regem nominare auderet. Quod nomen utique justa interpretatio sui infelicem significat esse. Qui tamen adhuc insuper tyrannicæ sortis apice provocatus, Provinciam omnem Galliæ et partem aliquam Tarraconensis Provinciæ tumultuoso sui juris imperio subdens, speciales omnium munitiones per singulas quasque civitates constituit, defensoresque in eas proprios ordinavit.

Osee 7. 16.

B

Jerem. 5. 26.

Hujus rei nefariæ temeritate compulsi sumus arma arripere, et tot interjacentibus terris nefandorum perfidiam insectare. Unde et ad horum conjuratorum tyrannidem protinùs extinguendam, in Tarraconensem Provinciam et in Gallias pugnan-

C

D tes accessimus : et divina nobiscum comitante manu ad ipsas usque civitates atque castella venientes, hos ipsos satellites defensoresque civitatum castrorumque feliciter cepimus. Nam primùm ad Barcinonam cum exercitu accedentes, Euredum, Pompedum, Guntefredum, Hunulfum Diaconum, et Neufredum eandem vindicantes civitatem comprehendimus. Deinde ad Clausuras pervenientes, castra ipsa disposito exercitu per juga Pyrenæi montis intravimus, et vindicatores eorumdem castrorum comprehendimus; itidem Ranosindum, Hildegisum, Heliam, Carmennum, Maureconem, Wandamirum, Dagarum, Xixanem et Luibitanem. Hoc etiam more belligerosis incursibus properantes, per divisiones exercituum comprehendimus in castro Caucoliberi Leofredum et Guidrigildum, atque prædictorum conjuges. Castrum quoque Lybiæ, quod est caput Cirritaniæ, simili ordine properantes, ingressi sumus, quem Iacinthus Episcopus * cum Araugisclo in una con-

E cordantes perfidia post jus Pauli perfidi vindicabant. Sed quia idem Iacinthus eundem castrum Lybiæ vindicare non potuit, nec ipse Deo fautore manus nostras evasit. Quorum omnium comprehensionem sive ingressum (a) Galliæ cùm idem Paulus perfidus per fugam Francorum, quos ad vindicandas Clausuras direxerat, comperisset, relicta et ipse ilicò civitate Narbonæ fugæ se præsidio dedit : ubi etiam

* Urgellensis.

(a) Ex his verbis colligi posse putat Petrus de Marca castrum Libiæ, quod est caput Ceritaniæ, ætate Juliani Galliis accensitum fuisse. Et certè Strabo, dum Ceretanos, qui ex instituto Augusti valles omnes complectebantur expansas usque ad Vasconum limitem, majore sui parte inter Hispanicas gentes accenset, innuere videtur partem superiorem Ceretanorum, ubi est Livia et Podium Ceritanum, cum vicinis pagis, id est integrum ferè Comitatum Cerdaniæ, ad Gallos pertinere. En ipsa Strabonis verba; Τὰ δὲ μέσα περιέχει καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένους αὐλῶνας· ἔχουσι δ' αὐτοὺς Κερρητανοὶ, τὸ πλέον Ἰβηρικοῦ φύλου. Quæ sic vertenda sunt. *In medio convalles continentur habitationibus opportunæ : tenent illas Cerretani, majori ex parte Hispanicæ gentis.*

An. 673. conservatores ipsius civitatis reliquit, Ranimirum pseudo Episcopum, Wittimirum, Argemundum et Gultricianem Primiclerum *. Qui etiam Ranimirus viso exercitu, antequàm civitas ipsa expugnaretur, fugam appetiit: sed mox in Beterrensi territorio comprehensus nostras non effugit manus. Unde cùm prædictos Wittimirum et Argemundum laïcos, sive Gultricianem Primiclerum Narbonam vindicantes, et contra nos acriter dimicantes cepissemus, Agathensem civitatem imperio gloriosissimi nostri Domni subjugavimus *: comprehendentes in ea Wilesindum germanum Wilesindi Episcopi. Cùmque posthæc divinis judiciis adjuvantibus ad expugnandam Magalonensem civitatem accederemus, simul duorum exercituum navale, et terrenum bellum Gumildus Episcopus cùm prævidisset, statim eandem civitatem reliquit, et fugam appetens Nemauso se cum Paulo perfido contulit. Cùmque hanc ipsam Magalonensem civitatem defensoresque ejus gloriosiùs cepissemus, statim usque in Nemausum post perfidum Paulum sociosque suos pugnaturi pervenimus: ibi se idem Paulus non solùm suorum perfidorum fretus audacia, sed etiam Francorum auxilio munitus, ad dimicandum contulerat. Quo in loco instantissimè pugnans, et in perfidiæ temeritate perdurans, tandem divinis judiciis nostrisque armis eadem civitate inrupta, victus captusque detentus est Paulus. Ejus etiam socios commemorari necesse est, quos et expugnantes contra nos in eandem civitatem durè pertulimus, et qui tamdiu ejus perfidiæ instantissimè adhæserunt, quamdiu cum ipso nefandissimo caperentur. Itidem Gumildus Episcopus, Friusclus, Flodarius, Wistrimirus, Ranemundus, Andosindus, Adulfus, Maximus, Joannes Clerium, Anuarnus, Aquilinus, Odofredus, Iberius, Joannes, Mosimus, Amingus, Virimar, Eumericus, Transemirus et Bera; Ebrulfus, Recaulfus et Cottila; Guldramus *, Liuba, Ranila et Idericellus; excepta vulgi multitudine, vel Francorum, quæ multiplex in eadem civitate comprehensa est.

A

* *al.* Primicerium.

* subegimus.

B

* Guldramirus.

C

Hic igitur sceleratissimus Paulus, dum convocatis adunatisque omnibus nobis, itidem Senioribus cunctis Palatii, Gardingis omnibus, omnique Palatino Officio, seu etiam adstante exercitu universo in conspectu gloriosissimi nostri Domini, cum prædictis sociis suis judicandus adsisteret: sic prædictus Princeps sub præmissa conjurationis interpositione eum adlocutus est, dicens: *Conjuro te per nomen omnipotentis Dei, ut in hoc conventu fratrum meorum contendas mecum judicio, si aut te in aliquo læsi, aut occasione qualibet malitiæ nutrivi; per quod excitatus hanc tyrannidem sumeres, vel hujus regni apicem suscipere attentares.* Mox idem nefandissimus Paulus voce clara testatus est, dicens: *Per Deum, quia neque à gloria tua læsum me esse sensi, neque à vobis aliquid mali pertuli: sed tantùm boni in me impertire jussisti, quod percipere omninò non merui. Ego tamen diaboli instinctu provocatus id feci.* Similiter jam dicti socii sui quæsiti sunt, et omnes similiter responderunt. Unde perlatæ sunt conditiones, ubi spontanea promissione in electione gloriosi nostri Domini Wambanis Regis ipse nefandissimus Paulus, vel socii sui unà pariter nobiscum consenserunt, et inviolabiliter se ei vel patriæ fidem observaturos sub divini numinis sponsione testati sunt, quas etiam manùs suæ subscriptionibus notaverunt. Quibus conditionibus reseratis atque perlectis, ad confusionem perfidiæ ipsorum subscriptio manûs eorum in ipsis conditionibus eis aspicienda ostenditur. Posthæc aliæ conditiones, ad quas ipse perfidus Paulus populum sibi jurare fecerat, relectæ sunt, in quibus istius impietatis et crudelitatis ordo servatus est, ubi ipsi Paulo omnes socii sui sub isto ordine juraverunt, ut et fideles illi essent, et unanimiter cum eodem contra Domnum nostrum Wambanem Regem cum eo pugnarent, atque in dejectionem ejus vel periculum usque ad effusionem sanguinis dimicarent, vel contra eos qui eundem Domnum nostrum defendere voluissent: infaustum Regem jam dictum gloriosum Domnum nostrum Wambanem, ut suprà præmissum est, in ipsis conditionibus nominantes, et cetera detestanda quæ in ipsis conditionibus reperiuntur scripta. His excursis, atque perlectis, Canonum est prolata sententia ex Concilio Toletano Era xxv. ubi ad locum sic dicitur: *Quicumque ex nobis vel totius Hispaniæ populis qualibet conjuratione vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gothorum statu vel conservatione Regiæ salutis pollicitus est, temeraverit, et cetera.* Deinde legis est relata sententia, in libro 2. tit. 1. Era VI ubi ab locum sic dicit: *Quicumque ex tempore reverendæ memoriæ Chintilani Principis usque ad annum Deo favente regni nostri secundum, vel amodò et ultrà.* Cujus sacri canonis præceptione instructis non ultrà nobis est dubitandum, ut illos paveamus juxta legis hujus sententiam, et in corpore et in rebus temporali punire

D

E

A censura, quos jam Patres illi perpetuo anathemate tam terribili judicio damnavere in anima. Ob hoc secundùm latæ legis edicta, hoc omnes communi definivimus sententia, ut idem perfidus Paulus cum jam dictis sociis suis morte turpissima condemnati interirent: qualiter casum perpetuæ perditionis videantur excipere, qui et eversionem meditati sunt patriæ, et Principis interitum conati sunt eximere. Quòd si forsan eis à Principe condonata fuerit vita, non aliter quàm evulsis luminibus reserventur ut vivant. Res tamen omnis ejusdem Pauli sociorumque ejus in potestate gloriosi nostri Domni persistendas esse decernimus, qualiter quicquid de his agere vel judicare elegerit, serenitatis suæ clementia potestas illi indubitata permaneat : ut seditiosorum nomen funditus à terra dispereat, et lugubrem eorum memoriam his titulis devotatam secutura secula imitari refugiant.

B

DIVISIO TERMINORUM EPISCOPATUUM

Provinciæ Narbonensis, dum Gothis parebat.

Ex Divisione Diocesium et Parochiarum Hispaniæ à Wamba Rege facta.

Ut extat in libris mss. Ecclesiæ Toletanæ, et Ecclesiæ Ovetensis, et in Collectione Conciliorum Hispaniæ. *Ibid. p.* 834.

ERA DCCIV. post Reccesuindum Wamba Rex Gothorum regnum novem annos obtinuit. Hic Toleto ea hora, qua unctus est in Regem, cum quadam evaporatione visa est apis à cunctis, qui aderant, ex capite ejus exire, et ad cœlos volare. Hoc signum factum est à Domino, ut futuras victorias nunciaret de inimicis per eum, et dulcedinem pacis quam habuit erga suos. Astures et Vascones C in finibus Cantabriæ crebrò rebellantes edomuit, et suo imperio subjugavit : civitatem quæ Cartua vocabatur, et Pampilonem ampliavit, quam Wambæ Lunam vocavit. Provinciam quoque Galliæ, quæ Hispania citerior dicitur, sibi rebellantem, multis agminibus Francorum interceptis, subjugavit, et Paulum perfidum Galliæ tyrannum cepit, eique oculos evellere præcepit : et ad urbem Toletanam cum triumpho magno reversus, discordesque Pontifices, eò quòd alii aliorum Parochias invadebant, ad concordiam studuit revocare. Fecit et Chronicas Regum priorum coram se legere, ut faciliùs posset terminos Parochiarum dividere, sicut antiquitas denotaret, et exigeret juris censura, et jura propria quælibet Ecclesia possideret, sicut subjecta denotat Scriptura. An. Chr. 672. An. 673.

NARBONÆ METROPOLI SUBJACEANT HÆ SEDES.

D Beterris hæc teneat : de Staleth usque Barcinona, de Macai usque Ribafora.

Agatha hæc teneat : de Nusa usque Riberam, de Gallar usque Mirlam.

Magalona hæc teneat : de Nusa usque Ribogar, de Castello Millia usque Angoram.

Nemauso hæc teneat : de Busa usque Angoram, de Castello usque Sambiam.

Luteba hæc teneat : de Samba usque Rabaval, de Anges usque Montem-Rufum.

Carcasona (a) hæc teneat : de Monte-Rufo usque Angeram, de Angosa usque Montana.

Elna hæc teneat : de Angera usque Rosinolam, de Laterosa usque Lamusam.

EX DIVISIONE PROVINCIARUM HISPANIARUM

à Wamba Rege facta tempore Quiricii Archiep. Toletani Era DCCX.

Ex iisdem Libris mss.

Narbonæ subsint, Caucolibium (b) vel Tolosa, Carcasona, Biterris, Agatha, Luteba, Magalona, Nemausum, Elena vel Elna.

(a) Marca libr. 1. de Marca Hispanica cap. 13. existimat has duas urbes, Carcassonam et Helenam, civitatum Episcopalium decus adeptas esse, procurantibus Gothorum Regibus, qui detrimenta Tolosæ et Uceciæ, quæ à Francis tenebantur, sarcienda eo modo arbitrati sunt, ut Provinciæ Galliæ antiquus numerus octo cathedrarum Episcopalium constaret. Et certè, ut notat idem Marca, quamdiu Provinciæ Narbonensis imperium fuit penes Romanos, Carcassona et Helena non fruebantur dignitate civitatum, neque etiam dum aula Gothorum stetit apud Tolosam : quod docent Agathensis Synodi anno 506. celebratæ subscriptiones; ubi cùm nomina octo Episcoporum Provinciæ Narbonensis compareant, et inter hæc etiam nomina Tolosani et Uceciensis, nulla tamen mentio fit Carcassonensis et Helenensis, quia scilicet eo Christi anno neuter Episcopatus institutus erat.

(b) Delenda hæc verba, *Caucolibium vel Tolosa*. Et certè Tolosa omnino diversa est à Caucolibero, nec tunc temporis Gothis parebat.

EX ALIA DIVISIONE PROVINCIARUM HISPANIÆ.

Ex codice Hispalensi S. Laurentii, scripto anno DCCCCLXII.

PROVINCIA GALLIÆ.

Narbona Metropolis, Caucoliberi (a), Carchasona, Biterris, Agatha, Luteba, Magalona, Nemis (b) seu Nemauso, Elena.

Ex Cod. mss. Ecclesiæ Ovetensis.

Narbonæ Metropoli subditæ, Narbona, Beterris, Agatha, Magalona, Nemauso, Luteba, Carcasona, Tolosa, Elna.

(a) Malè etiam hæc vox, *Caucoliberi*, in textum irrepsit. (b) Malè in Editis, *Nemis, Enemaso.*

EX CHRONICO

ISIDORI (a) EPISCOPI PACENSIS.

Apud Chesnium Tom. 1. *Script. Franc. pag.* 785.

An. 719. ÆRA DCCLVII. Tunc in Occidentis partibus multa Izit Regi Sarracenorum præliando perveniunt prospera, atque per Zama (b) nomine tres minùs paululùm annos in Hispania Ducatum habente, ulteriorem vel citeriorem Iberiam (c)
An. 720. proprio stilo ad vectigalia inferenda describit, præda, et manualia, vel quicquid illud est, quod olim prædabiliter indivissum retemptabant. In Hispania gens omnis Arabica sorte sociis dividendo partem ex omni re mobili et immobili fisco adsociat. Postremò Narbonensem Galliam suam facit, gentemque Francorum frequentibus bellis stimulat, et seditas (d) Sarracenorum in prædictum Narbonensem oppidum ad præsidia
An. 721. tuenda decenter collocat. Atque in conjurenti virtute jamdictus Dux Tolossam usque præliando pervenit, atque obsidione cingens, fundis et diversis generum machinis expugnare conavit. Sicque Francorum gentes tali de nuntio certi, apud Ducem ipsius gentis Eudonem nomine congregantur : ubi dum apud Tolosam utrique exercitûs acies gravi dimicatione confligunt, Zaman Ducem exercitûs Sarracenorum cum parte multitudinis congregatæ occidunt. Reliquum exercitum per fugam elapsum sequuntur, quorum Abdirraman cepit Principatum uno per mense, donec ad principalia jura veniret Ambiza (e) eorum Rector.

An. 731. Abderraman vir belliger in æra DCCLXIX. an. imperii ejus XII (f), semissario, Arabum CXIII. Iscam IX (g). In potestate properat lætabundus cunctis per triennium valde prælatus. Cùmque nimiùm esset animositate et gloria præditus, unus ex Maurorum gente, nomine Munuz, audiens per Libiæ fines judicum sæva temeritate opprimi suos; pacem nec mora agens cum Francis, tyrannidem ilicò præparat adversus Hispaniæ Sarracenos : et quia erat fortiter in prælio expeditus, omnes hoc cognoscentes, Palatii conturbatur status. Sed non per multos dies expeditionem prælii agitans Abderraman suprà memoratus, rebellem immisericorditer insequitur conturbatus. Nempe ubi in Cerritanense oppidum reperitur vallatus, obsidione oppressus, et aliquando infrà muratus, judicio Dei statim in fugam prosiliens, cedit exautoratus. Et quia à sanguine Christianorum, quem ibidem innocentem effuderat, nimiùm erat crapulatus, et Anambadi illustris Episcopi decore juventutis proceritatem, quem igne concremaverat, valde exaustus, atque adeò

(a) Isidorus Chronicon suum absolvit anno 754. Episcopus fuit Pacis Juliæ, Lingua vulgari *Beia* dictæ, quæ diversa est ab urbe *Badajoz*. Vide Pagium ad an. 754. num. 17. et 18.

(b) Eadem habet Rodericus Toletanus in Historia Arabum cap. 11. *Zama*, inquit, *qui tribus annis Ducatum tenuit in Hispaniis*, [ab anno scilicet 718. ad an. 721.] *proprio stylo descripsit vectigalia Hispanorum : et quod priùs indivisum ab Arabibus habebatur, ipse partem reliquit militibus dividendam, partem fisco de mobilibus et immobilibus assignavit, et Galliam Narbonensem divisione simili ordinavit et Francorum gentem bellis frequentibus stimulavit, et Narbonæ ob tuitionem patriæ electos milites collocavit.*

(c) Ita legendum cum codice Mazarin. Editi habent, *citeriorem imperium.*

(d) *Seditæ*, sunt stationes militum.

(e) Amisa secundùm eumdem Isidorum, ingressus est in Gallias paulò ante obitum suum, qui contigit Æra 763. id est anno Christi 725.

(f) Leo Isaurus decimum-quintum Imperii annum agebat. Hinc corrig. *XV.*

(g) Rodericus loco cit. cap. 12. enumerans Provincias, in quibus Iscamus Saracenorum Califa hoc tempore dominabatur, ait : *Et Galliam Gothicam, cujus Metropolis Narbona, et Vasconias, quarum Metropoles Auxis et Burdegala, suæ potentiæ subjugavit.*

ab

A ab hoc jam satis damnatus, civitatis pœnitudine olim abundantia aquarum fluentis site præventus, dum quò aufugeret non reperit moriturus, statim exercitu insequente in diversis anfractibus manete lapsus. Et quia filiam suam Dux Francorum, nomine Eudo, causâ fœderis ei in conjugium copulandam, ad persecutionem Arabum differendam jam olim tradiderat ad suos libitus inclinandam, dum ad eam tarditat de manu persequentium liberandam, suam morti debitam præparat animam. Sicque, dum eum publica manu insequitat, sese in scisuris petrarum ab alto pinaculo jam vulneratus cavilando præcipitat; atque ne vivus conprehenderetur, animam exhalat. Cujus caput statim, ubi eum jacentem repererunt, trucidant, et Regi unà cum filia Eudonis memorati Ducis præsentant. Quam ille, maria transvectans, sublimi Principi procurat honorificè destinandam. Tunc Abdirraman (a) multitudine sui exercitûs repletam prospiciens terram, montana Vaceorum disecans, et
B fretosa et plana percalcans, terras Francorum intus expeditat, atque adeò eas penetrando gladio verberat, ut prælium ab Eudone ultra fluvios nomine Garona vel Dornomia præparato, et in fugam dilapso, solus Deus numerum morientium vel pereuntium recognoscat. Tunc Abdirraman suprafatum Eudonem Ducem insequens, dum Turocensem * Ecclesiam, palatia diruendo, et Ecclesias ustulando, deprædari desiderat, cum Consule Franciæ interioris Austriæ, nomine Carolum, virum ab ineunte ætate belligerum, et rei militaris expertum, ab Eudone prænonitum, sese infrontat. Ubi dum penè per VII. dies utrique de pugnæ conflictu excruciant, sese postremò in aciem parant, atque dum acriter dimicant, Gentes septentrionales in ictu oculi, ut paries immobiles permanentes, sicut et zona rigoris glacialiter manent adstricti, Arabes gladio enecant. Sed ubi gens Austriæ molle membrorum prævalida, et ferra manu perardua pectorabiliter ferientes, Regem inventum
C examinant, statim nocte prælio dirimente, despicabiliter gladios elevant, atque in alio die videntes castra Arabum innumerabilia, ad pugnam sese reservant : et exurgentes è vagina sua, diluculò prospiciunt Europenses Arabum tentoria ordinata, et tabernaculorum ubi fuerant castra locata, nescientes cuncta esse pervacua, et putantes ab intimo esse Sarracenorum falanges ad prælium præparatas, mittentes exploratorum officia, cuncta repererunt Smaëlitarum agmina effugata. Quique omnes tacitè pernoctando, cum eos stricto difugiunt repatriando. Europenses verò soliciti, ne per semitas delatescentes aliquas facerent simulanter celatas, undique stupefacti in circuitu sese frustra recapitant, et qui ad persequentes gentes memoratæ nullo modo vigilant, spolias tantùm et manubias decenter divisas, in suas se læti recipiunt patrias.

An. 732. Turonensem.

(a) Idem Rodericus cap. 13. *Abderamen victoriæ gloriam prosequi non desistens, cùm videret terram suam multitudine esse repletam, fretosa dissecans, et montana procalcans, Rhodanum etiam dissulcavit. Verùm cùm Arelatum in multitudine exercitûs obsedisset, inferioris fortunæ Gallici sunt inventi : nam fugati periculo se ventes sequaci victoria sunt prævenți; et quorum cadavera vorax Rhodanus occultavit, et terra suscipiens revelavit, et eorum tumuli adhuc hodie in Arelatensi cœmeterio ostenduntur.* Vide Valesium Rer. Franc. lib. 24. pag. 490. et Marcam Hispan. pag. 235.

Idem cap. 14. hoc prælium recitat. *Abderamen proposuit interiorem Galliam penetrare, et Eudonem Ducem persequi non desistens, per Petragoream et Santoniam et Pictaviam civitates, oppida et Ecclesias devastando, et igne continuo consumendo, etiam Turonis civitatem, Ecclesiam et palatia vastatione et incendio simili diruit et consumsit. Eudo autem, de quo diximus, ad Consulem Franciæ et Germaniæ Carolum, virum belligerum et rei militaris expertum, fugit, infelicitatis Francorum excidia relaturus. Carolus autem, dictus Martellus, Germanos et Gepidas secum ducens cum Francis qui remanserant, Abderamen se obtulit devastanti. Cùmque per septem dies bellis particularibus sese impeterent, demùm dispositis aciebus generali prælio dimicantes, alternis cædibus se læserunt. Sed gens Austriæ* [id est Austrasiæ] *membrorum præeminentia valida, et gens Germana corde et corpore præstantissima, quasi in ictu oculi, manu ferrea et pectore arduo Arabes extinxerunt, et ipsum* [Abderamen] *gladio peremerunt : sicque nocte prælium dirimente, ad castra sua exercitus redierunt. Mane autem diluculo apparente, viderunt Germani Arabum tentoria, ut heri fuerant ordinata, et putaverunt Arabes velle prælium restaurare. Et cùm exploratores officio vacua percepissent, iverunt ad spolia et manubia dividenda : et verentes ne fortè Arabes in stratis vel semitis insidias procurarent, Germani et Franci in patrias redierunt. Arabes autem, qui evaserant, per compendia ad Galliam Gothicam reversi sunt.* Rodericus Isidorum Pacensem, quem exscripsit, non intellexit : nobis enim obtrudit Germanos et Gepidas à Martello accitos, quorum nulla apud Isidorum mentio.

FINIS.

DE REGALI ABBATIA

S. GERMANI A PRATIS

PROPE PARISIOS,

D. Theodorici Ruinart (a) Dissertatio.

MIHI antiqua quæque monumenta ad illustrandam Gregorii Historiam colligenti omittere non licuit ea, quæ coram sunt in percelebri sancti Germani à Pratis Abbatia, quæ à Childeberto Rege Chlodovei Magni filio condita, et à subsequentibus Regibus culta, eorumque tumulis honorata, à Gregorio nostro passim laudatur ac memoratur. Fecere quidem temporum vetustas ac rerum humanarum vicissitudo, ut pauca ex compluribus supersint tam antiquorum temporum monumenta: sed tamen cùm ibi plures quàm in quocumque alio Galliarum loco conspiciantur primæ Regum nostrorum Stirpis reliquiæ, iis illustrandis paullò immorandum esse visum est. Basilicam insignem fuisse persuadent loci celebritas, et majestas conditorum. Post annum DXLII. B incœpta, anno DLIX. perfecta fuit, atque ab ipso beato Germano Parisiorum Antistite consecrata. Ejus condendæ occasio fuit Childeberti de Wisigotthis victoria, ut nempe ministeria sacra, ac potissimùm beati Vincentii stolam, quam ex Hispania detulerat, loco decenti deponeret. Ecclesiam in modum crucis sancto Germano curante constructam fuisse, ac quintuplici altari consecratam, variisque Sanctorum reliquiis refertam docet vetus Auctor vitæ S. Droctovei. Hinc sanctæ Crucis simul cum beati Vincentii nomine insignitam fuisse verisimile est. Utrumque enim nomen ab initio eam habuisse ex Venantio Fortunato, Ermentrudis testamento etc. constat. Sancti Germani Basilicam inter *Seniores* regni recenset Auctor vitæ sanctæ Balthildis; rogat verò *illustris illius loci Abbatem* Sanctus Bertramnus Cenomannorum Antistes in suo tes-C tamento, ut suum ipsius nomen *in vitæ libro*, id est inter Monasterii benefactores, recitetur, data ea de re *Bobane villa*. Quantæ autem magnificentiæ fuerit discimus ex laudato vitæ sancti Droctovei Auctore, qui scribebat sæculo nono labente, cùm scilicet, jam quidem semel et iterùm, hæc Basilica Nortmannorum furore violata fuisset, sed nondum destructa: quare eam, sicuti primitus exstructa fuerat, ab eo descriptam fuisse non immeritò quis affirmaret. *Cujus*, inquit, *Basilicæ opus mirificum describere nobis videtur superfluum, qualiter scilicet distincta fenestris, quibus pretiosissimis marmorum fulta columnis, quove modo crispante camera compta auratis laqueariis, necnon parietes, ut Christi decebat aulam, quo decore nitebant picturâ aurei coloris, strato inferiùs pulcro emblemate pavimenti. Tectum verò ipsius Basilicæ coopertum adprimè deaurato cupro * ære, repercussum solis jubare sic flammigero rutilabat fulgore, quatenùs intuentium aciem reverberaret nimia claritudine. Unde præ nimio decore non immeritò olim ipsa domus per metaphoram INAURATI GERMANI AULA vocabatur vulgi ore.* * *i.* Cyprio.

Hujus Basilicæ parti inferiori duplex erat adjunctum oratorium, atque in eorum altero versus Septentrionem, quod jampridem violatum est, sepultus fuit beatus Droctoveus, primus loci Abbas ab ipso Germano institutus. Qui posteà crebrescentibus miraculis inde levatus, in majorem Basilicam translatus fuit, ubi hactenùs in theca asservatur. In opposito autem oratorio, quod scilicet ad austrum respicit, depositus fuit B ipse beatissimus Antistes, cujus sepulchrum jam Chilperici Regis tempore, ut narrat Gregorius, miraculis illustre, ab eo Rege, si Aimoino vulgato credimus, carmine honoratum est; et paullò post à sancto Eligio, ut testis est beatus Audoënus ejus vitæ scriptor, auro argentoque ac pretiosissimis gemmis fuit exornatum. Ibi hodieque tanti Pontificis sepulturæ locus à fidelibus frequentatur, quamvis sacrum ejus corpus à nongentis et ampliùs annis inde translatum in majorem Basilicam fuerit sub Lantfrido Abbate, relicto solummodò in primæ sepulturæ memoriam lapide, cui post aliquot sæcula hæc insculpta fuit inscriptio.

HIC FUIT PRIMO TUMULATUS
BEATUS GERMANUS.


Visitur et ibi alius lapis quadratus, in quo C Crucis figura depingitur, cum veteri in circuitu inscriptione sæculo octavo sculpta, quæ Pippini Regis, cùm sacri corporis translationi interesset, liberalitatem indicat, his verbis, litteris quidem ut plurimùm Romanis et quadratis, sed inter se intextis, et majoribus simul cum minoribus permixtis, ut aliæ in aliis inclusæ minus spatium occuparent; quas cùm typi formæ non paterentur, litteris vulgaribus repræsentamus.

HIC PAUZANTE SCO GERMANO DIE TRANSLATIONIZ DEDIT EI REX PIPINUS FISCUM PALATIOLI CU APPENDITIIS ZUIS OMNIBUS.

Oratorium istud sæpius exinde violatum, sed totidem vicibus reconciliatum fuit: cujus altare hujus sæculi (b) initio reparatum sanctus Fran-

(a) Hanc edidit Ruinartius ad calcem Operum Gregorii Turon. col. 1369.

(b) Scribebat Ruinartius anno 1699.



Chaufourier del. *Fobonne F.*

GRAND PORTAIL DE L'ÉGLISE DE S^{T} GERMAIN DES PREZ.

ciscus Salesius Genevensium Episcopus anno MDCXIX. consecravit : sed cùm totum ædificium vetustate fatiscens brevi ruiturum crederetur, totum pæne à fundamentis restauratum reparatumque est paucis abhinc annis, tumulusque sancti Antistitis exornatus uti hodie visitur, insculpta marmori inscriptione, quæ diem et annum obitûs beati Pontificis indicat.

Porrò inter utrumque oratorium exstat turris, tantam intuentibus præ se ferens vetustatem, ut nonnulli existimaverint eam esse ipso Monasterio antiquiorem. Haud longè aberat idolum vetus, quod Isidis fuisse vulgati Auctores scribunt, sæculo proximè elapso comminutum à Monachis, quòd mulierculis aliquot coram eo orantibus, idololatriæ occasionem præbuisse videretur. Sub ea turre patent majores Basilicæ fores cum porticu, in qua visuntur aliquot Regum Reginarumque statuæ lapideæ ad januæ postes locatæ, quas in prima Basilicæ conditione, aut certè paullò post ibi positas fuisse censent viri eruditi, qui eas diligentissimè inspexerunt : et certè res ipsa loquitur. Exstat supra ipsum januæ superius limen Cœnæ dominicæ specimen, in qua Dominus cum Apostolis suis more solito mensæ assidet. Statuæ verò, quas hinc et inde ad valvas exstare diximus, numero sunt omnino octo, ad humanam fermè mensuram et formam, qualis barbaro illo ævo repræsentari potuit. Illis præter Episcopum, Chlodoveum Regem cum Chlotilde et quatuor filiis, ac Ultrogottha Childeberti fundatoris uxore exhiberi vel ex ipso conspectu diu suspicati fuimus; quod ex diligentiori observatione nobis omninò compertum est. Etenim rotulos, quos eorum nonnulli præ manibus habent, diligentiùs rimati, deprehendimus in duobus ex illis quasdam litterarum reliquias, quarum unæ Chlodomerem, alteræ Chlotarium esse demonstrarunt. Quas quidem litteras, etsi fortè primariis substitutæ videantur, antiquissimas tamen esse ipsa characterum forma, et viridis color ferè penitus detritus probant. Certè in ipsa Ecclesiæ instauratione depictas colligimus ex Childeberti tumulo, tunc, ut infrà dicemus, exsculpto : nam simili colore depictus fuerat, ut indicant aliquot ejus picturæ vestigia quæ supersunt.

Prima statua, quæ ingredientibus ad lævam occurrit, Episcopum repræsentat pontificalibus vestimentis indutum, baculum pastoralem manu sinistra tenentem, cujus pars superior confracta, qua forma recurvus fuerit, indicare non potest : manipulum brachio sinistro defert, eo modo eaque forma, quibus etiam nunc illum Sacerdotes et Episcopi gestare solent. Mitram habet in capite, non adeò, ut hodie fit, acuminatam, sed humilem, quales olim deferri consueverant : casula vestitus est, cujus partes extremas brachia paullùm elevata sustollunt satis, ut subtus eam dalmaticæ pars extrema videatur, sub qua inferiores stolæ partes hinc et inde ferè ad pedes usque pendentes visuntur super albam, cujus ora inferior variis figuris ornata eam magnificam fuisse indicat. Hunc esse sanctum Germanum, alterum loci Fundatorem, nonnulli existimant : at potiùs crediderim esse sanctum Remigium, cui hic honor datus sit, quòd Chlodoveum Regem ac totam gentem Francorum ad Christi fidem adduxerit. Id mihi persuadet diaboli frementis figura, quam pedibus premit : quo symbolo idololatria ab eodem sancto viro extirpata designetur. Proxima huic statua Regem repræsentat vestibus amplis et magnificis indutum, coronam in capite habentem, qui tenet sinistra manu rotulum, cujus scriptura, si qua fuit, penitùs detrita est : dextera verò manu pro sceptro baculum habet hypaticum cum aquila superimposita, quo Romani Consules uti solebant. Hinc dubitare non licet, Chlodoveum hîc Augustorum patrem exhiberi, chlamyde et tunica blattea seu purpurea redimitum, uti eum describit Gregorius noster, cùm post acceptos ab Anastasio Imperatore de Consulatu codicillos, diademate sibi in Basilica sancti Martini imposito, tamquam Augustus et Consul triumphans in Turonum urbem ingressus est. Hoc verò monumentum eò pretiosius censeri debet, quòd insignem Gregorii nostri locum plurimùm illustret. Juxta Chlodoveum Regina visitur, quam ejus conjugem esse non dubito. Hæc coronam in capite gestat, et capillorum cincinnos habet ad genua ferè protensos. Quid verò in manu dextra gesserit, nobis non licuit divinare. Hujus porrò vestimentorum forma, rudis licet, perquàm magnifica erat, ut satis indicat potissimùm pallii fibula, quæ pretiosis lapillis constabat : cingulum etiam habet prisco illo more effictum. Certè ex sancti Eligii Vita discimus, tunc Reginas *insignia auri gemmarumque ornamenta* deferre solitas fuisse, quod in Bathilde Regina vidua reprehendit, etiam mortuus, sanctus Antistes. Ultima denique ex ea parte statua Regis est, quem Chlodomerem Chlodovei ex Chlotilde, mortuo in cunis Ingomere, primogenitum filium esse indicant aliquot litteræ superstites, in rotulo quem manu gestat, depictæ, CLODOMRIUS.

In altera valvarum parte totidem exstant statuæ, ex quibus ea quæ januæ proximior est, Theodoricum, uti nobis videtur, repræsentat : quem ei locum, quòd Chlodovei primogenitus esset, Childebertus loci conditor honoris causa cessit : rotulum, ut ceteri, in manu habet, sed in eo litteræ nullæ comparent. Vicinam ei esse Childeberti fundatoris statuam indè colligimus, quòd præ manibus pugillares tenet, in quibus conditi ab se Monasterii tabulæ continerentur. Is non solùm est corona, ut ceteri fratres, redimitus, verùm etiam sceptrum manu dextera gestat, quòd fortasse Parisiis regnans, solus hîc virga regia uti deberet. Huic adhæret Ultrogottha ejus conjux, regio itidem ornatu insignis, sed absque cingulo et fibula, quæ in Chlotildis statua haberi observavimus. Hujus ad latus sinistrum, Chlotarius fratrum junior locum octavum occupat, ut ex residuis litteris in ejus rotulo descriptis expiscati sumus, CHLO...VS. Cirros habet in humeros fluitantes, quales Regum nostrorum filios habere solitos fuisse tum à Gregorio, tum ab aliis Auctoribus passim observatum fuit. Ceterùm licèt omnes illi Reges et Reginæ coronas habeant, et quidem floribus quatuor ornatas; non uno tamen modo flores illi in omnibus coronis efformati sunt. Alii enim ferè similes liliis hodiernis Francicis videntur, alii omninò dissimiles : quæ omnia tabula æri incisa pleniùs demonstrabit.

In ipsa autem basilica complures viros nobiles olim sepultos fuisse, silentibus nobis, lapides

qui passim effodiuntur satis clamarent : immò hanc Regum et Principum initio primæ stirpis commune conditorium olim fuisse non immeritò quis diceret. Ibi enim Childebertum et Chilpericum sepultos fuisse memorat ipse Gregorius : alios ibidem humatos testantur subsequentes Auctores. Quin et cùm Chlodoveus et Meroveus, Chilperici ex Audovera filii, in aliis locis sepulti fuissent, curavit Guntramnus Rex post aliquot annorum curricula, ut ad regalem sancti Vincentii Basilicam eorum cadavera deferrentur. Deinde si qui Regum violenta morte oppressi fuerunt, quique proinde de sepulturæ loco nihil statuissent, in Vincentiana Basilica condebantur : quales fuere Chilpericus et Childericus, ut nemini incompertum est.


Ex his porrò tot Regum et Principum tumulis sex solummodò ante nostram ætatem elati è terra noti erant. Childebertus nempe et Ultrogottha ejus uxor, loci conditores, qui inter matutinum altare et locum, ubi sancti Germani corpus servabatur, jacebant in Chori absida, diversis tumulis compositi. Alii quatuor in totidem arcubus muro turrium, quæ Choro adjunctæ sunt, cavatis depositi erant, in inferiori, uti tunc erat dispositus, Chori parte. Chilpericus scilicet cum Fredegunde ad Septemtrionem, ex altera verò parte Chlotarius II. eorum filius, cum uxore sua Bertrude. Singulis verò tumulis sua erat appensa tabella, quæ sepulti nomen et dignitatem indicabat : soli Chilperici tumulo inerat inscriptio, litteris majusculis et antiquis in gyrum insculpta, his verbis :

† REX CHILPERICUS HOC TEGITUR LAPIDE.

Tumuli autem illi erant lapidei, humiles, simplices omninò et absque ullo ornatu, exceptis tribus, in quibus exsculpta etiam nunc superest defuncti effigies. Primus repræsentat Childebertum una manu sceptrum, altera Ecclesiam, quam scilicet condiderat, gestantem : qui vulgatus est loci conditoris repræsentandi modus. Chilpericus in altero lapide repræsentatur cum sceptro in dextera manu, sinistra barbæ suæ apposita : idque hominis occisi, qui jugulo manum admoveat, indicium esse nonnulli crediderunt. At scribit Jacobus Brolius hujus Cœnobii sancti Germani Monachus eruditus, se vidisse præ manibus Philippi Lauteri, rei monetariæ apud Parisios tunc præfecti, sigillum Chilperici Regis, in quo ipse eodem modo, ac in tumulo suo, repræsentabatur. At parum refert, cùm illas Childeberti et Chilperici effigies multis post eorum mortem sæculis insculptas fuisse consentiant eruditi, qui eas sexcentis aut aliquanto ampliùs annis haud antiquiores putant. Quare conjicimus, istos Regum tumulos ita compositos fuisse, cùm post sedatas Nortmannorum incursiones, qui bis terve hoc Monasterium incendio violaverunt, Basilicam reparavit Morardus Abbas, tempore et ope Roberti Regis; aut certè sæculo sequenti, cùm Hugonis tertii Abbatis cura eadem Basilica in meliorem formam reparata est, et ab Alexandro III. summo Pontifice, magno Cardinalium et Episcoporum numero stipante consecrata. At multò majoris est momenti lapis sepulcro Fredegundis Reginæ impositus, ob magnificentiam ejus simul et vetustatem Is enim ipse est, qui Reginæ tumulo primùm positus ad nos usque pervenit, in quo Fredegundis repræsentatur coronam liliatam habens in capite, sceptrum regale manu gestans, vestibus omninò amplis et magnificis induta, quæ, sicut et cingulum singularis formæ, infinitis propemodùm circulis, qui gemmas repræsentant, ornatæ sunt. Nulla tamen efficta cernitur ejus vultûs effigies, cujus et manuum ac pedum loco planus lapis relictus est : sed tota tumuli area marmoris, jaspidis, similiumque pretiosorum lapidum segmentis, musivo opere colligatis, et filis æreis tenuioribus respersa est. Quæ omnia rem magna cum cura, et artificio pro illo tempore non ignobili, elaboratam indicant.

Hunc verò tumulum Fredegundis esse, præter tabellam, ut diximus, antiquitus ipsi superpositam, et continuatam Patrum nostrorum traditionem ad nos usque derivatam, probant aliæ rationes. Nam Reginam esse ipse tumuli conspectus evincit, nec potiùs alteri Reginarum, quæ in Basilica Vincentiana jacent, quàm Fredegundi tribui potest : non Ultrogotthæ Childeberti uxori, cùm ejus tumulus, ab isto diversus, semper in Ecclesia Germanensi ostensus fuerit : (nec quisquam sibi facilè in animum inducet, loci Monachos fundatricis suæ monumentum alterius feminæ, omnibus exosæ, tumulo imposuisse :) multò minùs Beretrudi, quæ et suum, ut vidimus, tumulum distinctum à ceteris habebat. Deinde tumuli hujus magnificentia Fredegundi potiùs, quàm cuivis alteri Reginæ congruit. Ultrogottha post mariti mortem in exsilium acta, licèt postmodùm revocata, piis operibus se totam dedisse memoratur, nullum post se relinquens, qui ei tam magnificum sepulcrum exstruere voluisset. At Fredegundis obiit eo tempore, quo Chlotarius Rex ejus filius maximè florebat, qui paullò anteà devictis aliis Regibus, Parisios aliasque civitates multas occuparat ipsius Fredegundis consilio et opera. Deinde Fredegundi matri suæ nihil non debebat. Ipse enim quatuor circiter mensibus natus, patre amisso, ab omnibus relictus, ab ea inter pericula, opprobria, variasque fortunas numquam est postpositus. Natales ei regios, quos nonnulli in dubium revocare conabantur, asseruit, Guntramni patrui amicitiam conciliavit, atque ab eo partem regni, quo fuerat exclusus, illi obtinuit; denique eidem in solio regni locato urbes amissas restitui curavit, alias vi et artificio adquisivit; eumque de aliis Regibus triumphantem gloria et divitiis cumulatum moriens reliquit : unde mirum nemini videri debet, si eo mausoleo à filio donata est. Quare ipsum æri incisum hìc exhibere visum est.

Hæc erat tumulorum regiorum dispositio in Basilica Germanensi ad hujus sæculi usque medium; at anno MDCLVI. Choro in aliam formam commutato, tumulos illos è locis movere necessarium fuit. Sancti Germani corpus quod in theca ex auro argentoque fabricata diu in ipsa Chori absida supra columnas quatuor servatum fuerat, in sacrarium delatum est, ubi novum mausoleum exspectat : loculus verò lapideus, in quo primùm sepultus fuerat beatus Antistes, sub majori altari depositus, simul cum ipso altari in locum ubi nunc visitur translatus



TOMBEAU DE LA REINE FREDEGONDE.

Chaufourier del.

est. Corpora Eleutherii et Eusebiæ beati Pontificis parentum, quæ ex oratorio sancti Symphoriani in Sancti translatione in Chorum allata fuisse dicuntur, in fossis suis relicta sunt; Regum verò et Reginarum tumuli, quos in turrium arcubus depositos diximus, in presbyterium translati fuere, ubi lapideis sepulcris more recenti fabricatis et ornatis inclusi, hinc et indè, sicuti anteà erant, dispositi sunt. Lapides verò, quibus priùs tegebantur, singuli fuere singulis tumulis impositi, addita cuique inscriptione, ne alter cum altero futuris temporibus confunderetur : immò et illis, in quibus nulla exstabat figura, cultro efformatæ sunt simplici tractu Regum, aut Reginarum effigies, quos tegunt, ad majorem distinctionem. Sed ut Childeberto, quòd loci conditor esset, major quàm ceteris honos impenderetur, tumulus in medio Chori, prout hodieque visitur, exstructus est, satis amplus ut eum ejusque uxorem caperet. Amborum itaque corpora è loco, ubi jacuisse diximus, levata, loculo plumbeo duas in partes distincto inclusa fuere. Childeberti ossibus superposita est lamina ærea cum hac inscriptione : *Hîc Childeberti Christianissimi Francorum Regis ossibus et cineribus quies reparata an. D.* 1656. *die Decembris* 22. *excessûs ejusdem Regis anniversaria*. Reginæ verò exuviis altera : *Hîc Ultrogotha Regina Childeberti Regis conjux quiescit, reposita an.* D. 1656. *die Decembris* 23. Communis utrique plumbea tabula, liliis innumeris referta, totum loculum contegit, cui Regis ac Reginæ nomina inscripta sunt; iisque omnibus in communi tumulo dimissis, superpositus est vetus lapis Childebertum, ut suprà diximus, exhibens, qui anteà solum Regis tumulum contegebat. Tumuli lateribus addita sunt marmora, quæ inscriptiones caperent. Quod est versùs Septemtrionem, exhibet epitaphium Childeberti Regis veteri sepulcro inscriptum, ut refert vulgatus Aimoinus, quod litteris aureis exaratum est.

REGI SÆCULORUM.

Francorum rector, præclarus in agmine ductor,
Cujus et Allobroges metuebant solvere leges,
Dacus et Arvernus, Britonum Rex, Gothus, Iberus,
Hîc situs est dictus Rex CHILDEBERTUS honestus.
Condidit hanc aulam Vincenti nomine claram,
Vir pietate cluens, probitatis munere pollens,
Templa Dei ditans, gaudebat dona repensans,
Millia mendicis solidorum dat et egenis,
Gazarum cumulos satagebat condere cœlo.

Ex altera parte Ultrogotthæ elogium legitur, ex Vita sanctæ Bathildis excerptum, hoc modo:

ÆTERNITATI.

Ultrogotha, Childeberti Christianissimi Regis conjux, nutrix orphanorum, consolatrix afflictorum, pauperum et Dei servorum sustentatrix, atque fidelium adjutrix Monachorum.

Addita hac Epigraphe,

Hîc cum carissimo conjuge diem illum expectat, quo laudabunt eos in portis opera eorum. Ambobus optimis Fundatoribus ex humili situ cum lap. sepulc. translatis fideliss. alumni hujus Regal. Abbatiæ Ascetæ Benedictini post restitut. in melior. formam Basilicam et Chorum, ornatius monum. posuer. an. D. 1656. 10. *Kl. fan. quiet. ipsorum anniversaria.*

Absunt à sepulcro paterno Crodesindis et Croberga Regiæ virgines, quæ in eadem Basilica, sed ignotis quiescunt loculis. Ne tamen sepeliat oblivio quibus immortalitatem peperit incorruptio, vivat hîc quoque cum piis parentibus dulciss. sobolis augustum nomen et perennis memoria.

Porro cùm in ornando Choro desudarent operarii, pavimentis susdeque versis, inventa sunt innumera pretiosorum et variegatorum lapidum minutiorum fragmenta, in varias formas secta, quæ suadent Ecclesiæ nostræ pavimentum tessellato opere, quale etiamnunc in nonnullis majoribus Basilicis visitur, stratum fuisse : quod disertè habet Auctor Vitæ sancti Droctovei, cujus locum integrum suprà laudavimus. Sed et hac occasione detecti sunt complures tumuli lapidei, quorum nonnulli in ipsis Ecclesiæ fundamentis inserti erant, ceteri in ipsa area Ecclesiæ circa altare dispositi. Quibusdam casu effractis, visa sunt corpora serico, aliisque pannis pretiosis involuta; inventæ etiam ocrearum, cingulorum seu baltheorum, aliorumque ornamentorum reliquiæ, quæ indicabant viros Principes ibi tumulatos : sed relicti sunt in suis locis præter Childericum Regem ejusque uxorem Bilihildem, qui è terra levati, hinc et indè in presbyterio cum aliis Regibus fuerunt in tumulis locati, addita utrique sua inscriptione.

Cum verò celebris hæc fuerit inventio; nonnulli quippe ante id tempus Childericum cum sua uxore Rotomagi sepultum fuisse autumabant; eam paullò accuratiùs describere visum est, ut contigisse ex iis qui tunc aderant, et ex relictis aliorum schedis accepimus. Detecti itaque primùm fuerunt anno MDCXLVI. duo grandes sarcophagi seu arcæ lapideæ, in quibus Regis ac Reginæ corpora jacebant sepulta, integra omninò, vestimentis Regiis, nondum planè corruptis induta : sed absentibus Monachis, multa ab operariis ornamenta subducta creduntur, qui tamen furtum negantes, numquam adduci potuerunt ut ea restituerent, præter partem diadematis ex auro textili, quo regium caput cinctum fuisse affirmarunt. Reseratis autem anno MDCLVI. altera vice illis tumulis, vestimenta ferè omninò violata reperta sunt, ossaque è suis mota locis. Tantùm in Regis sepulcro supererat ampulla vitrea, quæ siccum odoramentum, nec planè hebetatum, continebat. Erant et gladii ac pugionis rubigine ferè exesorum particulæ aliquot, cum cinguli seu balthei regii reliquiis, nempe fibula ex auro purissimo, octo et ampliùs uncias pendente, et bullis nonnullis argenteis, quæ amphisbænas seu serpentes bicipites effingebant, et aliis ornamentis : inventæ sunt et baculi reliquiæ, quas sceptri ejus esse nonnulli opinati sunt. Fibulæ forma ferè omninò similis est ei, quæ à Chiffletio repræsentatur in Anastasis Childerici I. cap. 16. in infimo angulo versùs marginem exteriorem figuræ, quæ habetur pag. 236. Extremi verò balthei ornatus si-

miles erant ei, qui ibidem describitur cap. 14. p. 204. cujusmodi duo in Childerici nostri tumulo inventi sunt, unus altero paullò amplior. In Reginæ autem sepulcro nihil inventum est præter ossa et vestimenta, quæ aperto tumulo statim in pulverem evanuerunt. Reginæ sepulcro superposita erat parvula arca lapidea cum infantuli ossibus, quem parvulum Dagobertum ejus filium esse non dubitamus. Hærebat tamen animo quorumnam essent isti tumuli, donec egesta humo, ut ossa decentiùs componerentur, in ima parte regii sepulcri hæc inscriptio apparuit litteris uncialibus, quæ totam latitudinem occupabant, exarata, CHILDR̄ REX. Unde statim omnes in eam iere sententiam, Childerici secundi ejusque uxoris hæc esse sepulcra; quibus proinde locus in presbyterio inter alios Reges et Reginas meritò concessus est.

Hæc de tumulis regiis dicta satis fuissent, nisi aliorum tumulorum inventio an. MDCXLIII. facta, ut et aliquid de his scriberemus exigeret. Eo casu contigit; quippe cùm die parasceves arena è claustro egereretur juxta portam, qua inde ad dormitorium et Ecclesiam aditus patet, inventi sunt tumuli duo lapidei, quorum unus hominis corpus, alter feminæ, ut putatur, continebat : isti nulla inscriptio, priori verò hæc inerat lapidi superposito extrinsecùs insculpta litteris Romanis, sed inæqualibus compendii causa, et aliis ex aliis enascentibus, ipsisque conjunctis, quales hìc effingere non sinunt typi, sed hæc verba efformabant :

TEMPORE NULLO VOLO HINC
TOLLANTUR OZZA HILPERICI.

Intus verò in aversa lapidis parte, eadem precabatur sepultus, ne quis scilicet urnam ejus removeret, aut saltem ossa aliò transferret, similibus litteris, sed minio solummodò depictis.

PRECOR EGO ILPERICUS ṄON
AUFERANTUR HINC OZZA MEA.

Lapides sepulcrorum vulgares erant, formaque eorum communis. Pedes erant Orienti obversi, sicut et in ceteris omnibus tumulis, qui passim effodiuntur : capita multò plusquàm pedes elevata erant. In Hilperici tumulo simul cum ossibus, quibusque suo loco ritè dispositis, inventa est lampas ænea parvula, nuci magnitudine æqualis, tum crux medii circiter palmi item ærea, in qua Christi pendentis imago affixa erat. Illa duo sepulcra Chilperici Regis ac Fredegundis ejus uxoris esse putavit Valesius libro undecimo rerum Francicarum, ob Hilperici nomen eorum alteri insculptum. At falsum fuisse virum eruditum facilè demonstrari potest, non solum ex his quæ suprà de Chilperici et Fredegundis tumulis retulimus, verùm etiam ex ipsa istorum sepulcrorum inventione, quam idem Valesius historiæ suæ inseruit. Nam primò certum est nulla ibi uxoris Hilperici indicia reperta fuisse : suturæ quidem capitis feminam indicare possent, quamquam et id periti medici penitùs infitiantur; at nihil eam Fredegundem potiùs esse quàm aliam quampiam mulierem determinat, præter Hilperici viciniam. Hilpericum vero illum, virum Principem facilè credideriim, ut vel ex solo nomine conjicere licet, non verò Regem : abest enim Regis titulus, qui in inscriptione minimè omissus fuisset. Nec cum Valesio dicere juvat, post mortem majores minoribus æquantem Principes Christianos his nominibus gloriari non decere, aut certè Chilpericum interemtum tumultuariè sepultum fuisse. Utrumque enim Childerici Regis exemplo refutatur : nam ille nobilium conjuratione, quos violatis Francorum juribus exacerbaverat, occisus cum uxore et parvulo filio, regio tamen cultu, ut diximus, sepultus est, nec omissus est Regis titulus. Deinde Chilpericus in Vincentiana Basilica sepultus fuit, iste autem extra fores. Ecclesiam enim nostram eo loco reparatam fuisse post sedatas Nortmannorum excursiones, quo primùm exstructa fuerat, probant veteres statuæ majori portæ affixæ, pavimentorum reliquiæ effossæ, ac Childerici aliorumque virorum illustrium monumenta, quæ in Presbyterio inventa fuisse memoravimus. His adde, utramque tumulo exteriùs et intùs positam inscriptionem hominem indicare de tumulo suo sollicitè ac providè cogitantem, quem hoc in loco imponi præ humilitate voluit, ut scilicet Ecclesiam ingredientium pedibus calcaretur; aut certè in memoriam Monachorum, qui frequenter hac transeuntes, ad Deum pro eo exorandum faciliùs inducerentur. Eamdem viri pietatem indicat Crucifixi imago cum ipso in tumulo inclusa : quæ sanè omnia Chilperici Regis nec genio, nec mortis generi satis conveniunt. His et addenda inscriptio ab annis circiter 600. Chilperici Regis tumulo insculpta, quam absque gravissima ratione rejicere non licet. Nec enim facilè quis sibi in animum inducat, hanc, sicut et tabellas, quæ aliis sepulcris ante Chori mutationem appositæ fuerant, temerè hìc à quopiam fuisse inscriptas. Has enim ex vetustioribus monumentis mutuatas fuisse colligimus ex Petri de Corpalayo Abbatis Germanensis libello de Gestis Regum, qui in Basilica sancti Germani quiescunt, aut ei beneficia quædam contulerunt, in quo quidem libro, anno MCCCXXX. edito, inter alia refert epitaphia, quæ Regum sepulcris affixa erant. Nec mirum Germanenses Monachos de ornando Chilperici tumulo cogitasse, cùm ipse, ut ex testamento sancti Bertramni patet, Ecclesiam novam ædificaverit, sancti Germani miracula publicaverit, et prædia nonnulla Monasterio contulerit.

Antiquis Regum monumentis, quæ in sancti Germani Basilica visuntur, addere liceat insignem codicem Psalmorum, quem vulgò sancti Germani Psalterium appellant. Hunc à Childeberto sancto Antistiti donatum fuisse nonnulli scripserunt, quem volunt ex Hispania ab eo Rege in Gallias fuisse allatum cum aliis Ecclesiarum spoliis, quæ apud Gregorium libro 3. Historiæ cap. 10 memorantur. Ut ut sit, certum est huic codici locum inter pretiosa cimelia deberi, nec sancti Germani ætate esse recentiorem. Similis omninò est iis codicibus quos Hieronymus in præfatione ad librum Job describit, in membranis purpureis auro argentoque uncialibus litteris descriptos. Diu asservatus fuit in Basilicæ sacrario inter alias Sanctorum reliquias : at posteà in Bibliothecæ armario depositus est, ubi etiamnunc visitur. Characteris formam ex Mabilloniano libro de re Diplomatica inspicere quivis potest, pag. 357. ubi

ejus specimen æri incisum habetur. Variantes autem ejus à vulgata editione lectiones referuntur Tomo V. operum sancti Augustini, novæ editionis à nostris adornatæ. Paullò recentior est alius codex Græco-Latinus epistolarum sancti Pauli, cujus specimen eodem in libro de re Diplomatica habetur pag. 347. Non minoris antiquitatis est linteus amplus, (Corporalia sancti Petri vulgò appellant,) quem tradunt à Gregorio Magno Romano Pontifice ad Brunichildem Reginam transmissum fuisse, atque nostræ Ecclesiæ concessum. De ejusmodi linteis quos brandea appellat, non semel agit Gregorius, potissimùm libro 3. epistola trigesima, ubi Constantinæ Augustæ, quæ ab eo beati Pauli reliquias efflagitaverat, respondet, Romanis non esse consuetudinem, quando Sanctorum reliquias dant, ut quicquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodò brandeum in pyxide immittunt, quod ad sacratissima corpora Sanctorum aliquamdiu depositum pro reliquiis habetur. Habemus et sancti Georgii brachium et Innocentium reliquias, quæ à sancto Germano huic Basilicæ collatæ creduntur, hodieque asservantur in sacrario cum aliis cimeliis. Omitto sancti Vincentii stolam, quæ condendo Monasterio occasionem præbuerat, et crucem illam *operis ac ponderis incomparabilis, gemmis exquisitissimis venustatam, ex Hispaniis allatam*, quam Vincentianæ Basilicæ collatam fuisse post Anonymum Auctorem Vitæ sancti Droctovei testatur vetus instrumentum Monasterii nostri, ubi et laudantur *thesauri Ecclesiæ, quos ibi Childebertus Rex ad decorem domûs Dei multos congregaverat*. Hæc enim omnia temporum vetustas consumsit. At nulla, Deo favente, umquam ætas tot beneficiorum memoriam à nostris animis obliterabit. Quam enim à patribus suis acceperant patres nostri et ad nos transmiserunt, nos quoque et iis qui sequentur commendabimus, ut et ipsi posteris in ævum futuris commendent. Certè mos erat antiquus hoc in Monasterio servatus, ut in schedulis defunctorum (Rotulos appellabant) quæ per singulos annos ad alia loca solebant transmitti ad defunctorum commendationem, Childeberti fundatoris nostri ceterorumque Regum mentio fieret. Ejusmodi autographum vidimus nuper in Bibliotheca sancti Albini Andegavensis ab annis ampliùs ccccc. descriptum, qui sic habet : *Titulus sancti Germani Parisiensis. Anima Roberti Abbatis etc. Orate pro nostris, domno Childeberto Rege ceterisque Regibus et Reginis, omnibusque benefactoribus nostræ Ecclesiæ.* Et quidem solliciti semper fuere patres nostri, ut memoria potissimùm Childeberti fundatoris nostri sollemnis in hac regali Basilica haberetur. Depositionem ejus in Martyrologio inscripsit Usuardus, celebris hujus loci Monachus sæculo nono. Inter præcipuas verò anni sollemnitates recensetur *anniversarium Childeberti Regis* in præcepto Caroli Calvi pro divisione bonorum Monasterii sancti Germani, quibus Abbas *irrefragabiliter* Monachis refectiones debebat. In libro benefactorum hujus monasterii anno MCCLXX. compilato inter alia hæc leguntur. *In die anniversarii domni Childeberti Regis procuratio fieri debet ab Abbate. . . . tantò largior, quantò ille pro quo fit munificentior fuit in distributione possessionum, et rerum sustentationi Ecclesiæ assignatarum.* In veteribus libris Abbati injunctum erat hac die sollemniter celebrare, aut Vicario ejus, si ipse non posset, committere vices suas. Quanta autem sollemnitate Anniversarium istud, die scilicet 23. Decembris, fieret, ex antiquis Monasterii constitutionibus discimus, quas piissimus Abbas Guillelmus in unum corpus collegit. Pridie omnes omninò Monachi in Capitulum convenire tenebantur, ibique annuntiata ex Martyrologio piissimi fundatoris anniversaria commemoratione, preces in communi fundebantur pro requie ipsi concilianda; atque tunc omnes omnium turrium campanæ *pro tanto patrono sollemniter* pulsabantur. Deinde Regis sepulcrum ornabatur pannis, multisque cereis circumdabatur, ex quibus unus ceteris multo major ab hac hora usque ad Completorium subsequentis diei persolutum jugiter ardebat. Vesperæ defunctorum, tum Vigiliæ, ac postridie majus sacrum, præter Missas privatas, quàs omnes à singulis pro fundatore celebrari injunctum erat, ut in Festis sollemnioribus, ab Abbate celebrabantur, in quibus incensabantur altaria, tum ipse Regis tumulus : atque in eo officio ornamenta tam celebrantis et sacrorum Ministrorum, quàm et ceterorum Officialium pretiosiora erant, et purpurei coloris. Completo officio, *ad Dasium*, quod in refectorio erat, panis et vinum ceteraque obsonia ministrabantur : quæ omnia triginta pauperibus eleemosyna distributa concludebat. Quam Anniversarii sollemnitatem, etsi in nonnullis mutatam, hodieque celebramus.

HADR. VALESII EPISTOLA

DE DAGOBERTO SIGIBERTI III. FILIO.

SIGIBERTUS Dagoberti majoris filius, Austrasiorum Rex, qui ineunte XXI. ætatis anno decessit, Dagobertum filium trimulum aut quadrimum moriens Grimoaldi Præfecti Palatii fidei commendaverat, ut ipsius potissimùm opera et auctoritate in paternum regnum eveheretur. At ille puerum vel potiùs infantem injuriæ obnoxium, tonso capite Clericum fecit, et per Didonem Pictavorum Episcopum nefandi consilii auctorem, in Scotiam majorem Hiberniamve Scottorum insulam peregrinaturum, aut veriùs perpetuò exsulaturum misit : ac in locum insontis parvuli Childebertum filium suum substituit. Hoc tantùm de Dagoberto isto, nec quidquam ampliùs refert Auctor Gestorum Francorum : quem ceteri nostri Chronographi et Biographi sunt secuti, in primis Notegarius Leodicensis Episcopus in Vita Remacli, Ademarus Cabannensis, Hariulfus Monachus Centulensis, Sigebertus Gemelacensis. Nec cùm è veteribus tum è recentioribus nostris Historicis hactenus repertus est

quisquam, qui Dagoberti post deportationem ejus in Scotiam mentionem ullam faceret. Omnes Regium infantem desertum à suis, ignotum, egentem, extorrem regno patrio, apud exteros periisse Monachum existimabant. Unus solummodò scriptor Vitæ B. Audoëni, non magni faciendus, Dagobertum Regis Sigeberti filium, qui ab Grimoaldo tonsus ac in exsilium missus fuerat, Rotomagi in suburbana Basilica S. Petri Apostoli sepultum esse affirmabat. Primus ego anno MDCXLVII. ex Willelmo Malmesburiensi Monacho, seu potiùs ex Stephano Presbytero, et ex Vita S. Salabergæ ab Auctore gravi veterique compositâ didici observavique, Dagobertum regno ac domo expulsum factione Procerum, ex Hibernia in insulam Britanniam transisse, et à Wilfrido Eboracensium Episcopo opulentissimo hospitaliter exceptum, ac viris equisque instructum in patriam revertisse : cujus beneficii memor, Wilfrido posteà Romam petenti pro Eboracensi Diœcesi ipsi erepta, Argentoratensis Ecclesiæ Episcopatum detulerit : atque eumdem cum Theodorico fratre patrueli in Neustria ac Burgundia regnante bellum de finibus gessisse, prœliumque circa urbem Lingonas commisisse. Quare in Præfatione Tomo II. Rerum Francicarum præfixa, et in libro XXII. dixi, à Vulfoaldo Majore-domûs regiæ post Childerici cædem domum reverso, et à ceteris Austrasiorum Optimatibus Dagobertum ex Hibernia Scotorum insula revocatum, et in regnum patrium restitutum mihi videri. Stephano Presbytero apud Willelmum, et Scriptori Vitæ S. Salabergæ de restitutione Dagoberti referentibus, quem tertium adjungerem, Auctorem nuper inveni. Nam cùm scriptum codicem quemdam Monasterii Regalis-montis nuper evolverem, incidi in Vitam B. Memmii Episcopi Catalaunici, Vitâ ejus à Francisco Bosqueto editâ emendatiorem, et adjectis etiam miraculis auctiorem : in qua de Memmio Episcopo Catalaunorum, de Donatiano Diacono ejus, Domitianoque Subdiacono, et de Monachis in Catalaunica Basilica S. Memmii atque ad sepulcrum B. Antistitis Confessorisque psallentibus hæc reperi : *Postquàm tantis effulsit virtutibus et miraculis Deus per servos suos* (Memmium, Donatianum ac Domitianum) *claruitque; novissimo tempore in anno secundo sub imperio Dagoberti Regis, (ipse est, qui post longam pressuram reversus est ad propria regna) in mense* V. *in* V. *die mensis, secundâ vigiliâ noctis cùm ei Nocturnos Fratres celebrantes adstarent, sic res nova nec anteà umquam visa ad caput sancti Sepulcri, ut Patrem se Apostolicumque eo tempore declararet, apparuit : precibus cœlum aperiens, quod nec tribus mensibus pluerat super terram. Dum et vehemens fremebat siccitas, ita ut omnes putei in pulverem redacti sint : sic Deus mox terram irrigavit et compluit, et aquam quæ descenderat, ab imo per pedes* XL. *ad sublimia conscendere fecit, et eam usque ad* IV. *vigiliam desuper fontem manare fecit, ut omnes vigilantes viderent, et tremerent omnes Fratres uno voto concinentes. Consummata est quidem ea nocte Vigilia, et celebrata festivitas. Verùm ab ipsa die usque ad diem octavam nullatenus cantus cessavit psalmorum in una fide pulsantium in nomine Jesu Christi Domini nostri.* Tum Auctor multa de eo fonte qui manavit ad Sepulcrum S. Memmii; et de duobus claudis seu debilibus, et de cæca muliere ad hunc fontem manantem seu ad tumulum S. Memmii curatis paucula cùm dixit, subjicit : *Ex illa die dæmones ibidem declarati, et ibidem effugati, et alia multa similia, et virtutes, quas enarrare visum non est et enumerare, longumque per ordinem texere. Verùm ea quæ vidimus, hæc scripsimus et narramus.* Quibus ex verbis facilè cognoscitur, Scriptorem istarum B. Memmii virtutum Vitæ ejus adjectarum, æqualem Dagoberti nostri Austrasiorum Regis, et Catalaunici Monasterii beati Memmii Monachum fuisse : atque anno II. regni Dagoberti quo anno fons iste manare cœpit, eumdem floruisse : et *quinto die mensis* sexti potiùs quàm V. id est Nonis Augusti, quo die natalis S. Memmii celebratur, supradictum miraculum accidisse. Regis autem Dagoberti imperii annum Auctor miraculo præfigit, propterea quòd Catalauni, nec non Remi, Campaniæ Remensis urbes, jam inde à Theodorico Chlodovei Magni filio Austriæ Regibus parebant : et omnes sciunt Historicos ac Biographos sui quemque Principis regni annos suis in libris adnotare consuevisse. Ceterùm ut Dagobertum nostrum à duobus cognominibus Francorum Regibus, nimirum ab avo suo Dagoberto majore, et à Theodorici fratris sui patruelis nepote distingueret, his Monachus utitur verbis : *Ipse est, qui post longam pressuram reversus est ad propria regna.* Dagobertus qui medius inter duos ejusdem nominis Reges regnavit in Francia, meliùs à quoquam ulla ratione designari non potuit. Quippe post diuturnam summamque calamitatem et inopiam, post miseram peregrinationem vel potiùs post XXIII. circiter annorum exsilium revocatus à Proceribus Austrasiis, et in regnum paternum est restitutus. Regnum Austriæ, *imperium Dagoberti Regis et propria regna* vocat Monachus Memmianus, quia Austria, sicut quondam imperia Romanum et Persicum, præter aliquot provincias et urbes Galliæ opulentas et claras, multa ac ingentia trans Rhenum regna in Ducatuum formulam ab Chlodovei Maximi filiis redacta continebat; videlicet Alamanniam aut Sueviam, duos in Ducatus divisam, Alamannorum et Austrasiorum seu Francorum Orientalium; Bajoariam, Toringiam, Frisiam, partem Saxoniæ, plurimosque alios Germaniæ pagos atque latissimas regiones. Hunc de Dagoberti in Austriam reditu atque regno unum et unicum versum æqualis Scriptoris tam eximium, tam illustrem, tam apertum, tibi, Lector Historiæ studiose, diutiùs ignotum esse nolui, et tametsi hujus loci non erat, nec ad Berengarium Aug. aut ad Rotbertum Regem Francorum quidquam pertinebat, Notis meis ex occasione quamprimùm subjiciendum putavi; ne thesaurum, dum latet nihil profuturum, tibi viderer abscondidisse; neu illustrem Francorum Regem, tamdiu nostris incognitum, clarissimo et verissimo gravissimi et vetustissimi Auctoris testimonio fraudarem; neu demum (ut jam mihi sæpius contigit) à quoquam in hujusce saltem observationis editione prævenirer, atque posteà ad rem repetendam miserrima necessitate compellerer. Fruere meis lucubrationibus, candide Lector, et vale.

INDEX

INDEX GEOGRAPHICUS.

Litteræ quæ Numeros sequuntur, denotant litteras positas in margine interiori, vel intra columnas : littera n *Notas indicat.*

A.

Abari. 72. b. d. Abari-Chuni. 441. a. *Vide* Avares.
Abtensis civitas. 11. d. col. 2. *Apt.*
Abrincatæ urbs. 344. a. Abrincatarum civitas. 2. b. col. 1. Abrincatum civitas. 4. c. 9. a. col. 2. 10. c. col. 1. *Avranches.*
Abucini portus. 2. n. 5. e. 9. d. col. 2. 11. b. sol. 1. *Port-sur-Saône.*
Acaunense Monasterium. 14. d. *S. Maurice. Vide* Agaunense Monasterium.
Acuciacum villa. 592. d.
Adala, Diablintum civitas. 4. d. *apud Cenomannos.*
Adartense territorium. 624. n.
Adix, fluvius. 456. c. 575. b. *l'Aude.*
Adpiecum villa in pago Pinciacensi. 658. e.
Adriaticum mare. 60. b.
Adtorensium civitas. 3. b. col. 2. *Aires.*
Aduaca, urbs Tungrorum. 161. n. *Tongres.*
Adura. 305. n. 344. n. *Aires.*
Ædua civitas. 630. c. Æduorum civitas. 630. d. *Autun.*
S. Ægidii oppidum, *Saint-Gilles.* 456. n.
Ægircius fluvius; ejus descriptio. 475. e. Auscorum caput alluit. 475. n. *le Gers* aut *l'Egers.*
Ægyptus superior et inferior. 444. c.
Ælia seu Hierosolyma. 146. d.
Æmilia. 16. a. n. 20. b. 55. c. 62. c. Gallia Cisalpina dicta. 635. a.
Æmiliani palatium in Levitania. 457. n.
Ænus fluvius, *In* seu *Inn.* 459. n.
Africa. 27. c. 29. d. 81. 157. d. 363. d. 444. c. 639. a. 648. e. 702. b. 704. c. e. 705. d.
Agareni. 586. c. qui et Sarraceni. 438. c.
Agatha. 719. d. 720. a. urbs in regno Gothorum sita. 266. a. Agathe. 711. c. urbs famosissima. 457. a. 575. c. 646. a. 675. a. Agathensis urbs. 348. b. Agathensis civitas. 718. a. Agathensium civitas. 3. a. col. 1. 7. b. 8. d. col. 1. 11. c. col. 2. *Agde.* Agathenses. 266. b
Agaunense Monasterium. 188. b. 402. c. 407. a. 417. b. 495. a. 556. a. 589. b. 593. c. 667. b. c. ejus situs. 188. n. *S. Maurice.* Agaunenses Monachi. 17. d. 465. d. Agauni sancti. 189. a.
Agennenses. 350. e Agennensis urbs. 307. c. Agennensium civitas. 3. a. col. 2. b. n. 8. b. col. 2. 11. a. col. 2. Agennum. 410. c. *Agen.* Agennensis pagus. 435. c. 584. b. *l'Agenois.*
S. Agerici Monasterium Virduni. 347. n. *S. Ary.*
Aginnensium civitas. 6. d. Aginnum. 274. a. 343. b. *Agen.*
Agrippina. 164. a. 165. a. 666. d. Agrippina civitas. 546. b. 649. d. Agrippina Colonia. 485. d. Agrippinensis civitas, quæ Colonia dicitur. 278. b. 411. a. Agrippinensis Colonia. 164. a. Agrippinensium civitas. 1. a. col. 2. Agrippinensium civitas metropolis. 2. b. col. 2. 5. c. 9. c. col. 1. 10. d. col. 2. *Vide* Colonia, *Cologne.*
Alamanni. 49. e. 53. 60. c. 157. a. 166. a. 171. a. 176. d. 177. a. 182. d. 400. b. 439. d. 454. c. 462. a. 464. c. 542. c. col. 1. 543. a. b. col. 2. 551. 573. b. 587. b. 645. c. 650. a. 666. d. 674. a. 675. e. 680. b. 681. d. 686. d. 687. d. 728. d. col. 2.
Alamanni Gallias incolentes prope Lemannum Lacum. 30. c. n.
Alamannia. 574. b. 576. a. 640. c. 642. 643. a. 646. b. 654. a. 656. c. 662. c. 672. a. 684. b. 686. a. 687. d. 694. a.
Alamannia seu Suavia. 458. a. seu Suevia. 572. e. 728. d. col. 2.
Alani. 25. b. 27. a. 81. 163. b. 166. a. 171. n. 464. 542. c. col. 1. 543. a. b col. 2. 648. 649. a. 663. e. 703. e. 704. c.
Alani trans Ligerim considentes. 26. e.
Alateum-Villare, situm in agro Parisiaco. 586. d.
Alba Helviorum. 379. n. *Viviers.*
Albensium civitas. 2. d. col. 2. Albensium civitas, Vivarium, Vivaria. 6. b. 8. c. col. 1. *Viviers.*
Albiga civitas. 86. Albige. 344. a. Albigensis civitas. 183. a. 283. c. Albigensis urbs. 159. e. 294. a. 332. e. Albigensium civitas. 6. d. 11. e. col. 1. *Alby.* Albigenses. 187. n. Albigensis ager. 435. n.
Albinganum. 440. d. *Albenga.*
S. Albini Basilica. 275. d.
Albioderum vicus. 445. b.
Albis, fluvius Thoringiæ. 635. a.
Alesaciones. 427. b. *Ceux d'Alsace.*
Alexandria. 444. c.
Alingaviensis vicus. 384. d. *Langey.*
Aliud, Diablintum civitas. 4. d. *apud Cenomannos.*
Allobroges. 725. d. col. 2.
Allocium, Alogium, vicus ad Lidericum amnem, vulgò *Alluye.* 229. n.
Alpes Galliam ab Italia dividunt. 30. a. 37. d.
Alpes Cottiæ. 43. c. 62. d. 654. c.
Alpes Graiæ et Penninæ. 1. a. col. 2. habent civitates duas. 6. a. 9. d. col. 2. civitates quatuor. 2. c. col. 2. 11. b. col. 1.
Alpes Maritimæ. 2. a col. 1. 36. n. habent civitates octo. 3. b. col. 2. 7. d. 8. d col. 2. 11. e. col. 2.
Alpes Pyrenææ. 509. c.
Alpes. 459. b. Vosagi montes.
Alpiccum, villa in pago Pinciacensi. 658. e.
Alsacii. 427. b. *Ceux d'Alsace.*
Alsatia. 427. n. 430. c. 640. c. *Alsace.*
Alsuca. in Italia. 636. c.
Alteia fluvius, *l'Autie.* 450. n.
Altricum Autisiodorensium civitas. 9. n. *Auxerre.*
Alverstetensis civitas. 10. c. col. 2.
Amatissa fluvius, *l'Amasse.* 181. n.
Ambaciensis vicus. 181. a. 385. a. *Amboise.*
Ambianensium civitas. 2. a. col. 2. 5. b. 9. b. col. 1. 10. c. col. 2. Ambianum. 187. n. *Amiens.*
Ambibarii, Armoricæ populi. 481. n.
Amblava. 453. d. 571. d. 645. b. 655. a. 671. b. 682. e. 683. a. locus in finibus Tungrorum.
Amblava fluvius, *Ambief*, non procul à Stabulensi Monasterio. 453. n.
Ametegis vallis. 431. b.
Amnia insula. 574. d.
Ampsivarii, Franci. 76. 77. 165. n. Ampsuarii. 165. b.
Anagnis, castrum supra Tridentum. 635. c.
Andegava urbs. 369. a. 372. b. Andegavensis civitas. 639. a. Andegavi urbs. 77. 170. c. Andegavis civitas. 454. c. 546. d. 574. b. 645. c. 649. d. Andegavis urbs. 228. b. 331. c. 372. b. 397. d. 640. a. 659. c. 673. e. 684. e. Andegavorum civitas. 2. c. col. 1. 4. c. 9. b. col. 2. 10. d. col. 1. Andegavum urbs. 87. 170. c. 187. n. 397. d. *Angers.*
Andegavense territorium. 342. c. Andegavensis pagus. 589. b. Andegavum. 297. a. 331. e. Andegavus terminus. 239. b. *l'Anjou.* Andegavi, populi. 250. b. 281. c. 409. b. 641. c.
Andelaum. 343. 418. b. 428. a. *Andelot,* castrum in Lingonensi diœcesi.
Andelaum, castrum Vosagi saltûs versus Alsatiam, *Andelaw.* 343. n.
Andelaum, Andeleïs et Andilegium, vulgò *Andely*, Diœcesis Rothomagensis oppidum. 343. n.
Andelaum Monasterium, *Andely.* 343. n.
S. Andreæ Monasterium, Romæ. 362. n. S. Andreæ Ecclesia apud Arvernos. 219. a.
Andresius fluviolus, *l'Indrois.* 388. n.
Andria fluvius, *l'Indre.* 170. n. 384. n.
Anger fluvius, *l'Indre.* 282. n.
Angera, limes diœcesium Carcassonensis et Elnensis. 719. d.
Anges, limes diœcesis Lutevensis. 719. d.
Anglariæ in pago Pictaviensi. 589. b.
Angli. 42. a. 535. e.
Angora, limes diœcesium Magalonensis et Nemausensis. 719. d.
Angosa, limes diœcesis Carcassonensis. 719. d.
S. Aniani Basilica, Aurelianis. 342. c. 434. d.
Anicium. 380. c. *le Puy en Velay.*
Aninsula, Monasterium Cenomannicum. 239. b. 563. a. 668. d. *Saint-Calais.*
Antepolitana civitas. 3. b. col. 1. 7. n. *Antibe.*
Antiochia urbs Syriæ. 16. b. 379. b. 419. a. urbs Ægypti. 223. b.
Antipolis. 36. n. Antipolitana civitas. 7. d. 8. a. col. 2. 11. e. col. 2. *Antibe.*
Antiqua, civitas. 10. d. col. 2.
Antonnacum. 429. a. Antonnacense castellum. 527. c. *Andernach*, oppidulum inter Bonnam et Confluentes.
Apamia, urbs Syriæ. 223. b.

Apenninus mons. 62. c. 64. a.
Appianum, castrum in territorio Tridentino. 636. c.
S. Apri Ecclesia. 434. b. in suburbio Tullensi. *S. Evre.*
Aptensium civitas. 3. b. col. 1. 7. c. 8. a. col. 2. *Apt.*
Apulia. 46. n. 60. b.
Aquæ-Sextiæ. 36. n. Aquense municipium. 467. d. Aquensis urbs. 273. d. Aquensis, Aquensium civitas metropolis. 3. b. col. 1. 7. c. 8. a. col. 2. 11. d. col. 2. Aquis. 1. b. col. 2. Aquenses. 226. c. Aquensis Ecclesia. 467. d. *Aix.*
Aquæ Tarbellicæ. 305. n. Aquensis urbs. 305. c. Aquensium civitas. 3. a. col. 2. 7. a. 8. c. col. 2. 11. b. col. 2. *Acqs.*
Aqualisinensium civitas. 8. c. col. 3. *Angoulême.*
Aquaputta, in pago Parisiaco. 590. a.
Aquelinensium civitas. 3. a. col. 2. *Angoulême.*
Aquileia. 163. b. 633.
Aquilina silva. 387. n. *la forêt d'Iveline.*
Aquilisma. 3. a. col. 2. *Angoulême.*
Aquitani. 680. b.
Aquitania. 576. a. 584. b. 599. c. 634. b. 639. a. 640. 645. d. 646. e. 648. d. 655. d. 661. a. 671. d. 674. c. 684. c. 686. c. 687. b. 694. e. 702. b.
Aquitaniæ regio. 458. c. Aquitanica provincia. 436. a. Aquitanica terra. 667. a. Aquitanicum regnum. 701. b. Aquitanicus axis. 472. c. Aquitania gemina. 174. n. Aquitania Austrasiana. 435. n.
Aquitania I. 1. b. col. 2. habet civitates octo. 3. b. col. 1. 6. c. 8. a. col. 2. 11. e. col. 1.
Aquitania II. 1. b. col. 2. 84. 701. b. c. habet civitates septem. 6. d. civitates sex. 3. c. col. 1. 8. b. col. 2. 11. a. col. 2.
Arabes. 721. b. c.
Araris fluvius. 178. b. 252. c. 325. a. cognominatus Saoconna. 448. d. Saogonna. 429. d. *la Saône.*
Arausicorum civitas. 2. e. col. 2. 6. b. 8. c. col. 1. 11. c. col. 1. *Oranges.*
Arborychi, iidem qui Armorici. 30. c.
Arciaca. 407. b. 420. n. *Arcy sur Aube.* Arciacensis Campania. 420. c.
Arcuatus-pons. 659. n. *Pont de l'Arche.*
Ardenna. 428. b. 432. a. 441. d. 512. d. 567. d. 571. d. 582. d. 583. b. 601. d. 655. a. Ardoennensis silva. 322. b. Arduenna silva. 453. d. 671. a. 682. d. *la forêt des Ardennes.*
S. Aredii oppidum in Lemovicibus, *Saint-Yrier.* 382. n.
Arelas, nobilissimum Galliæ oppidum. 701. b. Arelate. 41. b. 161. c. 217. e. 406. a. 639. b. 655. d. 685. a. 704. d. Arelatensis urbs. 149. a. 198. c. 469. n. Arelatensium civitas. 2. e. col. 2. 6. c. 8. d. col. 1. civitas metropolis. 11. d. col. 1. Arelatum. 12. e. 27. c. 36. n. 456. a. 464. b. 574. e. 649. c. 701. e. 721. n. *Arles.*
Arelatense Monasterium. 216. c. Arelatensis diœcesis. 435. n. Arelatensis provincia. 205. d. 226. b. 326. c. 337. b. 380. b. 656. a. b. Arelatense cœmeterium. 721. n.
Arelaunum silva. 199. n. 558. a. 565. c. 659. d. *la forêt de Bretonne*, non procul à Fontanellensi Monasterio.
Arelaum villa. 422. a. non procul à Fontanellensi Cœnobio.
Arenæ urbis Nemausensis. 712. e. 713. a.
Argentariense castrum. 5. e. Argentariensis civitas. 2. n. *Colmar.*
Argentina civitas. 10. c. col. 2. 692. c. *Strasbourg.*
Argentora civitas. 9. c. col. 1. *Strasbourg.*
Argentorate (seu potiùs Argentariense) castrum. 2. c. col. 2.
Argentoratensis urbs. 486. n. quam nunc Strateburgum vocant. 378. a. Argentoratensium civitas. 2. b. col. 2. 5. c. Argentoratum. 86. 183. n. 353. n. *Strasbourg.* Argentoratensis Ecclesia. 728. b. col. 1.
Argentunense castrum. 9. d. col. 2. *Vide* Argentariense.
Ariminum. 57. e. in Gallia. 635. a.
Arisitensis vicus. 235. d. in diœcesi Ruthenica. Arisitum. 85.
Arlaunum foreste. 659. d. *Vide* Arelaunum.
Armenia. 379. b.
Armorici Francorum sedes contingebant. 30. b.
Armoricus, seu Armoricana regio. 481. c. ejus populi. 481. n.
S. Arnulfi oppidum in silva Aquilina. 387. n. Basilica Mettis. 453. a. 681. c. Monasterium Mettis. 437. n.
Aroanna fluvius. 420. d. 565. c. Ruinartio *Ouaine*, meliùs Abbati le Beuf *Orvanne.*
Aroëna fluviolus, in Cenomanis. 420. n.
Arola fluvius in Ledum influens, *l'Aigre.* 420. n.
Arola fluvius. *l'Ar.* 420. n.
Arrabo, fluvius Hungariæ. 199. n.
Arverna civitas. 27. b. 491. d. Arverna urbs. 192. a. 286. c. 321. a. 367. b. Arvernas urbs. 27. c. Arvernica civitas. 219. c. Arverni urbs. 402. c. Arvernis civitas. 556. e. Arvernis urbs. 169. b. 170. a. Arvernorum civitas. 3. c. col. 1. 6. c. 8. b. col. 2. 11. e. col. 1. Arvernum urbs. 207. c. 209. b. 367. e.
Arverna regio. 325. d. 466. e. Arverna Ecclesia. 218. d. Arverna Lemane. 191. b. *la Limagne d'Auvergne.*
Arverni, populi. 183. a. n. 279. b. 406. a. in Aquitania I. 187. n.
Arvernicus ager. 435. n. *l'Auvergne.*
Arvernis, seu Arvernia. 129. a. col. 2. 131. a. col. 2.
Arvernum, seu Arvernia. 168. d. 198. d. 213. b. 227. b. e. 466. c. 554. d.
Arvernus populus. 211. b. 725. d. col. 1. Arvernus terminus. 367. a.
Arula fluvius. 420. c. *l'Aigre,* in Ledum influens.
Asia. 29. d. 394. c. 461. b.
Asperianum villa in diœcesi Biterrensi. 715. e. *Aspiran.*
Astensis civitas. 638. c.
Astituecense castrum. 7. c. Astituensium civitas. 8. d. col. 1. *Usez.*
Astracha insula. 574. d.
Astures. 705. d. 719. b. Asturica. 704. d.
Atanense Cœnobium prope Lemovicas. 90. 318. n. 382. n. *S. Yrier la Perche.*
Atax fluvius. 456. n. 509. d. *l'Aude.*
Athesis fluvius. 72. a.
Atrabatum civitas. 2. c. col. 1. 5 n. Atrebatum civitas. 5. a. Atrevatum civitas. 9. b. col. 1. Atrobatum civitas. 10. b. col. 2. *Arras.* Atrebatense territorium. 661. d.
Attiniacum. 641. c. *Attigny* ad ripam fluminis Axonæ.
Aturensium civitas. 7. a. 11. b. col. 2. Aturiensium civitas. 8. d. col. 2. *Aires.*
Avallocium, Carnotensis vicus. 229. c. *Alluye.*
Avares. 19. c. Avares qui et Hunni. 72. n. 217. n. 432. a. b. 436. c. 634. e. 637. d. Avari. 585. c. 587. b.
S. Audoëni Monasterium in suburbio Rothomagensi. 452. n.
Audomari Monasterium. 662. e.
Avenio. 36. n. 178. c. 279. b. 400. d. 410. c. 457. b. urbs munitissima ac montuosa. 456. b. 575. civitas super Rhodanum. 552. e. Avennica urbs. 217. e. 218. b. 310. c. 379. a. Avennica civitas. 278. c. Avennicorum civitas. 2. e. col. 2. 6. b. 8. d. col. 1. 11. d. col. 1. Avenniensis civitas. 272. a. Avennio. 674. c. d. *Avignon.* Avennici muri. 266. a. Avennicum territorium. 225. b. 226. b. 406. d. *Vide* Avinio.
Aventicum. 462. a. Helvetiorum caput. 124. 427. n. Helvetiorum civitas. 2. c. col. 2. 5. d. e. Aventicus Helvetiorum civitas. 5. d. e. Elvitiorum civitas. 9. c. col. 2. 11. a. col. 1. *Avenche.* Aventicense territorium, Aventicensis pagus. 427. c.
Avera fluvius, *Yeure.* 281. n.
Augusta. 431. b. Augusta Prætoria, civitas Alpium Graiarum. 11. c. col. 1. *Aoust.*
Augusta Rauracûm, urbs Burgundiæ. 192. n. *Augst.*
Augustana civitas. 2. d. col. 2.
Augustensis civitas, id est, *Ciesburc.* 10. d. col. 2.
Augustidunum. 616. 617. *et seqq.* Augustodunum. 15. n. 192. a. 436. b. 585. c. 628. e. 655. c. Burgundiæ urbs. 192. n. Augustodunensis urbs. 465. b. 467. e. Augustuduna urbs. 615. c. Augustudunensis urbs. 612. a. Augustudunum. 44. d. 448. a. *Autun.* Augustodunense Monasterium. 357. b.
Augustoritum, caput Pictonum. 32. n. *Poitiers.*
Avinio. 14. b. 308. c. 315. a. 401. a. 656. b. 661. a. e. in Marca Childeberti Regis. 19. a. castrum munitissimum. 685. b. c. Avinnio. 645. d. *Vide* Avenio, *Avignon.*
Aviticorum civitas, Aventicum. 5. d. *Avenche.*
S. Aviti Ecclesia, Aurelianis. 314. b.
Aurea civitas. 1. a. col. 2. *Besançon.*
Aurelia. 187. n. 666. c. Aurelianæ urbs. 573. a. Aureliani urbs. 13. b. 161. c. 170. c. 668. a. Sedes Guntramni. 214. b. Sedes Theoderici I. 401. d. 420. b. Aurelianis urbs. 397. d. 402. b. 404. c. 422. a. 434. d. 437. c. 458. c. 462. d. 544. c. col. 2. 546. c. 560. a. 586. b. 599. a. 649. d. 650. b. 651. a. c. 684. a. in Burgundiæ regno. 447. b. 594. c. Aurelianensis civitas. 252. d. 556. b. 634. e. Aurelianensis urbs. 189. a. 311. c. 313. 335. a. 352. a. 354. b. Aurelianorum civitas. 2. d. col. 1. 4. e. 9. e. col. 2. 10. a. col. 2. Aurelianum urbs. 77. 665. c. *Orleans.* Aurelianenses. 290. c. 300. b. 302. a. Aurelianense territorium. 399. b. Aurelianensis pagus. 590. a. Aurelianis pagus. 556. b. *l'Orléanois.*
Auriliana civitas. 409. d. Aurilianorum civitas. 2. d. col. 1. *Orleans.*
Aurilianum silva. 558. a. *Vide* Arelaunum.
Ausciensis urbs. 378. d. Ausciorum civitas. 3. a. col. 2. civitas metropolis. 6. e. 8. c. col. 2. 11. b. col. 2. Auscium in Novempopulania. 174. n. *Ausch.*
Ausonensis civitas. 710. a.
Auster pro Austria. 405. b. 428. d. 429. a. 430. b. c. 433. c. 434. c. *et seqq.* 442. c. 445. c. 458. a. 558. d. 559. a. 563. d. 567. c. 569. b. 570. b. 613. a. 653. 690. c. *et alibi passim.*
Austeris pro Austria. 442. a.
Austrachia. 455. c. 574. n. hodie Ostergoa.
Austrasia. 572. e. 588. c. 598. b. 600. a. 662. c. 682. b. pars Franciæ versus

Septentrionem et Orientem. 600. n. Austrasiæ regnum ; ejus magnitudo. 432. n. Austrasiana Aquitania. 435. n.
Austrasii. 407. e. 428. a. 429. c. 432. a. 435. n. 439. d. 442. b. 452. b. 564. c. 565. a. 567. a. 570. a. 588. c. 646. c. 653. a. 654. b. 669. a. b. 673. d. 682. c. 684. b. 692. b. Franci superiores. 558. d. 583. a. Franci Orientales. 728. d. col. 2. Austrasiorum regnum. 434. a. 439. c. 441. d. 442. c. 447. a. 583. a. 588. a. 599. d. 607. d. 652. a.
Austria. 565. b. 569. b. 572. a. 583. a. 586. a. 588. c. 604. 605. 652. 653. 655. b. 656. c. 678. a. 686. a. 693. c. e. 721. b. 728. d. col. 2. Germanicum regnum. 214. n. pars Franciæ. 458. n. Francia Orientalis. 405. n.
Autisioderum. 408. d. 436. b. Autisiodorum. 4. d. 10. a. col. 2. 96. 187. n. 447. d. Autisiodorensium civitas. 2. d. col. 1. 9. c. col. 2. Autissiodorum. 585. c. *Auxerre*. Autisiodorense territorium. 241. c. *l'Auxerrois*.
Autricum civitas. 4. e.
Autura fluvius, *l'Eure*. 299. n.
Auxis. 720. n. *Ausch*.
Axia, oppidum in Lemovicibus. 641. n. *Aixé*.
Axona fluvius. 286. a. 429. c. 512. c. *l'Aisne*.

B.

Babel civitas. 141. b.
Babenbergensis civitas. 10. d. col. 2.
Babylonia à Nembrot ædificata. 141. c.
Babylonia altera. 142. d. *hodie Cairum*.
Baccis, vulgò *Bex*, vicus non longè ab Agaunensi Monasterio situs. 18. d. n. 407. a.
Bacium villa. 569. d. 652. e. Bacivum. 450. c. 569. n. vicus *Baisiu* prope Corbeiam.
Badebrunnensis civitas. 10. c. col. 2.
Bagassini. *Vide* Baiocassini.
Bagoaria. 458. b. 459. a. Bagoarii. 459. d. 460. a.
Bajoaria. 573. b. 576. d. 587. c. 642. e. 643. b. 644. b. 646. b. 647. d. 671. c. 672. b. c. 686. b. e. 687. a. 689. b. 694. a. 728. d. col. 2. pars Franciæ. 458. n.
Bajoarii. 100. 441. a. 573. b. e. 587. c. 641. c. 645. c. 671. c. 672. b. 647. a. 677. d. 680. b. 686. d. 687. a. 689. e. 700. b. Bajoarenses fines. 454. c. 574. b.
Baiocassini. 250. b. 409. b. Baiocassini-Saxones. 368. c. 409. b.
Baiocassium civitas. 2. n. 4. c. 9. a. col. 2. 10. c. col. 1. Baiogas civitas. 2. b. col. 1. *Baieux*.
Baionna, *Baionne*. 344. n.
Balatedo vicus. 386. c. *Balan*, haud procul à Cari fluvio.
Bannaga insula. 658. e.
Barbara insula provinciæ Lugdun. 670. b. *l'Isle-Barbe*.
Barcilona. 702. a. b. 704. c. e. Barcino. 701. a. Barcinona. 191. n. 401. e. 403. a. 648. e. 650. b. 655. a. 702. c. 710. b. 717. d. 719. d.
Barrenses. 397. a. Barrensis pagus. 397. n.
Barrum castrum. 397. a. Barrum Ducis, ad Albam, ad Sequanam. 397. n.
Basilea, Basiliensium civitas. 9. d. col. 2. 11. a. col. 1. Basilia, Basiliensium civitas. 2. c. col. 2. 5. e. *Basle*.
Bavaria. 694. a. Bougarenses fines. 574. b. Bawaria. 686. b. *Vide* Bajoaria.
Beccense Monasterium. 103. *le Bec*.
Beelsephon. 143. b.
Begorra, castrum. 8. d. col. urbs. 344. d. *Tarbes*.
Belgica I. 1. b. col. 1. 3. e. 8. a. col. 1, 10. a. col. 1. habet civitates quatuor. 2. d. col. 1. 4. e. 9. a. col. 1. 10. a. col. 2.
Belgica II. 1. b. col. 1. in ea transitus in Britanniam. 3. e. 8. b. col. 1. 10. b. col. 1. habet civitates duodecim. 2. e. col. 1. 5. a. 9. a. col. 1. 10. b. col. 2. Belgica Gallia. 634. b.
Belica, urbs, *Beley*. 189. n.
Bellavorum civitas. 3. c. col. 1. *Vide* Vellavorum civitas.
Belloacorum civitas. 2. a. col. 2. Bellovacorum civitas. 5. n. 10. c. col. 2. Bellovacum. 187. n. Bellovagorum civitas. 9. b. col. 1. *Beauvais*. Belloacensis pagus. 658. d. *le Beauvaisis*.
Bellum-quadrum, *Beaucaire*. 325. n.
Bellus-mons, Monasterium prope Turonos. 351. n. *Beaumont lez Tours*.
Belsa, locus ubi occisi filii Sigismundi. 189. c.
Belsonancum villa in medio Arduennæ silvæ. 322. b. *Bastoigne*.
Belvacensium civitas. 5. n. Belvagorum civitas. 5. b. *Beauvais*.
Benacus lacus. 634. d.
Benarna urbs. 337. a. Benarnus, Benarnensium civitas. 3. b. col. 2. 7. a. 8. d. col. 2. 11. b. col. 2. Benarnum urbs. 344. d. *Lescar*.
S. Benigni Ecclesia in suburbio Divionensi. 448. d.
Beorretana urbs. 336. d. *Tarbes*.
Berberis fluvius. 133. n.
Bergomum. 27. n.
S. Bernardi mons. 188. n.
Berravensis pagus urbis Turonicæ. 274. b. Berraum vicus. 386. *Barou*, inter Crosam et Clasiam fluvios.
Berre fluvius. 656. c. *Vide* Birra.
Besanciacum civitas metropolis. 9. c. col. 2. *Besançon*.
Besuense Monasterium prope Divionem, *Beze*. 436. n.
Beteris, urbs Gothorum famosissima. 575. c. Beterris. 719. d. Beterrensium civitas. 3. a. col. 1. 7. b. *Beziers*. Beterrense territorium. 715. e. 718. a.
Bethleem, David oppidum. 145. a.
Betica. 648. e. 649. a. 704. c.
Betoricorum civitas metropolis. 3. b. col. 1. Betorica. 397. d. Beturicæ urbs. 1. b. col. 2. Beturigæ urbs. 458. c. *Bourges*.
Bettonis curtis in pago Tellau. 659. c. *Betencourt*.
Beuveria. 640. b. c.
Bigargium palatium. 590. c. vel *Garges* prope Bonogilum, vel *Garches* prope Versalias.
Bigorra castrum. 7. a. 11. n. 386. n. *Tarbes*.
Bilitio. 364. d. Bilitonis castrum. 636. b. vulgò *Belinzona* in Lombardia.
Birra fluvius. 456. c. 575. c. 656. n. 661. b. 685. b. *Berre*, inter Narbonem et Leucatam fluit.
Biscaia, *la Biscaie*. 424. n.
Bischoffsteim, castellum super Mosellam, de quo Fortunatus. 483. d. n.
Bissonum, villa Burdegalensis, ejus descriptio. 474. c.
Bisuntium civitas metropolis. 5. d. *Besançon*.
Biterrensis civitas. 198. a. Biterrensium civitas. 3. n. 7. n. 8. d. col. 1. 11. c. col. 2. Biterris. 198. b. 711. c. 719. d. 720. a. urbs famosissima. 457. a. *Beziers*.
Biturica urbs. 170. c. 148. a. 381. a. Biturica civitas. 252. d. Beturicæ urbs. 192. a. 573. a. Biturcum civitas, metropolis. 8. b. col. 2. 11. e. col. 1. *Bourges*.
Bituricensis ager. 435. n. *le Berry*.
Biturici. 264. c. 281. d. 297. b. 302. a. 3 25. a.
Biturcum, seu Bituricensis ager. 257. a. 264. c. 281. c. 380. b. Biturcum territorium. 332. b. 343. a. Biturcus terminus. 238. a. 281. c. *le Berry*.
Biturigæ urbs. 27. a. 147. d. 282. b. 377. d. Biturigum civitas metropolis. 6. c. Biturix urbs. 219. b. *Bourges*.
Blavia castra. 684. e. Blavia castrum. 455. a. 574. d. Blavia castellum. 560. c. Blaviense castrum. 134. e. col. 1. Blavium Aquitaniæ castrum. 467. n. Blavium castellum. 668. b. *Blaye* ad Garumnam.
Boatium civitas. 3. b. col. 2. 7. a. 11. b. col. 2. 344. n. *Baionne*.
Bobana villa in territorio Stampensi. 330. n. Bobane. 722. c. col. 1.
Bobium. 427. a. in Alpibus Cottiis. Bobiense Monasterium. 427. n.
Bochania saltus. 694. a. Boconia solitudo. 675. d. *Vide* Buchonia.
Bodanense Monasterium in diœcesi Sistaricensi. 270. n. *Bevon*.
Bodecheim, villa Germaniæ ultra Rhenum. 544. a.
Boëtum civitas, Boius. 8. d. col. 2. *Baionne*.
Bogorra castrum. 7. a. *Tarbes*.
Boius, civitas Boatium. 3. b. col. 2. 7. n. 8. d. col. 2. 11. b. col. 2. *Baionne*.
Bonogelum villa. 431. a. *Boneil*.
Bononia, civitas Italiæ. 170. a.
Bononiensium civitas. 2. a. col. 2. 5. b. 9. b. col. 1 10. c. col. 2. *Boulogne sur mer*.
Bordaa fluvius. 515. a.
Bordo fluvius. 685. a.
Bothagin, villa ultra Rhenum. 543. n. villa Germaniæ. 649. b.
Botmariæ. 657. c.
Braccara, in Lusitania. 704. d.
Braënna, *la Branle*, fluvius Turonum. 388. n.
Brennacum villa. 86. 214. 227. d. 249. d. 253. d. 256. b. 263. b. 404. c. 520. b. 559. d. *Braine*, in pago Suessionico ad Vidulam.
Brentonicum, castrum in territorio Tridentino. 636. c.
Brexia in Gallia Cisalpina. 635. b.
Bricca. 385. b. *Bray* ad Andriam.
Bricteri. 165. b.
Brieium. 594. d. *la Brie*.
Brinnacum villa. 214. 520. b. 564. d. Brinnaicum. 559. d. *Braine*. *Vide* Brennacum.
Briotreidis. 385. b. *Bridoré* ad Andriam.
Britannia (Major.) 634. b. 728. b. col. 1. in eam transitus in Belgica secunda. 3. e. 8. b. col. 1. 10. b. col. 1.
Britannia Armorica, seu Gallica. 17. n. 21. a. 36. n. 187. n. 213. b. 250. b. 404. b. 443. b. c. 590. b. Britanniæ. 240. b. 368. e. 559. b.
Britanni Galliæ. 17. b. 213. c. 250. b. 251. b. 342. b. 368. b. 408. c. 419. c. 443. b. 590. b.
Britannus. 509. d. 521. d.
Brittia insula, id est Hibernia. 42. a. n. Brittii. 42. c.
Brittones. 27. a. in Galliam transeunt. 42. a. Brittones Galliæ. 680. b. 725. d. col. 1.
Briva-Curretia vicus. 296. c. *Brive la Gaillarde*.
Brivas. 168. n. 368. c. 397. d. 649. e. ab Claromontana urbe XII. leucis distans. 206. n. Brivatensis vicus. 168. b. 466. b. d. *Brioude*. Brivatensis diœcesis. 209. c.
Brixia. 440. b.
Brixis. 385. b. *Brisay* castrum.
Brocariaca, vulgò *Bourcheresse*, vicus inter Cabilonem et Augustodunum. 425. n.
Brocomagus, *Brumt* ad Rhenum. 427. n.

Brucariacum villa. 423. b. *Bourcheresse.*
Bructeri. 165. n. Bructeri Franci. 76. 77.
Brutii. 60. b.
Bruxellæ. 166. n. *Bruxelles.*
Buates, seu Vellavi. 6. d.
